TRINA PAULI THEOLOGIA POSITIUA, MORALIS, MYSTICA SEU...

George m. 1661 Godier,
François Cars




6
35 N
17

TRINA
PAVLI
THEOLOGIA
POSITIVA, MORALIS, MYSTICA,
SEV
OMNIGENA IN VNIVERSAS
APOSTOLI EPISTOLAS
COMMENTARIA
EXEGETICA, TROPOLOGICA, ANAGOGICA.

Auctore P. GEORGIO AMBIANATE, Minoritâ Capucino Parisiis apud suos Professore Theologo.

TOMVS TERTIVS.



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEOR. REMEVS.

M. DC. LXIV.

Cum Priuilegio Regis, & Doctorum Approbationibu





LICENTIA ADM. R. P. GENERALIS
Minoritanæ Capucinorum Familiæ.

Nos F. Simplicianus à Mediolano, totius Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Minister Generalis li. imm.

TEnore præsentium licentia & facultatem concedimus, vt seruatis aliàs de iure seruandis, Opus quod inscribitur, *Paulus trino donatus eloquio, seu triplex Pauli Theologia, positiua, moralis & mystica,* tribus Tomis digestum à R.P. Georgio Ambianate nostri Ordinis Concionatore, ac Professore Theologo compositum, à duobus dicti nostri Ordinis Patribus Theologis prius reuisum & approbatum, prælo mandetur, in quorum fidem has manu propriâ subscriptas, & Officij nostri sigillo munitas dedimus. In loco nostro Burdegalensi die 1. Augusti 1658.

F. SIMPLICIANVS, Minister Generalis.



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Capucinorum Prouinciæ Parisiensis.

Ego F. Nicolaus Ambianas, Prouinciæ Parisiensis Fratrum Minorum Capucinorum Prouincialis, licet immeritus.

VIsâ licentiâ Adm. R. P. nostri Generalis, quâ permittitur Reuerendo Patri Georgio Ambianati, Ordinis nostri & Prouinciæ Concionatori & Professori Theologo, typis mandare Opus, cui titulus est, *Paulus trino donatus eloquio, seu triplex Pauli Theologia, positiua, moralis & mystica*, libenter consentio, vt Opus tam eximium, diuque à doctis optatum, & maximè publico proficuum, prælo tradatur: seruatis omnibus de iure seruandis. Datum Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis B.M. Virginis, die 22. Februarij 1659.

F. NICOLAVS Prouincialis.

REuerendus Pater Georgius Ambianensis Minorita Capucinus in suis, *in Epistolas Diui Pauli posteriores, nempe ad Ephesios, Colossenses, Titum, Philemonem, & ad Hebræos Commentariis*, non Minus eruditè, quàm eleganter & perlucidè, quàm in præcedentibus scripsit itaut nedum approbationem, sed publicam commendationem ab omnibus mereatur, quare hos in posteriores D. Pauli epistolas Commentarios prælo subiici ego infrascriptus Doctor Theologus Parisiensis perutile existimaui. Datum Lugduni hac die nona Ianuarij anni Domini 1664.

F. IOANNES Robé

Ego infrascriptus eiusdem facultatis doctor Theologus ac Carmelitarum Lugdunensium prior, idem censeo Lugduni die & anno quibus supra.

F. MOREL

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO *Galliarum Rege concessi.*



LVDOVICI XIV. GALLIÆ ET NAVARRÆ REGIS auctoritate sancitum est, Litterisque patentibus cautum; ne quis in Regno suo aliisue locis ditioni suæ ac imperio subiectis, intra viginti proximos annos in Priuilegio concessos, à die impressionis absolutæ inchoandos, excudat: vendat, excudendum, vendendumque quouis modo ac ratione attentet Opus, quod inscribitur, *Paulus trino donatus eloquio, seu triplex Pauli Theologia, positiua, moralis & mystica.* Auctore R. P. Georgio, Ambianate, Minoritâ Capucino, Professore Theologo: Præter eos quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regiâ, ne quis ex subditis eundem librum extra Regni limites imprimendum curet, aut quempiam, vbicumque fuerit ad id agendum instiget, sine consensu dicti P. Georgij Ambianatis, aut eorum quibus permiserit. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 25. Iulij 1658.


De mandato Regis.

Signatum, DV FRESNE.

Auctor cessit iure suo ad Editionem huius operis, in gratiam Viduæ & Dionysij Thierry.

Desiit prælum 16. Ian. 1664.

IN



IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARGVMENTVM.

TANTO tempore doctrinam Euangelicam dissemminauit Apostolus, tantoque sudore Ephesinam rigauit Ecclesiam: vt omnes, qui habitabant in Asiâ, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Sed Iudæi, propriè, vt dicit Tertullianus, hostes ex æmulatione: odibiles [Ex contentione] citò à paulo auersi sunt omnes. Gentiles verò in fide ac pietate perstantes, collaudantur, & de reconditis informantur mysteriis. Cum enim qui eâ tempestate clarerent Philosophi, vitam agerent Ephesi, suamque efferrent Sapientiam, accuratiùs ad hos scribit Apostolus, & sensa quædam profundiora, altioraque his arcana credidit. Plena sanè sensibus altissimis Epistola, rebusque referta sublimissimis. Quocirca, vt concludit Athanas. nobis & animus enixè admodum intendendus; ea vt pernoscamus, quæ hac in Epistolâ conduntur mysteria.



CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

GEneraliter describit prædestinationem electorum omnium: tum & specialiter descendit ad fidem dilectionémque Ephesiorum. Sit igitur.

PARS PRIMA.

De Prædestinatione.

TEXTVS.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum,

secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientiâ & prudentiâ: vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

EXEGESIS LITTERALIS.

ANNVNTIAT omnia à Deo instaurata esse in Christo, seque & alios benedictionibus cumulatos spiritualibus, in electorum sorte collocat.

Ad Rom & 1. ad Tym. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei & Paulus, vocatus Apostolus. Imò & iussus. Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei. Non parùm æstimat vocari, expectat imperari. Vltrò enim laborem suscipit, honorem verè non nisi ex diuino assumit imperio. omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu &c. Fratribus verè fidelibus; si enim integram ac sinceram tenent fidem, veram possident sanctitatem: tuncque verè fideles sunt, si sunt in opere irreprehensibiles. Non solùm fidelibus scribit, ait Ambros. Sed & Sanctis; vt tūc verè fideles sint, si fuerint Sancti in Christo Iesu verè, id est, re, non sermone. (Ambros. in Paulum.) Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo &c. Possunt sic distingui fideles & Sancti, vt Sancti sint maiores ac perfecti; fideles, minores & imperfecti: & imperfectis optetur gratia reconciliationis, perfectis verò, tranquillitas intimetur mentis. Sed nullus verè sanctus, qui non sit fidelis; nullus verè fidelis; qui non sit Sanctus, & cognitionis rectitudine, & professione virtutis. Gratia, culpam obliterat; pax, pœnam pro contractâ offensâ condonat, sicque vtraque simul iuncta, nos Deo perfectè & integrè reconciliat: sed per Iesum Christum, sine quo nulla dantur bona, nulla computantur merita. Itaque, in salutationis formâ, vt obseruat Aquinas, Implicantur tria, donū quodlibet gratificantia: doni sufficientia, datoris potentia, mediatoris excellentia. (Aquin. lect. 1.) Tunc enim gratum est donum, quando sufficiens est quod datur: quando à potente datur, vt quando à rege, vel principe datur: quando per solemnem nuntium datur, vt per filium. Omnia in illo, & per illum data. (Tria donū quodlibet gratificātia.) Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo &c. Laudetur Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, exalteturque ob effusam in electos suos donorum spiritualium munificentiam, laudandus prædicandusque ob cælestia in nos collata per Iesum Christum beneficia. Sicut

A elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sācti & immaculati in conspectu eius charitate &c. Sicut enim ab æterno per ipsum elegit, sic & per ipsum nos gratuito destinatis affecit beneficiis, vt à præteritis mundaremur delictis, & nouis deinceps non implicaremur, sicque veram, diuinoque certam iudicio consequeremur iustitiam; vtpote charitate suffultam; nec humanâ vanitate, sed diuinâ comprobatam, veritate.

Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto filio (B) suo, &c. Quidam legunt, iuxta græca: In charitate prædestinans. Et possunt, non tamen cogunt. Benedictus Deus, qui æterno suo consilio prædestinauit nos per filium suum vnigenitum, nec sibi adoptauit, in id destinauit vt essemus filij eius adoptiui. Ita voluit ex mero beneplacito, ad laudem illustriorem gratiæ suæ: per quam nos charos habuit acceptosque, ob infinitum filij dilectissimi meritum. Propterea, inquit, (apud Athanas.) ita futurum vt nos adoptaret, prædestinauit, quia id vellet maximè, vt gratiæ eius & (Athanas. in Paulum.) C munificentiæ gloria patefieret. Gratiosos autem in dilecto filio fecit, hoc est, per dilectum filium. Græcè ἐχαρίτωσεν. Gratiosos reddidit, suâ repleuit Gratiâ. In quo habemus redemptionem, per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientiâ & prudentiâ, &c. Peccato eramus obnoxij, & inde supplicio æterno: sed per dilectum filium in cruce passum, liberati sumus à captiuitate peccati, exinde à granditate supplicij. Et hæc fecit Deus pro effusâ illâ beneficentiâ, quam exuberare in nos voluit, cum gratiam variis sapientiæ ac scientiæ donis ornatam D nobis contulit. Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terrâ sunt, in ipso, &c. (Apostoli variis Sapientiæ & prudentiæ donis instructi.) Cur nobis Apostolis scilicet, tantam gratiam, tantamque contulit sapientiam? Quia nos capaces, scientesque reddere voluit arcani illius consilij, quo secundùm beneplacitum suum, proposuit statuitque apud se, genus humanum redimere, sed in tempus præfinitum distulit: eo autem explęto,

A expleto, Christum ipsum in caput non hominum duntaxat, sed & angelorum erigere constituit. Hoc placuit Deo, ait Commentator Ambros. cuius consilium retractari non potest, vt ostenderet in Christo mysteriũ voluntatis suæ tẽpore quo reuelari illud voluit in agnitionem creaturæ.

Comment. Ambros.

In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, &c. Gloria & honor Iudæi primum, tum & Græci. Itaque, & nos Iudæi, sortem vocationis sumus per Christum Iesum assecuti, ad tam magnam hæreditatem tantamque dignitatem, æterno illius decreto, qui non illa solùm modulatur, B sed & omnia tantâ efficaciâ operatur, quantâ & sapientiâ. Totum autem est, ait Chrysostomus, ab animi instituto & libero arbitrio prædestinatos, hoc est sibi electos destinauit ac seposuit. Arbitrio igitur non humano, sed diuino. Vt simus, in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo, &c: Ideo enim gratis prædestinati, gratis & vocati, vt Deus laudetur in nobis glorificeturque tanquam in gratiæ ac misericordiæ vasis; nobis, inquam, qui priores credidimus, qui gentes fide ac spe in Christum Dominum præuenimus. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, &c. Nec tamen exclusi estis vos, licet à stirpe C seu gente exclusi: sed per eandem gratiam, nunc, audito veritatis Euangelicæ verbo, & accepto salutis vestræ nuntio, sperare cœpistis in Christo: & per quem, cum credidissetis, & Euangelicæ vos obstrinxissetis disciplinæ, obsignati estis Spiritu sancto, tanquam certo promissionis sigillo. Qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Illo, inquam, obsignati Spiritu, qui est arrha, quâ obfirmatur vita æterna nobis promissa, donec perfecta ac tota redemptio, sanguine Christi acquisita nobis conferatur, idque ad D ipsius laudem & honorem. Frequenter hoc iterat, ait Athanas. Certiores nos faciens omninò futura quæ sunt à Deo promissa. Quæ si nostri ob gratiam esset facturus, possit quis forsitan iure subdubitare, vtrum promissa eiusmodi sint exequenda, an minimè. Nunc verò cum hæc vt eius bonitas & gloria innotescant, sit peracturus, quis contradixerit, quin pergat iam terminare quod olim statuerit. Sic Scriptura: Fac nobis propter nomen tuum.

Chrysost. orat. 2.

Sancti ad gloriam diuinam prædestinati.

Athanas in Paulum.

DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

Nihil sublimius hac Epistolâ, sed nihil etiam difficilius, nihil perplexius. Nam vt dixit Chrysostomus, quæ nusquam fere est locutus, ea hîc dicit: Profundiores enim sensus dicitur Ephesiis credidisse, vt qui per catechesim fuissent instituti. Sed hinc suboritur.

Chrysost. in procem.

DISQVISITIO PRIMA.

A quo instituti fuerint Ephesij?

Ephesus, seu Ioniæ, seu Lydiæ vrbs clarissima, maximum citerioris Asiæ emporium. Dicta olim Samona, ab vnâ Amazonum, quam & reginam & Dianæ sacerdotem fuisse tradunt: nam & celeberrimo Dianæ templo nominata fuit, priùs ab Amazonibus cum vrbe condito, dein ducentis viginti annis à totâ Asiâ, nón tam in ædificium exstructo, quàm in miraculum. Hanc igitur non dicam Dianæ ciuitatem, sed arcem idololatriæ aggressus est Apostolus, nec tam obsidione triennij, quàm animi fortitudine, machinamenta disiecit, castra subuertit, Ephesinamque inter media discrimina erexit Ecclesiam. Ephesios, ait Commentator Ambrosianus, Apostolus non fundauit in fide, sed confirmauit, multa mala pro his passus à perfidis. Accepit ab eo Aquinas, quod dixit: Ephesij sunt Asiani, ab Asiâ minore, quæ est pars Græciæ: hi non fuerunt per Apostolum paulum in fide fundati, sed confirmati. Iam enim antequam veniret ad eos, erant conuersi, vt haberi potest Act. 19. Factum est cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos. Sed tria in his obseruanda sunt. Primùm, iam antè annum Ephesi paulum docuisse, & aliquanto tempore consedisse. Paulus cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, deuenit Ephesum, & ingressus synagogam disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis vt ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens & dicens: Iterum reuertar ad vos Deo volente profectus est ab Epheso. In quibus velim adnotes primò, disputare, non aliud esse paulo, quàm prædicare. Et continuò in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. Hoc est, probabat Christum esse Dei filium, negantesque seu contradicentes confutabat. Introgressus autem synagogam, cum fiduciâ loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. Secundò, iam & aliquos ex Iudæis conuictos conuersosque: cur enim paulum demorarentur, nisi vt ampliori catechesi, vt loquitur Chrysostomus, donarentur? perfunctoriè enim tantùm imbuti erant, nondum plenè instructi. Tertiò, paulum non annuisse quidem, sed reditum, arrhâ datâ promisisse. Iam enim soluens Corintho, consilium inerat proficiscendi in Syriam, non apud Ephesios consistendi. Itaque Cæsaream palestinæ, ac inde Antiochiæ Syriæ accessit, posteaque Galatiam & Phrygion, ac superiores prouincias Asiæ peragrauit, ac tandem his omnibus expeditis, non minori quidem, quam vnius anni spatio, Ephesum rediit.

Comment. Ambros.

Aquin. Lect. 1.

Actuum c. 18.

Act. cap. 9.

Act. cap. 19.

Disputatio Pauli Christi est prædicatio.

Alterum quod obseruandum est, illos, quos paulus inuenit Ephesi discipulos, nondum Christianos fuisse, vtpote nondum ritu Christiano initiatos, nondum Christi Sacramento baptiza- E tos. Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis baptismate. Dixit autem paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. En primo facti sunt Christiani. Ioannis enim baptisma in tantum imperfectum fuit, (ita Hieronymus) vt constet postea Christi baptismate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati. Ioannis namque baptisma non tam peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, quæ esset

Actuum c. 19.

Hieronym. dial. aduers. Lucif. cit. med.

esset postea per sanctificationem Christi subsecutura. His ergo auditis, baptizati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi. Et cum imposuisset illis manus paulus, continuò cecidit Spiritus sanctus super eos. Sic ergo baptizati sunt vero & legitimo Ecclesiæ baptismate,& ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt. Sic enim varia olim charismata,in argumentum & testimonium veræ collata Ecclesiæ. Testium denique, Apollo quidem, paulo discedente Epheso, Christum Iesum prædicasse, sed & ipsum à paulo, per ministerium priscillæ & Agustæ, verâ fide fuisse imbutum. In his igitur tria certa sunt. Primum, recedentem paulum Epheso, priscillam & Aquilam illic reliquisse. Deuenit Ephesum, & illos ibi reliquit. Alterum, Apollo superuenisse, sed necdum Christi baptismum audiisse. Iudæus autem, quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini: & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantùm baptisma Ioannis. Tertium, instructum quidem fuisse illum à priscillâ & Aquilâ, sed statim reliquisse Ephesum, & Corinthum contendisse. Quem cum audissent priscilla & Aquila, assumpserunt eum,& diligentiùs exposuerunt ei viam Domini. Cum autem vellet,re Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis vt susciperent eum.

Charismata Ecclesiæ legitimæ indicia.

Actuum c. 18.

Bis ergo paulus venit Ephesum primò, soluens Corintho, tuncque prima iecit non tam Ecclesiæ fundamenta, quàm fidei Christianæ rudimenta: tunc enim non tam perfecti Christiani facti sunt, quàm Catechumeni: edocti,sed nondum baptizati, nouitij, nondum professi, remissionis tamen ac sanctificationis candidati. Cum solemne sit in lauacro, post Trinitatis confessionem interrogare: Credis sanctam Ecclesiam? credis remissionem peccatorum? Ita Hieronymus. Secundò, seu sequente anno,tuncq; baptizatis fere duodecim viris in nomine Christi, Ephesinam fundauit Ecclesiam. Introgressus autem Synagogam, cum fiduciâ loquebatur per tres menses. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in scholâ tyranni cuiusdam. Iam monuimus, disputare paulo non aliud esse quàm prædicare, & renitentes contradicentesque per scripturas sanctas reuincere. Ridicula penitus assertio, ait Hieronymus, ante de fide quemquam disputare, quàm credere. Et in fine: Non solum te vicisse existimes: vicimus vterique: vterque nostrûm palmam refert, tu mei, ego erroris. Vtinamque mihi sic semper disputare contingat, vt ad meliora proficiens deseram quod malè tenebam. Ita disputat & Apollo, dum Christum annuntiat probatque esse Dei filium. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse Christum Iesum per biennium, imò per triennium prædicauit paulus: illic enim accessit tandem permansurus, anno Domini quinquagesimo quinto, & recessit anno quinquagesimo septimo, in Macedoniam, & Græciam profecturus: Sed annus ille tertius per aliquot tantùm menses inchoatus. Ita Lucas: Hoc autem factum est per biennium (Completum scilicet.) Et paulus, per triennium.

Hieronym. dialog. aduers. Lucif. circa med.

Actuum c. 19.

Disputare Paulo est Christũ Iesum prædicare.

Hieronym. in fin. Dial. aduers. Lucif.

Actuum c. 18.

Act. cap. 19. & 20.

(Scilicet inchoatum.) Et inde digrediens. Timotheum creauit episcopum: nam quam per se fundauit Ecclesiam, per Timotheum confirmauit, quam per se erexit, per filium amantissimum & discipulum rexit charissimum. Ita Ignatius ad Ephesios. Contingat mihi vitam æternam præcipere, vt in sorte Christianorum Ephesiorum inueniar. Qui & cum Apostolis semper conuersati sunt in virtute Iesu Christi, Paulo, Ioanne, & Timotheo fidelissimo. His quidem Ioannem interserit, quia, vt dixit Chrysostomus: plurimum illic versatus est.

Ignat. epist. 14.

Chrysost. in procem.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quomodo instituti sint Ephesij?

TRia obstabant conuersioni Ephesiorum: idololatria, magia, philosophia: & quasi vnâ manu aduersùs nostrum pugnabant Apostolum: cum tota illa philosophia non solùm superstitiosa esset,sed & magica. Et quidem de idololatria. Facta est illo tempore turbatio non minima de viâ Domini. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eos qui huiusmodi erant opifices, dixit: viri, scitis quia de hac artificio est nobis acquisitio: & videtis, & auditis, quia non solùm Ephesi, sed pene totius Asiæ, paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt Non solùm autem hoc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, Sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit. His auditis, repleti sunt irâ & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et, vox facta vna est omnium, quasi per horas duas clamantium. Magna Diana Ephesiorum. Quæ illæ ædes Dianæ? nisi donaria votiua, seu statuæ argenteæ, vel imagines deæ, suis ædiculis seu loculamentis circumseptæ. Illæ ergo passim sparsæ, vt nullus esset, Qui nesciret Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisque probis. De idololatriâ, ciuitatem Ephesinam non solùm vanæ superstitioni deditissimam, sed & arti curiosæ seu pessimæ plusculum studentem, testis Hieronymus: nec vllibi cariùs quàm Ephesi, Apollonium Tyanæum, qui eodem hoc tempore vixit, magis suæ merces esse nondinatum, in eius vita testatum reliquit philostratus. Vnde ex nouo casu irruentis dæmonis in Sceuæ filios exocistas: Multi, ait Lucas, ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. De philosophiâ, plurimi ex philosophis, vt dixit Chrysostomus, maximè ij qui in Asiâ floruerunt, illic erant. Nam dicitur quidem & inde fuisse pythagoras, quin etiam tota Ionica philosophia, parmenidem quoque & Zenonem & Democritum,& multos adhuc illic inueneris philosophos. Hæc autem non temere dicta sunt à nobis, Sed vt ostenderem multo studio opus fuisse paulo eos scribenti. Quid ergo & eos instituenti? Vt contra inolitam superstitionem, contra diabolicam autem, contra rationem philosophicam non solùm dimicandũ esset, sed & triumphandũ.

Actuum c. 19.

Iuncta simul idololatriæ, magis, & philosophiæ machinamenta.

Hieronym. præfat. in Epist. ad Ephes.

Act. cap. 19.

Chrysost. in praxem.

Diximus

Diximus Ephesinam Ecclesiã, plantatã à paulo, à Ioanne rigatam; & in tantum fundatã, in quantum confirmatam. Quæ est Ephesi Ecclesia, ait Irenæus, à paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis: prior quidem paulus, tum & Ioannes posterior, ingrauescente scilicet ætate, Ioannem enim, vti scripsit Epiphanius, inuitum licet, ac religione quadam, & animi moderatione defugientem, ad scribendum Euangelium Spiritus sanctus impulit, affectâ iam ætate, vtpote qui iam nonagesimum annum excederet, postquam à Patmo insulâ reuersus est, quod quidem Claudio imperante contigit. Quamobrem cum annos iam multos mãsisset in Asiã, Euangelium scribere coactus est. Primus ergo fundator paulus, sicut & primus prædicator, Scriptorque ad Ephesios vnicus: Sed sicut ad eos scribendo, ea dixit, quæ nusquam alibi locutus est; Sic & eos instituendo, ea fecit, quæ nusquam alibi operatus est. Primo igitur aduersùs idololatriã, cultũ opposuit Christianũ, diuinumq; interposuit auxiliũ. Vos scitis, a primâ die, quã ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tẽpus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lacrymis: testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Aduersùs magiam mira, sed vera edidit prodigia. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Aduersus philosophiam inanem fallacemque, salutaria monita adhibuit. Nocte & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm. Eo nimirum ferè modo, quo apud Augustinum: Abstinete vos à detestabilibus inquisitionibus, à mathematicis, ab aruspicibus, à sortilegis, ab auguribus, à sacrilegiis: abstinete vos quantum potestis à nugatoriis spectaculis. Si quæ delectationes seculi subrepunt in animam: exercete vos in misericordiâ, exercete vos in eleemosynis, in ieiuniis, in orationibus: his enim purgantur quotidiana peccata. Sicut cœlo intonante, tacent ranæ; Sed & paulo prædicante, locustæ, illæ Ægypriacæ; Si non præ modestiâ, certè præ verecundiâ conticescent. Habes, ait Augustinus, expressam significatam vanitatem, Si attendas ranorum loquacitatem. Iam verò inferendum est primò quantum heretici cespitauerint à limine, dum epistolam imponunt Laodicenis, quos nequidem paulus viderit; & Ephesiis detrahunt, ad quos ipse non accesserit tantùm, sed & scripserit. Ecclesiæ quidem veritate, ait Tertullianus, epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; Sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi & in isto diligentissimus explorator. Inferendum secundò, quantum Ephesij profecerint ex predicatione & scriptione pauli. Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. Quasi tot sint sancti, quot fideles. Ecce, ait Chrysostomus, sanctos viros qui habent & filios, & vxores & seruos. Cogitemus quanta nos tenet socordia, & quàm rara sit virtus, & quantus tunc esset prouentus bonorum virorum & virtute præditorum, vt etiam mundani seu seculares tunc sancti dicerentur & fideles. Quã verò sanctitate? Quantâ & fide. Omnes, ait Ignatius, secundùm Deum viuitis, & nulla hæresis inter vos habitat: & estis quemadmodum paulus verbis scripsit vnum corpus & vnus spiritus. Carnales enim spiritualia non possunt agere, nec spirituales carnalia, sicut nec fides ea quæ sunt infidelitatis, neque infidelitas ea quæ sunt fidei. Vos ergo repleti Spiritu sancto, estote tales, qui à tali eruditi estis: hoc est à paulo Christifero & Timotheo. Nihil carnale, Sed omnia spiritualia agite. Vnusquisque vestrûm perfectus sit in Christo Iesu, qui est saluator omniũ hominũ, maximè fideliũ. Beati estis vos deiferi, Christiferi, spiritiferi. Gaudeo in vobis quia vanitati non intenditis, neque ea quæ secundùm carnẽ sunt diligitis, sed ea quæ secundùm Deum sunt. Inferendum tertiò, quantum à fide quantum à pietate defecerint Christiani. Tunc omnes omninò fideles erant sancti, etiam mundani seu seculares, nedum sacerdotes ac clerici: nunc inter tot viros religiosos nomine, vix vnus & alter quouis seculo sanctitate præcipuus. Nihil autem de titulis interest, ait Tertullianus, cum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam. Nonne & nos fideles sumus, nonne Christiani? cur ergo non omnes sancti, nisi quia vix fideles sumus, vix Christiani.

Irenæus lib. 3. Aduers. hær. cap. 3.
Epiphan. hær. 51.
Paulus plãtator Ephesinæ Ecclesiæ, Ioannes rigator.
Actuum c. 20.
Act. cap. 19.
Act. cap. 20.
Augustin. lib. de decẽ chard. cap. 11.
Augustin. fragm. de decal. cap. 1.
Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 17.
Chrysost. orat. 1.
Ignat. epist. 14.
Quanta fuerit Ephesiorum excellentia.
Tertullian. libr. 5. aduers. Marc. cap. 17.

DISQVISITIO TERTIA.

Quibus benedictionibus cumulati?

Benedicimus Deum, & ille nos benedicit: Sed illum benedicimus verbis, quia vltra non possumus; ille nos factis benedicit, dum suis afficit beneficiis. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Benedictus ille qui benedicit. Si enim Deus commune vocabulũ factũ est vitio erroris humani (ita loquitur Tertullianus) quatenus plures dei dicuntur atque creduntur in seculo, Benedictus tamen Deus Domini nostri Iesu Christi pater, non alius quàm Creator intelligetur, qui & vniuersa benedixit; habes Genesim: & ab vniuersis benedicitur; habes Danielem. Creator benedicit creaturam, dum illi benè facit: creatura creatorem benedicit, dum illum extollit, munificentiam laudando, prædicando misericordiam. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Quid, in omni benedictione? Distributio est, & omnis generis comprehensio.

Primum genus benedictionis, Iudaicam est, vtpote carnale ac temporaneum: at illud figuratiuum est, nec tam in terrâ, quàm in animâ, id est, non carnaliter, sed spiritualiter adimplendum. Benedixit nos in omni benedictione. Sed spirituali. Non iam carnali, non terrenâ ac temporaria. Iudaicam hîc tacitè notat benedictionem: (verba Chrysostomi) nam erat quidem benedictio, Sed non spiritualis. Vt Benedicat te Deus, Benedicat fœtus vteri tui, Benedicat introitum tuum & exitum tuum. Hic autem non sic. Sed quid? In omni benedictione spirituali. Quid enim adhuc tibi deest. Factus es immortalis: factus es liber, factus es filius, factus es iustus: factus es frater: factus es coheres: simul regnas: simul glorificaris. Omnia tibi gratis donauit. Quomodo non etiam cum ipso, inquit, omnia nobis donabit? Primitiæ

Tertullian. libr. 5. aduers. Marc. cap. 11.
Chrysost. orat. 1.

mitiæ tuæ adorantur ab angelis, à Cherubin & Seraphin. Quid adhuc deest? In omni benedictione spirituali. Nihil est hîc carnale. Non in terrâ, sicut apud Iudæos, Bona terræ comedetis. Hic autem nihil tale. Sed quid? Ego & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Iudæis tâquam pueris carnalia concessa sunt; tanquam ludicra, puerorumque crepundia. Christianis, tanquam viris ac perfectis spiritualia reseruata sunt, tanquam angelorum munera plorauì, inquit, ante Deum, & non mihi dedit. O puer insensate, ait Augustinus, in quo plorasti? vt acciperes felicitatem carnalem, felicitatem temporalem, felicitatem terrenam. Quid si ista felicitas, quam exoptabas & petebas, & pro quâ plorabas, præcipitaret te? Plorat antè te filius tuus paruus, vt eum leues in equum tuum. Nunquid audis? nunquid exaudis? Durus es, an potius misericors. Quid est, dic mihi, quo consilio facis? Certe hoc consilium esse charitatis quis dubitet? Cui grandi seruas totam domum per nullum ploratum, leuas in equum. Omnia quæ habes, & domum, & quicquid in domo; & agrum, & quicquid in agro, illi seruas, & tamen in equum non leuas plorantem paruulum. Quæris tu copiam corruptionis, cum necessaria fortasse sit inopia eruditionis. Sunt ergo nonnullæ benedictiones, sed carnales, sed Iudaicæ; quæ nonnunquam vertuntur in maledictiones, cum iis vt lubricis homines abutuntur. Sunt & aliæ benedictiones, sed spirituales, sed optandæ, quia vitam æternam exstruunt, dum per gratiam perducunt ad gloriam.

Augustin. serm. 5. ex nouis vers. finem.

Bona terrena, puerorũ sunt crepundia.

Secundum genus benedictionis, hæreticum est, vtpote fallax & erroneum. Simon enim ille Magus animo ac mente deprauatus, cum se turpissimo quæstui & auaritiæ dedisset, (loquor ex Epiphanio) Spiritum sanctum in alios transfundere cogitabat, atque ita maximam sese pecuniarum vim collecturum, atque ingens omninò lucrum cum exiguo pretio commutaturum sperabat. Igitur ex illâ malorum dæmonum insaniâ ac magicis artibus consceleratum animum gerens, atque illorum præstigiis delusus, cum nihil haberet promptius, quàm vt nequitiæ suæ veneficiorumque barbarum quoddam, ac suis illis auctoribus dæmonibus dignum specimen exhiberet, in apertum prorupit: ac sub Christiani nominis specie, tanquam veratro mel admiscens, sic illius appellationis splendori lethale vulnus infudit. idque iis obtulit, quos fraudulenter captatos & impium hunc in errorem pertractos in exitium adduxit. Se enim summam esse Dei vim, scortum verò suum Spiritum esse Sanctum affirmare ausus est, cuius gratiâ de cœlo descenderat. Præterea, Mineruam eandem esse dicebat, quam notionem appellabat. Quam ad rem Apostoli Pauli dictum illud accommodare, & ad mendacia sua veritatem trahere solebat, cum ita Paulus loquitur: Induite loricam fidei, & galeam salutis, & ocreas ac gladium, & scutum. Quæ omnia in eum finem ab Apostolo dicta, vt solidam mentem & castissimi vitæ instituti fidem, & diuini ac cœlestis vim sermonis exprimeret circulator iste, sic nihil aliud quam ad ludibrium conuertit. In his tria notanda sunt. Primum est, Epiphanium imposturam Simonis appellare philistionis mimologiam, Sic tanquam philistionis mimos ageret, quem ferunt nimio risu mor-

Epiphan. serm 21.

Ridicula Simonis Magi somnia.

Epiphan. Ibidem.

A tuum. Alterum, Magum illum, fabulam suam ex sacris profanisque texuisse, Christianis atque ethnicis, vt omnes inuolueret, & eodem caperet artificio. Tertium, non minùs mimum, licet mimicè, quàm Paulum verè cælestes benedictiones pollicitum, καὶ δυνάμει θεῖν λόγῳ καὶ ἐπουρανίῳ. Ita Magus. Apostolus verò, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Quid ergo Magus? Benedictiones promittit non carnales iam, sed spirituales, nec terrestres, sed cœlestes: verùm dum promittit imponit. Quid porrò Deus: Benedicit nos omni benedictione, sed spiritali, sed cœlesti, cœlestes nimirum homines faciente. Ita quinquies ea verba Paulus
B vsurpat, in hac solâ epistolâ, In cælestibus nec vsquam alibi memorat.

Tertium genus benedictionis, humanum est, vtpote votis conceptum humanis. In quo tamen, vt obseruauit Ambrosius, primum omnium discimus, quantam parentibus reuerentiam deferre debeamus, cum legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat: & qui maledicebatur, maleditus erat. Ideò enim hanc parentibus gratiam donauit Deus, vt filiorum pietas prouocetur. Prærogatina igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, vt benedicat te. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Etsi
C pauper est, & non habet diuitiarum copias quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis hæreditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quàm diuitem fieri. Festinabat Ioseph sumere benedictionem. Denique & filios suos obtulit, Manassem & Ephraim, quos benedixit Iacob: vt quia duodecim habebat filios, & tertius decimus erat futurus Apostolus Paulus, quasi posterior electus, tertia decima tribus de Manasse & Ephraim nepotibus sanctificaretur in vtrumque diuisa, quo Paulus non extra paternarum numerum tribuum inueniretur, qui veteris testamenti
D & noui egregius prædicator, paternæ benedictionis hereditatem sibi quoque facilè profecisse comprobaret. Obseruandum tamen secundò, homines, vt plusculum suis indulgentes votis, humana cupere, filiisque suis non tam vera vouere quàm vana. Tertiò denique, quicquid desiderent aut postulent, non tam in effectu esse, quàm in affectu; & apprecari quidem posse, vel etiam ominari, non tamen dare. Deus verò benedictus: Scilicet, vt exponit Aquinas, à me, à vobis, & ab aliis: corde, & ore, & opere laudatus sit. Qui benedixit nos, in spe in præsenti, sed in futuro benedicet in te: ponit tamen præteritum pro futuro propter certitudinem. Benedixit, in-
E quam nos, licet nostris meritis maledictos. Et hoc in Christo: id est per Christum, vel in Christo operante. Ipse enim est qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Valde appetenda est benedictio hæc: sic enim benedicetur homo, qui timet Dominum. Id est, Dei munere honorabitur, & omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, seu per ipsius meritum ac donum cumulabitur.

Ambros. lib. de bened. patre cap. 2.

Quanta reuerentia benedictioni paternæ deferenda.

Aquin. lect. 1.

TROPO

TROPOLOGIA.

Eligit nos in ipso ante mundi constitutionem.

TRia sunt in diuinâ electione, seu diuina prædestinatione spectanda: principium, finis, medium. Principium, bona Dei voluntas: finis, filij adoptiui dignitas: medium, Christi Domini liberalitas.

Malach. cap. 1. Quoad primum. Vbique Deus bonam voluntatem præmittit, & æternam ostendit dilectionem. Ita apud Malachiam. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui? Locum laudauit Apostolus, Chrysostomus inculcauit. Quid enim miraris, ait, quòd ex Iudæis alij seruati quidem sunt, alij autem non seruati sunt? Etenim ab initio hoc in patriarchis factum videre quis possit. Cur enim Isaac solus semen vocatur, quanquam Abraham & Ismaël, & aliorum plurium pater fuit? At à matre seruâ fuit, inquies. Et quid hoc ad patrem. Veruntamen nihil contendo. Eiiciatur hic propter matrem. Quid dixerimus de iis, qui à Chetturâ geniti sunt, num liberi, & ex liberâ? Quamobrem non easdem cum Isaac prærogatiuas, non eosdem sunt honores sortiti? Et quid de his loquor? Rebecca enim vel sola Isaac mulier fuit, duosque filios enixa, vtrumque ex Isaac peperit. Sed tamen qui vno, eodemque patre geniti fuere, ab eadem item matre nati, easdem parturigines soluére: simul eundem patrem, simul eandem matrem sortiti, adde etiam gemelli iidem qui fuere, ij non eandem sortem adepti sunt. Quanquam hoc loco matris seruitutem incusare non potes, vt in ipso Ismaël: neque hunc quidem ex illâ, illum autem ex aliâ matre natum esse, quemadmodum in Chetturâ, & in Sarrâ, quando & eandem parturiginum horam communem inter se habuere. Propterea & Paulus tanquam ad manifestius egressus exemplum: non solum autem, ait, in Isaac hoc euenit, sed in Reberâ, quæ ex vno conceperat Isaac patre nostro. Nondum enim geniti quum essent, nullo dum ab illis vel bono, vel malo opere facto, vt iuxtà electionem, Dei propositio maneret, non ab operibus, sed à vocante, dictum est illi, Maior seruiet minori, quemadmodum scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Audis gemellos eandem matrem eundemque sortitos patrem, non tamen eandem adeptos sortem. Sors enim, est tam in naturâ, quàm ex gratia: quod enim quis ex isto patre, vel ex illa matre nascatur, non est arbitrij humani, sed diuini beneplaciti: quod quis à Deo diligatur, quod eligatur præ alio, non est propositi humani, sed æterni consilij. In quo etiam nos sorte vocati sumus. Quomodo? Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. In manibus quippe illius & nos sumus, & sortes nostræ, quia dubio inuoluuntur humano, nec nostro, sed diuino voluuntur iudicio. Sortem dixit, quantum ego existimo (ita Augustinus) gratiam quâ saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei. Quia in sorte non est electio, Sed voluntas Dei. Non vbi dicitur; iste facit, iste non facit, merita considerantur: & vbi merita consi-

Chrysost. hom. 16. in epist. ad Roman.

Eâdem matrem sortiti non eâdem sortem adepti.

August. con. 2. in psal. 30. vers. fin.

A derantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors sanctorum: hæc quodammodo sors occulta. Voluntas Dei in humano genere sors est: Sors veniens de occultâ Dei voluntate, apud quem non est iniquitas. Non enim ille personas accipit, Sed occulta illius iustitia tibi sors est. Quomodo nos elegit Deus? Secundùm propositum voluntatis suæ. Græcè εὐδοκίαν, secundùm bonam voluntatem suam, æternamque dilectionem: Sors tamen nobis est, quia non ex

B nostro aut consilio aut merito, sed ex diuino beneplacito. Sors est, ait Aquinas. Quia sors nihil aliud est, quàm inquisitio rerum, quæ ex diuinâ voluntate fiunt: gratia autem eius ex solâ diuinâ voluntate dependet. Inde est ergo quòd gratia diuinæ electionis dicitur sors, quia Deus per modum sortis secundùm occultam prouidentiam, non ex alicuius meritis, per gratiam internam vocat. Elegit nos ante mundi constitutionem, non quia eramus, aut futuri eramus sancti, sed vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius: æterno decreto saluos fecit, quia nos voluit: complacuit dare nobis regnum & in electorum nu-

C merum ex mero proposito referre constituit. Aquin. lect. 4.

Quoad secundum. Ex altò descendit æternum illud consilium, sed quo tendit, & quonam conscendit? Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Nobis equidem adhærere Deo bonum est, sed quomodo potest creatura coalescere cum creatore, quomodo ille qui non est, potest cum eo qui est cohærere? Immediatè, ait Bernardus, ei coniungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Tria autem sunt vincula quibus ei adstringimur. Et primum accipite funes: secundum, clauos ligneos vel ferreos: tertium, gluten. Primum ad-

D stringit fortiter & durè: secundum fortius & durius: tertium suauiter & securè. Sed ille misericors oculus qui nouit figmentum nostrum neminem saluandorum dimittit in primo, sed euehit ad secundum, & nec ibi deserens de secundo perducit ad tertium. Primo siquidem quia pudet deserere, æstuantes vix sustinemus ad horam, secundo iam timentes & sperantes proficimus, tertio perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus timore pariter & pudore exclusis, in solius amoris reclinatorio commoramur. Ita & Christus priùs quidem ligatur, secundò crucifigitur, tertiò glutinosâ aromatum iunctione linitur. Sed attende quòd vix vnius diei spatio in funibus & clauis moratus, cum vnctione victor, qui victurus perenniter, resurrexit. Hoc igitur

E glutine agglutinauit nos sibi ille diuinus intuitus à constitutione mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, diceremusque, quis nos separabit à charitate Dei. Scimus enim quia qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cælestis seruat eum. Generatio cælestis, est æterna prædestinatio, quâ Deus præuidit eos conformes fieri imagini filij sui. Ex his nullus peccat, id est, in peccato perseuerat: quia nouit Dominus qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile. Nonne huic adhærere Deo bonum est. Etsi enim horrendorum criminum notâ Dauid inuritur, etsi Maria Magdalene septem dæmoniis cumulatur, etsi princeps Apostolorum

Bernard. ser. de tripl. cohærent.

Prædestinatio cælestis est generatio.

stolorum in profundum negationis submergitur, A non est tamen qui de manu Domini possit eruere. Audis tria sparsim coniecta. Primum, prædestinationem, generationem esse cœlestem: id est, tendere ad filiationem, seu gratuitam adoptionem. Alterum, per amorem esse, & amorem infundere. Tertium, amorem seu charitatem, inuiolabilem esse: est enim amor patris in filium, & filij in patrem, qui ad naturalem accedit; & dum adoptionem nectit, non permittit dissolutionem. Ita Deus de Salomone: Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid egerit arguam eum: misericordiam autem meam non auferam ab eo. Sed hæc in figuram nostri dicta sunt, seu ad nostram doctrinam conscripta. Vnde in Psalmo: Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Hoc enim nonnulli codices habent, ait Augustinus, & nihil abs te habent. Quomodo autem à Christo misericordiam suam non dispergit? Ab eo non dispergit misericordiam suam, cum à membris eius, cum à corpore eius non dispergit misericordiam suam. Hoc est ergo quod dicebat per Ieremiam: In charitate perpetuâ dilexi te, attraxi te, miserans. Nos nimirum sibi adstringit per nexum indiuiduum dilectionis, seu adoptionis filialis. Sicut elegit nos ante mundi constitutionem. Qui in charitate prædestinauit nos in adoptionem filiorum: secundùm propositum voluntatis suæ. Hoc est, (vti legit Chrysostomus, exponitque) propterea quod valdè velit. Cur autem sic diligit? A solâ bonitate; gratia enim est bonitas. Propterea dicit, prædestinauit nos in adoptionem filiorum volens, vt ostendatur gloria eius gratiæ, in quâ nos gratos fecit.

2. Reg. cap. 7.

Augustin. con. 2. in Psal. 88. post init.

Ierem. cap. 31.

Chrysost. orat. 1

Quoad tertium locũ Apostoli, euoluit Apostolus, nihilque relinquit intactum. Intueamur verba Apostoli, atque videamus, vtrum propterea nos elegerit Deus ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus. Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Quis hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clarâ veritate dubitare? Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra eius: & quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando? non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est: ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans vt tales per gratiam eius essemus. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauitque vt essemus. Fecit autem hoc secundùm placitum voluntatis suæ, vt nemo de suâ, sed de illius ergà se voluntate glorietur: fecit hoc secundùm diuitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus propositum non nostrum, sed eius qui vniuersa operatur, vsque adeo vt ipse in nobis operetur & velle. Tria igitur vides proposita, tria etiam habes simul collecta. Quodnam est principium electionis nostræ? bona Dei voluntas. Quodnam fastigium est tantæ dilectionis? filij adoptiui dignitas. Quodnam medium prouectionis adeò mirandæ? Christi Domini, vnici ac dilecti filij liberalitas. Vnde, Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei. Minimus quidem naturâ, gratiâ sublimissimus. Paulus, ait Aquinas, nomen est humilitatis; Apostolus verò, nomen dignitatis. Tantus quidem Apostolus beneplacito Dei, sed Christi merito. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Ecce, ait Chrysostomus, par dedit Patri. Nihil enim sine patre vt principio, nihil sine filio vt medio. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem. Nimirum, Deus & pater. Id est, vt exponit Aquinas ille qui est Deus per essentiam diuinitatis, & pater propter proprietatem generationis. Pater, inquam, Domini nostri Iesu Christi, qui est Dominus noster secundùm diuinitatem: Iesus Christus secundùm humanitatem. Elegit pater, sed in filio, sed in Christo, per ipsum, & ob ipsum elegit. Per quem enim nos benedixit, ait Chrysostomus, per eum etiam elegit. Quid est enim, Elegit in ipso? Per fidem in ipsum Christus hoc præclarè gessit, priusquam facti essemus, imò verò priusquam constitutus esset mundus. Sanctus enim est qui est particeps fidei, qui est immaculatus, qui vitam habet in quam nulla cadit reprehensio coram Deo. Prædestinauit nos per Iesum Christum. Vides quomodo nihil sine Christo? Quomodo nihil sine patre? Hic prædestinauit: ille adduxit. Magna quidem sunt quæ data, sunt. Multò autem fiunt maiora, quòd per Christum sint data. Prædestinati sumus in adoptionem. Qualem? eximiam, diuinam: vt essemus filij ipsius Dei viui: in se enim hos ille adoptauit, ad sese sublimauit: sed per vnicum filium. In laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto filio suo per ipsum nos diligit, & ob ipsum eligit.

Augustin. lib. de prædest. Sanct. cap. 18.

Electi sumus, vt essemus tales, quales Deus præuidit dũ præstituit.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 1.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 1.

ANAGOGIA.

Instaurare omnia in Christo.

PAulò aliter legunt Græci, quàm Latini, sed inde ampliorẽ Paulo illustrando lucem suggerunt. Quotuplex autem lectio est, totuplex etiam significatio.

Prima est vulgaris. Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terrâ sunt, in ipso. Iam dixerat Paulus nos antè mundi constitutionem electos. Rectè autem, vti obseruauit Chrysostomus, constitutionem appellauit καταβολὴν, id est deiectionem, tanquam à magnâ aliquâ altitudine deiectum ipsum ostendens. Magna enim est, & quæ dici non potest Dei altitudo, non loco, sed quòd superiùs euecta sit eius natura: & magnum est interstitium inter rem creatam & creatorem. Creatus quidem mundus, sed quà creatus, ex nihilo ipso eductus est, & suo circumfusus nihilo: adeo quicquid est, nihil adhuc est; nisi quod præiactum prælibatumque per naturam, instauretur firmeturque per gratiam. Ita, Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Si initium sumus per

Chrysost. orat. 1.

Iacob. c. 1.

per gratiam, nihil adhuc eramus per naturam: vel certè si quid eramus, nondum eramus geniti, seu ad tantam prouecti excellentiam, Cum enim dixit Iacobus ἀπαρχὴν τινά, præstantiam quandam ostendit creaturæ per gratiam instauratæ. Nemo venit ad patrem, nisi per Christum. Duobus autem modis id fit, ita Cyrillus Alexandrinus) aut enim secundùm humanæ naturæ mensuram sanctificati sancto Deo coniungimur, aut ad cognitionem patris in fide, vt in speculo & ænigmate gradimur. Sanctus autem nemo erit vnquam, nec rectâ viuendi disciplinâ sanctificabitur, nisi ope atque patrocinio Christi. Sed nec ipsi patri vnquam coniungi quisquam poterit, non mediante Christo: mediator enim est Dei ac hominum, per seipsum & in seipso naturam Deo coniungens humanam. In quantum enim à substantiâ Dei patris, vt splendor effulsit, vnum est cum patre, & totus ipse in patre est, & pater totus in ipso: in quantum verò factus est homo absque peccato, hominibus coniungitur. Medius ergo quidam terminus est, perfectè in seipso vtramque naturam continens. Quid est medius terminus? qui duo coniungit extrema, & in vnum coire facit. Totum ac nihilum, Creator & creatura, duo sunt extrema. Interuenit Christus, seseque interponit medium: vt creatura humana, in quo mundus ipse collectus est, instauraretur, & quæ ipso nihilo mersa erat, sublimaretur à Deo. Vnam igitur, (ita ille concludit) veram & generalem incarnationis causam Paulus nobis exposuit, dicens: Secundùm bonum placitum eius restaurata omnia in Christo: In propria venit, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius: Restaurare enim, omninò & res & nomen significat rursus restituere: primitùs namque homo in gratiâ diuinâ conditus, mundusque quasi ipso subnixus: sed vt accidente duntaxat dono sanctus erat, & à nihilo præcedente non multum dimotus facilè corruit, & vniuersa cum illo creatura in nihilum ipsum rediit. Opus igitur erat vt veniret Christus, mundumque in statum non meliorem tantùm, sed & firmiorem solidiorémque restitueret. Quum enim Deus naturâ vnigenitus sit, quumque ex substantiâ patris natus naturaliter incommutabilis sit, atque ideo nullo mutari labique potest; descendere voluit, vt caro sua facta, & ad proprietatem suam transformata, labi peccaréque non posset. Eo melior restitutio quo nobilior conditio est: mundus enim erat exstructus suo nihilo, nunc Deo mistus: infeliciter collapsus, sed mirabiliter instauratus. Quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo. Si qua enim noua creatura, vetera transierunt, & in ipso Christo noua facta sunt omnia.

Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 33.

Christus medius inter duo extrema terminus.

Cyrillus eodem lib. cap. 47.

Cyrill. Ibidem.

Secunda specialis. Cui ergo hæc competent secundùm boni existimationem, (ita Tertullianus) quam proposuit in sacramento voluntatis suæ, in dispensatione adimpletionis temporum (vt ita dixerim, sicut verbum illud in Græco sonat, recapitulare (id est, ad initium redigere, vel ab initio recensere) omnia in Christum, quæ in cœlis, & quæ in terris, nisi cuius erunt omnia ab initio, etiam ipsum initiū, à quo & tempora & temporum adimpletiones dispensatio, ob quam omnia ad initium, recensentur in Christo, Nam & sequentia quem renuntiant Christum, cum dicit, Vt simus in laudem gloriæ nos qui præsperauimus in Christum. Qui enim præsperasse potuerunt, id est, antè sperasse in deum, quàm venisset, nisi Iudæi, quibus Christus prænuntiabatur ab initio. Qui ergo prænuntiabatur, ille & præsperabatur. Atque adeò hoc ad se, id est, ad Iudæos refert, vt distinctionem faciat, conuersus ad Nationes. Quod ergo Latina enuntiant, Instaurare: Græca sonant, Recapitulare: Quid autem recapitulare, nisi omnia reuocare ad Christum tanquam ad initium & caput, reciprocare tanquam ad principiū. Dicit Apostolus scribens ad Ephesios, (verba Tertulliani) Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput, id est, ad initium reciprocare vniuersa in Christo, quæ sunt super cœlos & super terras in ipso. Sic & duas Græciæ litteras summam & vltimam sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figuras: vti quemadmodum α ad ω vsque voluitur, & rursus ω ad α replicatur, ita ostenderet in se esse & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium; vt omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per sermonem scilicet dei, qui caro factus est, proinde desinat quemadmodum & cœpit. Et adeò in Christo omnia reuocantur ad initium, vt & fides reuersa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia sicut ab initio fuit: & postremò totus homo in paradisum reuocatur, vbi ab initio fuit. Est ergo instaurare, idem quod reparare, omnia reducere, & ad initiū per Christum redigere. Oportebat enim, vt dixit Irenæus, eum qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, id ipsum fieri quod ille erat, id est hominem. Qui à peccato quidē in seruitiū tractus fuerat, à morte verò tenebatur, vt peccatum ab homine interficeretur, & homo exiret à morte. Quemadmodum enim per inobedientiam vnius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam: ita oportuit & per obedientiam vnius hominis, qui primus de Virgine natus est, iustificari multos & percipere salutem. Quod autem parebat, hoc & erat: Deus hominis antequam plasmationem in se recapitulans, vt occideret quidem peccatum, euacuaret autem mortem & viuificaret hominem.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17.

Tertullian. lib. de Monog. cap. 5.

Quomodo omnia in Christo ad initium reuocata.

Irenæus lib. 3. aduers. hær. cap. 2[illegible]

Tertia genuina & naturalis. Instaurare Græcè est ἀνακεφαλαιώσασθαι. Quid est ἀνακεφαλαιώσασθαι. Studeamus quàm proximè accedere ad ipsam veritatem. Nam à nobis quidem, vt etiam in more est positum dicitur ἀνακεφαλαίωσις, quæ prolixè dicta sunt in breue contrahere, & omnia quæ prolixè dicta sunt compendiose dicere. Nam hoc quoque ita habet. Quæ cui longo tempore dispensabantur, in ipso ἀνακεφαλαιώσατο. Hoc est, in summam redegit & compendium. Verbum enim consummans, & in iustitia abbreuians, & illa comprehendit, & alia addidit. Hoc est, est ἀνακεφαλαίωσις, reductio in summam. Sed & ipsa Pauli verba recapitulanda sunt. Secundùm propositum voluntatis suæ, inquit, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto. Vt ostendatur, inquit, gloria eius gratiæ, in quâ nos gratos fecit in dilecto. Non dixit ἐχαρίσατο, id est quam gratis donauit: Sed, ἐχαρίτωσεν, id est gratos fecit. Hoc est, non solùm liberauit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim

Chrysostom. orat. 1.

Chrysostom. Ibidem.

enim si quis acceptum quempiam scabiosum, & peste ac morbo senioque & paupertate ac fame confectum ac perditum, Statim formosum fecerit iuuenem, omnes homines pulchritudine vincentem; & postea eum purpurâ induerit, & diadema imposuerit, & omni ornatu ornarit: ita nostram instruxit animam, ornauit, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem. Sed ad hoc gratos fecit, vt quis ipsum laudet, vt quis ipsum glorificet: nos, angeli, archangeli. Cupiunt enim angeli talem aspicere animam, archangeli, omnes sancti. Ita nos fecit gratiosissimos, & sibi desiderabiles. Concupiscet enim, inquit, Rex tuam pulchritudinem. Plus est, quod, cum sapientes fecisset & prudentes in eâ quæ verè est sapientia, in eâ quæ verè est prudentia, nobis dicit sua mysteria: nota nobis fecit quæ sunt in suo corde. Non enim solùm est admirabile quod filium dederit, sed quod etiam eo modo dederit, vt ipsum mactaret dilectum. Multa est hyperbole & multa exuperatio. Dilectum dedit pro iis qui habebantur odio. Nihil est æquè magnum atque Dei sanguinem pro nobis esse effusum. Magna res est remissa esse peccata, sed maius est quod per sanguinem Dominicum. In dilecto, inquit, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis in omni sapientiâ & prudentiâ: vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ: Secundùm beneplacitum suum quod proposuit in ipso. Hoc est, hoc cupiebat, hoc parturiebat, vt ita dixerim, nobis effari mysterium. Hoc autem vult, In dispensationem plenitudinis temporum, recapitulare omnia in Christo, quę in cœlis, & quæ in terrâ sunt in ipso. Nondum propalauerat mysterium consilij sui, nondum secretū animi diuulgauerat: Sed celabat apud se, donec oracula dispensarentur, & consūmarentur secula. Cùm ergo venit plenitudo temporis, prædictionisq; consummatio: grande illud arcanum ostendit, in quo collegit, & quasi in vnum compegit quicquid excelsum in cœlis, quicquid in terris arduum, & ex omnibus tam superioribus quam inferioribus, tam grande quàm & mirabile fecit in ipso compendium. Ita Irenæus post multa in idem proposita: Ostenso, inquit, manifeste quòd in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, quis semper aderat generi humano, hunc in nouissimis temporibus secundùm præfinitū tempus à patre, vnitum suo plasmati passibilem hominē factum: exclusa est omnis contradictio dicentiū, Si ergo tunc natus est, non erat antè Christus. Ostendimus enim quia non tunc cœpit filius Dei existens semper apud patrem, sed quādo incarnatus & homo factus est, longam hominum expositionem in seipso recapitulauit, in compendio nobis salutē præstans, vt quod perdideramus in Adam, id est, secundum, imaginem & similitudinē esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus. Hoc nempe compendiū, in quo æterna colligūtur & tēporalia, in quo terrena ac cælestia, humana coniunguntur & diuina.

Christus grande rerum omnium compendiū.

Iren. lib. 3. aduers. hæres. cap. 20.

PARS ALTERA.

De fide.

TEXTVS.

PRopterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes

A sanctos, non cesso gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis: vt Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius; illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed
B etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

EXEGESIS LITERALIS.

FIdem commendat Corinthiorum ac dilectionem, declaratque Christum suprà omnem Ecclesiam tanquam caput esse constitutum.

Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis &c.
C Dixerat communicatum non Iudæis tantùm, Sed & Græcis, seu Ephesiis ipsis electionis vocationisque beneficium: nunc subiungit, Inde ergo, cum audiam fidem vestram inuiolabilem & illibatam consistere, vestramque dilectionem se per ampliora pietatis ac liberalitatis opera in fideles omnes exercere: incessanter gratias ago pro donis in vos à Deo collatis, & quotiescumque oro, memoriam vestri facio. Omnes, ait Aquinas, quos ex charitate diligimus, debemus eos diligere, vel ideò quia sancti sunt, vel vt sancti sint. Temerarium est tamen aliquem sanctum Apostolis comparare: superabundauit enim gratia Dei in Apostolis in omni sapientiâ & prudentiâ. Duo quippe spectant ad pastores, scilicet
D vt sint sublimes in cognitione diuinorum, & industrij in actione religionis: sapientia in solo Christo, prudentia in officio. Agit igitur Apostolus gratias de bonis & beneficiis huiusmodi auditis. Non cesso, id est, horis debitis. Nec solùm gratias ago, quantum ad beneficia præterita quæ recepistis, & quantum ad bona audita de vobis: sed etiam oro, vt omninò in futurum accrescant. Nihil non à Deo datum, nihil non ab ipso expectandum. Vt Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius &c. Hoc igitur peto in orationibus meis, vt Deus, qui est Domini nostri Iesu Christi gloriosus & glorificans, sanctus ac sanctificans, communicet vobis
E dilateque spiritum illum sapientiæ, non qui humanâ ratione, rerum caussas & effectus percipit, aut inquirit cursus siderum, sed qui reuelatione diuina in Deum ipsum assurgit, mirandaque comprehendit incarnationis ac redemptionis mysteria. Illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis &c. Det vobis oculos habere hominis interioris illuminatos, vt abundantius clariusque perspiciatis quæ & quanta sint illa bona ad quæ vocati estis, ad quæ fide speque contenditis; vt cognoscatis quàm

Aquin. lect. 5. A. 4.

Sapientia Christiana in Deo & Christo sciendo constituta.

quàm magna felicitas sanctorum, quàm opulenta Christianorum hæreditas. Manifestum est, ait, Ambros. quia ideo se orare dicit pro eis, vt fidei suæ spem cognoscant in remuneratione cælesti: quia cū plenè scierint qui fructus est credentiū, propensiores fient circa excolendam religionē.

Ambros. in Paulum.

Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationē potentię virtutis eius, quam operatus est in Christo &c. Vtq; deprehendatis quàm ingens superexcellensque sit potentia & efficacia in omnes fideles, quę suscitaturus glorificaturusq; est Deus eadem virtute, eadem fortitudine quam ostendit edíditq; in Christo suscitando. Textus Ambros. Et quæ sit excelsa magnitudo virtutis eius in vos qui creditis, secundùm operationem potentiæ fortitudinis eius, quam operatus est in Christo. Et Commentator: Exemplum salutis credentiū & gloriæ, in resurrectione Saluatoris consistere profitetur, vt ex eâ cognoscant fideles quid eis promissum est. Ita sequitur, Suscitans illū à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationē, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiā in futuro &c. Christum namque pater suscitauit à morte ad vitam immortalem & æternam, & ad dexteram suam in regno cælesti collocauit, idest super omnes spirituum beatorum ordines, longeque supra omne quod aliquàm possidet rationem dignitatis, aut aliquam obtinet nominis celebritatem, non solùm in hoc tempore, sed & in æternitate. Et omnia subiecit sub pedibus: & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Quàm longè suprà omnē creaturam, spiritalem & corpoream, angelicam & humanam sublimatus sit Christus, inde patet, quod omnia omninò, sine vllâ exceptione, etsi diuersâ subiectione, potestati eius & auctoritati subdita sint, aut subdenda: vt non honoretur solùm ab omnibus, sed & omnibus dominetur. Et ipsum tam potentem tam excellentem Dominū voluit esse caput supra vniuersam Ecclesiam, quę est corpus ipsius, diuersis instructum membris, variis distinctum officiis: quæ Ecclesia, complementum est eius, qui secundùm membra & officia consummatur in conditione capitis, dum integratur perfectione corporis. Christus namque perficitur, vt dixit Athanas. & tanquàm ex vniuersis fidelibus sua complet membra. Quemadmodum corpori congruit caput, ita & Ecclesiæ Christus: illi sanguine iunctus est & vnitus: & Ecclesia idem absoluit & complet.

Comment. Ambros.

Quomodo omnia sub Christi pedibus subiecta.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIONES dogmaticæ in litteram.

CVm ait Apostolus, Propterea: Innuit posteriora cum prioribus copulanda esse, ideoq; priora ex posterioribus explananda. Sit ergo.

DISQVISITIO PRIMA.

De prioribus.

PRiora seu præcedentia sunt. In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Seu, vt legit Tertulianus: In quo & vos quum audissetis sermonem veritatis, Euangelium, in quo credidistis, & signati estis spiritu promissionis eius sancto. Tum, Qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis in laudē gloriæ ipsius. In quibus tria disquirenda sunt. Primum, Quis spiritus promissionis: alterum, quomodo pignus hæreditatis: tertium, quæ redemptio acquisitionis.

De primo: dedimus textum Tertulliani, nunc sensum reddimus. Signati spiritu promissionis. Cuius promissionis? factæ per Ioëlem, In nouissimis diebus effundam de meo spiritu in omnem carnem, id est, & in Nationes. Tria igitur declarat Apostolus & probat. Primum est, Christum priùs annuntiatum Iudæis, priùs & in Christum creditum ab eis speratumque. In quo etiam nos sorte vocati sumus, qui antè sperauimus in Christo. Vnde concludit Tertullianus. Ita & Spiritus & Euangelium, in eo erit Christo, qui præsperabatur, dum prædicabatur. Ibi enim spiritus, vbi fides, vbi spes in Christum, vbi verbum veritatis, vbi salutis Euangelium. Alterum, gratiam istam Nationibus tandem seu Gentibus communicatam. Ita illi, cum audissent, Quoniam & Gentes receperunt verbum Dei, glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Mirum hoc, nec grande tantùm sed & penè incredibile: ideòreò tertium addendum est, nimirum, effusam in Gentes gratiam Spiritûs sancti charismatibus obsignandam. Adhuc loquente petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum petro: quia in nationes gratia Spiritûs sancti effusus est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Et ipse in Concilio Hierosolymitano. Qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Spiritus ergo promissionis ille est, qui iuxta Dei promissa diffundendus erat in omnem carnem, non solùm Iudæis, sed & Græcis communicandus. Itaque Christus credentes obsignat illo spiritu, dum ex eius afflatu, seu ex variis eius donis fideles exornat, declaratque veros adoptionis promissionisque esse filios. Per Christi gratiam fide susceptâ (ita apud Athanas.) obsignati iam estis, ita vt perspicuum sit de Christi sorte vos esse. Spiritum, igitur promissionis appellat, quia ex promisso nobis traditus sit, quemadmodum & Ioël testatur, sic inquiens, pollicitus est Deus, Effundam de Spiritu meo in omnem carnem. Et Christus, Accipietis, inquit, virtutem supernæ mentis Spiritûs sancti. Sicut ergo sigillo apposito, declaratur cuius sit res; & cuius meriti; Sic & dato acceptoque Spiritu cum suis charismatis seu donis tanquam collatæ gratiæ signis, manifestatur credentes fidelesue esse Deo charos, & ab ipso adoptatos. Vbi enim verbum veritatis est non imaginis, & Euangelium salutis non punitionis: ibi & diuinæ certa sunt argumenta præsentiæ, & effusæ gratiæ testimonia. Non solùm ergo nos, sed & vos, postquam audistis & credidistis

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17.

Actuum cap. 11.

Actuum cap. 10.

Act. cap. 15.

Athanas. in Paulum.

Dona Spiritûs sancti certa sunt gratiæ diuinæ indicia.

credidistis, obsignati estis Spiritu sancto, cùm per Christum estis promisso munere cumulati. Aliquid nonnunquam in textu supereffluit, nonnunquam deficit, sed ex sensu supplendum aut prætermittendum.

De secundo: ille spiritus promissionis, pignus est hæreditatis. Græcè ἀῤῥαβὼν, arrha,

Aquin. lect. 5.

Et fortè meliùs, ait Aquinas, quia pignus est aliud à re pro quâ datur; & redditur postquam ille qui pignus dedit, rem sibi debitam recipit. Arrha autem non est aliud à re pro quâ datur, nec redditur quia datur de pretio ipso, quod non est auferendum, sed complendum. Deus autem dedit nobis charitatem tanquam pignus per Spiritum sanctum, qui est spiritus veritatis & dilectionis. Et ideò huiusmodi non est aliud quàm quædam particularis & imperfecta participatio diuinæ charitatis, & dilectionis, quæ quidem nó est auferenda, Sed perficienda: ideò magis propriè dicitur arrha, quàm pignus. Potest tamen & pignus dici: nam per Spiritum sanctum Deus nobis diuersa dona largitur, quorum quædam manent in patriâ, vt charitas, quæ nunquam excidit: quædam verò propter sui imperfectionem non manent, sicut ea quæ euacuabuntur. Sic ergo Spiritus sanctus dicitur arrha per respectum ad ea quæ manent; pignus verò, per respectum ad ea quæ euacuabuntur. Vis arrham?

Arrha, pars totius aliquando cópleuda.

Chrysost. orat. 1.

Etiam, ait Chrysostomus, ex iis quæ data sunt ducit Apostolus argumentum futurorum promissionis. Propterea etiam arrham vocat: arrha enim pars est totius. Cur autem non statim totum dedit: Quoniam neque nos totum fecimus. Vis pignus? Nondum apparuit quod erimus, sed similes Deo erimus, cum ipsum sicuti est videbimus. Nunc autem, ait Irenæus, partem aliquam Spiritus eius sumimus, ad perfectionem & præparationem incorruptelæ, paulatim assuescentes capere, & portare Deum: quod & pignus dixit Apostolus, hoc est, partem eius honoris qui à Deo nobis promissus est, in Epistolâ quæ ad Ephesios est, dicés, In quo & vos audito verbo veritatis Euangelio salutis vestræ, in quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis vestræ. Sic ergo pignus hoc habitans in nobis, iam spirituales efficit, & absorbetur mortale ab immortalitate: Vos enim, ait, non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Hoc autem non secundùm, iacturam carnis, sed secundum communionem Spiritûs fit. Non enim erant sine carne, quibus scribebat, sed qui assumpserant Spiritum Dei, in quo clamamus Abba pater. Si igitur nunc pignus habentes, clamamus Abba pater, quid fiet quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum? Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint, glorificantes eum, qui suscitauerit ea ex mortuis, & æternam vitam donauerit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum, iam facit dicere, Abba pater, quid faciet vniuersa Spiritûs gratia, quæ hominibus dabitur à Deo, cum similes nos ei efficiet, & perficiet voluntate patris?

Irenæus lib. 5. aduers. hæres. cap. 8.

De tertio: nondum in totum sumus acquisiti, quia nondum sumus in totum & mente & carne redempti. Aliud dedit pretium, ait Chrysostomus, proprium sanguinem, & rursus aliud est pollicitus. Cuiusnam rei est arrha? Redemptionis acquisitionis. Pura enim tunc fiet redemptio. Nam nunc quidem & in mundo versamur, & multa humana nobis accidunt, & sumus cum impiis. Pura autem tunc est redemptio, quando nec sunt peccata, nec humanæ affectiones, neque promiscuè sumus cum omnibus. Redemptio Christi, non ea est quæ liberat ab ergastulo, sed illa quæ iustificat à peccato: non enim fit auro vel argento, sed sanguine Christi sanctificante, ac mundante: nec enim ille per potentiam redemit, sed per iustitiam; & in tantum nos acquirit sibi, in quantum cupiditatem abigit, & per charitatem sibi subiicit voluntatem. Omnipotentia enim Filij Dei, vt dixit Leo, quæ per eandem essentiam æqualis est patri, potuisset humanum, genus a dominatu diaboli, solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo quod vicerat, vinceretur, & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illa captiuitas. Sicut enim captiui facti sumus iniustitiæ nostræ merito, sic & eruendi sumus non tàm potentiæ auxilio diuinæ, quàm iustitiæ. Nam quia, vt & ille ait, non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, vt eum, in partes suas sine liberi arbitrij consensione transferret, sic destruendum peccatum fuerat voluntarium & hostile consilium, vt dono gratiæ non obesset norma iustitiæ. Violentus quidem diaboli dominatus, non tamen indebitus, vtpote primi peccati debito contractus, Id circo non per omnipotentiam, sed per iustitiam Christi dissoluendus: vt in tantum quis liberetur, in quantum fit particeps iustitiæ; in tantum vindicetur, in quantum inolitæ fit immunis concupiscentiæ. Prædestinati quidem vt essemus, qui nondum eramus: (verba sunt Irenæi) facti autem initium facturæ, accipiemus in præcognitis temporibus secundùm ministrationem verbi, qui est perfectus in omnibus; quoniam Verbum potens, & homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captiuitatem ducti sunt. Et quoniam iniustè dominabatur nobis apostasia, & cum naturâ essemus Dei omnipotentis, alienauit nos contrà naturam, suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei verbum, & non deficiens in suâ iustitiâ, iustè etiam aduersus ipsam conuersus est apostasiam, ea quæ sunt sua, redimens ab eo: non cum vi, quemadmodum illa ab initio dominabatur nostri, ea quæ non erant sua insatiabiliter rapiens, sed secundùm suadelam: quemadmodum decebat Deum suadentem, & non vim inferentem accipere quæ vellet, vt neque quod est iustum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret. In tantum igitur redimimur, & in tantum acquirimur, in tantùm liberamur, in quantum insitæ abluctamur concupiscentiæ. Itaque, (ita concludit Athanas.) ad perfectam id redemptionem, & nostrimet vendicationem deducit: cuius ob gratiam & Spiritus est pro pignore traditus. Tunc enim futura & absoluta libertas, cum penitùs cessabit peccatum, & cum delinquentium, erunt sanctiores singuli, consortio liberi: & patebunt, qui Deo patri sunt & quæsiti, ita vt ipsi sint futuri in populum.

Chrysost. orat. 1.

Leo serm. 14. de pass. init.

Leo serm. 8. de Natiuit. ait. med.

Irenæus lib. 5. aduers. hær. cap. 1.

In tantum redimimur, in quantum in alitâ exsoluimur cócupiscentiâ.

Athanas in Paulum.

DISQVI

DISQVISITIO II.

De Posterioribus.

POsteriora seu subsequentia verba sunt: propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos: non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus det vobis quidem, ô Gentiles, estis fide ac vocatione posteriores. tamen & saluandi estis vtpote inter electos seu prædestinatos computandi. Audiuistis & vos verbum veritatis, & salutis recepistis Euangelium. Propterea audiens spem vestram & dilectionem. In quo

Quæritur primò, cur Apostolus solam fidem & dilectionem in Ephesiis commendat, cum innumera in ipsis recensere & attollere posset charismata? Causam reddit Ignatius scriptâ ad eosdem Ephesios epistolâ. Nolite, inquit, vos vulnerare in aliquâ contagione diaboli, sicuti & Paulus dicit, habentes in Christum spem & dilectionem, quæ est principium vitæ & finis. Principium quidem vitæ est fides, finis verò eius est dilectio. Ambæ verò simul iunctæ in vnitate factæ hominem Dei perficiunt. Ephesij omnes fideles, omnes sancti: sed fideles ex fide, sancti ex dilectione. In iis exultans, ait ille, dignus effectus sum per quos scribo: alloquor Sanctos qui sunt Ephesi, fideles in Christo Iesu. Benè igitur Apostolus: Audiens, inquit, fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos. Vbique enim, ait Chrysostomus, coniungit & conglutinat fidem & dilectionem, bigam quandam admirabilem. Non potest quidem charitas esse sine fide, sed non prodest fides sine charitate: ipsa namque non solùm virtus specialis ac propria sanctorum atque piorum; sed & communis ac necessaria omnium fidelium. Quamuis enim, vt loquitur, Leo magnum sit habere rectam fidem sanamque doctrinam, & multâ laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes; nec potest dici in qualibet motum excellentiâ fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit. Discutiant ergo se fidelium mentes & intimos sui cordis affectus verâ examinatione diiudicent: vt si repositum aliquid in conscientiis suis, fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse nô dubitent: & vt magis magisq; tanti hospitis sint capaces, fiant perseuerantèr in misericordiæ operibus ampliores. Hoc audit Paulus, fidem quæ est in Christo Iesu & dilectionem in omnes Sanctos. Et sufficit: & sine duabus istis virtutibus nihil sufficit. Vna enim sternit fundamentum vitæ Christianæ, addit altera complementum. Inter primum & vltimum, cętera dona recensenda sunt; in tantum enim æstimâda sunt, in quantum fidei ac charitati sunt coniuncta.

Ignat. Epist. 14. — *Ignat Ibidem.* — *Chrysostom. orat. 3.* — *Leo serm. 10. de quadrag. vlt. med.* — *Charitas virtus communis Christianorum, nedum specialis Sāctorum.*

Quæritur secundò, quid melius oretur, aut quid amplius postuletur ipsam habentibus sufficientiam, fidem scilicet ac charitatem obtinentibus? Æquum est quidem & iustum gratias agere (verba sunt Chrysostomi) pro omnibus quæ collata sunt humano generi: æquum autem & iustum, est etiam agere gratias pro fide eorum qui credunt. Nihil autem fuit quod posset æquiparari visceribus Apostolicis: nihil fuit simile commiserationi & beneuolentiæ beati Pauli, qui omnes suas fundebat preces pro ciuitatibus, pro populis. Et ad omnes hoc scribit, Deo gratias ago pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis. Cogitate quàm multos habuerit in mente, quorum erat etiam difficile meminisse. Quàm multorum meminisset in orationibus, pro omnibus Deo gratias agens, tanquam ipse maximis afficeretur beneficiis. Hoc proprium charitatis est, nedum pietatis officium. Quia, vti docuit Leo, etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tantâ varietate partium meritorum potest esse parilitas, communionem tamen obtinet decoris connexio charitatis. In sancto enim amore consortes, etiamsi non eisdem vtuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicem bonis suis, & non potest ab eis extraneum esse quod diligunt: quia incremento ditescunt proprio, qui profectu lætantur alieno. Gratias agit Paulus Deo de alienis, tanquam de propriis; gratias agit pro omnibus sibi eodem charitatis vinculo cohærentibus: nec quicquam putat alienum, quod vnitatis reputat glutino copulatum. Benè est, sed quid vltra petit, cum fidem audierit & dilectionem? Non solùm gratias ago, (ita apud Aquinatem) quantum ad beneficia præterita quæ recepistis, & quantum ad bona audita de vobis: sed etiam oro, vt omninò in futurum accrescant. Memoriam vestri faciens in orationibus meis. Sed cum orat Deum, vt det. Indicat nondum esse datum quod postulat, instatque vt impetret. Sciendum est ergo, ait Aquinas, quod quædam sunt dona communia omnibus Sanctis, scilicet illa quæ sunt necessaria ad salutem: vt fides, spes, charitas, & hæc habebant, vt iam patet. Alia autem sunt dona specialia, & quantum ad hoc pro eis orat. Nusquam ergo cessandum est, sed semper orandum; vt & accrescant quæ sunt necessaria & aduenian quæ sunt specialia.

Chrysostom. orat. 3. — *Leo ser. 10. de Quad. cit. med.* — *Aliena bona fiunt diligēri propria.* — *Aquin. Lect. 6.* — *Aquin. Ibidem.*

Quæritur tertiò, quæ sint illa dona specialia? Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes, vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis. Quis pater gloriæ? Pater gloriæ, ait Tertullianus, ille est, cuius Christus rex gloriæ canitur in Psalmo ascendens, Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Ab illo ergo spiritus sapientiæ optatur, apud quem hæ quoque spiritalium species enumerantur, inter septem spiritus per Esaiam. Ille dabit illuminatos cordis oculos, qui etiam exteriores oculos luce ditauit; cui displicet cæcitas populi. Et quis cæcus, nisi pueri mei? Apud illum sunt & diuitiæ hæreditatis in Sanctis, qui eam hæreditatem ex vocatione nationum repromisit: postula de me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Non solùm igitur gratias agit Paulus de concessis, quia agnoscit non ab alio quàm à Deo data; sed & orat instatque pro concedendis, quæ sentit decernitque non ab alio quàm à Deo expectanda. Primò quidem, ait Aquinas, pro dono sapientiæ, & quantum ad hoc dicit, vt det vobis spiritum sapientiæ: quem nullus potest dare, nisi Deus, Sap. 9. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17. — *Aquin. Lect. 6.*

deris sapientiam, & miseris Spiritum sanctum A tuum de altissimis? Secundò, orat pro dono intellectus,& hoc consistit in reuelatione spiritualium secretorum,quod dicit,Et reuelationis,quæ etiam à solo Deo est. Dan. 2. Est Deus in cælis reuelans mysteria. Exponit autem quæ sint ista quæ petit. Et primò, quod pertinet ad donum sapientiæ;secundò, quod pertinet ad donum intellectus. Ad donum autem sapientiæ, pertinet cognitio diuinorum. Vnde petere donum sapientiæ, est petere quòd habeant cognitionem Dei. Et hoc petit cum ait, In agnitione Dei, scilicet clariore. Ad donum autem intellectûs,pertinent alia. Nimirum, vt oculo cordis seu mentis illuminato,intelligant comprehendantque, discant, vt scire oportet ac discere, quæ & quanta sint bona,ad quæ ipse vos vocat,qui & à se sperari ea & expectati, sicut & postulari imperat: quanta sit gloriæ copia, sanctis non solùm pro præmio laboris,sed & titulo hæreditatis repromissa: quàm felix æternitas,quàm splendida,quàm magnifica vitæ æternæ felicitas. A bonis enim repositis, vt loquitur Chrysostomus, sciemus ineffabiles, & quæ naturam superant, diuitias. Tantæ illæ sunt, vt nec per naturam capi possint, nec per gratiam exprimi.

Quantæ sint diuitiæ sanctis repromissæ.

Chrysostom. orat. 3.

B

TROPOLOGIA.

Ipsum dedit caput suprà omnes Ecclesiam.

EX Græcis:Ipsum Ecclesiæ dedit caput super omnia. Tantum scilicet Ecclesiæ caput dedit Deus, tali eam obstrinxit munere. Tria autem sunt capitis insignia. Primum, quod omnibus membris præeminet: secundum,quod viribus suis præsideat:tertium,quod eandem quidem, sed præstantiorem cum reliquis membris naturam habeat.

Quoad primum. Notat Ambrosius, nullam epistolam, adeò cælestibus cumulatam benedictionibus.Nulla,inquit,epistola tantum benedictionis increpuit in plebem Dei,quantum ista, in quâ non solùm benedictos nos à Deo, sed in omni benedictione benedictos, & spiritali, & in cælestibus,significauit diuinæ locuples gratiæ testis. Eramus olim maledictioni obnoxij, spiritualibus aduersi, infensi cælestibus. Abcissa enim fuerant cælestia à terrestribus, vt loquitur Chrysostomus,nec habebant vnum caput:Nam quod attinet quidem ad rationem creationis vnus erat Deus:quod autem ad rationem coniunctionis & proprietatis,nequaquam. Bellum iam ab initio mundi aduersus Deum initum est,dissidiumque inter cælites denuntiatum & homines.Sed placuit Deo dissidentes partes fœderare per Christum quæ in cælis & quæ in terris sunt, in vnū coniungere. Vnum omnibus posuit caput, ait ille,quod ad carnē attinet, nempe Christum, & angelis & hominibus. Ita enim fiet vnio, ita accurata & perfecta fuerit coniunctio, quando omnia redacta fuerint sub vnum caput, supernè quoddam necessarium habentia vinculum. Quæ enim vni subijciuntur capiti, tantâ fruuntur pace,quantâ vniuntur connexione.Et ipsum dedit super omnem Ecclesiam. papæ(exclamat Chrysostomus)quò paulus sustulit Ecclesiam;tanquam

Ambros. epist. 37. post init.

Chrysostom. orat. 1

Chrysostom. Ibidem.

Chrysostom. orat. 3.

per quandam trahens machinam, eam in magnam sustulit altitudinem, & eam sedere fecit in illâ sede: Vbi enim est caput,illic & corpus; & si caput,& corpus. Nullo loco intermedio arcetur.Si autem arcetur,corpus non fuerit,non fuerit caput. Non angelum Deus non archangelum in caput constituit, sed ipsummet Christum filium suum; imò & eum qui erat & nobis, non solùm præfecit nobis, sed & angelis & archangelis. Qui est caput omnis principatûs & potestatis. Ita pacificauit Deus quæ in terris & quæ in cælis sunt,dum omnes cælestis capaces beatitudinis sub vno Christo sociauit; & vnam ex aduersis non diuersis solùm, sub vno capite, & tanto duce conflauit Ecclesiam.Et hæc quidem quæ in Sanctis angelis & virtutibus Dei est Ecclesia, (verba sunt Augustini) tunc nobis sicuti est,innotescet, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista verò quæ ab illâ peregrinatur in terris,eo nobis notior est quòd in illâ sumus, & quia hominum est,quod & nos sumus. Hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato:non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo:quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt,& ex ipsâ hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur.In ipso quippe instaurantur quæ in cælis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem qua in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad vitam æternam,à corruptionis vetustate renouantur.Ac sic per illud singulare sacrificium,in quo mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cælestia cum terrestribus, & terrestria cum cælestibus. Quoniam sicut Apostolus dicit, In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis sunt,siue quæ in terris. Quomodo enim pacificantur cælestia nisi in nobis,id est concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, & inter se vniuersis intellectualibus creaturis, & cum suo creatore. Quamcumque cogitaueris Ecclesiam, sociauit illam Deus, dum in vnam copulauit: sed dum Christum in caput extulit, omnibus superiorem membris, eminentioremque non solùm hominibus, sed & angelis vniuersis esse voluit. Ipsum dedit caput. Fecit esse altiorem excelsioremque in ducem ac principem constituit.

Coloss. cap. 2.

Augustin. cap. 61. Enchirid.

C

Angeli cum hominibus per Christum reconciliati.

D

E

Quoad secundum. Aliud dignitas, aliud potestas: sicut & aliud est exaltatio,aliud operatio. Multa sunt quæ eminenti altitudine sublata sunt, nec tamen excellenti virtute prædita. Christus verò non solùm super omnia sublimatur, sed & in omnibus ac per omnia semper & vbique operatur. Habentes,ait Leo, incessabilem propitiationem omnipotentis & perpetui Sacerdotis,qui similis nostri, æqualis patri, diuinitatem vsque ad humana submisit, humanitatem vsque ad diuina prouexit, dignè & piè de ipsius constitutione gaudemus: quoniam etsi multis pastoribus curam suarum ouium delegauit, ipse tamen

Leo serm. 2. in anniuers. cit. med.

dilecti gregis custodiam non reliquit. De cuius principali æternoque præsidio, & Apostolici operis munimen accepimus, quod vtique ab opere suo non vacat:& firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nullâ incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Non enim solùm eminet in Ecclesiâ suâ, sed & præsidet: & sicut caput suis sensibus regit totum corpus, dirigit; sic & Christus propriis viribus membra sibi subiecta fouet, & ad congruum mouet officium. Habet prænuntios, habet ministros: sed vt illi in nomine eius locuti sunt, sic & isti in illius virtute sunt operati. Si enim subit vos huiusmodi sensus, vt dicatis, (verba sunt Irenæi.) Quid igitur noui Dominus attulit veniens? Cognoscite quoniam omnem nouitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum prędicabatur, quoniam nouitas veniet innouatura & viuificatura hominem. Regis enim aduentus ab his quidem, qui mittuntur seruis prænuntiatur propter apparatum, & expeditionem eorum qui incipient suscipere suum Dominum. Cum autem venit rex, & illi prænuntiato gaudio adimpleti sunt, qui sunt subiecti, & perceperunt eam, quæ est ab eo libertatem, & participant visionem eius, & audierunt sermones eius. & fruiti sunt muneribus ab eo, non iam requiretur quid noui attulit rex super eos, qui annuntiauerunt aduentum eius, apud eos videlicet qui sensum habent: semetipsum enim attulit, & ea quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant angeli intendere, & donauit hominibus. Venit Moyses, sed in aquâ tantùm, sine gratiâ, sine efficaciâ: venit Christus, non in aquâ solùm, sed & in aquâ & sanguine, plenus gratiâ & veritate, efficaciâ & virtute præditus. Propter hoc enim, ait ille, Verbum Dei homo: & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei, vt qui adoptionem percipit, fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi prius incorruptela & immortalitas facta fuisset id quod & nos, vt absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptelâ, & quod erat mortale ab immortalitate, vt filiorum adoptionem perciperemus? Quid lex? onerauit hominem qui habebat peccatū in se, reum mortis ostendens eū: lex enim manifestauit tantummodo peccatum, non autem interemit: oportebat enim eum, qui incipiebat occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, idipsum fieri quod erat ille, id est hominem. Lex hominem onerauit, Christus subleuauit; lex ostendit latronem & homicidam, Christus regem fecit ac monarcham ab eo enim gratia omnis, & omnis gloria, sicut à fonte in riuos, sicut à capite in electos deriuata est, & in totum Ecclesiæ corpus diffusa: inde sanctificatio omnis, & omnis spiritualis operatio: vt quicquid adoperatur saluti, capiti tribuatur.

Iren. lib. 4. aduers. hæres. cap. 67.

Quanta bona à Christo in nos collata.

Iren. lib. 3. cap. 21.

Iren. cap. 20.

Quoad tertium. Huc vsque nihil discreuimus inter nos & angelos, quibus præeminet Christus per prælationem nominis, pręsidetque per virtutis diffusionem. Nam vt docet Aquinas, Christus præest angelis, etiam secundùm humanitatem. Heb. 1. Tanto melior angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditauit. Christus etiam Secundùm quod homo, angelos illuminat, & in eis influit: nec inferiores solùm, sed etiam superiores angelos Christus illuminat. Sed iam inde discernimus. [Nam quantum ad naturæ conformitatem, Christus non est caput angelorum, quia non angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Sed est caput hominum tantùm. Cant. 4. Vulnerasti cor meum soror mea: scilicet per naturam, & sponsa per gratiam. Quantum igitur ad habitudinem Ecclesiæ ad Christum, dicit Apostolus, Quæ est corpus eius: scilicet in quantum ei subiecta, & recipit ab eo influentiam, & habet naturam conformem: in vno enim spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Exponit autem quod dixit, Quæ est corpus ipsius, subdens, Et plenitudo eius. Quærenti enim cur in corpore naturali sint tot membra, scilicet manus, pedes, os, & huiusmodi, respondetur hoc esse ideo vt deseruiant diuersis operibus animæ, quorum ipsa potest esse causa, principium, & quæ sunt virtute in ipsâ. Nam corpus est factum propter animam & non è conuerso. Vnde Secundùm hoc, corpus naturale est quædam plenitudo animæ. Nisi enim essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plenè exercere. Similiter itaque est hoc de Christo, & de Ecclesia; & quia Ecclesia est instituta propter Christum, dicitur quòd Ecclesia est plenitudo eius, scilicet Christi: id est, vt omnia, quæ virtute sunt in Christo, quasi quodammodo in membris ipsius Ecclesiæ impleantur; dum scilicet omnes sensus spirituales, & dona, & quicquid potest esse in Ecclesiâ, quæ omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriuentur in membra Ecclesiæ & perficiantur in eis. Vnde subdit, Qui omnia in omnibus adimpletur: scilicet dum hunc quidem qui est membrum Ecclesiæ facit sapientem, secundùm perfectam sapientiam quæ est in ipso; illum verò iustum, secundùm perfectam iustitiam, & sic de aliis.] Ita ille. Vnde & tria deducenda sunt. Primum, licet secundùm generales rationes, Christus sit etiam caput angelorum; tamen secundùm speciales conditiones, caput est solorum hominum: Angeli enim omnes licet fideles aliquando, nulli tamen consanguinei aut concorporales, nusquam fratres, nusquam membra Christi: etsi enim sunt sub capite, non tamen in corpore, vtpote naturæ nostræ minimè participes. Homines autem quâ fideles, nec boni tātùm, sed & mali, vnum Ecclesiæ corpus sub capite Christo constituunt, quandiu fide viuunt. nec discedunt à consortio. Alterum, paulatim totum Christum in ratione capitis, corporisque perfectionis integrari ac consummari, per multiformes membrorum operationes, & distinctiones officiorum: quibus caput dum corpus perficit, seipsum exporrigit. Tertium denique, priuilegium honoris nobis præ angelis concessum, non debere esse titulum vanitatis, sed virtutis incentiuum. Tanto enim dono dignati, vti loquitur Chrisostomus, tanto honore, tantâ benignitate, ne dedecore afficiamus eum qui nos affecit beneficio, ne faciamus vt tanta sit nobis inanis gratia, vitam ostendamus angelicam, & angelicam

Aquin. lect. 8.

Aquin. Ibidem.

Caput completur à corpore, corpus fouetur à capite.

Chrysostom. orat. 1.

angelicam virtutem, & vitæ agendæ rationem. Ne hæc omnia sint nobis in iudicium & condemnationem, sed ad fruendorum bonorum perceptionem. Revereamur nostrum caput, cogitemus cuius capitis corpus sumus, cui omnia sunt subiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui iis omnibus simus honore præpositi. Non Angelos apprehendit Deus, non principatum, neque potestatem, neque dominationem neque vllam aliam virtutem, sed nostram naturam apprehendit. Semetipsum nobis inseruit, sicque stimulum nobis ad agendum indidit.

In Mat. orat. 7.

ANAGOGIA.

Quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius.

POtẽtia diuina in Christo exaltãdo deliberata est, nunc & consummãda. In duobus quippe exaltatio Christi constituta est, in virtute scilicet & in honore. De virtute egimus, nunc agimus de honore. Tria autem proponit Apostolus ad honorem Christi. Primum est, ipsum ad dexteram Dei constitutum: alterum, super omnem creaturam sublimatum: tertium, omnia omninò & Subdita.

Aquin. lect. 6.

Quoad primum. Et ad hoc illuminandi sunt interioris hominis oculi, vt deprehendant suspiciantque super eminentem potentiæ diuinæ magnitudinem. Magnitudo enim virtutis, vt aduertit Aquinas, ostenditur in effectu. Vnde quanto magis effectus virtutis diuinæ in aliquo inuenitur, tanto ibi virtus diuina maior ostenditur, licet in seipsâ sit vna & indiuisa. Sed effectus conspicuus non est, nec enim perspicitur, nec ratione, sed contẽplatione deprehenditur. Illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. Multa iam nobis collata sunt beneficia, sed & alia super sunt conferenda. Sicut autem vita Christi est forma, & exemplar iustitiæ nostræ; ita & gloria & exaltatio Christi est forma & exẽplar gloriæ, & exaltationis nostræ. Forma igitur & exemplar operationis diuinæ in nos, est operatio diuina in Christo. Et quãtum ad hoc dicit Apostolus, Secundùm operationem, id est ad similitudinem operationis, potentiæ virtutis eius, id est virtuosæ potentiæ Dei, Quam operatus est in Christo, exaltans illum, ita virtuosè operabitur in nobis. Hæc est potentia diuinâ, quâ suscitatus est Christus. Nec vsque ad resurrectionem solùm, ait Chrysostomus, est illa potentia, sed longè amplius. Et sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus. Magnorum reuera mysteriorum & arcanorum nos fecit participes. Nec ea aliter licet discere, quàm ab iis qui sancti spiritûs sunt participes, & nullâ fruuntur gratiâ. Propterea paulus quoque precatur. Pater gloriæ, inquit, Hoc est. Qui magna nobis dedit bona. Ab eis enim quæ sunt subiecta eum semper vocat, vt quando dicit pater miserationum, & Deus totius consolationis. Pater gloriæ. Ea suo nomine non potest explicare ac proferre, & vbique appellat gloriam, quod quidem est apud nos nomen & appellatio omnis splendoris. Pater gloriæ det vobis. Hoc est mentem erigere & extollere.

Aquin. lect. 7

Chrysostom. orat. 3.

A Hæc enim non licet aliter discere. Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus: sunt enim ei Stultitia. Opus est ergo spirituali sapientiâ, vt spiritualia intelligamus, vt videamus quæ sunt occulta. Ipse omnia aperit & reuelat: mysteriorum enim Dei cognitionem solus nouit spiritus, non angelus, non archangelus. Reuera opus est gratiâ vt mens discat, & omninò paruum vtique radium excipiat. Vides ergo quàm multa Deus operatus sit? Christum suscitauit. Hocne paruum? Sed rursus vide etiam. Sedere fecit ad dexteram suam. Vlla ne ratio hoc poterit explicare? Eum qui fuit è terrâ, qui factus est ludi-

Diuina spiritalibus non animalibus cognita.

B brium dæmonum, vide quò extulerit. Reuera est supereminens magnitudo eius virtutis. Vide autem quò extulerit. In cœlestibus. Sedit à dextris Dei, id est, homo Christus & præcipuam à patre dignitatem, & quietam obtinuit potestatem. Quis est, ait Augustinus, qui sedet ad dexterãm patris? Homo Christus: Nam inquantũ Deus, semper cum patre & ex patre. & quando ad nos processit, à patre non recessit. Hoc est enim esse Deum, vbique esse totum. Totus ergo filius apud patrẽ, totus in cœlo, totus in terrâ, totus in vtero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in

Aug. lib. 5. de symb. cap. 7.

C paradiso quò latronem introduxit. Non per diuersa tempora vel loca dicimus vbique esse totum, vt modo ibi totus sit, & alio tempore alibi totus: sed vt semper vbique sit totus. Si enim Deus hoc præstitit luci quæ videtur nostris aspectibus, vt simul tota vbique sit: si hoc potest creatura, quanto amplius ipse Creator? Sed hoc quòd filius dicitur sedere ad dexteram patris, demonstratur quòd ipse homo quem suscepit Christus, potestatem acceperit iudicantis. Apud patrem nec dextra est, sicut nec sinistra: sed sicut cælestia terrenis præeminent, sic & dextra sinistris apud nos præualent, vt potiora, vt nobiliora. Ille ergo ad dexteram patris constitutus est, qui

D sedem à patre principalem, qui eminentem assecutus est beatitudinem.

Quoad secundùm. Primo comparatio fuit Christi hominis ad Deum patrem: & illa summa exaltatio est, quæ primariam à Deo autoritatem obtinet, imò omnem possidet potestatem. Altera comparatio ad supernos ciues, secundos post Deum splendores. Quia enim dixerat Paulus Christum ad dexteram Dei constitutum in cælestibus, rursùm de cælestibus ingeminat. Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Suprà

Aquin. lect. 7.

E omnem dignitatem, suprà omnem sublimitatem, etiam cælestem. Ad horum autem intelligentiam sciendum est, quod nouem sunt ordines angelorum: quorum quatuor Apostolus tangit hîc, qui quidem sunt medij. Nam suprà eos sunt tres superiores, scilicet throni, Cherubin, & Seraphin. Sub eis autem sunt duo inferiores, scilicet archangeli, & angeli. Qui quidem nouem ordines distinguuntur in tres hierarchias, scilicet sacros principatus: in quarum qualibet assignantur tres ordines. Potest namque rerum ordo tripliciter considerari. Primò quidem secundùm quòd sunt in primâ omnium causâ, scilicet in Deo. Secundò verò, secundùm quod sunt in causis vniuersalibus. Tertiò, secundùm determinationem ad speciales effectus. Et quia

omnia

omnia quæ fiunt in creaturis, ministrantur per angelos, ideò secundùm triplicem acceptionem ordinis rerum, distinguuntur tres angelicæ hierarchiæ, ad quarum vnam pertinet accipere rationes rerum, in ipso rerum vertice, scilicet Deo: ad aliam verò, pertinet accipere rationes rerum in causis vniuersalibus: ad aliam verò, in propriis effectibus. Nam quantò mentes angelicæ sunt superiores, tanto diuinam illuminationem in maiori vniuersalitate recipiunt. Et ideo ad supremam hierarchiam pertinet administratio rerum in comparatione ad Deum. Propter quod ordines hierarchiæ istius denominantur per comparationem ad Deum: quia Seraphin dicuntur ardentes & vniti Deo per amorem. Cherubin verò quasi lucentes in quantum supereminenter diuina secreta cognoscant. Throni verò dicuntur sic, in quantum in eis Deus sua iudicia exercet. Et de istis tribus ordinibus nullam facit hìc Apostolus mentionem. De his verò quatuor specialem facit mentionem: quia horum quatuor ordinum nomina à dignitate imponuntur: & quia agit de dignitate, ideo hic specialiter eos nominat, vt ostendat Christum omnem dignitatem creatam excedere. In his tria sunt consideranda: quorum primum est, esse pro certo aliquam dignitatis & potestatis inter angelos ipsos differentiam: nam si aliqui inter ipsos dicti sunt archangeli, proculdubio est aliqua in illis præfectura: atqui non solùm Michaël à Iuda nominatur Archangelus, sed & Paulus meminit vocis Archangeli, ob primatum scilicet principatumue vnde & alij dicuntur eius angeli, id est, non tantùm iunguntur vt socij, sed & subduntur vt ministri: ergo aliqua est dignitatis potestatisue differentia. Alterum, vix posse à quoquam in hac vitâ dignitates Angelorum distingui, ordinumque, vel etiam hierarchiarum proprietates deprehendi. Beati enim spiritus vt Bernardus docuit, tribus modis, veluti viis totidem nostrâ sunt consideratione vestigandi, opinione, fide, intellectu. Quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio solâ veri similitudine se tuetur. Sed nulla ferè reuelata sunt, pauca demonstrata, ideoque cætera non tam vera sunt quàm verisimilia. Tertium denique, quicquid sit de angelorum dignitate aut sublimitate, Christum Dominum esse nihilominus longè dignioribus digniorem, sublimiorem sublimioribus. Non ad vnum, ait Chrysostomus, aut alterum, aut tertium gradum, extulit illum Deus, sed suprà: nec solum dixit suprà, sed suprà omnem principatum; vsque ad vltimum. Omnem, inquit, principatum: non hunc quidem, illum autem non, sed omnem principatum, & potestatem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, si quod est in cœlo, omnibus euasit superior. Sũt enim potestatũ quarundã nomina nobis nõ signata, neq; nota.

Quomodo angeli in ordines & hierarchias distributi.

Bernard. lib. 5. de consid. cap. 5.

Chrysost. orat.

Quoad tertium. Parum fit Christum Dominum suprà omnem potestatem creatam, suprà omnem virtutem seu cognitam siue incognitam, nominatam seu innominatam esse sublimatum: quin & omnia omninò pedibus eius substrata sunt, voluntati subiecta, nutui subdita. Est enim locutio figuratiua, vt exponit Aquinas, & similitudinaria, vt scilicet per hoc detur intelligi, quòd omnis creatura totaliter est subiecta potestati Christi. Illud enim est à nobis omninò

Aquin. Lect. 8.

A subiectum, quod pedibus conculcamus. Inde enim psalmista incipit: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersâ terrâ. Quæro, ait Augustinus, vnde sit mirabile nomen eius in vniuersâ terrâ? Respondetur, Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Vt iste sit sensus, Domine, qui es Dominus noster, quàm te admirantur omnes qui incolunt terram: quoniam tua magnificentia de terrenâ humilitate super cœlos eleuata est. Hinc enim apparuit quis descenderis, cum à quibusdam visum est, & à cæteris creditum quò ascenderis. Considera Verbum, non increatum, B sed incarnatũ. Cogita, ait Chrysostomus, quantũ intersit inter hominis & Dei naturam: nam quod sunt culices ad homines, hoc est omnis creatura ad Deum. Et ab hac vilitate & abiectione, cum ad illum honorem Deus sustulit, fecitque omnibus superiorem non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Nec solùm fecit superiorem, vt eis honore præferretur, neque per comparationem, sed tanquam seruis. Papæ res planè sunt stupendæ. Hominis facta est serua omnis potestas creata, propter Deum verbum, qui inhabitat. Potest enim esse vt sit aliquis suprà non habens cui obediat, sed cui honore præferatur. Hìc autem non sic, sed omnia subiecit sub pedibus C eius: & non solùm subiecit, sed vltimâ subiectione, & post quam non est alia. Propterea dixit, Sub pedibus. Inde ergo sic potest sumi illa subiectio, vt sit locutio metaphorica. (ita Aquinas) Nam per pedes, intelligitur infima pars corporis, per caput verò, suprema. Licet autem in Christo diuinitas & humanitas non habeant rationem partis, tamen diuinitas, quæ est supremum in Christo, intelligitur per caput. 1. Corinth. 11. Caput verò Christi, Deus. Humanitas verò quæ infima est, intelligitur per pedes. Psal. 131. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Est ergo sensus, quod omnia creata non so- D lùm subiecit pater Christo, in quantum est Deus, cui ab æterno omnia sunt subiecta: sed etiam humanitati eius. Sed aduertendum est, quod Christo subiiciuntur aliqua dupliciter, quia quædam voluntariè, & quædam inuoluntariè. Dicendum est ergo, quod omnia subiecit sub pedibus eius, sed quædam voluntariè tanquam saluatori: puta iustos, qui in hac vitâ implent voluntatem Dei, & isti subiiciuntur ei, vt impleat eorum desiderium & voluntatem. Quædam verò subiiciuntur ei inuitè, tanquam iudici, vt Christus de his suam voluntatem faciat. Et isti sunt mali, de quibus potest intelligi illud Luc. 19. Verumtamen inimicos meos E illos, qui voluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite coram me. Nondum ergo subiecta sunt omnia, sed pro certo subdenda, cum omnia omninò Christi Domini imperio sint obnoxia. Nihil excipit, ait Augustinus, cum dicit, Omnia. Et ne liceret aliter intelligi, sic Apostolus credi iubet, cum dicit. Excepto eo, qui ei subiecit omnia. Quandoquidem & angeli sunt opera manuum Dei, sed etiam super angelos constitutum accipimus vnigenitum filium. Supremum est Verbi incarnati fastigium, dominium sine modo, imperium sine termino. Subdamur vltrò, cum legitimo obstringamur obsequio; & pro officio debito, æterno regno perfruamur.

Augustin. Enarrat. in Psal. 8. post init.

Chrysost. orat. 5.

Aquin. Lect. 8.

Alia voluntariè, alia inuoluntariè subiecta.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 8. vlt. med.

CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

NAtiuitas per originem vitiata, sed per fidem purgata. Gentilitas alienata à Deo, sed à Christo reparata. Erunt igitur huiusce capitis sectiones duæ.

PRIMA SECTIO.

De Natiuitate.

TEXTVS.



ET vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationem & eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratiâ estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu: vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratiâ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

EXEGESIS LITERALIS.



QVI peccatis inquinati, & in prauis conuersati desideriis, misericordiâ Dei saluati sunt, & Christi gratiâ reparati: qui enim iræ filij, nunc filij gratiæ.

Et vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius &c. An igitur in solo Christo operatus est Deus? Imò & in vobis ipsis. Nam cum essetis mortui ob delicta ac peccata, in quibus vitam egistis pristinam, dum solam temporalium seculariumue curam habuistis. Secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ &c. Et id quidem secundùm impulsionem diaboli, qui princeps est aërearum potestatum, seu malignorum spirituum, qui nunc indefessam aduersùs fidem nauant operam, & ad incredulitatem retinendam fouendamque suam explicant efficaciam. Diffidentia, ἀπειθεία, incredulitas, imperfuasibilitas. Filij verò, qui rebelles, contumaces, obstinati. In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis & cogitationem, &c. In quibus peccatis delictisque, & nos etiam Iudæi, vitam traduximus, prauamque in desiderijs suis secuti sumus concupiscentiam. Potest tamen. In quibus: accipi: quasi sit, (Inter quos.) Nimirum diffidentiæ filios. Dicit illos delictis mortuos, in quibus ingressi erant, secundùm æuum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, qui operatur in filiis incredulitatis. Ita legit Tertullianus. Tum ad Paulum Apostolum. Sed & in Iudaismo, inquit, conuersatus Apostolus, non quia interposuit de delictis, In quibus & nos omnes conuersati sumus, ideò delictorum dominum & principem aëris huius Creatorem præstat intelligi; sed quia in Iudaismo vnus fuerat de filiis incredulitatis, diabolum habens operatorem, quum persequeretur Ecclesiam & Christum Creatoris. Omnes ergo dicit, sed intelligit, quasi, plerique omnes. Idcircò prior expositio simplicior est ac planior: non enim multi Sauli, nec omnes persecutores. Et eramus naturâ filij iræ, sicut & ceteri &c. Probatio est sententiæ præcedentis. Qualis illa non solum Gentium sed & Iudæorum vita ante acta, quæ in peccatis tota. Nec mirum: nam & nos etiam Iudæi in peccatis nati sumus toti, sicut & alij, ideoque vindictæ diuinæ obnoxij. Ex Tertulliano. Propter quod & iracun

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 17.

Iudæi etiam sicut alij in peccatis nati.

Tertullian. Ibidem.

cundiæ filij fuimus, inquit, sed naturâ.

Deus autem, qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, (cuius gratiâ estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu &c. Huic vsque pendula oratio, verboque tandem terminata. Et vos, & nos conuiuificauit, conresuscitauitque. Itaque cum tales essemus, peccatores nimirum, ideoque mortui & putidi: Deus, cuius opulenta est misericordia, propter eximiam charitatem quâ dilexit nos, cum adhuc inimici essemus, & peccatis nostris non infecti solùm, sed & interfecti: nos, inquam, & vos à morte eduxit, dum iustificatione donauit per Christi meritum, cuius & vos, ô Ephesij, consecuti estis beneficium; ex quo & spem resurgendi ad vitam, & sedem gloriamque in cœlesti regno possidendi, iam estis adepti. Textus Ambrosianus. Deus autem, qui diues est in misericordiâ, propter multam charitatem suam; quâ misertus est nostri, cum essemus etiam mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratiâ salui facti estis, & simul suscitauit, & simul consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Et sensus. Hoc dicit quod suprà memorauit, illic futuros sanctos etiam ex gentibus, vbi & Christus est caput eorum. Virtus enim quæ in Christum operata est, seu, vt legit Tertullianus, Valentia: Eadem & in Christum est operatura. Vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu &c. Sic igitur nos in Christo & per Christum respexit erexitque, vt in his extremis seculis, notam faceret suæ exuberantiam gratiæ, non minùs benignè quàm effusè nobis per Christum ipsum impensam. Gratiâ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex verbis, Dei enim donum est; non ex operibus, vt ne quis glorietur &c. Quidquid enim ad salutem conducit, nobis per gratiam istam obuenit; & quæ per fidem incipit, desinit in glorificationem. Credidistis equidem, sed & hoc à Deo accepistis: nec gloriandum in seipso, cum quicquid actum sit agendumque, ex diuino collatum sit beneficio. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Quicquid enim boni facimus, Deo in nobis & per nos faciente, facimus; quicquid producimus recti, Deo regente & agente, nihilque ex nobis aut ex nostris prærequirente, producimus: sic enim disposuit Deus ab æterno voluitque, vt ea libero exerceamus arbitrio, & per opera diuina perueniamus ad æterna præmia. Ita Basilius, (apud Vulgarium) non eam interpretatur creationem hoc loco, quæ per baptismi lauacrum fit, sed quâ fuimus à mundi primordiis conditi. Sed quod in æternitate dispositum, expletum est in tempore.

Ambros. in Paulum.

Virtus quæ operatur in Christũ, operatur in Christianũ.

Basil. apud vulg.



DISQVISITIONES

Dogmaticæ in litteram.



INGEMINAT nonnulla verba Paulus, quibus sententiam quidem aggrauat, sed sollicitat intelligentiam. Quædam autem congeremus, alia verò secernemus.

DISQVISITIO PRIMA.

De secernendis.

PRimum est illud. (Et vos cum esseis mortui delictis & peccatis vestris.) Quanquam enim in Græco non sit, vestris. Eadem tamen manet ingeminatio de delictis ac peccatis, Græcè τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις. Est quidem mortificatio corporalis, ait Chrysostomus, est autem & animalis. Et illius quidem esse participem, nec est crimen, nec per culum: res enim est naturæ, non instituti animi & liberi arbitrij. Nam & orta est ex transgressione protoplasti, & res deinde decidit in naturam. Ipsa autem mortificatio animalis, cum sit instituti animi & liberi arbitrij, crimen habet.

Chrysostom. orat. 4.

Vide ergo quomodo Paulus cum iam valdè magnum ostendisset, & quòd maius sit morte affectæ mederi animæ quàm suscitare mortuos, nunc quoque sic ponit tanquam magnum: Et vos cum essetis, inquit, mortui delictis & peccatis vestris. Tam delicta igitur quàm peccata sunt crimina, vt pote lethifera & exitiosa, tum qui mortem inferunt animæ, cum quia virtutem ostendunt gratiæ. Leuiora autem delicta non interimunt animam, nec eximiam deposcunt medicinam. Quid igitur interest inter delicta & peccata, si ambo crimina sint, ambo sint mortifera? Necessitatem beneficij ostendit Apostolus, (verba sunt Aquinatis,) cum dicit, Cum essetis mortui. Vnde optimè describit eorum culpam. Primò, quantum ad multitudinem: In delictis & peccatis vestis, ecce multitudo, in delictis quidem, quantum ad omissa; in peccatis autem, quantum ad commissa. In quibus aliquando ambulastis: quod ideò dicit, vt multitudinem peccatorum exaggerat. Nam aliqui, si ad horam mortui sunt in peccatis & in delictis, cessant tamen aliquando, & peccare desistunt: sed isti de malo in peius procedentes & ambulantes, proficiebant. Secundò, describit eorum culpam quantum ad causam. Homo alienatur à Deo separaturque peccato: peccatum quippe violatio summæ bonitatis est, seu diuinæ voluntatis præuaricatio, præcepti imposit

Mors corporalis necessaria, mors animalis libera.

Aquin. lect. 1.

imp iti transgressio. Duplex autem præceptum est, vnum affirmatiuum, quod iubet bonum; alterum negatiuum quod malum prohibet. Duplex igitur & transgressio seu præuaricatio: vna, quâ bonum iussum omittitur, altera, quâ prohibitum malum committitur. Ex quibus tria sunt consectaria. Primum est, differre ista duo. Si enim nulla esset differentia, ait Augustinus, nullo modo diceretur in lege sacrificij, Quomodo quod est pro peccato, ita & quod pro delicto. Alterum, differre sicur differunt, aut differre possunt perpetratio mali, & boni desertio. Vt quemadmodum, ait ille, in laudabili vitâ, aliud est declinare à malo, aliud facere bonum: ita in damnabili, aliud sit declinare à malo, aliud facere malum. Peccatum ergo est malum facere; delictum verò, bonum non facere, seu derelinquere. Tertium denique, non minùs animam emori delictis quàm peccatis, id est, non minùs omittendo bonum gratiam amitti, quam malum committendo. Mortuos dicit, qui errores seculi sequuntur. Quicquid enim ab vnius Dei professione recedit, mortuum habetur, quia non manet in radice ex quâ trahit originem. Ita Ambros.

Augustin. lib. quæst. in Leuit. 20.

Augustin. Ibidem.

Ambrof. in paul.

Alterum est istud. In quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius. Cur enim nominat mundum & seculum, cum vnum aut alterum sufficiat? Vide Pauli mansuetudinem, ait Chrysostomus, & quomodo vbique consolatur auditorem, eum non onerans? Nam quoniam dixerat eos ad extremum vsque vitium esse prouectos, hoc enim est esse morte affectos, ne eos valde grauaret: dat eis adiutorem, & adiutorem fortem, ne existimaretur totum eis esse imputandum. Hoc est nimirum, quod dixerat Aquinas, causam nimirum culpæ à Paulo expressam. Illa autem duplex est: Vna, inquit, ex parte huius mundi, quia alliciebantur à rebus mundi, & quantum ad hoc dicit, secundùm seculum mundi huius: id est, Secundùm secularem vitam rerum mundanarum, quæ vos alliciunt. Alia causa ex parte dæmonum, quibus seruiebant. Attendenda enim differentia circa hoc, quia Apostolus agens de culpâ gentilium assignauit duas causas culpæ fuisse Vnam scilicet ex parte mundi, aliam ex parte dæmonum, quos colebant. Quia verò Iudæi erant similes gentilibus in statu culpæ quantum ad primam causam, non autem quantum ad secundam: ideo Apostolus non facit mentionem de culpâ eorum, nisi quantum ad causam, quæ est ex parte mundi. Hæc est igitur communis tentatio, quæ etiam fidelem pulsat; hæc & vulgaris excusatio, quæ crimen aliquatenus seu specie tenus eleuat: dico eleuat, nec tamen excusat. Quid ergo Paulus? Ambulastis aliquando in delictis & peccatis, nihil non boni omisistis, nihil non mali commisistis. Dicetis mihi, hoc fecisse vos secundùm secularem corrupti mundi consuetudinem, morem secutos, in hanc abiisse miseriam. Misereor vtique, nec tam acriter indignor, non tamen probo, imò nec segniter reprobo: sicut enim qui impellente diabolo in scelus ruunt, non vacant culpâ, sic & qui alliciente mundo facinus admittunt, a gratiâ exulant. Et hæc trita peccandi elevanda causa, facta est peccati perpetrandi vel etiam iustificandi materia. Quid enim agam in

Chrysost. orat. 4.

Aquin. lect. 1.

Seculum mundi quod institutum seculi.

A hoc seculo, in quo sic agunt Christiani, sic viuunt boni? Certè nec boni sunt, nec verè Christiani, si secundùm seculum mundi huius ambulant, si vitam suam non ad Euangelium Christi, sed ad institutum temperant mundi. Nusquam, ait Tertullianus, Christianus aliud est. Vnum Euangelium, & idem Iesus. Quò mihi doctores isti, tam fallaces, quàm & indocti? qui morem consulunt, qui honorem ex mundi vanitate desumunt, non ex Euangelij veritate; qui disciplinam subneruant, & stultitiam crucis pertæsi, sapientiam venditant, non dico indignam Christianis, sed & à perditis alienam. Ergone, non dicam, extrema, sed & pessima sectarum omnium erit religio Christiana,

Tertullian. lib. de coron. mil. cap. 11.

B iamque non tam professio priuata virtutis erit sanctitatisque quàm publica criminum omnium officina? Quò mittam istos doctores nebulosos, aut nebulones ignaros, ne Ecclesiam inficiant, castamue & innocuam morum Christianorum polluant disciplinam? Nec ferret spiritus nequã, quin & ementitis istis diceret exorcistis. Iesum noui, & Paulum scio: Vos autem qui estis?

Actuum cap. 19.

Tertium in verbis subiunctis. Secundùm principem potestatis aëris huius, Spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Quibus, sicut & antecedentibus verbis, si non importauit calumniam Marcion, certè tentauit, vt suam exerceret, C aut stabiliret blasphemiam. Sed mundum, ait Tertullianus, non potest & hic pro Deo mundi Marcion interpretari. Non enim simile est creatum creatori, factum factori, mundus Deo. Sed nec princeps potestatis aëris dicetur, qui est princeps potestatis seculorum. Nunquam enim præses superiorum de inferioribus notatur, licet & inferiora ipsi deputentur. Sed nec incredulitatis operator videri potest, quam ipse potius à Iudæis & Nationibus patitur. Sufficit igitur, si hæc non cadunt in Creatorem. Si autem & est in quem magis competant, vtique magis hoc Apostolus sciit. Quis iste? Sine dubio ille, qui ipsi Creatori filios incredulitatis obstruit, aëre isto potitus, sicut dicere eum profert & refert: ponam in D nubibus thronum meum, Ero similis altissimo. Hic erit diabolus, quem & alibi (si tamen ita & Apostolum legi volunt) Deum æui huius agnoscemus. Ita enim totum sæculum mendacio diuinitatis impleuit. Qui planè si non fuisset, tunc hæc in Creatorem spectare potuissent. Tria igitur inde elicienda sunt. Primum, per principem potestatis aëris huius, minimè Deum intelligendum, sed diabolum exertè denotatum. Hæretici enim, vti dixit Chrysostomus, hæc de Deo dicta esse acriter contendunt, & effrenatam linguam longè exerentes, hæc Deo adaptant quæ sunt solius diaboli. Quomodo ergo os eis E obstruemus? Ex ipsis verbis. Nam si est iustus, sicut & ipsi dicunt, hæc autem gessit, hæc res non est iusti, sed valdè iniusti & scelerati. Deus autem nunquam fuerit sceleratus. Alterum, Spiritûs: Est in gignendi, Græcè τοῦ πνεύματος. Diabolus nimirum princeps est potestatum aërearum, seu malignorum spirituum; qui nunc operantur in filiis diffidentiæ. Alterum est peccati, seu peccandi incentium. Primum enim est ipse mundus, pessima prauæ consuetudinis, & habitudinis inolitæ schola. Alterum verò, ipse diabolus: Qui habet potestatem in hoc aëre caliginoso. Spiritus autem est genitiui casûs, & ponitur singulare pro plurali, quasi dicat, Spirituum. Ita ille:

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 17.

Apostolicis sententiis abusi sunt hæretici.

Chrysost. orat. 4.

Aquin. lect. 1.

ille. Tertium denique, principem tenebrarum harum, seu potestatum istarum spiritualium, impiis dominari ad nutum, seu in iis spiritum infidelitatis & incrudelitatis operari. Cum enim dicit eum principem seculi huius? Quoniam, ait Chrysostomus, tota ferè humana natura seipsum illi dedit & omnes, suâ sponte illi seruiunt. Et Christo quidem bona promittenti innumerabilia, ne animum quidem adhibet quispiam: illi autem nihil tale pollicenti, sed ad gehennam transmittenti cedunt omnes: Sed principatus eius est in hoc seculo, & is plures habet quàm Deus: Secularis est eius principatus: & alibi Paulus, nequam seculum vocat tempus peruersum. In hoc ergo seculo, maximè verò in iis qui de æternis nec fidem habem nec spem. Liberè operatur, ducẽs eos quò vult: (ait Aquinas) qui enim ex malitiâ peccant, in his princeps huius mundi etiam operatur ad nutum. Licet enim neminem cogat, maximum tamen in impios, tanquam suos vsurpat imperium.

Chrysost. orat. 4.

Aquin. lect. 1.

DISQVISITIO SECVNDA.

De congerendis.

DIscreuimus ea quæ disparata sunt, nunc ea simul congerimus quæ simul sociãda sunt, pote omnibus hominibus, tam Iudæis quàm & Græcis communia. Redix autem vniuersalis corruptionis hæc est. Et eramus naturâ filij iræ, sicut & ceteri. Id est, Iudæi simul & Græci. Inde: In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Ex mala radice, fructus pessimi; ex vitiatâ voluntate, affectus corruptissimi. Et nos Iudæi, non minus quàm Græci fuimus iniqui, dum prauis, seruiuimus desideriis: nam & nos eramus naturâ filij iræ, sicut & ceteri. Totus homo aberrat ab vtero, peccátque nascendo. Totus autem carne & mente constat. Tria ergo complectenda sunt. Primum, radix vniuersalis corruptionis: alterum, specialis corruptio carnis: tertium, mentis deprauatio,

De primo. Vna quidem hominis seu humanitatis natura, sed ita per primum peccatum alterata, vt iam vix natura dicenda sit; cùm à conditore suo excesserit, & in tantum opere suo irrationalis euaserit, in quantum carnalis: Naturale enim vti dixit Tertullianus, rationale credendum est, quod animæ à primordio sit ingenitum, à rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus iussu quoque ediderit, nedum id quod propriè adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est, vt quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsum illud trãsgressionis admissum, atque exinde inoleuerit & coadoleuerit in animâ ad instar iam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit. Sed enim à diabolo immissio delicti: irrationale autem omne delictum. Igitur à diabolo irrationale, à quo & delictum; extraneum à Deo, à quo est irrationale alienum. Proinde diuersitas horum, ex distantiâ auctorum. Est, quidem natura humana, sed iam alia; vtpote tam parùm rationalis, quàm ad delinquendum procliuis. Quum ergo dicit Apostolus: Fuimus aliquanda naturâ filij iræ, irrationale indignatiuum suggillat, quòd non sit ex ea naturâ quæ à Deo est, Sed ex illâ quam diabolus induxit, dominus & ipse dictus sui ordinis: Non potestis duobus dominis seruire. Pater & ipse cognominatus, Vos ex diabolo patre estis. Ne timeas & illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris & adulteræ, quem legis auenatum super seminatorem, & frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem: Ita Tertullianus. Si ergo Iudæi, sicut & ceteri, profectò omnes omninò homines in peccatis nati sunt toti, ideoque æternis abnoxij suppliciis. Vna enim omniũ hominum natura est, sed iam vitiata, ideoque omnes vitium trahunt, per originem naturæ; contrahuntque omnes supplicium per contagionem culpæ, & pœnæ debitum. Origo namque veræ vitæ, vt definit Prosper, veræque iustitiæ in regenerationis est posita sacramento; vt vbi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur. Et incipiunt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem. Siue enim Iudæus legis scientiâ tumens, siue Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, priusquã iustificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato: & si in suâ infidelitate persttiterit, ira Dei manet super eum: illa scilicet in Adæ præuaricatione contracta; de quâ Apostolus loquitur, dicens: Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm principem potestatis aëris huius, spiritûs qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Peccante ergo primo homine, vitium pro naturâ inoleuit, quæ vix tamen natura dicenda, quia vitio succrescente, homo ipse in nihilũ abiit. Natura ergo talis referenda est, Qualis, vt Augustinus dixit, sine vitio primitùs condita est: ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Translato autem verbo vtimur, vt naturam dicamus etiam qualis nascitur homo, secundùm quam locutionem dixit Apostolus: Fuimus enim & nos aliquando naturâ filij iræ, sicut & ceteri.

Tertullian. lib. de Anim. cap. 16.

Tertullian. Ibidem.

Prosper lib. 1. de Vocat. gent. cap. 5.

Natura propriè quæ à Deo instituta, non quæ corrupta vitio.

Augustin. lib. 1. Retract. cap. 10.

De secundo. Iam inde sequitur specialis corruptio carnis, quæ sicut inficitur peccato naturæ, sic & pœnæ addicitur supplicio. Propter quod & iracundiæ filij fuimus, inquit, (ita apud Tertullianum) sed naturâ. Ne quia filios appellauit Iudæos Creator, argumentetur hæreticus dominum iræ creatorem. Quum enim dicit, fuimus naturâ filij iracundiæ; Creatoris autem non naturâ sunt filij Iudæi, sed adlectione patrum; itæ filios ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad summam subiungens, sicut & cæteri; qui vtique filij Dei non sunt. Apparet communi naturæ omnium hominum & delicta & concupiscentias carnis reputare; diabolo tamen captante naturam, quam & ipse iam infecit delicti semine illato. Benè, Communi naturæ omnium hominum. Omnis enim homo terrenus, vt Augustinus dixit, quid est origine, nisi Adam? Illa tamen differentia est, quòd in primo homine diabolus per mentem infecit carnem, nunc verò per carnem in nascente mentem inficit: illic incepit à voluntate seu supremâ hominis parte, & in carnem, seu partem irruit inferiorem; istic verò carnem maculat, & per carnem, volunta-

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17.

Augustin. lib. 1. Retract. cap. 15.

tem ipsam vel arcem supremam occupat.

Augustin. Ibidem. Adam, inquit ille, habebat vtique voluntatem, qua voluntate cum peccasset, peccatum per eum intrauit in mundum. Concupiscentiam inuexit, & per illam, natiuitatis nostræ, seu, humanæ originis totam inflammauit. Ita Iacobus: Iacob. cap. 3 Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ. Sic & illa concupiscentia, Ignis est: sed exitiosus. Vniuersitas iniquitatis. Quasi alius sit omnium mundus peccatorũ. Illa igitur & rota, quasi actionũ omnium cursus ac circulus. Ex quo nascimur, currit ipsa rota voluiturq; nec intercipitur aut desinit, B nisi dum morimur: occupat & illa carnem, seu membra nostra, & per cupiditatem, tanquam per ignem inflammat gehennalem. Quid est ergo conuersari in desideriis carnis. Carnales nimirum voluptates consectari. In quibus, inquit, & nos omnes aliquando conuersati sumus. Chrysostom. Hom. 4. Omnes. (ait Chrysostomus) Non enim licet dicere quòd exemptus esset aliquis. In desideriis carnis nostræ: hoc est, nihil spirituale sapientes. Facientes voluntatem carnis: hoc est, voluptatis Conuersari in desideriis carnis, est carnales cõsectari voluptates. affectiones & motus. Illa est ergo prima punitio, tam specialis, quàm & nota carnis corruptio, quâ corporales sequimur voluptates imò pro corporibus vmbras, fallacias pro rebus amplectimur. C

De tertio. Præcedit quidem corruptio carnis, sed mentis succedit deprauatio. Si enim peccatum ipsum totam inficit naturam, animam vtique corrumpit humanam: sed prius carnem maculat, dein & mentem fœdo conspurcat contagio. Tertulian. lib. de Anim. cap. 40. Omnis anima peccatrix, ait Tertullianus, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate. Nam etsi caro peccatrix, secundùm quam incedere prohibemur, cuius opera damnantur, ob quam carnales notantur, non tamen suo nomine caro infamis. Neque enim de proprio sapit quid, aut sentit, ad suadendam vel imperandam peccatelam. In carne igitur origo peccati, in voluntate D Tertul. c. 41. autem consummatio. Malum animæ, ait ille, præter quod ex obuentũ spiritûs nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, naturale quodammodo. Nam, vt diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum Deum & patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem. Proinde cum ad fidem peruenit reformata per secundam natiuitatem ex aquâ & supernâ virtute, detracto corruptionis pristinæ aulæo, totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam à Spiritu sancto, sicut in pristinâ natiuitate à spiritu profano. Quicquid ergo nascitur, profanatum est, contaminatumque; sicut quod renascitur, sanctum, sanctifica- Quomodo Spiritus sanctus ac profanus se erga nos gerant. tumue. Sed vide quomodo Spiritus sanctus & E profanus, tam sint operatione æmuli, quàm sint conditione diuersi. Profanus, per carnem inficit mentem: Sanctus, per mentem, carnem reficit: ille in iis qui nascuntur, per concupiscentiam excludit gratiam, iste in iis qui renascuntur, per gratiam opprimit concupiscentiam: ille inflammata æstu libidinis carnisue, Ille spiritu mentis renouat: ille quod inchoat per infectionem corporis, consummat per deprauationem voluntatis: quod iste inchoat per reformationem voluntatis, per resurrectionem consummat corporis. At verò sicut in resurgentibus, tota caro spiritalis erit, infusâ supra carnem doto; sic

A & in nascentibus, totus spiritus carnalis est, contractâ in carnem habitudine. Inde ergo: Et nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Quædam enim, vt exponit Aquinas, est concupiscentia eorum quæ non veniunt ex desideriis carnis, sed ex ipso appetitu animæ, vt honoris ambitio, & propriæ excellentiæ & huiusmodi. Et quantum ad hoc dicit, Et cogitationum: id est, exequentes illas concupiscentias, quæ causantur ex instinctu cogitationum nostrarum. Voluntas ergo carnis, seu, vt est ex Græco, Voluntates carnis. Cupiditates sunt, seu praua carnis desideria. Cogitationes verò sunt mentis actiones, seu arcana cordis concilia, qualia in inuidis, superbis, hæreticis. At non minùs carnales sunt in impiis & non renatis cogitationes cordis, quàm eruptiones libidinis: tam illæ enim quàm istæ cupiditates sunt, instinctum hominis sequentes carnalis, & ad gustum ingenitæ emergentes, assurgentes, & agentes concupiscentiæ. Aquin. Lect. 1.

TROPOLOGIA.

Gratiâ enim estis saluati per fidem.

TRia hic mira sunt & tamen vera. Primum est, quod gratis saluamur, & tamen per fidem: alterum, quòd fidem operamur in nobis, nec tamen ex nobis: tertium, quòd factura sumus, & tamen reuera facimus.

Quoad primum. Fide salui fiunt electi, & iam spe salui facti sunt. Et propterea, ait Prosper, Iesus Christus venit in hunc mundum, vt soluat opera diaboli, quæ vtique sic soluuntur, vt in destructione eorum, etiam ab iis quibus succurritur, laboretur, quoniam & hoc à saluante donatur. Ideò beatus Apostolus ad Ephesios: gratia, inquit, saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Deus ergo iis quos elegit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis. Et frustra dicitur quòd ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur vt electi sint. Virtutum quippe munera otiosa esse non possunt, quoniam sicut veritas ait: omnia habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet auferetur ab eo. Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiscentiis non repugnet: nec ideò cuiquam tribuitur sapientia & intellectus, vt non die ac nocte in Domini lege meditetur. Quid agit donum dilectionis, si beneuolentiæ solicitudo non vigilat? Quis fructus est patientiæ, si non habet fortitudo quod toleret? Neminem prorsus Dei gratia intentabilem facit, neque ob hoc cælestium armorum præsidio à dextris & sinistris instruitur militia Christiana, vt cum nullo hoste confligat, cum laudabilius sit atque felicius pugnantem non potuisse vinci, quàm desidem non potuisse tentari. Gratiâ saluati sumus, non tamen desidiâ: cur enim armati sumus, nisi vt pugnemus repugnemusque, & per fidem dispensemus salutem? Commemorans Apostolus beneficium Dei, (verba sunt Aquinatis) quo liberati sumus à peccato, interposuerat quòd gratiâ Christi eramus saluati, nunc autem illud probare intendit. Bene dixi, Cuius gratiâ estis saluati. Et certè adhuc dico securè. Idem enim

Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 10.

Aquin. lect. 3.

enim est saluari, & iustificari. Salus enim importat liberationem à periculis. Vnde perfecta salus hominis erit in vitâ æternâ, quando ab omnibus periculis immunis erit; sicut nauis dicitur esse saluata, quando venit ad portum. Huius autem salutis spem suscipiunt homines, dum in præsenti iustificantur à peccato, & secundùm hoc dicuntur saluati esse, secundùm illud Rom. 8. Spe enim saluati sumus. Sed hæc saluatio gratiæ est per fidem Christi. Concurrit enim ad iustificationem impij simul cum infusione gratiæ motus fidei in Deû. Luc. 8. Vade in pace, fides tua te saluum fecit. Gratis ergo saluamur, quia diuinâ iustificamur gratiâ: & tamen per fidem; quia placuit Deo salutis ædificium illo construere fundamento, sicut & placuit per Christum nos donare operis prœmio. Nec mirum, cùm omnia nobis ab æterno præparata sint salutis beneficia, nec tamen data sint absque orationis suffragio. Quamuis enim quod statuit Deus, (ita Prosper) nullâ possit ratione non fieri; studia tamen non tolluntur orandi: nec per electionis propositum, liberi arbitrij deuotio relaxetur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit præ[...]atus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, fiant incrementa meritorum. Merita sunt, sed & ipsa data sunt, etiam ab æterno in Deo destinata sunt. Gratiâ, seu gratis saluati sumus per fidem, sed & ipsa præparata est imò in ceterorum operum fundamento collocata. Illa est enim per quam impetratur salus dispensaturque, sed & ipsa quæ salutis œconomiam prouchit, per gratiam incipit Saluatoris.

Duplex salus vna inchoata, consummata altera.

Prosper lib. 2 de [...] gent. [...] vlt.

Quoad secundum. Prælusit Apostolus, cum dixit Deum in nos benignum liberalem misericordemque: Vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Seu, vt legit Augustinus: Vt ostenderet in superuenientibus seculis superabundantes diuitias gratiæ suæ in benignitate super nos in Christo Iesu. Quia, vt dixit Aquinas. Hoc non meritis nostris, sed bonitate suâ, quæ est per Christum Iesum. Inde igitur tutò procedit Apostolus, certoque definit: Gratiâ enim estis saluati, per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. Fides quidem opus est, sed opus Dei. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. Credimus nos, & corde credimus; imò si non ex corde credimus & voluntate, non benè credimus. Quid est enim credere, ait Augustinus, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem vtiq; volentis est. Illud igitur opus operamur in nobis: sed quia opus Dei est, non ex nobis operamur. Ne forte enim vasa in honorem prædestinata, ait quis apud Augustinum, suis aliquid viribus tribuendo, negarent gratiam Creatoris, eos Apostolus vasa misericordiæ nominauit; vt totum quicquid essent, secundùm misericordiam se esse cognoscerent. Sic enim & alibi dicit idem Apostolus, Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Sed & beatus Moyses in Deuteronomio dicit ad populû, Et ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea & potentia manûs meæ fecit mihi virtutem magnam hanc: memorabetis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem, facere virtutem, vt statuat testamentum suum quod iurauit patribus vestris. Et

August. lib. 22. cont. Faust. cap 8

Aquin. lect. 2

Augustin. lib. de sp. & lit. cap. 31.

lib. de præd. & grat. cap. 8.

A ne dicas in corde tuo, propter iustitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam. Ecce quàm antiquum Spiritûs sancti dogma, non solum in Apostolicis litteris prædicatum, sed etiam in propheticis; atque in ipsis Israëlitici exordiis, sancti spiritûs voce firmatum. Clarè siquidem in vno atque eodem scripturæ loco, bonitatem Dei propheta beatus ostendit, dicens: non propter iustitias suas populo hæreditatem terræ illius reddi, sed gratiâ miserante donari. Nec suffecit beato Moysi quod dixerat, non propter merita ipsorum, hæreditatem terræ illius Israëlitico populo fuisse B concessam; nisi etiam adderet quod adiunxit, vnde eos omni bono monstraret indignos. Sequitur enim post illud quod suprà memorauimus, Et scies hodie, quia non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram istam bonam hæreditare, quoniam populus duræ ceruicis es tu. Quis hîc secundùm debitum præcedentium meritorum mercedem redditam dicat. Quis non gratiam, fateatur indebitam? Quis ex operibus glorietur tanquam ex suis, & non potius ornetur tanquam à Deo ipso datis muneribus? oramus quidem, sed quia nescimus quid oremus, mittit spiritum suum in corda nostra C clamantem, id est, clamare & orare facientem. Credimus, sed ille de non credente facit credentem. Itaque fides quidem in nobis est, dum nos sumus qui credimus: non necessaria, & tamen non ex nobis est, quia non ex naturæ promptuario, sed ex gratiæ beneficio: nec ex meritis data, sed gratis indulta. Idcirco, ait Augustinus, Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit; vt ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere quod rogari se præcepit vt faciat. Diuina namque testimonia, ostendunt Deum gratiâ suâ auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in D hominibus bonarum merita voluntatum: ita vt voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non vt gratia merito voluntatis antecedente donetur: hoc & gratiarum actio indicat quod oratio: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus vt faciat, illi est actio gratiarum reddenda cum fecerit.

Gratia Dei Apostolicis & propheticis litteris confirmata.

Augustin. epist. 107. vers. fin.

Quoad tertium. Dixerat Apostolus, Non ex operibus. Et tamen instat operibus. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Nam, vt docuit Aquinas: Duo ad rationem gratiæ pertinent: quorum primum est, vt id quod est per gratiam, non insit homini per seipsum, E vel à seipso, sed ex dono Dei. Et quantum ad hoc dicit, ipsius enim factura sumus: quia scilicet quicquid boni nos habemus, non est ex nobis ipsis, sed ex Deo faciente. Secundò, pertinet ad rationem gratiæ, vt non sit ex operibus præcedentibus, & hoc exprimitur in hoc quod subdit, Creati. Est enim creare, aliquid ex nihilo facere. Vnde quando aliquis iustificatur sine meritis præcedentibus, dici potest creatus, quasi ex nihilo factus. Hæc tamen actio, scilicet creatio gratiæ, fit virtute Christi, Spiritum sanctum dantis: propterea subdit, in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum. Sed ne aliquis intelligeret bona opera sic esse nobis præparata à Deo, vt nihil ad illa per liberum arbitrium cooperaremur,

Aquin. lect. 3.

Homo vetus de nouo in meliorem creatus.

mur, ideò subdit, vt in illis ambulemus. Quasi dicat,sic nobis ea præparauit,vt ea nos ipsi nobis per libetum arbitrium impleremus. Signanter autem dic t Ambulemus, vt designet boni operis profectum. Ex quibus tria concludenda sunt. Primum est, nos in negotio salutis inertes esse non debere,sed fideles,sedulos, operosos, infatigabiles. Ne enim,ait Chrysostomus,cum audieris,quòd non ex operibus, sed fide totum fit, fias otiosus,vide quid subiunxerit, Creati in Christo Iesu in operibus bonis. Alterum,non solùm operandum esse,sed & promouẽdum proficiendumque.In operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus.Non vt incipiamus,sed vt ambulemus. Perpetuâ enim nobis virtute opus est, & extensa vsque ad nostrum decessum. Neque enim si esset, ingrediendum viâ quæ fert ad vrbem regiam, deinde cum maiorem eius partem confecissemus, circà ipsum finem ignaui & molles redditi sedissemus, nobis profuisset ipsa spes vocationis. Tertium denique, nos quidem facere, nos proficere, sed spiritum Christi, seu auxilium Dei per Christi meritum, ad faciendum ac proficiendum recipere. Quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.Reuera enim, (ait & ille) alia est creatura. Ex nihilo producti sumus ad hoc vt essemus. Quod eramus prius, mortui sumus: hoc est homo vetus. Quod non priùs eramus, facti sumus. Sancti nimirum, sed per spiritum sanctificationis: iusti, sed per spiritum charitatis. Equidem in nobis libertas est ad benefaciendum. Sed ista libertas ad benefaciendum, vt Augustinus loquitur, vnde erit homini addicto & vendito,nisi redimat ille cuius illa vox est,si vos filius liberauerit,tunc verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum benè,nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat, quàm cohibet Apostolus, dicens: gratiâ salui facti estis per fidem? Et ne ipsam saltem fidem sic sibi homines arrogarent, vt non intelligerent diuinitùs esse donatam; hic quoque adiunxit atque ait:Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est,non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adiecit: Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu,in operibus bonis,quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Tunc ergo efficimur verè liberi,cum Deus nos fingit,id est, format,& creat,non vt homines,quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit: vt simus in Christo Iesu noua creatura, secundùm quod dictum est: Cor mundum crea in me Deus.

Chrysostom. orat. 4.

Chrysostom. Ibidem.

Augustin. cap. 31. Enchirid.

ANAGOGIA.

Deus autem qui diues est in misericordiâ.

Tria discimus ex Apostolo. Primum est, diuitias esse in Deo,sed misericordiæ:alterum, effusas esse in nos, sed ex nimiâ charitate: tertium, non solùm vsque ad gratiæ donum profusas,sed & vsque ad suggestum gloriæ.

Quoad primum. Deus diues est in misericordiâ.Non dixit absolutè misericors,ait Chrysost. sed diues in misericordiâ, sicut & alibi dicit, in multitudine misericordiæ & alibi,Miserere mei A Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Homines possunt dici misericordes, sed credi non possunt diuites in misericordia; citò enim deficiunt, cum tam parca sit quàm & limitata. Dicitur autem Deus diues in misericordiâ, inquit Aquinas, quia habet eam infinitam & indeficientem, quod non habet homo. In tribus enim homo miseretur cum termino & limitatione. Primo quidem largiendo beneficia temporalia, & hæc misericordia est finita, non excedens limites propriæ facultatis.Tob.4.Quomodo potueris,ita esto misericors:sed Deus diues est etiam in omnes qui inuocant illum, vt dicitur Rom. 10.Secundò,est finita misericordia hominis,quia non remittit nisi offensam propriam, B & in hoc etiam modus esse debet vt scilicet non sic passim remittat,vt ille cui remittit, efficiatur procacior, pronior, & facilior ad iterum offendendũ.Eccles.8. Etenim quia non profertur citò contrà malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.Deo autem nihil nocere potest, & ideò potest omnem offensam remittere.Iob.35.Si peccaueris,quid ei nocebis?& Si iuste egeris,quid donabis ei?Tertiò,homo miseretur pœnam remittendo, & in hoc etiam est modus seruandus; scilicet vt non facias contra legis superioris iustitiam: Deus autem pœnam C omnium remittere potest,cum non obstringatur aliquâ superioris lege. Iob.34. Quem constituit alium super terram, & quem posuit super orbem quem fabricatus est? Sic ergo misericordia Dei est infinita,quia non coarctatur angustiis diuitiarum,neque timore nocumenti restringitur,neque lege superioris. Equidem punit Deus, sed dum culpæ meritum reddit reo,nullum facit præiudicium thesauro misericordiæ, cum nihil omninò minuat, nihil detrahat. Nemo ergo Deum accuset crudelitatis, (verba sunt Chrysostomi (si eos qui lapsi sũt,expellit ex regno cælorũ. At est bonus,inquis. Quousq; hãc stultã dicimus orationẽ? Stultã autẽ dixi,non quòd nõ sit bonus,sed quòd existimamus eius bonitatẽ ad hæc nobis esse vti- D lem. Audi enim scripturam dicentem. Ne dixeris, Miseratio eius est multa,multitudini peccatorum meorum propitiabitur. Non prohibet nos dictos multam esse eius miserationem.Nam hoc suadet: sed & nos vult hoc assiduè dicere. Sed ne ideò admireris Dei benignitatem, vt pecces,& dicas, Multitudini peccatorum meorum propitiabitur. Ideò enim tam multa disserimus de bonitate, non vt ei confidentes agamus omnia,alioqui bonitas erit ad nostræ salutis exitium; sed ne desperemus in peccatis, verùm agamus pœnitentiam. Benignitas enim Dei te ducit ad pœnitentiam, non ad plura vitia. Deus est benignus, sed est E etiam iustus iudex.Condonat peccata, sed etiam reddit vnicuique secundùm opera sua. Nam si apud homines quispiam quidam fecerit iniquum & præter leges, amandatur à conspectu regis. Si hominum leges adeò exactè seruantur, multò magis leges Dei. Si quis adulterium commiserit, redditur indignus; & quamuis innumerabilia rectè gesserit, perit. Non enim iubet Deus vt vnum operemur, sed vt omnia. Quomodo enim nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet vtendum est, ita etiam omnibus virtutibus.Non enim sufficit vna virtus, vt cum fiduciâ sistamur ad tribunal Christi, sed multa, varia, & omnis generis. Opulenta quidem in bonis

Chrysost. orat. 4.

Aquin. lect. 2.

Chrysost. in Moral. orat. 4.

Vnicum vitium sufficit ad perdendum, non vna virtus ad saluandũ.

bonis magnifica Dei misericordia est, non tamen cœca: malis quidem indulget, non tamen & fauet. Hæ veræ, ait Ambros. diuitiæ sunt misericordiarum, vt non quærentibus vltrò misericordia præstaretur: hoc est enim abundare misericordiâ, vt & non postulantibus tribuatur. Præuenit impium, summissum recipit: sucurrit delinquenti, ignoscit pœnitenti.

Ambros. in Paulum.

Quoad secundum. Inde tanta charitas, quæ dicitur nimia, id est, magna & eximia liberalitas. Quia, vti obseruat Aquinas, cum amor hominis causetur ex bonitate eius qui diligitur, tunc homo ille qui diligit, diligit ex iustitiâ, inquantum iustum est quòd talem amet. Quando verò amor causat bonitatem in dilecto, tunc est amor procedens ex misericordiâ. Amor autem quo Deus amat nos, causat in nobis bonitatem: & ideò misericordia ponitur hic quasi radix amoris diuini. Dicit autem Paulus, propter nimiam charitatem, quia dilectionis diuinæ possumus considerare quadruplicem bonitatem & efficientiam. Primò, quia nos in esse produxit. Secundò, quia imaginem suam nos fecit. Tertiò, quia homines per peccatum corruptos reparauit. Quartò quia pro salute nostrâ filium proprium dedit. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Quasi non plus vltra progredi possit, vt latius largiusque diffundi. Equidem pro nimia, vt patet ex Græco idiomate & more Hebraico, legendum est, Multa. Sed & ex vtroque intelligendum est, maximã esse charitatem, eximiã, excellentẽ, & ex infinitã procedentẽ misericordiã. Vndenam nos dilexit? inquit Chrysost. Hęc enim non merentur dilectionem, sed iram & extremũ supliciũ. Et hoc ergo ex multâ misericordiâ. Optimè tamen dicitur nimia seu immẽsa, ob bonitatem indeficientem, & excedentem dignitatem. Expergiscere ô homo, (verba sunt Laurentij Iustiniani) & reuolue animo quanto vales prudentiùs quantoque particularius, quàm magna, quàm præclara, quàm proficua, quamue innumera dona tibi tuus contulit Dominus, tuusque quotidie non cessat exhibere Saluator. Quamuis enim delinquas grauiter, quanquam in multis offendas frequẽter, tametsi te voluntariè ab illo auertas: nunquam suarum stillicidia gratiarum prohibet, ne pluant super te? Tibi cuncta famulãtur elementa, illo ordinante atque dominante tibi seruiunt Angeli, ministrant Archangeli, vniuersæque cælorum obsequuntur virtutes, tuam quærentes salutem, tuam beatitudinem anhelantes. Quid plura? O quàm frequenter ad cordis pulsat ostium, vt in grediatur ad te, tecum maneat, in te conquiescat, suisque te participem faciat esse deliciis. Insequitur quippe te quasi tuo ipse Dominus indigeat famulatu, & tanquam sine te nequeat esse beatus: quum reuera tu absque ipso non dico non valeas esse beatus, sed neque esse quod es. Vidisti indeficientem bonitatem, vide dignitatem excedentem. Nos quidem Domine, ait Bernardus, te diligimus affectu amoris à te nobis indito: tu verò conditor omnium & affectuum bonorum, & animatum afficiendarum, nunquid accedenti vel incedenti amoris affectu amas quos amas: vel aliquo modo in aliquo afficeris, qui & omnes facis, & omnia. Absit. Absurdum est, procul à fide, alienum ab omnium creatore. Quomodo ergo nos amas, si nos amore non amas? Sed amor tuus bonitas tua est, ô summe bone & summum bonum, Spiritus sanctus procedens à patre & filio, qui ab initio creaturæ fertur super aquas, id est, super mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahens inspirando, aspirando, & noxia arcendo, prouidendo vtilia: Deum nobis & nos vniens Deo. Sic enim Spiritus sanctus tuus qui amor dicitur patris & filij, per gratiam suam in nobis inhabitans, & Dei in nobis charitatem commendans, & per ipsam ipsum nobis concilians: Deo nos vnit per inspiratam nobis voluntatem bonam, cuius bonæ voluntatis vehementia amor dicitur in nobis, quo amamus quod amare debemus.

Aquin. lect. 2.

Chrysost. orat. 4.

Laurent Iustin. lib. de obed. cap. 5.

In amore dei bonitas indeficiens, & excedens dignitas.

Bernard. lib. de amo. Dei cap. 7.

Quoad tertium, Quò tandem nos prouehit iste amor, quonam & ascendit? Vsque ad conspectum Dei, vsque ad consessum Christi. In resurrectione enim mortuorum iam non secundùm spem, (ita Augustinus) sed secundùm rem vetera transibunt; cum inimica nouissima destruetur mors, & fient omnia noua, omnis autem noua creatura, id est, populus innouatus per fidem, vt habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur, in Christo habet iam, quod in se sperat. Itaque nunc vetera transierunt Secundùm spem, quia modò iam non est tempus veteris testamenti, quo temporale atque carnale regnum expectetur à Deo: & facta sunt omnia noua secundùm eandem spem, vt regnum cælorum, vbi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus. Sic & ipse paulus ad Ephesios huic sententiæ attestatur: Deus autem, inquit, qui diues est in misericordiâ, propter multam discretionem quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Et quod dicit, Cuius gratiâ salui sumus facti: iam velut perfectum sit loquitur, quod in spe tenet. Ideoque & hic sequitur, & tanquam perfectum enumerat quod futurum est: Et simul inquit, excitauit, & simul sedere fecit in cælestibus in Christo Iesu. Certè enim in cælestibus Christus iam sedet, nondum autem nos: Sed quia spe certâ, quod futurum est, iam tenemus, simul sedere nos dixit in cælestibus, nondum in nobis, sed iam in illa. Si iam factum est in capite, quidni futurum est in corpore? Si enim primitiæ viuunt, ait Chrysostomus, & nos. Viuificauit illum, & nos. Vidisti exuperantem eius potentiæ magnitudinem in nos qui credimus? Mortuos, & iræ filios, eos viuificauit. Vidisti spem vocationis? Conresuscitauit & consedere fecit. Vidisti gloriam eius hæreditatis? Conresuscitauit quidem, est manifestum. Consedere autem nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu, quomodo stat? Vt illud, Conresuscitauit. Nullus enim adhuc est suscitatus, nisi quòd cum caput resurrexerit, nos quoque sumus suscitati. Sicut illic quoque cum Iacob adorasset, vxor quoque adorauit Ioseph. Sic ergo fecit quoque consedere. Sedente enim capite, Sedit quoque corpus. Propterea enim subiunxit, In Christo Iesu. Nam si sustinebimus, inquit, & conregnabimus. Si morimur, etiam simul viuemus. Spiritu reuera opus est, vt intelligamus horum mysteriorum profundum. Vnum nos voluit Deus esse cum Christo, vnà regnare, nos cum ipso extulit, vt eodem suggestu prouectos, & eodem spiritu prædictos, in ipso nos diligat, & ipsum in seipso, sicque summam omnium vnitatem, & vnam omnium

Augustin. lib. 11. cont. Faust. cap. vlt.

Chrysost. orat. 4.

Bernard. lib. de ama. Dei cap 7.

nium constituat voluntatem. Nihil enim aliud est amor; ait Bernardus, quàm vehemens & benè ordinata voluntas. Amas ergo te, ô amabilis Domine, in teipso, cum à patre & Filio procedit Spiritus sanctus, amor patris ad filium, & filij ad patrem, & tantus est amor, vt sit vnitas. Amas & teipsum in nobis, immittendo spiritum filij tui in corda nostra, à dulcedine amoris, & vehementiâ inspiratæ à te nobis bonæ voluntatis, Abba pater, sic nos efficiens tui amatores, imò sic teipsum in nobis amans. O Domine iam per inspiratam, nobis gratiam, per spiritum, adoptionis

Vnum nos Deus constituit in Christo, & vnà diligit.

A tuæ, omnia quæ patris sunt nostra esse confidentes, ipso te nomine inuocemus per adoptionis gratiam, quo filius tuus vnicus per naturam. Sed quia hoc abs te totum est, cuius amare hoc est benefacere: tu teipsum amas in nobis, & nos in te, cum te per te amamus; & in tantum tibi vnimur, in quantum te amare meremur: & participes efficimur orationis illius Christi filij tui, volo vt sicut ego & tu vnũ sumus Domine, ita & ipsi vnum in nobis sint tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, vt dicat, Sicut ego & tu vnum sumus. O gaudium, ô gloriam, ô diuitias, ô superbiam.

SECVNDA SECTIO.

De Gentilitate.

TEXTVS.

PROPTER quod memores estote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab eâ quæ dicitur circumcisio in carne, manufacta: quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorũ, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne suâ: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad patrem. Ergo iam non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum, & prophetarum, ipso summo augulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

EXEGESIS LITERALIS.

GENTES quæ prius à fide & spe exules, factæ sunt diuinarum consortes promissionum. Christus enim vtrumque populum collegit & adlegit.

Propter quod memores estote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini preputium, ab eâ quæ dicitur circumcisio in carne, manufacta &c. Quandoquidem adoptati estis, & ad tantam gratiam sine vllis meritis vocati, hoc animis infigite vestris, indefinentibúsque reuoluite cogitationibus; quòd vos qui secundùm carnalem generationem gentiles estis, & per contemptum, à Iudæis, carnaliter circumcisis, vocamini præputium: qui ex gentibus exorti estis, & à filiis Abrahæ cute tenus separamini. Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites te-

B stamentum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, &c. Mementote, inquam, ac recolite, quòd vos qui tales eratis, id est Gentiles, tunc etiam eratis sine Christo, prorsus à populi Israëlitici instituto alieni; à pactis conuentisque extranei, à regno promisso exclusi, sine vllâ Dei veri notitiâ. Cum Deum dixisset, hos saluos fecisse, cum mortui essent, nunc quidem dicturus est, quibus eosdem & pares fecisset & cohæredes, & quemadmodum Israëlitis æquauerit, quorum maxima

Comment. Athanas.

C esset dignitas: propter quod, inquit, memores estote. Ita Commentator Athanasij nomine editus. Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi, &c. Vos ergo qui remoti eratis à promissione ac salute, reducti estis per Christum Iesum, & per meritum eius in vnum cooptati populum. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ

Duo populi in vnam à Christo copacti.

ceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſuâ. Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, &c. Ipſe enim non ſolùm nos reconciliauit Deo, ſed & duos in vnum compegit populum. Ille eſt enim qui murum interpoſitum, mutuæ fomentum inimicitiæ, per crucem ac paſſionem diruit & euertit, dum onerantem tot mandatis legem, præceptis ſuis, ſeu inſtitutis aboleuit, vt duos in ſemetipſo colligat, & in vnum nouum erigat hominem, veteremque excludat. Faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo &c. Vt nimirum ſic pacem faceret, & ambos in vnum corpus adlectos, in diuinam reſtitueret amicitiam, extinctâ per crucem ac mortem ſuam inimicitiâ. Sublatâ inimicitiâ, ait Ambroſ. morte ſuâ Chriſtus priùs populos inter ſe reconciliauit, deinde Deo patri pacificos fecit, vt homines naturæ vnius, quia deuiati diuerſi facti fuerant per errorem, membra efficerentur vnius corporis noui, cuius caput Chriſtus eſt,

Ambroſ. in Paulum.

Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad patrem &c. Cum ergò veniſſet in mūdum, reconciliationem annuntiauit ac ſalutem gentilemque diſſitum ac propinquum Iudæum, tam inter ſe mutuo, quàm cùm Deo ſociauit: per ipſum namque, tanquam per pacificatorem ac mediatorem noſtrum, in vno Spiritu Sancto ad patrem introducti ſumus, & pacem aſſecuti. Acceſſum autem ait Chryſoſtomus, non dixit Græcè πάροδον, id eſt aditum, ſed προσαγωγὴν, hoc eſt adductionem. Non enim à nobis ipſis acceſſimus, ſed ab ipſo adducti ſumus. Nam, Nemo, inquit, venit ad patrem niſi per me. Reducendi eramus, introducendique. Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ. Sed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei &c. Iam ergo non eſtis amplius peregrini & extranei, ſed fidelium ſocij, promiſſionum conſortes, & ad eandem pertinentes Eccleſiam. Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu &c. Illa domus, illa ciuitas, ſuper Apoſtolos & prophetas fundata eſt, ſed per Chriſtum Dominum, vel per lapidem angularem, in ſummo poſitum faſtigio, firmata ſolidataque. In quo omnis ædificatio constructa creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. Super ipſum autem ſummum lapidem angularem, totum ædificium ſcitè & aptè compaginatum, aſſurgit in altum, fitque templum à Chriſto ſanctificatum & Deo dignum. Ideoque & vos, ô Epheſij, qui Gentiles eſtis, & olim à Deo & Chriſto alieni, promiſſionum, ac beneficiorum extorres, nunc per operationem ſpiritûs Sancti, ſimul cum ipſis Iudæis, illo lapide nitimini, & per ædificationem pietâtis Sanctitatiſque in templum æternum exſtruimini. Eſt namque Eccleſia, vti dixit Athanas. communis fidelium in vnum conuentio, Dei templum, quod profectò præfert præ ſe vel quiſque priuatim. oſtendit autem non aliter poſſe in templum nos Dei componi, niſi & vitam geramus, quæ lapidi ſit angulari accommoda. Sed cum ceteris, ait,

Chryſoſtom, orat. 6.

Vnum propheticæ, & Apoſtolicæ doctrinæ fundamentum.

Athanaſ. in Paulum.

A eſtis fidelibus & vos Epheſij hoc deſuper lapide conſtructi, & ita vt habitaculum ſitis in ſpiritu, id eſt, per Spiritûs cooperationem.



QVÆSTIONES intertextæ.



Ntertextas voco quæſtiones, non ſolùm quòd Gentiles Iudæis ipſis immixti ſint, & omnes in vnum iam populum coagmentati: Sed & quòd litteræ intelligentia tropologiæ etiam intertexta ſit, & anagogiæ. Sit ergo. B

QVÆSTIO I.

De Deo Gentium.

MIrum eſt, & quaſi paradoxum, Græcos Romanoſque tot deos coluiſſe, nullum tamen habuiſſe Deum: nec tam ſuperſtitioſos fuiſſe, quàm atheos: qui enim falſos habent, nullos habent. Ita Tertullianus de Varrone diuinarum C rerum non tam commentatore, quàm concinnatore: Hunc, inquit, ſi interrogem, Qui inſinuatores deorum? Aut philoſophos deſignat, aut populos, aut poëtas. Triplici enim genere deorum cenſum diſtinxit: vnum eſſe phyſicum, quod philoſophi retractant; aliud mythicum, quòd inter Poëtas voluterur; tertium gentile, quod populi ſibi quique adoptauerunt Igitur cum Philoſophi phyſicum coniecturis concinnarint, Poëtæ mythicum de fabulis traxerint, populi gentile vltrò præſumpſerint, vbinam veritas collocanda? In coniecturis, ſed incerta conceptio eſt. In fabulis, ſed fœda relatio eſt. In adoptationibus? ſed paſſiua & municipa- D lis adoptatio eſt. Denique apud Philoſophos incerta, quia varia; apud Poëtas omnia indigna, quia turpia; apud Philoſophos paſſiua omnia, quia voluntaria. Iam ergo Paulus: Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab eâ quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Exponit quid fuerint aliquando, & quid modò ſint, ſimulque verba nectit cohærentia. Propter quod. Quodnam? Quòd creati in operibus bonis. Memores eſtote. Sufficit illa E memoria, (agnoſce Chryſoſtomum) ad gratos & memores reddendos in benefactorem. Multa quippe oſtendunt Dei benignitatem & amorem in homines. Primum, quòd per ſe ſaluos fecerit, & per ſe tali modo. Secundò, quòd cum quales eramus, ſaluos fecerit. Tertiò, quòd nos deduxerit. Hæc enim omnia per ſe maximam habent indicationem eius benignitatis. Dixit, quòd cum eſſemus mortui delictis & filij iræ, nos ſaluos fecerit. Nunc dicit quibus non fecerit æquales. Et ideo dicit, Memores eſtote. Sufficit enim illa memoria, ad perſuadendam nobis, vt curam geramus virtutis. Mementote quales nunc ſitis, & quales olim fueritis. Eratis illo in tempore

Tertullian. lib. 1. ad Nat. cap. 1.

Triplex Deorum genus physicum, Poëticum, politicum.

Chryſoſt. orat. 5.

Aquin. lect. 4.

sine Christo: id est, vt sentit Aquinas, sine promissione Christi, quæ facta est Iudæis. Eratis, Alienati à conuersatione Israël. Non dixit, Separati, ait Chrysostomus, alienati. Non attendentes; sed neque participantes. Magna est verborum emphasis, magnam ostendens separationem.

Chrysost. orat 5.

Nec inficias ierint Gentes se aliquando fuisse sine Christo, cum nec si Christus esset audierint vnquam. Quomodo verò illi sine Deo, seu, vt est in Græco, Athei in mundo, cum non solùm species deorum introduxerint multiformes, sed & Ioues inuenerint innumerabiles? Ita apud Tertullianum: Romanus Cynicus. Varro trecentes Ioues, siue Iupiteres dicendum, sine capitibus introducit. Totque ipse diuinitates colligit quot vrbes, quot fôtes, quot flores Claudius Saturninus. Nã est illius de Coronis liber, & origines, & causas, & species, & solennitates earum ita edisserés, vt nullam gratiam floris, nullam lætitiã frondis, nullum cespitem, aut palmites, non alicui capiti inuenias consecratum. Certè Gentiles calumniam dicent, & regerent ad iniuriam. Probos enim ac religiosos vocant Atheos, similisque Christianos passim criminis insimulant. Illi ipsi dæmones, ait Iustinus martyr, per homines prauitate gaudentes, effecerunt, vt postquam Socrates ratione hæc per inquisitionem in apertum proferre annisus est, quasi atheus, id est, nullius diuinitatis & impius vir, noua inducens dæmonia, occideretur. Idipsum itidem de nobis faciunt. Nam & ἄθεοι, hoc est, nullorum deorum, cognominamur. Et de aliis. Quicunque, inquit, cum ratione ac verbo vixere, Christiani sunt, quamuis ἄθεοι & nullius numinis cultores habiti sint: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes: inter Barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Mizaël, Elias, & alij complures. Perinde atque ex veteribus, qui itidem tempore Christum præcessere, & absque ratione ac verbo ætatem exegére, ἄχρηστοι, hoc est incommodi, & inimici Christo fuerunt, eorumque qui secundùm rationem & verbum vixerunt percussores. At qui cum ratione & verbo vixerunt, atque etiã nunc viuunt, Christiani. Quid porrò quod & Paulus eiusdem criminis accusatus est, & illò eã causâ ductus, quo Socrates condemnatus est? Dicebant, Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: possumus scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur doctrina. Et de primis Christianis, passim in externis occurrit historiis, damnatum aliquem fuisse crimine ἀθεότητος, hoc est, eximie Christianum. Sic se res habebant, vt Christiani ethnicos dicerent Atheos, vt qui certam Dei verbi proiecissent notitiam: ethnici accusationem damnationemque in Christianos reiicerent, vt qui deos notos deseruissent patriosue.

Tertullian. cap. 14. Apolog.

Tertullian. lib. de coron. milit. c. 7.

Iustin. Apolog. 2. post init.

Iustin. vlt. med.

Iuxta rationem viuere est iuxta verbum viuere seu iuxta spiritum.

Actuum. cap. 17.

Lis ergo est de Deo vero aut falso, certo aut incerto. Et profitemur quidem, ait Iustinus, nos talium qui habentur deorum esse expertes, & atheos: sed non verissimi illius Dei, patris videlicet iustitiæ & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni, expertes. Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos, & aliorum obsequentium vitium exæquatorumque (ad voluntatem eius) bonorum

Iustin. Apol. 2.

A angelorum exercitum docuit: Filium, & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes. Sempiternam namque & puram vitam concupiscentes, ad consuetudinem cum Deo parente & opifice vniuersorum viuendi aspiramus, & ad confessionem Christianam, festinamus. Sed neque victimis multis & florum corronis colimus, quos homines effigiantes & in templis collocantes, deos cognominauerunt: quandoquidem hæc animâ carentia & mortua nouimus esse, & formam Dei non habentia. Græcè, κ θεοῦ μορφὴν μὴ

B ἔχοντα. Si enim animâ carent, sunt vtique mortua; Si formam seu naturam Dei veri non habent, idola sunt, & inania simulacra: ideoque deos illos non inficiari solùm, sed & detestari, tam gratus atheismus est, quàm purus putus Christianismus est. Illi autem verè athei, verè & impij, qui sine Deo vero, qui dum naturam scindunt diuinam, totam amittunt: sic enim Deus verus vnus est, vt si vnus non sit, omninò non sit. Quomodo sine Deo? Deos adorabant, ait Chrysostomus, sed non erant: idolum enim nihil est. Nec ipsi Gentium philosophi à crimine absoluendi sunt, aut à suspicione liberandi; vt

C qui colant populares deos, & si qui respuant, aut nullos prorsus habeant, aut ad imaginabiles, non autem ad verum ac certum transeant. Porrò, ait Tertullianus, diuinitas, si veram tractes, eã definitione est, vt istud neque argumẽtationibus incertis colligatur, neque fabulis indignis contaminetur, neq; adoptionibus passiuis iudicetur: haberi enim debet, sicut est, certa, integra, communis, quia scilicet omnium. Ceterùm, quem deum credam, quem suspicio æstimauit, quem historia iactauit, quem ciuitas voluit? Dignius multò neminem credam, quàm dubitandum, aut pudendum, aut adoptiuum.

Athei dicti ab ethnicis Christiani, ethnici à Christianis conuicti.

Chrysostom. orat. 5.

Tertullian. lib. 1. ad Nat. cap 1.

Iã verò idẽ prope est, esse sine Deo, & esse sine Christo, vt exertè athei sint, qui verè nõ sũt Chri-

D stiani. Deum, ait ille, colimus per Christũ. Nemo enim Deum patrem verè cognoscit, nemo ritè nisi per Christum colit. Nemo, inquit, venit ad patrem, nisi per me. Ibat ille ad seipsum, per seipsum. (ita Augustinus) Et nos quò imus, nisi ad ipsum? Et quà imus, nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum, per se ipsum, nos ad ipsum per ipsũ, imò verò & ad patrem & ipse & nos: nam & de seipso alibi dicit, Ad patrem vado. Et hoc loco propter nos: Nemo, inquit, venit ad patrem, nisi per me. Ac per hoc & ipse per seipsum, & ad ipsum & ad patrem & nos per ipsum & ad ipsum & ad patrem. Quis hæc capit, nisi qui spiritualiter sapit? Et quantum est quod hîc ca-

E pit, etiam qui spiritualiter sapit? Capit Paulus, ideoque Christum à Deo, aut à Christo Deum diuidit. Ipsius, inquit, (apud Tertullianum) sumus factura, conditi in Christo. Aliud est enim facere, aliud condere. Sed vtrumque vni dedit. Homo autem factura Creatoris est. Idem ergo condidit in Christo, qui & fecit. Quantum enim ad substantiam, fecit, quantum ad gratiam, condidit. Inspice & cohærentia: Memores vos aliquando Nationes in carne fuisse, appellabamini præputium ab eã, quæ dicitur circumsio in carne manufacta, quod essetis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israëlis, & peregrini testamentorum & promissionis eorum, spem non habentes, & sine Deo in mundo. Sine quo autem

Tertulian. cap. 21. Apol.

Augustin. Tract. 69. in Ioan. in med.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17.

Qui sine Christo est, est etiam sine Deo.

Deo

A Deo fuerunt Nationes,& fine quo Christo. Vtique eo, cuius erat conuersatio Israëlis, & testamenta,& promissio. At nunc,inquit, in Christo, vos, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine eius. A quibus erant retrò longè? A quibus supra dixit: A Christo Creatoris, à conuersatione Israëlis, à testamentis, à spe promissionis, à Deo ipso. Si hæc ita sunt, ergo his propè fiunt nunc Nationes in Christo,à quibus tunc longè fuerãt. Si autem conuersationi Israëlis, quæ est in religione Dei Creatoris, & testamentis, & promissioni,& ipsi Deo eorum, proximi sumus facti in Christo,ridiculum satis,si nos alterius Dei Christus de longinquo admouit Creatori. Meminerat Apostolus ita prædicatum de Nationum vocatione ex longinquo vocandarum. Qui longè erant à me, appropinquauerunt iustitiæ meæ. Tam enim iustitia, quàm & pax Creatoris in Christo annuntiabatur. Nullus alius Christus quàm Creatoris,nullus alius Deus quàm creator; nullus ergo Christus nisi Dei, imò & ipse Deus & creator vt filius Patris.

QVÆSTIO SECVNDA.

De euacuatione mandatorum.

C Rationem reddit Apostolus, quã illi qui aliquando erant longè facti sint propè. Ipse enim,ait,est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias, in carne suâ; legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem. Duplicem distinguit pacem: vnam, quæ cum Deo,aliam,quæ cum Iudæo:sed inter vtramque ea differentia est, quod prima toto excluderetur cœlo;secunda verò,solâ præpediretur materiâ. In primâ, homo peregre profectus est in regionem longinquam. Etenim,vt dixit Ambrosius, qui se à Christo separat, exul est patriæ,quis est mundi. Sed nos non sumus aduenæ atque peregrini,sed ciues sumus sanctorum,& domestici Dei. Qui enim eramus longè,facti sumus propè in sanguine Christi. Non inuideamus de longinquâ regione remeantibus: quia & nos fuimus in regione longinquâ.Regio enim longinqua, vmbra est mortis. Licet autem Christiani possint à Deo discedere, & abire in regionem longinquam: licet possint Iudæi ab instituto recedere, diuersa morum studia, & ob profanam conuersationem, sanctorum habere diuortia: illa prodigi filij parabola, tam ethnico congruit, quàm Deo,à quo longè erat in interitum, imò in totum exulauerat, restituit. Nam, inquit Tertullianus,si Christianus est, qui acceptam à Deo patre substantiam, longè euagatus à patre, prodigit ethnicè viuens: elisa est verissimè hoc magis modo tota substantia sacramenti.Quis enim timebit prodigere,quod habebit postea recuperare? At de filio prodigo id prius considerandum est, quod vtilius. Non enim admittetur exemplorum adæquatio, licet imagini congruentissima, si fuerit saluti nocentissima. Plus est igitur, si nec expedit in Christianum conuenire ordinem filij prodigi. Quod si nec in Iudæum integre filij imago concurrit,ad propositum Domini simpliciter interpretatio gubernabitur.Venerat Dominus vtique,vt quod perierat, saluum faceret;medicus languentibus magis quàm sanis necessarius. Hoc & in parabolis figurabat,& in sententiis prædicabat. Quis perit hominum? quis labat de valetudine,nisi qui Deum nescit? Quis saluus ac sanus, nisi qui Deum nouit. Has duas species de genere fraternas hæc quoque signabat parabola. Vide an habeat ethnicus substantiam in Deo patre census & sapientiæ & naturalis agnitionis in Deum; per quam & Apostolus notat in sapientiâ Dei non cognouisse mundum per sapientiam Deum, quam vtique à Deo acceperat.Hanc itaque prodegit longè à Domino moribus factus inter errores & illecebras & libidines seculi, vbi fame veritatis compulsus, tradidit se principi huius æui. Hic erit prodigus filius,qui nunquam retrò frugi;qui statim prodigus,quod non statim Christianus.

ambros. lib. de pudicit. cap. 9.

Tertull. lib. de pudicit. cap. 9.

Ethnicus per filium prodigum intelligendus.

Verùm, non soli ethnici, sed & alij, pacem per Christum Dominum ac reconciliationem consecuti. Et reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem. Pacem assecuti sumus, sed apud Patrem. Faciens pacem: magis autem cum Deo, (ista Chrysostomus.) Quod enim sequitur, hoc ostendit. Quid enim dicit? Vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem. Quomodo fit hoc? Vt qui pœnam, inquit, quæ debebatur, ipse subierit per crucem. Interficiens inimicitias in seipso. Nihil est his verbis magis proprium, nihil quod maiorem habeat emphasim. Mors eius interfecit inimicitias, sauciauit & perdidit. Non dixit, soluens: non dixit, tollens, sed quod est omnium vehementissimum, Interficiens,adeò, vt ipsæ non amplius resurgant. Quamdiu enim manserimus in corpore Christi, quamdiu fuerimus vniti, non resurgunt, sed iacent mortuæ. Imò verò illæ nunquam resurgunt: sed si alias pepererimus, non eæ sunt amplius ex eo qui priores sustulit & perdidit, sed tu eas parturis. Inimicitiæ, nostra sunt peccata, quæ inimicitiarum sunt ac dissensionum causæ. Vos,inquam, (apud Aquinatem) qui aliquando eratis longè; id est, elongati à Deo, non loco,sed merito: Iam facti estis propè, Deo scilicet; in sanguine Christi, id est, per sanguinem eius. Consequenter ergo cum dicit Paulus, vt reconciliet ambos,ostendit qualiter Deo appropinquauerunt Reconciliet; inquam, ambos iam vnitos in vno corpore Ecclesiæ: sed Deo, per fidem & charitatem. Ad hoc ipse venit, vt nos Deo reconciliaret, vt nos absolueret à peccato, ad hoc carnem sumpsit, & crucem subiit. Non per alium, ait Chrysostomus, misit, neque per aliquem alium hæc significauit, sed ipse per se. Non misit Angelum, non Archangelum, quandoquidem tam multa mala corrigere nullius erat alterius, sed eius præsentiæ, & annuntiare quæ facta sunt. Ministri ac propemodum famuli locum suscepit Dominus,& venit,& pacem euangelizauit; id est, pacis bonum & faustum nuntium annuntiauit. Vobis, inquit,qui longè fuistis, & iis qui propè Iudæis scilicet, qui erant propè, si cum vobis conferantur. Quòd per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu

Chrysost. orat. 5.

Aquin. lect. 4. & 5.

Chrysost. orat. 6.

Per Spiritum deducimur ad Deum, & in regnum restituimur.

ritu ad Patrem. Pace nimirum Deo nos reconciliauit: nec vobis minus, illis autem amplius, sed vna gratia. Nam iram quidem soluit morte, patri autem nos fecit amabiles per Spiritum: hoc est, per se & spiritum adduxit nos ad ipsum. Ipse enim Spiritus est, quo adoptamur, quo regeneramur, quo deducimur ad Deum, quo in regnum restituimur.

In alterâ verò seu secundâ pace, quæ cum Iudæo, non tam longo itinere distracta est, sed solo obstructa pariete. Sed in isto, tria aduertenda sunt. Primum, locum ab hæreticis, maximè à Marcionitis sollicitatum. Soluto medio pariete inimicitiæ in carne suâ. Sed Marcion, ait Tertullianus, abstulit, suâ; vt inimicitiæ daret carnem, quasi carnali vitio, non Christo æmulæ. Verùm, vt & ille exprobrat: insubidè Marcion carnem negat, si probat sanguinem. Alterum, quòd licet pax quam ad Deum habemus, sit principalior, prior tamen illa est quam habemus ad proximum. Dilectio enim proximi, vt Aquinas docet, est via ad pacem Dei, quia vt dicitur. Ioan. 4. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & Augustinus dicit, quòd nullus putet habere pacem cum Christo, si discors fuerit cum Christiano. Primò ergo ponit Apostolus pacem hominum inuicem factam per Christum, & exinde pacem hominum ad Deum. Tertium denique, vtramque pacem cruce Saluatoris firmatam, sanguine mediatoris obsignatam. Pacem enim fecit inter circumcisionem & præputium passio Saluatoris. Ita dixit, & verum dixit Ambrosius. Sic ergo nos sociauit ambos, nos coæquauit; non tam vt alter alteri cohæreret, quàm vt alter alteri viam sterneret ad gratiam. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Quid hoc est, vtraque vnum. Non hoc dicit, (verba sunt Chrysostomi) quod nos euexerit ad illam generis nobilitatem: sed & quòd nos & illos ad maiorem. Sed maius est beneficium quo nos affecti sumus. Nam illis quidem & promiserat, & erant propinquiores. Nobis autem nec promiserat, & eramus longiùs. Quamobrem dicit, gentes autem pro misericordiâ glorificare Deum. Promiserat quidem Israëlitis, sed erant indigni. His autem ne promiserat quidem: sed hospites eramus. Nihil erat nobis cum ipsis commune, & nos fecit vnum, non vt qui nos illis coniunxerit, sed & nos & illos coniunxerit in vnum. Sit vnus quidem seruus, alius verò in filium adoptatus. Ambo autem eundem adorent; hic quidem abdicatus cum sit filius, ille verò fugitiuus, & qui ne patrem quidem nouit. Deinde fiant ambo hæredes, & germani filij. Ecce ad vnum honorem sunt perducti. Duo facti sunt vnum, ille quidem cum venisset è longinquo, hic verò cum è propinquo. Sic ergo nos vnum fecit.

Quomodo si ponamus esse duas statuas: vnam quidem ex argento, alteram verò ex plumbo. Deinde ambas fusas, & conflatas prodiisse aureas. Id est, non solùm vertisse sortem, sed & in præstantiorem ambas conditionem transiisse. Sic ergo Christus vtriusque pacis auctor, cum appropinquationis mediator & reconciliationis. Ipse enim est pax nostra. Emphatica locutio, ait Aquinas, ad maiorem rei expressionem. Pax nostra, id est, causa pacis nostræ. Hic enim modus loquendi fieri consueuit, quando totum quod

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 17.

Aquin. lect. 5.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. orat. 5.

Quomodo Iudæi & Græci in vnum à Christo coniuncti.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. Lect. 5.

A est in effectu, dependet ex causâ: sicut cum dicimus de Deo, quòd ipse est salus nostra: quia quicquid salutis est in nobis, causatur à Deo.

Quis porrò sit ille paries qui à Christo dirutus est ad fœderandam pacem, & reconciliationem maturandam; si de diuinâ pace quæreretur, facilè solueretur. Solum enim peccatum inter Deum & nos diuidit, gratiam abigit, inducit inimicitiam. Vnde Chrysostomus: mihi videtur, inquit, quòd hic medius paries sit communis: sicut dicit Propheta: An non peccata vestra separant inter me & vos? Sed de pace humanâ agitur, inter Iudæos nimirum & Græcos contrahendâ. Medius ergo paries, lex mandatorum est, lex Iudaicarum obseruationum. Parietem ergo, ait Ambros. qui medius erat, diuidens inter legem factorum & gentilitatem, maceriam siue sepem significauit; id est, non parietem stabilem neque robustum, quia neque gentilitas firma erat, quasi ab homine inuenta; neque circumcisio & neomeniæ, escarum & Sacrificiorum vel Sabbatorum stabilis & fixa obseruatio. Sic enim data sunt, vt cessarent adueniente Christo. Quamuis enim Deus hæc dederit, sed ad tempus: fides autem firma & sine successore est prædicatio. Non accedebant gentiles ad Iudæos; imò verò & ipsos despiciebant, non solùm tanquam scrupulosos, sed & tanquam abominabiles; sicque non tantùm dirimebantur sed & diuidebantur interpositis obseruationibus admodum imparibus, interiectis limitibus in totum inaccessibilibus. Debemus ergo ad intellectum litteræ, (ita ex Aquinate) imaginari vnum magnum campum, & multos homines ibi congregatos, in quo quidem per medium protendatur & eleuetur vnus paries diuidens eos, ita quòd non videatur populus vnus, sed duo. Quicumque ergo remoueret parietem, coniungeret illorum hominum congregationem in turbam vnam, & efficeretur populus vnus. Sic intelligendum, est quod hîc dicitur. Mundus enim iste est sicut ager. Matth. 13. Ager est mundus. Hic autem ager, scilicet mundus plenus est hominibus. In isto autem agro est paries, quia quidam sunt ex vnâ parte, quidam ex aliâ. Et hic paries potest dici lex vetus, secundùm carnales obseruantias, in quâ Iudæi conclusi custodiebantur. Cant. 2. Ipse stat post parietem nostrum, quia videlicet Christus per legem veterem figurabatur. Christus autem hunc parietem remouit, & ita cum nullum remaneret interstitium, factus est populus vnus Iudæorum & Gentium. Quæ autem vniuntur, oportet vniri in aliquo vno, & quia lex diuidebat, non poterant in lege vniri: Christus autem in lege succedens & fides eius, sicut veritas figuræ, eos in semetipso condidit. In vno nouo homine faciens pacem, id est in semetipso Christo. Condidit enim, dum nouam creaturam fecit per gratiam. Rectè enim vt adnotauit Chrysostomus, vbique vsus est nomine Condat. Nec dixit, mutet: vt ostenderet efficaciam eius quod factum est.

Euacuat igitur legem mandatorum, cum medium parietem, legem scilicet obseruationum carnalium diuidentem dissipat odij ac dissidij fomitem. Euacuat, dico (ita Aquinas) sicut imperfectum euacuatur per perfectum, & vmbra per veritatem, 1. Corinth. 13. Cum autem venerit

Chrysost. orat. 5.

Ambros. in Paulum.

Aquin. lect. 5

Carnales obseruationes odij & dissidij fomites.

Chrysost. orat. 5.

Aquin. lect. 5.

venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: scilicet imperfectio & vmbra veteris legis, de quâ Heb. 10. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Et hoc decretis, id est, præceptis noui testamenti, per quæ lex excluditur, præceptis eius susceptis. Dicendum ergo, quod in veteri lege erant præcepta moralia, & ceremonialia. Moralia quidem præcepta Christus non soluit, sed adimpleuit, superaddendo consilia, & exponendo ea quæ Scribæ & Pharisæi male intelligebant. Ceremonialia verò præcepta soluit quidem quantum ad eorum substantiam, sed adimpleuit quantum ad id quod figurabant, adhibens figuratum figuræ. Soluit ergo medium parietem, hoc est legem mandatorum, propter magnum numerum mandatorum legalium importabilem. Ideo dixit Paulus, parietem maceriæ, non muri. Tunc enim est paries maceriæ quando lapides in eo non conglutinantur cemento. Vetus autem lex non conglutinabatur charitate, quæ est quasi cementum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo. Vetus enim lex, est lex timoris, inducens homines per pœnas & comminationes ad obseruantias mandatorum. Euacuata sunt igitur mandata ista carnalia, timore non amore calligata, decretisque reparata Euangelicis, non solùm pacem fœderantibus, sed & fidem inspirantibus dilectionemque. Legem quippe dicit paulus, (apud Athanas.) quæ dat viuendi præcepta. Decreta verò, quæ ad fidem instituunt, quæ decretis & dogmatibus constat. perinde acsi dicat pro vitæ institutione fidem induxit. Non enim ex præceptis sumus & institutis iustificati, hoc illud-ve fieri præfinientibus, sed illud vnum si corde credideris, saluus eris. Legem ergo ceremonialem diruit in totum, moralem ad perfectum adduxit, & ita vacuam fecit vtramque, dum illam dissipauit omninò, istam cumulo consummauit. Sic enim legem præceptorum, ait Tertullianus, sententiis vacuam fecit; adimplendo certè legem: vacat enim iam, Non adulterabis, quum dicitur, Nec videbis ad concupiscendum. vacat, Non occides, quum dicitur, Nec maledices. In vnum nouum hominem faciens pacem: nouum autem, & nouè natum ex Virgine.

Maceria legis, nec cementata, nec durabilis.

Athanas. in Paulum.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 17.

QVÆSTIO III.

De superædificatione sanctorum.

MOnuit à principio Aquinas, Ephesios non reprehensione, sed consolatione dignissimos. Ideò, inquit, paulus eis non increpatoriam, sed consolatoriam scribit Epistolam. Quæ autem maior consolatio, quàm illatio adducta, & extrema conclusio? Ergo iàm non estis hospites & aduenæ, Sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. Ipsos nimirum Ephesios, non solum Iudæis inseruit, sed & sanctis permiscuit. Vides, ait Chrysostomus, quòd nõ absolutè,

Aquin. lect. 1. in cap. 1

Epistola non increpatoria, sed consolatoria.

Chrysost. orat. 6.

A sed in sanctorum & magnorum virorum, nempè Abrahæ & moysis & Eliæ eandem adscripti sumus ciuitatem, & in illam esse relati & in situati euidenter indicamur. Non amplius hospites sanctorum, nec inquilini. Nam qui cælestia non sunt assecuturi, sunt inquilini. Et domestici, inquit, Dei. Quod illi, inquit, habebant ab initio per tam multos labores, hoc vobis rectè successit, per Dei gratiã. Superædificati supra fundamẽtum Apostolorũ & prophetarũ. Vide quemadmodũ omnia permiscet, Græcos, Prophetas, [Christũ] Ipse quippe omnes compegit, & omnes in vnum redegit ædificium. Hoc enim, ait Tertullianus, annuntiante pacem iis qui propè, & iis qui
B longè, accessum consecuti simul ad patrem; iam non sumus peregrini, nec aduenæ; sed conciues sanctorum, sed domestici Dei; vtique eius, à quo suprà ostendit alienos fuisse nos, & longè constitutos. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Itaque, vt docet Ambrosius. Admonet illos vt memores sint beneficiorum Dei, quia cum longè essent à cognitione & timore Dei, misericordiã eius adiuncti sunt vt fierent participes eorum qui prope Deum erant conciues facti filiorum Dei. Sicut enim quæcumque gens Romanorum pacem sequi desiderauit, oblatis donis suscepta est vt essent ciues Romani, quemadmodum & Tarsenses Ciliciæ,
C vnde Apostolus ciuem Romanum se dicit: ita & quicumque fidei se Christianæ sociauerit, fit ciuis Sanctorum, & domesticus Dei.

Iam verò tria monenda sunt: quorum primum est, quod sicut gratia illa bonos obstrinxit, sic & malos offendit: inde enim litura à Marcione subinducta. Abstulit hæreticus, Et Prophetarum, ait Tertullianus, oblitus Dominum posuisse in Ecclesiã sicut Apostolos, ita & Prophetas. Timuit scilicet ne & super veterum Prophetarum fundamenta, ædificatio nostra constaret in Christo; cum ipse Apostolus vbique nos de Prophetis extruere non cesset. Vnde enim accepit summum lapidem angularem dicere Christum, nisi
D de Psalmi significatione? Sed de manibus hæretici præcidentis non miror, si syllabas subtrahit, quum paginas totas plerumque subducat. Alterum est, Paulum nunc Prophetas Apostolis ipsis præponere, nunc postponere: nunc enim ordo seruatur temporis, nunc ratio spectatur dignitatis, licet vna tam successu temporis, quàm gradu dignitatis construatur Ecclesia. Quid ergo, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum? Hoc est, vt exponit Ambros. supra nouum & vetus testamentum. Quod enim Apostoli prædicauerunt, Prophetæ futurum dixerunt; quamuis dicat ad Corinthios: Deus, inquit,
E primũ posuit in Ecclesiã Apostolos, secũdò Prophetas: sed hi alij Prophetæ sunt. Illo enim loco de ordinatione Ecclesiæ disputat, hic verò de fũdamẽto Ecclesiæ. Prophetæ enim disposuerunt, nam Apostoli fundamenta iecerunt. Vnde dicit Dominus ad Petrum, super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac Catholicæ fidei confessione, statuam fideles ad vitam. Nam & Dauid disposuit domum Dei, & signauit locum vbi fieret, Salomon verò fundauit eam. Tertium, plura quidem esse fundamenta, sed ad vnum referenda, ideoque propriè vnicum esse fundamentum, quo & ipsi Apostoli subnixi sunt, sine quo nec firmati, nec solidati:

Tertullian. lib. 5. aduers. mar. cap. 17.

Ambros. in Paulum.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mart. cap. 17.

Ambros. in paulum.

Vna est Prophetarum & Apostolorũ doctrina.

funda-

fundamētū enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Fundamenta quidē prophetæ & Apoſtoli quoad doctrinā, & vnum nihilominus fundamentū fundamento vnico quoad gratiam fundatum: eundē enim Chriſtum annuntiant omnes, omnes eundem prædicant: & quod priores promittunt præfando, poſteriores reddunt plantando rigandoque. Secundarium ergo fundamentum, Aquinas, ſunt Apoſtoli & Prophetæ. Et quantum ad hoc dicit, Superædificati ſuprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, id eſt, eorum qui ſunt Apoſtoli & Prophetæ & Superædificati ſuprà fundamentum: id eſt, ſuper doctrinam eorum. Quod enim alij obſcuriùs, alij clariùs.

Aquin. lect. 9.

Sed & tria rurſus ſunt addenda. Primum, Eccleſiam, nunc domum dici, nunc corpus, ſed vnum per multa ac diuerſa proponi. Aliquando quidem ex corpore, ait Chryſoſtomus, aliquando autem ex ædificio coniunctionem oſtendit Apoſtolus. Superædificati inquit, ſuper fundamentum Apoſtolorum. Hoc eſt, fundamentum ſunt Apoſtoli & Prophetæ: vniuerſum autem vnum eſt ædificium vbique enim multi in vnum collecti multi & ad vnum intenti. Idcircò, vt obſeruat Aquinas: Collegium fidelium, quandoque in ſcripturis vocatur domus, ſecundùm illud 1. Timoth. 3. Vt ſcias quomodo in domo Dei oporteat te conuerſari, quæ eſt Dei Eccleſia. Quandoque autem vocatur ciuitas, ſecundùm illud Pſalm. 121. Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas. Ciuitas enim habet collegium politiam, domus autem œconomiam, inter quæ quidem duplex differentia inuenitur. Nam qui ſunt de collegio domûs, communicant ſibi in actibus priuatis: qui verò ſunt de collegio ciuitatis, communicant ſibi in actibus publicis. Sic igitur collegium fidelium, aliquid habet de ciuitate, & aliquid de domo. Et ideò Apoſtolus duo verba ponit hic, ſcilicet hoſpites & aduenæ. Hæc enim ſunt hoſpites ad domum, quod aduenæ ad ciuitatem. Hoſpes enim dicitur, quaſi extraneus à domo: aduena verò eſt, qui extraneus venit ad ciuitatem. Ac ſi dicat Apoſtolus: olim eratis extranei à collegio fidelium, ſicut hoſpites à domo & aduenæ ad ciuitatem: ſed nunc eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Collegium enim ad quod vocati eſtis, eſt ciuitas Sanctorum & domus Dei ſtatim figurâ, quæ metonimia dicitur. loquitur Apoſtolus de his qui ſunt in domo Dei, ſcilicet de fidelibus, & comparat eos ædificio. Tertium, quicquid dicatur Eccleſia ſeu corpus, ſeu domus, ſeu ciuitas, ſeu ædificium, indigere ſemper aliquo quo innitatur aut regatur: nam corpus à capite, domus à rectore, ciuitas à principe: ſed ædificium ipſum, fundamento & angulari lapide. Dictum de fundamentis ſecundariis, tam Chriſto propinquis, quàm ipſo vt primario ſubnixis fundamento. Iam verò de angulari lapide. Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Lapis enim angularis, vti dixit Chryſoſtomus, & parietes continet & fundamentum, in quo eſt vniuerſum ædificum. Vide ergo quomodo ipſum coniunxerit, vt qui aliquando quidem, totum corpus ſupernè contineat ac comprehendat, aliquando autem infernè portet ædificium. Ipſe enim portat o[illegible], in quo totum ædificium eſt conſtructum.

Chryſoſt. orat. 6.

Aquin. lect. 6.

Eccleſia cur pluribus donata nominibus.

Chryſoſt. orat. 6.

Nec indiges obſeruatore, vt ſcias locum ex Pſalmographo deſumptum. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Sed indiges monitore, vt deprehendas tria ſimul dici, quòd ſit lapis, quòd angularis, & quòd ſummus. Lapis quidē eſt, ait Aquinas, propter fundamenti firmitatem: angularis autē, propter vtriuſque parietis coniunctionem: ſummus autem, propter dignitatis celſitudinem. Non ſolùm lapis angularis, Chriſtus vt duos in ſeſe colligeret populos diſſimiles, nec ex diuerſo tantùm, ſed & ex aduerſo venientes; ſed & factus in caput anguli, vt ſedem obtineret principalem. A Domino factum eſt iſtud. Seu, vt legit Auguſtinus. A Domino factus eſt [illegible]s. Id eſt, caput anguli à Domino factus eſt. Quamuis enim hoc non eſſet factus, niſi paſſus eſſet: non tamen hoc ab eis à quibus paſſus eſt, factus eſt. Nam illi qui ædificabant, reprobauerunt: ſed in eo quod Dominus occultè ædificabat, fecit in caput anguli quod illi reprobauerunt. Lapis ille non ſolùm fundamentalis, ſed & angularis eſt; nec ſolùm in fundamentum propoſitus ædificij, ſed & in caput erectus anguli: non enim manibus humanis abſciſſus eſt, ſed viribus diuinis & poſitus & erectus; idcircò non ſenſu carnis reſpiciendus eſt, ſed ſpiritu ſuſpiciendus eſt mentis. Non enim idem eſt de fundamento in ædificio ſpirituali, vt aduertit Aquinas, & in ædificio materiali. Materiale namque ædificium fundamentum habet in terrâ, & ideò oportet vt principalius fundamentum ſit magis infimum. Spirituale verò ædificium fundamentum habet in cœlo, & ideò oportet quòd fundamentum quanto eſt principalius, tanto ſit ſublimius: vt ſi cogitemus ciuitatem quandam deſcendentem de cœlo cuius fundamentum in cœlo exiſtens, & ædificium demiſſum ad nos, videatur inferius: ſecundùm illud Apoc. 21. Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalē deſcendentem de cœlo. Quid ergo reſtat, niſi vt poſito iam fundamento, ædificium ipſum conſtruatur, augeatur, conſummetur? Quæ quidem tria tribus verbis expedita ſunt primum, In quo omnis ædificatio conſtructa. Alterum, Creſcit in templum. Tertium, In Domino. Sed proindè additum eſt: In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto. Multi enim ſuperædificantur, qui tamen non conſummantur. Ventum eſt ad Dominum Ieſum Chriſtum, ait Auguſtinus, prædicatum eſt Euangelium, dixit in Pſalmis: Annuntiaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Quid eſt, ſuper numerum? Non ſolùm illi qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum ſanctorum: ſed & ſuper numerum intrarunt multi iuſti, ſed plures iniqui. Credunt nonnulli, ſed non proficiunt, proficiunt alij, ſed non perficiunt. Idcirco, vt obſeruat Chryſoſtomus, Coniunctè & cohærenter hæc dicit Apoſtolus, In templum, in habitaculum, in ſpiritu: vt Deus in hoc templo habitet, & tanquam in templo ſpirituali habitet. Quo enim maior ſanctificatio eſt, eo certior ac tutior habitatio.

Pſal. 117.

Aquin. lect. 6.

Auguſtin. in expoſit. Pſal. 117. verſ. finem.

Aquin. lect. 6.

Templum extruendum, augendum, perficiendum.

Auguſtin. Enarrat. in Pſal. 118. poſt init.

Chryſoſt. orat. 6.

ETHICON.

TRes porrò virtutes templo ſeu habitaculo complendo non ſolùm opprimè vtiles ſunt, ſed & planè neceſſariæ. Humilitas, puritas charitas: quarum prima ſeruat, emundat altera, tertia exornat. De primâ: Cernis-ne, ait Laurentius

rentius Iustinianus, quàm sublimis, quàm præcelsa quàm commendabilis, & quàm diligenda sit humilitatis virtus; quæ possessorem suum efficit templum Dei & sanctitatis habitaculum, in quo tanquam in loco sibi placito vniuersorum Dominus delectabiliter requiescit, & ad quem iucundè se humiliando declinat. Sanè cum vnigenitus Dei patris filius, verbum quod erat in principio apud Deum, in beatissimâ diuinitatis suæ sede cum patre, & in patre requiescèret, velletque à patre missus, & ab eo nunquam discedens in temporis plenitudine pro salute hominum naturam nostræ mortalitatis assumere, præcipuè virtutem humilitatis adamauit in Virgine. Erant tunc mulieres multæ innuptæ, decoratæ moribus, præclaræ sanctitate; orationi assiduè incumbentes, Deo placentes, die noctuque altissimo famulantes, sed humillima eligitur, in cuius vtero per operationem Spiritûs sancti sacratissima diuinæ humanæque sunt celebrata mysteria, prophetarum completa oracula, consummatæ figuræ, & euacuata ænigmata. Denique dum esset rex (sicut legitur) in accubitu suo, paternæ videlicet gloriæ gremio, nardus semper virens, semper florens, suauissimum sanctæ humilitatis emisit odorem, & ad se attraxit principem maiestatis regiæ, vt non ad tempus, sed perpetuam secum faceret mansionem. O mira dignatio conditoris, qui quum esset omnipotens, beatus de se & in se, matrem tamen elegit humilem; quatenus in illâ omnes instrueret, quantùm illi esset accepta humilitas. Mira quidem dignatio est, sed & iusta dispositio, vt qui se humiliat exaltetur, qui se condemnat iustificetur; qui se negligit, seruetur, qui se abiicit, releuetur. Sedebat Maria, ait Augustinus, ad pedes capitis nostri. Quanto humiliùs sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatē conuallis, denatat de tumoribus collis. Illa est quæ habitaculum seu templum apparat, illa quæ seruat. Illa est quæ habitantem allicit, illa quæ perstantem asserit. Sicut enim digna meritorum operaria est, sic & securā virtutum tutela, ideoque æditua sacrarij diuini acceptissima.

Laurent. Iustin. lib. de humilit. c. 8.

Humillima Deo electa est incarnando.

Augustin. ser. 27. de verb. Dom. sp. 2.

De secundâ. Sicut humilitas puritatem allicit, sic & puritas humilitatem perficit: sociæ sunt ac comites ambæ illæ virtutes; nam sicut eandem spirant gratiam, sic & eandem vitam integrant. Denique sicut vera non est humilitas, si non ex corde procedit; ita nec certa puritas, si non in corde subsistit. Sicut enim, vt dixit Bernardus, corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: & cor humanū ad hoc factum est, vt suum videat creatorem. Si verò sanitati corporis sollicita est prouidenda custodia, puritati cordis tanto sollicitior est impendenda, quāto pars ita dignior illâ esse cōuincitur. Hic tamen simpliciter accipimus puritatem, vt videlicet omnia quæ agimus, purè & humiliter confiteamur Domino in oratione, homini in confessione. Puritatis namque sicut & humilitatis est, non placere solùm, sed & placare: dum vna peccatum aperit, abstergit altera, animumque eluit. Vt ergo spiritualiter purificeris, (verba sunt Laurentij Iustiniani) & à delictorum valeas emundari contagiis, in templū cordis tui ingredere. Ibi omnis cogitationis noxiæ atque inordinatæ affectionis sedato tumultu, Deo per orationis studium ac contemplationis otium vacare contende. Castis illi inhære amplexibus, deuotionis gemitus emitte, & ignitæ laudis Sacrificium exolue. Eris tunc proculdubio pudicissima turtur, cælesti copulata sponso, eo speciosior, oculisque illius gratior, quo potiùs inhærebis. Tui enim charitate vulneratus inquiet, vox turturis in terrâ nostrâ audita est. In turture quippe sanctæ Ecclesiæ per amoris Sacrosanctum connubium Christo copulatæ castitatem intellige: quæ videlicet quotidie sponso suo spiritualis prolis fœcunditatem parere non desistit. Itaque nulla, ait ille, nulla terrenarum rerum cupiditas, nulla ibi voluptatum carnalium reperiatur illecebra, quæ aduentantis sapiētiæ perturbet affectum. Candor enim quum sit lucis æternæ, abhorret delictorum sordes, ac vitiorum detestatur tenebras. Amabilis illi semper est innocentia, & odiosus immundus. Hinc est quòd amissâ innocentiâ protoparentum, eorum nequaquam voluit sustinere præsentiam. Displicuit prorsus, quod ipse non fecerat; fœdatamque in illis suam agnouit imaginem. Sed pristinum innocentiæ decorem, puritatisque indumentum nobis baptismatis vnda exhibuit, atque Dei in nos reformauit imaginem.

Bernard. serm. de tripl. gen. bono.

Laurent. Iustinian. serm. de purif.

Quomodo animus spiritualiter purificādus sit.

Laurent. Iustin. serm. de San. Ioan. Eua.

De tertiâ. Sicut non subsisteret sine humilitate, sic & absque puritate charitas non consisteret. Debet enim esse de corde puro, & conscientiâ bonâ: sed & illa cum omnibus instructa sit virtutibus, perfectum etiam completum huius habitaculi seu templi ornamentum est; sine quo parari quidem potest, sed non potest decorari. Transfige, ô dulcissime Iesu, (verba sunt Laurentij) corda nostra sagittis ignitis amoris tui; irrumpe, ô Domine, penetralia mentium: illaque misericorditer tuò illustra diuino splendore, vt vulneratis de te, & illuminatis à te, in te sit habitatio nostra, pax nostra, delectatio nostra, fiducia nostra, & omne bonum nostrum. Tuo enim amore quid dulcius? tuâ charitate quid salubrius? Te, ô sapientia, nihil melius quæritur, nihil arctius stringitur, nihil suauius possidetur. Norunt hæc, qui diligunt te. Amor tuus immortalitatis origo est, sapientiæ fons, virtutum radix, statera meritorum, & totius sanctitatis stabile fundamentum. Sic fundatur sanctitas, sic cōsummatur; sic sanctitate, sic charitate diuinum ornatur domicilium: sic ædificatur credendo, diligendoque, donec fruendo dedicetur. Interim sanctis operibus incumbendum est, & veris studendum virtutibus, id est Christianis. Quid enim illis cum virtutibus, ait Bernardus, qui Dei virtutem Christum ignorant? Vbinā quæso vera prudētia, nisi in Christi doctrinâ? Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordiâ? vbi vera temperantia, nisi in Christi vitâ? vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo qui eius doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt: Soli iusti, qui de eius misericordiâ veniam peccatorum consecuti sunt: soli temperantes, qui eius vitam imitari student: soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quàm à Domino virtutum; cuius doctrina, seminarium prudentiæ: cuius misericordia, opus iustitiæ: cuius vita, speculum temperantiæ: cuius mors, insigne est fortitudinis. Templum ille exornat, qui ædificat Deus: nec enim humano sensu, sed Spiritu sancto seu diuino instaurandum est consummandumque.

Laurent. lib. de casta conn. cap. 6.

Bernard. ser. 22. in Cant. in fine.

Incassum laborat qui virtutes non sperat à Domino virtutum.

CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

DVo habemus de Paulo: prædicationem, & orationem: prædicat mysterium diuinitùs reuelatum: orat ad obtinendum cælitùs beneficium. Sit ergo.

PARS PRIMA.

De Prædicatione.

TEXTVS.

HVius rei gratiâ, ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quoniam secundùm reuelationem notum mihi factum est Sacramentum, sicut suprà scripsi in breui: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu. Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium: Cuius factus sum minister, secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis eius. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentiâ per fidem eius.

EXEGESIS LITERALIS.

VINCTVM se gloriatur, eo quod ob reuelatum sibi, & exinde annuntiatum, vocationis gẽtium, patiatur Sacramẽtũ. Huius rei gratiâ, ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis &c. Vinctus, Græcè δέσμιος, captiuus. Vt igitur vos gentes coædificemini in habitaculum Dei ligatus sum: nam ego Paulus ob annuntiatum gentibus Euangelium incarceratus sum: si tamen Græcè εἴγε, Siquidem. Quandoquidem, vos, ô Ephesij, audistis & nostis, quomodo gratuitâ dispositione, & ordinatione diuinâ, creditum est mihi, Euangelij in vos disseminandi ministeriũ. Quoniam, ait Comment. Ambros. dispositionem diuinæ clementiæ quæ fuerit antę mundum erga salutem gentium, nunc se legatione huius doni fungi Dei prouisione Christo mittente declarat. Sic enim dixit ad eum, vade, longè ad Gentes ego mittam te. Vult ergo eos scire, quia Dei iudicio à Chrysto missus & prædicare gentibus mysterium gratiæ Dei. Ego igitur sum Paulus

Comment. Ambros.

A ille vinctus, & eam ob causam captiuus. Quoniã secundùm reuelationem notum mihi factum est Sacramentum, sicut suprà scripsi in breui &c. Et hoc arcanũ quod mihi reuelatum est manifestatumque: non solùm iustificari homines per Christum, sed & Gentes in eandem vocari hæreditatem, sicut paucis modò scripsi. Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu &c. B Quæ quidem perlegentes capere potestis quam de tanto Christi habeam communicandi mysterio intelligentiam, Græcè σύνεσιν: quod certè mysterium aliis retrò seculis & ætatibus manifestatum non est hominibus, eo modò quo nunc per Spiritum sanctum notum factum est Apostolis, nouique prophetis testamenti. Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christô Iesu per Euangeliũ &c. Nimirum, Gẽtiles cum Iudæis pariter cælestis consortes hæreditatis, in idem Ecclesiæ corC pus sub Christo capite redactos, & promissæ benedictionis, seu æternæ fœlicitatis, vnà per Christi meritum & fructum Euangelij foctos esse participes.

Mysteria redemptionis nunc clariùs cognita.

cipes. Cuius factus sum minister, secundùm A donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis eius, &c. Cuius Euangelij constitutus sum ego præco, non meis meritis, sed ex gratuito Dei dono; quod mihi concessum est collatumque secundùm efficacem diuinæ operationem potentiæ. Nec meâ id virtute agitur, (ita apud Athanas.) Sed Dei munere singulari, & eius gratiæ quæ mihi data est dono. Nec parcè sed abundè: vtpote, cuius Deus sit præpotens operator. Non enim satis esse hæc dignitas videbatur, nisi accessisset & virtus.

Athanas. in Paulum.

Mihi omnium Sanctorum minimo data est B gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, &c: Mihi certè, quanquam non solùm Apostolorum postremo, sed & Christianorum omnium infimo ministerium istud indultum est, vt in Gentibus incomprehensibilem & superabundantē Christi benignitatem, illuminemque omnes homines, & manifestem quomodo creator omnium Deus tantum patefecerit arcanum, præstiteritque hoc tempore, quod dispositum in æternitate necdū antè propalatū. Quasi dicat, ait Aquinas, de hoc illuminabo, scilicet, quàm mirabilis & ex quantâ dilectione sit facta adimpletio C arcanæ redemptionis. Mirabiliter excogitatum, mirabiliter dispensatum. Vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, &c. Vt nunc (quod supplendum ex Græco) quoad rationes speciales, & circumstantias innumeras nota fiat principatibus ac potestatibus varia Dei Sapientia, inclarescatque per Ecclesiam, nouis subinde populis auctam, nouis gratiis cumulatam; secundùm dispositionem & executionem, quam in Christo constituit impleuitque. Id enim quod D factum est in ipsis seculis, etiam bonis angelis quorum habitatio in cœlo est, versum est in documentum. In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. In Christo omnia disposuit Deus, & per illum adimpleuit. In illo etiam & per illum liberum habemus accessum ad patrem, & eam libertatem per fidem obtinemus. Textus Ambrosianus: Secundùm propositum seculorum in Christo Iesu Domino nostro, in quo habemus libertatem in confidentiâ per fidem ipsius. Et sensus. Manifestatum dicit Christum seculo, quo proposuit Deus ostendere mysterium suum pro salute humanâ, vt cognitio mysterij Dei mortalibus conferret salutem. E

Aquin. lect. 3

Sapientia diuina simplex in se, in opere multiplex.

Ambros. in Paulum.



DISQVISITIONES *dogmaticæ in litteram.*



CONFERENDVS Paulus aut cum Prophetis superioris æui, aut cum Angelis ordinis supremi: quomodo scilicet ad illos se habeat, an verò & istos doceat.

DISQVISITIO PRIMA.

De prophetis.

DVplex Prophetarum genus. Quidam enim prioris æui, quidam posterioris: illi nimirum veteris, isti verò noui testamenti. Parco Paulum cōferre cum ipso Christo, quia vel ipse parcit, vel tacitè pertransit. Dixit magnam Christi curam & prouidentiam. (Verba sunt Chrysostomi.) De cætero ad suam quoque digreditur, quæ parua quidem est & planè nihil si cum illâ conferatur, quæ tamen ipsa quoque est idonea & sufficiens ad attrahendum. Propterea, inquit, ego quoque vinctus sum. Si enim Dominus meus propter vos actus est in crucē, multò magis ego vinctus sum. Non solùm ipse fuit vinctus, sed etiam suos seruos permittit vinciri. Sed nec velit conferri seruus cum Domino suo, cui prę omnibus, & in omnibus malit deferri. Primò igitur conferimus cum hominibus, sed diuinis vtpote diuinantibus, sacro impetu perculsis, Spiritu Sancto inundatis. Dicimusque primò, Paulum prophetis noui testamenti non conferendū duntaxat, sed & præferendum. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos, secundò prophetas. Equidem tantum est prophetiæ donum, maximè verò in nouo testamento, vt ipsi angeli venerari cogantur, nec se ab eis patiantur adorari. Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora. Testimonium enim Iesu, est spiritus prophetæ. In quo tria notanda sunt prophetarum genera. Primum est vulgarium ac communium. Quicumque enim testimonium Christo perhibet, ait Ambros. Spiritum prophetiæ habet. Et hoc redemptio sanguinis Christi fidelibus contulit, vt filij Dei, sociique angelorum efficerentur. Ideoque pertimescit angelus adorari ab homine, qui super se adorabit hominem Deum. Quapropter conseruum se Ioannis cæterorumque fidelium vocat. Alterum est specialium. Patres enim veteris testamenti, ait ille, qui aduentum Christi, passionem & resurrectionem eius prædixerunt, Spiritum prophetiæ habuisse certissimum est, vnde & prophetæ vocantur. Tertium est superexcellentium, de quibus in Actibus. Erant autē in Ecclesia, quæ erat Antiochæ Prophetæ. Nec prophetæ solùm, sed & prophetissæ. Ita de Philippo Diacono. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Vel quòd nouas acciperent reuelationes, sed quòd veteres sed antiquas exponerent. Tamen & in illis ordo seruandus sicut & sermo diiudicandus est. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, Si ergo cum illis conferendus est Paulus, illis vtique præferendus est, tanquam magister & doctor, tanquam in choro prophetarum, in medio prophetantium censor & arbiter. Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.] Et gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor. Ipse moderator in omnibus, ipse omnibus præformator.

Chrysostom. orat. 6.

Christus cōferēdus nulli, sed cuiuis præferendus.

1. Corinth. cap. 12.

Apoc. ca. 19.

Ambros. in Apocal.

Ambros. ibidem.

Act. cap. 13.

Act. cap. 21.

1. Corinth. cap. 14.

Dicimus secundò Paulum omnibus antiqui testamenti vatibus præponendum. Si tamen audistis

audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis, sicut supra cripsi in breui. Prout potestis legentes intelligere prudenriam meam in mysterio Chrysti: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis in Spiritu. Quibus tria prælationis argumenta colligenda sunt. Primum: est prophetæ noui testamenti prophetis veteris testamenti quoad cognitionem, reuelationemque clariorem prælati sunt, at Paulus ipsorum institutor est, & rector, nulli igitur non præferendus est. Alterum clariùs Apostolis vberiusq; Apostolis, vtpote orbis totius magistris, & ipsi propinquis luci manifestatum est, quàm antiquis prophetis ac Patriarchis, inde & Apostoli Prophetis illis præpositi: Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Sed Paulus vocatus est Apostolus, ergo & illis præferendus. Tertium, Paulus ad hoc speciatim ordinatus est destinatusque, vt omnibus euangelizet gentibus, & absconditum à seculis reuelet singulis mysterium, ergo maiori donatus gratiâ, seu ampliori reuelationis & agnitionis copiâ cumulatus est. Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis quoniam secundùm reuelationem notum mihi factum est Sacramentum. In quibus, vt concipit Aquinas: Ponit donum gratiæ sibi commissum. Quali d cat. Dico quòd sum pro vobis gentibus vinctus. Si tamen audistis, id est intellexistis: Dispensationem gratiæ quæ data est mihi pro vobis: id est, si intellexistis, quod mihi donũ, scilicet Apostolatûs in gentibus est dispensatum. Tum manifestat conditionem suam per partes & in speciali: & circa cognitionem suam tria facit. Primò, quòd sit certa: Secũdò, quòd sit plena: tertiò, quòd sit excellens. Certa quidem est, quia non est per humanam industriam, nec per humanam intentionem quæ falli potest, sed per legem diuinam quæ certissima est. Et ideò dicit, Quoniam secundùm reuelationem notum mihi factum est Sacramẽtum. Sic & plena est, quia perfectè reuelatum est mihi, & committo vestro iudicio, quia ego in verbis paucis hoc expressi, in quibus cognoscere potestis quòd perfectam cognitionẽ habeam de mysteriis fidei. Et quantum ad hoc dicit, sicut scripsi in breui, id est in paucis verbis, ita apertè, quòd eo modo, Hoc potestis legentes intelligere. Debet enim hoc doctor intendere, quòd scilicet intelligatur. Dicit ergo, prudentiam meam: quæ quidem non est mundana, sed diuina & cælestis: propter quod dicit, in mysterio Christi. Est etiam excellens, quia solis Apostolis est reuelata, vnde subdit, Quod aliis generationibus non est agnitum. Licet enim mysteria Christi Prophetis & Patriarchis fuerint reuelata, non tamẽ ita clarè sicut Apostolis. Nam Prophetis & Patriarchis fuerũt reuelata in quadã generalitate, sed Apostolis manifestata sunt quãtũ ad singulares & determinatas circunstantias.

Aquin. lect. 1.

Quantum Apostoli prophetis omnibus præferendi.

Apostoli inter veterem synagogam, & Ecclesiam triumphantem positi: ideoque tres gradus constituendi sunt, seu status: quamuis enim vnus sit in humanã naturã corruptionis status non tamen vnus est reformationis restitutionisque. Primus est figuræ, in quo parùm lucis, obscuritatis plurimum. alter gratiæ, in quo multum lucis, non nihil obscuritatis: tertius gloriæ, in quo totum lucis est, nihil obscuritatis reliquum. In primo videtur Christus, sed absens: in secundo, habetur præsens, sed in carne mortali: in tertio, præsens tenetur & in carne immortali. De primo, Abraham pater vester exultauit vt videret diẽ meum: vidit, & gauisus est. De secundo, Conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. De tertio, Et videbũt faciẽ eius: & nomẽ eius in frontibus eorũ. Apostoli igitur in eo statu constituti sunt, qui sicut vltimo inferior est, sic & primo superior: spectat enim Christum, licet secundùm infirmitatem carnis, & ipsum secundùm maiestatem immortalitatis prospectat. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Licet ergo status ille gratiæ, cedat statui gloriæ, præstat tamen statui figuræ: si enim quoad gratiam, vtique & illi quoad notitiam præferendus est. Quid ergo, dic mihi, inquit Chrysostomus, non norant prophetæ? Quomodo ergo dicit Christus Moses & & prophetæ hæc de me scripserunt? Dicebant ergo prophetæ, sed non adeò exactè nouerant: cum nec Apostoli quidem postquam audiuissent: humanam enim rationem & spem longè superabant. Superati quidem à beatis, sed & præ cæteris prophetis illuminati. Et hoc hoc propter tria (vt obseruat Aquinas) primò, quia ipsi Apostoli habuerunt reuelationem immediatè à filio Dei, secundùm illud Ioan. 1. Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Prophetæ verò, & patres veteris testamenti ipsi edocti sunt per Angelos vnde dicitur Esa. 6. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus. Secundò, quia non in figuris, & in ænigmatibus sicut prophetæ viderunt, sed reuelatã facie gloriam Domini speculantes. Tertiò, quia Apostoli constituti fuerunt executores & dispensatores huius Sacramenti, & ideò oportebat, quòd melius ipsi essent instructi, quàm alij. Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis in spiritu. Sensus est, quod aliis temporibus non est agnitum, reuelatum est ipsis scilicet in eo spiritu noui testamenti interpretantibus scripturas, & legem explanantibus.

Ioan. cap. 8.

Luc. cap. 10.

Apocal. c. 22.

Corinth. cap. 5.

Chrysost. orat. 6.

Aquin. Lect. 1.

Cur Apostoli & quomodo clariùs illuminati.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Angelis.

HVcusque dictum de Filiis hominum & de generationibus. Quod intelligi potest de hominibus, vt ait Aquinas, in præcedentibus generationibus generatis. Nunc verò de Angelis prophetarum magistris ac doctoribus; nec infimis, qui sunt in vltimis ordinibus; sed supremis, qui inter sublimes sunt ac principes. Vt innotescat principaribus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multi formis sapientia Dei. An ergo Paulus non solùm prophetis omnibus, sed & principibus Angelis in reuelatã Verbi incarnati sapientiã præferendus? Cuius, inquit, factus sum ego minister secundùm donum gratiæ quæ data est mihi: illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo.

Dicendum

Dicendum est primò, reuelata bonis angelis gratiæ Christianæ mysteria. In Angelis quippe, vt docet Auquinas, est cognitio duplex. Vna quidem naturalis, secundùm quam cognoscunt res tum per essentiam suam, tum etiam per species innatas: & hac cognitione mysteria gratię Angeli cognoscere non possunt: hæc enim mysteria ex purâ Dei voluntate dependent. Si autem vnus Angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes, multò minùs potest cognoscere ea quæ ex sola Dei voluntate dependent. Est autem & alia Angelorum cognitio, quâ cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, nec æqualiter omnes; sed secundùm quòd Deus voluerit eis reuelare: ita tamen quod superiores Angeli perspicaciùs, & plura mysteria & altiora cognoscunt; quæ inferioribus manifestant, eos illuminando. An autem à momento creationis suæ, vel à principio suæ beatitudinis, non adeo certum: illud tamen certissimum, non statim, sed paulatim reuelata redemptionis & incarnationis mysteria. De mysterio namque incarnationis Christi dupliciter contingit loqui. Vno modo in generali: & sic omnibus reuelatum est à principio suæ beatitudinis: cuius ratio est, quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur: Omnes enim sunt administratorij spiritus, vt dicitur Heb. 1. in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quod quidem fit per incarnationis mysterium: vnde oportuit de hoc mysterio omnes à principio communiter edoceri. Alio modo possumus loqui de mysterio incarnationis quantum ad speciales conditiones: & sic non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti. Ipsi sunt nuntij diuinæ voluntatis, & æternæ dispositionis administri. Nuntij namque Græcè Angeli dicuntur, ait Augustinus, quo nomine generali vniuersa illa superna ciuitas nuncupatur. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cælorum, quod opportuno tempore reuelatum est pro salute nostrâ, quo ex hac peregrinatione liberati eorum cœtui coniungamur. Neque hoc ignorarent, quandoquidem ipsum semen, quod opportuno tempore aduenit, per ipsos dispositum est in manu mediatoris, id est, in eius potestate, qui Dominus eorum est, & in formâ Dei, & in formâ serui. Non enim tantummodo subsunt illi prouidentiæ & œconomiæ, sed & subseruiunt.

Aquin. 1. p. q. 57. art. 5. in corp.

Mysteria gratiæ Angelis non ignota.

Aquin. Resp. ad 1.

Augustin. lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 19.

Dicendum & secundò, quod sicut posteriores Prophetæ plus cognouerunt quàm priores, sic & superiores Angeli plus perceperunt quàm inferiores: sicut enim acceperunt prophetæ posteriores, quòd priores nondum acceperant; sic & angeli superiores deprehendunt, quod inferiores nondum cognouerant. Denique sicut nihil cognouerunt priores, quod posteriores non cognouerint; sic & nihil perceperunt inferiores angeli, quod non perceperint superiores. In tantum quippe angeli illuminati sunt, in quantum ordinati, vt à superioribus in inferiores lux prodeat; sed sicut ab inferioribus non remeat ad superiores, sic & copiosius excellentiusque in suis exuberat principijs. Inferiores angeli, ait Aquinas, nunquam illuminant superiores, sed semper ab eis illuminantur. Cuius ratio est, quia ordo continetur sub ordine, sicut causa continetur sub

Aquin. 1 p q. 106. art. 3. in corp.

A causâ: vnde sicut ordinatur causa ad causam, ita ordo ad ordinem: & hic ordo qui conuenit spiritualibus substantiis, numquam à Deo prætermittitur, quin semper inferiora moueantur per superiora. Et quidem, vt & ille ait: Quantò aliqua agentia magis in participatione diuina bonitatis constituuntur, tantò magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere, quantum possibile est. Multò igitur magis sancti Angeli, qui sunt in plenissimâ participatione diuinæ bonitatis, quicquid à Deo percipiunt, subiectis impartiuntur. Nam tamen recipitur ab inferioribus excellétet; sicut est in superioribus: & ideo superiores semper remanent in altiori ordine, & per-
B fectiorem scientiam habentes: sicut vnam & eandem rem pleniùs intelligit magister, quàm discipulus qui ab eo addiscit. Certè, si naturæ opera dispensantur, Angelis ministrantibus; mirum non est si mysteria gratiæ manifestantur, Angelis reuelantibus. Hoc mysterium vitæ æternæ, ait Augustinus, iam inde ab exordio generis humani per quædam signa & sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per Angelos prædicatum est: Acceperant quidem illi quod Patriarchis Prophetisque nuntiabant: sed sicut plura maioribus quàm minoribus nuntiata sunt; sic & clariùs eminentiusque capiebant superiores, quàm inferiores: licèt enim tam illi mitte-
C rentur quam isti, vt de omnibus tam maioribus quàm minoribus instruerentur homines; tamen sublimiores sublimiùs instructi, sicut Doctores meliùs docti, Patriarchas Prophetasque & illuminabant clariùs, & vberiùs informabant.

Angeli in tantum illuminati, in quantum ordinati.

Aquin. art. 4. in cap.

Augustin. lib. 7. de Ciuit. Dei. cap. 32.

Dicendum est tertiò, etiam superiores ac sublimiores angelos per Ecclesiam crescentem profecisse, & per experientiam edoctos, singularem hominum, maximè Gentilium gratiam agnouisse, à seculis ipsis in sola Dei notitiâ abscôditâ. Vt innotescat principalibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiâ, multiformis sapientia Dei. In quibus tria obseruanda sunt. Primum est, per principatus & potestates, etiam gradus su-
D blimores, dignitatesqua intelligi debere nobiliores. Principatus enim vt obseruat Aquinas, & potestates sunt duo ordines, qui ex ipsorum nomine præeminentiam in operando designant. Et quia etiam in terris sunt principes & potestates, addit, In cælestibus, id est in cælo, vbi nos erimus. Alterum est, Meliùs bonos angelos congruentiusque quàm malos intelligi. Quamuis enim per potestates & principes etiam & dæmones ipsi concipi possint, vt cum ait in fine Epistolæ, Nobis est colluctatio, Aduersùs principes & potestates. Nihil tamen illis curæ aut de Ecclesiæ ministeriis, aut de mysteriis
E gratiæ: boni verò ad hæc intenti sunt, vtpote impositis officiis dediti. In quem. Seu, vt habent Græca εἰς ἃ, In quæ desiderant Angeli prospicere. Sed locus integer producendus. De quâ salute exquisierunt atque Scrutati sunt prophetæ, qui de futurâ in nobis gratiâ prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. Quibus reuelatum est, quia non sibi metipsis; vobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis, per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quæ desiderant Angeli prospicere,

Aquin. lect. 3.

1. Pet. cap. 1.

Angeli boni rerum sunt nostrarum auidi.

cere. Quid est, In quæ? In ea quæ à prophetis prędicta, quæ nuntiata ab Apostolis, eodem quidem afflante spiritu, sed magno impetu per Apostolos ipsos intonante. Vis scire, inquit Ambrosius, quæ mirantur? Audi ergo Apostolum dicentem ea nobis esse collata, quæ concupiscunt & angeli videre. Duo ergo genera ministrorum nostris studentium mysteriis. Primum in prophetis exquirentibus, pioque studio scrutantibus singulares passionis, succedentisque resurrectionis, conditiones. Alterum in Angelis, ampliorem semper profectura desiderantibus, & vbetiorem semper expectantibus intellectum. Tertium denique, illam esse multiformen Dei sapientiam, quæ se sensum operit, producitque multiplicem sui notitiam. Ad eius sapientiæ descriptionem tria tangit Apostolus. Primò, ait Aquinas, eius multiplicitatem, Multiformis sapientia Dei. Secúdò, modum multiplicitatis, Secundùm præfinitionem seculorum. Tertiò, multiplicitatis auctoritatem, Quam fecit in Christo Iesu Domino nostro. Est enim in illâ scilicet sapientia diuina, spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, & multiplex. Vnicus scilicet in essentiâ, multiplex in effectibus. Modus autem multiplicitatis reuelatæ scientiæ est secundùm præfinitionem seculorum: Deus enim ordinat alia esse in vno tempore, alia in alia. Auctor autem huius multiplicitatis est Christus.

Ambrof. lib. 4. de sacram. cap 2

Aquin. lect. 3.

Nec inde sequitur Apostolos fuisse angelorum beatorum magistros, sed operum diuinorum administros, ex quorum adimpletione profecerint Angeli, & subinde in dispensatione munerum diuinorum suum expleuerint, desiderium. Imò semper proficient, cum nunc singularem beneficij illius collationem, nunc electi illius salutem, vsque in finem mundi prospicient. Et quoad malos quidem angelos, nihil vetat quominus doceantur ab hominibus, cum à diuino arceantur consortio. Dispositiones etiam Dei, ait Tertullianus, & nunc prophetis concionantibus excerperunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Fures sunt ac latrones, qui vbique se intromittunt, & hinc inde surripiunt. Boni verò seu beati immediatè à Deo ipso sunt edocti, & verbo illuminante, suo ordine sunt instructi. Ideoque licet homines tam possint angelis suas aperire cogitationes, quàm possunt inferiores angeli superioribus: tamen sicut supriores non illuminantur ab inferioribus, ita nec inferiores ab hominibus informantur. Manifestum est enim, vt definit Aquinas, quòd eo modo quo inferiores angeli subduntur superioribus, supremi homines subduntur etiam infimis angelorum: quod patet per id quod Dominus dicit Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit maiore Ioanne Baptista: sed qui minor est in regno cœlorum, maior est illo. Sic igitur, de rebus diuinis ab hominibus Angeli nunquam illuminantur, sicut nec superiores ab inferioribus: sed, dicit Dionysius, quòd omnes diuinæ illuminationes perferuntur ad homines mediantibus Angelis. Innotuerunt igitur occulta patueruntque, cum impleta apparuerunt mysteria. Sic enim fuit hoc absconditum à seculis in Deo, (verba sunt Augustini) vt tamen innotesceret principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei: quia ista Ecclesia congreganda est, vt simus æquales

Tertullian. cap. 22. Apolog.

Homines non sunt bonorum doctores angelorum.

Aquin. 1. p. qu. 117. art. 2. in corp.

Augustin. lib. 5. de Gen. ad lib. cap. 19.

A Angelis Dei. Illis ergo à seculis innotuit, quia omnis creatura non antè secula, sed à seculis. Ab ipsâ à seculis innotuit, quia omnis creatura non antè secula, sed à seculis. Ab ipsa enim exorta sunt secula, & ipsa à seculis, quoniam initium eius, initium seculorum est. Vnigenitus autem ante secula, per quem facta sunt secula. Quod autem non in Deo tantùm innotescit Angelis, quod absconditum est, verùm etiam hîc eis apparet, cum efficitur atque propleatur, testis est Apostolus. Innotescit enim patescitque per successum, non per documentum.

B

TROPOLOGIA.

Secundùm operationem virtutis eius.

TRia sunt ad complendum Apostolatûs ministerium. Primum est, gratia diuina: secuncundum, arcana efficacia: tertium, vita gratiæ & efficaciæ congrua.

Quoad primum. Dixerat Apostolus, Gentes esse cohæredes, & concorporales & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium. Annuntiandum scilicet disseminandumque. Quid est, inquit Chrysostomus, Cohæredes & comparticipes promissionis & concorporales? Hoc est magnum, vnum esse corpus: magna est propinquitas. Participes erant Israëlitæ, comparticipes erant etiam Gentiles promissionis Dei. In Christo Iesu per Euangeliũ. Non enim absolutè, sed per Euangelium. Prædicandum ministrandumque. Ideo subnectit: Cuius factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei. Tria sunt hæc simul comprehensa. Nonnulli enim se faciunt, non facti sunt; nimirum illi qui ambiunt ministerium, nec gradum accipiunt, sed inuadunt. Ita Iacobus: Nolite plures magistri fieri. Seu, vt ex Græco, Ne sitis multi magistri. Quod iam insinuauerat capite primo. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Non prorumpat ad magisterium, non irruat in ministerium: silentium amet, & ipsum ad loquendum docendumque expectet Dei imperium. Ego, ait Augustinus, plus amo discere quàm docere: nam hoc admonentur etiam dicente Apostolo Iacobo, Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Vt enim discamus, inuitare nos debet suauitas veritatis; vt autem doceamus, cogere necessitas charitatis, Omnes ferè volunt esse doctores non discipuli, sed multi tales sunt, non quia facti sunt, sed quia se faciunt, magistros sese constituunt ac ministros. Et inde Iacobus: Scientes, inquit, quoniam maius iudicium sumitis. De vestrâ præsumitis scientiâ, & hoc nescitis? Alij sunt quidem facti, sed non tam Euangelici ministri sunt quàm philosophi, Stoæ & Academiæ seu magistri seu discipuli. Inimicos enim huic dispensationi, quæ facta est per Iesum Christum & hunc crucifixum (ita Augustinus) generaliter accipere debemus omnes qui vetant credere incognita & certam scientiam pollicentur: sicut faciunt hæretici vniuersi, & illi qui in superstitione Gentilium philosophi nominantur. Non quòd scientiæ pollicitatio reprehendenda sit: sed quòd gradum saluberrimum

C

Chrysost. orat. 6.

Iacob. c. 3.

D

Augustin. lib. de 8. quæst. ad Dul. 3.

E

Philosophi multi, pauci ministri Euangelici.

Augustin. Enarrat in Psal. 8. post init.

mum & necessarium fidei negligendum putant, A per quem in aliquid certum, quod esse nisi æternum non potest, oportet ascendi. Hinc enim eos apparet nec ipsam scientiam habere, quam contemptâ fide pollicentur: quia tam vtilem ac necessarium gradum eius ignorant. Certè, vt dixit Chrysostomus: Non in vitâ solùm, sed & in ipsâ rerum æstimatione, magna est peruersia. Ad ea quæ sunt superflua hiatis & obstupescitis, & veritatem dimittentes, vmbras & somnia persequimini. Alij denique, non tam rationi humanæ auscultant, quàm fidei Christianæ; verùm non ex dono gratiæ ministrant diuinæ, sed ex humanæ artificio industriæ. Excellens Paulus prædicator Euangelij. Cuius factus sum ego minister, secundùm donum gratiæ Dei. Quasi dicat, (exponente Aquinate) Ego Paulus non impleo vel exequor vt à me vel vt meum, sed sicut ministerium quod Dei est. Ideo secundùm donum gratiæ. Dico quod factus sum minister, sed certè non meis meritis, nec virtute propriâ, sed quia idoneus efficior ad executionem diuinorum ministeriorum. Hoc datur, non vsurpatur: sicut enim ministerium diuinum est, ita non humanâ præsumptione, sed diuinâ implendum largitione: sicut ex dono gratiæ de persecutore factus est prædicator, sic dono gratiæ de prædicatore factus est dispensator.

Chrysost. orat. 6. in ep. 1. ad Corinth.

Aquin. lect. 1.

Quoad secundum. Vidimus dignitatem, videamus operationem. Secundùm donum eius, inquit, (apud Chrysostomum) secundùm virtutem seu vim ac potestatem doni fuit dignitas eius honoris. Sed non suffecisset donum, nisi illi indidisset virtutem ac potestatem. En auctoritas, en facultas, sed virtutem quærimus, intendimus operationem. Secundùm operationem virtutis eius. Nec illa operatio vna est: prima namque est operatio verborum, quibus tanquam fulminibus feriuntur aures, & terrore audientes afficiuntur aut amore. Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes. Sicut enim verba Petri ad Iudæos, sic & Pauli ad Græcos erant efficacissima. Ideoque sicut prima ex Iudæis Ecclesia loquente Petro collecta est, sic & prima ex Græcis docente Paulo non conflata solum, sed & Christo inscripta, & nouo donata titulo. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesiâ: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. Nondum Christiani, cum ecce primùm Paulo docente Christiani. Sicut enim Deus dedit os & sermonem Petro, cui facile cedebant Iudæi; sic & virtutem Paulo, cui ægrè resistebant Græci. Altera, est operatio signorum, quâ conuincuntur contradicentes, & sermones efficacissimis astruuntur argumentis. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Nam, vt ait Gregorius: Quod in his considerandum est, nisi quòd præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sunt. Sermo quidem ab Apostolis prædicatur, sed à Deo signis confirmatur. Ita Paulus: Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis: in virtute signorum & prodigiorum, in

Chrysost. orat. 6.

Galat. cap. 2.

Actuum cap. 11.

Mar. cap. vlt.

Grego. Hom. 29.

Roman. cap. 15.

virtute Spiritus sancti: ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. Et verba in Paulo & facta à Deo sunt, sed facta sunt mascula, vehementia virtutem, & operationem imprimentia. Tertia denique, operatio actionum, quâ mentes non solum rapiuntur in admirationem, sed & in deditionem adducuntur. Quid censemus de Christo? Si de operatione sermonum. Nunquam locutus est homo, sicut hic homo. Erat enim in potestate eius sermo ipsius. Si de operatione signorum, ea fecit prodigia quæ nemo alius fecit. Mira- B antur Iudæi, ait Augustinus. Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur sed non omnes conuertebantur. Eadem verba omnium audientium auribus illapsa, eadem miracula omnium videntium obtutibus exposita: viderunt omnes, omnes audierunt, paucissimi tamen conuersi sunt, plurimi obdurati. Facultatem, ait Aquinas, dat Deus infundendo virtutem & gratiam, per quos efficitur homo potens, & aptus ad operandum: Sed ipsam operationem confert inquantum operatur in nobis interiùs mouendo, & instigando ad bonum: operationem enim illam Deus efficit, inquantum virtus eius operatur in nobis, & velle, & perficere pro C bonâ voluntate. Illæ sunt actuales gratiæ, & efficaces, sed purè ac merè gratuitæ; gratiæ selectæ, & electis adducendis præparatæ. Isti quippe cœli, ait Augustinus, id est isti libri, opera sunt digitorum Dei. Sancto enim Spiritu in sanctis operante, confecti sunt.

Quomodo miretur omnes, nec tamen conuertantur.

Augustin. Tract. 29. in Ioan. sub init.

Aquin. lect. 2.

Augustin. Enarrat. in Psal. 8. circ. med.

Quoad tertium. Donum quidem gratis collatum est. Sed, vt dixit Athanas. In huiusmodi ministerio tria sunt per nos conferenda. Animus primo quæcumque discrimina intrepidè aditurus, sapientia & intellectus, & vitæ integritas. Quomodo sapientia & intellectus? In Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes. In quo vitæ integritas? In quo D habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius. Confidentia enim ex bonâ conscientiâ, fide suffultâ, spe cretâ, charitate instructa: suo intenta ministerio, diuinæque addicta gloriæ. Nam qui gloriam suam potius quàm salutem hominum attenderunt, (verba Augustini) sine Spiritu sancto locuti sunt, in quo sunt viscera misericordiæ Dei. Vbi animus intrepidus? Vinctus est, captiuatus est, sed verbum non est alligatum: nec animi constantiam remittit, nec amittit loquendi fiduciam. Reuera, ait Chrysostomus, magnæ fuit virtutis ac potestatis: nec humana sufficiebat diligentia & industria. Tria enim attulit ad prædicationem: feruentem & E audacem animi alacritatem, & ad quoduis sustinendum ac ferendum paratam animam: & intelligentiam ac sapientiam: non sufficiebat enim lubenter adire pericula: virtutem addebat spiritus, & vitam in quâ non cadebat reprehensio. Et id primum ex ipso contemplare. Audi eum scribentem, Vt non vituperetur ministerium nostrum. Et rursus: prouidentes bona non solùm coram hominibus. Vidisti non esse quidquam affine reprehensioni? oportet enim & non esse affinem reprehensioni, & dispensandi tenere artem, & ad pericula adeunda promptum, & ad docendum esse aptum. Si hæc essent, nihil opus esset signis. Ipsum quidem certè videmus, etiam antè signa, innumerabilia eiusmodi gessisse.

Athanas. in Paulum.

Augustin. Enarrat in Psal. 8. circà med.

Chrysost. in Mor. orat. 6.

Tria ministro perficienda sunt necessaria.

se. Nunc autem nihil horum habentes, omnia volumus obtinere & efficere. Nam si alterum ab altero fuerit separatum, reliquum sit inutile. Quid enim iuuat esse propensum ad adeunda pericula, si sit vita obnoxia reprehensioni. Si enim lumen, inquit, quod in te est, sunt tenebræ, tenebræ quantæ sunt? Quid autem iuuat eius esse vitæ in quam nón cadat reprehensio, esse autem habetem, pigrum & somnolentum? Quid autẽ prodest esse vtraque hæc, & non esse aptum ad dispensandum? Nos verò vndique otium & quietem quærimus: pericula ne in somnis quidem ferre possumus, imò vero nolumus. Propterea & qui nostræ subiecti sunt administrationi, multum distant ab ijs qui tunc erant: quandoquidem qui tunc erant discipuli, ijs qui nunc sunt magistri erant præstantiores ac meliores, vt qui in mediis populis, & tyrannis intercepti, & vndique omnes habentes hostes, ne parum quidem mouebantur & inflectebantur. Sic illi à magistris suis instituti, sic & magistri à Christo Domino admoniti. Sicut misit me pater, & ego mitto vos: id est, inquit Gregorius, sicut me misit pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines. Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit. Sed tamen amauit filium, quem ad passionem misit. Electos verò Apostolos Dominus non ad mundi gaudia: sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre, & tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli à Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque rectè dicitur: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: id est, eâ vos charitate diligo, cum inter scandala persecutionum mitto, quâ me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones voluit.

Gregorius Homil. 26. in Euang.

ANAGOGIA.

Mihi omnium sanctarum minimo data est gratia hac.

NOn solum se minimum dicit, sed & ἐλαχιςότερον minimissimum, quasi vltra humiliari non possit, aut inferius deprimi: adeò se demittit, & vltrò se deiicit. Inde tres elicimus humilitatis gradus.

Primus est, vt homo se postremum & omnium vltimum existimet. Ita Christus consulit, imò & præcipit: Vade: recumbe in nouissimo loco, & accinit Paulus, cum ait: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Sed & quod ordinat verbo firmat exemplo: cum modò se inter peccatores primum collocat, id est, inter homines vltimum; modò se minimum vocat Apostolorum: quod non solùm ex consueto humanæ conuersationis modo, quo ille qui loquitur, se primum inter alios reprehensos constituit; sed ex arcano Christianæ humiliationis mysterio, quo ille qui deiicitur, se infimum inter alios etiam deiectos cupit. Eos, ait Chrysostomus, qui ad medici veniunt officinam, non temerè & inconsideratè illuc est eundum, sed vt discant curare, & adhibere medicamenta: & nos quoque cum huc accesserimus, non hoc oportet temere facere & inconsideratè, sed vt discamus Pauli summam humilitatem. Quid verò? Quoniam erat dicturus gratiæ Dei magnitudinem, audi quid dicat. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Erat quidem humilitatis, propter priora delicta, eaque delecta, lugere & eorum meminisse, & modestè se gerere, vt quando dicit se blasphemum, & persecutorem, & contumeliosum sed non est illud cum hoc conferendum. Priùs enim, inquit, talis eram, & se vocat abortiuum. Post tot autem & tanta rectè ac præclarè gesta se modestè gerere, est multæ & summæ modestiæ. Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum. Non dixit, Apostolorum. Quamobrem illud quoque hoc minus est. Hic enim se etiam dicit omnium sanctorum minimum. Mihi, inquit, omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Næ ludunt illi & illudunt, qui humilitatem Pauli redigunt ad ciuilitatem seculi. Ergone descendit Christus in hunc mundum, vt nos faceret mundanos? Suasit locum nouissimum, vt nos vrbanos redderet? Ergone Paulus se minimum sanctorum omnium dixit, vt nos publicam honestatem doceret; se primum inscripsit peccatorum, vt communem dicendi loquendi-ve teneret consuetudinem, & non Christianam humilitatem imprimeret? In vanum ergo desudauit Christus, in cassum laborauit Apostolus, vt morem reduceret mundi, non vt legem cœli constitueret; vt nobis aperiret ea quæ nimis nota sunt filiis huius seculi, taceret ea quæ à Filiis Dei nocenda sunt & agenda? Contendit Paulus de loco, sed recumbit in nouissimo loco: idque non à mundo, sed à Christo didicit. Humilitas namque, (vt loquar cum Laurentio Iustiniano) perfectissimè elucet in vitâ & virtutibus Saluatoris, quibus se comparando homo quid de se æstimare debeat, perspicuè edocetur. Perfectio namque ipsius humilitatis in nobis collocat fundamentum, dum humana mens in illo miratur omnium charismatum pulchritudinem, omniumque virtutum consummationem, atque in se omnium vitiorum fomitem & transgressionem. In lumine virtutum ipsius illuminatur de se corruptibilis homo, & per cognitionem eius veram de se profert sententiam humilitatis. Confitetur in ipso omnem diuinitatis plenitudinem habitare, & in se nullum habitare bonum. Magnificat dignitatem illius, & sui ipsius prædicat vilitatem. Humiles namque sunt, qui propriæ infirmitatis conscij sunt. Sic enim describitur humilitas: Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibimetipsi vilescit: vt tanto in suscipiendis spiritualibus donis fiat dignior & capacior, quanto per humilitatis virtutem extiterit in se profundior & abiectior.

Luc. cap. 14.
Philip. cap. 2.
Chrysost. orat. 7.
Aliud ciuilitas vrbana, aliud Christiana humilitas.
Laurent. Iustin. Tract. de humilit. cap. 1.

Secundus est, vt homo se ad nihilum reputet. Descendet ergo iterum Paulus, dicetque: Tametsi nihil sum. Condicetque omnibus: Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Nec eâ trita loquendi aut obloquendi formâ, quâ homines aut

2. Corinth. cap. 12.
Galat. cap. 6.

aut tenues, aut modici meriti, dicimus homines nihili: sed eâ viuendi ac promerendi scientiâ, quâ typhum ad nihilum redigimus: nec enim hic habet locum ratio subtiloquentiæ, sed modestiæ demissio principatum obtinet. Necesse est, ait Bernardus, vt illucescat dies patientiæ, per quam omnia aspera & dura tacitâ amplectaris conscientiâ: te magis diiudicans, & duriùs arguens: teque in omnibus accusare laborans, & in cogitatione tuâ semper partem alterius quoad potes aduersùs temetipsum adiuuans. Sed considera quàm manifestè propheta doceat necessariam esse humilitatem post patientiam dicens: Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Nonne videtur hîc occasione patientiæ tentationem sensisse superbiæ? Necesse est ergo vt illuminet cor tuum radius humilitatis, & declaret quid à te sit, quid à Deo, vt non altum sapias: quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: Quis patientior Paulo? Sed sicut nullus patientior, sic & nullus sapientior: vt qui non obstrepentem superbiam admittat, sed se ad cælestem demittat referatque sapientiam. Consiliorum Christi ista lex est, inquit Laurentius Iustinianus, vt quisquis ea implere voluerit, omninò studeat abnegare quod est. Sic ipsum Dominum dixisse in Euangelio legitur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Desinat huiusmodi desiderare præesse, & similis Christi imitatione contentus, pro adipiscendis bonis cælestibus eligat in hoc mundo esse inglorius. Hanc humilitatis regulam quemadmodum docuit verbis, ita insinuauit exemplis ipse, qui ait. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Propterea volentibus eum super se Iudæis instituere regem, se occultauit à turbis, cunctis præbens singulare humilitatis exemplum, quatenus nemo in hoc seculo cuperet esse sublimis. Et hac disciplinâ longè ante Propheta imbutus, confidenter aiebat: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. O præclara humilitas, quæ professorem suum excelsum facit, eoque amplius illum exaltat in spiritu, quo magis se contemnendo humiliat. Si tamen non fictè, sed corde sit humilis: sunt nempe quamplurimi, qui extrinsecùs tantùm signa humilitatis portendunt in demissione vocis, accusatione sui; quorum cogitatio ficta, obliqua intentio. Horum fucatam nequitiam ignorat ars Christi, qui cordis humilitatem insinuat esse sectandam. Nihil es ex te ipso, nihil habes à temetipso. An verè agnoscis ac sincerè, an ex corde dicis, an intus dicis? Quid esses, nisi Deus esse te aliquid voluisset? Nihil. Imò, quid non esses, nisi Deus per singularem gratiam, per specialem occurrisset prouidentiam? Nihil non fœdum, nihil non abominandum. Quid igitur nunc habes, quod non accepisti? Nihil. Si quid vales nihil de tuo, & ex teipso vales, sed in ipso, & ab ipso, in quo & à quo sunt omnia, & sine quo nec sunt nec esse possunt, & cum quo composita, si esse non desinunt, desinunt apparere. Nonne, ait Bernardus, si conferren-

Bernard. serm. 3. de circum. Dom.

Laurent. Iustin. lib. de contemp. mund. c. 11.

Seipsum abnegare est se ad nihilum reducere.

A tur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies seculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad comparationem illius qui stupendus est virtutibus in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem. Cum ergo ei donauero quicquid sum, quidquid possum: nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, granum ad aceruum.

Bernard. serm. de quadrup. debi vit. med.

Tertius, vt & hoc ipsum quod de se sentit
B ac dicit, ab aliis excipi ac credi desiderat. Non solùm ergo se Paulus minimum dicet Christianorum omnium, non solùm se ad nihilum reducet, sed & hoc ipsum suadere conabitur, & in argumentum præcedentia merita commentabitur. Quoniam, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei. Ita & Ignatius, dignus Christi & Pauli discipulus. Ego vinctus omnes saluto, & non sum dignus esse vltimus eorum. Quantum scilicet de se: non enim ex opere suo sed ex collato munere. Ita denique Bernardus. Gaudeo quidem de gratiâ, inquit, sed temperat, fa-
C teor, pro tanto fauore lætitiam, quod eundem mihi fauorem non opus, sed opinio acquisierit. Pudet nimirum granditer exultare, cum sentio in me venerari vel diligi non quidem quod sum, sed quod putor. Neque enim ego tunc diligor quando sic diligor, sed nescio quid in me, pro me quod non sum ego. Imò, vt veriùs loquar, non nescio: nam certissimè scio quod nihil. Nihil enim procul dubio est, quicquid putatur & non est. Porrò cum amatur quod non est, sed esse putatur, non amor vel amans nihil est, sed quod amatur. Mirandum, sed magis dolendum quàm mirandum, quod id quod nihil est, amari potest. Hinc planè sentimus vnde quo venimus,
D quid perdidimus, quid inuenimus. Ita cupiunt veri humiles nihili pendi, viles haberi; & quantum permittit charitas, aut veritas non resistit, quantum possunt, pro viribus ac rationibus imprimunt. Non solùm humiliant se, sed & humiliari desiderant, & in totum tales quales se proclamant æstimari. Non enim patienter solùm humiliantur, sed & libenter; & per humiliationem spontaneam, perfectam inaugurantur humilitatem. Quanti humiliantur, ait ille, & humiles non sunt? Alij enim cum rancore humiliantur, alij patienter, & alij libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxij, vltimi iusti. Qui dicere potest,
E Bonum mihi quia humiliasti me: is verè humilis est. Non enim potest hoc dicere qui inuitus tolerat, minùs qui murmurat. Est autem humilis, qui humiliationem conuertit in humilitatem; & ipse est, qui dicit Deo: Bonum mihi, quod humiliasti me. Nemini prorsus quod patienter fert bonum est, sed planè molestum. Scimus autem quod hilarem datorem diligit Deus. Vis autem videre humilem rectè gloriantem, & verè dignum gloriâ? Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & liben-

Ignat. epist. ad Smyrn.

Bernard. epist. 18. sub init.

Sancti humiliationis [illegible] & humilitatis cupidi.

Bernard. serm. 34. in Cant. vers. finem.

ter gloriari in illis; probans etiam sibi bonum esse quod humiliatur: nec sufficere omninò vt possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat tanquam sponte humiliatus. Quanto anima sanctior, tanto humiliationis sicut & humilitatis auidior; & quo auidior, eo & in infirmitatis confessione, & indignitatis agnitione ac suasione promptior. Cum enim mens, vt loquitur Laurentius Iustinianus, ex infusione gratiæ cœlestis irradiari cœperit & iustificari, tunc reuelantur, quæ priùs fœda latebant: tunc animi deformitas, peccandi pronitas, casû frequentia, omniumque vitiorum fomites deteguntur. Et ex hoc lumine conuincitur mens cognoscere infirmitatem suam, & horrere per gratiam, quod ante ignorabat in culpâ. Hoc totum fit ex illustratione superuenientis & illustrantis gratiæ: quia (teste Paulo) omne quod arguitur, à lumine manifestatur. Se tam verè miseram agnoscit quàm manifestè infirmam; & quæ infirmitatem odit, diligit veritatem; dicit ingenuè quod sentit; vt si sarcinam infirmitatis exuere non possit, possit tamen humilitatis gratiam, velut ingenuitatis palmam apprehendere.

Laurent. Iustinian. Tract. de hum. cap. 7.

PARS ALTERA.

De Oratione.

TEXTVS.

PROPTER quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex qua omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominē, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quę sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam super eminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesiâ, & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

POSTVLAT ab Ephesiis, & pro ipsis Deum rogat, vt in fide firmentur, corroborentur in charitate, plenaque illuminentur diuinarum rerum scientiâ.

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra &c. Cum igitur tanta nobis per Christum insit fiducia: rogo vos ne animum despondeatis in afflictionibus meis, quas pro salute vestrâ perfero: quin potius ipsum attollatis, cum vincula mea cedant in gloriam vestram, dum diuinam erga vos curam demonstrant ac beneuolentiam. Tantâ fuit Deus erga vos charitate affectus, vt non solùm filium, vestri ob gratiam morti obtulerit, sed nos etiam qui eius sumus seruitute deuincti, periculis siuerit & vinclis adstringi. Ne igitur inde turbemini, Sed potius gloriemini. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem &c. Quidam prima capitis verba cum istis connectunt. Ego Paulus flecto genua &c. Sed magno hiatu, & abrupto impetu; non enim tam connectunt verba, quàm confundunt. Quid enim bis. Huius rei gratiâ? Si gratiam alteram non profert, aut si nouam non affert causam. Primo igitur dicit, Huius rei gratiâ, nimirum quia ciues estis sanctorum & domestici Dei. Tum repetit, Huius rei gratiâ, nimirum ne deficiatis in tribulationibus meis. Itaque tam humiliter, quàm suppliciter Deum exoro Patrem Domini nostri Iesu Christi, ad quem vt ad principem & originem familiæ omnes etiam celebres, siue Angelorum in cœlis, siue hominum in terris reuocandæ sunt: vt secundùm, immensam misericordiæ, ex quâ laudandus ac glorificãdus, copiam: illũ inquam rogo, vt induti virtute ex alto, & acceptâ per Spiritum sanctum forti

Athanas. in Paulum.

Vincula Pauli ad electorum gloriam ordinata.

fortitudine, ad tutamentum hominis interioris A profectumque, contra omnes tentationes armemini, contrà omnes tribulationes roboremini. Christũ habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas & profundum, &c. Et hoc oro, vt Christus corda vestra perfidem inhabitet, per quam interiorem sanctificet hominem: det etiam vt charitas vestra firma sit, & immota sanctitas. Et id à Deo pro vobis postulo, vt cum omnibus fidelibus valeatis assequi & animo complecti quanta sit mysterij vobis annuntiati excellentia. Hoc præstare dicit habitantẽ B Christum vel Spiritum in nobis, (ita Ambros.) vt fundati simus in charitate Dei, & deuincti beneficiis eius possimus cum sanctis, immensum & inæstimabilem cognoscere Deum, omnia excedentem maiestate virtutis suæ. Tanta nimirum dignitas est, tanta sublimitas.

Ambros. in Paulum.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei, &c. Vt etiam dignè perpendere possitis & æstimare Christi charitatem, humanam excedentem notitiam; sicque capiatis, vt sciatis tam incomprehensibilem esse quàm immensam. Quin etiam, inquit, (apud Athanas.) Inuestigando Christi huiuscemodi charitatem noscaris, quæ procul dubio cęterarum rerum ex- C cedit cognitionem. Quod si ita se habet, quo pacto nos sumus charitatem huiusmodi cognituri? Excedit quidem omnium scientiam, humanam videlicet. Vos verò non humana scientiâ charitatem hanc percepturi estis, sed percepturi. Postulo à Deo, vt quod per naturam non potestis, possitis per gratiam. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis. Obmisi priora verba sed iam resumenda. Sicut enim in illis verbis, orationis perfectio est; Sic & in istis, glorificationis additio. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Vt numerum diuinorum perfectionem cõ- D sequamini. Ei autem qui omnia potest præstare abundantiùs, & vltra omnia quæ petimus, aut animo concipimus, potest, inquam, secundùm ea quæ in nobis facit, & facit nos facere. Ipsi gloria in Ecclesiâ, & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen. Ipsi gratiæ agantur, ipsum exaltet Ecclesia, tantis ditata beneficiis, & per Iesum Christum, in omnes seculorum omnium ætates glorificet. Pulchrè cõcludit orationem precibus & glorificatione, oportebat enim glorificari & benedici qui omnia præbuit. Non solùm autem maiora aut abundanter, sed superabundanter: & est E euidens ex virtute quæ fit in nobis. Neque enim hæc vnquam petiimus, neque expectauimus. Et ego quidem, inquit, precor: ipse autem faciet etiam sine meis precibus maiora quàm nostræ sint petitiones. Quare est hoc quoque pars admirationis, & magnitudinis eorum quæ à Deo sumus adepti, glorificare, & per Iesum Christum. Gloria denique eius in Ecclesiâ rectè dixit. Ipsa enim sola scit manere in perpetuum, Ita sit.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. orat. 7.

Vota supplicium à Deo copiosè superata.



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

Novimvs paternitatem in terris, at quæ in cælis sit, inquirimus. Scimus sciẽtiam charitatis, at charitatem scientiæ adhuc quærimus. Sit ergo.

DISQVISITIO PRIMA.
De paternitate.

Nouas genealogias non minùs hæretici adinuenere quàm Iudæi, nec in terris duntaxat seuerè, sed & in cælis. Ita Simon apud Epiphanium sparsit: Se summam esse Dei vim, scortum verò suum Spiritum sanctum affirmare ausus est, cuius gratiâ de cœlo descenderat. Prætereà Mineruam eandem esse dicebat, seu notionem suam, per quam, inquit, angelos creaui: angeli porrò mundum, atque homines condiderunt. Sed in vnoquoque cœlo propriam, aiebat, eius cœli formam indui, quo meos angelos latere possem, & ad meam illam intelligentiam descenderem. Idem prætereà nomina quædam principatuum ac potestatum commentus est, cœlestesque globos varios; atque in firmamento cœloque quolibet intelligentias certas collocat, quibus barbaras appellationes affingit. Negat insuper salutem consequi vllum hominum aliter posse quàm si sua mysteria didicerit, & vniuersitatis pareti ea sacrificia per illos quos diximus principatus ac potestates obtulerit. Sanè si mysteria illa magica vllibi obtinuere, maximè Ephesi, vbi & Apollonii inualuere carmina. Idcircò reflectendum est primò Apostolum sæpe potestatũ ac principatuum meminisse, sic tamẽ vt Christo cederent, & ex prædicato proficerent Euangelio. Suscitans illum à mortuis, & constituens suprà omnem principatum, & potestatem. Et vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Reflectendum secundò, toties nomen Christi inculcare, & per fidem, benedictionem omnem deducere; vt alium quemuis propitiatorem subducat à Christo alienum, magicumque seu à Mago subintroductum, detrahat. In quo habemus fiduciã & accessum in confidentiâ per fidem eius. Tertiò, omnia ad vnicum reuocare principium, vt commentum elidat Simonium, & Deo patri, tanquam auctori proprio restituat. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur. Et quidem mira Simon de naturis blatterabat cœlestibus, iactabatque noua de viribus diuinis, sed tam nugatoria, quã fabulosa. Ad hæc, ait Epiphanius, fabulam adiiciebat: Lapsam de cœlo vim illam semetipsam dissimulasse: deque eo poëtas locutos esse. Idcircò & Paulus toties in istâ Epistolâ, imò & solâ. In cœlestibus reponit, quibus & nugas abigit & fabulas.

Epiphan. serm. 21.

Mundus à Deo non ab ipsis Angelis conditus.

Epiphan. ibidem.

Succedunt Valentiniani, qui summo quidem deferunt principio, sed in diuersas distrahunt familias. Hæretici, inquit Tertullianus, quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates

Tertullian. lib. aduers. Valent. ca. 7.

tates sublimitatum in habitaculum Dei sui cuiusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Primus omnium Ennius poëta Romanus Cœnacula maximo cœli simpliciter pronuntiauit, delati situs nomine, vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum. Etiam Creatori nostro Euniana cœnacula in ædicularum disposita sunt formâ, aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuique Deo per totidem scalas distributis quot hæreses fuerint. Meritorium factus est mundus. Insulam Feliculam credas tanta tabulata cœlorum. Nescio vbi. Illic enim Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat. Hunc substantianter quidem αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter verò, προαρχὴν & τὴν ἀρχὴν etiam Bython. Innatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumque definiunt. Et tamen quem solum volunt, dant & secundá in ipso & cum ipso personam, Ennœam, quam & Charin & Sigen insuper nominant. Et fortè accedunt in illâ commendatissimâ quiete monere eum de proferendo tandem initio rerum à semetipso. Hoc vice seminis, in Siges suæ veluti genitalibus vuluæ locis collocat. Suscipit illa statim & prægnans efficitur, & parit vtique silentio Sige, & quem parit Nus est, simillimum patri & parem per omnia. Ita & ipse pater dicitur, & initium omnium, & proprie Monogenes. Atquin non propriè, siquidem non solus, agnoscitur. Nam cum illo procedit & fœmina, veritas. Ergo Bythos & Sige, Nus & veritas, prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix & origo cunctorũ. In hoc enim proseminario Æonum Valentinianorum, masculorum feminarumque coniugatio, donec theogoniam impleant, & vsque ad nauseam augeant familiam. Interim, ait ille, in tricenario fœcunditas tota deficit: castrata est vis & potestas & libido genitalis Æonum. Quasi non & numerorum tanta adhuc coagula superessent, & nulla alia de pædagogio nomina. Quare enim non & quinquaginta & centũ procreantur? quare non & stercolæ & syntropsi nominantur? Iam non solùm rident, sed & fœtent.

Theogonia Heliodi à Valentinianis inducta.

Tertullian. cap. 8.

Excludit vtramque fabulam Apostolus, cum ait. Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur. In quo obseruandum est primò, verbum Græcum πατριὰ, pro quo in nostris, paternitas: significare parentelam, seu familiam ab vno patre, seu primo generis ac cognationis exortam principe. Quid sint paternitates, ait Chrisostomus, necesse est dicere. Nam hic quidem paternitates sunt genera, nempe gentes & cognationes. Secundò, etiam in cœlis etiam familiam reperiri, Angelicam scilicet, & vnum populum ex illis & electis componi. Sunt illic cœtus, ait ille, & gentes ac cognationes. Qui enim saluantur, in familiam deputantur Angelicam; cuius & proponitur vita, & gloria promittitur. Tertiò paulum humilitatis offerre sacrificiũ, & per cultum exprimere non minùs religionis quàm & creationis omnis principium. Oratio, ait, Aquinas, redditur exaudibilis per humilitatem. Psalm. 101. Respexit in orationem humilium. Et ideò statim orationem suam humilitate incipit, dicens: Huius rei gratiâ, scilicet ne deficiatis à fide. Flecto genua mea ad patrem. Quod est signum humilitatis propter duo. Primò, quia qui genua flectit, quodammodo paruificat se, & subiicit se, ei, cui genua flectit. Vnde, per huiusmodi ostenditur recognitio propriæ fragilitatis, & paruitatis. Secundò, quia in genu est fortitudo corporis. Quando ergo quis genua flectit, protestatur debilitatem suæ virtutis. 2. parol. vlt. in oratione Manasses. Flecto genua cordis mei & Esa. 45. Mihi curuabitur omne genu. Itaque, vt absoluam ex Athanasio. Cum dicit Paulus, Flecto genua, ostendit se ingenti animi ardore precari. Ex patre verò superno omnis deriuatur paternitas. In terris quidem generationes per paternitatem designans, quas Græci πατριὰς, à patrum nomine dicunt. In cœlis autem quia nulla ibi suscipitur soboles, paternitatem, cœtus Angelorum vocat, proinde ac si dicat, Et quæ in cœlo sunt, & in terris tribus, creauit. Et quia hac ratione est omnium pater, ab eo & patres cæteri nominantur.

Chrysostom. orat. 7.

Aquin. lect. 4.

Flectere genu alicui, est se illi submittere.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Charitate.

CVPIT Apostolus vt possimus, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Græcè γνώσεως, cognitionis. In quo notandum est primò sectam Gnosticorum à Simonianis exortam esse, & Valentinianis agnatam. Insolescentes doctrinæ Valentinianorum, ait Tertulianus, in siluas iam exoleuerunt Gnosticorum. Et Epiphanius de Simone, carnis duntaxat vnius corruptionem atque interitum, animarum verò expiationem astruit, ita tamen si mendacissimæ cognitionis suæ mysteriis initiata fuerint. Atque hinc eorum, quos Gnosticos appellamus, origo profluxit. Græcè γνώσεως ἐν μυσταγωγίᾳ. Vnde & γνωστικοὶ Secundò, totam sectam non tam in cognitione arcanâ, quàm in fœdâ libidine positam. Habes, ait Tertullianus, Tetradem duplicem, & coniugationibus masculorum & fœminarum; cellas, vt ita dixerim, primordialium Æonum: fraterna cõnubia Valentinianorum deorum: census omnis sanctitatis & maiestatis hæreticæ: nescio criminum an numinum turbam; certè fontem reliquæ fœcunditatis. Ecce enim secunda Tetras, Sermo & Vita, Homo & Ecclesia, quòd in patris gloriam fruticasset. Hinc numero gestientes & ipsi tale quid patri de suo offerre, alios ebulliunt fœtus, proinde coniugales, per copulam vtriusque naturæ. Inde fœda compago, libido promiscua, Nam & honorandum, ait ille, coniugiorum supernorum gratia dicitur apud illos, meditandũ, atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est fœminæ adhærendo; alioquin degenerem, nec legitimum veritatis, qui diuersatus in mundo non amauerit fœminam, nec se ei iunxerit. Quanta apud Epiphanium, sed tacenda. Enimuerò, ait ille, pudet omnia illorum arcana detegere. Solius enim est Dei profundissimam hanc tanti factoris voraginem obstruere. Adeo spurca, adeo horrenda, vt non solùm audientem lædant, sed & dicentem inficiant. Tertiò, infanda illa fœditatis mysteria, charitatis obuelata sipario, seu titulo dilectionis prænotata. Id enim vocabant, Dilectionem facere. Seu, exercere charitatem: nec enim aliam

prædica

Tertullian. lib. aduers. Valent. cap. vlt.

Epiph. serm 21.

Tertullian. cap. 7. & 8.

Apud Valentinianos, criminum turba, non numinum.

Tertullian. cap. 30.

Epiph. serm. 26.

Epiph. serm. 26. & 27.

prædicabant, quam animalem; diabolicam. Turpem nobis, ait ille, narrationem afferunt: quâ vt corruptis consuescamus corporibus persuadeant, atque ab omni spe cælestium excidamus. Eiusmodi enim illorum monimenta sunt, vt si quis ea sapiens legerit, vehementer obstupescat, vixque ab hominibus fieri ista posse sibi persuadeat, non modò iis nostri generis hominibus, qui in republicâ versantur, sed etiam iis, qui in medio ferarum ac pecudum similes degunt, quique cum canibus ac suibus paria propemodum perpetrant.

Apposite igitur Apostolus dilectionem seu charitatem Christi in mentem reuocat, optatque ab Ephesiis, imò & à nobis, cæterisque omnibus fidelibus reuolui ac perpendi. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Quod precatus est in principio, ait Chrysostomus, hoc nunc quoque. Quid est autem quod optauit in principio. Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius: idem nunc quoque dicit. Primò ergo charitatem proponit, sed charitatem Dei & Christi, id est veram ac perfectam. Charitatem Christi: id est, vt exponit Aquinas, quam Deus pater fecit per Christum. Secundò, dicit esse supereminentem scientiæ, seu cognitioni: Scilicet naturali, ait ille, & omnem intellectum creatum excedentem. Non illam gnosticam, tam pestilentem quàm & nefandam sed diuinam, tam puram quàm & cælestem, excellentem, omni scientiæ, omni humanæ supereminentem notitiæ. Tertiò denique, dum id in memoriam reducit, totam exprimit redemptionis ac salutis œconomiam. Quicquid enim & in mysterio redemptionis humanæ, & incarnationis Christi, totum est opus charitatis. Nam quod incarnatum est, ex charitate processit. Sup. 2. Propter nimiam charitatem quâ dilexit nos. Quòd mortuus fuit, ex charitate processit. Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ideò scire charitatem Christi, est scire omnia mysteria incarnationis Christi, & redemptionis nostræ, quæ ex immensâ charitate Dei processerunt: quæ quidem charitas excedit omnem intellectum creatum, & omnium scientiam, cum sit incomprehensibilis cogitatu. Et ideò dicit, Supereminentem scientiæ. Ita Aquinas. Laudatque Gregorium dicentem. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti. Non debet igitur sic construi, Charitas scientiæ. Sed, Charitas supereminens scientiæ. Quamuis enim, Scientiæ, in Græco, sit in gignendi: tantum nihilominus valet, ac si esset in dandi. Optat itaque Paulus inuitatque fideles omnes, vt expendant perpendantque charitatem Christi, quæ nunquam satis expendi potest ac perpendi, cum omnem superet summam cogitationem, ideoque illustrationem diuinam, & supernam, illuminationem expostulet.

Chrysost. orat. 7.

Aquin. lect. 5.

Omnia redemptionis nostræ mysteria per charitatem cõsummata.

TROPOLOGIA.

Propter quod peto ne deficiatis.

PEtit ab hominibus, & tamen genu flectit Deo; quia in nobis quidem est arbitrium, sed A diuinâ fulciendum gratiâ. Petit non solùm eos virtute corroborari, sed & radicari in charitate; quia bonum quidem quòd humanas mentes charitas possederit, sed infirmum nisi altas radices egerit. Denique confidentiam acuit, dum ostendit potentiam.

Quoad primum. Audiet aliquis doctorem monentem consulentemque, peto ne deficiatis. Sed statim regeret: Bonum consilium das, (ita apud Bernardum, sed & si dederis posse teneri. Siquidem non est eiusdem facilitatis, scire quid faciendum sit, & facere: quoniam & diuersa sunt, B cæco ducatum, ac fesso præbere vehiculum. Non quicumque ostendit viam, præbet viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui faciet ne deuiet; & aliud qui præstat ne deficiat in viâ. Ita nec quiuis doctor statim & dator erit boni quodcumque docuerit. Tu quidem homo rectè consulis ignorantiæ, sed si verum sentit Apostolus, spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Imò verò qui mihi per os tuum ministrat consilium, ipse mihi ministret necesse est per spiritum suum adiutorium, quo valeam implere quod consulis. Ecce enim iam ex eius munere velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Sed nec aliquando me inuenturum confido, nisi qui dedit velle, det & perficere pro bonâ voluntate. Quid C ergo est? Duo mihi sunt necessaria, doceri, ac iuuari. Tu me doces, sed nihil promouet, ni & ores, vt Deus adiuuet infirmitatem meam, & natam voluntatem corroboret. Apostolum audimus, Psalmum audimus, Euangelium audimus, consonant, ait Augustinus, omnes diuinæ lectiones, vt spem non in nobis, sed in Domino collocemus. Peto, inquit Apostolus, vos non infirmari in tribulationibus meis, pro vobis, quæ est gloria vestra. Peto, inquit, vos non infirmari, id est, vt non infirmemini, quando auditis me pati pro vobis tribulationes: quia hæc est gloria veD stra. Petit ergo eos, vt non infirmentur; quod non faceret, nisi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim responderent, Quid nos petis quod in potestate non habemus? nunquid non viderentur sibi iustum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus, nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, vbi & ipsi aliquid agerent: non diceret peto. Et si diceret, Iubeo, nisi eos nosset adhibere posse iussioni suæ voluntatem, sine causâ hoc verbum de eius ore procederet. Sed rursus sciens sine Dei adiutorio infirmam esse hominis voluntatem, non solùm ne dicerent, voluntatis arbitrium non habemus E dixit, peto: verum etiam ne dicerent, voluntatis arbitrium sufficit nobis, videte quid addidit, Huius rei gratiâ. Cuius rei gratiâ nisi quam suprà dixerat, peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, peto. Quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium ad implendum quod peto, Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis. Quid det vobis? Quod peto à vobis, rogo det vobis. Petit ne deficiant, propter arbitrium voluntatis; sed quid arbitrium voluntatis, si auxilium desit maiestatis. Tolle liberum arbitrium, ait Bernardus, non erit quod saluetur. Tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Quid enim? Tu fortè putaueras tuâ posse saluari iustitiâ, qui nec saltem Dominum Iesum dicere potes nisi in

Bernard. Tract. de grat. & lib. arb. sub init.

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 2.

Infirmum est arbitrium voluntatis, vbi non ad est maiestatis auxilium.

Bernard. tract. de grat. & lib. arb. post init.

Spiritu sancto. Itane oblitus es quis dixerit: Sine me nihil potestis facere. Et, neque currentis, neque volentis, sed Dei miserantis est? opus hoc sine duobus effici non potest, vno à quo fit, altero cui vel in quo fit: Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantùm capax: nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium: quod ergo à solo Deo & soli datur libero arbitrio tam sine consensu esse non potest accipientis quam absque gratia dantis, & ita gratiæ operanti saluté cooperari dicitur liberũ arbitriũ dum consentit, hoc est dum saluatur, consentire enim saluare est. Quia ergo liberi sunt homines, petendum ab eis ne deficiant; quia verò infirmi sunt & fragiles, petendum est pro eis vt non deficiant: si enim dimissi fuerint sine gratiâ, audient quidem, sed in viâ deficient.

Augustin. ser. 7. de ver. Apost. cap. 2. Quoad secundum. Rogat Paulus, sed quid à Deo postulat? Adhuc fortasse expectatis audire, (ita Augustinus) vtrum reuerà ideò Apostolus pro ipsis ad patrem genua flectat, vt det illis quod dixerat eis, peto. Mementote ergo quod petierit ab ipsis peto, vos non infirmari in tribulationibus meis pro vobis. Hoc ab ipsis petit. Modò videte quid illis petit. Flecto genua mea ad patrem Domini Iesu Christi, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtute corroborari, inquit, per spiritum eius. Iste spiritus gratiæ videte quid petit. Hoc à Deo petit, quod ab hominibus exigit. Det, inquit, vobis. Non enim habetis, nisi det vobis. Det vobis virtute corroborari per spiritum eius. Si enim dederit vobis virtute corroborari, ibi dabit vobis non infirmari. Infirmi sunt in virtute, ideoque facilè possunt deficere: igitur firmandi sunt corroborandique vt non deficiant: nouelli sunt in charitate, ideoque facilè possunt asistere: igitur radicandi sunt fundandique, ne absistant. Vides (ait Chrysostomus) cum quantâ insatiabilitate eis bona precetur, ne labent & circumferantur. Quomodo autem fit hoc? per Spiritum sanctum in interiori homine inhabitare per fidem in cordibus vestris. Quomodo? In charitate radicati. Vt non solùm veniat in interiorem hominem, sed & firmiter consistat immobiliterque. Dicit ergo, (apud Aquinatem) dico quòd peto ne deficiatis, sed stetis viriliter. Scio tamen quod hoc facere non potestis sine dono Dei: ideò peto, Vt det vobis; & hoc quidem, Secundùm diuitias gloriæ suæ, id est, secundùm copiam maiestatis eius, & magnificentiæ. Psalm. 3. Gloria & diuitiæ in domo eius. Diuitiæ, inquam, quæ faciunt, virtutem corroborari. Et hoc in interiori homine, quia nisi in interioribus fortificetur homo, faciliter ab hoste superatur. Sed corroborari per spiritum. Ipse enim spiritus qui roborat, est spiritus fortitudinis, & est causa non deficiendi in tribulationibus, quem obtinemus per fidem quæ est fortissima, quia fides est substantia rerum sperandarum, id est, facit in nobis subsistere res sperandas. Et ideo subiungit: Habitare Christum per fidem. Et hoc, In cordibus vestris. Per quod? Dico, quòd non solùm per fidem, quæ vt donum, est fortissima, cui resistite fortes in fide: sed etiam per charitatem quæ est in sanctis. Et ideò subdit, In charitate radicati & fundati, Cant. vlt. Fortis est vt mors dilectio. Vnde sicut arbor sine radice, & domus sine fundamento de facili ruit, ita spirituale ædificium nisi sit in charitate

Chrysostom. orat. 7.

Aquin. lect. 4.

Infirmitas causa deficiendi, charitas causa non deficiendi.

A fundatum & radicatum durare non potest. Iustificatus est homo à peccato, sed adhuc in bono firmandus radicandus est, & ab eo à quo iustificatus est. Iam viuit, iam stat in bono, ait Bernardus, sed ope & opere Verbi. Stat anima manu verbi leuata veluti super pedes duos, deuotionem & agnitionem. Stat, inquam, sed sibi putet dictum: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Putasne stare per se possit, quæ surgere per se non potuit? Non opinior. Quid enim? Verbo Domini cæli firmati sunt, & terra stabit sine verbo? Cur ergo si stare per se poterat: orabat homo de terrâ: Confirma me, inquiens, in verbis tuis. Denique & probarat. Eius ipsius illa B vox fuit: Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Opus virtute habes, & non quacumque, sed quâ induaris virtute ex alto: ascensus enim arduus, & casus concitus absque verbi adiutorio. Ergo qui stat, si non vuult cadere, non fidat sibi, sed nitatur verbo. Verbum loquitur, Sine me nihil potestis facere. Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine verbo. Cuius manu erigeris, ipsius necesse est virtute teneatis. Itaque animus non præsumat de se: alioquin frustra nititur, si non innititur.

Bernard. ser. 85. in Cant. post. init.

C Quoad tertium. Quanta spes in sancto, si nonnulla fuit in impio? De aliquo namque potest esse duplex spes. Vna ex parte hominis, alia ex parte diuinæ gratiæ: & si de aliquo potest desperari ex parte suâ, de quo tamen desperandum non est ex parte Dei: sicut desperandum erat de Lazaro iacente in sepulchro, quod resurgeret ex parte suâ; de quo tamen desperandum non erat ex parte Dei, à quo resuscitatus est. Sed nunquid ille qui à Christo recepit vitam, simul etiam ab illo recepit incedendi agendique potentiam? Et si spes non ablata iacenti, aut auferenda incedenti? Quantæ fiduciæ vox: ait Bernardus: D omnia possum in eo qui me confortat? Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum qui omnia potest? Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Itaque sicut credenti copiam sui facit, sic & suam illi communicat omnipotentiam. Vt impleamini in omnem plenitudinẽ Dei: id est, vt exponit Aquinas, vt habeatis perfectam participationem donorum Dei. Sed vnde nata tanta gratiæ diuinæ fiducia? Potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis. Ita iam dixerat, secundùm operationem E virtutis eius. Illa quippe virtus Græcè ἐνέργεια, non solùm potentissima est, sed & efficacissima. Et illa est, quæ operata est in nobis. Secundùm potentiam operatam. Ita ex Græcis. Ideoque operatum passiuè sumendum est; quasi potentia Dei in iustis electisue perfecta sit & impleta, licet adhuc amplius quoad actus effectusve augenda, ac protendenda vberiùs. Dei, ait Bernardus, in me gratiam commendaui, quod scilicet ab ipsâ me in bono, & præuentum agnoscerem, & prouehi sentirem, & sperarem perficiendum. Vbi ergo, ais, sunt merita nostra, aut vbi est spes nostra? Audi: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit. Quid igitur

Aquin. lect. 2. in cap. 2.

Bernard. serm. 85. in Cant., cit. med.

Aquin. lect. 5.

Bernard. vrget. de grat. & lib. arb. à limine.

igitur agit, ais, liberum arbitrium? Saluatur. Cõsentire enim saluare est: nã qui nos fecit sine nobis, non nos saluabit sine nobis: nulli quidem sunt conatus nostri, si non excitentur; & cassi, si non adiuuentur, sed nostri sunt; & ideò iuuamur, vt simul operemur: ideò roboramur, vt & nos præliemur. Vt Deus velit dare, ait Augustinus, debes & tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam diuinæ bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis? Facit quidem in nobis Deus, sed vt & nos faciamus: trahit, sed vt & nos incedamus: excitat, adiuuat, sed vt ambulemus, probemusque nos & perceptis beneficiis non ingratos, & percipiendis idoneos. Denique, ait Bernardus, & Paulus de se suique similibus audacter pronuntiat: Coadiutores enim Dei sumus. Ibi itaque Deus homini benignè merita constituit, vbi per ipsum, & cum ipso boni quippiã operari instituit. Hinc cooperatores Dei, & promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc solum eius est meritum quod consentit. Et prorsus non equidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est quàm consentire, aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli qui omne quod boni esse potest, id cogitare, & velle, & perficere pro bonã voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit: immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.

Augustin. Serm. 7. de verb. Apost. cap. 4.

Bernard. Tract. de grat. & lib. arb. ver. fin.

Si consensus est liberi arbitrij, vt sit etiam munus Dei.

ANAGOGIA.

Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis.

OPus est per virtutem corroborari, per fidem fundari, radicari per charitatem, vt capere possitis cum omnibus Sanctis, & apprehendere, Quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Hæc autem spectare possunt, aut pietatem animi, aut Christi crucem, aut magnitudinem Dei.

Quoad primum. Altum simul ac profundum mysterium. Altitudo siquidem, (vt aduertit Augustinus) in Latinâ linguâ vtrumque significat: & quod sursum versus est, altitudinis nomen habet; & quod in profundum altum est, altitudinis nomen habet. Sed benè respondet interpres ad id quod sursum est altum, altitudinem dicere: ad illud quod deorsum altum est, profundum dicere. Profundum & altum est, quo vita delineatur æterna, iamque diuinâ gratiâ prægustatur. Et hoc gustu, ait Bernardus, minimus ille Apostolorum satiatus, exhilaratus, confirmatus: Huius, inquit, rei gratiâ flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, sublimitas,

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 1.

Bernar. l. lib. de nat. am. dic. cap. 10. & 11.

A & profundum. Licet hic aduertere, si fortè in sensu Apostolicæ sapientiæ aliquatenus penetrare possimus. Igitur contra quatuor Dei, debemus duo. Quatuor sunt in Deo, potentia, sapientia, charitas, & veritas, vel æternitas, quod vnum est: (nihil enim verè est, nisi quod incommutabile est) ad quæ duobus modis respondere nos conuenit. Potentiæ, quæ potest nos punire; & sapientiæ, quam nihil potest latere: debemus timorem verum, id est, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis: simulatio est, vel quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simu-
B lamus in Deo. Charitati & veritati debemus amorem verum, id est, quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis: charitati enim quid debetur, nisi charitas; veritas verò charitatis, & charitas veritatis omnem remouet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem dico ne non amet charitas, ne decipiat veritas, ne defluat æternitas. Inde ergo Paulus ait, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profunditas. In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatem, siue veritatem. Sunt & in pietate dimensiones istæ, etsi minus notæ, non ta-
C men minùs insignes. Ego, ait Augustinus, hæc verba Apostoli Pauli sic intelligere soleo: In latitudine bona opera charitatis: in longitudine, perseuerantiam in bonis vsque in finem: In altitudine, spem cælestium præmiorum: In profundo, inscrutabilia iudicia Dei, vnde ista gratia in homines venit. Nunc se colligit interiùs, nunc exteriùs protendit: nunc animum euehit, nunc contrahit; nunc sursum prospectat, nunc sese in latum explicat. Hoc est, vt dixit Augustinus, Benè operari in Christo, & ei perseueranter inhærere, sperare cœlestia, Sacramenta non profanare. Sicque purgati valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiã charitatis Chri-
D sti, quã æqualis est Patri, per quam facta sunt omnia, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Hoc optat Apostolus, & hoc commendat.

plures in Christianâ pietate dimensiones.

Augustin. epist. 119. cap. 14.

August. lib. de doc. Christ. cap. 41.

Quoad secundum. Latent quidem hæ dimensiones in animi pietate, sed in cruce Christi eminent. Quid corde pergis, homo Christiane, (verba sunt Augustini) per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyssi? Quando ista comprehendis vel mente vel corpore, hoc est, siue cogitando, siue carnis oculis intuendo? Quando ista comprehendis. Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini
E nostri Iesu Christi. Et nos in illâ gloriemur, vel quia super illam incumbimus, in illa gloriemur omnes, ô boni fratres, in illa gloriemur. Ibi fortè inueniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem, & profundum. His enim Apostoli verbis crux quodammodo nobis ante oculos constituta est. Habet enim latitudinem, in quâ manus figuntur: habet longitudinem, quod inde vsque ad terram ducitur lignum: habet & altitudinem, quod ab ipso transuerso, in quo figuntur manus, excedit aliquantû, vbi caput crucifixi ponitur: habet & profundum, hoc est quod in terrã figitur, & non videtur. Tum & animi pietatem erigens, referensque ad

Augustin. ser. 7. de verb. Apost. cap. 3.

Augustin. cap. 4.

crucem

crucem Christi. Videte, inquit, magnum Sacramentum. Ab illo profundo quod non vides, surgit totum quod vides. Vbi ergo est latitudo? Confer te ad vitam & mores Sanctorum, qui dicunt, Absit gloriari, n si in cruce Domini nostri Iesu Christi. Inuenimus in moribus eorum latitudinem charitatis: vnde illos admonet ipse Apostolus, dicens: Dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Et quia ipse latus erat qui eos ad latitudinem exhortabatur, audi quid dicat, os nostrum patet ad vos, ô Corinthij: Cor nostrum dilatatum est. Latitudo ergo charitas est, quæ sola benè operatur. Latitudo facit, vt hilarem datorem diligat Deus. Si enim angustiam, passus fuerit, tristis dabit, si tristis dabit, perit quod dabit, Opus est ergo latitudine charitatis, ne pereat quicquid boni facitis. Sed quoniam ait Dominus, Vbi abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: Da mihi & longitudinem. Quæ est longitudo? Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Hæc est longitudo crucis, vbi totum corpus porrigitur: vbi quodammodo statur, quo stando perseueratur. Si ergo quæris qui in cruce gloriaris, habere crucis latitudinem, habeto benè operandi virtutem. Si vis habere crucis longitudinem, habeto perseuerandi longanimitatem. Si autem vis habere crucis altitudinem, nosce quid audias, & vbi audias. Sursum cor, Quid est, Sursum cor? Ib spera, ibi ama: inde pete virtutẽ, ibi expecta mercedem. Nam si benè operaris, & hilariter tribuis, videris habere latitudem. Si in iisdem bonis operibus vsque in finem perseueraueris, videris habere longitudinem. Sed & si omnia hæc non propter supernam mercedem facis, altitudinem non habebis, & illa iam nec latitudo erit, nec longitudo. Quid est enim habere altitudinem: nisi cogitare Deum, amare Deum & gratis amare ipsum Deum adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum prœmij largitorem: postremò ipsum prœmium deputare, non aliud ab ipso quàm ipsum expectare? Hoc sane mysterium, in quo gloriandum est. Hæc est enim fidei gloria, inquit Ambrosius, si vere intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi vtilis est, & verè vtilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si mihi crucifixus est mundus, scio quia non diligo eum: scio quia præterit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumet hunc mundum, quasi fœtidum viro, quasi luem caueo, quasi nociturum relinquo. Idcircò non vnus è plebe, non vnus è numero, sed filius Dei à Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, vt cum esset fortior morte, alios liberaret: & ita credant omnes per crucem salutem mundo refusam.

(Augustin. cap. 4.) (Crucis mysterium in quatuor dimensionibus designatum.) (Ambros. lib. 6. in Luc. sub fin.) (Aquin. lect. 5.)

A ... B ... C ... D ... E

Quoad tertium. Etiam & in Deo ipso dimensiones istæ reperiri possunt, nondum in animo, vel in patibulo. Notandum est enim, (ex Aquinate) quòd verba ista videntur ortum habere ex verbis. Iob. 11. Forsan, inquit, vestigia Dei comprehendes? Quasi dicat, incomprehensibilis est. Huius autem incomprehensibilitatis causam assignat, dicens: Excelsior cælo est, & quid facies profundior inferno est, & vnde cognosces. Longior terrâ mensura eius, & latior mari. Ex quo videtur, quòd Iob. ostendat eum esse incomprehensibilem, attribuens ei quadruplicem differentiam dimensionum. His ergo verbis alludens Apostolus, dicit: Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo, Quasi dicat, Habeatis tantam fidem, & charitatem, vt possitis tandem, comprehendere, quod incomprehensibile est, & vobis comprehensibile. Sciendum est enim quod comprehendere quandoque ponitur pro includere: & tunc oportet, quod comprehendens contineat in se totaliter comprehensum. Quandoque autem ponitur pro apprehendere, & tunc dicit remotionem distantiæ, & insinuat propinquitatem. Et primo quidem modo à nullo intellectu creato Deus comprehendi potest: nemo enim potest eum perfectè cognoscere, quantum cognoscibilis est. Secundo autem modo, dicit Apostolus, Vt possitis comprehendere, id est, Deum habere præsentem, & præsenter aliter cognoscere. Per latitudinem ergo designatur dimensio, seu extensio virtutis & sapientiæ: non enim aliquo modo intelligendum est, has dimensiones corporaliter esse in Deo, sed tantùm metaphoricè. Per longitudinem verò designatur æterna eius duratio. Per sublimitatem vel celsitudinem, perfectio & nobilitas naturæ eius, quæ in infinitum excedit creaturam. Et per profundum, incomprehensibilitas sapientiæ eius. Sic ergo patet quòd finis fidei & charitatis nostræ est, vt perueniamus ad perfectam cognitionem, quâ cognoscamus infinitam suæ virtutis extensionem, æternam & infinitam eius durationem, suæ perfectissimæ naturæ celsitudinem, suæ sapientiæ profunditatem, & incomprehensibilitatem, eo modo sicut est attingendum. Maxima Dei sublimitas, maxima & charitas; nec minus ista quàm illa mirabilis, non minùs incomprehensibilis. Quid est, ait Chrysostomus, Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, profunditas, & altitudo? Hoc est, magnitudo charitatis Dei quomodo in omnem partem extensa sit: sic eam corporaliter figuris descripsit, ostendens hominem: accepit quæ sunt suprà, & quæ infra, & quæ ex transuerso. Sed quicquid describat, quicquid accipiat, semper captum nostrum tam sublimitas Dei superat, quàm charitas: quæritur iuxtà modulum, sed nunquam ad perfectum reperitur. In retributionis enim culmine, vti dixit Gregorius, reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc in claritate suâ quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plenè contuemur. Angelica enim vel humana mens cum ad incircunscriptum lumen inhiat, eo ipso quo est creatura, coangustat, & super se quidem per prouectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit: qui & transcendendo & portando omnia, & implendo concludit. Cælo enim excelsior est, quia incircunscriptione sui spiritûs cuncta transcendit Inferno profundior, quia transcendendo subuehit. Terrâ longior, quia creaturæ modum perennitate suæ æternitatis excedit. Mari latior, quia rerum temporalium fluctus sic regens possidet, vt hos sub omnimodâ potentiæ suæ præsentiâ coangustando circumdet.

(Quomodo quod incõprehensibile in Deo sit pro modulo comprehensibile.) (Chrysost. orat. 7.) (Gregorius lib. 10. Moral. cap. 7.)

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

COmmendat vnitatem ſpiritûs, donis diuerſis alterabilem; nouum hominem delineat. Ita Scindimus caput in partes duas.

PARS PRIMA.

De Vnitate.

TEXTVS.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientiâ, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritûs in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vnâ ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſeçundùm menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit? Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli. Fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominũ, in aſtutiâ ad circunuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam, ſubminiſtrationis Secundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate,

EXEGESIS LITERALIS.



ARIA ſunt Eccleſiæ dona; ſicut & multa vnius corporis membra: ſed inter tot dona, ſicut & inter tot membra, fideliter, incunctantérque ſeruanda concordia.

Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine. Pondus ineſt verbis. Quis enim obſecrat? Ego. Ego Paulus: ſed vinctus in Domino. Hæc gloria veſtra. Itaque ego qui Euangelij cauſâ, qui pro Chriſti, imò & veſtri gloria captiuus ſum, hiſque conſtrictus vinculis, obteſtor vos, exhortor vos. Sic enim & ex Græco. Quid porrò rogat? quid
A obſecrat? Vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati eſtis. Noſtis, Quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. Itaque rogo & obſecro vt vitam componatis iuxta dignitatem vocationis veſtræ, vt regulam conuerſationis veſtræ inſtituatis iuxta ſublimitatem veſtræ conditionis: ſicque incedatis cum multâ humilitate, neminem
B ſpernendo; & cum perfectâ manſuetudine, neminem repellendo. Cum patientiâ, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti Seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis & Neminem aſpernemini, neminem dedigmemini: Sed ſi quid offendit, Si quid aut in moribus aliorum occurrit vitioſum; aut in ſermonibus aſperum, diſſimulate per longanimitatem, per charitatem tolerate:

se. Nunc autem nihil horum habentes, omnia volumus obtinere & efficere. Nam si alterum ab altero fuerit separatum, reliquum sit inutile. Quid enim iuuat esse propensum ad adeunda pericula, si sit vita obnoxia reprehensioni. Si enim lumen, inquit, quod in te est, sunt tenebræ, tenebræ quantæ sunt? Quid autem iuuat eius esse vitæ in quam nón cadat reprehensio, esse autem habetem, pigrum & somnolentum? Quid autẽ prodest esse vtraque hæc, & non esse aptum ad dispensandum? Nos verò vndique otium & quietem quærimus: pericula ne in somnis quidem ferre possumus, imò vero nolumus. Propterea & qui nostræ subiecti sunt administrationi, multum distant ab ijs qui tunc erant: quandoquidem qui tunc erant discipuli, ijs qui nunc sunt magistri erant præstantiores ac meliores, vt qui in mediis populis, & tyrannis intercepti, & vndique omnes habentes hostes, ne parum quidem mouebantur & inflectebantur. Sic illi à magistris suis instituti, sic & magistri à Christo Domino admoniti. Sicut misit me pater, & ego mitto vos: id est, inquit Gregorius, sicut me misit pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines. Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit. Sed tamen amauit filium, quem ad passionem misit. Electos verò Apostolos Dominus non ad mundi gaudia: sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre, & tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli à Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque rectè dicitur: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: id est, eâ vos charitate diligo, cum inter scandala persecutionum mitto, quâ me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones voluit.

Gregorius Homil. 26. in Euang.

ANAGOGIA.

Mihi omnium sanctarum minimo data est gratia hæc.

NOn solum se minimum dicit, sed & ἐλαχιστότερον minimissimum, quasi vltra humiliari non possit, aut inferius deprimi: adeò se demittit, & vltrò se deiicit. Inde tres elicimus humilitatis gradus.

Primus est, vt homo se postremum & omnium vltimum existimet. Ita Christus consulit, imò & præcipit: Vade: recumbe in nouissimo loco, & accinit Paulus, cum ait: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Sed & quod ordinat verbo firmat exemplo: cum modò se inter peccatores primum collocat, id est, inter homines vltimum; modò se minimum vocat Apostolorum: quod non solùm ex consueto humanæ conuersationis modo, quo ille qui loquitur, se primum inter alios reprehensos constituit; sed ex arcano Christianæ humiliationis mysterio, quo ille qui deiicitur, se infimum inter alios etiam deiectos cupit. Eos, ait Chrysostomus, qui ad medici veniunt officinam, non temerè & inconsideratè illuc est eundum, sed vt discant curare, & adhibere medicamenta: & nos quoque cum huc accesserimus, non hoc oportet temere facere & inconsideratè, sed vt discamus Pauli summam humilitatem. Quid verò? Quoniam erat dicturus gratiæ Dei magnitudinem, audi quid dicat. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Erat quidem humilitatis, propter priora delicta, eaque delecta, lugere & eorum meminisse, & modestè se gerere, vt quando dicit se blasphemum, & persecutorem, & contumeliosum sed non est illud cum hoc conferendum. Priùs enim, inquit, talis eram, & se vocat abortiuum. Post tot autem & tanta rectè ac præclarè gesta se modestè gerere, est multæ & summæ modestiæ. Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum. Non dixit, Apostolorum. Quamobrem illud quoque hoc minus est. Hic enim se etiam dicit omnium sanctorum minimum. Mihi, inquit, omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Næ ludunt illi & illudunt, qui humilitatem Pauli redigunt ad ciuilitatem seculi. Ergone descendit Christus in hunc mundum, vt nos faceret mundanos? Suasit locum nouissimum, vt nos vrbanos redderet? Ergone Paulus se minimum sanctorum omnium dixit, vt nos publicam honestatem doceret; se primum inscripsit peccatorum, vt communem dicendi loquendi-ve teneret consuetudinem, & non Christianam humilitatem imprimeret? In vanum ergo desudauit Christus, in cassum laborauit Apostolus, vt morem reduceret mundi, non vt legem cœli constitueret; vt nobis aperiret ea quæ nimis nota sunt filiis huius seculi, taceret ea quæ à Filiis Dei nocenda sunt & agenda? Contendit Paulus de loco, sed recumbit in nouissimo loco: idque non à mundo, sed à Christo didicit. Humilitas namque, (vt loquar cum Laurentio Iustiniano) perfectissimè elucet in vitâ & virtutibus Saluatoris, quibus se comparando homo quid de se æstimare debeat, perspicuè edocetur. Perfectio namque ipsius humilitatis in nobis collocat fundamentum, dum humana mens in illo miratur omnium charismatum pulchritudinem, omniumque virtutum consummationem, atque in se omnium vitiorum fomitem & transgressionem. In lumine virtutum ipsius illuminatur de se corruptibilis homo, & per cognitionem eius veram de se profert sententiam humilitatis. Confitetur in ipso omnem diuinitatis plenitudinem habitare, & in se nullum habitare bonum. Magnificat dignitatem illius, & sui ipsius prædicat vilitatem. Humiles namque sunt, qui propriæ infirmitatis conscij sunt. Sic enim describitur humilitas: Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibimetipsi vilescit: vt tanto in suscipiendis spiritualibus donis fiat dignior & capacior, quanto per humilitatis virtutem extiterit in se profundior & abiectior.

Luc. cap. 14.

Philip. cap. 2

Chrysost. orat. 7.

Aliud ciuilitas vrbana, aliud Christiana humilitas.

Laurent. Iustin. Tract. de humilit. cap. 1.

Secundus est, vt homo se ad nihilum reputet. Descendet ergo iterum Paulus, dicetque: Tametsi nihil sum. Condicetque omnibus: Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Nec eâ trita loquendi aut obloquendi formâ, quâ homines aut

2. Corinth. cap. 12.

Galat. cap. 6.

aut tenues, aut modici meriti, dicimus homines nihili: sed eâ viuendi ac promerendi scientiâ, quâ typhum ad nihilum redigimus: nec enim hic habet locum ratio subtiloquentiæ, sed modestiæ demissio principatum obtinet. Necesse est, ait Bernardus, vt illucescat dies patientiæ, per quam omnia aspera & dura tacitâ amplectaris conscientiâ: te magis diiudicans, & duriùs arguens: teque in omnibus accusare laborans, & in cogitatione tuâ semper partem alterius quoad potes aduersùs temetipsum adiuuans. Sed considera quàm manifestè propheta doceat necessariam esse humilitatem post patientiam dicens: Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Nonne videtur hîc occasione patientiæ tentationem sensisse superbiæ? Necessè est ergo vt illuminet cor tuum radius humilitatis, & declaret quid à te sit, quid à Deo, vt non altum sapias! quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: Quis patientior Paulo? Sed sicut nullus patientior, sic & nullus sapientior: vt qui non obstrepentem superbiam admittat, sed se ad cælestem demittat referatque sapientiam. Consiliorum Christi ista lex est, inquit Laurentius Iustinianus, vt quisquis ea implere voluerit, omninò studeat abnegare quod est. Sic ipsum Dominum dixisse in Euangelio legitur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Desinat huiusmodi desiderare præesse, & similis Christi imitatione contentus, pro adipiscendis bonis cælestibus eligat in hoc mundo esse inglorius. Hanc humilitatis regulam quemadmodum docuit verbis, ita insinuauit exemplis ipse, qui ait. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Propterea volentibus eum super se Iudæis instituere regem, se occultauit à turbis, cunctis præbens singulare humilitatis exemplum, quatenus nemo in hoc seculo cuperet esse sublimis. Et hac disciplinâ longè ante Propheta imbutus, confidenter aiebat: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. O præclara humilitas, quæ professorem suum excelsum facit, eoque amplius illum exaltat in spiritu, quo magis se contemnendo humiliat. Si tamen non fictè, sed corde sit humilis: sunt nempe quamplurimi, qui extrinsecùs tantùm signa humilitatis portendunt in demissione vocis, accusatione sui; quorum cogitatio ficta, obliqua intentio. Horum fucatam nequitiam ignorat ars Christi, qui cordis humilitatem insinuat esse sectandam. Nihil es ex te ipso, nihil habes à temetipso. An verè agnoscis ac sincerè, an ex corde dicis, an intus dicis? Quid esses, nisi Deus esse te aliquid voluisset? Nihil. Imò, quid non esses, nisi Deus per singularem gratiam, per specialem occurrisset prouidentiam? Nihil non fœdum, nihil non abominandum. Quid igitur nunc habes, quod non accepisti? Nihil. Si quid vales nihil de tuo, & ex teipso vales, sed in ipso, & ab ipso, in quo & à quo sunt omnia, & sine quo nec sunt nec esse possunt, & cum quo composita, si esse non desinunt, desinunt apparere. Nonne, ait Bernardus, si conferentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies seculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad comparationem illius qui stupendus est virtutibus in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem; ita vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem. Cum ergo ei donauero quicquid sum, quidquid possum: nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, granum ad aceruum.

Bernard. serm. 3. de circum. Dom.

Laurent. Iustin. lib. de contemp. mund. c. 11.

Seipsum abnegare est se ad nihilum reducere

Bernard. serm. de quadrup. debi. vlt. med.

Tertius, vt & hoc ipsum quod de se sentit ac dicit, ab aliis excipi ac credi desiderat. Non solùm ergo se Paulus minimum dicet Christianorum omnium, non solùm se ad nihilum reducet, sed & hoc ipsum suadere conabitur, & in argumentum præcedentia merita commentabitur. Quoniam, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei. Ita & Ignatius, dignus Christi & Pauli discipulus. Ego vinctus omnes saluto, & non sum dignus esse vltimus eorum. Quantum scilicet de se: non enim ex opere suo sed ex collato munere. Ita denique Bernardus. Gaudeo quidem de gratiâ, inquit, sed temperat, fateor, pro tanto fauore lætitiam, quod eundem mihi fauorem non opus, sed opinio acquisierit. Pudet nimirum granditer exultare, cum sentio in me venerari vel diligi non quidem quod sum, sed quod putor. Neque enim ego tunc diligor quando sic diligor, sed nescio quid in me, pro me quod non sum ego. Imò, vt veriùs loquar, non nescio: nam certissimè scio quod nihil. Nihil enim proculdubio est, quicquid putatur & non est. Porrò cum amatur quod non est, sed esse putatur, non amor vel amans nihil est, sed quod amatur. Mirandum, sed magis dolendum quàm mirandum, quod id quod nihil est, amari potest. Hinc planè sentimus vnde quo venimus, quid perdidimus, quid inuenimus. Ita cupiunt veri humiles nihili pendi, viles haberi; & quantum permittit charitas, aut veritas non resistit, quantum possunt, pro viribus ac rationibus imprimunt. Non solùm humiliant se, sed & humiliari desiderant, & in totum tales quales se proclamant æstimari. Non enim patienter solùm humiliantur, sed & libenter; & per humiliationem spontaneam, perfectam inaugurantur humilitatem. Quanti humiliantur, ait ille, & humiles non sunt? Alij enim cum rancore humiliantur, alij patienter, & alij libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxij, vltimi iusti. Qui dicere potest, Bonum mihi quia humiliasti me: is verè humilis est. Non enim potest hoc dicere qui inuitus tolerat, minùs qui murmurat. Est autem humilis, qui humiliationem conuertit in humilitatem; & ipse est, qui dicit Deo: Bonum mihi, quod humiliasti me. Nemini prorsus quod patienter fert bonum est, sed planè molestum. Scimus autem quod hilarem datorem diligit Deus. Vis autem videre humilem rectè gloriantem, & verè dignum gloriâ? Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter

Ignat. epist. ad Smyrn.

Bernard. epist. 18. sub init.

Sancti humiliationis [illegible] & humilitatis cupidi.

Bernard. serm. 34. in Cant. vers. finem.

ter gloriari in illis; probans etiam sibi bonum esse quod humiliatur: nec sufficere omninò vt possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat tanquam sponte humiliatus. Quanto anima sanctior, tanto humiliationis sicut & humilitatis auidior; & quo auidior, eo & in infirmitatis confessione, & indignitatis agnitione ac suasione promptior. Cum enim mens, vt loquitur Laurentius Iustinianus, ex infusione gratiæ cœlestis irradiari cœperit & iustificari, tunc reuelantur, quæ priùs fœda latebant: tunc animi deformitas, peccandi pronitas, casû frequentia, omniumque vitiorum fomites deteguntur. Et ex hoc lumine conuincitur mens cognoscere infirmitatem suam, & horrere per gratiam, quod ante ignorabat in culpâ. Hoc totum fit ex illustratione superuenientis & illustrantis gratiæ: quia (teste Paulo) omne quod arguitur, à lumine manifestatur. Se tam verè miseram agnoscit quàm manifestè infirmam; & quæ infirmitatem odit, diligit veritatem; dicit ingenuè quod sentit; vt si sarcinam infirmitatis exuere non possit, possit tamen humilitatis gratiam, velut ingenuitatis palmam apprehendere.

Laurent. Iustinian. Tract. de hum. cap. 7.

PARS ALTERA.

De Oratione.

TEXTVS.

PROPTER quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex qua omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominē, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, que sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam super eminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesiâ, & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

POSTVLAT ab Ephesiis, & pro ipsis Deum rogat, vt in fide firmentur, corroborentur in charitate, plenaque illuminentur diuinarum rerum scientiâ.

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra &c. Cum igitur tanta nobis per Christum insit fiducia: rogo vos ne animum despondeatis in afflictionibus meis, quas pro salute vestrâ perfero: quin potius ipsum attollatis, cum vincula mea cedant in gloriam vestram, dum diuinam erga vos curam demonstrant ac beneuolentiam. Tantâ fuit Deus erga vos charitate affectus, vt non solùm filium, vestri ob gratiam morti obtulerit, sed nos etiam qui eius sumus seruitute deuincti, periculis siuerit & vinclis adstringi. Ne igitur inde turbemini, Sed potius gloriemini. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem &c. Quidam prima capitis verba cum istis connectunt. Ego Paulus flecto genua &c. Sed magno hiatu, & abrupto impetu; non enim tam connectunt verba, quàm confundunt. Quid enim bis. Huius rei gratiâ? Si gratiam alteram non profert, aut si nouam non affert causam. Primo igitur dicit, Huius rei gratiâ, nimirum quia ciues estis sanctorum & domestici Dei. Tum repetit, Huius rei gratiâ, nimirum ne deficiatis in tribulationibus meis. Itaque tam humiliter, quàm suppliciter Deum exoro Patrem Domini nostri Iesu Christi, ad quem vt ad principem & originem familiæ omnes etiam celebres, siue Angelorum in cœlis, siue hominum in terris reuocandæ sunt: vt secundùm, immensam misericordiæ, ex quâ laudaudus ac glorificādus, copiam: illū inquam rogo, vt induti virtute ex alto, & acceptâ per Spiritum sanctum forti

Athanas. in Paulum.

Vincula Pauli ad electorum gloriam ordinata.

fortitudine, ad tutamentum hominis interioris A profectumque, contra omnes tentationes armemini, contrà omnes tribulationes roboremini. Christū habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas & profundum, &c. Et hoc oro, vt Christus corda vestra per fidem inhabitet, per quam interiorem sanctificet hominem: det etiam vt charitas vestra firma sit, & immota sanctitas. Et id à Deo pro vobis postulo, vt cum omnibus fidelibus valeatis assequi & animo complecti quanta sit mysterij vobis annuntiati excellentia. Hoc præstare dicit habitantē Christum vel Spiritum in nobis, (ita Ambros.) B vt fundati simus in charitate Dei, & deuincti beneficiis eius possimus cum sanctis, immensum & inæstimabilem cognoscere Deum, omnia excedentem maiestate virtutis suæ. Tanta nimirum dignitas est, tanta sublimitas.

Ambros. in Paulum.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei, &c. Vt etiam dignè perpendere possitis & æstimare Christi charitatem, humanam excedentem notitiam; sicque capiatis, vt sciatis tam incomprehensibilem esse quàm immensam. Quin etiam, inquit, (apud Athanas.) Inuestigando Christi huiusce modi charitatem noscaris, quæ procul dubio cęterarum rerum excedit cognitionem. C Quod si ita se habet, quo pacto nos sumus charitatem huiusmodi cognituri? Excedit quidem omnium scientiam, humanam videlicet. Vos verò non humana scientiā charitatem hanc percepturi estis, sed percepturi. Postulo à Deo, vt quod per naturam non potestis, possitis per gratiam. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis. Obmisi priora verba sed iam resumenda. Sicut enim in illis verbis, orationis perfectio est; Sic & in istis, glorificationis additio. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Vt numerum diuinorum perfectionem cōsequamini. D Ei autem qui omnia potest præstare abundantiùs, & vltra omnia quæ petimus, aut animo concipimus, potest, inquam, secundùm ea quæ in nobis facit, & facit nos facere. Ipsi gloria in Ecclesiā, & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen. Ipsi gratiæ agantur, ipsum exaltet Ecclesia, tantis ditata beneficiis, & per Iesum Christum, in omnes seculorum omnium ætates glorificet. Pulchrè cōcludit orationem precibus & glorificatione, oportebat enim glorificari & benedici qui omnia præbuit. Non solùm autem maiora aut abundanter, sed superabundanter: & est E euidens ex virtute quæ fit in nobis. Neque enim hæc vnquam petiimus, neque expectauimus. Et ego quidem, inquit, precor: ipse autem faciet etiam sine meis precibus maiora quàm nostræ sint petitiones. Quare est hoc quoque pars admirationis, & magnitudinis eorum quæ à Deo sumus adepti, glorificare, & per Iesum Christum. Gloria denique eius in Ecclesiā rectè dixit. Ipsa enim sola scit manere in perpetuum, Ita sit.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. orat. 7.

Vota supplicium à Deo copiosè superata.



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

NOVIMUS paternitatem in terris, at quæ in cælis sit, inquirimus. Scimus sciētiam charitatis, at charitatem scientiæ adhuc quærimus. Sit ergo,

DISQVISITIO PRIMA.
De paternitate.

NOuas genealogias non minùs hæretici adinuenere quàm Iudæi, nec in terris duntaxat seuerè, sed & in cælis. Ita Simon apud Epiphanium sparsit: Se summam esse Dei vim, scortum verò suum Spiritum sanctum affirmare ausus est, cuius gratiā de cœlo descenderat. Præterea Mineruam eandem esse dicebat, seu notionem suam, per quam, inquit, angelos creaui: angeli porrò mundum, atque homines condiderunt. Sed in vnoquoque cœlo propriam, aiebat, eius cœli formam indui, quo meos angelos latere possem, & ad meam illam intelligentiam descenderem. Idem prætèrea nomina quædam principatuum ac potestatum commentus est, cœlestesque globos varios; atque in firmamento cœloque quolibet intelligentias certas collocat, quibus barbaras appellationes affingit. Negat insuper salutem consequi vllum hominum aliter posse quàm si sua mysteria didicerit, & vniuersitatis parēti ea sacrificia per illos quos diximus principatus ac potestates obtulerit. Sanè si mysteria illa magica vllibi obtinuere, maximè Ephesi, vbi & Apollonii, inualuere carmina. Idcircò reflectendum est primò Apostolum sæpe potestatū ac principatuum meminisse, sic tamē vt Christo cederent, & ex prædicato proficerent Euangelio. Suscitans illum à mortuis, & constituens suprà omnem principatum, & potestatem. Et vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Reflectendum secundò, toties nomen Christi inculcare, & per fidem, benedictionem omnem deducere; vt alium quemuis propitiatorem subducat à Christo alienum, magicumque seu à Mago subintroductum, detrahat. In quo, habemus fiduciā & accessum in confidentiā per fidem eius. Tertiò, omnia ad vnicum reuocare principium, vt commentum elidat Simonium, & Deo patri, tanquam auctori proprio restituat. Huius rei gratiā flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrā nominatur. Et quidem mira Simon de naturis blatterabat cœlestibus, iactabatque noua de viribus diuinis, sed tam nugatoria, quā fabulosa. Ad hæc, ait Epiphanius, fabulam adiiciebat: Lapsam de cœlo vim illam semetipsam dissimulasse: deque eo poëtas locutos esse. Idcircò & Paulus toties in istā Epistolā, imò & solā. In cœlestibus reponit, quibus & nugas abigit & fabulas.

Epiphan. serm. 21.

Mundus à Deo non ab ipsis Angelis conditus.

Epiphan. ibidem.

Succedunt Valentiniani, qui summo quidem deferunt principio, sed in diuersas distrahunt familias. Hæretici, inquit Tertullianus, quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates

Tertullian. lib. aduers. Valent. ca. 7.

tates sublimitatum in habitaculum Dei sui cuiusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Primus omnium Ennius poëta Romanus Cœnacula maximo cœli simpliciter pronuntiauit, delati situs nomine, vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum. Etiam Creatori nostro Enniana cœnacula in ædicularum dispositâ sunt formâ, aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuique Deo per totidem scalas distributis quot hæreses fuerint. Meritorium factus est mundus. Insulam Feliculam credas tanta tabulata cœlorum. Nescio vbi. Illic enim Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat. Hunc substantianter quidem αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter verò, προαρχὴν & τὴν ἀρχὴν etiam Bython. Innatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumque definiunt. Et tamen quem solum volunt, dant & secundâ in ipso & cum ipso personam, Ennœam, quam & Charin & Sigen insuper nominant. Et fortè accedunt in illâ commendatissimâ quiete monere eum de proferendo tandem initio rerum à semetipso. Hoc vice seminis, in Siges suæ veluti genitalibus vuluæ locis collocat. Suscipit illa statim & prægnans efficitur, & parit vtique silentio Sige, & quem parit Nus est, simillimum patri & parem per omnia. Ita & ipse pater dicitur, & initium omnium, & proprie Monogenes. Atquin non propriè, siquidem non solus, agnoscitur. Nam cum illo procedit & fœmina, veritas. Ergo Bythos & Sige, Nus & veritas, prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix & origo cunctorũ. Inde enim prosemination Æonum Valentinianorum, masculorum feminarumque coniugatio, donec theogoniam impleant, & vsque ad nauseam augeant familiam. Interim, ait ille, in tricenario fœcunditas tota deficit: castrata est vis & potestas & libido genitalis Æonum. Quasi non & numerorum tanta adhuc coagula superessent, & nulla alia de pædagogio nomina. Quare enim non & quinquaginta & centũ procreantur? quare non & stercolæ & syntropsi nominantur? Iam non solùm rident, sed & fœtent.

Theogonia Hesiodi à Valentinianis inducta.

Tertullian. cap. 8.

Excludit vtramque fabulam Apostolus, cum ait. Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur. In quo obseruandum est primò, verbum Græcum πατριὰ, pro quo in nostris, paternitas: significare parentelam, seu familiam ab vno patre, seu primo generis ac cognationis exortam principe. Quid sint paternitates, ait Chrisostomus, necesse est dicere. Nam hic quidem paternitates sunt genera, nempe gentes & cognationes. Secundò, etim in cœlis etiam familiam reperiri, Angelicam scilicet, & vnum populum ex illis & electis componi. Sunt illic cœtus, ait ille, & gentes ac cognationes. Qui enim saluantur, in familiam deputantur Angelicam; cuius & proponitur vita, & gloria promittitur. Tertiò paulum humilitatis offerre sacrificiũ, & per cultum exprimere non minùs religionis quàm & creationis omnis principium. Oratio, ait, Aquinas, redditur exaudibilis per humilitatem. Psalm. 101. Respexit in orationem humilium. Et ideò statim orationem suam humilitate incipit, dicens: Huius rei gratiâ, scilicet ne deficiatis à fide. Flecto genua mea ad patrem. Quod est signum humi-

Chrysostom. orat. 7.

Aquin. lect. 4.

Flectere genu alicui, est se illi submittere.

A litatis propter duo. Primò, quia qui genua flectit, quodammodo paruificat se, & subiicit se, ei, cui genua flectit. Vnde, per huiusmodi ostenditur recognitio propriæ fragilitatis, & paruitatis. Secundò, quia in genu est fortitudo corporis. Quando ergo quis genua flectit, protestatur debilitatem suæ virtutis. 2. parol. vlt. in oratione Manasses. Flecto genua cordis mei & Esa. 45. Mihi curuabitur omne genu. Itaque, vt absoluam ex Athanasio. Cum dicit Paulus, Flecto genua, ostendit se ingenti animi ardore precari. Ex patre verò superno omnis deriuatur paternitas. In terris quidem generationes per paternitatem designans, quas Græci πατριὰς,
B à patrum nomine dicunt. In cœlis autem quia nulla ibi suscipitur soboles, paternitatem, cœtus Angelorum vocat, proinde ac si dicat, Et quæ in cœlo sunt, & in terris tribus, creauit. Et quia hac ratione est omnium pater, ab eo & patres cæteri nominantur.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Charitate.

CVPIT Apostolus vt possimus, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Græcè γνώσεως, cognitionis. In quo notan-
C dum est primò sectam Gnosticorum à Simonianis exortam esse, & Valentinianis agnatam. Insolescentes doctrinæ Valentinianorum, ait Tertulianus, in siluas iam exoleuerunt Gnosticorum. Et Epiphanius de Simone, carnis duntaxat vnius corruptionem atque interitum, animarum verò expiationem astruit, ita tamen si mendacissimæ cognitionis suæ mysteriis initiata fuerint. Atque hinc eorum, quos Gnosticos appellamus, origo profluxit. Græcè γνῶσις ἐν μυσταγωγίᾳ. Vnde & γνωστικοὶ Secundò, totam sectam non tam in cognitione arcanâ, quàm in fœdâ libidine positam. Habes, ait Tertullianus, Tetradem duplicem, & coniugationibus mas-
D culorum & fœminarum; cellas, vt ita dixerim, primordialium Æonum: fraterna cõnubia Valentinianorum deorum: census omnis sanctitatis & maiestatis hæreticæ: nescio criminum an numinum turbam; certè fontem reliquæ fœcunditatis. Ecce enim secunda Tetras, Sermo & Vita, Homo & Ecclesia, quòd in patris gloriam fruticasset. Hinc numero gestientes & ipsi tale quid patri de suo offerre, alios ebulliunt fœtus, proinde coniugales, per copulam vtriusque naturæ. Inde fœda compago, libido promiscua. Nam & honorandum, ait ille, coniugiorum supernorum gratia dicitur apud illos, meditandũ, atque celebrandum semper sacramentum, co-
E miti, id est fœminæ adhærendo; alioquin degenerem, nec legitimum veritatis, qui diuersatus in mundo non amauerit fœminam, nec se ei iunxerit. Quanta apud Epiphanium, sed tacenda. Enimuerò, ait ille, pudet omnia illorum arcana detegere. Solius enim est Dei profundissimam hanc tanti factoris voraginem obstruere. Adeo spurca, adeo horrenda, vt non solùm audientem lædant, sed & dicentem inficiant. Tertiò, infanda illa fœditatis mysteria, charitatis obuelata sipario, seu titulo dilectionis prænotata. Id enim vocabant, Dilectionem facere. Seu, exercere charitatem: nec enim aliam prædica

Tertullian. lib. aduers. Valent. cap. vlt.

Epiph. serm. 21.

Tertullian. cap. 7. & 8.

Apud Valentinianos, criminum turba, non numinum.

Tertullian. cap. 30.

Epiph. serm. 26.

prædicabant, quam animalem; diabolicam. Turpem nobis, ait ille, narrationem afferunt: quâ vt corruptis consuescamus corporibus persuadeant, atque ab omni spe cælestium excidamus. Eiusmodi enim illorum monimenta sunt, vt si quis ea sapiens legerit, vehementer obstupescat, vixque ab hominibus fieri ista posse sibi persuadeat, non modò iis nostri generis hominibus, qui in republicâ versantur, sed etiam iis, qui in medio ferarum ac pecudum similes degunt, quique cum canibus ac suibus paria propemodum perpetrant.

Epiph. serm. 26. & 27.

Apposité igitur Apostolus dilectionem seu charitatem Christi in mentem reuocat, optatque ab Ephesiis, imò & à nobis, cæterisque omnibus fidelibus reuolui ac perpendi. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Quod precatus est in principio, ait Chrysostomus, hoc nunc quoque. Quid est autem quod optauit in principio. Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius: idem nunc quoque dicit. Primò ergo charitatem proponit, sed charitatem Dei & Christi, id est veram ac perfectam. Charitatem Christi: id est, vt exponit Aquinas, quam Deus pater fecit per Christum. Secundò, dicit esse supereminentem scientiæ, seu cognitioni: Scilicet naturali, ait ille, & omnem intellectum creatum excedentem. Non illam gnosticam, tam pestilentem quàm & nefandam sed diuinam, tam puram quàm & cælestem, excellentem, omni scientiæ, omni humanæ supereminentem notitiæ. Tertiò denique, dum id in memoriam reducit, totam exprimit redemptionis ac salutis œconomiam. Quicquid enim & in mysterio redemptionis humanæ, & incarnationis Christi, totum est opus charitatis. Nam quod incarnatum est, ex charitate processit. Sup. 2. Propter nimiam charitatem quâ dilexit nos. Quòd mortuus fuit, ex charitate processit. Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ideò scire charitatem Christi, est scire omnia mysteria incarnationis Christi, & redemptionis nostræ, quæ ex immensâ charitate Dei processerunt: quæ quidem charitas excedit omnem intellectum creatum, & omnium scientiam, cum sit incomprehensibilis cogitatu. Et ideò dicit, Supereminentem scientiæ. Ita Aquinas. Laudatque Gregorium dicentem. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti. Non debet igitur sic construi, Charitas scientiæ. Sed, Charitas supereminens scientiæ. Quamuis enim, Scientiæ, in Græco, sit in gignendi: tantum nihilominus valet, ac si esset in dandi. Optat itaque Paulus inuitatque fideles omnes, vt expendant perpendantque charitatem Christi, quæ nunquam satis expendi potest ac perpendi, cum omnem superet summam cogitationem, ideoque illustrationem diuinam, & supernam, illuminationem expostulet.

Chrysost. orat. 7.

Aquin. lect. 5.

Omnia redemptionis nostræ mysteria per charitatem cõsummata.

TROPOLOGIA.

Propter quod peto ne deficiatis.

Petit ab hominibus, & tamen genu flectit Deo; quia in nobis quidem est arbitrium, sed

A diuinâ fulciendum gratiâ. Petit non solùm eos virtute corroborari, sed & radicari in charitate; quia bonum quidem quòd humanas mentes charitas possederit, sed infirmum nisi altas radices egerit. Denique confidentiam acuit, dum ostendit potentiam.

Quoad primum. Audiet aliquis doctorem monentem consulentemque, peto ne deficiatis. Sed statim regeret: Bonum consilium das, (ita apud Bernardum, sed & si dederis posse teneri. Siquidem non est eiusdem facilitatis, scire quid faciendum sit, & facere: quoniam & diuersa sunt, B cæco ducatum, ac fesso præbere vehiculum. Non quicumque ostendit viam, præbet viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui faciet ne deuiet; & aliud qui præstat ne deficiat in viâ. Ita nec quiuis doctor statim & dator erit boni quodcumque docuerit. Tu quidem homo rectè consulis ignorantiæ, sed si verum sentit Apostolus, spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Imò verò qui mihi per os tuum ministrat consilium, ipse mihi ministret necesse est per spiritum suum adiutorium, quo valeam implere quod consulis. Ecce enim iam ex eius munere velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Sed nec aliquando me inuenturum confido, nisi qui dedit velle, det & perficere pro bonâ voluntate. Quid C ergo est? Duo mihi sunt necessaria, doceri, ac iuuari. Tu me doces, sed nihil promouet, ni & ores, vt Deus adiuuet infirmitatem meam, & natam voluntatem corroboret. Apostolum audimus, Psalmum audimus, Euangelium audimus, consonant, ait Augustinus, omnes diuinæ lectiones, vt spem non in nobis, sed in Domino collocemus. Peto, inquit Apostolus, vos non infirmari in tribulationibus meis, pro vobis, quæ est gloria vestra. Peto, inquit, vos non infirmari, id est, vt non infirmemini, quando auditis me pati pro vobis tribulationes: quia hæc est gloria veD stra. Petit ergo eos, vt non infirmentur; quod non faceret, nisi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim responderent, Quid nos petis quod in potestate non habemus? nunquid non viderentur sibi iustum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus, nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, vbi & ipsi aliquid agerent: non diceret peto. Et si diceret, Iubeo, nisi eos nosset adhibere posse iussioni suæ voluntatem, sine causâ hoc verbum de eius ore procederet. Sed rursus sciens sine Dei adiutorio infirmam esse hominis voluntatem, non solùm ne dicerent, voluntatis arbitrium non habemus E dixit, peto: verum etiam ne dicerent, voluntatis arbitrium sufficit nobis, videte quid addidit, Huius rei gratiâ. Cuius rei gratiâ nisi quam suprà dixerat, peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, peto. Quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium ad implendum quod peto, Huius rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis. Quid det vobis? Quod peto à vobis, rogo det vobis. Petit ne deficiant, propter arbitrium voluntatis; sed quid arbitrium voluntatis, si auxilium desit maiestatis. Tolle liberum arbitrium, ait Bernardus, non erit quod saluetur. Tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Quid enim? Tu fortè putaueras tuâ posse saluari iustitiâ, qui nec saltem Dominum Iesum dicere potes nisi in

Bernard. Tract. de grat. & lib. arb. sub init.

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 1.

Infirmam est arbitrium voluntatis, vbi non ad est maiestatis auxilium.

Bernard. tract. de grat. & lib. arb. post init.

 Spiritu

Spiritu sancto. Itane oblitus es quis dixerit: Sine me nihil potestis facere. Et, neque currentis, neque volentis, sed Dei miserantis est? opus hoc sine duobus effici non potest, vno à quo fit, altero cui vel in quo fit: Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantùm capax: nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium: quod ergo à solo Deo & soli datur libero arbitrio tam sine consensu esse non potest accipientis quam absque gratia dantis, & ita gratiæ operanti saluté cooperari dicitur liberũ arbitriũ dum consentit, hoc est dum saluatur, consentire enim saluare est. Quia ergo liberi sunt homines, petendum ab eis ne deficiant; quia verò infirmi sunt & fragiles, petendum est pro eis vt non deficiant: si enim dimissi fuerint sine gratiâ, audient quidem, sed in viâ deficient.

Quoad secundum. Rogat Paulus, sed quid à Deo postulat? Adhuc fortasse expectatis audire, (ita Augustinus) vtrum reuerà ideò Apostolus pro ipsis ad patrem genua flectat, vt det illis quod dixerat eis, peto. Mementote ergo quod petierit ab ipsis peto, vos non infirmari in tribulationibus meis pro vobis. Hoc ab ipsis petit, Modò videte quid illis petit. Flecto genua mea ad patrem Domini Iesu Christi, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtute corroborari, inquit, per spiritum eius. Iste spiritus gratiæ videte quid petit. Hoc à Deo petit, quod ab hominibus exigit. Det, inquit, vobis. Non enim habetis, nisi det vobis. Det vobis virtute corroborari per spiritum eius. Si enim dederit vobis virtute corroborari, ibi dabit vobis non infirmari. Infirmi sunt in virtute, ideoque facilè possunt deficere: igitur firmandi sunt corroborandique vt non deficiant: nouelli sunt in charitate, ideoque facilè possunt asistere: igitur radicandi sunt fundandique, ne absistant. Vides (ait Chrysostomus) cum quantâ insatiabilitate eis bona precetur, ne labent & circumferantur. Quomodo autem fit hoc? per Spiritum sanctum in interiori homine inhabitare per fidem in cordibus vestris. Quomodo? In charitate radicati. Vt non solùm veniat in interiorem hominem, sed & firmiter consistat immobiliterque. Dicit ergo, (apud Aquinatem) dico quòd peto ne deficiatis, sed stetis viriliter. Scio tamen quod hoc facere non potestis sine dono Dei: ideò peto, Vt det vobis; & hoc quidem, Secundùm diuitias gloriæ suæ, id est, secundùm copiam maiestatis eius, & magnificentiæ. Psalm. 3. Gloria & diuitiæ in domo eius. Diuitiæ, inquam, quæ faciunt, virtutem corroborari? Et hoc in interiori homine, quia nisi in interioribus fortificetur homo, faciliter ab hoste superatur. Sed corroborari per spiritum. Ipse enim spiritus qui roborat, est spiritus fortitudinis, & est causa non deficiendi in tribulationibus, quem obtinemus per fidem quæ est fortissima, quia fides est substantia rerum sperandarum, id est, facit in nobis subsistere res sperandas. Et ideo subiungit: Habitare Christum per fidem. Et hoc, In cordibus vestris. Per quod? Dico, quòd non solùm per fidem, quæ vt donum, est fortissima, cui resistite fortes in fide: sed etiam per charitatem quæ est in sanctis. Et ideò subdit, In charitate radicati & fundati, Cant. vlt. Fortis est vt mors dilectio. Vnde sicut arbor sine radice, & domus sine fundamento de facili ruit, ita spirituale ædificium nisi sit in charitate

August. in ser. 7. de ver. Apost. cap. 2.

Chrysostom. orat. 7.

Aquin. lect. 4.

Infirmitas causa deficiendi, charitas causa non deficiendi.

A fundatum & radicatum durare non potest. Iustificatus est homo à peccato, sed adhuc in bono firmandus radicandus est, & ab eo à quo iustificatus est. Iam viuit, iam stat in bono, ait Bernardus, sed ope & opere Verbi. Stat anima manu verbi leuata veluti super pedes duos, deuotionem & agnitionem. Stat, inquam, sed sibi putet dictum: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Putasne stare per se possit, quæ surgere per se non potuit? Non opinior. Quid enim? Verbo Domini cæli firmati sunt, & terra stabit sine verbo? Cur ergo si stare per se poterat: orabat homo de terrâ: Confirma me, inquiens, in verbis tuis. Denique & probarat. Eius ipsius illa

B vox fuit: Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Opus virtute habes, & non quacumque, sed quâ induaris virtute ex alto: ascensus enim arduus, & casus concitus absque verbi adiutorio. Ergo qui stat, si non vuult cadere, non fidat sibi, sed nitatur verbo. Verbum loquitur, Sine me nihil potestis facere. Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine verbo. Cuius manu erigeris, ipsius necesse est virtute teneatis. Itaque animus non præsumat de se: alioquin frustra nititur, si non innititur.

C Quoad tertium. Quanta spes in sancto, si nonnulla fuit in impio? De aliquo namque potest esse duplex spes. Vna ex parte hominis, alia ex parte diuinæ gratiæ: & si de aliquo potest desperari ex parte suâ, de quo tamen desperandum non est ex parte Dei: sicut desperandum erat de Lazaro iacente in sepulchro, quod resurgeret ex parte suâ; de quo tamen desperandum non erat ex parte Dei, à quo resuscitatus est. Sed nunquid ille qui à Christo recepit vitam, simul etiam ab illo recepit incedendi agendique potentiam? Et si spes non ablata iacenti, aut auferenda incedenti? Quantæ fiduciæ vox: ait Bernardus:

D omnia possum in eo qui me confortat? Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum qui omnia potest? Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Itaque sicut credenti copiam sui facit, sic & suam illi communicat omnipotentiam. Vt impleamini in omnem plenitudiné Dei: id est, vt exponit Aquinas, vt habeatis perfectam participationem donorum Dei. Sed vnde nata tanta gratiæ diuinæ fiducia? Potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis. Ita iam dixerat, secundùm operationem

E virtutis eius. Illa quippe virtus Græcè ἐνέργεια, non solùm potentissima est, sed & efficacissima. Et illa est, quæ operata est in nobis. Secundùm potentiam operatam. Ita ex Græcis. Ideoque operatum passiuè sumendum est; quasi potentia Dei in iustis electisue perfecta sit & impleta, licet adhuc amplius quoad actus effectusve augenda, ac protendenda vberiùs. Dei, ait Bernardus, in me gratiam commendaui, quod scilicet ab ipsâ me in bono, & præuentum agnoscerem, & prouehi sentirem, & sperarem perficiendum. Vbi ergo, ais, sunt merita nostra, aut vbi est spes nostra? Audi: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit. Quid igitur

Bernard. ser. 85. in Cant. post. init.

Aquin. lect. in cap. 2.

Bernard. serm. 85. in Cant., cit. med.

Aquin. lect. 5.

Bernard. vrget. de grat. & lib. arb. à limine.

igitur agit, ais, liberum arbitrium? Saluatur. Cõsentire enim saluare est: nã qui nos fecit sine nobis, non nos saluabit sine nobis: nulli quidem sunt conatus nostri, si non excitentur; & cassi, si non adiuuentur, sed nostri sunt; & ideò iuuamur, vt simul operemur: ideò roboramur, vt & nos præliemur. Vt Deus velit dare, ait Augustinus, debes & tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam diuinæ bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis? Facit quidem in nobis Deus, sed vt & nos faciamus: trahit, sed vt & nos incedamus: excitat, adiuuat, sed vt ambulemus, probemusque nos & perceptis beneficiis non ingratos, & percipiendis idoneos. Denique, ait Bernardus, & Paulus de se suique similibus audacter pronuntiat: Coadiutores enim Dei sumus. Ibi itaque Deus homini benignè merita constituit, vbi per ipsum, & cum ipso boni quippiã operari instituit. Hinc cooperatores Dei, & promeritores regni nos esse præsumimus, quòd per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc solum eius est meritum quod consentit. Et prorsus non equidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est quàm consentire, aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli qui omne quod boni esse potest, id cogitare, & velle, & perficere pro bonã voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit: immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.

Augustin. Serm. 7. de verb. Apost. cap. 4.

Bernard. Tract. de grat. & lib. arb. ver. fin.

Si consensus est liberi arbitrij, vt sit etiam munus Dei.

ANAGOGIA.

Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis.

OPus est per virtutem corroborari, per fidem fundari, radicari per charitatem, vt capere possitis cum omnibus Sanctis, & apprehendere, Quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Hæc autem spectare possunt, aut pietatem animi, aut Christi crucem, aut magnitudinem Dei.

Quoad primum. Altum simul ac profundum mysterium. Altitudo siquidem, (vt aduertit Augustinus) in Latinã linguã vtrumque significat: & quod sursum versus est, altitudinis nomen habet; & quod in profundum altum est, altitudinis nomen habet. Sed benè respondet interpres ad id quod sursum est altum, altitudinem dicere: ad illud quod deorsum altum est, profundum dicere. Profundum & altum est, quo vita delineatur æterna, iamque diuinã gratiã prægustatur. Et hoc gustu, ait Bernardus, minimus ille Apostolorum satiatus, exhilaratus, confirmatus: Huius, inquit, rei gratiã flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, sublimitas,

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 2.

Bernard. lib. de nat. am. dic. cap. 10. & 11.

A & profundum. Licet hic aduertere, si fortè in sensu Apostolicæ sapientiæ aliquatenus penetrare possimus. Igitur contra quatuor Dei, debemus duo. Quatuor sunt in Deo, potentia, sapientia, charitas, & veritas, vel æternitas, quod vnum est: (nihil enim verè est, nisi quod incommutabile est) ad quæ duobus modis respondere nos conuenit. Potentiæ quæ potest nos punire; & sapientiæ, quam nihil potest latere: debemus timorem verum, id est, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis: simulatio est, vel quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. B Charitati & veritati debemus amorem verum, id est, quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis: charitati enim quid debetur, nisi charitas; veritas verò charitatis, & charitas veritatis omnem remouet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem dico ne non amet charitas, ne decipiat veritas, ne defluat æternitas. Inde ergo Paulus ait, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profunditas. In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatem, siue veritatem. Sunt & in pietate dimensiones istæ, etsi minus notæ, non tamen minùs insignes. C Ego, ait Augustinus, hæc verba Apostoli Pauli sic intelligere soleo: In latitudine bona opera charitatis: in longitudine, perseuerantiam in bonis vsque in finem: In altitudine, spem cælestium præmiorum: In profundo, inscrutabilia iudicia Dei, vnde ista gratia in homines venit. Nunc se colligit interiùs, nunc exteriùs protendit: nunc animum euehit, nunc contrahit; nunc sursum prospectat, nunc sese in latum explicat. Hoc est, vt dixit Augustinus, Benè operari in Christo, & ei perseueranter inhærere, sperare cœlestia, Sacramenta non profanare. Sicque purgati valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiã charitatis Christi, D quã æqualis est Patri, per quam facta sunt omnia, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Hoc optat Apostolus, & hoc commendat

plures in Christianã pietate dimensiones.

Augustin. epist. 111. cap. 14.

August. lib. de doc. Christ. cap. 41.

Quoad secundum. Latent quidem hæ dimensiones in animi pietate, sed in cruce Christi eminent. Quid corde pergis, homo Christiane, (verba sunt Augustini) per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cæli, profunditatem abyssi? Quando ista comprehendis vel mente vel corpore, hoc est, siue cogitando, siue carnis oculis intuendo? Quando ista comprehendis. Ipsum audi Apostolum dicentem tibi; Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini E nostri Iesu Christi. Et nos in illã gloriemur, vel quia super illam incumbimus, in illa gloriemur omnes, ô boni fratres, in illa gloriemur. Ibi fortè inueniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem, & profundum. His enim Apostoli verbis crux quodammodo nobis ante oculos constituta est. Habet enim latitudinem, in quã manus figuntur: habet longitudinem, quod inde vsque ad terram ducitur lignum: habet & altitudinem, quod ab ipso transuerso, in quo figuntur manus, excedit aliquantũ, vbi caput crucifixi ponitur: habet & profundum, hoc est quod in terrã figitur, & non videtur. Tum & animi pietatem erigens, referensque ad

Augustin. ser. 7. de verb. Apost. cap. 3.

Augustin. cap. 4.

gratiam

Augustin. cap. 4.

crucem Christi. Videte, inquit, magnum Sacramentum. Ab illo profundo quod non vides, surgit totum quod vides. Vbi ergo est latitudo? Confer te ad vitam & mores Sanctorum, qui dicunt, Absit gloriari,n si in cruce Domini nostri Iesu Christi. Inuenimus in moribus eorum latitudinem charitatis: vnde illos admonet ipse Apostolus,dicens: Dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Et quia ipse latus erat qui eos ad latitudinem exhortabatur, audi quid dicat,os nostrum patet ad vos,ô Corinthij: Cor nostrum dilatatum est.Latitudo ergo charitas est, quæ sola benè operatur. Latitudo facit, vt hilarem datorem diligat Deus. Si enim B angustiam, passus fuerit, tristis dabit, si tristis dabit, perit quod dabit, Opus est ergo latitudine charitatis, ne pereat quicquid boni facitis. Sed quoniam ait Dominus, Vbi abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: Da mihi & longitudinem. Quæ est longitudo? Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Hæc est longitudo crucis, vbi totum corpus porrigitur: vbi quodammodo statur, quo stando perseueratur. Si ergo quæris qui in cruce gloriaris, habere crucis latitudinem, habeto benè operandi virtutem. Si vis habere crucis longitudinem, habeto perseuerandi longanimitatem. Si autem vis habere crucis altitudinem, nosce quid audias, & vbi audias. Sursum cor,Quid est, Sursum cor?Ib spera,ibi ama: inde pete virtutē,ibi expecta mercedem. Nam si benè operaris, & hilariter tribuis,videris habere latitudem. Si in iisdem bonis operibus vsque in finem perseueraueris, videris habere longitudinem. Sed & si omnia hæc non propter supernam mercedem facis,altitudinem non habebis, & illa iam nec latitudo erit,nec longitudo.Quid est enim habere altitudinem: nisi cogitare Deum, amare Deum & gratis amare ipsum Deum adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum prœmij largitorem: postremò ipsum prœmium deputare, non aliud ab ipso quàm ipsum expectare?Hoc sane mysterium, in quo gloriandum est. Hæc est enim fidei gloria, inquit Ambrosius, si vere intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi vtilis est, & verè vtilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si mihi crucifixus est mundus, scio quia non diligo eum: scio quia præterit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumet hunc mundum, quasi fœtidum vito, quasi luem caueo, quasi nociturum relinquo. Idcircò non vnus è plebe, non vnus è numero, sed filius Dei à Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, vt cum esset fortior morte, alios liberaret: & ita credant omnes per crucem salutem mundo refusam.

Crucis mysterium in quatuor dimensionibus designatum.

Ambros. lib. 6. in Luc. sub fin.

Aquin. lect. 5.

Quoad tertium.Etiam & in Deo ipso dimensiones istæ reperiri possunt, nondum in animo, vel in patibulo. Notandum est enim,(ex Aquinate) quòd verba ista videntur ortum habere ex verbis.Iob.11.Forsan, inquit, vestigia Dei comprehendes? Quasi dicat, incomprehensibilis est. Huius autem incomprehensibilitatis causam assignat,dicens:Excelsior cælo est,& quid facies profundior inferno est,& vnde cognosces. Longior terrâ mensura eius, & latior mari. Ex quo videtur, quòd Iob. ostendat eum esse incomprehensibilem, attribuens ei quadruplicem differentiam dimensionum. His ergo verbis alludens Apostolus, dicit: Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo, Quasi dicat, Habeatis tantam fidem,& charitatem, vt possitis tandem, comprehendere, quod incomprehensibile est, & vobis comprehensibile. Sciendum est enim quod comprehendere quandoque ponitur pro includere:& tunc oportet,quod comprehendens contineat in se totaliter comprehensum. Quandoque autem ponitur pro apprehendere, & tunc dicit remotionem distantiæ, & insinuat propinquitatem. Et primo quidem modo à nullo intellectu creato Deus comprehendi potest: nemo enim potest eum perfectè cognoscere, quantum cognoscibilis est. Secundo autem modo, dicit Apostolus, Vt possitis comprehendere, id est, Deum habere præsentem, & præsent aliter cognoscere. Per latitudinem ergo designatur dimensio, seu extensio virtutis & sapientiæ: non enim aliquo modo intelligendum est, has dimensiones corporaliter esse in Deo, sed tantùm metaphoricè. Per longitudinem verò designatur æterna eius duratio. Per sublimitatem vel celsitudinem, perfectio & nobilitas naturæ eius, quæ in infinitum excedit creaturam. Et per profundum,incomprehensibilitas sapientiæ eius. Sic ergo patet quòd finis fidei & charitatis nostræ est, vt perueniamus ad perfectam cognitionem,quâ cognoscamus infinitam suæ virtutis extensionem, æternam & infinitam eius durationem, suæ perfectissimæ naturæ celsitudinem, suæ sapientiæ profunditatem,& incomprehensibilitatem, eo modo sicut est attingendum. Maxima Dei sublimitas, maxima & charitas; nec minus ista quàm illa mirabilis, non minùs incomprehensibilis. Quid est,ait Chrysostomus, Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, profunditas, & altitudo?Hoc est,magnitudo charitatis Dei quomodo in omnem partem extensa sit:sic eam corporaliter figuris descripsit, ostendens hominem: accepit quæ sunt suprà, & quæ infra, & quæ ex transuerso. Sed quicquid describat,quicquid accipiat, semper captum nostrum tam sublimitas Dei superat, quàm charitas:quæritur iuxtà modulum, sed nunquam ad perfectum reperitur. In retributionis enim culmine, vti dixit Gregorius, reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest,sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc in claritate suâ quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plenè contuemur. Angelica enim vel humana mens cum ad incircunscriptum lumen inhiat, eo ipso quo est creatura, coangustat, & super se quidem per prouectum tendit,sed tamen eius fulgorem comprehendere,nec dilatata sufficit:qui & transcendendo & portando omnia,& implendo concludit. Cœlo enim excelsior est,quia incircunscriptione sui spiritûs cuncta transcendit Inferno profundior,quia transcendendo subuehit. Terrâ longior, quia creaturæ modum perennitate suæ æternitatis excedit.Mari latior,quia rerum temporalium fluctus sic regens possidet, vt hos sub omnimodâ potentiæ suæ præsentiâ coangustando circumdet.

Quomodo quod incōprehensibile in Deo sit pro modulo comprehensibile.

Chrysost. orat. 7.

Gregorius lib. 10. Moral. cap. 7.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

COmmendat vnitatem spiritûs, donis diuersis alterabilem; nouum hominem delineat. Ita Scindimus caput in partes duas.

PARS PRIMA.

De Vnitate.

TEXTVS.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuleris vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientiâ, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem Spiritûs in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrûm data est gratia seçundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit? Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli. Fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominũ, in astutiâ ad circunuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam, subministrationis Secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate,

---

EXEGESIS LITERALIS.



ARIA sunt Ecclesiæ dona; sicut & multa vnius corporis membra: sed inter tot dona, sicut & inter tot membra, fideliter, incunctanterque seruanda concordia.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuleris vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine. Pondus inest verbis. Quis enim obsecrat? Ego. Ego Paulus: sed vinctus in Domino. Hæc gloria vestra. Itaque ego qui Euangelij causâ, qui pro Christi, imò & vestri gloria captiuus sum, hisque constrictus vinculis, obtestor vos, exhortor vos. Sic enim & ex Græco. Quid porrò rogat? quid

A obsecrat? Vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis. Nostis, Quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. Itaque rogo & obsecro vt vitam componatis iuxta dignitatem vocationis vestræ, vt regulam conuersationis vestræ instituatis iuxta sublimitatem vestræ conditionis: sicque incedatis cum multâ humilitate, neminem

B spernendo; & cum perfectâ mansuetudine, neminem repellendo. Cum patientiâ, supportantes inuicem in charitate, soliciti Seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis & Neminem aspernemini, neminem dedigmemini: Sed si quid offendit, Si quid aut in moribus aliorum occurrit vitiosum; aut in sermonibus asperum, dissimulate per longanimitatem, per charitatem tolerate:

Studentes, satagentesque animorum alere coniunctionem, ac per cordium consensionem, alere. Textus Ambrosianus. Cum omni lenitate animi & modestia, cum patientiâ sufferentes inuicem in charitate, solicitè seruantes vnitatem spiritûs in vinculo pacis. & Commentarius. Hortatur eos, vt rectè incedentes in præceptis Domini, ad promissam gloriam possint peruenire. Sicut enim peritus medicus obseruat infirmos, vt benè erga se agentes possint salutarem recipere valetudinem, ita & Magister gentium hortatur vt fidei suæ digna opera facientes, possint percipere quæ promissa sunt Sanctis. Dissensionem ergo prohibet, charitati autem studendum monet; ne spiritum vnitatis & pacis amittant, ac per hoc vt inuicem se sufferant cum potentiâ. Exhortatio est cum obsecratione, vel obsecratio cum exhortatione. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ, &c. Cum enim sitis vnum corpus, quidni sitis & vnus spiritus? Si vna rerum professio, quidni & vna animorum coniunctio? Mutuam igitur seruate concordiam, & vnam habetote animam; sicut & ad vnam speciem Christianæ conuersationis redacti estis, ad vnam spem gloriæ cœlestis vocati. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & pater omnium qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus vobis &c. Multæ simul vnitates collectæ ad vnam conspirant, nempe nostram, & eius tam æquitatem, quàm necessitatem demonstrant. Vnum Dominum Iesum Christum omnes colimus, omnes vnum & idem credimus, vnum suscepimus baptismi sacramentum. Vnus Deus & pater omnium vestrûm: serui eiusdem Dei estis, eiusdem patris filij: & tanti Patris qui tantæ dignitatis, quantæ & bonitatis. Et in omnibus nobis. In paganis enim non est, ait Ambros. quia pater Christi negatur esse ab illis.

Comment. Ambros.

Ex multis vnitatibus commendata fidelium concordia.

Ambros. in Paulum.

Vnicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus &c. Licet in Ecclesiâ, diuersa sint dona, nulla tamen data non sunt, nisi iuxta propositum Dei, ac Christi placitum: & ad liberalem illam ac gratuitam donationem significandam, dixit Dauid, Ascendens in cœlum, captiuos suos duxit, dona hominibus distribuit. Ascendit in altum. Quid altius cælo nouimus? Ita Augustinus. Idem ergo in altum, ac in cælum. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm, in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia &c. quid est, Ascendit? Certè eum nobis intelligendum innuit, qui primò in infima descendit terrarum, tum & ad suprema cælorum ascendit, vt omnia penetraret, nulla non occuparet loca. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas &c. Ille ergo sedens in throno, & consistens in regno, dedit nobis Apostolos, dum eos ad officium per Spiritum sanctum impulit; quosdam prophetandi gratiâ, alios euangelizandi seu Euangelij prædicandi instructos fiduciâ. Alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi &c. Alios qui populum iam acquisitum regere possint, & instituere: pascant verbo Dei, & ex instrumento vtriusque erudiant testamenti. Hæc autem concessa sunt munera, vt quisque suo incumbat ministerio, corpus Christi quod est Ecclesia extruat: & ita stabiliatur sanctitas, perficiatur Christianorum fidelium-ve societas. Videsne dignitatem? ait Athanas. Vnusquisque aliquid consummat ac peragit, & singuli ad Christi corporis siue Ecclesiæ ædificationem ministrant. Membra sunt, quæ non sibi seruiunt, sed corpori. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi &c. Quoad vsque omnes qui electi sumus, perueniamus in vnam eandemque fidem, ac perfectam Dei ac Christi cognitionem: donec perducamur ad virilem animi constantiam, plenamque nedum sufficientem fidei mensuram in corpore illo Christi mystico consequamur. Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumuentionem erroris &c. Vt non simus amplius instabiles, & tanquam pueri imbecilles, ad hominum malorum fallaciam, ad astutiam fraudem & errorem molientium, omni doctrinæ flatu, tanquam fluctu iactati insconstantiæ. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus &c. Imò verò veritatem sectantes, fidemque seruantes, per omnia membra crescamus, proficiamusque in charitate sub capite nostro Christo. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Ex illo enim totum corpus constructum ac compaginatum, perque nexus ac coniunctiones subministratum, secundum operationem eiusdem capitis efficacem, pro mensurà cuiusque membri congruâ augescit, & in charitate pro ratione sui proficit.

Augustin. serm. 43. de verb. Dom cap. 2.

Athanas. in Paulum.

Electi alij post alios in viros prouecti.



SECTIONES analyticæ.

NIHIL non moratur legentem in hoc capite, Sed & nihil non solatur intelligentem. Itaque caput in partes disseco, & pesectiones elucido.

SECTIO I.

De obsecratione.

Obsecrat paulus, cum imperare posset: vincula sua memorat, cum id posset autoritatem obsecrantis depretiare: vitam Christianam paucis coarctat, cum multis posset protendere.

Et quidem quoad primum. Frequentissimè obsecrat Paulus, rarissimè imperat. Doctorum enim est virtus, vti loquitur Chrysostomus, non honorem, non gloriam quærere ab iis quibus imperant, sed ipsorum salutem, & pro iis omnia facere. Nam qui illud quærit, non fuerit doctor seu magister, sed tyrannus. Non enim propterea te iis præfecit Deus, vt tu magis colaris

Chrysost. orat. 8.

colaris & obscuraueris, sed vt tua quidem negligantur, quæ verò sunt illorum omnia ædificentur. Talis igitur erat beatus Paulus qui erat quidem liber ab omni fastu, iste autem erat affectus vt esset quidem vnus ex multis, imò verò etiam eorum minimus. Propterea & se vocat seruum, & plurima tanquam supplicans loquitur. Itaque vide cum nunc quoque nihil scribere imperiosum, nihil quod præseferat auctoritatem, sed quod est contractum ac demissum. Nihil audio frequentius, sed nihil fero impatientius. Mea interest, nostra refert, magnum dignitatis meæ præiudicium est, non modicum auctoritatis concessæ detrimentum. Hinc supercilium erigere, fastum exstruere; suam, non Christi gloriam quærere, pompam seculi reducere; cum austeritate imperare, sine charitate regnare. Quid hæc Christo affingimus, & non potius ingenito reddimus dominandi imperitandique vitio. Quid imputandum dignitati, quod innatum cupiditati: diligere famam, vitam negligere: nostris incubare, & in alienis, aut laruã ostentare, aut dissimulare incuriam? Spes tota nostra quia in Christo est, ait Augustinus, & quia omnis vera & salubris gloria nostra ipse est, non nunc primum didicit charitas vestra. Habemus enim duo quædam: vnum quod Christiani sumus, alterũ quod præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus, propter nos est: quod autẽ præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attéditur vtilitas nostra: in eo quod præpositi, non nisi vestra. Cum enim præpositi ad hoc sint, vt his qui subiecti sunt, consulant; non in eo quod præsunt, omninò vtilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Redeamus igitur ad Paulum, dignum Christi ministrum, verum populi Christiani præpositum. Obsecro itaque vos inquit. Quid rogas, dic quæso? (ita Chrysostomus) vt ipse aliquid assequaris? Nequaquam, inquit, sed vt aliis salutem afferam. Atquin ij qui rogant, rogant quæ assequi ipsorum interest. Et mea, inquit hoc interest. Sicut etiã alibi scribens dicebat: Nunc viuimus, si vos statis in Domino. Hoc est quod suum reputat, quod suum non est, sed aliorum, propter hoc obsecrat, quia hoc vnum desiderat. Inde cum humilitate regit præpositus, inde ex charitate seruit subditus, amore deuinctus, non timore exterritus.

Dignitati datum, quod imputãdum cupiditati.

Augus. lib. de Pastorib. cap. 1.

Chrysost. orat. 8.

Quoad secundùm. Obsecrat Paulus, sed Paulus vinctus. Quidni Paulus Apostolus per voluntatem & secundùm imperium Dei Patris: vt si ipse non imperat, saltem mandatum vel auctoritatem Dei mittentis iubentisque præferat? Quid ad hæc vincula, Ego vinctus: vbi exponenda sunt imperia, Ego missus? Ex cõmemoratione suorum vinculorum, ait Aquinas, inducit eos propter tria. Primò, quia amicus magis compatitur amico afflicto, & nititur in pluribus facere voluntatem suam, vt vel sic eum consoletur. Secundò, quia Apostolus ipse vincula patiebatur pro ipsorum vtilitate, & ideò inducit eis ad memoriam, quasi volens eos obligare. Tertiò, quia huiusmodi vincula erant eis ad magnam gloriam, dum Deus pro eis amicos, & electos suos exponit tribulationibus pro ipsorum salute. Sed vis est in verbis. Non enim simpliciter dicit, Ego vinctus: sed addit, Ego vinctus in Domino. Quo nihil nobilius, nihil indu- A strius. Ego vinctus in Dominò. In causâ Euangelij, pro Christi gloriâ. Magna, ait, Chrysostomus, & quæ vim magnam habet dignitas, & regno, & consulatu, & quibusvis aliis maior. Quod quidem dicit etiam scribens ad Philemonem: Cum sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil enim æquè præclarum atque vincula propter Christum, atque catenæ Sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christũ, est præclarius quàm esse Apostolum, quàm esse doctorem, quàm esse Euangelistam. Si quis amat Christum, nouit quod dicitur. Si quis in Dominum insanit, & eius B amore vritur, nouit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum, quàm habitare cœlos. Quauis auro splendidiores eis ostendebat manus, & quouis regali diademate. Non enim tã splendidum facit caput facit vitta ex gemmis composita ei imposita, quàm catena ferrea propter Christum. Tunc erat regiis vinctorum carcer præclarior, atque adeò ipso cœlo. Quid dico regiis? Habebat enim vinctum Christi. Si quis Christum diligit, nouit hanc dignitatem, nouit hanc virtutem. Hoc fortasse est præclarius, quàm sedere à dextris: hoc est magnificentius, quàm sedere super duodecim sedes. Et C quid dico de rebus humanis: Me pudet conferre diuitias & mundum aureum cum vinculis. Ferrum est, sed auro pretiosius vinculum, sed regno dignius & imperio. Felices illi nexus, qui vt Augustinus dixit, de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes martyrem reddiderunt: felices catenæ, in quibus dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Inde igitur non solùm lætatur Apostolus sed & gloriatur. [In quibusnam gloriatur? ait Chrysostomus. In vinculis, in afflictionibus, in catenâ, in stigmatibus. Ego stigmata Iesu Christi in corpore meo porto, tanquam magnum aliquod trophæum. Et rursus, in quo legatione fungor in catenâ. Quid hoc est? D Non te pudet? Non metuis ne quis Deum tuum accuset imbecillitatis? Non sunt, inquit talia mea vincula. Sciunt enim splendere in aulis regum. Ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & pluresex fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui. Me vinctum viderunt, & magis confidunt. Non ergo dixit, Rogo vos ego qui verba audiui ineffabilia. Sed quid? Rogo vos ego vinctus in Domino. Non tam enim censeo beatum quòd raptus sit in tertium cælum, quàm eum censeo beatum propter vincula. Nom tam beatum existimo Paulum quòd raptus sit in paradi- E sum, quàm quòd coniectus sit in carcerem.]

Chrysost. orat. 8.

Nihil melius quàm pati propter Christum.

Augustin. serm. 12. de Sanct. iub fin.

Chrysost. in Mor. Hom. 8.

Quoad Tertium. Quid iam obsecrat Paulus propter Christum vinctus & Euangelium? Ea rogat quæ Christi sunt & Euangelij. Quia verò Euangelium, verbum abbreuiatum est, paucis quidem orat, sed vinculis suis & conciliat auctoritatem, & pudorem imperat. Obsecro itaque vos ego vinctus. Non hoc magnum. In Dominò. Hoc maximum, quo nihil dignius, nihil præstantius. Vt dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis. Id est, vt exponit Aquinas: Attendentes dignitatem ad quam vocati estis, ambuletis secundùm quod ei conuenit. Si enim quis vocatus esset ad nobile regnum, indignum esset,

Aquin. Lect. 1.

esset, quòd faceret opera rusticana. Sic monet Ephesios Apostolus. Quasi dicat: Vocati estis vt sitis ciues Sanctorum, & domestici Dei: non est ergo dignum vt faciatis opera terrena, nec vt de mundanis curetis. Ideò dicit, Dignè. Sed quomodo dignè, & Deo dignè & Euangelio? Igitur, consequenter cum dicit, Cum omni humilitate, & ponit modum suæ monitionis, docens quomodo dignè poterunt ambulare. Ponit ergo quatuor virtutes, & excludit quatuor vitia eis opposita. Primum autē vitium quod excludit, est superbia: dum enim vnus superbiens vult alij præesse, & alius similiter superbus non vult subesse, causatur dissensio in societate, & tollitur pax. Vnde prouerb. 13. Inter superbos semper iurgia sunt. Ad quod excludendum dicit, Cum omni humilitate, scilicet interiori, & exteriori. Secundum, est ira. Iracundi enim sunt propinqui ad iniuriam inferendam verbis, vel factis, ex quo turbationes oriuntur. Prouerb. 15. Vir iracundus prouocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas. Ad hoc excludendum, dicit, Et mansuetudine: quæ mitigat rixas, & pacem conseruat. Tertium, est impatientia. Quandoque enim aliquis humilis est & mansuetus in se abstinens à molestiis inferendis, non tamen patienter sustinet molestias sibi illatas vel attentatas. Ideò subdit, Cum patientiâ, scilicet aduersorum. Quartum, inordinatus zelus. Cum enim inordinatè zelantes, omnia quæ vident iudicāt, nec tempus, nec locum seruantes: concitatur turbatio in societate. Ideo dicit, Supportātes inuicē in charitate: scilicet mutuò sustinentes: & hoc nō ex negligentiâ, vel ex consensu & familiaritate, vel carnali amicitiâ: sed ex charitate, quæ omnia sustinet. Perfectò Paulus sapientissimus omnium architectus, fundamentum ponet, sed humillimum: tectum apponet; sed sublimissimum. Cum omni humilitate. Hæc, inquit Chrysostomus, est fundamentum omnis virtutis. Cum omni, ait humilitate. Non ea quæ est in verbis, nec in rebus solis, sed & quæ est in habitu ac gestu ac sermone: non in hunc quidem humilis, in illum verò audax. Sis in omnes humilis, siue est amicus, siue inimicus: siue magnus, siue paruus: hoc est humilitas. Propterea ipse quoque dicit, Cum omni humilitate, & mansuetudine, & patientiâ. Primâ ergo humilitas sicut vltima seu suprema charitas. Sustinentes, inquit, inuicem in charitate. Dixit in charitate. Vbi enim est charitas, ait ille, ferri possunt omnia. Nulla virtus solida, si fundamento non nitatur humilitatis; nulla secura, si tecto non protegatur charitatis: nulla virtus non tuta, si innitatur humilitati; nulla non certa, si vniatur charitati. Iam ergo posito fundamento, & tecto constituto, licet alias virtutes interserere, sed omnes illas omnes oportet humilitatem inter & charitatem componere.

Aquin. Ibidē

Virtutes omnes Christianę humilitatem inter & charitatē constitutæ.

Chrysost. orat. 9.

Chrysost. Ibidem.

SECTIO II.

De vnitate.

Athanas. in Paulum.

IAm prouecti estis ad charitatem, sed sitis solliciti seruare vnitatem. Quemadmodum enim vti dixit Athanas in corpore, Spiritus omnia continet vnitque, & diuersa sunt membra; sic Spiritus sanctus se in nobis fidelibus gerit, qui cunctos facit vnanimes, nectitque, quamuis natione & moribus vel artibus differant, & per eundem hunc Spiritum omnes simus vnum effecti. Quis ille spiritu vnitatis, nisi ille qui & spiritus charitatis est? Vnitas tamen illa spiritûs, non tam diuini est, quàm humani: vt sicut vnum multorum membrorum, licet diuersorum, vnum est corpus, sic vnus multorum fidelium, licet differentium spiritus, vtpote studiis & animis inter se consentientium. Est enim duplex vnitas, (vt obseruat Aquinas. Vna ad malè faciendū, quæ est mala, & potest dici vnitas carnis, Alia est vnitas spiritûs, quæ est bona ad faciendum bonum. Quicquid sit, illa maximè curæ Apostolo, vt patet ex verbo, ex instituto, ex exemplo. Ex verbo quidem, Soliciti seruare vnitatem spiritûs. Quibus non solùm vnitatis suggerit consilium, sed & studium imprimit solicitudinis. Hoc non solùm agite, sed & satagite: studete, vt idem in vobis sensus sit, vnus animus. Ex instituto: nam si nexus dissoluatur vnitatis, fructus vitiatur charitatis: labat humilitatis fundamentum, & ornamēntum nutat mansuetudinis. Nec secus nobiscum agetur, ait Athanasius, quàm si cum reliquo corpore manus vel pedes dissidium fecerint, & ab aliarum corporis partium nexu & copulâ procidantur: non enim vltrà sub vno spiritu membra continentur. Est igitur nobis summâ diligentiâ opus, vt quo vnus concesserit, eodem & alius subsequatur. Nam cum fideles iuncti sint corpore, vnum etiam spiritum habeāt necesse est. Denique ex exemplo. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. Grande & illustre exemplum, sed paulo Apostolo dignum. Quando enim ad magnum aliquid nos exhortatur Paulus, (verba sunt Chrysostomi) vt qui sit valde sapiens & spiritualis, facit & hortationem ab iis quæ sunt in cœlis, vt qui hoc ipsum à Domino didicerit, Sicut dicit alibi: Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradit semetipsum pro nobis. Hoc etiam hic facit. Quandò enim exempla proposita sunt, magna est æmulatio vehemens & desiderium. Quid enim dicit nos adhortans ad vnitatem? Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut & vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. Deus vos, inquit, ad eadem vocauit: omnibus immortalitatem, omnibus vitam æternam, omnibus gloriam immortalem, omnibus fraternitatem, omnibus donauit hæreditatem.

Aquin. lect. 1.

Duplex vnitas, vna bonorum, malorum altera.

Athanas. in Paul.

Chrysost. orat. 10.

Chrysost. orat. 11.

Verùm quia non vnum exemplum est sed multa, idcircò singula discutienda sunt, & ad pacem vnitatemue reducenda. Primò igitur, Vnum est corpus. Propter pacem & concordiam hæc subiecit, ait Ambros. vt quia vnum corpus est Ecclesia, vnum sapiat populus. Sed quanta debet esse concordia, cum vna sit & locorum & temporum Ecclesia? Quid est enim vnum corpus? Qui sunt vbique terrarum fideles, inquit Chrysostomus, & fuerunt, & futuri sunt. Rursus & qui antè Christi aduentum placuerunt, sunt vnum corpus. Quomodo? Quoniam illi quoque Christum norunt. Vndenam hoc constat? Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Et rursus: Si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit,

Ambros. in Paulum.

Chrysost. orat. 10.

Vna omnium temporum & locorum Ecclesia.

scripsit, & Prophetæ? Non scripsissent autem, de quo ignorabant quæ dicebant. Cum autem ipsum nossent, etiam adorabant. Quamobrem illi quoque sunt vnum corpus. Constat autem corpus ex membris honestis, & non honestis. Ceterùm, neque in vilissimum insurgit id quod est maius, neque hoc illi inuidet. Secundò, Vna spes vocationis. Cum enim hoc dicit, subdit (secundùm Aquinatem) rationem huius vnitatis: quia sicut videmus quòd quando aliqui sunt vocati simul ad aliquid pariter habendum; & mutuò percipiendum solent simul etiam manere, & simul ire: ita spiritualiter dicit. Quia vos estis vocati ad vnum, scilicet finale præmium, ideo debetis simul cum vnitate spiritûs ambulare. Quidni simul sitis in viâ, si simul eritis in patriâ? Dic mihi, inquit Chrysostomus, si rex aut imperator decem homines acceperit, & omnes purpurâ induerit, & in throno regali sedere fecerit, & eundem omnibus honorem dederit, aususne fuerit quispiam exprobrare alteri, vt qui sit ditior, aut vt qui sit illustrior? Deus autem, inquit, vos ad eadem vocauit, omnes simul suscitauit, & consedere fecit. Tertium, vnus Dominus. Adhuc vnitatem commendat, ait Ambros. vt quia vnitas est ad quam vocamur, in nullo dissentiamus. Si enim vnus est Dominus, id est Christus, sicut & ipse ait in Euangelio: Quia magister vester vnus est Christus, vnus debet esse & animus. Quartum, Vna fides. Id est, vt exponit Aquinas, Idem iubemini credere, & eodem modo operari: quia vnum & idem est quod creditur à cunctis fidelibus, vnde vniuersalis seu Catholica dicitur. Quintum, vnum baptisma: idem fidei vestimentum, sicut & symbolum. Nam, vt dixit Tertullianus: vbi fides aucta est credendi in natiuitatem, passionem, resurrectionemque Domini addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retrò erat nuda. Textum, vnus Deus & pater omnium. Ecce spes fidei: (inquit Chrysostomus) Non enim tibi quidem maior, illi verò minor est inuocatus.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 11.

Ambros. in Paulum.

Aquin. lect. 2.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 13.

Chrysost. orat. 11.

Trinitas ipsa, summa vnitas est, sic tamen vt sit trium vnitas: ideoque Paulus illam vnitatem non solùm seruauit vt supremam, sed & ad vnitatem baptismi comparauit velut proximam. Vnum baptisma. Vnus Deus & pater omnium: qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Cur enim pluribus institit in vltimâ vnitate, nisi quia & præcipuam sensit, & quasi cæterarum omnium virtute & dignitate suâ fibulam. Tria sunt in primo omnium principio: dignitas, bonitas, potestas: dignitas quoad naturam, quâ nulla dignior; bonitas, quoad beneuolentiam, quâ nulla benignior: potestas, quoad efficaciam, quâ nulla potentior. Quoad primam, Deus: quoad secundam, pater omnium: quoad tertiam, est super omnes, quia præcellit omnibus; & per omnia, seu, vt legunt Græci, per omnes; quia sicut per dignitatem omnibus antecellit, sic & per bonitatem assistit omnibus. Denique & in omnibus nobis, licet enim Deus & pater omnium sit per generalem prouidentiam, iustorum tamen Deus & pater est per specialem gratiam, & efficaciam energiam, per quam non solùm iis adsistit, sed & enim ipsis conquiescit. Porrò, quia Trinitas, trium est vnitas, tribus etiam titulis designata est, & summitas tribus addicta

Quomodo Deus optimus dicendus sit & maximus.

A personis. Primum, ait Aquinas, appropriatur patri, qui est fontale principium diuinitatis, & omnes creaturas excellit. Secundum, filio, qui est sapientia attingens à fine vsque ad finem fortiter. Sap. 8. Tertium verò, Spiritui sancto, qui replet orbem terrarum. Sap. 1. Inde igitur Paulus non solùm notauit mysterium, sed & ad baptismum reuocauit. Vnum baptisma, vnus Deus. Vt sicut Deus Trinitas, trium seu plurium vnitas est, sic & baptismus, sit vnitas fidelium. Inde igitur primò baptizamur, In nomine patris & Filij & Spiritûs sancti. Quoniam vbi tres, vt dixit Tertullianus, id est pater & Filius & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est. B Secundò, quia per baptismum non solùm incorporamur Ecclesiæ, sed & inauguramur gloriæ; quæ cum in Dei visione sita sit, non potest esse nisi vna. Vnus omninò baptismus est nobis, (ait ille) tam ex Domini Euangelio, quàm ex Apostoli literis; quoniam vnus Deus, & vnum baptisma, & vna Ecclesia in cœlis. Tertiò denique, quia eodem vestimento omnes induimur in baptismo, & vna Ecclesia in cœlis. Tertiò denique, quia eodem vestimento omnes induimur in baptismo, seu, eodem vestimur Christo. Filius Dei, inquit Optatus Mileuitanus, ipse Christus, vestis est & tunica natans in aquâ, quæ multos vestiat, nec vestiendo deficiat. C Sed ne quis dicat temerè à me Filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem, Quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis. Quicquid aliud ad adstruendam baptismi vnitatem proferatur, facile aliis etiam communicatur sacramentis. Sed quod vnam vestem, quâ induti sunt omnes fideles tam parui quam magni, cuiuscumque sexûs, cuiuscumque dignitatis, cuiuscumque ætatis: id maximè baptismo dignum, & vnicè proprium: vt sicut omnibus vna credendi norma proposita est sic & vna præscripta sit vestiendi forma: & inde tanta sit vnitas spiritûs, quanta & habitûs conformitas.

Aquin. lect. 1.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 6.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 15.

Optat. Milo uit. lib. 5. vers. finem.

D

SECTIO III.

De colligatione.

Tenet me catena Pauli, cum illa duos simul copulet. Quemadmodum, ait Seneca, eadem catena & custodiam & militem copulat: sic & ea quæ dissimilia sunt pariter incedunt. Reuertor igitur ad vincula, non solum quæ gerit Paulus, sed & quæ nobis iniicit. Soliciti seruare vnitatem in vinculo pacis. Ostensa est catenæ Pauli magna virtus, & præclarior signis (verba sunt Chrysostomi) Non temere ergo, nec frustra, vt E videtur, eam profert, sed tanquam per ipsam pudorem suffusurus. Dignè, inquit, ambulate, vocatione quâ vocati estis. Propterea dicit, Vinctus ego propter Christum. Non absolutè vinctum esse bonum est, sed propter Christum esse vinctum, nihil ei potest æquiparari. Hæc ergo catena nos abstrahit & auellit à propositis, & non sustinemus resistere, sed sponte trahimur & volentes & optantes. Et vtinam semper mihi liceret loqui de catenâ Pauli. Sed non vnam nobis catenam proponit Paulus aut imponit. Imò illa trina est, pœnalitatis, charitatis, pietatis.

Sen. epist. 1.

Chrysost. orat. 9.

Ostendat Paulus catenam suam, sed non omnibus

nibus commodat. Quod ostentet. Propter spem enim Israël catenâ hac circumdatus sum. Quod non commodet: Opto apud Deum, omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his. Quid ergo, si quid mali est, cur ostentari; si quid boni, cur non commodat? Nihil verè mali est, imò quid maximè boni: sed sibi seruat Apostolus, aut certè non nisi charis & electis, tanquam quid eximiũ selectumque communicat. Non hæc dicebat, ait Chrysostomus, tanquam existimans rem esse deprecandam & execrandam, absit. Non enim si res esset abominanda, gloriaretur de vinculis, de carceribus, de aliis afflictionibus. Sed quid? Hoc ipsum erat quod magnifaceret vincula. Quomodo enim dicebat scribens ad Corinthios, Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: ita hic quoque non poterát audire pulchritudinem, nec decorem, nec vtilitatem vinculorum. Propterea igitur dicit, Exceptis his vinculis. Apud Hebræos autem non ita, sed suadebat vt simul vincirentur cum vinctis. Non videtis reges & consules curru gestari & aurũ gestare? Quãto est hoc spectaculum illo iucundius? Non omnibus oblata sunt illa vincula, non omnibus cõmunicatæ sunt catenæ; sed fidelibus, sed vincentibus, nec enim tam pœnalitati procurant quàm felicitati, nec miserum infamant, sed iustum consecrant. Felices catenæ, ait Augustinus, quæ nudatis penè ossibus inhærentes, viuas reliquias de sanguinis sudore iam attritâ carne rapuerunt: Felicia vincula, quæ reũ suũ vsq; ad Christi crucem nõ tam condẽnatura quã consecratura miserunt. Quid ergo est? Aliis quidem, ait Chrysost. videtur esse ridiculum, si probro & contumeliâ esse affectum, sit esse dignitatem assecutum: si probro esse affectum, sit lætari. Iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc est esse existimatum omnium beatissimum. Si quis mihi daret aut cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem & vincula. Si quis me faceret vnum ex potestatibus quæ sunt circa cœlos, aut circa thronos, aut talem vinctum potius optarem talis esse vinctus. Nihil est illâ catenâ beatius. Sciunt quod dicitur qui amant, si non Deum, at homines; qui magis lætantur, si malè patiuntur pro iis quæ amant, quàm si honorentur. Nihil autem melius est, quàm malè pati propter Christum: etiamsi res nullam habeat mercedem, hoc solum est magna merces, hæc gratia pati propter eum qui amatur. Mihi est optabilius & magis eligendum malè pati pro Christo, quàm honorari à Christo. Hoc magnus est honor, hoc est gloria quę omnia exuperat.

Act. cap. 8

Act. cap. 26.

Chrysostom. orat. 9.

Augustin. Serm. 28. de sanct. sub fin.

Pœna pro Christo suscepta non condemnat, sed consecrat.

Quid iã de catenâ charitatis? Modus, ait Aquinas, seruandæ vnitatis est, in vinculo, pacis. Charitas enim, est coniunctio animorum. Nulla autẽ rerum materialium cõiunctio stare potest, nisi ligetur aliquo vinculo. Eodem modo, nec coniunctio animorum per charitatem stare potest, nisi ligetur: huiusmodi autem verum ligamẽ est pax, propter quod dixit Apostolus, In vinculo pacis. Quia autem in homine est duplex vnitas, vna scilicet membrorum ad inuicem simul ordinatorum, alia corporis & animæ tertium constituentium: Apostolus autem hic loquitur de vnitate Ecclesię ad modum vnitatis, quæ est in homine, ideò subiungit, vnũ corpus quasi dicat, Ligemini

Aquin. lect. 1.

A vinculo pacis, vt sitis vnum corpus quantum ad primam vnitatem, vt scil. omnes fideles sint ordinati adinuicem sicut membra vnum corpus cõstituentia. Et vnus spiritus, quantum ad secundam vnitatem, vt videlicet vnum habeat is spiritualẽ consensum per vnitatẽ, fidei & charitatis. Habet ergo vincula sua charitas, quibus colligati sunt omnes ac copulati qui diligunt. Rursus ergo, ait Chrysostom. pulchrum est nomẽ vinculum. Ipsũ dimisimus, & ipsum rursus ad nos recurrit. Pulchrũ est illud vinculum, pulchrũ & hoc: & illud ex hoc nascitur, Teipsum colliga cum fratre. Ij omnia facilè ferunt, qui sunt colligati in charitate: Teipsum illi alliga, & illum tibi. Soliciti studentes, inquit, Non hoc fit temerè, nec est cuiuslibet. Studentes, inquit, Seruate vnitatem spiritûs in vinculo pacis. Ex vinculo charitatis vult nos omnes colligare. Quomodo enim, inquit, si velis teipsum alteri alligare, non aliter poteris, nisi illum quoque tibi ipsi alliges. Ita hic quoq; vult eos inter se esse alligatos, non solùm in pace degere, nec solùm diligere, sed omnes esse vnam animam pulchrũ est hoc vinculum. Hoc vinculo & nos inter nos, & nosipsos cum Deo colligemus. Difficilè quis definiet quodnam ex his duobus illustrius sit vinculum, quodnam gloriosius. C Si enim ipso qui propter me factus est seruus, & euacuauit gloriam, non adeò existimabat se esse in gloriâ, vt quando pro me agebatur in crucem: (verba sunt Chrysostomi) quid me non oportet pati? Audi enim ipsum dicentem: Glorifica me, inquit, tu pater. Quid dicis? In crucem ageris, vt ex execratorum mortẽ subeas cum latronibus, & sepulchrorum effossoribus. Es conspuendus, & colaphis cędendus, & hæc vocas gloriam: Certè, inquit. Hæc enim patior pro iis quos diligo, & hæc nunc gloriam existimo. Si qui miserabiles & miseros dilexit, eam rem vocat gloriam; D neque in throno esse paterno, neque in gloriâ, sed in ignominiâ esse & dedecore erat gloria, & hoc illi præferebat, multo magis ego hæc debeo existimare gloriam. Admiraris Paulum quãdo eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit? ne mireris: reuerita enim fuit catenam: etiam totum mare eam reuerebatur, tunc enim erat vinctus. Denique si quis mihi diceret, Quid malles, an esse Angelus qui Petrum pupugit, an Petrus qui saluus euasit: mallem esse Petrus, propter quẽ venit Angelus. Reuera enim hæc est maxima gratia, & maior his omnibus, quàm Solem & Lunam sistere, quàm mundum mouere.

Chrysost. orat. 9.

Chrysost. orat. 8.

Gratia vinculorum maior quàm gratia miraculorum.

E Alia deniq; catena est, quã sibi imponit pietas, sobrietas iniicit: sicut enim impietas sibi vincula iniquitatis attrahit, sic & pietas sibi vincula sobrietatis conquirit. Dedit tibi Deus potestatẽ per spiritum suum, vt membra tua teneas. (verba sunt August.) Surgit libido, tene tu mẽbra. Quid factura est quæ surrexit. Tu tene membra. Noli exhibere mẽbra tua arma iniquitatis peccato. Noli armare aduersarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido surrexit, tu tene membra tua. Tene manus ab omni scelere. Tene oculos, ne malè attendant. Tene aures, ne verba libidinis libenter audiant. Tene totum corpus, tene latera: tene sũma: tene ima. Quid facit libido? Surgere nouit, vincere non nouit. Surgendo assiduè sine causâ, discit & non surgere. Legimus quosdã monachos sibi vincula imposuisse, sed legimus etiam quosdam Episcopos vincula dissoluisse.

Augustin. serm. 43. de verb. Dom. cap. 10.

Nonnulla vincula, dum impediunt, expediunt.

Monachi

Chrysost. in Mora orat. 1.

Monachi omnes, imò omnes sancti vincula inijciunt sibi non reorum, sed filiorum: non enim timoris sunt, sed amoris, quæ dum impediunt, expediunt. Nam qui rectè viuunt, ait Chrysost. & quomodocumque habent fiduciam, montium cacumina occupant; & à medio recesserunt, tanquam ab hoste & alieno, sed non à suo corpore auulsi: exitiosi autem ac scelerati & referti malis innumerabilibus in Ecclesias inuaserunt, insilierunt. Est ergo felix aliqua captiuitas, dum quis se eremis includit & claustris; est & aliqua infelix libertas; dum quis se officiis intrudit ac ministeriis. Imò nonnullæ sunt catenæ iniferorum; & aliæ sunt catenæ sanctorum. Si non licet nunc vinciri catenis, ait ille, alia est catena si velimus. Quænam autem hæc est? Manus continere: ad auaritiam & plura habendi cupiditatem non esse paratos. Hac catenâ nos ipsos vinciamus. Pro ferro, sit nobis timor Dei. Sed hoc mirum dictu, etsi conceptu facillimum: quod vincti liberos absoluant, captiui solutos vinciant. Vide hoc vbique fieri (ita Chrysostomus) vinctus fuit Romæ Paulus, & plures induxit. Vinctus fuit Hierosolymis, & vinctus concionans regem obstupefecit, & timore affecit magistratum. Nam timore percussus, eum absoluit: nec eum qui vinxerat puduit à vincto discere de futuris. Vinctus nauigabat, & soluit naufragium, & vinxit tempestatem. Vinctus est, & vinctus concionans attraxit innumerabiles. Soluamus est qui vincit sunt à paupertate, ab afflictione. Non sunt paria aperire portas carceris, & inclusam relaxare animam. Non sunt paria vinctorum soluere vincula, & contritos absoluere in remissione. Hoc illo est maius. Nam illius quidem nulla est merces proposita; huius autem innumerabiles. Longa fuit Pauli catena, & diu multumque nos tenuit: est enim tenera longa, & quauis catenâ aureâ honestior. Ipsa vinctos veluti quadam machinâ trahit ad cœlum, & tanquam catena aurea suspensa ad cœlum sursum trahit: & quòd est mirandum, infernè vincta vinctos sursum trahit.

Chrysostom. in Mor. orat. 8.

Chrysostom. ibidem

SECTIO IV.

De donatione.

VNum illud corpus non tam per sectiones dissoluitur, quàm per partes exponitur. Vnicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quid hoc ad vnitatem? Suprà, inquit Aquinas ostendit Apostolus Ecclesiasticam vnitatem, quantum ad id quod in Ecclesiâ est commune: hìc idem ostendit, quantum ad hoc quod singulis fidelibus membris Ecclesiæ est proprium & speciale. Dicit ergo, habemus in Ecclesia vnum Deum, vnam fidem, vnum baptisma: sed tamen diuersas gratias diuersis particulariter collatas habemus: quia vnicuique nostrûm data est gratia: quasi dicat, nullus nostrûm est qui non sit particeps diuinæ gratiæ, & communionis. Sed certè ista gratia non est data omnibus vniformiter seu æqualiter: sed, Secundùm mensuram donationis Christi: id est, secundùm quod est dator, & eam singulis

Aquin. lect. 1.

Mensura gratiæ cuique à Christo donata.

A mensurauit. Rom. 12. Habentes donationes secundùm gratiam quæ data est nobis differentes. Hæc differentia non est ex facto, nec à casu, nec ex merito, sed ex donatione Christi: id est, secundùm quod Christus nobis commensurauit. Ipse enim solus recepit spiritum non ad mensuram: cæteri autem sancti ad mensuram recipiunt. Quia sicut in potestate Christi est dare, vel non dare; ita dare tantum vel minus. Propter quod, scilicet significandum, dicit scilicet Propheta Dauid, Ascendens Christus in altum &c.] Quibus verbis tria proponit Apostolus. Primò, ascen-
B sionem Christi: Secundò, dissolutionem vinculi: tertiò, collationem beneficij.

Quoad primum. Paulò aliter legimus, sed non aliter intelligimus ex psalmo sexagesimo septimo: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Sed si pro certò ascendit, tutò etiam illi potest dici, Ascendisti in altum. Ascendit quidem in altum. Altum est patibulum, altum est cœlum. Ascendit in patibulum, ascendit in cœlum. Et quidem de patibulo, certum est cruces omnes excelsas fuisse & altiusculas. Timebit forsitan caro gladium grauem, ait Tertullianus, & crucem excelsam. Sed
C crux Christi eo excelsior, quo insignior. Quid ergo? Ascendit in altum, dum ascendit in patibulum? Ascendit in altum, inquit Athanas. vel in crucis celsitudinem, vel cœli, vbi fuit è terrâ sublatus. Benè in altum patibuli, sed melius in altum cœli. Morte quidem, seu cruce Christi liberati sumus ac iustificati. Et ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus. Sed aliud est exaltari, aliud ascendere; nam & ipse exaltatur qui in altum subleuatur, ille verò ascendit qui altum petit. Ascendit Christus super omnes cœlos, nedum super omnes thronos; & qui infima illuminauit terrarum,
D suprema cœlorum penetrauit. Magna, inquit Leo, & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem, humani generis natura conscendere, supergressura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuâda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Non illa flendi causa, sed gaudendi; non illacrymandi, sed exultandi. Exultemus itaque, ait ille, gaudio spiritali, & dignâ apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in quâ Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos
E desideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent; & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant: in quâ etiam si quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Propter hoc igitur dicit Dauid, Ascendens Christus in altum vt à terrenis emergamus desideriis, & quæ sursum sunt sapiamus; & hoc si præstiterimus, non humanæ præsumptioni, sed diuinæ tribuamus donationi.

Tertullian. lib. ad Mart. cap. 4.

Athanas. in Paulum.

Ioan. cap. 12.

Leo serm. 1 de Ascens. Dom. in fin.

Leo serm. 2. de Ascens. vers. fin.

Ascensio, terrenorum interdictio desideriorum.

Quoad secundum. Ascendit ille, & captiuam duxit captiuitatem, seu, vt ex Græcis legit Augustinus. Captiuauit captiuitatem; Dauid enim:

Ad

Augustin. Enarrat. in Psal. 67. vlt. med.

Ad ipsum Dominum locutione conuersâ, Ascendisti, inquit, in altum, captiuasti captiuitatem. Hoc Apostolus commemorat, sic exponit de Domino Christo loquens: vnicuique autem nostrûm, inquit, datur gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem: Christo ergo sine dubitatione dictum est, Ascendisti in altum, captiuasti captiuitatem. Sed quid est, Captiuasti captiuitatem. Vtrum quia vicit mortem, quæ captiuos tenebat in quibus regnabat: an ipsos homines appellauit captiuitatem, qui captiui sub diabolo tenebantur? Cuius rei mysterium continet etiam titulus illius psalmi, Quando domus ædificabatur post captiuitatem, id est, Ecclesia post gentilitatem. Ipsos itaque homines qui captiui tenebantur appellauit captiuitatem, sicut militia cum dicitur, intelliguntur qui militant: eandem captiuitatem à Christo captiuatam dicit. Cur enim non sit captiuitas felix, si ad bonum homines possunt capi? vnde petro dictum est: Ex hoc iam homines eris capiens. Captiuati ergo quia capti & capti quia subiugati, sub lene iugû missi: liberati à peccato, cuius serui erant; & iustitiæ serui facti, cuius liberi erant. Vnde & ipse in illis est, qui dedit dona hominibus, & accepit dona in hominibus. Ideoque in istâ captiuitate, in istâ seruitute, in isto curru, sub isto iugo non sunt millia plorantium, sed millia lætantium. Dominus quippe in illis in Sina in sancto. Sic perbelle cohærent omnia, titulus, sensus, contextus & eandem exertè docent veritatem. Vinculis tenebamur diaboli, & ipse vincula nostra dirupit; angustiis premebamur peccati, & ipse peccata nostra dissoluit: sic tamen absoluit reos, vt faceret seruos; sed dum suos fecit, liberos reddidit. Suos igitur egit captiuos, id est, miseros euersâ tyrannide diaboli, dissolutâ morte peccati, sibi asseruit, potestati suæ subdidit; & in nouam quidem captiuitatem, sed per veram transtulit libertatem.

Christiani in nouam seruitutem per veram translati libertatem.

Augustin. serm. 43. de verb. Dô. cap. 2.

[De ipso igitur dictum est, Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem. Quid est enim, ait ille, Captiuauit captiuitatem? Vicit mortem. Quid est, Captiuauit captiuitatem? Mortem procurauit diabolus, & ipse diabolus de morte Christi est captiuatus. Ascendit in altum. Quid altius cœlo nouimus. Euidenter & antè oculos discipulorum suorum ascendit in cœlum. Hoc scimus, hoc credimus, hoc fatemur. Mortuus est Christus in cruce, surrexit à morte, ascendit in altum, cœlum repetiit, misit Apostolos suos, captiuos eruit de iugo seruitutis, & subiecit charitatis imperio. Non sumus nostri, ideoque alicui seruiendum est, Deo nimirum aut diabolo: sed Christus nos liberauit à diabolo, & Deo vindicauit: est enim captiuitas ad perniciem, est & ad salutem.

Augustin. Enarrat. in Psal. 67. vlt. med.

Quoad tertium. Accepit Christus & dedit. Nec enim moueat, ait Augustinus, quod Apostolus testimonium Dauidis commemorans, non ait, Accepisti dona in hominibus: sed, dedit dona hominibus. Ille quippe auctoritate Apostolicâ secundùm hoc locutus est, quod Deus filius cum patre fecit. Secundùm hoc quippe dedit dona hominibus, mittens eis Spiritum sanctum, qui spiritus est patris & filij. Secundùm illud verò quod idem ipse Christus in corpore suo intelligitur quod est Ecclesia, propter quod & membra eius sunt sancti & fideles eius, vnde eis dicitur,

A vos autem estis corpus Christi & membra: proculdubiò & ipse accepit dona in hominibus. Christus quippe ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris, sed nisi & hic esset in terris, non inde clamasset: Saule, Saule, quid me persequeris? Cum ergo idem ipse dicat, Quando vni ex minimis meis fecisti, mihi fecistis: quid dubitamus eum accipere in membris suis, quæ dona membra eius accipiunt? Huic sensui congruit & alia interpretatio, quâ interpretatur Sina mensura. Nam & de his donis lætitiæ spiritalis Apostolus loquens: vnicuique autem, inquit,

Quæ accepit Christus à pâe, nobis attribuit

B nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Ac deinde sequitur, propter quod dicit, Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus, quod est, Accepisti dona in hominibus. Quid hoc & illâ veritate concordius? quid manifestius? Nec solùm in hominibus, sed & in se accepit, & dedit quod accepit, dum nihil dedit, nisi quod accepit. Accepit à patre donum largiendi facultatem, dum accepit Spiritum sanctum in homines seu in fideles effundendi potestatem. Dedit dona hominibus. Quæ dona? (ait ille) Spiritum sanctum. Quis tale dat donum qualis ipse est? Magna est autem misericordia Dei, donum dat æquale sibi: quia donum eius Spiritus sanctus est, & vnus

Augustin. serm. 43. de verb. Dom. cap. 2.

C Deus tota Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quid nobis præstitit Spiritus sanctus? Apostolum audi: Charitas Dei, inquit, diffusa est, in cordibus nostris: sed ne putaret quisque à se sibi esse quod diligit Deum, continuò addidit, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Vnum igitur per alterum firmandum est. Christus enim ascendens in cœlum, regnumque capessens, suum largitione seu donatione auspicatus est imperium. Dedit Spiritum sanctum, soluit miseram captiuitatem, dum veram induxit libertatem; imò dum aliam captiuitatem per diuinam inue-

D xit charitatem. Captiuam, inquit, duxit captiuitatem. Quibus armis? (inquit Tertullianus) quibus prœliis? de cuius gentis vastatione? de cuius ciuitatis euersione? quas fœminas, quos pueros, quosue regulos catenis victor inseruit? Nam & quum apud Dauid Christus canitur succinctus gladio super femur, aut apud Esaiam spolia accipiens Samariæ & virtutem Damasci: agnosce & armaturam & militiam eius spiritalem, si iam didicisti esse captiuitatem spiritalem, vt & hanc illius agnoscas.] Accepit igitur Christus à patre, dispósuitque dona in nos seu electos conferenda: post mortem verò & ascensionem illa distribuit:

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 18.

E accepit enim vt daret, promeruit vt effunderet. Sic ergo charitatem effudit in nos, cepitque nostram captiuitatem, dum in veram nos, id est filialem asseruit libertatem.

SECTIO V.

De impletione.

VErba non minùs nectenda, quàm vnitatis resumenda charitatisue Sacramenta. Charitatem quærit à nobis Paulus, (verba sunt Chrysostomi) non quamlibet, sed quæ nos conglutinet, & efficiat vt alter in alterum ita se habeat, vt diuelli non possimus; & quæ tantam & tam exactam præbeat vnionem, quanta est membrorum

Chrysost. orat. 11.

brorum cum membris. Propterea dicit, Vnum corpus: & quia fieri potest vt sit quidē vnū corpus, non vnus autem Spiritus, pulchrè dixit, Et vnus Spiritus. Vndenam extollimini & superbitis? Quòd hic sit diues, quòd iste fortis? Et quomodo nō sunt hæc ridicula? Propterea semper ostendit exemplum corporis. Propterea nūc quoque posuit, quoniam facturus erat mentionem diuersorum charismatum. Sed propterea dixit, secundùm mensuram. Quid est secūdùm mensuram? Hoc est, non pro nostris meritis: alioquin nemo accepisset quæ accepit, sed accepimus omnes è donatione. Nam alibi quoque dicit, posuit autem membra, vnumquoque eorum sicut ipse voluit. Propter quod dicit, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Hoc est: Quid extolleris & te magnificè circūspicis? Dei est vniuersum. Propheta quidem dicit in Psalmo, Accepisti dona in hominibus: ipse autē dicit, Dedit dona hominibus. Idem autem est. Quod autem ascendit, quid est, nisi quod & descendit primùm in inferiores partes terræ. Qui descēdit ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Tria igitur sunt exponenda. Primū de humili descensione: alterum, de sublimi ascensione: tertium, de totali impletione.

Corpus vnū esse potest & non vnus Spiritus.

Quoad primum. Cum ait Apostolus, Primum: Innuit priùs descendisse Christum quàm ascendisse: sed cum addit, In inferiores partes terræ: Ostendit priùs eum ad inferos descēdisse, quàm suprà cœlos ascendisse. Nobis inferi, ait Tertullianus, non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Siquidem Christo in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, idest in recessu intimo, & interno, & in ipsâ terrâ operto, & intrà ipsam clauso, & inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quod si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundùm scripturas, & sepultus secundùm easdem, huic quoque legi satisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus; nec antè ascendit in sublimiora cœlorum, quàm descendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret: habes & regionem inferûm subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbè, non putant animas fidelium inferis dignas: serui super Dominum, & discipuli super magistrū, aspernāti si fortè in Abrahæ sinu, expectandæ resurrectionis solatiū capere. Quibus tria notanda sunt. Primum est, per inferos non intelligi carcerē damnatorū, imò potius requiē Sanctorum subtendi. Inferos Plato velut gremi terræ describit in Phœdone, quò omnes labes mundialium sordium confluendo & ibi desidendo exhalent, quasi cœno immunditiarum suarum crassiorem haustum & priuatum illic aërem stipent: nobis autem, in fossâ terræ. Alterum, illuc Christum descendisse, vt Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret: non solùm sustinuisse mortis exitum, sed & locum adiisse quietis, vt se hominem non viuendo solùm sed & moriendo cæteris Sanctis similem ostenderet. Tertium, sic descendisse, vt inter mortuos esset liber omninò, nullo modo miser, ideoque post triduum iuxtà constitutum emergeret. Verum est, ait Ambrosius, quia ideo descendit, vt ascenderet; non sicut homines, qui ad hoc descenderunt, vt illic remanarent. Ex sententiâ enim tenebantur apud inferos, quæ sententia Saluatorem tenere non poterat, quia vicit peccatum, Triumphato ergo diabolo, descendit in cor terræ, vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum. Nec poterat non ascendere, quia ad hoc descederat, vt vi potestatis suæ calcatâ morte, cum captiuis quorum causâ pati se permisit, resurgeret. Non solùm ergo descendit in terram per incarnationem vt doceret per prædicationem verbi, sed & post mortem descendit in inferiores partes terræ, vt prædicaret per ostensionem sui: prius inferiora penetrauit, priùs adiit infima, quàm cœlos ipsos repeteret. Magnum est, in terram descendisse per humanæ assumptionem naturæ; maximum, in inferiores terræ partes, per animæ demissionē descēdisse.

Tertullian. lib. de Anim. cap. 55.

Christus formâ humanæ mortis apud inferos functus.

Tertullian. cap. 57.

Ambros. in Paulum.

Quoad secundum. Multum est quod Christus descenderit, sed mirabilius quòd Dei filius ascenderit: cum Deo ipso nihil altius sit nihil sublimius. Idcircò Paulus, qui non miratur descēdentem, miratur ascendentem. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit. Ac si diceret, ait Aquinas, Ideò postea dixi quod ascēdit, quia ipse primò descenderat, vt ascenderet, aliter enim ascendere non potuisset In has ergo partes terræ dicitur descendisse filius Dei, nō motu locali, sed assumptione inferioris, & terrenæ naturæ, secundùm illud Philipp. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Sed alio modo potest intelligi de inferno qui etiam infra nos est. Illuc enim descēdit secundùm animam, vt inde sanctos liberaret. Qui descendit ipse est & qui ascendit super omnes cœlos. Descendit enim filius Dei assumendo humanam naturam, ascendit autem filius hominis secundùm humanā naturam ad vitæ immortalis sublimitatem. Et sic est idem filius Dei, qui descendit; & filius hominis, qui ascendit. Quó descendit? In inferiores partes terræ: non potuit infrà iuxtà congruū descendere. Quò ascendit? Super omnes cœlos; non potuit vltrà iuxtà meritū procedere. Ad inferiores, inquit, (apud Chrysostomum) partes terræ descendit, post quas nō sunt aliæ. Et ascendit super omnia post quæ non est aliquid aliud. Non potuit inferius deprimi, non potuit attolli superius. Hoc est eius efficaciæ & dominatûs. Ait ille. Non enim suprà omnem tantummodo creaturā corporalē exaltatus est, sed & suprà omnem naturam spiritalem sublimatus. Equidem non solùm descendit ad nos, sed & mortuos adiit: sed sicut non descendit vsque ad centrum mundi, quia non cōueniebat; ita omnes quidem penetrauit cœlos, sed non transiliit tectum empyrei, quia non oportebat. Primam quidem occupauit sedem ac summam supremi cœli partem: sed in eodem regno, in quo omnes sancti. Credimus enim, (ita Augustinus) illum tertio die resurrexisse à mortuis primogenitum, consecuturis fratribus quos in adoptionem filiorum Dei vocauit, quos compartícipes & cohæredes suos esse dignatus est. Credimus in cœlum ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens, Erunt sicut Angeli in cœlis, in illâ ciuitate, quæ est mater omnium nostrûm, Hierusalem æterna in cœlis. Vna omnium ciuitas est, sicut & vna omnium societas: idcirco Christus non inde

Aquin. lect. 3.

Chrysost. orat. 4.

Non potuit Christus demitti inferiùs, nec superiùs euehi.

August. lib. de fide de Symb. ca. 5. & 6.

inde excludendus, imò verò præcipuè ibi includendus, ſed in loco excelſiori, in throno ſublimiori, iuxta dignitatem ac maieſtatem conſtituendus.

Quoad tertium. Sic ergo deſcendit Chriſtus in inferiores partes terræ, ſic & aſcendit ſuper omnes cœlos, [Vt impleret omnia. An vt loca principalia corporalis mundi tanquam dominator ſibi aſſereret vi ſuæ præſentiæ, an vt omnia chariſmata, iamque præcipua corporis Eccleſiaſtici diffunderet vi ſuæ beneficentiæ? Et ipſe dedit quoſdam quidē Apoſtolos, &c. Donec occuramus omnes, &c. Donec omnes ſimus conformes Chriſto per adultam firmitatem, imò & per firmam charitatem Deo ſimiles. Siue ſurſum ait Chryſoſtomus, ſiue deorſum ſpectes, cauſam ſemper ponit charitatem. Maximè autem illa eſt charitas, quando benefit hominibus, cum nihil ab eis prius ſit profectum beneficij. Hoc facere meditemur, ô dilecti, vt Dei diſcamus dilectionem. Eum nos quoque imitemur, benefaciamus inimicis, iis qui nos auerſantur: ad eos accedamus: hoc nos Deo reddit ſimiles: illum enim imitari eſt diligere inimicum. Magnum eſt eum diligere, qui nihil boni nobis fecit: maximum vero ad illum accedere, qui plurimum mali nobis intulit. Hoc quidem naturam ſuperat, & gratiam appellat: ſed ſicut in operibus Dei, prouocamus ad illius potentiam: ſic & in muneribus, beneficentiam illius aduocamus. Quādo Deus ad miniſtrat ac diſpēſat, ait ille, ne quæras rerum naturam, neque conſequentiam: ſed quæ ſunt ſuprà naturam & conſequentiam. Inuitamur ad vitam angelicam, imò & diuinam, quia ſupra ipſos conamur Angelos. Nam ſi quis in hominibus eſt virtute præditus, fuerit vt Angelus: is eſt & multò maior quàm ille. Quamobrem? Quoniam quod ille habuit à naturâ: hoc ipſe rectè geſſit, ex animi inſtituto. Ita Chryſoſt. Ex quo & cum quo concludendum, dicendũque. Perſequamur ergo charitatem. Non dixit abſolutè, Diligamus, ſed perſequamur. Multo ſtudio opus & diligentiâ. Citò euaneſcit: velox eſt ad recedendum. Tam multa in vitâ huic rei exitium afferunt. Si eam perſequamur, non priùs receſſerit, quàm eam citò attraxerimus. Dei charitas cœlo terram coniunxit. Dei charitas hominem ſedere fecit ſuper thronum regium. Dei charitas Deum oſtendit ſuper terram. Dei charitas Dominum fecit ſeruum. Dei charitas fecit vt traderetur dilectus pro inimicis, filius pro iis qui oderant, Dominus pro ſeruis, Deus pro hominibus, liber pro famulis. Et nec ad id vſque conſtitit, ſed nos vocauit ad maiora. Non ſolùm enim nos liberauit à prioribus malis, ſed etiam multo maiora ſe daturum eſt pollicitus. Ideò enim aſcendit ſuper omnes cœlos, vt inde Spiritum ſanctum mitteret, omnia eius effunderet chariſmata: charitatem ad perfectionem vſque proueheret, nec infantiâ ſolùm contineret, ſed & ſuâ compleret menſura, in iuuentutem, in maturitatem componeret. Dexterâ Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos vidiſtis, & auditis. Siue ergo de locis regni quæ occupauit, ſiue de donis cœli quæ diſpenſauit, ſiue etiam de verbis ac promiſſis Dei quæ conſummauit, adimpleuit omnia, dum omnia peruaſit loca, omnigena diſtribuit dona, prædicta compleuit myſteria.

Chryſoſt. in Moral. orat. 7.

Quomodo homo iuſtus cum Angelo conferendus.

Chryſoſtom. in Moral. orat. 8.

Chryſoſt. orat. 10.

Chryſoſt. in Moral. orat. 9.

Actuum cap. 2.

A



SECTIO VI.

De diſtributione.



EXPONIT Apoſtolus quod ſupra de donis dixerat, duoque proponit: diuerſitatem ſcilicet donorum, & vtilitatem illorum. Sit ergo.

PVNCTVM I.

De diuerſitate.

B

DIuerſitatem induxit, ſed ordinem tenuit. Quia enim, (vt obſeruat Aquinas) per dona Chriſti diuerſi ſtatus & munera in Eccleſiâ deſignantur, conſiderandum eſt, quod inter dona Chriſti, primò ponit Apoſtolos. Vnde dicit, Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos. Et 1.Corinth. 12. Quoſdam quidem poſuit in Eccleſiâ. Primùm Apoſtolos, Secundò Prophetas. Apoſtoli primo loco ponuntur, quia ipſi priuilegiati fuerunt in omnibus donis Chriſti. Habuerunt enim plenitudinem gratiæ & ſapientiæ. Quidam, quantum ad reuelationem diuinorum myſteriorum. Luc. vlt. Aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Habuerunt etiam copiā eloquentiæ ad annuntiandum Euangel. Luc 21. Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Habuerunt etiam prærogatiuam auctoritatis & potentiæ, quantum ad curam Dominici gregis. Ioan. vlt. Paſce oues meas. Ideo Apoſtolus ſubiungit hic tres gradus Eccleſiaſticos, ſecundùm participationem ſingulorum præmiſſorum. Poſſunt igitur dona aliqua, vel etiam omnia in vnum concurrere; tamen ipſa per ſe diſtincta ſunt, & in totum, poſſunt eſſe diſcreta, Quamuis enim Apoſtoli omnia contineant, imò & doctoribus omnibus, paſtoribuſque per omnia præemineant: tamen & aliis diuerſa diſtributa ſunt munera, cum non ſint omnes paſtores, ſed in partem diuerſis & participationem diuiſa ſunt. Nullus quidem non cedit Apoſtolis. Sed quomodo ipſi electi poſiti, & in mundũ vniuerſum miſſi, antequam terram deſereret? Chriſtus regno ſuo inauguratus, Eccleſiæ ſuæ attendit, quam & donis compleuit gratiæ. Primò igitur fundamentum locauit in Apoſtolis, ſed & ipſos priùs firmauit, roborauit, induit, virtute, accinxit fortitudine. Hinc ſcriptũ eſt: (ait Gregorius) Verbo Domini cœli firmati ſunt. Verbũ enim Domini Filius eſt Patris. Sed eoſdem cœlos, videlicet ſanctos Apoſtolos, vt tota ſimul ſancta Trinitas oſtendatur operata, repentè de ſancti Spiritûs diuinitate adiungitur: Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cœlorum ergo virtus de Spiritu ſumpta eſt: quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent, niſi eos ſancti Spiritûs fortitudo ſolidaſſet. Quales namque Doctores ſanctæ Eccleſiæ ante aduentũ huius Spiritûs fuerint, ſcimus: & poſt Aduentum illius cuius fortitudinis facti ſint, conſpicimus. Dedit ergo Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Apoſtolos, cum eos ad opus impulit, cum ad munus, cui deſtinati iam erant, ritè exequendum, debitéque

C

D

E

Aquin. lect. 4.

Summa chariſmatum in Apoſtolis ipſis collecta.

Gregor. Hō. in Euang. vlt. med.

debiteque implendum, collatâ nimirum virtute, & charitate firmatâ, expedit.

Post Apostolos, Prophetæ: noui scilicet testamenti: nam alij præcesserunt, & in Ioannem cesserunt Baptizatorem. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ex quo regnum Dei annuntiatur. Quasi, inquit Tertullianus, non & nos limitem quendam agnoscamus Ioannem constitutum inter vetera & noua, ad quem desineret Iudaismus, à quo inciperet Christianismus: non tamen vt ab alia virtute facta sit sedatio legis & Prophetarum, & initiatio Euangelij, in quo est Dei regnum, Christus ipse. Nam si Ioannes antecursor & præparator ostenditur viarum Domini, Euangelium superducturi, & regnum Dei promulgaturi: & si desierunt vetera, & cœperunt noua interstite Ioanne, non erit mirum quod ex dispositione est Creatoris. Nam in Esaia iam tunc Christus, sermo scilicet & spiritus Creatoris, Ioannem prædicarat, vocem clamantis in deserto parare viam Domini, in hoc venturũ, vt legis & Prophetarum ordo exinde cessaret, per adimpletionem, non per destructionem, & regnum Dei à Christo annuntiaretur. Ioannes medius inter occasum Iudaismi, & ortum Euangelij. Itaque sicut lex processit vsque ad illum, sic & prophetia Christum annuntians, & præfigurans Euangelium: sed sicut lex noua successit, sic & noua Prophetia, Christum ipsum repræsentans, illustrans Euangelium. De spiritualibus enim, dico, ait ille, hæc quoque in Christum à creatore promissa, sub illâ præscriptione iustissimâ, opinor, quâ nõ alterius credenda sit exhibitio, quàm cuius probata fuerit repromissio. Pronuntiauit Esaias & Christum in floris figurâ ostendit, in quo consistere haberet tota substantia Spiritûs, non quasi postea obuentura illi, qui semper Spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque. Sed quoniam exinde quo floruisset, in carne sumptâ ex stirpe Dauid, requiescere in illo omnis haberet operatio gratiæ spiritalis, & concessare & finem facere quantum ad Iudæos; sicut & res ipsa testatur, nihil exinde spirante penes illos Spiritu Creatoris, ablato à Iudæa sapiente & prudente architecto, & consiliario, & Propheta; vt hoc sit, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Accipe nunc quomodo & Christo in cœlum recepto, charismata obuentura pronuntiarit. Ascendit in sublimitatem, idest, in cœlum: Captiuam duxit captiuitatem, idest, mortem, vel humanam seruitutem: data dedit filiis hominum; idest, donatiua, quæ charismata dicimus. Iam nunc & illa promissio Spiritus absolutè facta per Ioëlem, In nouissimis diebus effundam de meo Spiritu in omnem carnem, & prophetabunt filij filiæque eorum. Et vtique si in nouissimos dies gratiam Spiritûs Creator repromisit, Christus autem spiritalium dispensator, in nouissimis diebus apparuit: apparet & de temporum vltimorum prædicatione, hanc gratiam Spiritus ad Christum prædicatoris pertinere. Fuerunt ergo Prophetæ in Synagogâ, sunt & in Ecclesiâ; eodem inundati Spiritu, eodem afflatu animati: sed alij aliis eo digniores, quo Christo similiores.

Tertullian. lib. 4. aduers. Marc. 33.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 8.

Spiritus prophetiæ datus Ecclesiæ.

Denique dedit Christus Ecclesiæ suæ Euangelistas, Alios autem pastores & doctores: id est, omnibus ministrorum cumulauit generibus, & ipsos omnibus exornauit ministros charismatibus. Quod alibi dicit Apostolus, (verba Chrysost.) propter quod exaltauit illũ, hoc hîc quoque dicit. Qui descendit, ipse est & qui ascẽdit. Quod descenderit ad inferiores partes terræ, nihil ei obfuit, nec impediit quo minus ascẽderet supra cœlos. Quamobrẽ quo quis se humiliorem fecerit, eo magis extollitur. Quomodo enim in quâ quo magis eam infra detuleris, eo magis in altum effertur: & quo ex maiori spatio fueris iaculatus, eo magis assequeris. Ita etiam in humilitate. Sed quando de Deo dixeris ascensiones, necesse est primum cogitare descensum. Quando autem de homine, nequaquam. Ostendit autem prouidentiam eius & sapientiam. Non qui tam multa fecit, & qui tantum potuit, & ad inferiores vsque terræ partes pro nobis descendere non recusauit, non temere fecit distributiones charismatum. Quod enim dicit Paulus quòd hoc operatus est Spiritus, sic dicens, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei: hîc dicit, quòd filius. Primũ igitur Apostolos. Hi enim habebant omnia. Secundò Prophetas: erant enim aliqui, qui Apostoli quidem non erant, erant autem Prophetæ, vt Agabus. Tertiò Euangelistas, qui non omnes obibant regiones, sed Euangelizabant, vt priscilla & Aquila. Pastores & doctores, quorum fidei tota gens erat credita.] Tria sunt hominum genera. Alij quidem, qui priuatim Euangelizarent, domesticatim Christum annuntiarent, prædicarent Euangelium, vt priscilla & Aquilla. Alij, qui plures obirent regiones, multosque edocerent populos, vt Philippus Diaconus, Apollon Alexandrinus. Alij denique, qui in vnâ sederent ciuitate, aut in vnâ regione consisterent, vt Titus, Timotheus. Primi, inter Euangelistas recensendi; alij, doctoribus accẽsendi: vltimi denique iungẽdi pastoribus. Non tamen dixit Apostolus, Alios autẽ pastores, alios verò doctores; quia pastores omnes, debẽt esse doctores: licet enim necesse non sit vt doctores omnes præsideant, planè tamen necesse est vt pastores omnes doceant. Et doctores quidem superant Euangelistas, quod in plures regiones, & multas prædicando & Euangelizando prouincias excurrant: sed in hoc pastoribus inferiores, quia etsi ius habeant docendi, non tamen & præsidendi. Pastores verò in eo cedunt doctoribus, quòd in vno consistunt loco: sed & Euangelistis ipsis eo insigniores, quod Ecclesiam regunt, gerunt præfecturam. Quantum ergo ad curam Ecclesiæ, ait Aquinas, subdit Apostolus, Alios autem pastores, curam scilicet Dominici gregis habentes. Et sub eodem addit, Et doctores, ad ostendendum quod proprium officium pastorum Ecclesiæ, est docere ea, quæ pertinent ad fidem & bonos mores. Dispensare enim temporalia, non pertinet ad Episcopos, qui sunt Apostolorum successores, sed magis ad Diaconos. Act. 6. Non est æquũ nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Dicitur autem de Episcopis, Hierem. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ. Pascunt ergo docendo, præsunt nimirum, Spiritum & vitam, doctrinam & Sacramentum ministrando.

Chrysost. orat. 2.

Sunt doctores non pastores: sed omnes debẽt esse doctores.

Aquin. lect. 4.

PVNCTVM II.

De vtilitate.

VIdisti quàm multiformia sunt Ecclesiæ Christianæ charismata, sed nondum peruidisti quàm sint animæ purgandæ ac sanandæ vtilia. In Psalmo, ait Augustinus, quod scriptum est, Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, non semper in malo accipiendi sunt canes. Alioquin non reprehenderentur apud Prophetam canes muti nescientes lattrare, & amantes dormitare. Profectò enim laudabiles canes essent, si & lattrare scirent, & vigilare amarent. Et certè illi trecenti in numero per crucis literam sacratissimo non eligerentur ad victoriam faciendam, qui tanquam canes lamberent aquam, nisi aliquid magnum significarent. Vigilant enim & latrant boni canes, & pro domo & pro domino, & pro grege & pro pastore. Denique & hîc in Ecclesiæ laudibus, cum prophetia exercetetur, lingua canum est commemorata, non dentes. Tuorum autem canum dixit ex inimicis, id est, vt qui erant inimici tui fierent canes tui, & latrarent pro te qui sæuiebant in te. Addidit autem, Ab ipso, vt non à seipsis hoc factum intelligerent, sed ab ipso, id est misericordiâ eius & gratiâ. De prophetis ergo quod ait Apostolus: Quosdam quidem dedit Deus in Ecclesiâ Apostolos, quosdam autem prophetas, hoc ita intelligo, prophetas eos dictos isto loco, ex quibus erat Apostolus, non illos qui venturum in carne Dominum prophetauerunt. Euangelistas verò inuenimus, quos Apostolos fuisse non legimus. Pastores autem & doctores, eosdem puto esse, vt non alios pastores, alios doctores intelligamus; sed ideo cum prædixisset, pastores, subiunxisse, Doctores, vt intelligerent pastores, ad officium suum pertinere doctrinam. Ideo enim non ait, Quosdam autem pastores, quosdam verò doctores: sed cum superiora ipso locutionis genere distingueret dicendo, Quosdam autem Apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam verò Euangelistas; hoc tanquam vnum aliquid duobus nominibus amplexus est, Quosdam autem pastores & doctores. Sic ergo distributa sunt à Deo charismata, aut coniuncta sunt munia: sed cui vsui ac fructui? Ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Isti sunt canes mystici, custodes sacri qui aduigilant; fideles operarij, quia sanctam ædificant Ecclesiam. Vides auctoritatem? ait Chrysostomus. Vnusquisque ædificat: vnusquisque perficit, consummat: vnusquisque ministrat. Vel si ministrat vnus, alius ædificat, tertius consummat.

Augustin. epist. 59. quæst. 3. & 4.

Canes iuxta sensum mysticum laudabiles.

Chrysost. orat. 11.

Sed quousque tandem? Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Fidei Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed hoc potest intelligi dupliciter (vt obseruat Aquinas.) Vno modo de fructu simpliciter vltimo, qui erit in resurrectione sanctorum. Alio modo potest, intelligi de fructu vltimo præsent s vitæ, in quâ quidem sibi occurrent omnes fideles ad vnam fidem, & agnitionem veritatis. Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. In quâ perficitur etiam corpus Christi mysticum spirituali perfectione, ad similitudinem corporis Christi veri. Et secundum hoc, totum corpus Ecclesiæ dicitur corpus virile, secundùm illam similitudinem, quâ vtitur Apostolus. Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium. Equidem, Nonnulli, vt Augustinus loquitur, propter hoc quod dictum est: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum: nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili omnes aiunt, quoniam Deus solum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi meliùs sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Proinde quod ait Apostolus, occursuros nos omnes in virum perfectum, totius ipsius circumstantiam lectionis considerare debemus. Vir enim perfectus, caput & corpus, quod constat omnibus membris, quæ suo tempore complebuntur. Quotidie tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, cui dicitur: Vos autem estis corpus Christi, & membra. Et alibi: Pro corpore, inquit, eius, quod est Ecclesia. De cuius corporis ædificatione & hîc dictum est: Ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ac deinde subiectum est, vnde nunc agimus: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sicut est ergo mensura vniuscuiusque partis, ita totius corporis, quod omnibus suis partibus constat, est vtique mensura plenitudinis, de quâ dictum est, In mensuram ætatis plenitudinis Christi. Eâ igitur de causâ, tam varij in Ecclesiâ instituti sunt ministri, vt & ipsi diuersis instructi donis, grauiter fideliterque incumbant operi, nec parcant labori: quo tandem perueniant electi omnes ad eandem fidem, & veram Dei cognitionem: quo ad virtutis euadamus apicem, & limitem attingamus perfectionis.

Aquin. lect. 4.

Augustin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 17. & cap. 18.

Viri qui perfecti, qui in fide & virtute firmati.

Quo verò successu? Vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumuentionem erroris. Seu, vt legit Augustinus: vt vltrà non simus paruuli iactari, & circumlati omni vento doctrinæ, in illusione hominum, in astutiam ad machinationem erroris. Si enim viri fuerimus, perfecti in fide, in virtute firmati, iam non erimus paruuli, leues, inconstantes, erroribus & illusionibus obnoxij. Ætatem enim hîc dicit perfectam agnitionem (verba sunt Chrysostomi) Nam quomodo vir stat firmus ac stabilis, pueri autem mentibus circumferuntur: ita etiam in fidelibus. Sed vide quomodo hîc vocauit perfectos per ea quæ subiunguntur, Vt iam non simus paruuli. Hæc est, inquit, mensura, vt paucum quod accepimus omni studio firmiterque ac stabiliter retineamus. Vt iam non amplius. Illud non amplius, ostendit eos iampridem ita fuisse affectos, & seipsum ponit in loco correctionis, & corrigit. Propterea dicit, Tot fuerunt fabri, ne ædificium labefactetur, ne circumferatur, vt sint lapides firmi & stabiles. Et circumferamur, inquit, omni vento, ostendens in quo periculo sint animæ quæ dubitant. Illarum enim est fluctuare, vacillare, circumferri, & labefieri. In nequitiâ hominum.

Chrysost. orat. 11.

Viri qui erroribus & illusionibus obnoxij.

Nequitiæ

Nequidæ Græcè κυβεία, & κυβευταὶ dicuntur, qui vtuntur talis. Tales sunt qui sunt vafri & astuti, vt accipiant simpliciores. Illi enim omnia transponunt & transferunt. Tot ergo dona collata sunt ad ædificandam gubernandamque Ecclesiam; vt anchoram teneamus salutis, errorisque caueamus fallaciam. Fundatos & stabiles esse nos vult, ait Ambros. in disciplina fidei Catholicæ, quam Petrus Apostolus reuelante Deo professus est, nec ventilari nos oberrantes per diuersarum hæresum pestilentiosas asseuerationes nequitiâ humanâ inuentas, vt per has fallentis inimici sub veri nomine error possit afferri. Hoc enim remedium est falsitatis, vt sub prætextu veritatis inducat errorem. Et non solùm sub veri nomine, sed & ne, sicut antè acceptam fidem sensu humiles vagabamur per diuersos errores, fideles facti discurreremus fragiles & dubij de spe promissâ commonet, quia iam Christiani facti fundati esse debent: ambiguitas enim in fide nostrâ non est. Tam spes tuta, quàm certa fides: ideoque nec cunctandum est, nec hæsitandum.

Ambrof. in Paulum.

Quo denique modo? veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem, in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Duo in nobis necessaria sunt: primum in mente, alterum in voluntate. In primâ, veritatem autem facientes. Veram sectantes seruantesque doctrinam, ab Apostolis virisque Apostolicis traditam. Sancti enim Patres, vt dixit Gregorius, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, vt suo vel verbo, vel scripto nos doceant. Sed sicut veritas menti inscribenda est, sic & charitas imprimenda voluntati: ideo de secundâ, In charitate. Omnia enim nostra in charitate fieri debent, nec solùm debent fieri, sed & augeri: ideò, Crescamus in illo per omnia. In quo? In illo, qui est caput Christus. Crescere quidem debent omnia membra, sed in id duo sunt illis necessaria. Primum est, vt debito modo iuncta sint capiti: alterum, vt virtutem eius hauriant, operationem excipiant, vtpote capiti respondentia. Crescant igitur omnia membra, & Christi corpus exstruant. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis. En quomodo adhæreant capiti, per mutuam compactionem connexionemque iustissimam, vt sibi inseruire possint, & respondere capiti. Secundùm operationem Græcè ἐνέργειαν, virtutem efficacissimam: secundùm quàm, ipsum corpus sic iunctum, actumque, Augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Totum ipsum sic constructum, sic compositum, crescit proficitque in charitate, In mensuram vniuscuiusque membri. Aptè & appositè. Nam, vt dixit Aquinas: Non solùm à capite nostro Christo est membrorum Ecclesiæ compactio per fidem, nec solâ connexio, vel colligatio per mutuam subministrationem charitatis, sed certè ab ipso est actualis membrorum operatio, siue ad opus motio secundùm mensuram & competentiam cuiuslibet membri, debitè mensurati. Vnde dicit, quod facit augmentum, secundùm operationem & mensuram: quia non solùm per fidem corpus mysticum compaginatur, nec solùm per charitatis subministrationem connectentem augetur corpus, sed per actualem compositionem ab vnoquoque membro egredientem, secundùm mensuram gratiæ sibi datæ, & actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis. Ita fit, vt totum augeatur corpus Christi. Et illi capiti, vt Augustinus loquitur, in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis eius mensura compleatur.]

Gregorius Homil. 5. in Euang.

In corpore, connexio membrorum, & capitis operatio.

Aquin. lect. 5.

Augustin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 15.



PARS SECVNDA.

De nouo homine.

TEXTVS.

HOc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu. Deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat

occidat super iracundiam vestram. Nolite dare locum diabolo: qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cùm omni malitiâ. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.

EXEGESIS LITERALIS.



ONET nouum hominem inducere, sepositis vitæ profanæ vitiis: docetque iram, clamorem fugere; benignitatem, ac misericordiam diligere.

Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum &c. Iam ab initio capitis Paulus Ephesios obsecrauerat, vt dignè ambularent; nunc interceptum exhortationis filum resumit nectitque, vt ad caput orationis redeat. Hoc est igitur ceperam dicere, nuncque repetam, sed sub contestatione Christi Domini, ne in viam gentium abieritis, ne vitam duxeritis gentilium: ipsi enim cum intellectum habeant tenebris obscuratum, prauum etiam erroneumque sequuntur mentis suæ iudicium. Textus Ambrosianus. Hoc ergo dico & contestor in Domino, vt non amplius ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intellectu. Et Commentarius. Contestatur illos in Deum, vt non aliter incedant vel sentiant quàm docentur, ne similes gentilibus inueniantur. Quorum conuersatio tam profana, quàm vana ratio, Alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam &c. Illi certè ob ingenitam veritatis ignorantiam, miserabilemque cordis excæcationem, tam à Dei vitâ, quàm à veri regulâ sunt alienati: & spe destituti futurorum bonorum, sese præcipites dederunt turpibus præsentis vitæ voluptatibus, quas in omne obscœnitatis genus tam ardenter appetunt, quàm & inexplebiliter. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu &c. Vos verò non ita imbuti estis à Christo: siquidem Christum audistis vobis annunciatum, cum doctrinam acce pistis Euangelicam: in quâ sicut nihil non verum sic & nihil non iustum est. Gentes quidem ita se habent, vos verè haudquaquam hoc modo Christum perdidicistis, si tamen illum audistis. Hoc est, cum illum ex nostrâ doctrinâ iam teneatis. Non enim, Si illum, dubitantis est, sed confirmantis. Ita apud Athanasium. Deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris &c. Sic nimirum edocti estis veterem hominem exuere, seu priorem, vtpote carnalem deponere consuetudinem cupiditatibus & erroribus obsequentem. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis &c. Sic instituti estis renouari secundùm interiorem hominem, & in eum reformari, qui regeneratur secundùm Deum, dum in verâ iustitiâ, & perfectâ creatur munditiâ. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra &c. Quoniam igitur sic imbuti estis, sic instructi, mendacio abiecto, vnusquisque quod verum est, loquatur cum proximo suo, maximè autem Christiano, quocum, sicut membro cum membro in vno corpore copulatur.

Comment. Ambros. — *Athanas. in Paulum.* — *Mendacium hominis veteris contagium est.*

Irascimini, & nolite peccare: sol non accidat super iracundiam vestram &c. Si contigerit irasci, ne sinatis iram vsque ad iniuriam progredi; quin illam quam primum abrumpite, nec in crastinum alite. Nolite dare locum diabolo: qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti &c.] Videte ne quoquo modo locum detis diabolo, & per sensum intretis in consensum. Qui inhiabat alieno, deinceps abstineat: quin potius operi honesto incumbat ac iusto labori, vt non solùm sibi vitam quærat, sed & egenti tribuat eleemosynam. Vides ait Chrysostomus, membra veteris hominis, mendacium, odium & acceptæ iniuriæ recordatio, furtum. Illa enim veterem componunt hominem, ideò non deponenda solùm, sed & in spiritalem vertenda conuersationem. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus &c. Nullus sermo vitiosus de ore vestro exeat: sed si quis bonus est, ad adstruendam fidei doctrinam, & conciliandam Dei gratiam inseruiat. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis &c. Ne Spiritum sanctum lædatis expellatisque, cuius sigillo obsignati, seruati estis, vt consortes sitis resurrectionis, & retributionis participes. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitiâ &c. Nolite esse amarulenti, iracundi, indignabundi, clamosi, maledici, malitiam omnem abdicate, omnem vitate iniuriam. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes, sicut & Deus in Christo donauit vobis.] Estote autem comes, misericordes, iniurias omnes aliis condonantes, sicut & offensas omnes Deus per Christum Iesum vobis condonauit. Exemplo Dei patris, ait Ambros. benignos & misericordes inuicem fieri exhortatur,

Chrysost. orat. 14. — *Non omnis sermo bonus semper & vbique promendus.* — *Ambros. in Paulum.*

tur, sicut & Dominus, Estote, inquit, misericor- A des, ut similes sitis patris vestri, qui in cœlis est. Si enim Dominus per filium suum seruorum misertus est, quanto magis serui inuicem debent misereri, & donare si alter in alterum peccet?



REFLEXIONES Christianæ.

MVLTA sunt in hac parte, quæ leuiter quis excurrat, nisi retardetur; aut expendat segniter, nisi reuocetur. Idcircò reuertendum est, reflectendumque.

REFLEXIO I.

De animi ignorantiâ.

QVos putas sapientes? Solos fideles, quos tam reuelationis thesauro ditatos scias, quam illuminationis donatos sacramento. Cæteri, dum infideles, tam insipientes sunt quàm & C vani. Reclamabunt Stoici, rationemque aduocabunt in præscriptionem. Ab hac igitur ordiendum est, definiendumque ex Apostolo. Gentes ambulant in vanitate sensûs sui. Græcè, Mentis suæ. Ideoque à verâ rationis luce exulant. Hoc enim genus hominum, cæci sine Domini lumine, à ratione tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore. Duplex ergo ratio, diuina vna, quæ tam sola quàm vera; humana altera, quæ tam vana quam varia. Repudient opinationem Stoici, seque tam aduersùs suspicionem tutos esse existiment, quàm certos. Profectò in eo non solùm dementes & vani, sed & præcipi- D tes ac temerarij, quod dum se opinantur scire, inscitè per præsumptionem relabantur in opinionem. Opinari enim te scire quod nescias, vt dixit Lactantius, non est sapientis, sed temerarij potius ac stulti. Non dicam cum Ambrosio. Stultus est qui nihil sapit, & stulta intelligit: insipiens, qui mala sapit. Dicam illos desipere, qui ad salutem sapiunt; illos deficere, qui vera etiam aut bona, ad rationis suæ faculam, seu humanæ rationis regulam definiunt. Nusquam dicimus veritatem esse falsam, sed quoties dicimus hanc & illam rationem esse falsam, id est, non solùm vanam sed & nullam? Nusquam veritas veritati contraria est, quoties ratio contraria rationi? E Veritas perspicua est, lucida, manifesta: ratio humana perplexa, ambigua, obscura: quam vix assequatur etiam ille qui ratiocinatur: cæteri vel non capiunt ob subtilitatem, vel ob falsitatem despuunt. Ex infinitâ litigantium multitudine, nullus non præsumit sibi rationem adesse alioquin nec litigaret si non præsumeret: nullus ex tantâ infidelium & hæreticorum numerositate non prætendit à se stare rationem, alioquin nec persisteret, si non prætenderet: & plus ex illis causâ cadunt, ex istis omnes excidunt à regulâ. Sapiens argumentatrix sibi videtur ratio humana, sed perniciosa insidiatrix est, incantatrix peruersa, periculosa inductio, quæ cum imposuerit primo parenti, licet homini oculatissimo, semper incautos fallit, cæcos decipit, traducitque. Si

Tertulian. lib. de pœnitent. cap. 1.

Lactant. lib. 3. diuin. Inst. cap. 4.

Ambros. in Psalm. 48.

Præsumptio promiscua, ratio rarissima.

quicquid probabile est, rationabile est, nihil non rationabile est, quia nihil non probabile. Nihil tam stultum, quod aliquis sapientum illorum non conabitur probare; nihil tam absurdum, cui aliquis Anaxagoras, aut Carneades, iure aut iniuriâ patrocinabitur. Per me sint omnia protinus alba, nihil moror. Imò, sufflа, sunt candidus: & nix erit nigra, & pix alba, & iustitia iniusta, bonum malum, malum bonum, & incerta omnia. O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes?

Quid dicit Apostolus, & vnde incipit? Hoc igitur & testificor in Domino. Doctorem enim, vt dixit Chrysostomus, oportet instituere & dirigere animos discipulorum, non solùm consulendo & docendo, sed & terrendo, & Deo tradendo. Nam quoniam, quæ ab hominibus dicuntur tanquam à conseruis, non sufficiunt ad tangendam animam, necesse est reliquum Domino tradere. Hoc ergo Paulus quoque facit. Vltro consulit Paulus, ratò præcipit: adhortatur, contestatur, sed in Deo, sed in Domino. Non dominamur vestræ fidei, ô dilecti, (ita ille) nec domini more hoc imperamus. Doctrinæ Verbi præfecti sumus: non est autem nobis mandatus magistratus, nec data auctoritas. Consiliariorum admonentium locum tenemus. Consiliarius dicit quæ à se procedunt, non necessitatem afferens auditori: sed in eius potestate dimittit vt facienda eligat quæ dicta sunt. Culpæ tum demum est affinis, si non dixerit quæ ei sunt commissa. Hæc dicimus. Hæc loquimur ne illo die liceat cuipiam dicere nobis, Nemo nobis dixit, ignorauimus, nullum existimamus esse peccatum. Propterea dico & protestor. Ita igitur Paulus contestatur in Domino, vt quod ab illo dicitur aut consulitur, non imperantis austeritate, sed maiestate fulciatur dominantis. Quibus porrò dicit aut consulit? Hæc dicta sunt, ait ille, non solùm Ephesiis, sed nobis quoque nunc dicuntur; & non à nobis, sed etiam à Paulo: vel potius neque à nobis, neque à Paulo, sed à gratiâ spiritûs. Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis. Quid est, iam? Id est, vt exponit Aquinas: Tempore fidei & conuersionis ad Christum: quia iam vos mundi estis. Non igitur iam viuatis, non iam incedatis, Sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensûs sui. Ego ea quæro, quæ à vobis sunt præstanda, (ita apud Chrysostomum) vitam & vitæ congruentem ambulationem. Testem autem appello Dominum eorum quæ à me dicta sunt, quòd non reticui, nec suppressi, sed dixi quemadmodum oporteat ambulare. In vanitate, inquit, sensûs vestri. Quid est sensûs seu mentis vanitas? Versari in rebus vanis. Quænam autem sunt vana, nisi omnia præsentia? De quibus dicit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hæc Græci sunt philosophati, sed vanè & frustra. Vitam ostentarunt duram & asperam, sed temerè & inconsideratè non ad aliquem finem aspicientes vtilem, sed ad inanem gloriam: propterea dicebat Apostolus, In vanitate mentis suæ.

Nec hoc tantùm dicit, sed & addit. Tenebris obscuratum habentes intellectum. In quibus non sensum tangit, sed ipsum pungit intellectum. Vita enim Gentium, vt aduertit Aquinas, deficit à ratione iudicante, quia ambulant in vanitate sensûs

Chrysost. orat. 2.

Chrysost. orat. 11.

Consulendo eius agitur, quàm iubendo.

Chrysost. orat. 13.

Aquin. lect. 6. Chrysost. orat. 12.

sensûs sui. Sensus quippe est vis apprehensiua, per quam iudicamus singularia. Vnde aliquis homo rectus dicitur, quando benè iudicat de agendis. Sed sensus iste quandoque est vanus. Rectus dicitur, quando debitâ regulâ regitur, quâ venit ad debitum finem. Vanus autem, quando indebitâ regulâ ductus, non venit ad debitum finem. Hierem. 2. Ambulauerunt post vanitates suas; & vani facti sunt. Quare? quia ratio istorum in agendis non dirigebatur ab intellectu illuminato, sed erroneo: & hoc est quod ait, Tenebris obscuratum habentes intellectum. Et ratio est, quia tales nó sunt participes diuini luminis, seu legis diuinæ illuminantis, & regulantis. Ad hoc enim vt homo iuste ambulet, oportet tria quæ in ipso sunt regulari, & ordinari. In homine namque est ratio, iudicans de particularibus agendis: tum & intellectus vniuersalium principiorum, qui est synderesis: tertiò, lex diuina seu Deus. Itaque sicut præscribimus aduersùs hæreticos, quòd sint hæretici, id est posteri; ideoque adulteri, & inde ab omni scripturarum iure ab omni participatione sacramentorum exclusi: sic & aduersùs ethnicos seu Gentiles præscribimus, quod Gentiles sint, id est à Deo alieni, ideoque cæci, obtenebrati, & inde ab omni agendorum notitiâ extorres, ab omni sperandorum lætitiâ exules, vtpote insipientes & vani. Quis enim sapiens, (ait Tertullianus) expers veritatis, qui ipsius sapientiæ ac veritatis patrem & Dominum Deum ignoret? Nam diuina aliàs enuntiatio Salomonis, Initium, inquit, sapientiæ, metus in Deum. Porrò timoris origo notitia est: quis enim timebit quod ignorat? Ita qui Deum timuerit, omnium notitiam & veritatem adsecutus, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit. Mera ergo sapientia philosophorum, cuius infirmitatem prima hæc contestatur, varietas opinionum, veniens de ignorantia veritatis. Illa sane mera sapientia, quæ solum sibi nomen vendicat, dum verum numen non adorat; quæ veritatem non sapit, dum non colit diuinitatem. Philosophi, sed pallio tenus. Viri, sed mento tenus: quibus ideo dicendum est cum Chrysostomo. Quousque non cessatis nugari mentem habentes obscuratam? Nam vt qui sint in tenebris, omnia & dicunt & faciunt, tam quæ ad dogmata pertinent, quàm quæ ad vitam. Eorum enim quæ sita sunt in tenebris nihil videt is qui est circumfusus tenebris. Sic isti quoque Græci, vt qui sint reuera infantes, sicut etiam quidam dicit apud eos, Græci semper pueri. Si semper pueri, numquam viri: nunquam euigilant, sed tenebris obscuratum habentes intellectum, in vanitate sensûs sui semper ambulant.

Aquin. lect. 6.

Tria sunt ad ad benè agédum necessaria.

Tertullian. lib. 2. ad Nat. cap. 2.

Chrysostom. orat. 12.

REFLEXIO II.

De vitâ Dei.

TRiplex vita intellectualis, humana, Angelica, diuina: imo nec humana, nec Angelica, si non diuina, sed animalis, diabolica. Cum enim viuit homo secundùm hominem, (verba sunt Augustini) non secundùm Deum, similis diabolo: quia nec Angelo secundùm Angelum, sed secundùm Deum viuendum fuit, vt staret in veritate, & veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur. Nam de homine Apostolus ait: Si autem veritas Dei in meo mendacio abundauit. Meum dixit mendacium, veritatem Dei. Hæc est ergo prima ratio, & ab Apostolo liquidò declaraat, cur ethnici sint. [Alienati à vitâ Dei.] Nimirum, Per, seu, vt ex Græcis, Propter ignorantiam quæ est in illis, propter execreationem cordis ipsorum. Equidem, error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. Inde omnes mendaces, peccantes, errantésque. Alienati sunt peccatores à vuluâ, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Quid est, à vuluâ? Ab ipsâ origine, ait Augustinus, alienati sunt peccatores. Vnde alienati? Ab ipsâ veritate. Et cum iniquitatem loquuntur, falsa loquuntur, quia fallax est iniquitas: & cum iustitiam loquuntur, quia aliud ore proferunt, aliud in corde obtegunt. Quid habet homo sibi proprium? Nemo, ait ille habet de suo, nisi mendacium & peccatum. In his homo natus est totus, & ad hæc semper pronus. Malum igitur nascendo trahimus, sed viuendo addimus: illud ex traduce mortalitatis, istud ex assiduitate iniquitatis: illud ex innato peccato, istud ex frequentato: illud ex contagione, istud ex consuetudine Propter ignorantiam, quæ est in illis. Vtpote ingenitam & insitam. Propter executionem cordis ipsorum. Vtpote subsequentem, adhærentemque. Quomodo igitur non alienatus est ethnicus à vitâ Dei, cum viuat secundùm seipsum, & viuendo secúdùm seipsum, sensuū sequédo iudiciū, viuat secundùm mendacium. Cum enim viuit homo secundùm veritatem, (ita Augustinus) non viuit secundùm seipsum, sed secundùm Deum, Deus est enim qui dixit. Ego sum veritas. Cum verò viuit secundùm Deum, profectò secundùm mendacium viuit: non quia homo ipse mendacium est, cum sit eius autor & creator Deus, qui non est vtique auctor creatorque mendacij; sed quia homo ita factus est rectus, vt non secundùm seipsum, sed secundùm eum à quo factus est, viueret: id est, illius potius quàm suam faceret voluntatem: non autem ita viuere, quemadmodum est factus vt viueret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse etiam non sic viuendo vt possit esse. Quid est hac voluntate mendacius?

Augustin. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 4.

Eccles. c. 11.

Psalm. 57.

Augustin. cit. med.

Augustin. Tract. 5. in Ioan.

Malum quod habemus nascendo, augemus viuendo.

Augustin. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 4.

Altera ratio. Deus spiritus est, non ergo viuit vitâ Dei, nisi qui spiritualiter viuit; nemò autem spiritualiter viuit; nisi Dei gratiâ. Quomodo ergo ethnici non alienati à vitâ Dei, qui à Deo ipso, nec à Deo solùm ipso, sed à Dei gratiâ longè facti sunt. Quomodo viuent spiritaliter, qui nec fidem habent, nec charitatem? Alienati à vitâ Dei, id est, vt exponit Aquinas, à charitate & gratiâ spirituali, quâ anima viuit formaliter. Quomodo viuit homo, quando sine fide viuit & charitate? Carnaliter. Non quod carnis sequatur incentiua, sed quod veteris hominis carnalisve studia prosequatur. Quid mirum? cum & ipse diabolus carnaliter viuat, licet carnem non habeat, nec sentiat libidinem. Licet enim vti Augustinus dixit, ex corruptione carnis existant quædam incitamenta vitiorum, & ipsa desideria vitiosa: non tamen omnia iniquæ vitæ vitiâ tribuenda sunt carni ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Etsi enim diabolus fornicator vel ebriosus, vel si quid aliud huiusmodi

Aquin. lect. 6.

Augustin. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 3.

huiusmodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor & instigator occultus: est tamen maximè superbus & inuidus. Hæc autem vitia quæ tenent in diabolo principatum, carni tribuit Apostolus, quam certum est diabolum non habere. Dicit enim, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, inuidias, opera esse carnis: quorum omnium malorum caput atque origo superbia est, quæ sine carne regnat in diabolo. Quis enim illo est inimicicior sanctis? Quis aduersùs eos contentiosior, animosior, & magis æmulus atque inuidus inuenitur? Et hæc omnia cum habeat sine carne, quomodo sunt opera carnis, nisi quia opera sunt hominis? Non est igitur aliud viuere secundùm hominem, quàm secundùm carnem viuere. Quod enim est ambulare secundùm hominem, ait ille, hoc est esse carnalem: eosdem ipsos quippe quos Apostolus prius dixit animales, postea dicit carnales. Et ab animâ namque, & à carne, quæ sunt partes hominis, potest totum significari, quod est homo: atque ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis: sed idem ipsum est vtrumque, id est, secundùm hominem viuens homo. Sicut quod dictum est, secundùm hominem ambulatis, potuit dici, secundùm carnem. Quod enim dicebat Apostolus, animales estis: &, carnales estis, expressiùs dixit, homines estis: quod est, secundùm hominem viuistis. Viuunt Stoici secundùm mentem, viuunt Epicurei secundùm carnem: vtrique secundùm hominem. Neutri spiritualiter, sed carnaliter, isti, illi animaliter: imò carnales omnes, quà homines, mente aut carne suâ, non fide viuâ, aut verâ viuentes charitate.

Viuere secundùm hominem, est secundùm carnem viuere.

Augustin. cap. 4.

Tertia ratio. Quia tribus gradibus prouehimur in vitam diuinam, & si fas dici, in Deum ipsum transfundimur. Primus itaque sensus, exegeticus est, secundus, tropologicus; tertius, anagoricus. Primus ergo gradus, est simplificatio; Secundus, annihilatio; tertius denique, deificatio. Quantum ad primum, simplificationem dico, non illam vniuersalem aut confusam mentis ideam conceptionemve, sed puram ab omni labe phantasmatum, ab omni imaginum illuuie defæcatam: quæ dum ascendit in sublimitatem, sese in vnitatem colligit. Ego, (ait Dionysius Timotheo) te arbitror comprehendisse, quomodo extrema longè plurium verborum sint, quàm prima. Quo enim ad id quod altius est sursum tendimus, hoc ipso sermones intelligibilium contractionibus & compendiario aspectu coarctantur. Et à summo quidem ad extrema descendens oratio, pro modo descensûs ad proportionatam latitudinem extenditur: ab infimis autem ad summa ascendens, pro mensurâ ascensûs contrahitur, & post omnem ascensum tota sine voce erit, totaque ineffabili vnietur. In apice mentis suspenditur verbum, simplicitatis pumice tenuatum, totumque primæ vnitati, seu summæ iungitur bonitati. Quantum ad secundum, annihilationem intelligo, non illam informem & otiosam mentis vacationem, quasi nihil in animo resideat, aut animo suo priuata, oculo nihil videat: sed excelsam illam & sublimem, & animo supereminentem & oculo, verbumque suum non tam per actum quàm per defectum exprimentem. Caliginem enim, ait ille, quæ est suprà mentem introeuntes, non sermonis breuitatem, sed sermonis & intelligentiæ omnimodum defectum inuenimus. Nam: Sursum ascendentes dicimus, quod neque anima est, neque mens: neque sermo est, neque conceptio: neque dicitur, neque concipitur. Non est anima sine verbo, sed Deo non verbo suffulta: non est vnita sine medio, sed vinculo vsa quasi nihilo, adeo maiestatis seu diuinitatis abysso incincta. Quantum ad tertium, hanc demum volo deificationem quæ nihil relinquat humani, sed quæ ipsam peruadat animi substantiam, & in diuinam transmittat naturam, attollatve præstantiam. Si secundùm Deum viueretis, ait Augustinus, Dij essetis. Volo igitur hominem, non solùm vniformem in actu suo, sed & affectu ignito deformem: ideoque non hominem iam, sed supra hominem, conditione Angelum, adoptione Deum. Quid igitur de ethnicis? Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Apud illos vana sunt omnia, apud quos tam Deus vanus, quàm & nullus: ideoque nec Dei vita, si nec Dei scientia. Sunt & alij, quibus subest scientia Dei, necdum tamen præest vita Dei. Noli, ait ille, tibi tribuere iudicium quod fortè non nosti. Carnalis es adhuc, conceptus es: eo ipso quod accepisti nomen Christi, sacramento quodam natus es: expecta ergo formari. Ille ergo viuit vitâ Dei, qui ruinâ sui superexcrescit: qui nihil habet quod humanum, nihil habet quod sit suum: sed cuius omnia diuina sint, cum non solùm in virum alterum, sed & in Deum ipsum per transformationem seu imitationem refusa.

D

Dionys. lib. de myst. Theolog. cap. 3.

E

Quid in mysticis simplificatio annilatio, deificatio.

A

Dionys. Ibidem & c. 5.

B

Augustin. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 4.

Sapient. cap 13.

C

Augustin. Enarrat. in Psal 57. circ. med.

REFLEXIO III.

De desperati auaritiâ.

GRandis ignorantia, num igitur culpa veniabilis? Alienati à vitâ Dei per ignorantiam. Si est ergo ignorantia, ait Chrysostomus, si execratio, cur criminaris? Nam eum qui ignorat non malè pati nec accusari æquum est, sed discere quæ ignorat. Sed vide quemadmodum eos statim eximit à dandâ veniâ. Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiâ. Hìc maximè abstulit eorum excusationem & defensionem. Licebat enim eis si nollent, neque esse auari, neque impudici, neque ventri indulgere, & suas explere cupiditates, eisque frui. Licebat & pecuniæ, licebat & voluptatis & deliciarum moderatè esse participes. Sed quoniam iis immoderatè vsi sunt, omnia corruperunt. Non casu, inquit, peccarunt, sed hæc grauia fecerunt, & eâ re meditatâ vsi sunt. Res tamen penitiùs scrutanda est, & in peccato ipso exponenda, primò, insensibilitas: secundò, impietas: tertiò, insatiabilitas.

Chrysost. orat. 13.

Quoad insensibilitatem. Græca in illum sensum ducunt, sed abducunt affectum. Aliter in Græco habetur ἀπηλγηκότες, hoc est, sine doloris sensu, tanquam insensibiles facti, excordes & torpidi: neque in veri boni indagationem

Athanas. in Paulum.

dagationem volentes laborem insumere. Ita Vulgarius, seu Commentarius titulo Athanasij vulgatus. Vicina sunt Græca ἀπηλγηκότες, indolentes in sensibilesque: & ἀπηλπικότες, desperantes. Et vtrumque amplecti videtur Chrysostomus aut complecti, cum ait. [Hîc ostendit Apostolus eorum vitam fuisse causam excæcationis. Vita enim orta est ex eorum socordiâ & doloris vacuitate. Qui cum, inquit, de se desperassent, & animum despondissent, seipsos tradiderunt. Quando ergo audis, Deum eos tradidisse in reprobum sensum, recordare huius verbi quòd seipsos tradiderunt. Si enim seipsos tradiderunt, quomodo Deus tradidit? Si autem Deus eos tradidit, quomodo seipsos tradiderunt? Vides eam quæ esse videtur repugnantiam. Tradit enim quod permisit, vel concessit. Inde est excœcatio, inde caligo mentis. Possunt enim esse tenebræ etiamsi lux fulserit, quando imbecilli sunt oculi. Fiunt autem imbecilli, aut malorum humorum affluxu, aut defluxûs redundantiâ. Ita hîc quoque quando multus impetus rerum quæ ad hanc vitam pertinent, obruerit perspicacem mentis nostræ facultatem, ea est in tenebris; & sicut in profundo iacentes in aquâ, solem videre non potuerimus, multâ aquâ veluti quodam septo supernè impositâ: ita etiam in mentis oculis fit cordis excœcatio, quando nullus timor animam concutit. Non est, inquit, timor Dei ante oculos eius. Quando ergo concreta defluxio in vnum locum cogitur, membrum fit mortuum & sensu defectum: & siue vsseris, siue secueris, siue quiduis feceris, non sentit. Hæc est igitur insensibilitas illa metu vacua supplicij, sensu destituta peccati: nec concutitur timore, nec dolore atteritur. Postquam enim terribili Dei iudicio, (ita loquitur Bernardus) prima flagitia impunitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentiâ reuiuiscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, traditur captiuus tyrannidi vitiorum, carnalium voragine desideriorum absorptus, suæ rationis diu ique timoris oblitus. Iam indifferenter libitis pro licitis vtitur, iam ab illicitis cogitandis, patrandis, inuestigandis, animus, manus, vel pedes non prohibentur: sed quicquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, querit, & operatur, maleuolus, vaniloquus, facinorosus. Quemadmodum enim ascensis gradibus, corde iam alacri & absque labore pro bonâ consuetudine iustus currit ad vitam: sic descensis impius eiusdem pro malo vsu non ratione se gubernans, non timoris frœno retentans, intrepidus festinat ad mortem. Medij sunt qui fatigantur, angustiantum qui nunc metu cruciantur gehennæ, nunc pristinâ retardati consuetudine, descendendo vel ascendendo laborant. Supremus tantum & infimus currunt absque impedimento, & absque labore, ad mortem hic, ad vitam ille festinat, alter alacrior, alter procliuior. Illum alacrem charitas, hunc procliuem cupiditas facit. In altero amor, in altero stupor laborem non sentit. In illo denique perfecta charitas, in isto cōsummata iniquitas foras mittit timorem. Illi veritas, huic cæcitas dat securitatem.

Chrysost. orat. 13.

Vnde insensibilitas accidit animæ.

Bernard. lib. de grad. hum. 12.

Quoad impietatem. Illa facilè sequitur, quia dum amittitur Dei metus, citò contemptus incurritur: & qui deponit timorem, statim etiam

A spem abiicit. Propter cæcitatem cordis ipsorum: & verè, ait Aquinas, dicit cæcitatem: quia, vt dicitur Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ. Et hoc est, quod sequitur: Qui desperantes, tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ, omnis. Vbi ostendit Apostolus, quales erant in exteriori conuersatione: quoniam sine spe. Hieren. 18. Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque post prauitatem cordis sui malefaciemus. Et hoc est quod sequitur, Tradiderunt semetipsos. Quasi dicat, Non infirmitate peccauerunt, sed semetipsos tradiderunt: quia peccaB uerunt, non ex passione, sed potius ex electione. Ad hoc tandem venerunt impœnitentiâ suâ, & eo vsque tantâ processerunt duritiâ, vt dicant in corde suo, Non est Deus, & inde spem omnem vitæ abiiciant futuræ; immortalitatem, resurrectionem excludant, & inde in profundum excidant miseriarum. Quemadmodum enim, vti dixit Laurentius Iustinianus, vna quæque res ex Solis calore vitam trahit, ac lumen percipit, adeo vt absque illo, nec fæcunditatem habere valeat, nec decorem: ita & spiritualis natura rationis effecta particeps, nec vitam spiritûs, neque fœcunditatem possidere potest, vel speciem, nisi diC uinâ mediante bonitate: quâ qui caret, mortuus censendus est, inutilis, atque deformis. Iacet in se confusus, ignarus, ac mortis fluctuationibus obuolutus: totus maculosus, & teter opacæ noctis, & inextinguibilis gehennæ habitator est factus. Hoc nequam homines, hoc nequam spiritus suo testantur exemplo. Nempe auersi à luce sapientiæ, & à dulcedine diuinæ bonitatis alienati retrorsum impœnitentes effecti sunt, obdurati in insipientiâ, in malo obstinati, excœcati à vero, deordinati in bono, in virtute infirmati.

Aquin. lect. 6.

Lauren. Iust. lib. de inter. confl. cap. 5.

In quo dæmones hominesque pares aut dispares.

Nec multum dispares aut alienæ sunt dæmonum impiorumque deformitates ac miseriæ: nisi quod homines redire ad lucem veritatis possunt, D & impietatis labem eluere. Vtinam autem (loquor cum Bernardo) qui eiusmodi est, declinet impietatem, & terribile illud profundum caueat, de quo scriptum est. Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. Vehemens est tentatio, & proxima desperationi, nisi totum colligat, & ad miserandum animæ suæ, quam adeo miseram & miserabilem videt, conuertat affectum. Consideret nullam sibi inueniri requiem in seipso, sed omnia plena miseriæ & desolationis. Lugeat plangens dolorem suum, exitus aquarum deducat oculus eius, & palpebra non quiescat. Nimirum purgatur lacrymis oculus antè caliE gans, & acuitur visus vt intendere possit, in serenissimi luminis charitatem.

Bernard. serm. de conu. ad cler. cap. 19.

Quoad instabilitatem. Illa est auaritia, Græcè πλεονεξία, in explebilis voluptatum, honorum appetitus, affectus sine modo, sine termino; bonis temporalibus, seu corporeis incubans voluptatibus, nouisque semper ac nouis inhians: nec minus ardenter operam nauans suam, quàm insatiabiliter. Deliciis affluentes in conuiuiis suis: oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti: cor exercitatum auaritiâ habentes. Græcè πλεονεξίαις, auaritiis, insatiabilibus rerum sensibilium cupiditatibus. Dominus dicit in Euangelio: (verba sunt Bernardi) Cauete ab omni auaritia: quia non in abundantiâ cuiusquam vita pecuniis.

2. Pet. cap. 2.

Bernard. lib. de mod. benè viuen. cap. 44. & 45.

eius est super terram ex his quæ possidet. Vnde Salomon: Auarus non implebitur pecuniis, & qui amat diuitias, non capiet fructum ex eis. Auarus homo similis est inferno: sicut infernus nunquam dicit, satis est, ita auarus nunquam satiatur pecuniis. Sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit: ita auarus quanto plus acquirit, tanto plus concupiscit. Auaritia autem & cupiditas, sorores sunt: superbia verò est mater earum. Nunquam superbia fuit sine cupiditate, nec cupiditas sine auaritia. Cupiditas radix omnium malorum est, omnium criminum materia. Nec est mirum si morientes inferni ignibus deputentur, qui viuentes flammam cupiditatis suæ non extinxerunt.] Ignis est qui nullis cohibetur repagulis: vnda, quæ nec suis nec alienis terminis cótinetur, nisi aut iudicio temperetur, aut frœnetur supplicio. [Vsitatū est satis & tritum, ait ille, seculum istud meritò cæcitatis & ignorantiæ suæ Egypti vocabulo nuncupari, quod nimirum quoties mutatione voluntatis egredimur tria nobis occurrunt. Stimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum sensum rationis nostræ tumidis & procellosis vndis cogitationum inuoluit: & nisi virga discreti iudicij aquæ superiores ab inferioribus secernantur, subruit funditùs & demergit. Sequitur cumulus tentationum, quasi alter Iordanis aluei sui metas excedens, & terram corporis nostri solito pleniùs occupans, nisi arca testamenti, id est, sententia veritatis intercedens, impetus illius refrenet, & ipsum penitus arefaciat & exsiccet. Sequitur aculeus molestiarum, qui cum increuerit quasi iterum Iordanis Helisæo occurrens, sumendum Heliæ pallium, & medijs fluctibus opponendum: vt quicquid nos temporaliter cruciat, respectu Dominicæ passionis sapore mutato, nouâ nobis suauitate dulcescat.] Quid faciat ille, qui spem futurorum abiecit bonorum, nisi in omnem præsentium effundat cupidinem, in omnem libidinem ebulliat? Quid ergo redeat, nisi vt appetitum; irritatum potius quàm satiatum, nec tam recreatum quàm lassatum, & sanctioribus desideriis, & bonis præstantioribus expleat?

Bernard. lib. de mod. ben. viu. cap. 44. & 45.

Bernard. in Sententi.

Tria Ægyptum seu seculum deserenti periculosa.

REFLEXIO IV.

De veteri homine.

INfideles deserit Apostolus, & tedit ad fideles. [Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu: deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.] Hoc est, vt exponit Chrysostomus, non propter hoc Christum didicistis: hoc est enim Christum didicisse, rectè viuere: nam qui improbè viuit, Deum ignorat, & ab eo ignoratur. Non his conditionibus pactum conuentum fecistis. Nam quæ sunt apud nos, non sunt vanitas, sed veritas: sicut dogmata sunt vera, ita & vita. Peccatum enim est vanitas, & peccatum est mendacium & falsitas. Vita autem recta est veritas. Vos ergo non ita didicistis Christum: in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem. Do-

Chrysost. orat. 13.

A ctrina Christi in totum conuersationi gentili contraria est ac statui. Illum per fidem excepistis, & per charitatem didicistis imitandum. Per illam scientiam edocti estis deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Tria igitur exponenda sunt. Quid vetus homo. Quomodo corrumpatur. Quomodo deponatur.) De primo. Dicunt aliqui, (apud Aquinatem) quòd hic homo vetus exterior, nouus verò dicitur interior, Sed dicendum est, quòd homo vetus dicitur tam interior quàm exterior, qui subijcitur vetustati quantum ad animam per peccatum, & quantum ad corpus, B quia membra corporis sunt arma peccati, Et sic subiectus homo peccato secundùm animam & corpus, dicitur vetus homo, secundùm quod illa vetusta sunt, quæ sunt in viâ corruptionis, vel in ipso corrumpi: quia quod antiquatur & senescit propè interitum est: vt dicitur Hebr. 8. Et sic homo subiectus peccato, dicitur vetus, quia est in viâ corruptionis. Vetustas quidem ab eo deriuata est, à quo in nobis propagata est iniquitas: sed sicut totam infecit naturam, sic & statum effecit deprauationis seu corruptionis. Peccatum enim originale, sic est in nobis actuale peccatum, vt tamen C non sit peccatum actuale, sed habituale: cum sit habitus transgressionis, ideoque corruptionis status, qui in damnationem trahit, mergitque, nisi reformetur & euacuetur per innouationem. Nouus homo nouit, (verba Augustini) vetus non nouit. Vetus homo est vetus vita, & nouus homo est noua vita. Vetus vita ex Adam trahitur, noua vita in Christo formatur. Ita nascimur, ita renascimur; statum enim corruptionis contrahimus, nascendo ex Adam, statum sanctificationis, ex Christo renascendo trahimus: vnde non solùm adulti, sed & paruuli gerunt hominem veterem, quia eundem Adamum, D seu eundem statum referunt. Et certè, ait Augustinus, proptetea homo est imago Dei, quia factus est ad similitudinem Dei. Cur ergo & vanitati similis factus est, propter quod dies eius velut vmbra prætereunt? Non enim ab hac vanitate separaturus es paruulos, cum dies eorum velut vmbra prætereant? Postremò numquid eos & à viuentibus separabis? Audi ergo eum qui dicit in Psalmo, Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Cur ergo sit imago Dei omnis homo viuens, dic vnde sit etiam vanitas omnis homo viuens? Sed quid dicturus es, qui non vis agnoscere, aliud hominum E esse ex conditione Dei, aliud accidisse ex conditione peccati. Per illas enim sordes, sine quibus homo Dei dicit esse neminem, etsi vnius diei sit vita eius super terram sibi vindicat diabolus imaginem Dei, non per substantiam quam creauit Deus; vitiata est enim natura, non vitium est, Statim ac nascitur homo, vetus est, quia vitió affectus infectusque; statum enim sortitur corruptionis ab ipso conceptionis exordio, seu vniuersæ vanitatis, seu vniuersalis noxæ; nec prius in illo nasci est quàm corrumpi: ex hoc enim totus homo corrumpitur, quo totus vanitati seu corruptioni obnoxius nascitur.

Aquin. lect. 7.

Augustin. Enarrat. in psal. 97. à limine.

Augustin. lib. 1. op. inch. num. 63.

Non priùs in homine est nasci, quàm corrumpi.

De secundò. Exponit Paulus, cum ait, Qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Nam vt edisserit Aquinas, vnumquodque corrumpitur, cum recedit ab origine naturæ suæ. Natura, autem hominis est, vt desiderium eius tendat ad id quod est secundùm rationem. Perfectio autē & bonum rationis & veritas. Quando ergo ratio tendit ad errorem, & desiderium eius ex hoc errore corrumpitur, tunc vetus homo dicitur. Duo sunt, quæ hominem constituunt rationalē: intellectus scilicet atque affectus: & vterque iam vanus, quia ille per se in falsitatem tendit, iste ad iniquitatem; & vterque corruptus, quia & ille à veritate recedit, iste à sanctitate: sed sicut dominium non tam mentis est, quàm voluntatis, sic & peccatum non tam assensus est quàm consensus: delibatur priùs in mente, sed principaliùs in voluntate consummatur. [Factus itaque homo est malus, (verba sunt Laurentij Iustiniani) dum voluntate malâ malo consensit in malum, Nempe qui paradisi fuerat ciuis, effectus est mundus mundi; perpessus est ærumnas in seculo, de terrâ spinas, & tribulos, concupiscentias in carne, & multiplices defectiones in Spiritu. Quis sufficienter explicet vtriusque hominis calamitates innumeras? Quis animi, & sensus illius edicat miserias? Horum omnium mala voluntas est causa. Hæc planè naturam corrupit, aboleuit legem, prostrauit hominem, confudit vniuersum, irritauit altissimum, & cōpleuit abyssum. Hæc prorsus lites excitat, conturbat quod pacis, quod iustitiæ, quod vnitatis, quod virtutis, quod sanctitatis. Vbi dominatur illa, abest charitas, elongatur sapientia, ignota permanet veritas: ibi consilia mala, cogitationes nefariæ, immoderati affectus, terrenorum amor, principandi libido, mentis confusio, carentia luminis, nescientia fraternæ dilectionis, odium sui, & implacabile bellum: nam quemadmodum protestantibus Angelis pacatissima pax bonæ voluntatis prærogatur hominibus; ita malæ voluntatis, perturbationis infelicitas.] Appositè igitur Paulus, Qui corrumpitur secundum desideria erroris. Sicut enim fidei meritum, non tam credere, quam velle credere: sic & animi vitium, non tam aberrare quàm velle aberrare. Non enim aliud est desiderium erroris, quàm corruptionis complementum, seu propositum malū ex prauo ac peruerso conceptum iudicio. Itaque non alia est superioris partis, sicut nec inferioris substantia: sed sicut ista deficit, dum dilabitur, tenditque in nihilum; sic & illa delinquit, dum corrumpitur, & in peccatum desinit. Sicque corrupta natura hominis, quà rationalis, quia iam non tam rationalis quàm irrationalis est: natus enim est veritati, & iam addictus est vanitati: carnis sequitur consilia, & secundùm erroris desideria corrumpitur.

De tertiò. Innuit Paulus, cum ait: Deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem. [Ergo deponere veterem hominem, est pristinam vitam, in infidelitate seu corruptione anteactam deponere.] Quomodo igitur deponendus sit vetus homo, docet Apostolus, dicens, Coloss. 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus suis. Non ergo substantialiter debet deponi, vel expoliari, sed solùm quoad opera mala, vel conuersationem. Aliquid in dies luctando & repugnando decerpimus, deponimusque, quamdiu in hac mortalitate confligimus; nihilque tandem illius habebimus, cum beatâ gaudebimus immortalite.] Permitte, quæsumus, (verba sunt Augustini,) vt homo viuens, qui ad Dei similitudinem factus est, eruatur à potestate tenebrarum, sub quâ, vanitati similis factus est: eruatur autem nunc interim à reatûs obligatione, post hæc verò corruptibilem vitam, ab omni etiam vanitate. Itaque Gentiles seu infideles hoc corpus mortis, seu miseram mortalitatis sarcinam neque exuūt, neque deponunt; sed onerant potius, & aggrauant; nec enim deponitur morte, sed immortalitate: nam sicut minuitur per gratiam, sic per gloriam extinguitur. Deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem. Videlicet, (ita Athanasius) nequaquam ipsi, quemadmodum Gentes, vanis & superuacaneis in rebus incedite, vel vos ipsos ad eadem illa componite. Constat namque non esse inania, quæ Christi sunt, sed certiora & vera, cum dogmata dico, tum vitam: delictum siquidem falsitatem prætendit: quippe quod inconstantius sit & leuius: virtus verò veritatem præfert, quia stabilis sit, & finem habeat. Ad quid estis edocti, vel quænam est quæ secundùm Deum sit veritas? Nimirum deponere vos veterem hominem, hoc est, pristinæ conuersationis modum, & vitam illam, antiquiorem, & peccatis obnoxiam.] Non iam agendum ex disciplinâ sæculi, sed Dei vitâ viuendum est: statum corruptionis imminuite, cupiditatis imperium infringite: malum habitum per actum bonum concutite: quotidie aliquid decernite, donec tandem euertatur in totum, & ad nihilum, redigatur. Benè igitur dixit Apostolus deponi, exui, expoliari: quia sarcina est, quæ grauior fieri potest aut leuior: læna est, quæ circumduci potest & contrahi: res aut rei species, quæ intima quidem, sed accidentalis; ingenita, sed mutabilis: ideoque & apponi potest, & deponi.

Aquin. lect. 7. — Laurent. Iustin. lib. de inst. conf. cap. 4. — Natura humana quomodo peccato corrupta. — Aquin. lect. 7. — Aug. lib. 1. op. inch. num. 63. — Athanas. in Paulum. — Vetus homo per gratiam minuitur, per gloriam extinguitur.

REFLEXIO V.

De nouo homine.

QVando dicit Apostolus, Renouamini: ostendit, (secundùm Aquinatem,) quòd debemus nouum statum induere. Idcircò enim corruptionis statum deponimus, vt statum resumamus sanctificationis: idcircò seruitutis habitum exuimus, vt habitum induamus libertatis. Tria autem exponenda sunt. Primum, quid sit: Secundum, in quo sit: Tertium, per quid sit.

De primò. Non ait Apostolus, Innouamini: sed, Renouamini: fuit enim aliquando homo nouus, cum primum in iustitiâ & sanctitate veritatis creatus est. Nihil erat in illo veteris hominis, in quo nihil erat corruptionis: non enim veterem facit hominem prolixitas temporis, sed transgressionis iniquitas: nec recentem reddit nouitas natiuitatis, sed dignitas sanctitatis. Tandiu nouus fuit, quamdiu non deliquit; nec vnquam vetus fuisset, si nunquam deliquisset. Sed sicut non solùm à principio peccauit, sed & pro

Aquin. lect. 7.

& pro principio; sic non solùm vetustatem A statim contraxit, sed & eandem nobis, affricuit, cum de nouis fecit veteres, de beatis infelices. [Ipse primus Adam, inquit Augustinus] naturæ tam excellentis fuit, quoniam vitiata non fuit, vt peccatum eius tam longè maius cæterorum peccatis esset, quàm longè melior ipse cæteris fuit: vnde & pœna eius quæ peccatum eius continuò subsecuta est, tam grandis apparuit, vt continuo etiam teneretur necessitate moriendi, cuius erat in potestate non mori. Et de loco tantæ felicitatis foras mitteretur, & à ligno vitæ continuò vetaretur. Hoc autem quando factum est, in lumbis eius erat genus B humanum: vnde secundùm nimis occulta & multum valentia iura propaginis, consequens erat, vt qui erant in lumbis eius per concupiscentiam carnis venturi in hoc seculum, simul damnarentur; sicut consequens erat, vt qui eo iure propaginis, & ratione seminis erant in lumbis Abrahæ, simul decimarentur. Omnes itaque filij Adæ in illo aspersi sunt contagione peccati, & mortis conditione deuincti. Dies nostri iam facti sunt veteres, ideoque innouandi.] Vide quid dicat, citatus Chrysostomus, Renouamini. Renouari autem est, quando id ipsum quod consenuit, renouatur, vt fiat aliud ex alio. Quo fit vt subiectum quidem C sit idem, mutatio autem sit in accidente. Sicut corpus quidem est idem, mutatio autem est in accidente. Verùm sicut vetustas corruptionis, statum fecit in naturâ. Quia, vt dixit Augustinus, peccante primo homine, vitium pro naturâ inoleuit. Sic & nouitas sanctificationis, statum in naturâ erigit, dum alium facit hominem, sanctumque & innocentem constituit. Imò sicut corruptionis habitus species naturæ est, sed adulterinæ. Vnde & Apostolus, (apud Augustinum) non alio sensu dixisse intellectus est. Fuimus enim & nos aliquando naturâ filij iræ, quod quidam non ad verbum sed ad sententiam sunt interpretati dicentes, fuimus nos D aliquando naturaliter filij iræ. Sic ergo & sanctificationis status species naturæ est, sed germanæ & integræ. Nostrorum bonorum status iam exigitur, qui de cælo naturam trahit per lauacrum regenerationis. Ita Tertullianus, & rectè: nam si consuetudo, altera natura est, quantò magis regeneratio? Natura quippe à nascendo dicta est, ideóque sicut nascendo de carne, naturam trahimus, sed humanam carnalemve; sic & renascendo de Spiritu sancto, naturam induimus, sed diuinam spiritualemve. Ille igitur nouus homo, qui nouè natus de Deo, qui mutatus in virum alterum, & in pristinum E statum reparatus.

Aug. lib. 6. op. inch. num. 122.

Adam primum vetustatis principium.

Chrysost. orat.

Augustinus Tract. 44. in Ioan. post

August. lib. 4. op. inch. num. 12.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 1.

De secundo. Iubet Apostolus nos renouari: sed mente, non carne: adhuc enim viget vetustas carnis, sed mentis floret sanctitas. [Renouamini spiritu mentis vestræ.] Certè, vt aduertit Aquinas, Sicut vniuscuiusque rei primum vetustatis principium fuit Adam, per quem peccatum in omnes intrauit, ita principium primum nouitatis & renouationis Christus est: quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnde Gal. vlt. In Christo Iesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed noua creatura. Et quidem quoad Adamum, statim ac ille peccauit, non solùm contraxit reatum, sed & vtrumque statum mentis & carnis peruertit: non tantùm enim reus factus est, sed & in deterius secundùm carnem & mentem mutatus. Quoad Christum, venit quidem renouare quod senuerat, saluare quod perierat: sed sicut ille salutem dispensauit, vt nouitatem mentis infunderet in hoc seculo, carnis vetustatem in altero resolueret. Quomodò venit Christus? plenus quidem veritatis & gratiæ, sed particeps mortalitatis & miseriæ: illud quoad mentem, istud quoad carnem. [Nouè, inquit Tertullianus, nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator. Sed sicut ipse nouam dedicat natiuitatem, sic & nostram nouitatem delineat. Carne, inquit, antiqui seminis susceptâ, non semine antiquo; vt illam nouo semine, id est spiritualiter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam.] Ille igitur sanctitatem habuit mentis, sed carnis sustinuit passibilitatem: sic & renouationem in regeneratione nobis infundit mentis, renouationem carnis, non nisi nobis in resurrectione promittit. Renouamini autem. In quo, aut quomodo? Spiritu mentis vestræ. Et appositè: nam vt Aquinas edisserit. Dicit Apostolus, Renouamini spiritu mentis, quia illud quod non est corruptum, est nouum, nec renouatione indiget. Nam si Adam corruptus non fuisset, renouatione non indiguisset, nec nos etiam. Sed quia corruptus fuit, renouatione indiguit, & eius posteriores. Et ideò oportet renouari nos in præsenti secundùm animam, & in futuro secundùm corpus, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale immortalitatem. Dicit ergo, Renouamini spiritu. Sic scilic. quia nisi in præsenti renouetur spiritus, numquam corpus eius innouabitur. Itaque spiritus accipiendus est pro spiritu rationali: spiritus enim idem est, quod mens nostra: & est simile huic quod dicitur Coloss. 2. In expoliatione corporis carnis, id est corporis, quæ est caro: ita hic, Spiritu mentis, id est spiritu qui est mens: hoc autem dicit, quia in nobis est alius spiritus, qui non est mens; qui scilicet est communis nobis & brutis. Mens vestra carnalis erat, fiat spiritalis, terrestris erat, fiat cælestis. Itaque renouatio illa non solùm fit in hominis mente, sed & in mentis apice: hic enim renouamur duntaxat quoad spiritum mentis, in regeneratione autem sanctorum, seu iustorum resurrectione, in nouum carnis statum immutabimur.

Aquin. lect. 7.

Tertullian. lib. de carne Christ. cap. 17.

Aquin. lect. 7.

Spiritus duntaxat nunc innouatus est, qui nobis communis cum Angelis.

De tertio. Vult Apostolus induere nouum hominem: illum scilicet, Qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis. Quia ad veram innouationem: seu perfectam reformationem, tria sunt requisita: vnum in opere, nempe iustitia quoad proximum: alterum in corde, sanctitas scilicet quoad Deum: tertium in ore; veritas scilicet quoad seipsum: sic vt verè Deum verum colat, & nulli homini seu facto, seu verbo vel minimam inferat iniuriam. Creatus autem secundùm esse gratiæ. Vt definit Aquinas. Quia noua creatura per Christi gratiam, nouus spiritus per Dei misericordiam: vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Adam quippe induunt qui nascuntur, ait Augustinus, sicut Christum induunt

Aquin. lect. 7.

Augustin. lib. 2. op.

induunt qui renascuntur. Sed sicut illi qui carnaliter nati sunt, carnis sectantur opera; sic & qui spiritualiter renati sunt, per veritatis ac sanctitatis probantur officia. Cur enim Apostolus virtutem appellat hominem, (verba Chrysostomi) & cur hominem vitium? Quoniam homo non potest ostendi absque operatione. Quo fit vt hæc non minùs quàm natura, hominem ostendant, siue bonum, siue malum. Quomodo autem facile est exui, ita etiam licet videre in virtute & vitio. Iuuenis qui & nouus, est fortis: ergo nos quoque simus fortes ad operationem bonarum actionum. Iuuenis non habet rugam: ergo nec nos quoque. Iuuenis nō facilè capi potest à morbis: igitur nec nos quoque. Creationem seu creaturam videt quid hîc dicat, deductionem virtutis ad essentiam, vt quæ ex nihilo ad hoc vt esset sit deducta. Quid verò illa? Creatio seu creatura non est secundùm Deum? Nequaquam, sed secundùm diabolum. Ipse est creator peccati. Quomodo? Homo enim non ex aquâ? nec ex terrâ de cætero est creatus, sed in iustitiâ & sanctitate veritatis. Erat aliquando iustitia, erat & sanctitas in Iudæis: verùm non veritatis, sed typi & figuræ erat illa iustitia. Esse enim mundum corpore, munditiæ erat typus, non veritas iustitiæ.

Inch. num. 91.

Chrysost. orat. 13.

In sanctitate inquit, & iustitiâ veritatis. Nostræ ergo sūt partes ne exuamur vestimēto iustitiæ, quod Propheta vocat vestimentum salutaris, vt Deo simus similes. Ipse enim indutus est, iustitiam. Hoc vestimento induamur. Indui autem nihil aliud significat, quàm numquam deponere. Audi enim Prophetam dicentem: Qui induitur lumine sicut vestimento: & nobis mos est dicere de hominibus, Hic illum induit. Vult igitur nos non vnum, nec duos, nec tres dies, sed perpetuò esse in virtute, & hanc vestem nunquam exuere. Non solùm vult nos repuerascere, sed iuuenescere, ire de virtute in virtutem, nec secundùm ætatem duntaxat, sed & secundùm sanctitatem crescere. In tantum enim renouatur homo, in quantum depositâ veteris hominis infirmitate, & deformitate depulsâ, reformatur per sanctitatem, & ad virtutem roboratur. In tantum iustitia firmatur, in quantum domatur concupiscentia. Non vides eos qui sunt in montibus? ait ille. Illi & domos dimittunt & vxores & liberos, & omnem præfecturam & administrationem, & extrà mundum ipsi à se positi, sacco induti, substrato cinere, collo suspensis asperis collaribus, cum in paruâ se concluserint domunculâ, ne ad hæc quidem vsque consistunt, sed & ieiunijs & fame perpetuâ se affligunt. Terrenna saltem deponamus, vt nouum hominem induamus. Nihil vetus, nihil quod apparet, nihil quod interit & corrumpitur, possideamus.

Chrysost. in Moral.

Vestimentum iustitiæ, nunquam amittendum.

Chrysost. Ibidem.

REFLEXO VI.

De Christiani conuersatione,

HOmo factus est nouus in baptismo, beneficium gratiæ consecutus est: & in diuinæ naturæ naturæ adscriptus consortium. Sed cum natura principium operationis sit, sicut & motionis, iam non humanè sed diuinè debet agere; nec secundùm veteris hominis conuersationem,

A sed ad placitum veritatis, ac sanctitatis præscriptum debet incedere. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniā sumus inuicem membra. Optimè ab hoc præcepto orsus est Apostolus, quia primum hominem mendacio aggressus est diabolus. Inde filij hominum graui sunt corde, nec vanitatem solùm quærunt sed & diligunt mendacium. Inde nimirum illi affecti & infecti, Nouâ, vt loquitur Tertullianus, mentiendi voluptate, Quasi habitum serpentis hauserit, & spiritum imbiberit mendacij. Non solùm igitur omnes homines mendaces, qua veteris hominis consortes, sed & amatores mendacij nec dilectores B tantùm, sed & quæsitores, inuentoresque mendacij: vt qui sicut Iob dixit, Fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. Non enim minus miseri, quàm vani, mendaciū excolūt, nec pronâ solummodo mente, sed & arte subdolâ exstruunt in ædeficium. Sicut enim ait Gregorius, ædificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Vbi enim non dolosa locutio, sed sensus veritatis est, quasi munita moles non ex fabricâ, sed ex naturâ consurgit. Nunc tam rara veritas, quàm vanitas promiscua. Viuit vigetque vetus homo, nouus vix subsistit apparetve. Propter quod, Ad exuendum scilicet veterem hominem. Loquimini veritatem. Ad nouum scilicet C hominem induendum. Quid ita? Quoniam sumus inuicem membra. Nusquam se falluntmembra, sed mutua tam innocua quàm & innoxia nectunt commercia. Cum igitur Paulus de vetere homine dixisset & in genere, verba sunt Chrysostomi) de cætero cum describit etiam sigillatim, Quid autem dicit? Propter quod deponentes mendacium. Quod mendacium? De eo mendacio dicit, quod est eis inter se, nempe alteri cum altero. Hoc est id quod est dolosum & fraudulentum. Quoniam sumus inuicem membra: nemo decipiat proximum. Quod quidem dicit Psalmographus id sursum & deorsum agitans, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Ni- D hil est enim, nihil est quod æquè pariat inimicitias, atque decipi & falli. Vides quomodo eis vbique pudorem incutiat per corpus. Ne fallat, Inquit, oculus pedem, neque pes oculum. Quare? Nam seipsum quoque perdit, si fallat: sed dicit quod sibi occurrit. Vide curam & prouidentiam ex veritate ortam, idque alacri & prompto, vt ita dicam, animo. Ita nos quoque ne mentiamur, ne fallamus, si sumus alter alterius membra. Nonne pudet Christianos viros, imò & religiosos mendacia meditari, fabricari æquiuoca, inter suos fratres, quasi inter extraneos vel hostes conuersari, quasi in loco commorari suspecto? Ars est posse arguere mentiri, imò argu- E tari nullum esse mendacium. Breui nullum erit furtum, nullum periurium: & cessabunt præcepta, vel titulis prostabunt, sed factis vacua. O generatio peruersa, quamdiu patiar vos?

Tertullian. lib. 1 ad Nation. cap. 7.

Iob. cap. 13.

Gregorius lib. 11. Moral. cap. 13.

Chrysost. orat. 14.

Nusquam se fallūt membra, sed instruunt.

Procedendum, dicendumque ex Apostolo: [Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite dare locum diabolo.] Et ex Tertulliano: Deponentes mendacium, loquimini veritatem ad proximum suum quisque. &, Irascimini, & nolite delinquere; ipsis verbis quibus Psalmus exponeret sensus eius: Sol non occidat super iracundiam vestram. Vtrumque ex eodem Psalmo desumptum est.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 18.

est. Primum, Vt quid diligitis vnitatem, & quæritis mendacium.[Alterum, Irascimini, & nolite peccare. Quod, vt obseruat Augustinus, duobus modis intelligi potest. Aut, etiam si irascimini, nolite peccare: id est, etiam si surgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem ei non consentat ratio & mens, quæ intus regenerata est secundùm Deũ, vt mente seruiamus legi Dei, si adhuc carne seruimus legi peccati. Aut, agite pœnitentiam, id est, irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, & vlterius peccare desinite.] Vterque sensus bonus est: nam animus pœnitens, est animus subirascens infremensque in se, vtpote ob diuinam bonitatem, supremamve commotus maiestatem. Vnde & alij ex Hebræo legunt: Contremiscite, & nolite peccare. Nam, vt docet Aquinas: Pœnitentia est quædam vindicta, quã homo facit, & capit de seipso. Irascimini, scilicet contra peccata vestra, & nolite peccare de cetero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. Verùm, de conuersatione Christiani sermo est, cuius ira non tam circa seipsum, quàm circa proximum, dirigenda. Potest tamen etiam intelligi dupliciter. Primò, imperatiuè. [Sicut enim quis contra seipsum irascitur, propter peccata propria, ita proximo suo propter sua: ergo, Irascimini contra vitia aliena, & hæc cum zelo. Sed nolite peccare præueniendo rationem, sed potius sequendo.] Secundò, permissiuè. [Nõ enim præcipit, sed permittit. Quasi dicat: (ait &, ille) Si sic est, quòd motus iræ insurgat, quod humanum est, nolite peccare: id est, nolite perducere ad effectum per consensum.] Idcircò addita [Sol non occidat super iracundiam vestram.] Id est, [Non persistatis in irâ cõceptâ, sed ante solis occasum deponatis.] &, [Nolite dare locũ diabolo.] In primò, expositio monitionis est; in altero, expositionis ratio: [Diabolus enim habet locum in nobis per peccatum, vel per consensum.] Si vos apprehendit tentatio, humana sit, non diuturna commotio.] Etiam si irascendum est, ait Tertullianus, non vltra solis receptum, vt Apostolus admonet. Si enim immoratur ira, diabolus illâ inuitatur morâ; & si animus decumbit ex fastidio, resurgit cum odio. Bonum est ergo non irasci, ait Chrysostomus, sed si quis aliquando in eam inciderit affectionem, ne tamen sit diuturna. Sol, inquit, non occidat super iracundiam vestram. Vide sapientiam. Dicit & quomodo non irascamur, & eos qui non obedirint rursus non relinquit. Quomodo enim medicus ægroto quidem dicit quæ sunt agenda: quod si vt ea faceret; non sustinuerit, non tamen eum despicit, sed persuadendo adhibens consilium, rursus curat ita etiam Paulus. Nam qui despicit, gloriam suam quærit: qui autem quærit sanitatem laborantis, hoc vnum solum spectat vt iacentem restituat.

Augustin. Enarrat. in Psal. 4. cit. med.

Aquin. lect. 1.

Est ira bona & præcepta, est & mala, sed permissa.

Aquin. Idẽ.

Tertullian. lib. de orat. cap. 10.

Chrysost. orat. 14.

Iubet Apostolus deponi veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, & renouari spiritu mentis, ideoque inhibet peccata interiora Spiritum istum corrumpentia. Neque enim, ait Tertullianus, carnem præcipit deponamus, sed quæ & alibi carnalia ostendit; opera non corpora accusans, de quibus & hîc subiicit, Qui furabatur, iam non furetur, immò potius laboret operando manibus, vti habeat A impartire indigenti. Sed aliâ cæcitate in duos homines impingunt; in veterem, & in nouum; monente Apostolo, deponere nos veterem hominem, qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis; renouari autem Spiritu sensûs, & induere nouum hominem, qui secundùm Deum cõditus est iniustitiâ, & religione veritatis, vt & hic ad duas substantias distinguendo, vetustatem ad carnem, nouitatem ad animam, corruptionẽ perpetuam veteri defendat, id est carni. Igitur qui carnem veterem hominem existimant, cur non mortem sibi properant, vt vetere homine deposito, præceptis Apostoli occurrant? Vna vnius hominis substantia est, sed quæ nunc B interiorem cælat hominem, nunc exteriorem repræsentat: nunc in Spiritum erigit, nunc ad sensum deprimit. Porrò Spiritus corrumpi potest mendacio, dum per peccatum oris, veritas corrumpitur rationis: irâ quoad irascibilem: furto denique ac rapinâ, quoad concupiscibilem. Primum exclusit & secundum, nunc tertium proscribit :[Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.] Hæc nempe veteris hominis peccatâ, res temporales indebitè & inordinatè concupiscentis: imò omnia ferè inde peccata prodeunt, & ad eandẽ redeunt cupitatẽ. [Illa enim C est, ait Chrysostomus, quæ facit peccatum, & eadem res plus quàm par sit abundans facta est peccatum.] &, [Vides membra veteris hominis, mendaciũ odium furtũ? Ideò, Qui furabatur, nõ amplius furetur, inquit Apostolus. Cur autem non dixit, Qui furatur, castigetur torquetur? Sed Non mplius furetur. Videte quomodo oporteat exuere peccata. Furati sunt. Hoc est peccatum. Non furati sunt. Hoc non est peccatum soluere. Sed quomodo? Laborarũt, & aliis imperti erunt. Sic soluerunt peccatum. Magis autem laboret operando manibus suis, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Potest igitur crimen exui, D non solùm eo quod desistatur à peccato, sed etiam eo quòd fiat aliquod bonum. Ideò non vult Apostolus absolutè nos laborare, sed ita laborare, vt aliis impertiamur.] Tria igitur furibus præcepta sunt. Primum est, vt absistant à furto, ideoque & furtum ipsum restituant: non enim abstinent quandiu detinent. Alterum est, vt laborent, & admissum peccatum debitâ castigent pœnitentiâ. Non enim solum ad vitam conquirendam iniungitur labor, sed & ad otium declinandum, pœnamque subeundam, seu ad macerationem castigationemque iniungitur. Ideò [Paulus adiungit, Quod bonum est. Siue illicitas excludat artes, siue necessarias imponat satisfactiones. Tertium denique, vt dent quod superest, & furta sua compensent eleemosynis E proprio sudore, & continuo labore partis. [Neque enim sat, ait Athanas. à peccatis desistere, sed his contrarium iter inire necesse est. Malis olim facinoribus incubuisti, nunc & bona exerce elaborando, cum vt labor atterat corpus, quod ex otio quodam praua didicerat; tum vt abundanter habeatur vnde & vitam hanc degat, & conferre in alios possit, quæ antehac multis subtraxerat.

Chrysost. orat. 13.

Chrysost. orat. 14.

Quàm multa furtis reparandis necessaria.

Athanas. in Paulum.

REFLE

REFLEXIO VII.

De ædificatione proximi.

IN hoc totus est Apostolus, vt vetustatem excludat, & inducat nouitatem. Cum ergo dicit, [Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat:] Vetustatem excludit. Cum verò addit, [Sed si quis bonus ad ædificationē fidei:] Inducit nouitatem. Denique dum concludit, [Vt det gratiam audientibus.] Finem præscribit.

Quoad primum. Cum ait Paulus, [Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.] Tantumdem est ac si diceret, Nullus sermo malus ex ore vestro prodeat. Sed cum dicit, Nullus, excludit quidem linguæ effrœnatæ vitia, vtpote ad veterem hominem pertinentia: verùm quis ea comprehendat, cum vix iustus immunis sit, impius autem non solùm deformis sit, sed & penè irreformabilis. [In multis offendimus omnes.] In hoc misera senectus, quòd non solùm infirma, sed & in lapsum & morbum prona. Nullus adeò sanctus, cui non adhæreat aliquid vetustatis, ideoque qui non aliquid infirmitatis retineat. Inde frequentes lapsus, vel affectus in casum ac morbum vergentes. In multis omnes offendimus. Græcè πταίομεν, impingimus. Maximè verò circa linguæ scopulum, quæ cum in vdo posita siti facilè labitur; cum de suo libera sit, frœnum non patitur. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. [Omnis natura bestiarum domita est à naturâ humanâ, linguam autem nullus hominum domare potest.] Benè Nullus hominum. Neque enim hoc ideò dixit, (verba sunt Augustini) vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur: sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare potest: sed, nullus hominum: vt cum dominatur, Dei misericordiâ, Dei adiutorio, Dei gratiâ fieri fateamur. Sed quàm proprium sit hominis senescentis vitium, indicat Paulus, cum malum vocat. Græcè σαπρὸν, Putridum, infectum: quod malam denotat dispositionem, internam exhalat corruptionem. [Sermo quippe oris, vt adnotat Aquinas, prætendit & annuntiat quæ sunt in animâ, quia voces sunt earum, quæ sunt in animâ passionum, notæ. Ille est bonus sermo qui indicat bonam dispositionem interiorem; malus verò, qui malam. Tripliciter autem homo ordinatur interius: scilicet ad se, vt scilicet omnia sint rationi subiecta: ad Deum, vt ratio sit ei subdita: ad proximum, quando diligit eum, sicut seipsum. Est ergo quandoque sermo malus, quando indicat hominem inordinatum in se: & hic est sermo falsus eius, qui aliquid loquitur, & aliud intendit: & similiter sermo inutilis & vanus. Item, est sermo malus, qui indicat hominem inordinatum ad Deum: sicut periuria blasphemiæ, & huiusmodi. Item, etiam est sermo malus, quando est contrà proximum suum: sicut iniuriæ, doli, & fallaciæ. Et ideo dicit Apostolus, omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.] Ille malus qui aures proritat, aut mentes vlcerat; qui ponit offendiculum, qui inter fratres, necedentem serit scandalum.

Iacob. ca. 3.

August. lib. de nat. & grat. cap. 15.

Aquin. Lect. 9.

Lingua triplici genere malorum infamata.

A Quoad secundum. Non satis est Christiano, si neminem verbo scandalizet: in hoc positus est, vt ædificet, in hoc vocatus. Idcircò Paulus: [Sed si quis bonus, ad ædificationem fidei.] Omnia enim ad ædificationem fieri debent proximi, & extructionem fidei: [Non solùm enim rerum, vti loquitur Chrysostomus, sed etiam verborum pœnas damus. Si quis ergo bonus ad ædificationem fidei. Hoc est, hoc solùm loquere, quod ædificat proximum, nihil autem superuacaneū. Propterea enim tibi os & linguam dedit Deus, vt Deo gratias agas, vt proximum

B ædifices. Quòd si ædificium destruas, melius est silere, & nunquam loqui. Nam manus artificis, quæ pro contexendis muris didicerunt destruere, iure exscinderentur. Nam hoc dicit Psalmographus: perdet Dominus labia dolosa. Hinc enim contumeliæ, maledictam blasphemiæ, voluntatem fomites & incendia, cædes, adulteria. Propterea dicebat Paulus. Si quis bonus. Quoniam enim verborum multa est profusio, meritò dixit indefinitè, vt qui illa loqui iusserit, & formam dederit. Quamnam? Si quis ædificat, dicens: vt qui mandet vnicuique ædificare proximum pro viribus.] Lingua quidem Chri-

C stiani Christo suo consecrata est. [Si quis loquitur, quasi sermones Dei.] Quid ita? Vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum. [Verùm non solùm defectûs vitium cauendum est, sed & excessûs. Mirum est, in tantà verborum profusione, in tantâ hominum allocutione, adeò steriles & elingues esse Christianos, imò & religiosos viros, vt nihil vnquam de Deo ingerant, nihil de Christo suo interserant. Nihil omittit Paulus, nihil remittit, [Si quis.] Nullum non ad vtilitatem tendat, nullus non fidem Christi non proximi selutem extruat: nihil effluat inaniter, nihil invtiliter excidat. Quot verba otiosa, & vana? Quotusquisque

D Dei aut Christi inter loquendum meminerit; aut si meminerit, vel per vnum & alterum verbum expresserit? Sed sicut defectûs vitium tolerandum non est, sic & excessus temperandum. [Græcè enim, (vt notatur ab Athanasio) quod ad ædificationem fidei dixit interpres, χρείας, hoc est, necessitatis est scriptum. Perinde ac si dicat Paulus, nullum depromatur per vos intempestiuè & incommodè dictum: neque vltra velim loquamini, quàm ferat necessitas.] Non enim laxantur claustra loquacitatis, sed verba sobrietatis imperantur.

Quoad tertium. Sicut ex linguâ multiplex culpa est, cum effrœnata est; si ex ipsâ multiplex gratia, cum instructa frœno, & eloquio

E temperata. Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Credas, inquit Augustinus, quòd legendo, disserendo, prædicando, monendo, hortando, obiurgando, cum versaretur in opere, cum exerceretur in difficultatibus quibusdam humanis homo agens inter homines, aliqua fortè pœnitenda dixerat, & lapsa erant ab ore quæ vellet reuocare, nec posset. Et hoc indicant prima verba eius. Posui ori meo custodiam. Et quid secutum est? Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Dum nimis timeo ne loquar aliqua mala, tacui omnia bona. Quiddam ergo triste & molestum passus est iste, & hac suâ confessione id quod passus est, cauendum admonet, non imitandum. Cœpi non dicere

Chrysost. orat. 14.

Pet. cap. 4.

Lingua Christiani Christo suo consecrata.

Athanas. in Paulum.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 38. post init.

dicere bona, cum timeo ne dicam aliqua mala, & reprehendi consilium meum. Silui enim à bonis. Et dolor meus renouatus est. Cœpi plus dolere tacuisse me, quæ dicere deberem; quàm dolueram dixisse, quæ dicere non deberem. Et in meditatione mea exardescit ignis. Positus in hac fluctuatione dicendi & tacendi, inter eos qui calumniari parati erant, & eos qui affectant instrui, inter abundantes & inopes: laborans in vtroque, afflictus in vtroque; periclitans ne proiiciat margaritas ante porcos, periclitans ne non eroget cibaria conseruis: in hoc æstu quæsiuit alium meliorem locum: Locutus sum, inquit, in linguâ meâ. Me sic tacentem zelus comedebat: respexi ad Dominum meum dicentem, Serue nequam & piger, dares pecuniam meam nummulariis, & ego veniens cum vsuris exigerem. Effundere verba omnia etiam bona, animi est prodigi: nulla diffundere, auari est animi: vtrumque malum est, ideo vtrumque cauendum. Malim tamen prodigum esse quàm auarum: sed dispensatorem tam fidelem esse velim, quàm prudentem. [Si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Quomodo enim, vt loquitur Chrysostomus, vnguentem dat gratiam iis qui sunt eius participes, ita etiam sermo bonus. Propterea quidam etiam dicebat, vnguentum effusum nomen tuum, quòd eos faciebat spirare ex bono illo odore. Si cui suadeas ea quæ sunt agenda, magnam das ei gratiam. Si loquaris de compunctione, de pietate, de eleemosynâ: si erudias vt os habeat quod bona verba eloquatur: si docueris vt neminem maledicto appetat, maximè cum erudis, & ei das gratiam: hæc omnia enim molliunt eius animum, & pro his omnibus fatebitur se tibi habere gratiam.]

Bona verba nec prodigi debent, nec supprimi.

Chrysost. orat. 14

REFLEXIO OCTAVA.

De obligatione Spiritûs sancti.

VBi particula coniunctiua est, nonnullus est verborum nexus ac rerum. [Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.] Quænam igitur illa contristatio, quæ signatio, quæ redemptio.

Quoad primum. Mala verba dicimus obscœna & turpia, quibus vel aurem occludimus, vel frontem excutimus: quia verò immunda sunt & impura, idcircò Spiritui sancto maximè infensa sunt ac contraria. [Cum omnes templum Dei simus (verba Tertulliani) illatato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.] Templum suum incolit Deus ac deserit, venit Spiritus sanctus, ac discedit; dum bonis actibus allicitur, aut malis offenditur: & sicut irasci peccatis dicitur, sic & contristari, dum fugari creditur & expelli. Metaphorica locutio est (ait Aquinas.) Sicut enim dicitur Deus irasci propter similitudinem affectûs, ita etiam dicitur contristari: quia sicut quando aliquis contristatur, recedit à contristante; ita Spiritus sanctus à peccante. Et sic est sensus, Nolite contristare Spiritum sanctum Dei: id est, nolite eum fugare, vel expellere per peccatum. Sapient. 1. Spiritus sanctus enim

Tertullian. lib. de cultu fem. cap. 1.

Quomodo Spiritus sanctus à peccante contristatur.

A disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Ita dicitur affligi, dicitur expelli, dicitur contristari, sed metaphoricè dicitur & impropriè: dum restanti est, tanque de se offensiua, & inimica; vt si Deus iræ capax esset aut tristitiæ, inde irasceretur affligereturque. Nos, inquit Augustinus, qui antè aduentum Domini Saluatoris domus diaboli fuimus, & per gratiam Christi de potestate ipsius liberari meruimus, quantum possumus, ipso Deo adiuuante, laborare debemus, ne à nobis malis B actibus nostris offensus Christi abscedat, & diabolus illo recedente succedat. Et quia expulso diabolo, domum sibi de nobis vbi requiesceret, & vasa in quibus habitaret, facere dignatus est Christus, in domo suâ non patiatur iniuriam: nihil ibi inhonestum, nihil sordidum, nihil deprehendat obscurum: sed ita domicilium cordis nostri fide plenum, & vacuum malis omnibus inueniat, vt nos non solùm frequentiùs visitare, sed etiam habitare in nobis dignetur.] Porrò sicut spiritus immundus spurcis fœdisq; delectatur, ità Spiritus sanctus contristatur. Si verbum turpe, ait Athanas. & fædum protuleris, & Christiani hoC minis ore indignum, certè non hominem perturbasti, sed Spiritum Dei. Iam dixerat, [Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei.] Nunc & aggrauat: si quis enim verba proferat turpia, non solùm conturbat proximum scandalizatque, sed & Spiritum sanctum contristat: nec solùm supprimit gratiam, sed & imprimit iniuriam.

Augustin. serm. 84. de temp. vers. fin.

Athanas. in Paulum.

Quoad secundum. Premit Apostolus, dum spuciloquium nō solùm ostendit iniuriosum, sed & ingratum. [Est enim, vt notauit Chrysostomus, accessio beneficij, vt maior sit accusatio, [In quo signati estis in diem redemptionis. Is nos fecit gregem regalem, & tu eum tristitiâ afficis? Appositè igitur ad pudorem, incutiendum, Nolite D contristare, inquit, Spiritum sanctum, in quo obsignati estis.] Sed quæ illa signatio, seu, ex Græco, obsignatio? Definiendum primò nos non solùm obsignari in Spiritu sancto, sed & in patre & Filio. [Inde Apostolus in Spiritu nos dicit esse signatos: (verba sunt Ambrosij) quoniam patris imaginem habemus in filio, sigillum filij habemus in spiritu. Hac Trinitate signati caueamus diligentiùs, ne quod accepimus pignus in cordibus nostris, aut morum leuitas, aut vllius adulterij fraus resignet.] Formati sumus ad imaginem Dei, sed formâ obliteratâ, & figurâ detritâ, sumus reformandi. Illa autem imago non solum Spiritûs sancti est, sed & patris & filij. E Quis enim, ait ille, discretum à Deo patre & Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem & similitudinem Dei esse mereamur, & per ipsum fiat, quemadmodum Petrus Apostolus dixit, vt diuinæ simus consortes naturæ? In quo vtique non carnalis successionis hæreditas, sed adoptionis gratiæ spiritale commercium est. Atque vt sciamus cordis nostri magis hoc, quàm corporis esse signaculum docet Propheta qui dicit: Signatum est in nobis lumen vultûs tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.] Quid ergo, In quo signati estis? Id est, vt exponit Aquinas, Reformati estis, & ab aliis distincti. Definiendum secundò, obsignationem passim attribui Spiritui sancto: quia, vt

Chrysost. orat. 14.

Ambros. lib. 1. de virgin. vers. finem.

Ambros. lib. 1. de Spi. san. cap. 6.

Aquin. Lect. 10.

vt dixit Paulus? Qui vnxit nos Deus, qui & A signauit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris. Vndè & ille in hac epistolâ: [In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.] In illo ergo nos signatos dicit obsignatosve: Quia, (vt dixit Ambrosius de baptismo) in illo aquarum sepelimur elemento, vt renouati per spiritum resurgamus. In aquâ enim imago mortis, in spiritu pignus est vitæ: vt per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quodam tumulo corpus includit, & per virtutem spiritûs renouemur à morte peccati renati in Deo. Si quâ ergo in aquâ gratia, non ex naturâ aquæ, sed ex presentiâ est Spiritûs sanct. Numquid in aqua viuimus, sicut in spiritu? Numquid in aquâ signamur, sicut in spiritu? Signati ergo spiritu à Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur, vt renascamur; ita etiam spiritu signamur, vt splendorem atq; imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est vtique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur: vt Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis imaginem. Reformatio illa, cælestis est; renouatio spiritalis; & ideo Spiritui sancto tribuenda. Definiendum tertiò, obsignationem fieri in salutem. In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis. Verbum, inquit, veritatis, non amplius verbum figuræ, nec imaginis (ita apud Chrysostomum.) Euangelium salutis nostræ. Nihil enim aliud prædicatio, quàm Euangelium salutis. Non solùm forte vocati sunt, sed etiam signati: ad hoc enim signauit eos Deus, vt sint hæredes in futurum.

Aquin. lect. 10.
2. Corinth. cap. 1.
Ambros. lib. 1. de spi. San. cap. 6.
In aquâ morimur, & in spiritu renascimur.
Chrysost. orat. 2.

Sed vt dicamus rem esse sacramenti. Statuendum est primò, signationem in mysteriis Christianis non infrequentem. [Hæc est prædicatio Euangelij, ait Ambrosius, ad cælestem cursum dirigens præparatos, vt non in carne ambulemus, sed in spiritu. Occiditur vitulus saginatus, vt carnem Domini spiritali opimam virtute, per gratiam sacramenti mysteriorum consortio restitutus epuletur. Nemo enim nisi qui signaculum spiritale vel custodierit vel receperit, nisi Dominum prædicauerit, sacramentis debet interesse cælestibus. Annulus quid est aliud, nisi sinceræ fidei signaculum, & expressio veritatis? Qui autem annulum habet, & patrem habet, & filium, & Spiritum sanctum: quia signauit nos Deus, cuius imago Christus. [Quod signatur, obsignatur sigillo, nimirum in præsidium seu munimentum apposito. Vnde de eodem prodigo Tertullianus: [Annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.] Statuendum secundò, obsignationem non rarò baptismo attribuit. Ita Tertullianus: [Ne quis, inquit, argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipsius signaculi nostri. Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo & pompæ & Angelis eius ore nostro contestamur. [Vnde & ille]: Nonne, inquit, egerimus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?] Quicunque enim baptizatur, contestatur se diabolo renuntiare & mundo, sicque obsignatur in Christo. Signati fuerunt etiam Israëlitæ, ait Chrysostomus sed circumcisione, sicut oues, & bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filij Spiritu. Illud signaculum Dominicum, non cuti, sed menti à Spiritu sancto impressum: sicut enim per illum regeneramur, licet per illum obsignamur. Statuendum tertiò, obsignationem posse ad confirmationem transferri; quâ non solum insignimur, sed & munimur. [Scilic. inquit Tertullianus, caro abluitur, vt anima emaculetur.] En quoad baptismum. [Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur.] Quibus alludere videtur ad illa Pauli verba: [Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos.] Et in ipsum B conferre sacramentum, quo anima iam facta per baptismum Christiana, roboratur, confirmatur, consummatur. Denique, ait Ambrosiaster, apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia iste dubię interpretationis est, ille non apertæ & exertæ declarationis. Sequitur, ait Ambrosius; spiritale signaculum: quia post fontem superest vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Priùs enim necesse est baptizari, tum & confirmari, seu perfecto firmari signaculo.

Ambros. lib. 7. in Luc. vers. finem.
Annulus in præsidium ac munimentum impressus.
Tertullian. lib. de pudicit. cap. 9.
Tertullian. lib. de Spect. c. 4. & c. 24
Chrysostom. orat. 2.
Tertullian. lib. de resur. carn. c. 8.
Ambros. in Paulum.
Ambros. li. 3. de Sacram. cap. 2.

Quoad tertium. Non solùm signati sunt Christiani, sed & in diem redemptionis obsi- C gnati. Tria docet Apostolus in hac epistolâ, quæ simul iungenda. Primum est nos à Christo redemptos. [Gratificauit nos in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.] Alterum, diem redemptionis, esse [Redemptionē acquisitionis.] Facta est enim per Christum acquisitio redemptionis in cruce, sed nondum facta est redemptio acquisitionis: facienda nimirum in illo die, quo electi non solum redempti, sed & in totum acquisiti, mente & carne Deo, & Christo erunt subditi. Tertium, ideo signari nos seu obsignari, vt inter redemptos numeremur, seu inter acquisitos electosque computemur. [Signati estis in diem redemptionis.] Qui enim in Spiritu sācto signa- D tus est, spe felicitatis & gloriæ donatus est, promissione adoptatus hæreditatis. [Christianus est, ait Tertullianus, qui accepit à Deo patre substantiam, vtique baptismatis, vtique Spiritûs sancti, & exinde spei æternæ.] Ita Christus, primus omnium signatorum, vtpote primus omnium electorum. [Ipsum enim, inquit Ambrosius, pater signauit; & qui testimonium eius accepit, signauit, quia Deus verax est: & ideo operantes cibum permanentem in vitam æternam, signati sunt ad imaginem & similitudinem Christi, qui est imago inuisibilis Dei.] Exinde omnes sub Christo duce ac capite signati, omnes in diem E redemptionis, seu redemptionem acquisitionis seruati ac repositi: vt qui sigillum seruauerint integrum illibatumque, hæreditatem adeant, qui fidem datam, pactionemque mutuam ac sponsionem, qui innouationem reformationemque custodierint spiritalem, æternam hæreditatem, & coronam habeant immarcessibilem. Igitur, (ita concludit Aquinas) non est contristandus Spiritus sanctus, & hoc propter beneficium signi salutaris. Ideò subiungit Apostolus, In quo signati estis in diem redemptionis. Qui enim habebit hoc signum secum, habebit vitam æternam. Ideo ergo est custodiendus, & nullo modo contristandus, quia sine eo non est vita æterna. Spe munitus es, pignore firmatus, &

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 9.
Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. octon. 19.
Omnes electi sub Christo signati sunt.
Aquin. lect. 10.

cccc

certus de salute, si sigillum non frangas, si inuiolatum custodias. Perbellè igitur Apostolus argumentatus est, non solùm à fide, sed & à munere. [Is namque Spiritus nos obsignauit, (ita Commentator Athanas.) esseque de regio grege insuper fecit. Atque is nequaquam astare nos siuit cum sontibus & damnatis, sed signum impressit, decreuitque vt redempti & liberi ab istiusmodi irâ essemus. Nonne igitur pudere nos debet, si hunc incesserimus? obsignatum est, inquam, ostium à Spiritu, vt nihil indignũ se proferat. Noli ergo signaculũ illud dissoluere; noli cõtristare Spiritũ Dei, qui sit de te benè meritus.]

Comment. Athanas.

REFLEXIO VLTIMA.

De reformatione.

AD principium redit Apostolus, & absoluit institutum. Primò enim, vt obseruat Aquinas, prohibet quod pertinet ad vetustatem. Secundò, persuadet quod pertinet ad nouitatem.

Aquin. Lect. 10.

Primò igitur ablegat vitia, charitatem pacemque perturbantia. [Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitiâ.]

Quoad primum. Partem mali sustulit Apostolus, nunc radicem auellit: dum materiam euacuat odij, & causam amputat. Vide, inquit Chrysostomus, quomodo expurgat & emundat cor nostrum. Expulit mendacium, expulit iram. Ostendit rursus quomodo malum radicitùs euelli possit. Omnis amaritudo non expurgetur, sed tollatur à vobis. Quid enim opus est vt custodiam belluam, cum liceat ab animâ amandare, & procul abductam exterminare? pareamus ergo Paulo qui dicit, omnis amaritudo tollatur à vobis. Nam iræ & indignationis radix est acerbitas & amarulentia. Qui enim est huiusmodi, est & ad grauem iram propensus, & nunquam remittit animum; vt qui sit semper cogitabundus, semper tristis. Vilem enim suam, & acerbam amaritudinem aut tacitus excoquit, aut penitùs seu verbis seu factis effundit. In irâ quippe est gradus, (vt notauit Aquinas) quia aliquando retinetur, & manet solùm in corde, sicut qui tantùm interiùs irascitur. Aliquando verò exprimitur in voce, sine tamen contumeliæ prolatione: sicut qui dicit, Racha. Aliquando fit etiam, addita contumeliæ prolatione, sicut qui dicit, Fatue. Primò ergo ponit quod pertinet ad iram cordis: secundò, quod pertinet ad inordinatam prolationẽ: tertiò, quod pertinet ad contumeliam. In irâ autem cordis ita se consequuntur. Primò, quod ira est effectus tristitiæ, & hæc in Sacrâ scripturâ dicitur amaritudo. 1. Reg. 1. Cum esset Anna amaro animo, & oraret Deũ flens. Et ideò dicit, omnis amaritudo. Quæ est per memoriam iniuriæ præteritæ. Eccl. 1. Non est sensus, vbi est amaritudo. Secũdò, quòd statim appetit vindictam, ideò dicit, Et ira: quæ est appetitus vindictæ. Iacob. 1. Ira enim viri, Dei iustitiam non operatur. Tertiò, quòd iratus indignum reputat, quòd ei parcat, & indignum esse quòd sine punitione transeat, ideo sequitur, Et indignatio. Sed quantum ad inordinatam prolationem. Ideò dicit, Et clamor. Similiter & blasphemia est vel contra Deum, vel contra sanctos. Ideò dicit, Et blasphemia. Et addit, Tollatur à vobis cum omni malitiâ: scilicet operis. 1. Pet. 2. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem. Amarulentiam proscribit, quæ tandem desinit in maledicentiam. Nam & olim vt Tertullianus loquitur, oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant. Iam nec verbo quidem lacessere, nec, Fatue, quidem dicere sine iudicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, exemplum linguæ venenum. Nec malefacere Christianis licet, nec maledicere. Imò nec de quoquam malè cogitare licet: quanto minùs vel factis, vel verbis erumpere?

Chrysost. orat. 15.

Aquin. Lect. 10.

Amarulentia indignationis & clamoris causa.

Tertullian. l. de patient. cap. 6.

Quoad secundum. Remedia præscribit aduersùs vitia, nouitatemque aduersùs vetustatem inducit. [Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.] Et quidem iustè. Nam, vt dixit Chrysostomus. [Non sufficit liberari vitio, si oportet assequi regnum cœlorum, sed etiam multâ virtutum opus est operatione. Nam vt à gehennâ quidem liberemur, abstinere oportet à scelere; vt autem regnum assequamur, virtus est amplectenda. An nescitis quod in externis etiam iudiciis, quando facta examinantur, & ad concionem conuenit tota ciuitas, ita fiat? In externis enim iudiciis vetus est mos vt coronâ coronetur aureâ, non qui nihil mali fecit ciuitati, hoc enim solum sufficit ad non dandas pœnas, sed etiam qui magnis eam affecit beneficiis. Sic oportebat duci ad hunc honorem. Nisi quis dicat, quod bonum nõ fecisse, pars est vitij. Nam cum aduenerit dies ille terribilis, quo se sistere oportet, in tribunali sedens iudex, quibus quidem dicet; Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi: esurij enim, & dedistis mihi comedendum. Præclarè. Oportebat enim tantæ benignitatis hanc accipere remunerationem. Si autem in quos non cadit reprehensio quòd aliquid mali habeant, aliquid autem mali prætermiserunt, cum iis qui mala fecerunt adducentur in ignem gehennæ. Nam bonum non fecisse, hoc est fecisse malum. Nam dic mihi, si quẽ habeas famulum, qui neq; furetur, neque sit contumeliosus, neque contradicat, sed & ab ebrietate abstineat, & ab aliis omnibus, perpetuò autem sedeat otiosus, & nihil faciat ex iis quæ famulus debet implere Domino, non cum cædes flagris, non torquebis?] Absciderat Paulus omnia vitia, cũ dixerat, [Et blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitiâ.] Quid est, cum omni malitia? Et paruâ, ait ille, & magnâ. Quid blasphemia? Non solùm aduersus Deum, sed & aduersùs proximum. Est enim blasphemia, vt docet Augustinus, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Quanquam iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus verò sine controuersiâ bonus est. Imò & clamorem omnem excluserat. [In vno enim solo, ait Chrysost. vtile est clamare, nẽpe in prædicando & docendo.] Sic & omnem iram, omnemque amarulentiam penitùs radicitúsque exciderat. [Nunquam enim clames, & nunquam irasceris. Quomodo enim fieri non potest vt qui non clamat irascatur, ita fieri non potest vt qui clamat non irascatur.] Non tamen sufficit vitia omnia euellere, mala omnia tollere, nisi bona plantes, virtutesque omnes aut præcipuas subroges vitiis & malis oppositas.

Chrysost. orat. 16.

Bonum non fecisse, hoc est fecisse malum.

Chrysost. in Moral. orat. 15.

Augustin. lib. de morib. Man. cap. 11.

Chrysostom. in Moral. orat. 15.

Quid porrò, quòd nec sufficit mala omnia auferre, bonaque conferre omnia: Vnum adhuc deest. Quid enim si bonum fiat, si tamen benè non fiat? Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem. Quomodo? Sicut & Deus in Christo donauit vobis. Dicimus salutem credendo, sperando, amando ædificari, id est felicitatem non solùm operibus bonis, sed & Christianis virtutibus procurari. [Qui enim credit, (ita Augustinus) sperat, & amat, non continuò saluus dicendus est. Interest enim quid credat, quid speret, & quid amet. Nemo quippe viuit in quacumque vitâ sine istis tribus animæ affectionibus, credendi, sperandi, amandi. Nec qui benignus & misericors, continuò saluus est, sed qui in Deo & Christo. Sicut & Deus in Christo donauit vobis. Hoc quoque, ait Chrysostomus, magnum habet ænigma.] Primò ergo Apostolus, vt exponit Aquinas: [Ponit pertinentia ad nouitatem contrariam passionibus præmissis. Contrà amaritudinem, benignitatem. Vnde dicit, Estote autem inuicem benigni. Contrà iram, misericordiam, vnde dicit, Misericordes. Contrà indignationem, condonationem. Vnde dicit, Donantes inuicem] postremò & modum addidit. [Sicut & Deus in Christo donauit vobis.] Nam in hoc solo tria comprehensa sunt. Primum, quòd nulla nobis delicta non donauerit Deus, cùm publicanos adoptauerit ethnicosque. Alterum, quod nulli rei pepercerit, cum proprium subscribendæ veniæ filium dederit. Tertium denique, quòd gratis fecerit, & hoc tantùm modo in nos vltus sit, quòd malos & ingratos infinitis propemodum oppresserit viceritque beneficiis. [Quamobrem, ait Chrysostomus, si velis vlcisci, hoc modo vlciscere. Mala repende bonis, vt & alium reddas debitorem, & admirabili vincas victoriâ. Malè passus es, benè fac: ita inimicum vlciscere. Iucundus homo, qui miseretur & commodat. Seu, vt legit Augustinus, exponitque: Suauis vir qui miseretur & commodat. Non enim eum euomet Deus ex ore suo tanquam insuauem. Dimittite, inquit, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. In eo quod dimittis vt dimittatur tibi, misereris: in eo quod das vt detur tibi, commodas. Hæc duo benignitatis officia, ignoscendorum peccatorum, & beneficiorum erogandorum, sicut in Euangelio quod commemorauimus, Dimittite, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis: sic in isto versu arbitror esse distincta: Suauis vir qui miseretur & commodat. Gloriam quærit qui desiderat vindicari se: sed attende quod scriptum est, Melior est qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. Diuitias quærit, qui non vult dare pauperibus: sed attende quod scriptum est, Habebis thesaurum in cœlo. Non ergo eris inglorius ignoscendo, quia de irâ victâ laudabiliùs triumphatur: non egenus tribuendo, quia thesaurus cœlestis certiùs possidetur.]

Augustin. serm. 7. ex nouis.

Chrysost. orat. 17.

Aquin. Lect. 10.

Mala redditis compensanda beneficiis.

Chrysost. in Mor. orat. 16.

Augustin. Enarrat. in Psal. 3. vlt. med.

CAPVT QVINTVM.

Epigraphe.

Fideles prouocat ad imitationem Dei: mulieres, exemplo Christi, ad subiectionem inuitat, viros ad dilectionem. Sint igitur huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De fidelibus.

TEXTVS.



ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitiâ, & veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarũ, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt

ab

ab ipsis, turpe est & dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Subiecti inuicem in timore Christi.

EXEGESIS LITERALIS.

IN imitatione Dei, fugienda sunt opera tenebrarum, & opera lucis amplectenda: sicut ergo ad ista prouocat Apostolus, sic & ab illis auocat.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis &c. Si Deus vos ita dilexit, vt non solùm vobis omnia propter Christum dimiserit delicta, sed & in filios propter ipsum susceperit, vtique debetis Deum patrem vestrum imitari, dilecti diligere, suscepti inuicem suscipere: debetis & Christum æmulari, qui sic nos charos habuit, vt semetipsum pro delendis peccatis in acceptissimum obtulerit sacrificium. Exemplo Dei patris, ait Ambros. benignos & misericordes inuicem fieri exhortatur, sicut & Dominus. Estote, inquit, misericordes, vt similes sitis patris vestri, qui in cœlis est. Si enim Dominus per filium suum seruorum misertus est, quanto magis serui ipsi inuicem sui debent misereri, & donare si alter in alterum peccet. Sicut autem Dei patris imitatores nos esse vult in benignitate & misericordiâ, & Christi filij eius in dilectione: vt sicut ille dilexit nos, tradens se pro nobis; ita & nos inuicem pro nobis, etiam animas ponere debeamus. Exemplum est enim non prospectandum duntaxat, sed & imitandum. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos &c. Deus qui à vobis imitandus, sanctus est, ideò omnia carnis vitia sic fugienda sunt, vt & nomina sint apud vos inaudita. Sic enim Christianos decet verâ sanctitate puros, nullâ sorde inquinandos. Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio &c. Nolo turpiloquium, imò nec stultiloquium tolero, vel iocum: quid enim hæc ad Christianos, quorum os Deo consecratum est benedicendo? Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei &c. Hoc enim sciat & intelligat vnusquisque vestrûm quod nullus fornicator, aut libidinosus, ius habeat felicitatis æternæ, ac percipiendæ aliquando hæreditatis. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ &c. Ne vos patiamini fallacibus decipi sermonibus: qui enim hæc committunt, nec veritati deferunt denuntianti, non solùm amittunt regnum, sed & æternum incurrunt supplicium. Filios diffidentiæ eos dicit (vt exponit Athanas.) qui plurimum sunt contumaces, & Deo diffidunt, decreta huiusmodi decernenti. Auctoritati contumaces, rebelles lumini.

[Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitiâ, & veritate &c. Ne ergo sitis diffidentiæ illorum comparticipes & immunditiæ. Nam & vos aliquando similibus ignorantiæ tenebris eratis inuoluti, nunc autem per Christum Dominum illuminati, gratuitisque donati iustitiæ muneribus. Per sanctam igitur conuersationem, certam facite vestram vocationem, lucem per fidem demonstrate: fructus enim gratiæ diuinæ in bonis operibus, verisque virtutibus constitutus est. Hoc dicit, ait Commentator Ambrosianus, vt sic conuersentur, vt non immeritò filij lucis dicantur. Opera enim lucis palàm sine timore fiunt: tenebrarum autem opera in occulto, quia illicita sunt, omne enim peccatum palàm fieri timet. Ecquid gentilitas ipsa, nisi profunda cæcitas? Probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere &c. Sic ambuletis, vt probetis quid Deo gratum sit, quid acceptum. Attendite vobis, & cauete ne opera præstetis quæ faciunt filij tenebrarum, illa enim exitiosa sunt, & ducunt ad interitum. Quin potius opere pietatis reuincite, suffundite luce sanctitatis: clancularia enim immunditia, adeò horrenda vt ne verbis exprimi deceat, sed factis debeat cõfundi. Omnia autẽ, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur, lumen est &c. Vestrũ est hoc opus: nã filij lucis debent opera tenebrarũ prodere, pauitãria in lucem ad suffusionẽ educere: nam propriũ lucis est manifestum reddere, in apertum edere. Manifestatur, Græcè φανερέμενον, quod aperit sese, & opposita luce suâ perfundit. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus &c.] Et huc facit illud, quod Sacra dicit scriptura: Tu qui mersus es somno peccati, qui spelæo sepulchri conclusus es: expergiscere, & venientem super te Christi lucem excipe. Dormientem & mortuum dicit eum qui est in

K 3 peccatis.

Ambros. in Paulum.

Carnalia vitia ne nomine quidem Christianis cognita.

Athanas. in Paulum.

Comment. Ambros.

Vitia factis sunt contrariis suffundenda.

Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 5.

enim, (cum Auguſtino) quomodo eum pater tradidit, ſi ipſe ſe tradidit. Vtrumque enim dicit Apoſtolus Paulus, Qui filio, inquit, proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Alibi autem de ipſo Saluatore ait, Qui me dilexit, & tradidit ſeipſum pro me.] Tertia denique ſeſe interſerit difficultas, quomodo Chriſtus paternâ ſe voluntate tradiderit, qui ſeſe propriâ obtulit voluntate:[Quomodo enim, ait ille, non facit voluntatem ſuam, qui dixit, Sicut pater ſuſcitat mortuos, ſic & filius quos vult viuificat? Et cum ei dictum eſſet, ſi vis, potes me mundare: reſpondit, volo mundare: & ad verbum continuò factum eſt quod velle ſe dixit. Sicut autem facit filius voluntatem patris, ſic & pater facit voluntatem filij. Nam filius dicit, pater, volo, vt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum. Non dixit, peto vel rogo, ſed volo: vt iſto volente faceret ille, ſicut illo volente faciebat iſte.] Igitur, vt ab vltimis auſpicemur. Vna patris ac filij voluntas eſt, ſicut vna poteſtas: actio vna, ſicut & vna diſpoſitio. Nec alia ille, inquit Auguſtinus, alia iſte: ſed quæ ille, hæc etiam iſte. Quæcumque enim pater facit, hoc & filius ſimiliter facit. Verba ſunt ipſius, verba veritatis ſunt, falſa eſſe non poſſunt. Chriſtus tradidit ſemetipſum, quomodo & in mundum venit, ſuâ quidem voluntate, ſed & auctoritate paternâ: ſic enim ille Deus eſt, vt ſit Dei patris filius: ſic enim propria illi ineſt voluntas, vt ſit etiam communis; ſic ſua illi adeſt poteſtas, vt ſit etiam patris mittentis agentiſque.[Reſpondebit igitur, ait ille, qui hæc probè ſapit, quia vna voluntas eſt patris & filij & inſeparabilis operatio. Sic & intelligit incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in quâ filius intelligitur miſſus vnâ eademque operatione patris & filij inſeparabiliter eſſe factam, non vtique inde ſeparato Spiritu ſancto, de quo apertè dicitur, Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Quicquid enim factum eſt, verbo vtique factum eſt: Dei autem verbum, ipſe eſt Dei filius. Quapropter cum eum pater verbo miſit, à patre & verbo eius factum eſt vt mitteretur. Ergo à patre & filio miſſus eſt idem filius, quia verbum patris eſt ipſe filius.]

Auguſt. lib. 3. cont. Maxim. cap. 20.

Auguſtin. Ibidem.

Chriſtus & ſuâ voluntate, & paternâ miſſus auctoritate.

Auguſtin. lib. 2. de Trinit. cap. 5

Ad principalem verò difficultatem. Aliud traditio, aliud redemptio: redemptorem quippe veneramur, execramur traditorem.[Iudas quippe, (vt ediſſerit Auguſtinus) tradidit ad paſſionem filium Dei, & per paſſionem filij Dei omnes gentes redemptæ ſunt ad ſalutem: nec tamen pro ſalute gentium merces reddita eſt Iudæ, ſed pro eius malitiâ debitum ſupplicium ei redditum eſt. Nam ſit traditio Chriſti, & non tradentis animus conſiderandus eſt: hoc fecit Iudas, quod fecit Deus pater, de quo ſcriptum eſt, quia filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Hoc fecit Iudas, quod fecit ipſe Dominus Chriſtus, de quo ſcriptum eſt, Qui ſeipſum tradidit pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Et tamen gratias agimus Deo patri, qui vnico filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum. Gratias agimus ipſi filio, qui ſeipſum tradidit pro nobis, & in eo voluntatem patris impleuit. Et deteſtamur Iudam, de cuius facto nobis tantum beneficium præſtitit Deus: & rectè dicimus, Reddidit ei Dominus ſecundùm iniquitates eius, & ſecundùm malitiam eius diſperdidit eum. Non enim pro

Auguſtin. in Expoſ. Pſalm. 93. verſ. fin.

A nobis ille tradidit Chriſtum, ſed pro argento quo vendidit eum: quamuis traditio Chriſti ſit noſtra redemptio. Sic & illi qui martyres perſecuti ſunt, perſequendo in terrâ, in cœlum mittebant; & ſcientes quidem præſentis vitæ damnum inferebant, neſcientes autem futuræ vitæ lucrum conferebant. Quicumque tamen perſeuerauerunt in odio iniuſto iuſtorum, reddidit eis Dominus ſecundùm iniquitates eorũ, & ſecundũ malitiã eorum diſperdidit eos. Sicut enim malis obeſt bonitas iuſtorum, ſic bonis prodeſt iniquitas impiorum. Vnde & Dominus dicit: Ego veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cœci

Facta non ex actione, ſed ex intentione penſanda.

B fiant. Et Apoſtolus, Aliis quidem, inquit, ſumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. Malitia verò iniquorum, ſiniſtra ſunt arma iuſtorum: ſicut idem dicit Apoſtolus, per arma iuſtitiæ à dextrâ & ſiniſtrâ: id eſt per, gloriam & ignobilitatem.] Aliud certè paſſio afflictionis, aliud paſſionis inflicto: nam actio ab agente eſt, paſſio in patiente. Sic & aliud eſt agere de facto, & aliud de animo reſpondere: vnum enim de iniquitate procedere poteſt, alterum de charitate. In diuerſis factis, ait Auguſtinus, inuenimus hominem ſæuientem factum de charitate, & blandum factum de iniquitate. Puerum cædit pater, & mango blanditur. Si duas res proponas

Auguſtin. Tract. 7. in epiſt. Ioan. vlt. med.

C plagas & blandimenta: quis non eligat blandimenta, & fugiat plagas? Si perſonas attendas, charitas cædit, blanditur iniquitas. Videte quid commendamus, quia non diſcernuntur facta hominum, niſi de radice charitatis. Quod ergo in vno ſacrificium eſt, in altero eſt ſacrilegium. Tradidit ſeipſum Chriſtus, ſed ex pietate; tradidit Chriſtum Iudas, ſed ex iniquitate: ille piè paſſus, iſte impiè perſecutus.

DISQVISITIO SECVNDA.

De innominatione peccati.

D

PEccata iſta carnalia ſunt, idcircò nec nominanda, id eſt, nec in rebus toleranda, nec in ſermonibus. Nam, vt Chryſoſtomus dixit. Sermones ſunt viæ rerum. Primò igitur de rebus; ſecundò, de ſermonibus; tertiò, de Apoſtolico iudicio, ſcurrarum ac ſermonum exilio: nec ſermones enim nec res damnare poſſumus, niſi priùs quales ſint, inquiramus.

Chryſoſt. orat. 17.

Quoad res, ſunt in triplici ſerie, ſed ſpecie multiplici: augent enim, & omnem complent turpitudinem. Fornicatio, immunditia, auaritia. Prima quidem conſcientiam polluit, ſed non

E concutit naturam: ſecunda, naturam concutit, ſed non excedit menſuram: tertia denique nec modum agnoſcit nec terminum. Certè tota ac perfecta puritas, quæ dicta eſt virginitas, libidinis omnis, ſeu delectationis carnalis voluntaria immunitas eſt. Nomen enim virginitatis, vt Aquinas monet, à virore ſumptum videtur: & ſicut illud dicitur virens, & in ſuo virore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantiâ caloris aduſtionem expertum: ita etiam virginitas hoc importat, quòd perſona, cui ineſt, immunis ſit à concupiſcentiæ aduſtione: quæ eſſe videtur in conſummatione maximæ delectationis corporalis, qualis & venereorum delectatio. In delectatione namque venereorum tria eſt conſiderare,

Aquin. 2a 2æ quæſt. 152. art. 1. in corp. int.

Virginitas, est carnalis delectationis immunitas

rare. Vnum quidem quod ex parte corporis, scilicet violatio signaculi virginalis. Aliud autem est in quo coniungitur id quod est animæ cum eo quod est corporis, scilicet ipsa resolutio seminis delectationem sensibilem causans. Tertium autem est solum ex parte animæ, scilicet propositum perueniendi ad talem delectationem. In quibus tribus, id quod primò positum est, per accidens se habet ad moralem actum, qui non consideratur per se, nisi secundùm ea quæ sunt animæ. Secundum verò materialiter se habet ad actum moralem, nam sensibiles passiones sunt materia moralium actuum. Tertium verò se habet formaliter & completiuè, quia ratio moralium in eo quod est rationis completur. Quia ergo virginitas dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, consequens est quòd integritas membri corporalis per accedens se habeat ad virginitatem. Ipsa autem immunitas à delectatione quæ consistit in seminis resolutione, se habet materialiter. Ipsum autem propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione, se habet formaliter & completiuè in virginitate.] Itaque sicut propositum abstinendi, virginitatem obsignat: sic & propositum experiendi, resignat virginitatem. Contingit autem aliquem carnalem experiri delectationem carnalem vel iure coniugij, vel animi libidine. Si iure coniugij, non tam experimentum conceditur voluptatis, quàm prolis bonum quæritur. Si animi libidine, vel spectat commixtionem sexuum, sed iuxtà vsum naturalem, & est fornicatio: vel carnem citra commixtionem carnalem commaculat, & est immunditia: vel indiscretè & promiscuè, seu debitè seminando, seu luxuriosè nepotando immodicum proritant appetitum & est auaritia. Nam, vt notat Aquinas: [Auaritia hîc ponitur pro specie luxuriæ: est enim iniustus vsus mulieris alterius, sicut auaritia iniustus vsus pecuniæ.]

Aquin. lect. 2

Triplicem hanc seriem repetit Apostolus, cum ait: [Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.] Ille namque fornicator, qui non suam incursat, ordinem tamen seruat naturæ. immundus, qui solitariam exercet libidinem, passiuam tamen arcet venerem: auarus autem, qui non solum claustra lasciuiæ, sed & concupiscentiæ desideria nunquam satiat. Sicut enim auarus nec metam cupiditati suæ ponit nec regulam, sic & lasciuus in omnem ebullit libidinem suæ voluptati, nec modum agnoscit nec terminum. Prima quidem species ad generationem ordinatur prolis, sed legem præuaricatur generationis: secunda, generationem abdicat, sed moderationem seruat: tertia, sicut nullam non violat legem, sic & in omnem concupiscentiam exæstuat. Itaque immunditia inter fornicationem & auaritiam conclusa est, quasi inter sorores germanas, seu agnatas species; sicut dixit Paulus de iis, Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Non enim vt ex Græcis patet, cupiditatem accusat pecuniæ, sed insatiabilitatem damnat intemperantiæ. Impudicitia enim maxime in aspectibus est impudicis, osculis, & tactibus. [Nomen enim pudicitiæ, vt docet, Aquinas, à pudore sumitur in quo verecundia significatur. Et ideò oportet quòd pudicitia proprie sit circa illa, de quibus magis homines verecundātur. Verecundatur autem homo non solùm de commistione venereá, sed etiam de quibusdam signis eius: & ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum externa: sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus.] Immunditia, labem quidem contrahit carnis, sed finem facit libidinis. Auaritia concupiscentiæ proritatur, nec vnquam augmento satiatur luxuriæ, sicut philargyria cumulo pecuniæ. [Si quis autem, ait Hieronymus, arbitratur auaritiam non hoc sensu accipiendam; reddat causam cur Apostolus inter impudicitiæ peccata, mediam auaritiam posuerit.] Porrò auaritia illa dicitur idololatria, quia, vt & ille obseruat, quemadmodum idololatria passim in scripturis dicitur fornicatio, sic & fornicatio, seu effrænis illa & immanis libido, idololatria nomine inscribitur. Serui enim sunt illi qui diligunt; & idolorum serui, quæ colunt, dum eadem fere officia quæ Deo sunt debita, suis prostituunt amasiis. Tanta inter idololatriam & immunditiam conuenienria. [Proinde, ait Tertullianus, adulterium & stuprum in eodem recognoscas. Nam qui falsis deis seruit, sine dubio adulter est veritatis, quia omne falsum, adulterium est. Sic & stupro mergitur. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus & constupratus incedit? Atque adeo Scripturæ sanctæ stupri vocabulo vtuntur in idololatriæ exprobratione.]

Aquin. 22. quæst. 151. art. 4. in corp.

Pudicitia circa signa castitatis occupata est.

Hieronym. in Comment.

Tertullian. lib. de Idolol. cap. 1.

Quoad sermones, sunt etiam in triplici ordine, sed dispari crimine: minuunt enim, & turpitudinem deducunt ad iocularitatem. [Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.] Seu, vt ex Græco, Quæ ad rem non pertinent. Hæc enim omnia non pertinent ad Christianos, imò dedecent sanctos. Conscientiam enim polluunt, & per linguam acuunt concupiscentiam. Vt enim clamorem, ait Athanas. qui esset ad iram vehiculum, sustulit, sic nunc turpiloquium tollit & scurrilitatem, quæ ad fornicationem inducerent. Nolite, inquit, salibus vti & verbis scurrilibus: sic namque fornicandi excitabitis flammam. Proinde ne morosus videretur & grauis, vt qui iocos interdicat & risus, remedium offert, sic inquiens, Quæ ad rem non pertinent. Hoc est, quæ vobis non conferunt, nec ad bonos mores, vel vitam, quam quærimus, faciunt. Christianus enim sanctitatem adeptus, haudquaquam debet, quæ sanctimoniæ minus conducunt, profari. Non enim ad nos attinent illa, quæ nec necessaria sunt, nec planè expediunt. Tria igitur sunt sermonum indecentium genera. Primum est turpiloquium, quod in verbis obscœnis est: secundum, est stultiloquium, quod in verbis ineptis: tertium, inaniloquium, quod in iocis ac facetiis. Græcè, εὐτραπελία: quæ apud profanos, speciem habet virtutis; apud sanctos autem, accusationem sustinet criminis. Non enim, vt Chrysostomus dixit, est præsens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctûs, afflictionum, eiulatûs: tu autem in dictis vrbanis & facetiis tempus teris? Quis athleta stadium ingressus, missâ sollicitudine decertandi cum aduersario, vrbana verba loquitur & facta? Instat diabolus, circuit quærens vt rapiat, omnia mouet, & in caput tuum

Athanas. in Paulum.

Chrysost. in Moral. orat. 17.

tuum vertit omnia, dentibus stridet, rugit, ignem spirat aduersùs tuam salutẽ: & tu sedes vrbana & faceta verba dicens, & stulta loquens, & quæ ad rem non pertinent proferens? Rectè ergo poteris eum superare? Sic disce ere quænam sit sanctorum vitæ agendæ ratio? Audi Paulum dicentem, per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrûm. Si autem pro Milesiis & Ephesiis tanto vsus est studio, non vrbana loquens, sed cum lachrymis afferens admonitionem, qui de aliis dixeris? Audi etiam eum alibi dicentem: Nam & nos qui sumus, in hoc tabernaculo, ingemiscimus quotidie, ex hoc mundo exire cupientes. Tu autem rides, & ludis? An ignoras quod in verbis nobis plurimæ parantur insidiæ? Ludis tamen, deliciaris, facetaque & vrbana dicis, & risum mones, remque nihil existimas: Nullum locum hîc habere potest tempus risûs: hoc enim est tempus mundi. Audi Christum dicentem: mundus gaudebit, vos autem contristabimini.]

Tempus mundi, tempus est gaudendi.

Quoad iudicium Apostolicum. Parùm est illa non petrinere ad Christianos, aut sanctos non decere. Tria insuper decernit Apostolus, quibus ostendit non solùm quàm exitiosa sint, sed & quàm sint execranda. Primum est, quod qui eiusmodi est. [Non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.] Quod non solùm de rebus, sed & de sermonibus intelligendum definit Aquinas. Hæc enim omnia, inquit, sunt mortalia. Vt quæ à vitâ excludant æternâ, seu hæreditatem adimant æternam, omnis ergo immundus, omnis impurus, seu facto seu verbo, à regno Dei & Christi exulat: nihil enim inquinatum intrat in regnum cœlorum. Secundum, quod fornicatores, turpesque, non solùm priuentur regno, sed & æterno multentur supplicio. [Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.] Quid propter hæc? propter ea crimina, seu facto seu verbo contracta. [Propter hæc: scilicet, vt & ille exponit, propter peccata carnalia.] Tertium denique, illa ab omni consortio exterminanda, ab omni eliminanda colloquio. [Omnis immunditia nec nominetur in vobis, aut turpitudo.] Quod vltimum est execrationis genus, cum non solùm scelus damnatur, sed & pronuntiari inhonestum, indignum iudicatur nominari. Ita Tertullianus: [Si homicida, inquit, Christianus, cur non & incestus? vel quodcumque aliud esse nos creditis. In nobis solis pudet, aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare? Christianus, si nullius criminis reus est, nomen valdè infestum, si solius criminis nomen est.] Quasi nomen ipsum teneatur in crimine, seu verbum teneatur pro scelere. Quid est ergo. [Nec nominetur in vobis? Id est, vt exponit Athanas. Ne eiusmodi scelerum vlla apud vos mentio fiat, sed integrè puritatem seruetis. Estote sanctimoniâ præditi, & lingua item polleat sanctitate.] Talia sunt ista crimina, tam grandia, tamque enormia, vt vel solo nomine polluant, & per linguam inficiant suâ tabe conscientiam. Vos sancti estis, qui estis Christiani; vos integrè mundi, nullaque ideo ex parte polluendi. Non solùm dico, abstinete à rebus obscœnis: sed, abstinete ab impuris, absurdis, facetisque sermonibus: hæc enim libidinem produnt & accendunt, turpitudinem alliciunt aluntque: flammas excitant luxuriæ, non minus quàm tactus & amplexus, ioculandoque & cauillando, scintillas conflabellant concupiscentiæ.

Aquin. lect. 2.

Carnalia peccata quantum à Paulo onerata sint.

Aquin. Lect. 3.

Tertullian. cap. 2. Apol.

Athanas. in Paulum.

Scio hæc dura videri, imò & incredibilia, sed filiis incredulitatis, seu insuasibilitatis; qui non obediũt Euangelio, & rationis humanæ suffragio, æternæ verbo contradicunt veritatis. Erant quidam, vt videtur, (ita Chrysostomus) etiam apud nostros maiores, qui populi manus dissoluebant, imò verò quæ sunt pseudoprophetarum faciebant: & quod dictum est ab Ezechiele, ad opus deducebant, Qui pro pugillo hordei Deum vilipendebant coram populo eius. Hos ergo tacitè significans beatus Paulus, tunc quoque scribebat ad Ephesios, dicens: Hoc enim scitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, qui est cultor idolorum, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Deinde subiungit: Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientiæ.] Inania sunt illa verba. [Quia, vt dixit Aquinas, sine ratione sunt talia verba, quæ dicunt, quòd huiusmodi non sint peccata, nec excludant à regno Dei & Christi. Colos. 2. Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam. Quòd ergo tales sint seductores & talia verba seducentia, ostendit: quia nisi peccata carnalia essent peccata, non punirentur à Deo; quia cum Deus sit iustus, non infligit pœnam sine culpâ: nunc autem talia puniuntur à Deo, propter hæc enim venit ira Dei: ergo peccata sunt.] Christianus, vt semel dicam, non solùm ex actu, sed & ex statu censendus est. Quis status Christiani? Status sancti an mimi? Videamus, ait Chrysostomus, cuiusmodi oportet esse sanctum: lugentem, lamentantem, afflictum. Qui ergo dicit vrbana & faceta, non est sanctus: etiamsi sit Græcus, is est ridiculus. Iis solis qui sunt in scenâ hæc permittuntur. Vbi est turpitudo, illic est etiam vrbanitas & dicacitas. Mimus euadis, & non te pudet. Si res est pulchra & honesta, cur relinquitur mimis? Magna mala habitant in animâ quæ verba vsurpat vrbana & faceta, magna effusæ lætitiæ dissolutio, exterminatur timor, abest pietas & reuerentia. Audi autem prophetam dicentem, Seruite Domino in timore, & exultate ei in tremore. Christus in crucem actus est propter tua mala: tu autem rides? Impactæ sunt illi alapæ & colaphi, & tam multa passus est propter tuam calamitatẽ, & quæ te comprehenderat tempestatẽ: tu autem degis in deliciis? Et quomodo non eum magis irritas? Expellite ergo à vestrarum animarum finibus ingratã hanc gratiam. Si quis est infamis, si quis turpis & obscœnus, is est etiã εὐτράπελος, id est vrbanus & facetus. Et multis quidẽ videtur hæc res etiam esse virtus: sed & hoc lugendum est. Quomodo enim concupiscentia paulatim deuenit ad scortationem, ita etiam vrbanitas & dicacitas videtur esse res gratiosa: sed nihil est hoc minus gratiosum.] Quid ergo illi decalogum repræsentant, numerum computant? Quanta sunt præcepta quæ ignorant, imò quæ reputant indifferentia? Actus ipsi exponunt, gradusq; constituũt in factis, vt in plãtis Medici. Quid verò præcepta, quid facta omnia sine charitatis affectu, sine statu sanctitatis? Quid Paulus: Non decet sanctos. Hæc ad rem non pertinent, Christianam scilicet sanctamve professionem. Statum igitur expendit & appendit, nec tam ex actu quam ex affectu, vindictæ diuinæ futurum esse definit iudicium.

Chrysost. orat. 18.

Aquin. Lect. 3.

Chrysost. in Moral. orat. 17.

Christianus non tam ex actu quàm ex statu censendus est.

DISQVISITIO TERTIA.

De probatione beneplaciti.

STatum resumit Apostolus, & dum bono malum repercutit, Christianum statuit in officio. [Fornicatio aut turpitudo non nominetur in vobis, sed magis gratiarum actio(&,) Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.] Quid ita?[Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino vt filij lucis ambulate: probantes quid sit beneplacitum Deo.] Æmulatio est inter filios lucis, & filios tenebrarum; sicut oppositio est inter opera lucis, & opera tenebrarum. Primo igitur quærendum quæ sint opera lucis: secundò, quomodo sint arguenda tenebrarum opera: tertiò, quo pacto ex filiis tenebrarum fiant filij lucis, seu ad lucem expauescant veritatis.

Quoad primum. Nulli nostrûm dici potest: [Eratis aliquando tenebræ.]Sed nescio si de omnibus potest addi: Nunc autem lux in Domino. Quòd nulli nostrum dici non possit, inde patet, quòd nullus nascatur Christianus, sed sicut totus in peccatis, sic & totus nascatur in tenebris.[Nec enim somniabat, siue qui dixit, Fuimus & nos natura filij iræ, sicut & ceteri: siue qui dixit, omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.] Ita Augustinus. Quinam verò sint filij lucis, ex operibus seu fructibus eorum agnoscendi sunt: an iusti, an sancti.[Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitiâ, & veritate.] Sed parum est dixisse illos fuisse cæcos, seu obscuratum habuisse tenebris intellectum: quin & de impio dici potest quod Tertullianus dixit de ponto Euxino. [Dies nunquam patens + Sol nunquam libens; vnus aër, nebula.] Ibi namque tenebræ cymmeriæ. Notandum est, ait Aquinas, quòd Apostolus non dicit indeterminatè, tenebrosi, sed tenebræ: quia sicut quilibet videtur esse id quod principaliter est in eo, sicut tota ciuitas videtur esse Rex, & quod Rex facit, ciuitas dicitur facere; ita quando peccatum regnat in homine, tunc totus homo dicitur peccatum, & tenebræ. Nunc autem, seu, secundùm præsentem conditionem, à Christo illuminati estis, dum à peccato purgati. Ostendite igitur virtutibus, & operibus vos esse lucis filios. [Vbi aduertendum est, ait ille, quòd omnis actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet, quòd agens ordinetur in se, ad proximum, & ad Deum. In se, vt sit bonus in seipso, & propter hoc dicit, In omni bonitate. Tum ad proximum, per iustitiam, ideò dicit, In iustitiâ. Ad Deum, per cognitionem & confessionem veritatis, ideò dicit, Et veritate.] Sed duo sunt in virtute, seu in bono opere: vnum quod spectat actum; alterum, quod modum determinat. Non satis est quòd quis fecerit iudicium & iustitiam, sed interest quomodo. [Vt filij lucis ambulate: probantes quid sit beneplacitum Deo.] Exigit actionem, sed intentionem dirigit. Explorate, examinate quid placeat Deo, quid Christo placitum gratumque appareat. [Probantes quid sit beneplacitum Domino. Illud enim, vti dixit

August. lib. 5. oper. incho. n. 81.

Tertullian. lib. 1. aduers. Marcion., cap. 1.

Aquin. Lect. 4.

Aquin. Ibidem.

In bono opere duo sunt actus, & modus.

Chrysost. orat. 18.

A Chrysostomus, est fructum ferre spiritualem.] Non enim gratum est & acceptum, nisi fiat secundùm spiritum: non ex vllâ cupiditate, sed ex totâ charitate. Idcirco, vt obseruauit Augustinus.[Hoc oramus, vt & nos præceptum Dei charitate faciamus.]

Augustin. serm. 135. de temp.

Quoad secundum. Reiicienda sunt opera tenebrarum, & arguenda. [Nolite ergo effici participes eorum &, nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Id est, vt exponit Commentator Athanas. Nolite talium facinorum, fieri participes. Prius namque in ipsis tenebris degebatis, nunc verò B lux estis effecti. Id tamen vobis non vestrâ virtute prouenit, sed in Domino: hoc est, diuinam ob gratiam. Nolite communicare. Infructuosa enim sunt & sterilia tenebrarum & scelerum opera: neque enim fructum alium afferunt, nisi mortem & dedecus. Cum vero addit, turpe est dicere, facinora quædam nefanda prætendit, quæ illi committerent,& Ephesi hæc exercerét.] Cauete ne similia faciatis, vel talia facientibus & exercentibus quoquo modo consentiatis. Imò potius arguite & suffundite. Sed quomodo? Si enim quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere; non tam verbo delenda sunt, quàm C æterno damnanda silentio. Si nequidem nominanda est immunditia, ne linguam polluat, ne pungat conscientiam: non tam sermonibus quàm operibus reuincenda. Redarguite igitur non dicendo, sed viuendo; non exprimendo nomen immunditiæ, sed pudicitiæ lumen præferendo. [Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur; omne enim quod manifestatur, lumen est.] Vos estis lux mundi, dum autem sese aperit ac manifestat, cetera etiam prodit reuelatque; & si mala sint, non solùm in apertum educit, sed & suffundit & damnat; dum enim tenebras discutit vmbrasque, ignominiam aperit, inurit infamiam. Ita & vos facite, sed factis non verbis, reuincite, suffundite, benè agendo, castè D viuendo, scelere solo scelera reprimendo, de occursu vestro vitia comprimendo. [Si enim prædití virtute fueritis, (ita ille) celari non poterunt improbi. Nam vt ardente & lucem præbente lucernâ, fur nunquam subiturus est domum, sic nostræ virtutis si fulgor illuxerit, hi haud dubiè deprehendentur, qui gesserunt praua hæc atque nefanda. Vita igitur vestra lumen est, cum cunctis visenda & contemplanda exponitur. Nemo enim occultat, quod rectè & sine labe gesserit. Quæ autem supprimuntur, quia sunt tenebris digna, & occultentur necesse est. Nam & coargui debent & in lucem deduci, vt E Euangelicum illud testatur, Nihil occultum quod non reueletur.] Digna quidem sunt tenebris, & alto premenda sunt silentio: sed luce sanctitatis discutienda sunt, & splendore virtutis arguenda. Ita vos qui filij lucis estis, arguite, sic prodite, sic reuincite.

Comment. Athanas.

Scelera non tam verbis quàm factis suffundenda.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Dixerat Apostolus: [Omne quod manifestatur, lumen est. Seu, vt verti potest ex Græco: Omne quod manifestat, lumen est.] Nunc confirmat. [Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.] Quis dicit? Spiritus sanctus per Isaiam prophetam. [Dicendum est enim (ex Aquinate) quod Apostolus introduxit figuram

Aquin. lect. 5.

figuram positam Esa. 60. Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Propter quod dicit, scilicet Scriptura; Surge, à negligentiâ boni operis: tu scilicet, Qui dormis. Prouerb. 6. Vsquequo piger dormies? Et exurge à mortuis, id est, ab operibus mortuis. Exurge ergo, Et illuminabit te Christus. Psalm. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea.] Quibus id dicitur? Sed quibus id non dicitur? [Nam, vt dixit Chrysostomus, multi ex fidelibus non minùs sectantur vitium quàm infideles: & sunt etiam qui multò magis. Et ideò necesse est eis dicere, Expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis. Anima enim quæ peccat, ipsa moritur. Nec talis mors animæ, qualis est corporis, sed est longè grauior. Nam illa quidem mors corporis, cum animam & corpus alterum ab altero dissoluerit, illi quidem affert requiem à multis curis & laboribus, hanc verò ad locum manifestum transmittit. Deinde cum tempore fuerit dissolutum & spiritu priuatum, rursus congregatur cum incorruptione, & suam recipit animam. Atque talis quidem est mors corporis. Mors autem animæ est horrenda & terribilis. Non enim si fuerit dissoluta, eam transmittit sicut corpus, sed eam rursus alligatam corpori in quod cadet interitus, eam transmittit in ignem qui non potest extingui. Hæc est ergo mors animæ. Sicut enim corpus tunc morte afficitur quando anima id reliquerit desertum à suâ operatione: ita etiam tunc morte afficitur anima, quando eam à suâ operatione desertam reliquerit Spiritus sanctus.] Mortua igitur iacet anima, fœteteque, ignorantiæ conclusa tumulo, vitæ destituta principio: nec tamen desperanda, quia dum viuit in corpore, patet ad lucem redire virtutis, potest soporem noctis excutere. [Sed numquid, ait Aquinas, possumus per nos resurgere à peccato, quia dicit, Surge, & illuminabit te Christus? Dicendum ergo quòd ad iustificationem impij duo requiruntur: scilicet liberum arbitrium cooperans ad resurgendum, & ipsa gratia. Sed hoc ipsum habet liberum arbitrium à gratiâ præueniente: & postea meritoriè operari, à gratiâ subsequente.] Exurge, quia potes, liberum enim habes arbitrium: sed quia sine diuinâ gratiâ inualidum, Christus iuuabit te, illuminabitque, vt ex ignorantiæ tumulo ad lucem expauescas veritatis, vt ex lethargo immunditiæ ad splendorem exurgas sanctitatis.

Chrysost. orat. 18.

Mors animæ multo tetrior morte corporis.

Aquin. lect. 5.

TROPOLOGIA.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Sen. epist. 1.

QVomodo redimi tempus potest, si non potest reddi? [Hoc enim vnum est, vt dixit Seneca, quod ne gratus quidem potest reddere.] Sed quod in specie reddi non potest, redimi potest in opere. Dogmatica definitio est in verbo, sed in modo tropologica dissertatio. Nec enim vno tantum modo redimi potest, sed vario.

Primus est patientiæ. [Quid est enim redimere tempus, ait Augustinus, nisi, cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capescenda spatia temporis comparare? Vnde & Dominus præcipit, dicens: Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium: vt scilicet amissâ re aliquâ temporali, impendas ad quietem, quod eras impensurus ad litem.] Tempus redimendum est, Quoniam dies mali sunt. Sunt dies mali, dum homines importuni sunt, mali inquieti. [Apostolum, ait ille, cum legeretur, audistis, immò omnes audiuimus dicentem nobis, videte quomodo cautè ambuletis, non vt insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Dies malos duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum ducuntur dies mali. Cæterùm dies isti, quantum pertinet ad spatia horarum, ordinati sunt. Ducunt vices suas, agunt tempora. Oritur sol, & occidit. Sol iterum oritur, & occidit. Veniunt tempora; transeunt tempora. Cui molesti sunt tempora, si homines sibi molesti non sunt. Sed ex quo de peccato Adam omnes miseri nati sumus, communis est miseria: non enim continuò vt regenerati sumus, beati sumus. Si mox regenerati, iam beati essemus, & dies bonos ageremus: non nobis Apostolus diceret, qui iam regeneratis & fidelibus loquitur, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Et regenerati dies malos ducimus, quousque finiatur pœna mortalitatis, & succedat gratia summæ felicitatis.] Aliud quidem miseria, aliud malitia; quamuis enim malitia omnis miseria sit, non tamen miseria omnis est malitia. Tamen quia miseria omnis ex malitiâ est, tanquam primi filia peccati: idcircò malum dicitur & improbum quicquid miserum existimatur & importunum. Ita Iacob à Pharaone interrogatus: [Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali.] Id est, molesti ac miseri. Licet enim iusti regenerationis beneficio destinati sint ad beatitudinem, ad infelicitatem nihilominùs damnati sunt generationis contagio. [Nemo ergo dicat, (verba sunt Augustini) quando audit lectionem istam beati Apostoli, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: nemo dicat in corde suo, parentes nostri dies bonos habuerunt, nos malos dies habemus. Quare? parentes nostri, nunquid Christiani fuerunt? Ista lectio non est recitata ab ipsis temporibus Apostolorum? ante tot annos quando recitabatur, non ad eam gemebatur: & quod dicebat, non agnoscebatur? Ex eo quod lapsus est Adam, & de paradiso proiectus, nunquam fuerunt dies nisi mali. Redimamus ergo tempus, quoniam dies mali sunt. Expectatis à me scire, quid est tempus redimere. Quando aliquis tibi ingerit litem, perde aliquid, vt Deo vaces: ex eo quod perdis, pretium est temporis. Quomodo enim perdis numos vt emas tibi panes, sic perde nummos vt emas tibi quieté. Ecce hoc est tempus redimere.] Aliquis tibi iniuriam facit, impingit calumniam: cupit ille non solùm tibi imponere onus, sed & tempus tollere. Dies in quibus viuimus, mali sunt, molestiis pleni ac periculis. Semper erit quod feras, nusquam deerit

Augustin. lib. 50. Hom. 1. cap. 2.

Augustin. in Apend. serm. 16. cap. 1.

Tempus perdit, qui in litibus & contentionibus deterit.

Genes. cap. 47.

Augustin. cap. 2. & cap. 4.

deerit quod perferas: sustine onus per tolerantiam, tempus redime per patientiam. Da aliquid tuum, vt iacturam præuenias temporis: tolera molestum, importunum, litigiosum, calumniosum, vt iniuriam temporis resarcias. [Sed si homini Christiano dico, vt pro tempore redimendo perdat aliquid suum: quanto maiori curâ & fiduciâ debeo illi dicere, vt reddat alienum?]

Augustin. cap. 6.

Secundus modus, est œconomiæ. [Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis.] Quid caute? Cautio, ait Aquinas, est quædam conditio prudentiæ, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum. Circumspectè incedendum est, procedendumque. [Non quasi insipientes: qui scilicet nesciunt vitare impedimenta. Sed vt sapientes. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.] Ex Græco, curam commendat Apostolus, & diligentiam sollicitat. [Quid enim dicit? (verba Chrysostomi) videte diligenter & exactè quomodo ambuletis. Non hæc vtique suadet, volens nos esse varios &, nos in omnes formas vertere. Sed quid dicit? Non est tempus vestrum. Nunc estis inquilini & peregrini, & hospites & alieni.] Tempus nobis creditum est, non traditum: curæ nostræ commissum, nostræ permissum œconomiæ. Non minus prudenter dispensandum est, quàm diligenter asseruandum. Nihil enim aduersùm nos non aliquid machinatur, nihil non aut dolo subtrahere, aut furto conatur surripere. Ille voluptatibus incubat, iste inhiat honoribus, diuitiis studet ille congerendis, in vanis iste aut malis sese exercet negotiis: ille sectatur ambitionem, vltionem iste meditatur. [Ne quæratis honorem, ait Chrysostomus, ne quæratis potentiam, nec vltionem. Omnia ferte, & hoc tempus redimite. Cogita mihi quempiam qui domum habeat splendidam: deinde ingredi aliquos vt eum perimant; & illum multa dare, & se eripere, tunc dicimus eum se redemisse. Ita tu quoque, domum habes magnam, & fidem veram: veniunt vt omnia accipiant: da quodcumque exegerit quispiam: solùm serua fortem, fidem, inquam: dies enim mali sunt. Quid est diei malitia? diei malitia debet esse circa diem. Quid est malitia seu vitium corporis? Morbus. Quid est malitia animæ. Vitium seu prauitas. Et vniuscuiusque malitia seu prauitas, est vitium circa illam naturam cuius est vitium. Si ergo vitium aut prauitas est circa diem, oportet esse circa horam, circa lucem, & Christus dicit, Sufficit diei malitia eius. Quomodo ergo dies vocat malos? Quomodo tempus malum? Non essentiam, neque res creatas, sed propter ea quæ fiunt in ipsis. Sicut nos quoque solemus dicere, Transegi diem malum & grauem. Quomodo enim fuerit grauis, nisi ex iis quæ in ipso accidunt. Quæ autem accidunt in eo, sunt quidem bona à Deo, mala autem à malis hominibus. Propterea, inquit Paulus, Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.] Prudenter incedite, sapienter in horis, imò momentes procedite dispensandis. Attendite & videte ne quid vobis in vanum effluat: sed tempus redimite, totumque in vno vestræ negotio salutis impendite. Huic vni rei studete, vt voluntatem Domini cognoscatis, faciatisque, vt salutem reddatis certam, & æternam felicitatem acquiratis. [Incipiemus ædificia alia ponere, alia subuertere, & mare submouere, (agnosce Senecam) & aquas contra difficultates locorum ducere, & malè dispensare tempus, quod nobis natura conseruandum dedit. Alij parcè illo vtimur, alij prodigè: alij sic impendimus, vt possimus rationem reddere: alij, vt nullas habeamus reliquias. Nihil turpius est, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diù vixisse præter ætatem.] Non enim tam vixit, quàm tempus perdidit, dum nihil, aut aliud fecit; putri marcidus otio, vel inutili consumptus negotio. Totum fiuit elabi, nihil sibi asseruauit.

Aquin. Lect. 6.

Chrysost. orat. 19.

Chrysost. orat. 19.

Diligentia tempori dispensando commẽdata.

Seneca lib. de tranq. animi. cap. 3.

Tertius modus, est pœnitentiæ: quod enim malè transigitur, prouidè redimitur pœnitendo. [Omni tempore, ait Gregorius, reprobi per augmentum malitiæ contra se ictus ingeminant, quibus succisi in profundum ruant. De quibus benè per Psalmistam dicitur: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Dies quippe dimidiare, est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum, ad pœnitentiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vsum partiendo reparare: sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia peruersam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra benè Paulus admonet dicens: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus.] Tempus in otio, vel in malo contriuisti perpetrando, imò perdidisti. [Contingit quandoque, ait Aquinas, quòd aliquis per magnum tempus vitæ viuit in peccato, & hoc est tempus perditum. Sed quomodo redimet, cum homo non sufficiat ad debita persoluenda? Dicendum ergo, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quanto priùs institit malis. 1. Pet. 4. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, vinolentiis, desideriis.] Præteritum igitur tempus, præsenti redimendum est, & opus malum piis operibus, & seris licet virtutibus expungendum. Immaturus es, si annis potius oneratus es quàm meritis: & vitâ indignus, si saltem in senectute, non tam vteris tempore, quàm laberis incuriâ. [Prædia sua, ait Seneca, occupari à nullo patiuntur homines: & si exigua contentio est de modo finium, ad lapides & arma discurrunt: in vitam suam incedere alios sinunt, imò verò ipsi etiam possessores eius futuros inducunt. Nemo inuenitur, qui pecuniam suam diuidere velit? vitam vnusquisque quàm multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ac ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in eo, cuius vnius honesta auaritia est. Libet itaque ex seniorum turbâ aliquem comprehendere. Peruenisse ad vltimum ætatis humanæ videmus: centesimus tibi, vel suprà, premitur annus. Agedum, ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum reus, quantum cliens abstulerit:

Gregorius lib. 5. Moral. cap. 18.

Aquin. Lect. 6.

Seneca lib. de breuit. vit. cap. 3.

Reliquiæ temporis vel serò colligendæ.

abstulerit: quantum lis vxoria, quantum seruorum coërcitio, quantum officiosa per vrbem discursatio. Adiice morbos, quos manu fecimus: adiice, & quod sine vsu iacuit: videbis te pauciores annos habere quàm numeras. Repete memoria tecum, quàm multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente quid perderes: quantum vanus dolor, stulta lætitia, auida cupiditas, blanda conuersatio abstulerit: quàm exiguum tibi de tuo relictum sit; intelliges, te immaturum mori. [Quid ergo est?] Vindicate tibi, ait ille, & tempus quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua. Non puto pauperem, cui quantulumcumque superest, sat est. Tu tamen malo serues tua, & bono tempore vti incipias.] Nihil quidem perdendum est temporis, Sed si quid vanè aut malè insumptum est, licet serò, seriò tamen redimendum est, tandemque ad sanam mentem & bonam frugem redeundum. Quamuis ætate iam in senium inclinante, quamuis virtute in occiduum deficiente: colligendæ sunt reliquiæ, vsuique impendendæ & fructui. Tunc enim tempus redimis, cum opus non resumis tantùm, sed & cumulas compensasque; cum id quod elapsum est, perditumve labore ampliori, vberiori fœnore reparas: dum enim auges bonum, malum aboles, & dum parcis tempori, tibi consulis.

Sen. epist. 1.

ANAGOGIA.

Sed implemini Spiritu sancto.

CVm ait, Sed, opponit. [Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Sed implemini Spiritu sancto, in quo est lætitia.] Primò igitur videas aliquam ebrietatem reperiri spiritalem: secundò, totam in cælestem diffundi lætitiam: tertiò, in gratiarum refundi actionem, tanquam in vltimum.

Quoad primum. Cum audis toties sanctos etiam inebriatos, credis forsan rationem perdidisse deliquio, & mentem in vino sepelisse. Non est ita. Quomodo enim de Ioseph diceretur: [Sederunt coram eo: biberuntque & inebriati sunt cum eo.] An id ille faceret, imò an id permitteret, si periclitaretur ratio, si mens mergeretur? Inebriantur ergo & illi, qui largiùs bibunt, qui pergræcantur, viuuntque lautius? Nolite inebriari vino, sed implemini Spiritu sancto. Quasi inebrietur, & qui impletur, aut inebriari sit impleri. Sic & sancti inebriati sunt aliquando, vt scias esse aliquam sanctorum ebrietatem, sanctam scilicet ac spiritalem, quæ si excessum patitur mentis, non vtique rationis patitur deliquium. [Nam, vt dixit Augustinus, quodammodo dicitur ecstasis, cum mens non pauore alienatur, sed aliquâ inspiratione reuelationis assumitur.] Quid ergo dicturus sum? [Nemo se ad ebrietatem paret. Calix tuus inebrians quàm præclarus est? Nolumus dicere: Nemo se inebriet. Inebriamini: sed videte vnde. Si vos inebriat calix Domini præclarus, videbitur ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore iustitiæ:

Genes. c. 43.

Augustin. in Expos. Psal. 15. cit. med.

Augustin. con 3. in Psal. 103. vlt. med.

videbitur postremò in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cœlum. [Nolim omnes sobrios, velim imò omnes repletos.] Audeam dicere (cum Augustino) & inebriatos, & non timebo: atque vtinam omnes sic inebriemini. Recordamini. Quid enim: Putatis omnes illos qui confitendo Christum etiam mori voluerunt, sobrios fuisse? Vsque adeo ebrij erant, vt suos non agnoscerent. Omnes propinqui sui qui eos à spe cœlestium præmiorum terrenis blandimentis auertere molitisunt, non sunt agniti, non sunt auditi ab ebriis. Non erant ebrij, quorum mens alienata erat ab hoc seculo? [Nolite ergo inebriari vino, sed inebriamini Spiritu sancto; cuius musto implebantur Apostoli, dum ebrij dicebantur. [Vnde ebrij erant Videte (ait ille) Acceperunt calicem, vnde inebriarentur. Vnde & ille gratias Deo agit, dicens. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Calicem acceperunt, vnde & largè biberunt, donec non solùm perfusi sunt, sed & repleti, inundati, inebriati. Vnde non dicit, perfundimini Spiritu sancto: sed implemini Spiritu sancto: non solùm recipite ad sufficientiam, sed & haurite ad abundantiam. Aliquis enim, vt monet Aquinas, dicitur recipere Spiritum sanctum, non tamen plenus esse Spiritu sancto, quando scilicet habet gratiam Spiritûs sancti, quantum ad aliquam, & non quantum ad omnem hominis operationem. Hoc ergo dicebat Paulus vno verbo, quod Spiritus sanctus differebat in Cantico. [Bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini.] Bibite ad gratiam. Parùm est Bibite ad insaniam, [Audi sanctam insaniam, ait Bernardus: Siue mente, inquit Apostolus, excedimus, Deo; siue sobrij simus, vobis. Vis audire insaniam. Ipsum audi Apostolum, Optabam, inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis. Nonne mentis benè affectæ sana quædam videtur insania, cum impossibile sit effectu habere fixum in affectu pro Christo anathema velle esse à Christo? Hæc ad sancti Spiritûs aduentum Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cum diceret ad eum Festus, insanis Paule. Mirumne erat si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos iudices suos, à quibus pro Christo iudicabatur, ad Christum conuertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat, Rex veritatem intelligens, sed dissimulans: sed sancti Spiritûs ebrietas, in quâ & in paruo, & in magno similes eos facere gestiebat, qui eum iudicabant.] Desinit enim humana mens, nec tamen deficit, sed fit diuina.

Augustin. in Expos. Psal. 74. vers. fin.

Desinit mens humana, nec deficit, cum fit diuina.

Augustin. Enarrat. in Psal. 35. vers. fin.

Aquin. lect. 7.

Cant. cap. 5.

Bernard. lib. de nat. adhor. diu. cap. 3.

Quoad secundum: vinum quidem non ad ebrietatem datum est, sed ad sanitatem: semper tamen lætificat, etsi non semper inebriat, non enim dementiæ, sed procurandæ concessum est lætiæ. Datum est vinum ad lætitiam, ait Chrysostomus, non ad ebrietatem. Vis discere, vbi vinum sit bonum? Audi scripturam dicentem, Date vinum mœrentibus, & vinum lætificat cor hominis. Non est ergo ex vino ebrietas, sed ex immoderatione. Vinum non propter aliud datum est, quàm propter sanitatem corporis; &

Chrysost. orat. 1.

hoc quoque impedit immoderatio. Audi Apostolum scribentem & dicentem Timotheo: Modico vino vtere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Propterea enim Deus fecit nostra corpora paucis satiari: inde nos erudiens quod nos aptos fecerit ad alteram vitam. Nunc autem non inebriari videtur res esse ignaui & pusilli animi, cum perdat, non solùm corpus, sed etiam animam.] Non dixit Paulus, nolite vinum bibere, cum dicat Timotheo, Noli adhuc aquam bibere: sed ait. [Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.] Græcè ἀσωτία. [Sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, psallentes & cantantes in cordibus vestris Domino. Vis, inquit, (apud Chrysostomum) lætari? Vis diem consumere? Ego de tibi potum spiritualem. Ebrietas enim benè significantem linguæ nostræ excindit vocem, vt balbutiamus efficiens, oculosque, & omnia, vt semel dicam, peruertens. Disce psallere, & videbis rei voluptatem.] Vinum quidem linguam resoluit ad cantilenam, sed immodicum dissoluit ad insolentiam: non enim animosos facit duntaxat, sed & iracundos; nec audaces tantùm sed & præcipites: nec solùm lætos, sed & profluos lasciuosque. Ita Tertullianus de Christianis conuiuiis: [Vt quisque, inquit, de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit.] Nolite ergo inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, in quo est lætitia. Ideoque sicut illi qui vinum biberunt ad satietatem nihil magis amant quàm canere; sic & qui Spiritum receperunt ad plenitudinem, exultant, nihilque magis optant quàm psallere: nam illi vino madidi cantica recitant, sed lasciua & amatoria: isti Deo pleni, cantant spiritualia, Psalmos & hymnos corde simul ac voce personant. Spiritualis meditatio est, spiritualis exultatio, spiritualis cantatio. Ita ille, qui tam manu sciebat psallere, quàm Deo suo canere, In te cantatio mea semper. Quid est semper? (ait August.) Non tantùm tempore fidei, sed & tempore spei.] Vnicum hoc mihi solatium, inter tot tentationes, inter tot tribulationes, vt Deo meo Psallam, quin & hymnos psalmosque concinam. [Psallere, ait Aquinas est vti psalterio. In hymnis, id est laudibus diuinis. Et canticis spiritualibus, scilicet de spe æternorum. Meditemur ergo de rectâ operatione, quod faciendum: de diuinâ laudatione, quid imitandum: de cœlesti iucundatione, quid & quomodo seruiendum. Sic ergo effectus Spiritûs sancti primo est sacra meditatio: Secundò, spiritualis exultatio? quia ex frequenti meditatione ignis charitatis in corde accenditur. Psalm. 38. Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardescet ignis. Et hinc generatur lætitia spiritualis in corde. Et ideo dicit, Cantantes & psallentes in cordibus: id est, vt affectus nostri afficiantur gaudio spirituali ad operanda bona. 1. Corinth. 14. psallam spiritu, psallam & mente.

Paucis satiatur homo quia æternis destinatus.

Chrysost. Ibidem.

Tertulian. cap. 39. Apolog.

Augustin. con. 1. in Psal 70. cit. med.

Aquin. Lect. 7.

Quoad tertium. Cantemus Domino, seu nobis loquentes seu aliis, id est simul colloquentes: hæc enim religio Christiana, hæc publica professio, vt cantemus Domino. Ita enim Plinius Secundus testatur apud Tertullianum: [Nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quàm cætus antelucanos ad canendum Christo vt Deo.] Seu, vt illemet loquitur: [Soliti conuenire ante lucem, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem.] Inde conuentus fratrum, inde chorus canentium; qui sicut vnâ conuenirent mente, sic & vnâ voce canerent. Sed licet nullus esset conuentus, vnus tamen fratrum animus: & si vnus cordium consensus, quidni & vnus vocum esset concentus? Sic maritus vxori, sic hospes hospiti. [Nec sit, ait Cyprianus vel hora conuiuij gratiæ cœlestis immunis. Sonet Psalmus conuiuium sobrium, vbi tenax memoria est, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.] Semper hymnos canebant psalmosque, non solùm vt religiosum exsoluerent officium, sed vt diuinum indesinenter beneficium agnoscerent. Incessanter gratias recipiebant à Christo Domino, incessanter Christo Domino gratias referebant. [Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri.] Seruiebant ei in timore, & ei cùm tremore exultabant: vsquequaque subiecti, nusquam ingrati. [Pro omnibus, inquit, (apud Chrysostomum) quæ accidunt, oportet gratias agere. Certè, etiamsi sit morbus: etiamsi sit paupertas. Etsi ergo rationem nescias, age gratias: hoc enim est reuerâ gratiarum actio. Sin autem amplis beneficiis affectus, opulentusque & locuples, resque tuas benè geras, & omnia tibi prosperè succedant, agas gratias.; non est magnum, nec admirandum. Quod quæritur autem, est vt gratias aga qui est in afflictionibus. In doloribus & in rebus secundis nihil dicas ante hoc verbum, Gratias ago tibi Domine. Et quid dico pro iis quæ sunt hîc in afflictionibus? Pro ipsâ gehennâ oportet Deo gratias agere, pro pœnis & suppliciis quæ sunt illic: ea enim res valdè iuuat eos qui animaduertunt. Pro frœno, metus gehennæ imponatur cordibus nostris. Ne ergo pro manifestis beneficiis, sed etiam pro iis quæ non sunt manifesta, & quibus vel inuiti afficimur, agamus gratias: multa enim nos nolentes & nescientes beneficio afficiunt. Verùm gratiarum actionem, non verbis, neque linguis, sed rebus & factis, & cogitatione & corde.] Gratias semper agentes, & pro omnibus. Nihil excipit in rebus, nihil de temporibus intercipit. Hoc ipso quod habemus gratias, ipsas debemus; quia hoc ipsum, quod reddimus per Christum, per ipsum accepimus. Ita quo magis exsoluimus, magis debemus, & quia semper debemus, semper exsoluimus. [Ex hoc namq; vti dixit Aquinas, quod aliquis sic affectus est ad Deum, recognoscit se omnia habere à Deo. Quanto enim aliquis magis afficitur ad Deum, & ipsum cognoscit, tanto videt eum maiorem, & se minorem: imò propè nihil, in comparatione ad Deum. Et ideò dicit, Gratias agentes semper pro omnibus, scilicet donis, vel prosperis, vel aduersis: quia hæc etiam sunt nobis dona in viâ. Sed hoc in nomine Domini nostri Iesu Christi, quia

Tertullian. cap. 2. Apolog.

Plin. ad Traian.

Cyprian. lib. 2. epistol. 2.

Chrysost. orat. 19.

Propriè gratias agit, qui Deum in aduersis benedicit.

Aquin. lect. 7.

quia omnia bona proueniunt per eum. Sed addit Apostolus, Deo, in quantum auctor noster est per creationem: & patri, in quantum misit nobis Christum, per quem regenerauit nos. Et sic gratias Deo, quantum ad bona naturæ: patri, quantum ad bona gratiæ.] Sic nullum est tempus A in quo diuinis non fruamur beneficiis, ita nullum tempus est in quo gratiis non obstringamur referendis: sicut à laude & benedictione nunquam cessandum est, ita nunquam à gratiarum actione feriandum. Sine intermissione recipimus gratias, sine intermissione gratias referimus.



PARS SECVNDA.

De mulieribus.

TEXTVS.

MVLIERES viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vnâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ. Verumtamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

EXEGESIS LITERALIS.

CONIVGES docet, sed fideles, admonetque, vt exemplo Christi & Ecclesiæ, viri vxores suas diligant, vxores autem viros suos metuant.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, saluator corporis eius &c. Vos mulieres, quæ fideles estis, viris propriis subditæ estote, tanquam Christi Domini repræsentatiuis: sicut enim Christus præest Ecclesiæ, ita vir præest suæ feminæ: sed præest Christus, gubernando totum corpus Ecclesiæ, saluando, viuificandoque spiritu suæ gratiæ. [A Christo, ait Ambrosiaster, Ecclesia sumpsit initium. vnde subiecta est illi: ita & à viro mulier, vt sit subdita. [Prouocat ad auctoritatem, dum rem reuocat ad originem.] Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.] Nonne Ecclesia in omnibus Christo subdita est? Quidni ergo & mulieres in rebus domesticis, viris suis obsequentes sint? [Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ &c.] Et vos viri debetis vxores vestras diligere, eo quo Christus Ecclesiam suam dilexit modo, dum seipsum pro illâ in mortem tradidit, vt eam sacramento baptismi faceret sanctam, mundamque fidei verbo redderet. Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata &c. Vt nimirum eam tandem redderet non solum gratiâ illustrem, sed & gloriâ refulgentem, sibique sisteret maculâ, & rugâ, ceterisque carentem næuis, & ita æterno illam duceret connubio. [Ita & viri debent diligere vxores suas &c.] Sicut ergo Christus Ecclesiam dilexit, vt corpus suum; ita viri diligere vxores suas debent, vt sua corpora, & illis vtilia ac salutaria prouidere. [Christi exemplum, ait Athanas. non modò vt vxorem beneuolentiâ prosequamur, commonefacit, sed illam vt optimis moribus imbuamus & fide. Infert namque vt sancta sit & sine maculâ.]

Ambros. in Paulum.

B C D

Modus vxorem diligendi à Christo desumptus.

Athanas. in Paulum.

Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit, &c. [Si vir caput mulieris, mulier viri corpus est; ideoque qui diligit vxorem, corpus suum, imò seipsum diligit.] Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet

uet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia A membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius &c. Nemo enim, si sanæ mentis est, corpus, seu carnem suam habet odio, nemo opprimit, sed fouet & nutrit pro modulo: sicut & Christus, Ecclesiam, vt carnem suam curat sustentatque pro officio. Sumus namque membra Ecclesiæ, quæ est corpus eius, eiusdem naturæ, & eiusdem substantiæ. [De carne eius, ait Aquinas, propter eandem naturæ participationem.] Propter assumptam scilicet naturam. [Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vnâ &c.] Quia igitur fæmina ex viro desumpta, sicut Ecclesia ex B Christo desumenda: relinquet vir patrem & matrem suam, & vxori suæ iungetur firmissimo amoris vinculo, eruntque duo quasi vnus homo, corde sociati, & carne copulandi [Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ &c.] Ex Græco, [In Christum, & in Ecclesiam.] Mysterium igitur verbis istis indicatum, magnum est. [Christum enim & Ecclesiam sponsam significat repræsentatque. [Verumtamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.] Et id quidem de Christo dictum scriptumve quoad mysterium: ad verbum autem, vt quisque vxorem C suam sic diligat, velut seipsum; vxor autem non tantùm vt virum diligat tanquam comparem, sed & sicut superiorem suspiciat, vereatur, reuereaturque. [Quoniam, ait Commentator Ambros. vna natura in viro & feminâ est, idcircò vir quasi seipsum ita mulierem diligere commonetur: mulier autem, quia persona inferior est conditionis causâ, non naturæ, viro subiecta, timere eum iubetur.] Adsit quidem amor, sed non desit timor.

Aquin. lect. 9.

Mysterium Christi & Ecclesiæ repræsentatiuum.

Comment. Ambros.

 D

DISQVISITIONES dogmaticæ in litteram.

QVATVOR concurrunt in hoc excursu: vir, & fæmina, Christus, & Ecclesia: sic tamen vt duo priora sint posteriorum repræsentatiua. Idcircò sicut singula singulis permixta sunt, ita suo sunt ordine, seu quoad litteram, seu quoad allegoriam recensenda.

E

DISQVISITIO PRIMA.

De viro.

AB illo ordimur: [Quoniam vir caput est mulieris.] Nam, vt ait Tertullianus: [Mulieres viris subiectas esse debere, vnde Apostolus confirmat? Quia vir, inquit, caput est mulieris.] Ordo quidem Apostoli, sed Dei dispositio. [Laudasti, ait Chrysostomus, & admiratus es Paulum, vt qui tanquam vir admirabilis & spiritualis vitam nostram constituat? Vir quidam sapiens cum in beatitudinum numerum multa retulisset, hoc vnum quoque posuit inter beatitudines. Et mulier, inquit, quæ cum viro conuenit. Quinetiam ab initio Deus videtur magnam curam gessisse huius coniunctionis: & de ambobus tanquam de vno loquens, sic dicebat, Masculum & feminam fecit eos. Non est enim tanta viri cum viro necessitudo & coniunctio, quanta mulieris cum viro, si sit rectè coniugatus: Inest enim quidam amor in naturâ delitescens, & nos latens connectit hæc corpora. Propterea & ab initio ex viro mulier, & postea ex viro & muliere vir & mulier. Vides coniunctionem & connexionem? Sic Deus voluit ab initio. Passus est ipsum suam sororem sed ducere vxorem, vel potius non sororem sed filiam, vel potius non filiam, sed plus quàm filiam, nempe suam carnem, Ponamus ergo virum quidem ordinem & locum tenere capitis, mulierem autem corporis. Caput enim est salus corporis. Iam marito & vxori iecit tanquam fundamentum charitatem & prouidentiam, vnicuique locum tribuens conuenientem: marito quidem principatûs & prouidentiæ: vxori verò, subiectionis. Ex quibus tria elicis: primum est, id à Deo institutum à prima rerum origine, vt vir caput esset suæ vxoris, tanquam carnis propriæ: alterum, eandem esse capitis ac principis rationem: tertium, principatum illum, non in potentia herili, Sed in maritali prouidentia seu amicabili esse cura constitutum. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Ita, monente Athanasio: [Diligentiùs quisque suam carnem vt curat, sic etiam curanda est vxor.] Non ex imperio potestatis, sed ex charitatis officio.

Tertullian. lib. 5 aduers Mar. cap. 18.

Chrysost. orat. 10.

Principatus viri non tam in potestate quàm in charitate constitutus.

Athanas. in Paulum.

Sic tamen conditio capitis charitatem postulat, vt auctoritatem non destruat, sed statuat: talis quippe ordinis ratio est, vt si vni dilectionem iniungat, subiectionem imponat alteri. [Dicit ergo Apostolus, (exponente Aquinate) Mulieres viris suis subditæ sint, quia certè mulier si principatum habeat, contraria est viro suo, vt dicitur Eccles. 25. Et ideò specialiter monet eos de subiectione, & hoc: Sicut Domino: quia proportio viri ad vxorem, quodammodo est sicut serui ad dominum, quoniam debet regi mandato domini. Sed differentia est in hoc, quòd dominus vtitur seruis suis quo ad id, quod est sibi vtile: sed vir vtitur vxore, & liberis ad vtilitatem communem.] Meminit Domini, quia ius constituit auctoritatis maritalis: sed inflexit potestatem dominij, cum auctoritatem penè deduxit ad æqualitatem: licet enim persona sit à personâ, & inde tanta auctoritatis ratio, quanta & originis: tamen eadem est in vtroque humana natura, & inde non solùm proportionis habitudo, sed & similitudinis, ne dicam & æqualitatis, quæ non tam principatûs fundamentum est, quàm affectûs incentiuum. Ratio talis est (ait ille.) Vir & mulier sunt quodammodo vnum: vnde sicut caro subditur animæ, ita

Aquin. lect. 8.

Aquin. lect. 9.

ita mulier viro: sed nullus vnquã habuit carnem suã odio: ergo nec vxorem. Dicit igitur Apostolus, Qui suam vxorẽ diligit se ipsũ diligit. Et ideò, Sicut peccaret contrà naturam, qui seipsũ odio haberet, ita qui vxorẽ. Quod autem sic debeant se diligere; probat, dicens, Nemo enim carnẽ suam vnquã odio habuit. Quod patet per effectum: quia probatio dilectionis, exhibitio est operis: nam id, quod pro viribus conseruamus, diligimus. Sed quilibet nutrit, & fouet carnem suam: propter conseruationem.] Si duo sunt in carne vnâ, non tam potestatis prælatio est, quàm vnitatis inductio: ideoque dum vir diligit quod suum est, seipsum diligit.] Naturali ratione, ait Ambros. mulier portio corporis viri est, ac per hoc vir in muliere seipsum diligit: quia duo in carne vnâ sunt. Non ergo personæ substantiam diuidunt, vt per personas numerus fiat naturæ, sed sunt in vnitate naturæ.]

Mulier portio viri, & vna cum illo caro.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. orat. 20.

Sed interest scire, quomodo vir vxorem debeat diligere. [Audi ergo, ait Chrisostomus, quid à te Paulus exigit. Viri, inquit, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Vidisti mensuram obedientiæ, audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire vxorem, sicut Christo Ecclesiam? Ipse quoque eius curam gere sicut Christus Ecclesiæ. Etiamsi animam pro ipsâ dare oporteat, etiamsi millies, conscindi, etiamsi quoduis sustinere & pati, non recusabis: & si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem iam coniunctus hæc facis: ille autem pro ipsum auersante & eum habente odio. Quomodo ergo ipse eam quæ ipsum auersabatur, oderatque & despicatui habebat ac conspuebat, & per lasciuiam ei insultabat; magnâ suâ curâ suis subiecit pedibus, non minis, non contumeliis, neque metu, neque vllo alio eiusmodi: ita tu quoque te gere in tuam vxorem, etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciuiam insultantem, etiamsi contemnentem, poteris multâ eius curâ & prouidentiâ, dilectione & amicitiâ eam tuis pedibus subjicere.] Sed in his obseruanda sunt tria. Primum est, non tam inter Christum & virum constitui comparationem, quàm proportionem subostendi. [Illud, Sicut (ait ille) non est semper omninò æqualitatis. Mulieres viris suis subditæ sicut Domino. Hoc dicit, Sicut quæ sciatis quòd Domino seruitis? Quod etiam dicit alibi. Quod si non propter maritum, sed in primis propter Dominum: quando cedis marito, vt Domino seruis.] Alterum dilectionem illam, non cohibere, sed potius iustam exhibere correptionem: nam si iusti carnem propriam affligunt diligendo, quanto magis alienam, seu vxorem suam corripere & castigare possint dirigendo? Caro namque vti docet Aquinas, potest considerari in se: & sic non habetur odio, sed naturaliter quilibet appetit eam esse, & fouet eam, vt sit. Vel potest considerari caro, inquantum est alicuius impeditiua, quod volumus, & sic odio habetur quodammodo per accidens. Nam si quod volumus, bonum est: vel est vt finis vltimus, scilicet vita æterna, à quâ impedimur per carnem: ideò vellemus eam abjicere, non sicut malum odio habitum, sed sicut bonum minùs dilectum impe-

Inter Christũ & maritum non tam comparatio est quàm proportio.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. lect. 9.

A diens maius bonum. Vel illud quod volumus est bonum, non vt finis, sed disponens ad finem, sicut sunt habitus virtutum: hoc autem bonum impeditur per carnis lasciuiam, Et ideò sancti affligunt, & macerant carnem suam, vt subdatur Spiritui, ad repressionem concupiscentiarum. Et ideo qui sic affligit carnem suam, vt subdatur Spiritui, non odit eam, sed procurat bonum eius.] Tertium denique, exemplum Christi ad hoc conferre, vt vir vxorem castè diligat & sanctè, nec tam carnem quàm mentem excolat. Tu, inquit, Chrysostomus, illam B laudas propter formæ elegantiam. Impudicarum est laus, & odium ipsa dilectio. Quære animæ pulchritudinem: & ne auerseris vxorem propter deformitatem.

Chrysost. orat. 20.

DISQVISITIO SECVNDA.

De muliere.

A Muliere orsus est Apostolus: [Mulieres viris suis subditæ sint.] Sed & aggerat exẽ-C plificatque: [Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus] Sed primò, exemplum non videtur ad sententiam firmandam idoneum: nam Ecclesia non solùm ex bonis, sed & ex malis collecta est: mali autem non tam Christo subiecti sunt, quàm diabolo: boni autem vix in omnibus rebus subiecti sunt; cum & in multis nec contemnendis delinquant, & licet mente legi Dei, carne tamen legi peccati seruiant, Ecclesia igitur bifariàm considerari potest: primò, quoad numerum; secundo, quoad meritum. Quoad primam, illa est, quæ dicta est à Tertulliano, [Ecclesia numerus Episcoporum] Est enim illa quæ v-D squequaque diffunditur, nec tam nihilominus per internam charitatẽ, quàm per fidem externam agnoscitur. Illa nimirũ est, quæ per prælatos suos seu bonos seu malos scripturã exponit, proponitque & credendi regulã & agẽdi. Poterã, ait Hieronimus, omnes propositionũ riuulos vno Ecclesiæ sole siccare: verùm, breuem tibi apertamque animi mei sententiam proferam. in illâ esse Ecclesiâ permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi: scito non Ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse, indicant quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de E scripturã capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt: cum & diabolus de scripturis aliqua sit locutus; & scripturæ non in legendo consistant, sed intelligendo. Alioqui, si literam sequimur, possumus & nos quoque nouum nobis dogma cõponere: vt asseramus in Ecclesiã non recipiẽdos, qui calciati sint, & duas tunicas habeant.] Aliud accessio, aliud successio, hæreticorum est, idcircò nec admittendi illi, nec audiendi: successio, Episcoporum est, idcircò non suspiciendi solùm, sed & sequendi. Illa enim Ecclesia est, quæ per Episcoporum successionem, dogmatum custodit traditionem, literamque traducit ad intelligentiam. Idcircò illius arbi-

Tertullian. lib. de pudicit. ca. 21.

Hieronym. dialeg. adu. lucif. in fine.

Successio est Episcoporũ, hæreticorũ accessio est.

trio standum est, & in illius gremio commorandum. Quoad alteram, seu quoad meritum. [Ecclesia Spiritus est.] Vt loquitur Tertullianus. Id est, non honore visibili, sed spirituali censenda munere; non dignitatis titulo, sed elogio sanctitatis inscripta. Audi Spiritum. (ait Augustinus) Quid estis vos? Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Deus ergo habitat in templo suo: hoc est, in sanctis suis fidelibus, in Ecclesiâ suâ per eos dimittit peccata sua, quia viua templa sunt] Sicut ergo sancti omnes sunt docibiles Dei, sicut Christo & imperio Spiritûs sancti subiecti sunt in omnibus; sic & mulieres viris suis in omnibus sint obsequentes.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 21.

Augustin. lib. 50. Homil. 23. cap. 9.

Secundò, non videntur mulieres in omnibus viris suis subiici, cum in nonnullis æquales sint, in aliis autem non debeant obsequi. Sed æqua distributio facienda est, & seruanda proportio: vt sicut Ecclesia in omnibus omninò subiecta est sponso suo tanquam Deo, sic & mulieres maritis suis obediant tanquam viris, & in omnibus quæ salutem non impediunt, & virilem non excedunt potestatem, suum subjiciant arbitrium [Manifestum est, ait Augustinus, ita voluisse legem fœminam esse sub viro, vt nulla vota eius quæ abstinentiæ causâ vouerit, reddantur ab eâ, nisi auctor vir fuerit permittendo. Non enim ait lex, virum non debere reddere vota sua, si vxor prohibuerit, sed vxorẽ si vir prohibuerit] Si mulier sui iuris non est, quantum ad priuatã deuotionẽ; quantò minùs, quoad dispositionem domesticam? Quamuis enim œconomia sit illi concredita, sub viri tamen auctoritate seu mariti voluntate semper est dispensanda. Nam etsi in carnali consortio nõnulla sit paritas, multa tamen imparitas est in obsequio coniugali. Nihil, ait Augustinus, Ecdiciæ, de tuâ veste, nihil de tuo auro vel argento vel quacumque pecuniâ, aut rebus vllis terrenis tuis sine arbitrio mariti tui facere debuisti, ne scandalizares hominẽ, qui Deo tecum maiora vouerat, & ab eo quod de tuâ carne licitâ potestate posset exigere, continenter abstinuerat. Tantò humiliùs & obedientiùs ei obsequi in domesticâ conuersatione debuisti, quantò ille religiosiùs tibi rem tam magnam etiam imitando concesserat. Non enim quia pariter temperabaris à commixtione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat; imò verò tanto sanctiùs inter vos coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita seruabatis. Porrò si de faciendis eleemosynis & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere & magno tam euidentia præcepta sunt Domini, cum viro tuo fideli & tecum sanctæ continentiæ pacta seruante consilium communicare deberes, eiusdemque non spernere voluntatem; quanto magis de habitu atque vestitu nihil tibi præter eius arbitrium mutandum vel vsurpandum fuit, vnde nihil diuinitùs legimus imperatum? Neque hoc ita dicimus, vt si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus: sed alia causa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum. Alia postremo ea quæ in his rebus vel maximè intuenda est viri & vxoris, vbi mulierem coniugatam non licet dicere: Facio quod volo de meo; cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui.] Quæ sua non est, quomodo de suis constituere potest ac disponere?

Augustin. lib. quæst. sup. Num. cap. 59.

Augustin. epist. 99. cit. med.

Mulier coniugata, non est amplius sua.

Tertiò, videtur Apostolus solius subiectionis meminisse, ideoque humilitatem maximè & simplicitatem vtrobique prospexisse. Quomodo placet viro mortali sponsa carnalis? castitate, & sinceritate? Quid ergo dæmones faciant vt castitatem prostituant, dejiciant sinceritatẽ? Fucum inducent, luxũ inuehent, mundũque inuenient fœminis ipsis propriũ. Enimuerò, ait Tertullianus, qui interdũ cogitabant vnde cecidissent, illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, vt causam mali, sic remunerauerunt, ne eis profuisset felicitas sua, sed vt deuectæ de simplicitate & sinceritate, vnà cum ipsis in offensam Dei peruenirent. Certi erant omnem & ambitionem & affectionem per carnem placendi, Deo displicere.] Quomodo placet sponsio immortali Ecclesia spiritualis, &, vt ille dixit, Ecclesia Spiritus? simplicitate & humilitate. Quid ergo inueniant dæmones, vt simplicitatem corrumpant, humilitatem euertant? Gloriam obtrudent inanem, pompamque reducent secularem. Ideò Augustinus ad competentes. [Superbiam, inquit, per quam ipse diabolus cecidit, vitare contendant, quia Christus quem sequi desiderant, mitis fuit & humilis corde. Et satis timendum est illud quod scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sed agnoscere potestis, (ait ad fideles) admonitionem nostram, licet ad competentes dicta sit, posse tamen omnibus baptizatis fidelibus conuenire. Et ideò nos qui iam ante multa tempora in Christo renati sumus, istis qui baptizandi sunt exemplum sanctæ conuersationis in omnibus præbeamus; vt si nos imitari voluerint, non per latã & spatiosam viam trahantur ad mortem, sed per arctam & angustam peruenire mereamur ad vitam. Et ideò non solùm exemplis sed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis. Denique tam illi, qui excipiunt, quàm qui excipiuntur, id est, tam patres quàm filij, pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant: nec vnquam aliquid de diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant.] In baptismo ipso, tribus renuntiamus, diabolo, carni, & mundo; sed statim mundo reconciliamur, tanquam minùs malo, aut minùs metuendo: semque per ipsum diabolo & carni concordamus, & in apertam tandem præcipitamur audaciam. Ibi incipit luxus, vbi deponendus est, in ipso baptismo in ipsamet Ecclesiâ, paulatimque crescit, donec & baptizatum ipsum à voto suo retrahat, & ipsammet Ecclesiam suis inficiat institutis.

Sed sat sit de muliere, si sat sit de subiectione.

Tertullian. lib. de hab. mul. cap. 2.

Augustin. serm. 116. de temp. vlt. med.

Pompa per baptismum ipsum proscripta.

DISQVI

DISQVISITIO TERTIA.
De Christo.

DE viro ad Christum, de typo ad prototypum. [Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Saluator corporis eius. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.]

Primò igitur, caput est Ecclesiæ: ipse Saluator corporis eius. Non istud sub dubio ponendum est disquisitionis, sed pro religionis constituendum fundamento. Hoc est, inquit Augustinus, quod dixit me sæpè dixisse, & nunc iterum dico: Dominus noster Iesus Christus, tanquam totus perfectus vir & caput & corpus: caput in illo homine agnoscimus, qui natus est de Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, sepultus, resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, inde illum expectamus iudicem viuorum atque mortuorum: hoc est caput Ecclesiæ: Corpus huius capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel vsque ad eos qui nasci turi sunt vsque in finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium, quæ ciuitas corpus est Christi, cui caput est Christus. Talem ergo scientes Christum totum atque vniuersum simul cum Ecclesiâ, ipsum solum natum de Virgine, caput Ecclesiæ mediatorem scilicet inter Deum & homines Christũ Iesum: ad hoc mediatorem, vt eos qui recesserunt, per se reconciliet: medius enim non est, nisi inter duos. Recesseramus à maiestate Dei, & peccato nostro offenderamus eum qui missus est Filius mediator, qui sanguine suo solueret peccata nostra, quibus separabamur à Deo, & interpositus redderet nos ei, & reconciliaret à quo auersi à peccatis nostris & delictis tenebamur. Ipse est caput nostrum, ipse est Deus æqualis patri, Verbum Dei per quod facta sunt omnia: sed Deus vt crearet, homo vt recrearet: Deus vt faceret, homo vt reficeret.] Hoc est ergo quod Paulus de Christo dicit, qui non solùm caput Ecclesiæ, sed & Saluator eius inquantum mediator, Denique mediator, qui non solùm naturam assumpsit humanam, sed & ipsam peccatis nostris in crucem & mortem tradidit. Nonne igitur Deo subiecta erit anima Christiana, nonne Christo suo subdita? Si enim Christus est Ecclesiæ caput, cui prospicit & salutaris est: (ita Athanas.) & Ecclesia Christi est corpus. Quo pacto non debet corpus capiti obedire, quod suis curam suscepit, & salutẽ attulerit?

Augustin. conc. 2. in Psal. 90. cir. med.

Quomodo Christus in caput nostrũ constitutus.

Athanas. in Paulum.

Secundò, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ. Sic eam nimirum dilexit, vt pro illâ sanctificandâ posuerit vitam suam, & aquam ad munditiam, sanguinem ad virtutem de venis suis eduxerit. [Venerat enim vt loquitur Tertullianus, per aquam & sanguinem; vt nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos.] Seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret. [Erat ergo immunda, (infert Chrysostomus, erant in eâ sordes & maculæ, erat turpis ac

Tertullian. lib. de bapt. cap. 16.

Chrysost. orat. 24.

A deformis, vilis erat & abiecta. Sed tamen non est abominatus, nec eam odio habuit propter summam deformitatem. Vis audire eius deformitatem? Audi Paulum dicentem, Eratis enim aliquando tenebræ. Vidisti immunditiam. Inobedientes, insipientes. Et tamen cum tam multa in eâ essent, tanquam pro speciosâ, tanquam pro dilectâ, tanquam pro admirandâ, ita seipsum tradidit pro deformi. Et cum talem accepisset, eam ornat & lauat. Quid dicam Isaac, Iacob, Moysem & alios matrimonia sua circa aquas ipsas auspicatos? [Considera, inquit Ambro-

B sius, quàm vetus mysterium sit, in ipsius mundi præfiguratum origine. In principio ipso, quando fecit Deus cœlum & terram, Spiritus, inquit, superferebatur super aquas, Qui superferabatur super aquas non operabatur super aquas? Accipe aliud testimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis. Non permanebit, inquit, Deus, Spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt. Quo ostendit Deus quia carnali immunditiâ grauioris labe peccati gratia spiritalis auertitur. Vnde volens Deus reparare quod deerat, diluuium fecit, & iustum Noë in arcam iussit ascendere. Qui dum dece-

C dente diluuio coruum dimisit priùs, qui non reuertit: dimisit columbam, quæ cum ramo oliuæ legitur reuertisse. Vides aquam? Vides lignum? columbam aspicis, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo quâ caro mergitur, vt omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Iesus cum pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit Spiritus sanctus, qui tibi pacem animæ, tranquillitatéque mentis inspirat. Coruus est figura peccati, quod exit, & non reuertitur, si in te quoque iusti custodia & forma seruetur. Denique Naaman Syrus mundatus illicò intellexit non aquarum esse quod vnusquisque mun-

D datur, sed gratiæ. Recognosce nunc quæ sit illa puella ex captiuis, iunior scilicet ex gentibus congregatio, id est, Ecclesia Domini: depressa ante captiuitate peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat, cuius consilio vanus ille populus nationum verbum audiuit propheticum de quo ante diù dubitauit: postea tamen vbi credidit exequendum, ablutus est ab omni contagio vitiorum.] Ita Christiani omnes, fidelesve mundati sunt aquæ lauacro, & beneficio sanctificati gratiæ.

Ambros. lib. initiand. cap. 3.

Testimonia ad baptismum firmãdum conspirantia.

Tertiò, mundamur quidem lauacro aquæ, sed non sanctificamur, nisi operante Dei virtute. Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Quare, inquit Augu-

E stinus, non ait Christus, mundi estis propter baptismum quo loti estis; sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in aquâ verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum, tanquam visibile verbum. Non & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum Dei quod prædicatur, ait Apostolus: quia si confessus fueris

Augustin. Tract. 80. in Ioan. vlt. med.

in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum. Et in Epistolà suà beatus Petrus, Sic & vos, inquit, baptisma saluos facit: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei quod prædicamus: quo sine dubio vt mundare possit, consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum patre agricola, Dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ. Lege Apostolum, & vide quid adiungat: Vt eam sanctificeret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesiâ Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem: quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis.] Ex quibus tria deducenda sunt. Primum est Augustinum ex Græcis legere, [In verbo.] Non, [In verbo vitæ] Alterū, illud verbum esse verbum fidei, quod prædicatur & creditur. Tertium, talis esse virtutis, vt & ipsa Sacramenta sine illo nihil præstent, cum illo mundent & sanctificent. Verbum enim adueniens aquæ, vti dixit Aquinas, dat ei virtutem abluendi. Lauacrum aquæ, Sacramentum est, sed fide suscipiendum: tantique est fides, vt ipsa sine sacramento, corda purificet; Sacramentum sine ipsâ, non tam mundet quàm inquinet: Sicut enim digna Sacramenti susceptio, sanctificat; sic & indigna, condemnat. Denique licet lauacrum aquæ, principalem imò & totam suam virtutem habeat à passione Christi; non tamen eam præstat aut applicat, nisi sub fide baptizandi.

Vnde virtus aquæ corpus tangat, cor abluat.

Aquin. lect. 8.

Optimè tamen dicitur [Verbum vitæ.] Quia siue auditum, siue etiam lectum, procurat vitam gratiam conciliat. Beata siquidem vita, (ita loquitur August.) est cognitio diuinitatis: cognitio diuinitatis, virtus boni operis est, virtus boni operis, fructus est, æternæ beatitudinis. Adhuc ergo bonum habeamus solatium, diuinarum lectionem scripturarum: quia sacrarum lectio scripturarum diuinæ est præcognitio non parua beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest, qualis est, vel quò tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis ad emundationem proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro; ita ex diuinis eloquiis interior homo nutritur & pascitur, sicut Psalmista ait, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo. Nihil sapere Christiano debeat, nisi verbum Dei: nihil appetere debeat homo verè Christianus, nihil legere, nihil promere, nisi verbum Dei. [Si quis loquitur, quasi sermones Dei.] Quid enim amet fidelis, & eructet, nisi verbum fidei? Sed vanè legitur, & auditur, nisi teneatur, & quod dicitur aut scribitur in sermone, opere compleatur. Ille beatissimus est, ait Augustinus, qui diuinas scripturas vertit in opera. Omnes planè scripturæ ad nostram salutem scriptæ sunt, vt proficiamus in eis in veritatis agnitionē. Sæpiùs cœcus offendit, quàm videns: sic ignorans legem Dei sæpiùs ignoranter peccat, quàm ille qui scit. Sicut cœcus sine ductore, sic homo sine ductore rectam viam vix graditur. Et ideo quicumque lectiones sacras legere & intelligere possunt, in his studium impendant, vt earū frequenter meditatione vtantur: qui verò sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attentiùs audiant interpretantem, vt recipiant saltem inde ædificationem. Cum verò magisterio cœlesti instructi quid faciendum, quidve vitandum sit, acceperint, non sit mora in faciendo, quod intus sapiunt intelligendo: quia, vt beatus Paulus Apostolus ait: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis. Reuera, verbum est vitæ: iustus enim ex fide viuit: fides autem ex auditu, & auditus per verbum fidei: sed non solùm corde suscipi debet, sed & opere debet perfici. [Mundans lauacro quæ in verbo vitæ.] Non ait, [Et verbo vitæ.] Sed, [In verbo vitæ.] Non enim vis est solùm in lauacro aquæ, sed & in verbo vitæ; vitam enim operatur & munditiam, dum non solùm exaratur cordi, sed & mandatur operi.

August. serm. 112. de temp. post init.

1. Pet. cap. 4

Aug. ser. 112 de temp. vers. fin.

Verbum Dei & corde tenendum, & opere complendum.

DISQVISITIO QVARTA.
De Ecclesia.

Mundata est Ecclesia lauacro aquæ, sed amplius mundanda augmento gratiæ, donec cursum absoluat, & brauium accipiat: Iam vos mundi estis: mundi scilicet, ait Augustinus, atque mundandi. Neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent: & tamen omnem qui fert fructum, purgat agricola, vt fructûs plus afferat. Fert fructum, quia mundus est. atque vt plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim est in hac vitâ sic mūdus, vt non sit magis magisue mundandus. Mundet itaque mundos, hoc est fructuosos: vt tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. Sanctificata est Ecclesia: Sed gratiam augeat, donec compleat per gloriam. Vt illam sanctificaret, & exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Non solùm eam ornauit Christus, (verba sunt Chrysost.) sed fecit gloriosā, non habentem maculam, aut rugā, aut aliquid eiusmodi. Et nos ergo quæramus pulchritudinem, & poterimus eius esse opifices. Sordes internas purgemus: rugas quæ sunt intus euellamus, tollamus maculas quæ sunt in animâ. Talem Deus requirit pulchritudinem. Duo sunt, quæ mulierem reddunt minùs amabilem, deformitas, & vetustas: macula, deformitatis est, ruga, vetustatis: sed si hæc illa carnaliter spectentur, timendum ne contraria turpiter amentur. Ne quæras

August. in. Tract. 80. in Ioan. in med.

Chrysostom orat. 20.

Chrysost. Ibidem.

quæras ab vxore, ait ille, quæ non sunt eius. Externa pulchritudo plena est multæ arrogantiæ & & insolentiæ, & iniicit in zelotypiam, & sæpè te facit suspicari rem absurdam & turpem. At habet voluptatem. Vsque ad primum & secundum mensem, aut plurimum vsque ad annum. Deinde non amplius, sed à consuetudine marcescit miraculum. Sin autem morbus superuenerit, tota statim euolat. Non quæramus ergo corporis elegantiam ac venustatem: quàm multi enim cum non valde formosis cum multâ voluptate ad extremam vsque senectutem peruenerunt? quàm multi, qui cum formosis mulieribus habitarent, miserabiliter è viuis excesserunt? Quid tibi cum imagine, quæ solâ pulchra est imaginatione? quid cum illâ pulchritudine, quæ in solâ sita est carnis aut cutis specie: Amas vxorem, non ductam, sed adhuc ducendam: (verba sunt Augustini) & fortè ducenda amatur, ducta odio habebitur. Quare hoc? quia talis non apparuit ducta, qualis ab initio pingebatur ducenda.

Augustin. serm. 5. ex nouis post init.

Fœdam, inuenit Christus sponsam, maculis aspersam, rugis aratam, næuis deformatam, sed fecit pulchram: non elegantiâ corporis, sed virtutis præstantia. Vidua ista, inquit Augustinus, ad quam Helias Propheta mittitur, typum Ecclesiæ gerebat, sicut & corui illi qui Heliæ ministrauerant, figuram Gentium habuerunt. Venit ergo Helias ad viduam, quia Christus venturus erat ad Ecclesiam. Sed videamus, vbi beatus Helias viduam illam inuenit. Exierat enim, vt aquâ se lauaret, & ligna colligeret. Quid enim aqua, & quid ligna significent, videamus. Satis enim ista duo Ecclesiæ & amica & necessaria esse cognoscimus, id est, lignum & aquam. Denique sic scriptum est: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Nam in ligno, crucis mysterium; in aquâ, ostenditur baptismatis sacramentum. Videte, quia non dixit tria, nec quatuor, nec vnum tantummodo lignum, sed duo ligna colligere voluit. Ideo duo ligna, quia in typo Heliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat agnoscere. Crux enim Domini Saluatoris duobus lignis aptata est? Ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa, Colligo duo ligna, vt faciam cibum mihi & filio meo, & manducabimus, & moriemur. Verum est. Nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic seculo moriatur. Nec maculam habere debet Ecclesia, nec rugam, & si habet, vtramque debet deponere. Vt ergo rugam deponat, debet tendi in cruce: vt maculam abluat, debet mundari lauacro aquæ in verbo vitæ. Si quid eiusmodi, minutum est quidem: & tamen fœdum, ideoque detergendum. Hæc enim, vt ille dixit, & his similia, ad minuta peccata pertinere non dubium est quæ enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De quo scriptum est, Aptauit sibi Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.

Augustin. serm. 201. de temp. circ. med.

Ruga tollitur extensione, macula ablutione deponitur.

Augustin. serm. 41. de sanct. circ. med.

A Quis Christianorum rugâ caret, aut maculâ vel aliquo eiusmodi, si nullus caret sanctorum? Sed sicut ruga tollitur extensione, & macula ablutione, sic & aliquid eiusmodi continuis orationibus, frequentibus ieiuniis, & largioribus redimitur eleemosynis.

Iam verò satis indicat Apostolus nunquam Ecclesiam totam sine omni rugâ futuram, sine omni maculâ, nisi cum attigerit cursûs metam, palmamque conflictûs retulerit, & per gratiam peruenerit ad gloriam. Sunt quidam inflati vtres, (verba sunt Augustini) spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes; vt dicere audeant inueniri homines absque peccato. Dicunt ergo, iustos prorsus in hac vitâ nullum habere peccatum. Et cum responsum illis fuerit, quid est quod dicitis, ergo viuit hic homo sine peccato, & non habet omninò vllum peccatum, nec facto, nec verbo, nec cogitatione? Respondetit de illo superbiæ vento, quo pleni sunt: quem ventum vtinam finirent, testarentur & tacerent, id est, humiles fierent, non elati. Respondens, inquam, prorsus isti homines sancti fideles Dei, nec facto, nec verbo, nec cogitatione possunt vllum habere peccatum. Et cum eis dicitur, Qui sunt isti iusti, qui sine peccato sunt? Respondent & dicunt, Tota Ecclesia. Mirari potuissem, si inuenirem vnum, duos, tres, decem, quod quærebat Abraham. Abraham enim à quinquaginta ad decem descendit: tu hæretice, respondes: & dicis mihi, Totam Ecclesiam. Vnde hoc probas? Christus, inquit Apostolus, dilexit Ecclesiã. Audio, & Apostoli verba esse cognosco. Mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Audiuimus de nube magna tonitrua: nubes enim Dei Apostolus. Verba ista sonuerunt, & tremere nos fecerunt. Sed ipsi qui hoc dicunt aut sentiunt, in eâ se esse Ecclesiâ, quæ iam non habet maculam, aut aliquid huiusmodi: Nesciunt, ait ille, hoc modo in eis compleri, qui vel post baptismũ continuò, vel dimissis debitis, quæ dimittenda in oratione poscuntur, de hoc exeunt corpore: in totâ verò Ecclesiâ tunc futurum, vt sit omninò non habens maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, quando dicendum erit. Vbi est mors victoria tua? In hac autem vitâ, vbi corpus quod corrumpitur aggrauat animam, si Ecclesia eorum iam talis est, non ergo dicant Deo, quòd Dominus nos orare docuit: Dimitte nobis debita nostra. Cum enim in baptismo cuncta dimissa sint, vt quid hoc poscit Ecclesia, si iam etiam in hac vitâ non habet maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi? Modò ergo Christus Dominus mundat Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo, vt tunc eam sibi exhibeat, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiusmodi, totam scilicet pulchram atque perfectam, quando absorbebitur in victoriam. Nunc enim in quantum viget in nobis quòd ex Deo nati sumus, ex fide viuentes iusti sumus. In quantum autem reliquias mortalitatis ex Adam trahimus, sine peccato non sumus. Et illud itaque verum est, Qui natus est ex Deo, non peccat. Et illud verum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.

Augustin. serm. 29. de verb. Apost. cap. 2.

Nulli aut paucissimi in totâ Ecclesia sunt sine rugâ & maculâ.

Augustin. epist. 50 med.

Despondet Apostolus vni viro virginem castam exhibere Christo, sed nondum exhibet:

iam enim sese excolunt sponsæ Christi, sed nondum venerunt agni nuptiæ. Interim semper aliqua verrucula læuiganda est, semper aliquis pullulat defectus, aliquis næuus effructicat. Petrus loquitur ad Dominum, signorum magnitudine perturbatus: Recede à me, quia homo peccator sum. Et Dominus, Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quando dicit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrij libertatem: quod etiam si velit ad Christum pergere, nisi fiat illud, quod sequitur, nisi pater meus traxerit eum, nequidquam cupiat, & frustrà nitatur. Qui non potest suis viribus & labore venire ad Iesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare? & vitare in perpetuum, & Dei sibi potentiæ nomen assumere. Inde ergo & Apostolus de Domino loquitur: quòd in fine mundi, & in consummatione virtutum, exhibeat sibi sanctam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam: quam vos putatis iam in istâ carne mortali & corruptibili esse perfectam: cum vera & absque omni sorde perfectio in cœlestibus reseruetur, quando sponsus loquetur ad sponsam: Tota pulchra es anima mea, & macula non est in te. Iuxtà quod illud intelligitur: Vt sitis irreprehensibiles; simplices, sicut filij Dei immaculati: quòd non dixerit, estis: sed, sitis; in futurum differens, non in præsenti esse contestans: vt hîc labor sit atque contentio: ibi laboris virtutisque præmia. Quid vt sit sancta Ecclesia & immaculata? seu, vt ex Græco, irreprehensibilis: nisi à crimine immunis, & à labe libera. Ad id contendimus in hoc seculo, sed obtinebimus in futuro. Finis enim sanctificationis, vt Aquinas loquitur, est puritas Ecclesiæ. Ideò dicit Apostolus. Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Quasi dicat, Indecens est, quòd immaculatus sponsus, sponsam duceret maculatam: & ideo sibi exhibet eam immaculatam: hîc per gratiam, sed in futuro per gloriam. Vnde dicit, Gloriosam: scilicet per claritatem animæ & corporis. Vt sit sancta, per confirmationem gratiæ. Et immaculata, ab omni immunditia: sic enim erit in futuro per gloriam. Magis sancta per intentionem, & immaculata per omnimodam puritatem. Hic aliqua semper macula, per impuritatem actionis, semper aliqua ruga per duplicitatem intentionis. [Homo fidelis, ait Augustinus, iam sub gratiâ viuit, in fide viuit, membrum Christi factus est, templum Dei factus est: & tamen sic quodammodo membrum Christi & templum Dei factus est, si dixerit se non habere peccatum, seipsum seducit, & veritas in eo non est: prorsus mentitur, si dicat; Iustus sum.]

Hieronym. dial. 3. aduers. Pelag. vlt. med.

Aquin. lect. 7.

Impuritas actionis, & intentionis duplicitas.

August. serm. 26. de verb. Apost. cap. 1.

TROPOLOGIA MYSTAGOGICA.

Propter hoc relinquet homo patrem, &c.

QVid est, propter hoc? Dixerat Apostolus, Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Quibus verbis alluserat ad illa Genesis secundo: Hæc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne meâ. [Sed ad Christum transtulerat.] Sicut illic tanta propinquitas, ita, inquit, hîc quoque. Quid est enim, Ex carne eius? Hoc est, ait Chrysostomus, verè & germanè ex ipso. Et quomodo Christi membra sic sumus? Quoniam facti sumus sicut ipse. In cruce facta est ab ipso nostræ quoque essentiæ susceptio. Concorporales sumus, & vt ita dicam coessentiales quoad naturam susceptam: in quâ natus est, in quâ & mortuus. Ille in humanâ naturâ carnem & ossa habuit, id est humanitatem induit realem, tamque veram, quàm & nostram: eiusdem quippe & nos naturæ consortes sumus, vnum cum illo corpus componimus, & ideò eiusdem cum illa participes sumus substantiæ. Sed in his tria subnotanda sunt. Primum est, in humanitate carnem tantùm & ossa recenseri, tanquam partes ædificij principales. Hæc enim sunt, vt ille dixit, quæ in nobis principatum tenent, carnes & ossa. Hæc quidem subiecta tanquam quædam carina, illa autem tanquam ædificium. Ille homo fuit, & nos homines sumus, eandem carnem & eadem ossa portantes. Spiritus enim carnem & ossa non habet: id est, non in eadem naturà visibili ac sensibili constitutus, nec ossibus nec carne compositus. Alterum, aptè quidem & appositè carnes & ossa in fidelium societate repræsentari. Quidnam enim debiles sunt, quidnam fortes: quidam imperfecti, alij perfecti. De carne, ait Aquinas, quantum ad debiles, qui sunt carnei: Et de ossibus eius, quantum ad fortes, qui sunt ossei. Non dicit carnales, sed carneos: non enim malos innuit, sed molles. Tertium & nos esse de carne eius, & de ossibus, eius, quia & formamur eius sanguine, & de carne eius saginamur. Quomodo ex carne? inquit Chrysostomus. Scitis quicumque estis participes mysteriorum. Atqui duplex mysterium est, crucis scilicet, & altaris. In primo, formati sumus eius sanguine. Quomodo enim Eua, ait Augustinus, non est facta nisi de latere dormientis, sic Ecclesia non est facta nisi de latere morientis. In secundo, eius carne saginamur. Quomodo, ait Irenæus, carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius, quemadmodum & beatus Apostolus ait, in ea quæ est ad Ephesios epistola. Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: non de spirituali aliquo, & inuisibili homine dicens hæc: Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet: sed de eâ dispositione, quæ est secundùm verum hominem, quæ ex carnibus & neruis & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur; & de pane, qui est corpus eius, augetur. Hæc nimirum illa dispositio est, quâ, vt dixit Chrysostomus: Vnum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne eius, & ex ossibus eius. Semetipsum nobis, immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid simus, tanquam corpus capiti coaptatum. Facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro. Primum, naturæ est; alterum, allegoriæ; tertium intelligentiæ: illud enim ad sensum, istud ad fructum, hoc verò ad mysterium: illud, litteræ; istud figuræ, hoc autem gratiæ.

Chrysost. orat. 10.

Carnes & ossa principales humani partes ædificij.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. lect. 9.

Chrysost. orat. 10.

Augustin. in psalm. 138.

Iren. lib. 5. aduers. hæres cap. 2.

Chrysost. Hom. 60. & 61. ad pop.

Iam verò resumit Apostolus, aitque: propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. [Quia ergo mulier formata est ex carne & ossibus viri, relinquet vir patrem & matrem, vxorémque suam, tanquam aliquid sui, imò velut carnem suam diliget. In his autem tria sunt obseruanda. Primum est, verba ista non ab Adamo, sed

Matth. cap. 19.

sed à Deo dictata. Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori suæ,& erunt duo in carne vnâ. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quis ergo dixit hoc? Ille nimirum qui fecit hominem ab initio: Deus scilicet: seu scriptura sacra, à Deo dictata. Quia enim Eua de costâ viri formata est, [Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.] Vtrobique eadem illatio est rerum,& eadem verborum coniunctio. Alterum, in verbis istis, non tam Adamum spectari, quàm sexum, nec tam delineari historiam quàm allegoriam figurari. Et quid ego, ait Tertullianus, de isto genere amplius: quum etiam hæreticorum Apostolus suggerat Ephesiis, quod in primordio de homine prædicatum est relicturo patrem & matrem. Alioquin nec Adam patrem habebat, quem relinqueret, nec matrem nouerat, quam desereret. Quid ergo, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit, seu, vt legit ex Græco Tertullianus, Et adglutinabit se vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Seu, vt ex eodem libro. Et adglutinabitur mulieri suæ. Nimirum Christus, aut quiuis alius coniugio copulatus. Tertium, triplicem, vt Aquinas notat, coniunctionem viri ad mulierem designari. Prima est per affectum dilectionis, quia est tantus affectus vtriusque, vt patres relinquant, amor enim naturalis inest eis versus inferiora. Secunda coniunctio, est per côuersationem. Tertia, per carnalem coniunctionem. Prima, est communicationis, altera, adhæsionis, tertia, vnionis. Et hæc principalis ratio est, quia virilis est coniunctio, ex quâ & apperitur adhæsio, & communicatio diffunditur. Amicitia enim, vt ille resoluit, vnionem quandam importat, amor quippe virtus est vnitiua: vni cuique autem ad seipsum est vnitas, quæ est potior vnione ad alium. Vnde sicut vnitas est principium vnionis, ita amor quo quis diligit seipsum, est forma & radix amicitiæ. In hoc enim amicitiam habemus ad alios, quòd ad eos nos habemus sicut ad nos ipsos. Dicitur enim quòd amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex his quæ sunt ad seipsum, Eandem vbique rationem premit Apostolus, côcluditque, [Et erunt duo in carne vna.] Seu, vt ex Græco. In carnem vnam. Ad hoc enim collimant primus & secundus homo, vt dualitatem computent, & reuocent vnitatem; dum enim in vnam conueniunt carnem, vnicum constituunt hominem, aut ex duobus mediatis non iam vnum & alterum, sed ipsummet integrant.

Matth. cap. 19.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 5.

Tertullian. lib. de an. cap. 11. & 21.

Aquin. lect. 10.

Aquin. 22. q. 25. art. 4. in med. corp.

Quæ sunt ad alterum ex his veniunt quæ sunt ad seipsum.

Sed iam ad rem principalem. [Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ] Iam auctor sententiæ Apostolus & gratiæ. Quod enim mulier sit de costâ viri, hoc sensit Adam, & dixit: quòd ideò vir relinquat patrem & matrem, & vxori in vnam carnem adhæreat, scripsit Deus in literis inspiratis. Sed iam mysterium aperit Apostolus, ostenditque coniunctionis seu significationis terminum. [Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesiâ.] Seu, vt ex Græcis, In Christum, & in Ecclesiam. Dominus noster Iesus Christus, ipse est rector & sponsus & redemptor Ecclesiæ, caput nostrum. (Loquor ex Augustino) Et vtique si caput est, habet corpus. Corpus autem eius sancta Ecclesia, quæ etiam coniux eius: cui dicit Apostolus, Vos

Augustin. Enarrat. in Psalm. 138. post. init.

A autem estis corpus Christi & membra. Totus itaque Christus caput & corpus, tanquam integer vir, quia & fœmina de viro facta est, & ad virum pertinet: & dictum est de primo coniugio, Erunt duo in carne vnâ. Hoc autem ad mysterium interpretatur Apostolus non frustrà esse dictum de illis duobus hominibus, nisi quia in eis iam figurabatur Christus & Ecclesia? nam hoc sic exponit Apostolus, Erunt duo, inquit, in carne vnâ. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ. Dicit enim ipsum Adam formam futuri, Qui est, inquit, forma futuri. In passione morientis, & in cruce percussi

B Domini de lanceâ manauerunt sacramenta, quibus formaretur Ecclesia. Nam de futurâ eadem passione suâ sic dicit in Psalmo, Ego dormiui, & somnum cepi. Ergo dormitio intelligitur passio. Eua de latere dormientis, Ecclesia de latere patientis. Inde Dominus noster Iesus Christus loquitur aliquando in prophetis ex voce suâ, aliquando ex voce nostrâ, quia vnum se facit nobiscum, sicut dictum est, Erunt duo in carne vnâ. Vnde dicit & ipse Dominus in Euangelio: Igitur iam non sunt duo, sed vna caro. Vna caro quia de nostrâ mortalitate carnem suscepit. Non autem vna diuinitas, quia ille creator, nos crea-

C tura. Ita literam accipit paulus exponitque, dum historiam traducit in allegoriam. Pulchrè dixit, Magnum est mysterium. Perinde ac si diceret, vt exponit ipse Chrysostomus) Est allegoria. Ceterùm allegoria non euertit dilectionem.

Ex latere dormientis.

Eua de latere dormientis, Ecclesia de latere morientis.

Porrò si res misterij est, cum Christus vnitur Ecclesiæ, quidni & cum Deus vnitur animæ? [Illa namque diuinitas, vt loquitur Augustinus, patri æqualis, facta est particeps nostræ mortalitatis, non de suo, sed de nostro: vt & nos efficeremur participes diuinitatis eius, non de nostro, sed de ipsius.] Fit autem illa participatio diuinitatis, primò, per attactum, seu supremam contemplationem, quâ in Deum assurgitur: secundò, per

D complexum, seu arcanam vnionem, quâ amans ab amato constringitur: tertiò per illapsum, seu internam habitationem, quâ amans in amatum diffunditur. In primo, anima osculo excipitur; in secundo, introducitur in penetralia; in tertio, diuina, non communi modo, sed dono patitur maritali. Ipse, ait Chrysostomus, dimisso patre descendit, & venit ad sponsam, & factus est in spiritum vnum. Hoc matrimonium est conuenienter Christo, seu secundùm Christum: matrimonium spirituale & generatio Spiritûs.] Sed & ipsum connubium humanitatis, non tam coniugium carnis est, quàm Sacramentum charitatis, & vnitatis complementum. Etenim, ait

E Tertullianus, Christus amauit & carnem sicut Ecclesiam. Nemo non diliget imaginem quoque sponsæ, immò & seruabit illam, & honorabit, & coronabit. Habet similitudo cum veritate honoris consortium. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carnem vnam. Sacramentum hoc magnum est. Sed, ego autem dico in Christum & Ecclesiam. Habet interpretationem, non separationem Sacramenti. Ostendit figuram Sacramenti ab eo præministratam, cuius erat vtique Sacramentum. Quid non sanctum quid non sacrum, in quo & carnalia commercia, diuinæ coniunctionis, seu arcanæ communicationis sacramenta sunt, seu signa mystica: Sicut enim duo in carne vnâ, sic & duo

Augustin. Enarrat. in Psalm. 138. in fin.

Chrysost. orat. 26.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 18.

Sacramentum dilectionis à Deo incarnato consummatum.

duo in vno spiritu; sicut enim qui adhæret vxori, vna est caro, sic & qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Ille ad nos descendit, gloriâ seposita, quasi patrem dissimulans, & matrem abdicans: descendit ad carnem, vt caro ascenderet ad diuinitatem; vna caro nobiscum, vt caro vnus esset cum illo spiritus: ita dum seipsum exhausit, compleuit mysterium. Si quid enim adhuc humanæ infirmitati detrahit ex vitio generationis, diuinæ cedit virtuti ex dono regenerationis, tandemque ruit & euanescit ex resurrectionis priuilegio. Non erit, ait Augustinus, omninò aliquid vel in carnali semine vitiosum, cum eadem regeneratione quæ nunc fit per sacrum lauacrum, vsque in finem cuncta mala hominis purgante ac sanante; eadem caro per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic enim accipendum est, quod ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut ali-

Augustin. lib. de nupt. & con. cap. 33. & 34.

A quid eiusmodi. Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humanâ ignorantiâ vel infirmitate contrahuntur, quid enim prodesset, vel ante baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet. Regni enim cælorum felicitas, vbi non habebit Ecclesia maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, vbi nihil reprehensionis, nihil simulatio-B nis erit, vbi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit vlla peccati, quorum erit nisi baptizatorum? Ac per hoc non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala, Christiani lauacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Christus, vt exhibeat eam sibi, non in isto seculo, sed in futuro non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Quod igitur per primam inchoatur regenerationem, per vltimam consummatur. Non enim simpliciter puram dicit, sed gloriosam. Vt nec macula sit impuritatis inditæ nec ruga vetustatis inolitæ.

Baptismus remittit radicaliter peccata posteriora, quia sine illo pœnitentia non valet ad ea remittenda, sic notant Louanienses In hunc locum.

Athanas. in Paulum.

CAPVT SEXTVM.

Epigraphe.

Familiam imbuit Christianam præceptis salutaribus panopliam armis instruit spiritualibus. Sint igitur & huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De Familiâ.

TEXTVS.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplinâ & correptione Domini. Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud Deum.

EXEGESIS LITERALIS.

Filios ac parentes, seruos dominósque instituit, ostenditque reciproca esse superiorum, & inferiorum, seu iubentium & obedientium officia.

C Filij, obedite parētibus vestris in Domino: hoc enim iustum est &c. de maritis & vxoribus dixit, nunc de filiis & parentibus, de seruis & dominis. Domus enim, vt notauit Aquinas, tres habet connexiones, sine quibus non est perfecta: scilicet viri & mulieris, patris & filij, domini & serui: ideo hæc tria specialiter prosequens instruit Apostolus:

Apostolus: primò, mulierem & virum: secundò, A patrem & filium: tertiò, seruos & dominos.) Itaque, filij debent obedire suis parentibus, sed in Domino: quid enim iustius, quàm vt Deo summam exhibeamus reuerentiam: tum & obedientiam iis reddamus, à quibus, ordinante Deo & operante, vitam accepimus: Quid ergo, in Domino? In quantum patitur æquitas, aut pietas non læditur. Sicut enim infirmus obedire non debet medico in iis quæ sanitatem euertunt, ita nec filius patri, nec seruus domino, in iis quæ concutiunt pietatem. [Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.] An ego hoc præcipio? an non & hoc lex præcipit: dum ait, Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum, cui vita sit promissa: ita enim fit, vt quis feliciter & diu viuat super terram, id est, mercedem congruam recipiat. [Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplinâ & correptione Domini &c.] Sicut reuerentiam debent filij parentibus exhibere, sic & parentes filiis præbere debent beneuolentiam. Itaque non debent intempestiuâ grauitate, vel austeritate nimiâ filios suos vlcerare, eorum animos exacerbare; si quid verò peccent, paternam debent adhibere correptionem, non immitem, sed moderatam, & Euangelicæ doctrinæ competentem. [Vt lex, ait Ambros. possit, seruari, quâ cautum est, vt filij honorificent parentes: parentibus quoque alia lex ab Apostolo datur, vt sic imbuant filios, ne mandata legis contemnant: quia, si in timore Domini fuerint enutriti, poterunt obseruare quæ præcepta sunt. Meminisse debent patres, quia & ipsi fuerunt filij & noluerunt exacerbari à patribus. Filij quoque cognoscere debent quod futuri sunt patres & nollent inhonorari ab eis. Idcircò vtrique exhibeant inuicem quod exquirunt ab D inuicem. Idcirco & temperantiam parentum exemplo debent filij addiscere, vt quæ vtilia sunt, sectentur.]

Iustum, vt qui vitam accepit, reddat reuerentiam.

Ambros. in Paulum.

[Serui, obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo &c.] Et vos serui, iis obedite, quibus corporalia debetis beneficia. Seruite cum magnâ solicitudine, & Christianâ sedulitate: non carnaliter dominos vestros in ministeriis spectantes, sed simpliciter Christum ipsum contemplantes in dominis. Ita seruus Christianus, [Afferat dilectionem, (ita ex Chrysostomo) quæ ex æquilibrio respondeat obedientiæ.] Si enim propter Deum seruiant, ministerium suum, & fidelitatis titulo, & merito cumulant charitatis. [Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo &c.] Non ad intuitum exhibentes ministerium, quasi humanum quærentes applausum, sed vt seruos decet Christianos, voluntatem domini, tanquam Dei legem, liberè & ingenuè exequentes. [Cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber &c.] Tam libenter seruite quàm & fideliter; beneuolè, non coactè; quasi Christo seruiatis, non hominibus, quasi hominum mandata non vt humana excipiatis, sed velut diuina: scitote enim, quod quicumque bonum opus impleuerit, siue seruus sit, siue dominus, mercedem recipiet à Christo omnium Domino, à quo nullus salutem non sustinet. [Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud Deum.] Vos etiam, ô domini, humanè vos & benignè erga seruos vestros gerite, & si quid delinquant vel offendant, comminatas eis pœnas remittite: mementote enim, quod & vos B dominum habetis, ad cuius pendetis imperium. Ille non conditiones attendit, sed actiones; nec officia appendit, sed merita. Communis omnium Dominus est, qui reddet vnicuique secundùm opera eius, nec seruis parcet nec dominis. [Aduerte, inquit Athanas. quemadmodũ Ephesios his dictis absterreat. Nequaquam, inquit, existimes, si acerbiorem te in seruum præstiteris, serui ob vtilitatem, haudquaquam haud secùs Deus inquisiturum. Cauendum ne illud per vos audiatur, Serue nequam, omne debitum dimisi tibi: nonne oportuit & te misereri conserui tui?] C

Chrysost. orat. 10.

Remittere minas, est pœnas comminatas dimittere.

Athanas. in Paulum.



INSTITVTIONES Christianæ.

PRIMVS in familiâ principatus, virilis est. [Mulier, vt dixit Chrysostomus, est secundus principatus.] Cæteri in illâ republicâ ad obediendum vel seruiendum nati. Sed cum non minùs intersit benè regere, quàm benè ministrare, non minùs etiam de parentibus quàm de filiis, nec de dominis minùs quàm de seruis indiscriminatim agit Apostolus. Sit ergo.

Chrysost. orat. 10.

INSTITVTIO PRIMA.

De filiis.

NOnnullus aderit inquisitioni locus, sed totus proderit institutioni. [Filij obedite parentibus vestris in Domino. hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.] Dixi filios non tam ad seruiendum, E quàm ad obediendum natos: quia obedientia illa reuerentialis est, seu filialis reuerentia. [Quomodo, ait Chrysostomus, quispiam corpus fingens, primùm quidem ponit caput, deinde collum, deinde pedes: ita beatus Paulus procedit in suâ oratione. Dixit de viro. Dixit de muliere, qui est secundus principatus. Deinde pergit ad tertium. Is autem est filiorum. Nam vxori quidem imperat maritus. Filiis autem & vir & mulier. Vide ergo quid dicat. Filij obedite parentibus vestris.] Quibus? Patri & matri. Id autem astruit triplici argumento.

Chrysost. orat. 11.

Aquin. lect. 1.

Quicquid habemus nostris debemus parentibus.

Chrysost. orat. 21.

Ecclef. c. 7.

Gregorius Nazian. orat. 3. aduers. Iul. vlt. med.

Aug. lib. 83. quæst. 81.

Bonus fidenter vult esse beatus, malus impudenter.

Primum ducitur ab honesto. [Hoc enim iustum est.] Quomodo iustum ? Honora patrem tuum, & matrem tuam. [Legem profert vt honestatem commendet, probet æquitatem.] Quod sit iustum, ait Aquinas, patet ac probatur: quia lex diuina nihil mandat nisi iustum. Sed hoc mandat lex diuina. Exod. 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et hoc intelligitur tripliciter, quod filij debent parentes honorare, quia debent eis reuerentiam, sicut maioribus; obedientiam, sicut instructoribus; alimoniam, sicut nutrientibus.] Honor testimonium excellentiæ est. Triplex autem excellentia est in parentibus respectu filiorum: prima, est superioritatis, cui debetur reuerentia; secunda, est auctoritatis, cui debetur obedientia; tertia, est charitatis, cui cura redditur, cum seni & indigenti impenditur alimonia. Sed tria illa testimonia, vnico nixa sunt fundamento: nimirum quòd parentes sint nostri, seu auctores nostri; quod nimirum nos in lucem ediderint, quòd nobis natiuitatem, seu humanam naturam, & de propriâ dederint substantiâ. [Vide, inquit Chrysostomus, quemadmodum b[...]sim admirabilem Apostolus posuerit viæ virtutis, nempe in parentibus honorem & reuerentiam. Cum abduxisset à malis actionibus, & bona esset ingressurus, hoc primum posuit, honorem in parentes, quoniam & ante omnia ipsi post Deum fuerunt auctores vitæ. Quare meritò primi bonorum nostrorum fructum perceperint, & tunc alij omnes homines.] Ita Sapiens: [Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: retribue illis, quomodo & illi tibi.] Deus illos voluit esse vitæ nostræ auctores, quatenus nostros progenitores esse constituit; ideo illis debemus quicquid habemus, sumus, & possumus, quia quicquid sumus & possumus, ab illis habemus: imo nunquam quod debemus exsoluimus, quia nusquam reddere possumus, etsi semper reddere volumus. Itaque, vt dicam ex Gregorio Nazianzeno. [Secundò illis honor & reuerentia erga parentes ipsis proponatur: illudque, primam ortûs causam statim post primam colendam ac venerandam esse. Hoc & ratio doceat, & theologia persuadeat.] Hæc enim quasi secunda religio est, nec æquitatis tantùm titulos sed & pietatis suffragio commendata.

Secundum, trahitur à delectabili, [Vt benè sit tibi.] Id est, vt tam felicem ducas vitam quàm delectabilem, vt gratam & acceptam mercedem recipias. Multi, inquit Augustinus, murmurantes sub disciplinâ Dei, quæstionem mouent, cum vident iustos sæpè graues molestias secundùm hanc vitam pati: quasi propterea nihil eis prosit quòd Deo seruiunt, quia vel communes labores, atque indifferenter corporum atque damnorum & contumeliarum cæterorumque omnium, quæ mala mortales putant, vel etiam cæteris ampliores patiuntur propter verbum Dei atque iustitiam, quæ onerosa peccantibus in eius prædicatores tumultuosas seditiones aut insidias aut odia concitat. Quibus respondetur, quia si vita ista sola esset hominum, aut nihil prodesse, aut etiam nocere iustam vitam non vsquequaque absurdè videretur. Quanquam non defuerint, qui iustitiæ suauitatem, & internum eius gaudium cum corporalibus omnibus labo- A ribus ac molestiis, quas genus humanum pro conditione suæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam quæ propter ipsam iustitiam in eos qui iustè viuunt, iniuriosissimè cogitantur, ita compensarent, vt sequestratâ spe futuræ vitæ iucundiùs & lætiùs præ amore veritatis torquerentur, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur. [Omnes quidem feliciter viuere volunt ac delectabiliter, sed plurimi fiunt mali, ne sint miseri; cum beati esse non possint, nisi boni sint ac iusti. Adspirant ad metam, sed viam ignorant; imò dum admittunt malitiam, incurrunt miseriam. [Quid erratis filij hominum ? (verba sunt Augustini) Qui estis Filij Dei, quid mendacium quæritis ? Beati esse vultis. Scio. Da mihi hominem latronem, sceleratum, fornicatorem, maleficum sacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis seu facinoribus obrutum, qui non velit beatè viuere: sed vnde homo beatè viuat, hoc non vultis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum futurum, sed aurum te non facit beatum. Quare quæris mendacium ? Volentes beati esse, eas res quæritis, vnde miseri sitis. Fallit vos quod quæritis: mendacium est, quod quæritis.] Si cupis beatè viuere, debes iustè viuere: si vis vt tibi benè sit, debes benè agere.] Hæc est possessio, ait ille, quam omnes quærunt. Nemo est, qui non quærat. Malus sit, bonus sit, ipsam quærit. Sed bonus fidenter, malus impudenter. Quid quæris bonum male ? Nonne tibi respondet ipsa postulatio tua, quàm sis improbus, cum quæris bonum malus ? Nonne rem quæris alienam ? Si ergo summum bonum quæris, bonus esto: si vis venire ad vitam, serua mandata.

Aug. serm. 141. de tēp. cap. 4.

Aug. serm 112. de diuers. cap. 8.

Tertium, sumitur ab vtili. [Et sis longæuus super terram.] Vitam omnes cupiunt, tamque diuturnam imò & æternam esse quàm beatam: quia nec vita est, si non est beata, nec verè beata, si nec verè æterna. Si cui dicatur, ait Augustinus, vis viuere ? Nunquid sic audit, quomodo diceretur, vis militare ? In illâ enim interrogatione, quod est, vis militare: aliqui mihi dicerent, volo: & fortè plures, nolo. Si autem dicam, vis viuere ? Puto nemo est qui dicat, nolo. Omnes enim naturâ habent insitum viuere velle, mori nolle. Ideo si dicam, vis sanus esse ? Puto nemo est qui dicat nolo: nemo enim vult dolere. Sanitas etiam in diuite pretiosa: certè in paupere est sola. Sed quid prodest opulentia diuiti, si sanitas non sit ibi, quæ patrimonium est pauperi. [Omnes cupiunt esse sani, quia volunt omnes esse beati.] Sic enim, ait ille, est in animo beatitudo, vt in corpore sanitas. [Inde sanum optamus amicum, quia beatum.] Hoc quippe nemo est qui non velit, (ita Augustinus) atque ita velit, vt præ cæteris velit: immò quicumque cætera vult, propter hoc vnum velit. Diuersis cupiditatibus homines rapiuntur, & alius cupit, hoc, & alius illud. Diuersa genera sunt viuendi in genere humano. Et in multitudine generum viuendi alius aliud eligit & capessit: nemo est tamen quocunque genere vitæ electo, qui non beatam vitam cupiat. Alius dicit Beati qui militant. Negat alius, & dicit, Beati, sed qui agrum colunt.

Aug. eodem serm. c. 4.

Aug. lib. 83. quæst. 82.

Aug. serm. 112. de diuers. cap. 23. & 7.

Et

Et hoc negat alius, & dicit, Beati qui in foro populari clatitate versantur, causasque defendunt, vitam mortemque hominum linguâ moderantur. Et hoc alius negat, & dicit, Beati qui nauigant multas regiones, discunt multa, & colligunt lucra. Videtis in omni istâ multitudine generum viuendi non placere vnum omnibus: & tamen beata vita placet omnibus. Sed quod ad rem præsentem attinet. Non ille qui interrogauit Dominum, dixit, Quid faciam, vt vitam consequar beatam, sed tantùm dixit, Vitam æternam? Quæ enim esset in doloribus & cruciatibus, vitam non esse sciebat: mortem potius appellandam esse nouerat. Ideò vitam æternam quærebat, vt vbi vita auditur, de beatitudine non dubitetur. Et Dominus ad illum non dixit, Si vis venire ad vitam beatam, serua mandata, sed etiam ipse solam vitam nominauit, & ait: Si vis venire ad vitam, serua mandata. Ergo illa vita in tormentis non est vita: & illa vita sola est, quæ beata: nec beata esse potest, nisi fuerit æterna.] Vbi autem æterna esse non potest, saltem diuturna sit ac longæua. Vis ergo vt benè sit tibi, id est, sit vita felix ac beata: sed qualis illa quæ momentanea? Idcircò non solùm proponitur felicitas, sed & diuturnitas promittitur.

Non est vita quæ inquieta, nec beata quæ non æterna.

Sed iam ad primum, quærendum est, an lex Mosaica Christianos obstringat, vt inde Paulus iustam debitámve inferat obedientiam? Aliud lex ceremonialis, aliud lex naturalis: illa enim in ritibus Iudaicis, ista in humanis moribus: & ideo illa propriè Mosaica est, solasque obstringit Iudæos: ista innata, & omnes obstringit homines: est enim fundamentum legalis iustitiæ, sicut & alia, ceremonialis additamentum est obseruantiæ. [Lex quippe vetus, vt docet Aquinas, distinguitur à lege naturæ, non tanquam ab eâ omninò aliena, sed tanquam ei aliquid superaddens.] Ad secundum, quærendum quod nam illud bonum in vitâ miserâ, maximè cum Christianus hanc vitam toleret potius quàm amet, & ad futurum anhelet? [Nihil hîc Apostolus loquitur de Christo, (verba sunt Chrysostomi) nihil de excelsis: adhuc enim loquitur cum teneris mentibus: propterea nec aliquid dicit de regno. Non est enim illius ætatis hæc audire, sed quæ maximè cupit audire puerilis animus, ea dixit; nempe quod erit longæuus. Hoc enim est primum præceptum in promissionibus. Non ipsum dixit primum in ordine, sed in promissione. Filij, obedite parentibus in Domino, hoc est, congruenter Domino. Deus enim, inquit sic iussit. Cæterùm, sic quoque adhibuit cautionem, dicens, In Domino: hoc est, in iis in quibus Deum non offendas. [Pueris loquitur, vitæ vix adhuc degustatæ auidis. Pollicebitur. Sed ne excedant spe præmij, diffluántque, continet cohibetque repræsentatione imperij. Lex illa diuina est, non humana, ideoque sic indulget patri, vt supremum legislatori seruet obsequium. Ad tertium, quærendum est, quomodo promissio mandati impleatur in iustis, quorum nonnunquam vita breuis, licet fidelis videatur obedientia. [In veteri testamento, ait Aquinas, promittebantur promissiones temporales, quia populus ille paruulus erat, & ideò gratiosè sub pædagogo instruendus. Sed in illis paruis munusculis populum illum patuum decentibus, figurabantur magna bona, scilicet spiritualia. Hæc namque bona temporalia, non sunt bona absolutè, nisi in quantum ordinata ad spiritualia: & ideò longitudo vitæ in tantum est bona, in quantum ad seruitia Dei est ordinata.] Promissio illa Iudaica est. [Vt benè sit tibi in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Qui sunt adhuc carnales, his alliciuntur promissis: qui autem spirituales sunt, his pascuntur tanquam cælestium ac æternorum figuris. [Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. In opere & sermone, & omni patientiâ honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo maneat.] Iustus igitur, verúsve Christianus obedit & seruit patri ac matri, à quibus vitam accepit, alimoniam, disciplinam: verum non ideò facit, vt diutiùs viuat in terrâ morientium, sed vt placeat Deo, vt meliorem recipiat mercedem, vt in æternum in terrâ permaneat viuentium.

Aquin. 1. 2. q. 99. art. 2. ad 1.

Chrysost. orat. 21.

Reuerentia filiorum promissionibus compensata.

Aquin. lect. 1.

Deuter. c. 5.

Eccles. c. 3.

INSTITVTIO SECVNDA.

De parentibus:

Officia omnia reciproca sunt, & mutuis vinculis colligata, [Scitum illud est oratoris Domitij, ait Hieronymus, Cur ego te, inquit, habeam vt principem, cum tu me non habeas vt senatorem?] Crassi sit, an Domitij, nihil mea refert, cùm eadem sub diuersis nominibus perstet sententia. [Consequenter, ait Aquinas, instructis filiis, instruuntur parentes.] Cur enim illi pro parentibus habeantur à filiis, si à parentibus non habeantur pro filiis? [Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplinâ & correptione Domini.] Quid, Et vos patres? Similia facite, & si non eadem aut paria, saltem debita officia impendite. Patres estis, superiores, principes, sed tam benigni sitis quàm & iusti. In istis autem Pauli verbis, elucet probitas institutionis, æquitas, pietas, sed paucis indiget.

Quoad primum. Proba lex quæ reparat defectum, excessum temperat. Vix deficiunt parentes in dilectione, sed excedunt facillimè. Inebriantur patres amore filiorum, ne dicam & incantantur spe futurorum. [Philtro nam natura patres cum prole ligauit.] Vti cecinit Gregorius Nazianzenus in carmine Nicobuli patris ad filium. Peccant etiam in his boni, dum sic amant, vt etiam scelera tolerent filiorum, infanda dissimulent. Ita Dauid, [Noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum.] Mali, non solùm peccant, sed & filios suos inter idola computant

Hieronym. epist. 2. vlt. med.

Aquin. lect. 4.

Grego in carm.

2. Reg. c. 13.

Augustin. Enarrat. in Psal. 50. in fine.

computant domestica. [Restat paucis alloqui vos, (verba sunt Augustini) propter multa mala inter quæ viuimus. Neque enim viuentes in rebus humanis, migrare possumus à rebus humanis. Cum tolerantiâ viuendum est nobis inter malos, quia cum mali essemus, cum tolerantiâ vixerunt boni inter nos. Non obliuiscentes quid fuerimus, non desperabimus de his qui nunc sunt quod fuimus. Verumtamen in tantâ malorum diuersitate, & tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Ad vos pertinet in domibus vestris agere, vt bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi. Peruersa & falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valdè perniciosè sentiet filius patris lenitatem, vt iustè postea Dei sentiat seueritatem. Et hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim? Si ipse non peccat, & non facit quod filius eius, ideo nō debet ab ipsâ nequitiâ filium prohibere? An fortè vt videatur filio eius, quia & pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te, sed ætas deseruit, non cupiditas. [Quomodo igitur Paulus patres instituet? An præcipiet vt filios suos ament? At fræno potius egent, quam stimulo.

Patres in filiis diligendis fræno indigent non stimulo.

[Non dixit, Eos diligite. Hoc enim eis vel inuitis natura attrahit: & superfluum esset de eis legem ferre. Sed quid dixit? Nolite prouocare ad iram filios vestros: vt multi faciunt eos exhæredantes & abdicantes: & eos grauantes & prementes, non tanquam liberos, sed tanquam mancipia.] Non tam animum facit, quàm reprimit odium: nec iubet diligi, sed lædi prohibet.

Chrysost. orat. 21.

Quoad secundum. Hoc habent patres, vt obseruat Gregorius Nazianzenus in carmine de laude virginitatis, quòd cum patres tantùm sint carnis, ferè etiam sola diligant corpora & excolant, animas autem negligant, aut si fortè curent, ad pompam huius seculi potius quàm ad Dei gloriam referant, id est, non tam cogitent disciplinam, quàm fortunam ædificent.] Nolite, ait Paulus, prouocare ad iram filios vestros. Deinde, inquit Chrysostomus, quod est caput & summa omnium, ostendit quemadmodum sint obedituri, totâ causâ deductâ ad caput & initium, dicens, Sed educate illos in disciplinâ & admonitione Domini. Vis filium esse obedientem? ab initio eum educa in disciplinâ Domini. Vides quòd si sint spiritualia, sequentur etiam carnalia? Nec existimes esse superuacaneū, quod ipse diuinas literas audiat. Nam ille hoc primum audiet, Honora patrem & matrem. Fac eum Christianum, Maximè enim secularibus, necesse est discere, quæ illic sunt documenta, maximè autē pueris. Multa est enim in illâ ætate ignorantia. Ignorātiæ autem fit accessio etiā ex scriptis externorum, quando didicerint, qui illic sunt Heroës habiti in admiratione cum sint serui animi perturbationum & vitiorum. Quomodo non est absurdum ad artes quidem mittere, & ad ludum literarium, & pro eo omnia facere: in disciplinâ autem Domini & Dei admonitione eos non educare? Ne ergo hoc faciamus, sed huic beato pareamus suadenti. Educemus eos in disciplinâ & admonitione Domini, facientes eos vacare lectioni scripturarum. Quousque sumus

Gregor. in carm.

Chrysost. orat. 21.

A carnes? Quousque in terram incuruamur? Omnia à nobis postponantur curæ filiorum, & eorum educationi in disciplinâ & educatione Domini. Si filius tuus ab initio didicerit esse philosophus, acquisiuit diuitias maiores quibusuis diuitiis, & potentiorem gloriam. Non arcetur literatura τῆς παιδείας, non prophibetur philosophia, sed externa disciplina, quam qui sapiunt, desipiunt. Vellet ille fideles omnes philosophos esse, id est, verè Christianos; à teneris vnguiculis incipere: erudiri, sed Christianè, conuiuari quandoque, sed Christianè: vellet omnes monachos,

Pueri ab vnguiculis sunt scripturis imbuendi.

B omnes religiosos, si in factis, non in verbis religio est; si in virtute, non in veste est professio.

Quoad tertium, νουθεσία non solùm admonitionem sonat, sed & correptionem. Vult ergo Paulus filios ad bonum institui & erudiri, sed & si malè se gesserint, obiurgari, castigari: non tamen cum sæuitiâ, sed cum modestia; vt & debita non desit seueritas, & pietas præsit paterna. Nam, vt dixit Marcianus. [Patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere.] Lex proba, quæ passionem reprimit, & dilectionem ad legitimum reducit temperamentum: æqua, quæ filio debitam procurat disciplinam, &

Mar. l. 5. ff. ad leg. Pōp. de parricid.

C Deo sua iura seruat. Pia, quæ erratum castigat, nec paternum instigat animum.] O bona mater charitas, ait Bernardus, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cum arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est. Piè solet sæuire, sine dolo mulcere: patienter nouit irasci, humiliter indignari. Læsa non prouocat, sed spreta reuocat: ostendens dè se veraciter scriptum esse: Charitas patiens est, benigna est. Licet licet, licet offensa, si conuersus ad illam fueris, obuiabit tibi quasi mater honorifica. Contemptûs oblita sui, ruet in amplexum tui; gaudens, quem perdiderat, esse inuentum; qui mortuus fuerat, viuum.] Non proscri-

Bernard. epist. 2. post init.

D bit illa censuram, sed sæuitiam abiicit; nunquam remittit zelum, intermittit nonnunquam; flagellum intentat, sed seruat modum, iniquitatem odit, sed interponit pietatem. Denique, cum ait Paulus, Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, ipsis verbis lenit animum, simul & instituendi corrigendique imponit officium.] Notandum est enim, (ex Aquinate) quòd alius est principatus patris ad filium, & domini ad seruum: quia Dominus vtitur seruo suo ad vtilitatem propriam; sed pater vtitur filio, ad vtilitatem filij. Et ideò est necesse quòd patres instruant filios propter vti-

Aquin. lect. 1.

E litatem suam, non tamen nimis attendo aut subiiciendo. Ita Col. 3. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros: vt scilicet non pusillo animo fiant: quia talis prouocatio non animat ad bonum. Quomodo ergo? Subdit: Sed educate illos in disciplinâ, eos ad bonum inducendo; & correptione, à malis retrahendo. In disciplinâ verberum, in correptione verborum: educate, vt seruiant Domino.] Sed patres plusculum indulgentes, nec tam ex iustitiâ corripientes, quàm ex iracundiâ. Filios quidem plurimùm doctos optant & eruditos, sed non tam vt seruiant Deo, quàm Deo, scientiam vendant, spernant conscientiam.

Patres non tam ex iustitiâ corripientes quàm ex iracundiâ.

INSTI

INSTITVTIO III.

De seruis.

A Filiis ad seruos: sicut enim filij amore seruiunt, sic & serui timore obediunt. [Amare, ait Hieronymus, filiorum; timere, seruorum. Si pater sum, inquit, vbi est honor meus? si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Iam igitur Paulus: Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore; in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem eius ex animo, cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.] Primò igitur proponit officium: secundò, exponit modum: postremò, promittit præmium.

Hieronym. epist. 2. vlt. med.

De primo, Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.] Tria debet seruus, obedientiam, reuerentiam, diligentiam. In ipsâ autem diligentiâ, tria spectanda sunt, sedulitas, fidelitas, simplicitas. [Sic enim seruiendum est Christo. (ait Aquinas) vnde Paulus dicit, sicut Christo.] Domini carnales illi sunt, qui ad tempus præsunt & corpus regunt. Illis ergo exhibenda est à seruis reuerentia, tanquam dominis. Serui, obedite dominis carnalibus.] Illis exhibenda reuerentia tanquam ab infimis, cum timore.] Diligentia adhibenda, vt ab addictis: [Et tremore. His enim verbis, diligentia à Paulo expressa est, & cura sollicita. Cum metu & tremore vestram salutem operamini.] Idcircò [In simplicitate cordis.] Haud segniter: sed tam fideliter quàm & simpliciter: Non solùm itaque maritus, (verba sunt Chrysostomi) neque vxor, neque filij, sed seruorum quoque virtus confert ad domum constituendam & administrandam. Propterea beatus Paulus ne hanc quidem partem neglexit. Sed postremò quidem ad eam accedit, quoniam dignitate quoque sita est postrema. Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus. Mœrore affectam statim erexit animam. Ne doleas, inquit, quòd minus habeas quàm filij. Solum est nomen seruitutis. Carnale est dominium, temporale & breue. Quidquid enim carnale est, caducum est, non diuturnum. Cum timore. Sed quid dicis, ô beate Paule? Et frater. Fruitur iisdem omnibus, & dicis, obedite dominis carnalibus cum timore? ptopterea enim, inquit, dico. Nam si iubeo liberos inuicem esse subiectos propter timorem Dei: si iubeo vxorem timere maritum, etiamsi ea par sit honore, multò magis seruum. Non est enim hoc ignobilitas, sed prima nobilitas, scire esse inferiorem, & modestè se gerere.] Timor ille curam notat, & prouocat diligentiam, sicut & amor negligentiam pungit, & acuit solertiam. Non sunt serui fideles, viles mercenarij, sed humiles amici. [Etiam, inquit Ambrosius, senioris ætatis seruuli, pueri dicuntur à dominis, vel à quibusque potioribus. Vnde & pueros dicimus, quando seruulos significamus: non ætatem exprimentes, sed conditionem.] Sic quippe & filij dicti sunt pueri, quasi & pueri censendi sint filij, & eodem gradu recensendi, si eodem affectu subsint, si liberaliter seruiant, si fideliter obediant.

Aquin. Lect. 2.

Philipp. cap. 2.

Chrysost. orat. 21.

Serui cur olim dicti sint pueri.

Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. vlt.

De secundo, [Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem eius ex animo, cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus,] Obedite, seruite, non spectantes Dominum, aut velut spectati à Domino; sed Christum ipsum considerantes, & à Deo prospecti. Modò quidem, vti dixit Augustinus, iusti aliquantũ laborãt, & modò aliquãdo iniusti dominantur iustis. Quibus modis? Aliquando iniusti perueniunt ad honores seculi. Prima autem & quotidiana potestas hominis in hominem, Domini est in seruum. Propè omnes domus habent huiusmodi potestatem. Et quid dicit Apostolus, docens seruuos Dominis suis subditos esse? Serui, obedite Dominis vestris secundùm carnem, quia est Dominus secundùm spiritum. Ille est verus Dominus & æternus, isti autem temporales secundum tempus. Tu cum ambulas in viâ, cum viuis in hac vitâ, non vult te facere superbum Christus. Contingit tibi vt Christianus efficereris, & haberes Dominum hominem: non ideo Christianus factus es, vt dedigneris seruire. Cum enim Christo iubente seruis homini, non illi seruis, sed illi qui iussit. Et ait: obedite dominis vestris secundùm carnem, cum timore & tremore, & in simplicitate cordis, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed quasi serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate. Ecce non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos. Non dicit Christus: Dimitte Dominum tuum, iam cognouisti eum qui verus est Dominus. Ille fortè impius est & iniquus, tu autem fidelis & iustus. Indignum est vt iustus & fidelis seruiat iniquo & infideli. Non hoc ei dicit: sed magis seruiat. Et vt corroboret seruum, hoc dicit. Exemplo meo serui, quia prior ego seruiui iniquis. Dominus enim tanta in passione sustinens, à quibus sustinuit, nisi Dominus à seruis? Et à quibus, nisi à malis seruis? Si Dominus cæli & terræ, per quem facta sunt omnia, seruiuit indignis, quantò magis non debet dedignari homo, ex toto animo, & ex totâ voluntate bonâ, cum totâ dilectione seruire Domino etiam malo? Sanè, vt obseruauit Chrysostomus: Fieri potest, vt seruiatur cum timore & tremore, sed non ex beneuolentiâ. Ideò Paulus dicit, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum beneuolentiâ seruientes sicut Domino & non hominibus. Ostende, inquit, te seruire tanquam Christi seruum, non tanquam hominis. Qui studet hominibus placere, non est seruus Christi. Quis enim cum sit Dei seruus, vult hominibus placere? Postquam ergo proposuit Apostolus officium serui, modum exponit seruiendi: non solùm simpliciter seu ex rectâ intentione: sed & libenter seu ex liberâ subiectione: non studentes homini placere carnali, sed sanctificare seruitutem, & implere Dei voluntatem contendentes. Distinguebant boni Dominum æternum à Domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum,

Augustin. in Expos. Psal. 124. vlt. med.

Serui verbo Christi & exemplo confortati.

Chrysost. orat. 21.

Augustin. in Expos. Psal. 124. vlt. med.

æternum, etiam Domino temporali. Ita August.

De tertio, rectè monentur seruire, non ad oculum seruire, sed cœlum prospicere. Inde enim iubentur Christum expectare venturum iudicem omnium, remuneratoremque. Scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Animum suberigit, dum prœmium ostendit seruis repositum: nam cùm filius mercedem proposuerit temporalem, seruis æternam promittit gloriam: idcircò illam præstat in hoc mundo, istam in futuro reseruat. Propter Christum, ait Chrysostomus, seruiamus dominis, scientes quòd vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Quoniam enim verisimile erat, multos dominos non remunerare seruos propter obedientiam: vide quomodo Paulus consolatus sit; vt suspectam non habeant remunerationem, sed valdè confidant de compensatione. Quomodo enim qui beneficiò afficiuntur, quando non referunt gratiam benefactoribus, eis Deum faciunt debitorem: ita etiam Domini, si à te beneficio affecti tibi gratiam non referant, magis referunt, tibi debitorem Deum constituentes. Scio ex Ambrosio, nonnullam inter mercenarium, seruum, & amicum differentiam. Distinguet Seneca inter ministerium, officium, & beneficium: sed nullus, quod scio, dissentiet, si dixerimus, seruum posse esse beneficum, & ingratum Dominum: nullus contradicet, si adiecerimus, in vnum omnia conuenire posse, nec officia tam ex facto pendere, quàm ex animo, ideoque diuino remittenda iudicio. Nullam sanè à principio, vt loquitur, Athanas. seruitutem instituit Deus, sed habendi cupiditas hanc adinuenit; vt captiuos abducerent hi qui bello vicissent. Tametsi autem sint hæc à Deo permissa hic tamen obedientiam hanc ipsam instituit, vt rerum series seruaretur. Diabolus quidem cupiditatem inuexit, sed Deus ordinem inter cupidos constituit: voluitque seruos obedire dominis, dictis parére. Non est spectanda cupiditas humana, sed voluntas diuina, quæ si nobiles & ignobiles, dominos & seruos sint esse in hoc seculo, non tamen discernit in iudicio. Bonum opus facit, qui benè seruit, stet in gradu suo, imò sine vllo gradu: non enim secundùm conditionem, sed secundùm actionem recipiet.

Chrysost. orat. 21.

Beneficia non tam ex facto pensanda quàm ex animo.

Athanas. in Paulum.

INSTITVTIO IV.

De Dominis.

TAndem procedunt Domini, tanquam vltimi, etsi incedunt primi. Et vos Domini, eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud Deum.] Quid est, eadem facite illis? Eadem scilicet, vt exponit Aquinas, identitate proportionis: vt sicut illi ex animo & bona voluntate, ita & vos faciatis. Triplex autem est dominorum genus: alij domestici, alij politici, alij Ecclesiastici.

Aquin. lect. 2.

De domesticis, nihil frequentius apud illos, quàm intentare minas, iniurias iactare in seruos, pœnas promittere, infligere. Infidelibus seruis, ait Seneca, mouere labra, ne in hoc quidem vt loquantur, licet. Virgâ murmur omne compescitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo vllâ voce interpolatum silentium luitur. Nec virgis solùm, sed & neruis, pistrinis, patibulis. Sed istum prætereo, quanquam nec in isto spernendum negotio. Sed institutiones nostræ Christianæ sunt, non Stoicæ, idcircò non ratione philosophicam, sed ad Euangelicam fidem componendæ. Non igitur dico, seruos, homines esse, & nostros contubernales; sed fideles, Christianos, fratres nostros, ac conseruos; ideoque non superbo premendos fastu, sed affectu pio complectendos. Non enim, vt dixit Augustinus, Christianum oportet sic possidere seruum, quomodo equum aut argentum: quanquam fieri possit, vt maiore pretio valeat equus quàm seruus, & multo magis aliquod aureum vel argenteum. Sed ille seruus, si rectiùs & honestiùs, & ad Deum colendum accommodatius abs te Domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest, qui eum cupit auferre: nescio vtrum quisquam dicere audebit, vt vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam semetipsum diligere debet, cui ab omnium Domino, etiam vt inimicum diligat imperatur. Si inimicum, quanto magis amicum, quanto magis domesticum, quanto magis Christi fratrem; ciuem cœli, fidei hæredem, Dei filium? Non nimirum, ait ille, si serui sumus, & ille Dominus est: sed mirum si ancilla sumus, & ille Domina est. Sed neque hoc mirum. Vtrumque enim audisti, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Cum audis Christum, leua oculos tuos in manus Domini tui: cum audis Dei virtutem & Dei sapientiam, leua oculos tuos in manus Dominæ tuæ, quia & seruus & ancilla es: seruus, quia populus es: ancilla, quia Ecclesia es. Vnum populum facimus Christianum, vnam constituimus Ecclesiam omnes sumus fratres: idcircò Domini Christiani, non tam seruos habent quàm conseruos, debentque non solùm pœnas remittere concito impetu comminatas, sed ipsas etiam, compresso fastu minas auertere.

Sen. epist. 47.

August. lib. 1. de serm. Dom. in mont. c. 19.

Serui nec cum auro vel argento conferendi.

Augustin. Enarrat. in Psal. 22. cit. med.

De politicis, nihil æquius, quam vt ij qui publicam perturbant pacem tranquillitatemque, culpam priuato exsoluant supplicio; vel in ære soluant, vel in cute: vtrique tamen parcant, & si iura publica sarta custodiant tectaque, sua condonent, nec contrectent aliena. Iure ciuili, ait Seneca, omnia regis sunt: & tamen illa quorum ad regem pertinet vniuersa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & vnaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare regi & domum, & mancipium, & pecuniam possumus: nec donare illi de suo dicimur. Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulas proprietas. Nihil indignius, quàm suggestum occupare principis, animum portare latronis, dignitatem mentiri, potestatemque non iustitiâ metiri, sed audaciâ. Verùm & si quid minis permittendum est aut pœnis, aliquid semper remittendum est sicque seruetur iustitia, vt non violetur misericordia. Nunquid, ait Augustinus, tantum meritum habere possumus in Ecclesiâ quamuis

Seneca lib. 7. de benef. cap. 4.

Augustin. Enarrat. in Psal. 122. circa med.

quamuis iam filij facti ex seruis, quantum habuit ipse Apostolus Paulus? Et tamen quid dicit in Epistola? Paulus seruus Iesu Christi. Si se ille adhuc dicit seruum, per quem nobis Euangelium prædicatum est: quanto magis nos debemus agnoscere conditionem nostram; vt maior sit in nobis gratia ipsius? Sanguis ille pro seruis pretium est, pro sponsâ pignus est. Ipsa enim ancilla magnam dignitatem inuenit apud Deum. Vxor facta est. Sed donec veniat ad amplexus spiritales, accepit arrham magnã, sanguinem sponsi, cui securo suspirat. Sed nos qui filij sumus, filius sumus: quia sic multi sumus, vt in illo vnus simus: agnoscentes nihilominus conditionem nostram, & iam filij per gratiam ipsius, serui tamen propter creaturam, quia vniuersa creatura Deo seruit, dicamus: Sicut oculi seruorum in manus dominorũ suorum, & sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrũ, quoad vsque misereatur nostri. Quasi enim quæreres, vt quid? Quoadusque, inquit, misereatur nostri. Quales ergo vult seruos intelligi, nisi qui iubentur credi? Fac enim aliquem Dominum iussisse seruum suum cædi. Vapulat seruus, sentit plagarum dolores: attendit ad manus Domini sui, quoadusque dicat, parce. Manum enim ipsam, dicit. [potestatem habes, tenes auctoritatẽ, parce, aut parcè vtere: dimitte pœnas, aut certè remitte, minas abiice. Sciant rei se inter Christianos versari, non tam à iudicibus iudicari, quàm à fratribus, facinorosos etiam, lenitatem experiri: mali benignitatem Christianam non tam in verbis quàm in factis agnoscant.

Sanguis Christi pro seruis pretium, pro sponsâ pignus est.

De Ecclesiasticis, nihil congruentius clementiâ, seu, vt dixit Paulus, modestiâ Christi, nihil decentius episcopali patientiâ. Ita cum Donatus, sic Gregorio scribere minimè dubitasset: [Gregori macula Senatûs, dedecus præfectorum, & cætera talia: Donato præfectus patientiâ episcopali rescripsit.] Ita apud optatum Mileuitanum Decus morum, munus Episcoporum est, cui clementia quasi naturalis, essentialis

Optat. Mileuit. lib. 5. cont parm. cir. med.

A patientia. Sed surgat alter Gregorius & dicat: [Aliter admonendi sunt subditi, atque aliter Prælati. Illos ne subiectio conterat, istos ne locus superior extollat. Illi ne minus quæ iubentur impleant, isti ne plus iusto iubeant quæ compleantur. Illi vt humiliter subiaceant, isti quoque vt temperanter præsint. Nam quod intelligi & figuraliter potest, illis dicitur: Filij obedite parentibus vestris in Domino. Istis verò præcipitur: Et, patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Illi discant quomodo ante occulti arbitri oculos sua interiora componant, isti quomodo etiam commissis sibi exempla benè

Gregor. part. 3. post. curæ admonit. 5.

Patientiâ episcopali à paræmalis sententia.

B viuendi exteriùs præbeant.] Iam ergo & ad Paulum. [Et vos Domini, eadem facite illis. Eadem. Quænam? Seruite cum beneuolentiâ (ita Chrysostomus) Sed non dixit, Seruite, etiamsi dicens, eadem hoc significauerit. Nam Dominus quoque seruit. Remittentes minas. Non importuni, inquit & graues: Scientes quòd vester & illorum Dominus est in cælis. Papè quantam rem obscurè significauit! Quomodo terruit! Hoc est, Quâ mensurâ metiris eadem tibi reddetur mensurâ. Ne audias, Serue nequam, omne illud debitum remisi tibi. Et personarum acceptio non est apud eum. Ne existimes, inquit, quòd quæ

Chrysost. orat. 22.

C in seruum fiunt, remittet tanquam quæ fiunt in seruum. Nam externæ quidem leges sciunt horum generum differentiam, vt quæ sint leges hominum. Lex autem Domini communis nullam nouit differentiam, vt qui communiter omnibus benefaciat, & omnes iisdem impertiat.] Lex communis omnium dominorum est, domesticorum, politicorum, Ecclesiasticorum, tanquam à communi omnium Domino imposita, & in futuro omnium requirenda iudicio. Sic omnes sint Domini, si velint, vt meminerint se esse patres, imò & fratres: se Dominos

Alius alio superior, alius alio excelsior.

D quidem, sed fideles & Christianos, Christianorum præfectos ac fidelium. Demittant supercilium, fastum deprimant: sic agant superiorem in alios, vt in seipsos superiorem agnoscant.

PARS ALTERA.

De panopliâ.

TEXTVS.

De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite;

mite; & gladium spiritûs, (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantiâ, & obsecratione pro omnibus sanctis; & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Euangelij: pro quo legatione fungor in catenâ, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychichus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo patre, & Domino Iesu Christo gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, Amen.

EXEGESIS LITERALIS.



RMATVRAM describit animæ Christianæ congruam: & Tyticho destinato, solitam epistolæ suæ, sine commendationibus quidem, sed cum apprecationibus, imponit clausulam.

De cætero fratres, confortamini in Domino, & in patientiâ virtutis eius &c.] Quod superest, fratres mei, date operam, vt per Christum Dominum, per fortitudinem eius virtutemque roboremini, & ad pugnam non solùm aliquibus domesticis, sed omnibus, Christianis paratam paremini. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli &c. Hæc est illa πανοπλία quæ quidem diuina, quia non arte mundi, sed Dei virtute imbuta: nam illa ad veternosum hostem, spiritualémue inimicum debellandum planè sunt necessaria. Textus Ambros. Induimini vos armis Dei, vt possitis stare aduesùs versutias diaboli. [Et,] Ideò accipite vniuersitatem armorum. [Tum] Arma Dei, fides est stabilis, per quam semper victus est satanas. Hæc nempe victoria est, quæ vincit illum fides nostra, dum firma consistit & intrepida. (Comment. Ambros.)

Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus &c. Non enim luctamur aduersùs homines seu pugiles carnales, sed aduersùm principatus & potestates, non aduersùs infirmos hostes fragilesque, sed aduersùm eos, quibus tanta in mundum hunc terrenum mundum caliginosúmque concessa est à Deo, humanæ culpæ merito, potentia. Apud Tertullianum. Sed aduersùs munditenentes luctatio si nobis, ô quanti iam dij creatores! Cur enim non hoc & hoc vindicem, vnum munditenentem nominari debuisse, si creatorem significabat, cuius essent quas præmisit potestates? porrò, quum suprà quidem induere nos iubeat armaturam, in quâ stemus ad machinationes diaboli; iam ostendit diaboli esse, quæ diabolo subiungit, potestates & munditenentes tenebrarum istarum, quæ & nos diabolo deputamus. Munditenentes, Græcè κοσμοκράτορες, quod simpliciùs, mundipotentes. Sunt enim Spiritus nequam in aëre vagantes, & in hoc infimo mundo tanquam in sede propriâ, suum (Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 18.) (Magna dæmonibus in mundum infimum permissa est potentia.)

A collocantes imperium. [Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare &c.] Quandoquidem tanta est hostium istorum potestas, calliditas tanta, panopliam assumite diuinam: vt possitis resistere tempore belli ac periculi, & in omnibus tentationibus firmi stabilesque ac perfecti consistere.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis &c.] Panopliam dixit, nunc verò armaturam vniuersam

B in partes suas distribuit. Incipit autem à veritate, quia nihil probandum, nisi sit verum. Idcircò vult veritatem assumi pro baltheo, seu militari cingulo, quia prima pars est armaturæ spiritualis, sicut baltheus insigne est militiæ temporalis. Vult & pro thorace iustitiam indui, vt tam in operibus iusti, quàm in sermonibus sinceri sint Christiani. Denique, vult calceari pedes, vt præparati sint ad Euangelium pacis ac reconciliationis, omnibus annuntiandum hominibus. Quoniam, ait Ambros. contra atrocissimos hostes & omni tergiuersatione callidos bellum gerimus, idcircò omni cautela & solici- (Ambros. in Paulum.)

C tudine vigilare debemus, vt quacumque tentauerint, munitos nos & præparatos inueniant. Si itaque succingemus lumbos nostros in veritate, si parati sumus errori resistere. Omnis enim qui operari vult, succingit se, vt ablato impedimento diligentiùs operetur.] Vita nostra, militia est, malis ac periculis exposita. [In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere &c.] In his autem omnibus, pro scuto fidem assumite. Secundùm Ambros. [Super hæc autem omnia assumite scutum fidei, quo poteritis omnia tela maligni ignita extinguere. Contra terrigenos enim hostes (Ignita diaboli iacula non solùm repellenda, sed & extinguenda.)

D corpus saginâ roboratur, & poculis mens incitatur, vt repugnandi sumat audaciam: aduersùs autem spiritalia nequitiæ spiritaliter repugnandũ est, & sobrietatis & abstinentiæ arma sumenda sunt, vt infusi sancto Spiritu immundos & erraticos spiritus deuincamus.] Spiritualibus spiritualia, sed spiritualibus nequitiæ spiritualia sunt opponenda iustitiæ. [Et galeam salutis assumite; & gladium spiritûs (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu &c.] Si iacula maligni ignita sunt, non solùm repellenda sunt, sed & extinguenda: sed ij soli repellunt & extinguunt, (Ambros. Ibidem.)

extinguunt, qui sunt fortes in fide, & in professione stabiles, sed spem debet habere comitem, vt ad salutem semper & cogitatione aspiret & operatione: vt autem resistat fides, & spes subsistat, non sufficit galeam salutis imponere capiti, expedit & gladium sumere de manu Spiritûs sancti: iste enim gladius, verbum Dei est, quo fulcitur fides, spes innititur. Sic tamen arma seu offensiua sumatis seu defensiua, vt vestris meritis non fidatis; sed assiduè Deum oretis interpelletisq; nec vocis duntaxat sonitu, sed & cordis affectu, & constantiam flagitetis & victoriã.

B Et in ipso vigilantes in omni instantiâ, & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Euangelij &c. Ex textu Ambrosiano. In idipsum vigilantes cum omni perseuerantiâ. Vt enim id habeatur, vt optatus obtineatur euentus, vigilandum est, orationibus instandum ac precibus. Obsecrate pro sanctis omnibus: sed & pro me, vt non solùm Deus os meum ad prædicandum aperiat, sed & animum faciat ad manifestanda fidei Euangelicæ mysteria. Pro quo legatione fungor in catenâ, vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui &c. Legatus sum quidem, sed ligatus: ideo C precibus vestris iuuandus sum vt audeam, legationemque meam, seu Euangelicam prædicationem liberè & exertè impleam. Vides, ait Athanas. vt culter diuini verbi fiduciam præferat, quem sanè Paulus erat oris apertione iam accepturus. Ideo enim ligatus vt taceret, sed legatus vt fideret ac viriliter ageret. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tytichus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino &c. Sciunt quidem Romani quid agam in catenâ, vt autem & vos sciatis, & cognoscatis quæ ad me pertinent, docebit vos Tytichus frater noster charissimus, & in iis quæ Christum attinent, & Euangelium, fidelissimus. D Quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur cordâ vestra &c. In hoc à me destinatus est ad vos, vt & rerum nostrarum statum renuntiet, & animos confortet vestros, exhortando consolandoque, ne fortè deficiatis in tribulationibus meis, aut ne minùs alienis adhortationibus deferatis. Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Iesu Christo &c. Detur scilicet, aut multiplicetur non vobis solùm, sed & aliis, maximè Asianis. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, Amen. Credite in Christum, ipsum diligite; sed purè ac sanctè. Ita faciat Deus & E in id gratiâ suam nobis impertiat. Licet, ait Aquinas, pax & charitas multum faciant ad gratiæ conseruationem; tamen quia semper supponunt ipsam gratiam, sine quâ haberi non possunt: ideo optat eis gratiam.

Athanas. in Paulum.

Christus sanctè ac purè diligendus.

Aquin. lect. 5.



DISSERTATIONES *Tropologicæ.*



SVPERFLVVM est inquirere, vbinam scripta sit Epistola, & per quem missa, cum scripta sit, In catenâ. Cum Romæ esset in vinculis. Et Tytichō commissa, ministro fidelissimo. Sic tamen commissa, vt & ipse quæ viderat & audierat loqueretur, commissoque fungeretur officio. Si enim à Paulo colebatur, ait Athanas. omnium profectò erat nihil ignarus. Si fidus, mendax esse non poterat. Est autem hìc minister in Domino: hoc est, Dei ob gratiam hoc fungitur ministerio, & diuinis in rebus, non terrenis versatur. Iam ad cætera.

Athanas. in Paulum.

DISSERTATIO I.

De armaturâ.

ARmatura illa non humana est, sed diuina; non enim carnalia sunt arma Christianorum, sed virtutum opera. De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis eius. Peritus vbique Paulus, domi forisque, in pace & bello instructissimus. Regem instituit domesticum, nunc ad bellum educit: Socios addiderat, nunc & armat aduersùs insidias diabolicas. Vniuscuiusque domus est ciuitas, ait Chrysostomus, vnusquisque est princeps & rector suæ domûs. Et id quidem est euidens in domo diuitum, vbi sunt & agri, & procuratores, & præfecti suprà præfectos. Ego autem etiam domum pauperum dico esse ciuitatem. Sunt enim hìc quoque principatus, vt puta, maritus principatum obtinet in vxorem, vxor in seruos, vt vxor sit domi rex alius dempto diademate. Sed ecce omnibus constitutis principatibus, eos deinceps armat, & educit ad bellum. Confortamini inquit, in Domino. In spe in ipsum per eius auxilium. Non quoniam multa iussit quæ fieri oporteret, nolite, inquit, timere: spem in Dominum coniicite, & omnia reddet facilia. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli. Non dixit aduersus pugnas; neque aduersùs bella. Neque enim apertè nobiscum bellum gerit inimicus, sed & insidiis, quæ dicuntur μεθοδεία. Μεθοδεύσαι enim est decipere, ac ratione capere & superare: quod quidem fit & in artibus, & in luctâ iis qui nos seducunt. Dixit astutias, subtilia cogitata, methodicâ ratione; ille enim vtitur arte, viâ agens compendiariâ; adoriens ex insidiis, hoc est probabilem reddens orationem, & vtens prætextibus. Multa præcepta proposuerat Apostolus & generalia, ad destruendam vetustatem peccati, & inducendam gratiæ nouitatem. Sed tribus adhuc opus erat ad hæc adimplenda: vnum quod est interius, alterum quod est exterius, tertium quod partim exterius. Quod est exterius, est meritum Christi. Confortamini in Domino. Quod est interius, est arcanum Dei auxilium, nempe Spiritûs subministratio, affectusque prouocatio. Et in potentiâ virtutis eius. Quanquam enim Deo virtus & potentia sint idem, vt notauit Aquinas, tamen quia virtus est vltimum de potentiâ, & quasi perfectio potentiæ: ideo dicit, [In potentiâ virtutis eius: id est: in potentiâ virtuosa. Notatur enim efficacia gratiæ, seu potentia explicatur efficaciæ. Quod interius simul & exterius, armatura diuina. Posset enim aliquis dicere: si tantum est Christi meritū, tātumq; Dei in me auxilium,

Chrysost. orat. 22.

Insidiæ diaboli in rationibus seu prætextibus positæ.

Aquin. lect. 3.

xilium, tam certa mihi victoria est, quàm inuicta potentia. Sic confidas, vt tamen non præsumas. Si enim quis inermis ad bellum procederet, rege licet vidente, sese periculo exponeret; & si in illo periret, non deberet casum suum alienæ improperare infirmitati, sed propriæ imputare temeritati. Ideò addit, [Induite vos armaturam Dei.] Qui dicit, induite vos aliquid externum connotat; qui autem adiungit, Armaturam Dei, aliquid internum subindicat.

Credit antiquitas, quædam heroum arma diuina esse, vel finxit. Ita de Memnone. [Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.] Inde fabularis armatura, vnde & vocabis statua. [De Ænea. [Arma rogo genitrix nato.] Et de Turno [Procurrit, fratrique ensem Dea Daunia, reddit.] Nam [Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est. Mortalis mucro, glacies seu futilis ictu, dissiluit. Vulcania, quasi Vulcani arte fabricata: sed reuera, quia, vt ait ille, [Arte magistrâ: Non solùm affabre, sed & quasi ad ictus mortales, & vsus immortales composita confecta-ve. Sicut enim grandia vulnera diis suis referebant. sic & arma seu ingentia seu excellentia diuino tribuebant opificio. [En perfecta mei promissa coniugis arte, Munera.] Sed lasso te meque istis, aut onero. Tamen & scripturæ nostræ, Deo seruant quæ sunt maiora ac præstantiora, vt montes Dei, cedros Dei, diuinaque vocant quæ Deo sunt digna. [Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem.] Id est, non aduersùs infirmos hostes, inimicos fragiles, mortales perituros: sed aduersùs, tam potentes quàm callidos. [Scitote, ait Augustinus, vos cum callido, antiquo, & veternoso inimico suscepisse certamen] Aduersus hostes immortales, ideoque arma conquirenda sunt immortalia. [Arma acri facienda viro.] Non minùs arte opus, quàm virtute; Sed cum ars humana ignara sit, virtus infirma, tam arte diuinâ opus est, quàm & virtute. [Ergo, ait Augustinus, nos admonens Paulus, ait, Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem. Posset enim quisque putare aduersus reges terræ, aduersus potestates seculi. Quare? Ipsi non caro & sanguis? Semel dictum est, non aduersùs carnem & sanguinem. Auertere ab omni homine. Qui ergo restant inimici? Aduersùs principes & potestates spiritualis nequitiæ. Carnis igitur & sanguinis titulo designat hominem Apostolus, sed adhuc mortalem: nam & eisdem communicauit Christus, quatenus infirmam assumpsit naturam. Nō est nobis colluctatio aduersùs homines, aduersùs reges ac principes carnales, seu aduersùs hostes spirituales, tam terribiles quàm & inuisibiles: idcircò nobis armis opus est, non humanis, sed diuinis, spiritualibus, inuincibilibus, donis scilicet, muneribus, virtutibusque necessariis: vt possimus non solùm resistere media inter pericula, sed & subsistere, non solùm aciem infringere, sed & hostem percutere, ictum eludere, elidere impetum.

Grādia omnia diuinæ seruata potentiæ.

August. lib. 4. de symb. ad cat. ca. 1.

August. ser. 8 de verb. Dom. cap. 3.

Iam verò in specie: [State ergo succincti lumbos vestros, in veritate &c. [Baltheum notat, seu militare cingulum, cuius mentio magna in ornamentis militum, non solùm, in exteris, sed & in nostris. Ita Ioab ad militem: Quare non confodisti eum cum terrâ, & ego de- (2. Reg. c. 18.)

A dissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum.] Parùm interest, si aspiret, vel non; si masculinum sibi genus, aut neutrum vindicet ita expoliauit se Ionathas vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad balteum, [Quasi vltimum, quod duci, aut militi esset deponendum. (1. Reg. c. 18.) Benè autem coniungit arcum, gladium, & baltheum: nam balthei duplex vsus, primus ad arcum, alter ad gladium. De primo, poëta nobilissimus.] Alter amazoniam pharetram, plenamque sagittis Threiceis: lato quam circumplectitur auro Baltheus, & tereti subnectit fibula gemmâ. [Pharetra namque ex baltheo de-

Vsus balthei apud milites solemnissimus.

B pendula: tum & gladius additus. Inde Græci ζωστῆρα dicunt à cinctione, tamque illi quam & Latini è rudi loro, seu crudo effingunt corio, non solùm vt ambiret corpus, sed vt & onus gestaret. Alludit Tertulianus, cum ait. [Et virgam portauit Moyses, & fibulam Aaron: cingitur loro & Ioannes; agmen agit & Iesus Naue; bellant & populus, si placet ludere. [Sic tamen crudo, vt sua non deessent ornamenta, adeò vt eminerent & gemmæ & fibulæ aureæ. Inde mirum in Hadriano apud Spartianum, quod] Sine auro baltheum sumeret. Omnibus enim ferè, teste Liuio, aurata balthea, gemma-

Tertullian. lib. de idol. cap. 19.

C taque. Ita apud Varronem, [Cingulum è corio bullatum.] Sed ad rem nostram propius. Cingebatur baltheus: inde Latini cingulum dicunt Græci ζώνην. Ita Isidorus: [Baltheus, ait, dicitur, non tantùm quòd cingitur, Sed etiam à quo arma dependent.] Et primò quidem, [Ex loro appendebat humeris.] Vt habes apud Hesiodum. Inde Pharetræ prominebant, & ipsæ pendulæ. Tum & adhæsit lumbis, vt ensis commodiùs [illegible] et se, & pharetræ submitteret. Ita Isaias. [Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.] Ad vtrumque ille Rex Israël. [Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.] Sic & Iob. Bal-

Isid. lib. 19. cap. 33.

Isai. cap. 11.

3. Reg. c. 20.

D theum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. [Nihil frequentius in scripturis seu nostris, seu extraneis, cinctione balthei, incinctione, accinctione. [Omnes accincti erant balteo desuper.] Sed raro, vel nusquā succinctione. Inde cingulum assumere, vel deponere, cingere se vel discingere: idest, militarem inire professionem, vel dimittere. Quid ergo Paulus ad milites Christianos. [Succincti lumbos vestros.] Succinctio enim ad ambulandum, Sicut & accinctio ad pugnandum. Sed meminisse debemus, militiam nostram non aliam esse quàm viam, seu vitam nostram, & eosdem esse milites quos viatores. [Et calceati pedes in præparationē

Iob. cap. 12.

4. Reg. ca. 3.

E Euangelij pacis.] Ipse Paulus in viâ prouocatus est, seu potiùs aduocatus: & in ipsâ, negatis, sed mutatis armis, factus est miles Christianus.

Post baltheum sequitur lorica. Græci θώρακα vocant, repræsentantque apud Plutarchum in Lucullo. [Ferream, squammeam.] Ita Poëta noster, [Læuibus huic hamis consertam auroque trilicem loricam. Donat habere viro, decus, & tutamen in armis.] Benè decus & tutamen. Thorax enim militaris, sed insignis, qui & ornaret auro; & ferro protegeret. Ita Goliath. [Loricâ squamatâ vtebatur. [Annulatæ enim loricæ seu squamatæ, quasi Spirulis hamulisque consertæ ac cōtextæ. [Porrò pondus loricæ eius, quinque millia. Siclorū æris erat.] De scuto, quòd

1. Reg. c. 17.

θυρεὸν

θυρεὸν Græci vocant, indicantque longum ac protensum Apud liuium [Se magnitudine scuti perfacile tuebatur miles] In hoc distinctum scutum à Clypeo, quod Clypeus rotundus esset, scutum oblongum; promissumque. Vnde Paulus non clypeum imponit, sed scutum, quasi maius ac tutius tegumentum, ad pedes vsque productum. [In quo, inquit, possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.] Tela Græcè βελῆ iacula: est enim armatura missilibus excipiendis excogitata, ideoque populis ferè omnibus notissima. De galeâ, vbique & apud omnes. [Hastam alij galeamque ferunt] De pallante. Et de alio. [Tertius Argolicâ hac galeâ contentus abito] De Goliath. [Et cassis ærea super caput eius.] Et eodem capite: [Induit Dauid Saül vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum loricâ.] Denique de gladio. [Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere.] Sed in rebelli, etiã vbi ius non est gladij, semper tamen vsus est. Idcirco supersedeo ab armis numerã is. Sed tria adnoto. Primum, Apostolum militi suo non solùm arma præcepisse defensiua sed & offensiua. [Et gladiũ Spiritus.] Gladium spiritualem, ad hostem spiritualem, non eludendum duntaxat. Sed & percutiendum confodiendumque. Alterum, etiam pedibus prouidisse. [Et calceati pedes.] Quamuis enim nuda passim bellantibus sicut & venantibus vestigia: vel vno pede tecto, intecto altero: vult tamen Paulus vtrumque pedem tegi ac protegi: quia & in hoc bello, paratæ etiam ipsi calcaneo insidiæ. Tertium, galeam, maximum insigne ducum, quasi militarem galerum, capiti impositum, non tantum ad tegumentum, sed & ad symbolum. Ita Tertullianus ex senario. [Mineruam calceans furuis galeam formis.] Sic & ille. [Fuluosque lupi de pelle galeros, Tegmen habent captiui: vestigia nuda sinistri instituere pedis, crudus tegit altera pero.] Sed calceatur galea, dum aptatur; sed dum dico aptari, intelligo & ornari, necnon & pro insigni nobilitatis, nedum pro trophæo salutis ostentari. [Et galeam, salutis assumite.] Et ex Græcis, [galeam salutaris accipite.] Sapientia in capite, inde tota spes salutis deducenda.

Christianus offensiuis & defensiuis camis muniendus.

Tertulian. lib. de testi. an. cap. 1.

Sed iam ad arma miles, imò ad virtutes, quibus muniendus est Christianus. [State ergo succincti lumbos vestros in veritate.] Non vt obseruat Aquinas, [In bello spirituali prius est necesse concupiscentias carnis restringere, sicut vicinus hostis prius est vincendus: hoc autem fit per restrictionem lumborum, in quibus viget luxuria, quod fit per temperantiam, quæ gulæ & luxuriæ cõtrariatur. Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti. & Iob 38. Accinge sicut vir lũbos tuos. Sed, In veritate, id est, in rectitudine intentionis, & non simulatè. [Certè, vt notat Chrysostom.] Non dicit de zonâ sensili. Nam omnia quæ sunt in loco ita dicit, vt cadant sub intelligentiam. Primum ergo succingit militem: id est, eum qui libidinibus diffluit & est dissolutus, & humi repentes habet cogitationes, per zonam contrahit ac reprimit; non sinens eum impediri à vestibus quæ tibiis implicantur, sed dimittens vt currat pedibus solutis & expeditis. Accipite armaturam: hoc est, semper armemini: vt possitis, deuictis vitiis, & animi perturbationibus, improbis & nefariis desideriis, quæ nobis afferunt molestiam, stare. Nam si in pugilibus & iis qui luctantur, hoc ante alia præcipit, nempe stare: multò magis in bellis, & in rebus militaribus. Qui stat rectus, stat nõ profligatus & dissolutus, neque ad aliquid inclinatus, Non stat qui degit in delicis, qui est lasciuus & libidinosus, qui est auarus & pecuniæ cupidus, sed est inclinatus. Lumbos cingunt milites loro coriaceo. Vos autem quonã? Succincti, inquit, lumbos nostros in veritate nullum diligamus mendacium. Res omnes tractemus & persequamur in veritate. Alter alteri non mentiatur: & si sit gloria, quod verum est, quæramus; & si vita, veram] Vult nos Apostolus perfectos, non solùm quoad sufficientiã, sed & quoad abundantiam. Idcirco summam colligit, nedum zonam præcingit: vt non solùm vera, sed & verè quæramus, vt in disciplinâ Christi, in viâ Dei non minus sincerè incedamus, quàm impigrè. Sic enim iustitiam attingemus perfectam, imò & induemus, velut loricam auream. Sicut enim lorica tegit membra, sic & iustitia omnes comprehendit virtutes. Sed in omnibus, scuto fidei vtendum est. [Quia, vt dixit Aquinas, sicut scutum supponitur omnibus armis, ita fides omnibus virtutibus. [Illo pectus, in quo cor, muniendum est, virusque inimici respuendum.] Meritò, ait Chrysostomus, fidem nominat scutum: quemodo enim scutum ante totum corpus ponitur veluti propugnaculum, ita etiam fides: omnia enim ei cedunt: nam si fides imperat dæmonibus, multò magis cupiditatibus.

Aquin. lect. 4.

Chrysosto. orat. 21. & 23.

Christiani ad sufficientiam & abũdantiam.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. orat. 24.

DISSERTATIO SECVNDA.
De pugnâ.

NEmo armatur nisi ob pugnam, sicut nemo præliatur nisi ob victoriam. Ideo stamus semper armati, quia semper depugnamus: sed non semper eximus illæsi, quia non semper vincimus. Armaturam habes, sed nondum calles pugnam. [Aduersùs principes & potestates: aduersùs mundi rectores tenebrarum harum: contrà spiritualia nequitiæ in cœlestibus.] Dedignabatur Alexander Philippi stadium intrare, nisi reges haberet concurrentes: quid inde gloriabatur cum homines haberet sibi similes? Aduersus carnem & sanguinem [Humana quippe seu sensibilia, carni deputata sunt & sanguini. Nos non solùm reges fecit Christus, sed & aduersùs dæmones, tam inuisibiles, quàm & truculentos, luctatores, fecit.] Sæpè enim, vti dixit August. deterioribus potestas à summâ Dei potestate dari creditur in meliores, id est, iniquis in eos qui vel iam tenent iustitiã, vel ad eam tenendã peruenire nitũtur; ad hoc enim datur, vt probati per patientiã manifesti fiant, vel sibi ad spem vel aliis ad imitationem. Scientes, inquit Apostolus, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Ex quo genere certaminis est, cum homo fidelis aduersùs principes & potestates præuaricatorum angelorum, & aduersùs spiritualia nequitiæ colluctatur: cum illi accipiunt tentandi potestatem, ille præcepta tolerandi: quo fit vt in te inferiori superent, in potentiore superentur: superatur plerumque corpus infirmius, & tenente firmiò

Augustin. lib. 2. cont. Secundin. cap. 10.

Boni probati fiunt ad spem aut ad imitationem.

firmiore superatur.. Contrà vim quippe eorum, A patientiâ pugnatur; contra insidias, prudentiâ: vt ad perniciosam consensionem, nec cogendo nos flectant, nec fallendo decipiant: quoniam iure virtus & sapientiâ Dei est, per quam facta sunt omnia.] Certabat Alexander pro pecuniis, aut pro gloriâ. Hic verò, vt obseruat Chrysostomus, [Non certatur pro pecuniis, non pro gloriâ: Sed certatur ne redigamur in seruitutem & captiuitatem. Quamobrem inimicitiæ sunt irreconciliabiles. Contentio & pugna est vehementior, quando pro rebus magnis suscipitur. Aduersùs principes & potestates. Si est ergo bellum, si tales sunt acies, si mundi rectores, si spiritualia nequitiæ: quomodo, dic quæso, deliciis indulges quomodo es laxus & dissolutus? quomodo inermes superare poterimus?] Sed quærendum est primo, cur dæmones dicantur principes & potestates: Secundò, cur rectores mundi: tertiò, cur tenebrarũ harum?

Chrysost. in Moral. orat. 22.

Quoad primum. Duo consideranda sunt in Angelis: iustitia scilicet ac Potentia [Magnificentia quædam est in Angelis, (verba sunt Augustini) & tanta potentia, vt si faciant Angeli quicquid possunt, sustineri non possit. Et omnis homo desiderat potentiam Angelorum, sed iustitiam Angelorum non amat. Existit qui amat potentiam, amat & magnificentiam: vult esse magnus quomodo Angeli sunt. Priùs iustitiam dilige, & sequetur te potentia. Sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. Tu iam quærebas magnificentiam, prius dilige sanctitatẽ. Cum sanctificatus fueris, eris & magnificus. Nam si præpostere priùs esse volueris magnificus, ante cadis quàm surgas. Non enim surgis, sed extolleris.] Talis fuit Simon ille Magus, qui delectatus potentiâ Angelorum, priuatus est iustitiâ Sanctorum: appetiit magnificentiam, & cecidit per superbiam. Inde Dauid: Domine non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei. Neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me. [Hoc planius dicatur, ait Augustinus, & audiatur. Non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: nec quæsiui aliquid suprà vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. Quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se: propterea plus illum delectauit potentia Angelorum, quàm iustitia Christianorum.] Sed alia Apostolorum, alia Angelorum potentia. Illa namque in rebus versatur spiritualibus quibus præsident, ista in rebus occupatur materialibus quibus assident. Denique in Apostolis, iustitia comes fuit potentiæ: in Angelis, potentia fomes fuit superbiæ, ideoque quibusdam peccantibus, remansit quidem potentia, quæ fœtus est naturæ; sed abscessit iustitia, quæ effectus est gratiæ. [Sic ait Athenagoras, & alias quasdam potestates esse cognoscimus, quæ vel circa materiam vel intra eam versantur: vnam, Deo inseruientem; alteram verò, Deo aduersantem. Non quòd vlla vis Deo repugnare queat, vt amicitiæ lis aduersatur, secundùm Empedoclem, & nox diei, sicut sensibus nostris apparet: nam etiamsi quid Deo se opponeret, mox aboleretur, vi & potentiâ Dei dissipatum. Sed quoniam Dei bonitati, quæ ei adiuncta copulatáque est, ita vt corpori color: Spiritus materiæ adhærens aduersatur: qui ta-

Augustin. Enarrat. in Psal. 95. in med.

Augustin. in Expos. Psalt. 130. post. init.

Athenag legat. pro Christ. vlt. med.

men & ipse à Deo creatus est, vt reliqui Angeli, & materiæ eiusque formis administrandis præfectus. Idcircò enim Angelos Deus creauit, vt rebus à se digestis prouiderent. Quamuis enim ipse vniuersali suâ & communi prouidentiâ vniuersis prospiciat: particularem tamen rerum singularum quæ cuique fuerint commissæ, Angelis imposuit. [Sunt igitur illi principes, seu potestates, quibuscum nobis colluctatio est. Aduersùs principatus (ita ex Græcis) aduersùs potestates. [Cum enim Angeli,] ab Archangelo,] vt dixit Tertullianus, seducti vel inducti, totam amisserint iustitiam, solam retinuerint B potentiam, titulis sub inde delectati sunt, & superbis principatuum ac potestatum elogiis inflati defectum iustitiæ suppleuerunt vel potius per abusum compleuerunt potentiæ.

Angeli rebus administrandis à Deo præfecti.

Tertullian lib. 5. aduers Mar. cap. 18.

Quoad secundum. Vulgatum apud priscos hæreticos mundum ab Angelis creatum. Ita Tertullianus, de iis, [qui ex Euangelio esse voluerunt. Primus omnium, inquit, est Simon Magus, qui in Apostolorum condignam meruit ab Apostolo Petro iustamque sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum. Mundum autem ab Angelis suis institutum. Post hunc Menander discipulus C ipsius, similiter magus, eadem dicens quæ Simon ipse. Secutus potest hæc & Saturninus, & hic similiter dicens, Innascibilem virtutem, id est Deum, in summis & illis infinitis partibus & in superioribus manere, longè autem distantes ab hoc Angelos inferiorem mundum fecisse: & quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset ad similitudinem illam superiorem propter illius luminis Angelos, hominem instituere Angelos curasse. Postea Basilides hæreticus erupit: hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam Græcè νοῦν appellat. Inde Verbum. Ex illo prouidentiam, ex prouidentiâ virtutem & sapientiam. Ex ipsis inde Principatus, D & Potestates, & Angelos factos, deinde infinitas Angelorum editiones & probolas: ab istis Angelis trecentos sexaginta quinque cœlos institutos, & mundum in honore Abraxæ, cuius nomen hunc in se habebat numerum computatum. In vltimis autem Angelis, & qui hunc fecerunt mundum, nouissimum ponit Iudæorum Deum, id est, Deum legis & Prophetarũ: quem Deum negat, sed Angelum dicit. Huic sortiò obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terrâ Ægypti filios Israël in terram Chanaam transtulisse.] Cesso ab istis non tam sententiis philosophorum, quàm hæreticorum sententiis. E Seriò agendum est, dicendumque, mundum nullatenus ab Angelis conditum, nec dæmones eatenus esse mundi, tanquam sui rectores opificij. Nec id dicit Apostolus in linguâ natiuâ, seu, vt sæpius vertit Tertullianus, [Munditenentes,] seu, vt propiis vertendum est, [Mundipotentes] De potentiâ enim agitur, non de substantiâ; nec tam quæritur, quis mundum ediderit, quàm quis inuaserit principatum, Vnde principi se de potestate iactanti, non obstitit Christus sed intactam sic reliquit veritatem, vt præsumptam vanitatem excluserit. [Vide, ait Ambrosius, quia omnia à Deo: neque enim sine mundo Deus; quia & mundus per ipsum factus est: tamen opera eius mala quia seculum

Tertullian. Supplem. cap. 1. & 46. in lib. de proscript.

Variæ de condito mũdo hæreticorum fabulæ.

Ambros. lib. 4. in Luc. post init.

in maligno positum est:ordinatio mundi à Deo, opera mundi à malo. Ita etiam à Deo potestatum ordinatio, à malo ambitio potestatis. Denique non est, inquit potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt,à Deo ordinata sunt: non data,sed ordinata. Et, Qui resistit, Dei, inquit, ordinationi resistit. Itaque qui permisit, ordinauit:nec potestas mala,sed is qui malè vtitur potestate. Nec muneris aliqua culpa est,sed ministri: nec Dei potest ordinatio displicere, sed administrantis actio.

Quoad tertium. Intantum rectores sunt dæmones tenebrarum harum, inquantum rerum sunt principes mundanarum. Vnde diabolus vocatur princeps potestatis aëris huius, princeps huius mundi, princeps huius seculi, Deus huius seculi, id est, diuersis nominibus, eadem inculcatur potentia.] Rebus enim istis terrenis, vt loquitur Augustinus, merito suæ peruersitatis præpositus, magistratus huius seculi à Domino dicitur.] Et ab initio quidem vniuersalem, in res omnes corporales materialesve potestatem sortitus est naturalis excellentiæ priuilegio, sed inde deiectus est expulsusq; insolentis supplicio superbiæ: non seruauit principatum, sed suum reliquit domicilium. Inde ergo detrusus, hominem aggressus est, inferiorum rerum principem, vicitque, nec tam rectoris conditione, quàm iure victoris, ereptum inuasit imperium. Omnia ergo diabolicæ subiacēt potestati, (verba sunt Ambrosij) & tanquam malus tyrannus in eos quos intra regnum suum inuenerit, acceptæ sæuitiā potestatis vtitur. Nec tamen ideo mala ordinatio potestatū. Bonum est enim Deum quærere, sed quidam ipsius inquisitionis anfractus & error obrepit. Nam si inquisitor in sacrilegium sæuā interpretatione vertatur, in deterius vertitur quærentis offensa; non tamen inquisitionis, sed quæsitoris est culpa: nec inquisitio obnoxia malo, sed quærentis affectus. Quod si is qui Deum quærit, propter fragilitatem carnis, & mentis angustiam sæpè tentatur; quanto magis qui seculum quærit? Sunt igitur dæmones huius mundi principes, sed infimi, ideò Tenebrarum harum. Quia in hoc infimo seu caliginoso mundo, dominationem suam collocant, ad texendam tentationem, dum & mundiales diuitias, & illecebras carnales in in perditionem nostram aduocant. Subornant enim carnem nostram, velut seruum domesticum, speciemque armant externam velut instrumentum accommodatissimum. Inde Spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Dæmones enim maximè spirituales, subtiles, acuti, ingeniosi, sed totum ingenium corrumpunt, dum ad fallaciam obuertunt ac nequitiam. Versantur illi in aëre, ideò in cælestibus, seu in nubibus, aues portantibus, hominesque circumdantibus, & inde insidiantur, nuncque tendiculas machinantur, nunc mediantur tendendas: nunc præsentem expoliunt fallaciam, nunc veterem recoquunt malitiam. Locus illis commodus, vt qui non solùm nobis immineat, sed & qui viribus tam insensibilibus præpolleat quàm inuisibilibus. Ac si cæcā ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit: eadem obscuritate contagionis, aspiratio dæmonum, mentis quoque corruptelas agit. Ita Tertullianus.

Aptè igitur Apostolus & opportunè simul & amentiam proscripsit, & veram inscripsit sententiam. Non sunt reuera dæmones conditores huius mundi, sunt tamen oppidò. Dei ordinatione seu ex punitione peccati, in hoc mundo potentes. Non est nobis pugna aduersùs hostes corporeos, fragiles, infirmos, vt adeò tuta sit victoria. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem? id est: (vt exponit Augustinus) aduersùs homines, quos videtis sæuire in vos. Vasa sunt, alius vtitur. Organa sunt, alius tangit. Audi Apostolum: Neque detis locum diabolo. Tu malā voluntate locum dedisti. Intrauit, possedit, vtitur. Si locum non dares, non possideret. Tutelam ergo prouidit aduersus inimicos non conspicuos, contra quos nos hortatur vt armemur. Qui ergo restant inimici? Aduersùs principes & potestates spiritualis nequitiæ, rectores mundi, Quasi plus dedit diabolo & angelis eius. Plus dedit, rectores mundi appellauit. Sed ne malè intelligas, exponit quid sit mundus, cuius sunt illi rectores. Rectores mundi tenebrarum harum. Quid est mundi tenebrarum harum? Non cum hominibus nobis certamen est, sed cum spiritibus: non quidem cum bonis, sed malis ac pessimis, qui in hoc mundo tanquam aues infaustæ peruolitant, & in hoc aëre turbulento ac nebuloso, exitialem sibi vindicant potestatem. Dæmones quippe, (testante Tatiano Assyrio) Iustinus ille magnā dignus admiratione, latronibus esse similes edocuit. Siquidem illi viuos aliquos capere solent, deinde pactā mercede familiaribus eos restituere. Formidanda diaboli potentia, idcircò armaturā Dei inducenda, non enim corporalibus armis resistendum est, sed diuinis virtutibus: nec mundanis rebus vincendum, sed aduersis affectibus. [Quomodo ergo concludit Chrysostomus, luctabimur cum tenebris? Si lux facti fuerimus. Quomodo cum spiritualibus nequitiæ? Si facti fuerimus boni. Bono enim contrarium est nequitiæ & prauitas: & lux expellit tenebras. Quòd si & ipsi quoque simus tenebræ, omninò capiemur & superabimur. Quomodo ergo ipsos superabimus? Si quod illi sunt à naturā, effecti fuerimus ex libero arbitrio & animi instituto, nempe extra carnem & sanguinem, sic eos capiemus & vincemus. Qui luctatur, adhuc tenetur, cęterùm nobiscum benè agitur, quòd possimus etiam luctari. Quoniam in bello sociam & adiutricem habemus inexpugnabilem; nempe spiritūs gratiam, eam autem did cimus, vt aduersùs homines non possimus luctari, sed aduersùs dæmones. Tunc autem præclara est victoria, quando hinc excesserimus. Si luctantes excesserimus, vicimus? Non enim ita habet hic sicut in athletis. Nam illic quidem nisi deieceris, non vicisti. Hic autem vicisti, si non fueris deiectus. Et meritò nam illic quidem ambo contendunt de victoriā, & si alter fuerit deiectus, alter coronatur? Victoria autem diaboli non est in hoc vt coronetur, sed vt perdat. Quamobrem si non deiecero; non fuero autem deiectus, vici. Quænam est ergo præclara victoria? Ex superabundantiā eum conculare: vt faciebat Paulus, res præsentes nihil esse existimans. Quid enim opus est lucta? Quid opus est vt concertemus & manus conseramus? Qui manus conserit, finem habet incertum, num ipse quoque sit superandus & capiendus. Qui autem conculcat, certam & manifestam habet victoriam.] Si amputetur ansa, teuetur victoria.

Augustin. lib. 2. de ser. Dom. in mont. cap. 14.

Ambros. lib. 4. in Luc.

Quomodo dæmones sint huius mundi principes.

Tertullian. cap. 22. Apolog.

Augustin. serm. 8. de verb. Dom. cap. 2. & 3.

Tatian. orat. cont. Græcos circa med.

Chrysost. orat. 22.

Melius dimisso seculo conculcare diabolum, quàm retento, contra eum dimicare.

DISSERTATIO TERTIA.

De iaculis diabolicis.

OMnibus telis, omnibus iaculis, pro suo genio vtitur diabolus & ingenio, diuinis, humanis, & suis: sicque viribus omnibus in nos etiam armatos connititur. Nunc per hæreticos: nunc per philosophos: nunc per cæteros.

De primis, Adeo insolens diabolus, vt auctoritatem inuadat Dei, sed adeò imprudens, vt inanitatem prodat testimonij. Disce, ait Ambrosius, quia Satanas transfigurat se velut angelum lucis, & de scripturis ipsis sæpè diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, sic euiscerat fidem sic iura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus, quia potest de scripturis aliqua exépla proferre, nec sibi arroget quòd doctus videtur. Videtur & diabolus testimoniis scripturarũ, nõ vt doceat, sed vt circumscribat & fallat. Inde argutæ non dæmoniorum duntaxat, sed & hæreticorum doctrinæ, prurientibus auribus natæ. Eligunt capitula de scripturis, inquit Augustinus, quæ simplices homines non intelligunt, & per illa decipiunt animas imperitas, quærendo vnde sit malum. Sicut in isto capitulo faciunt, quo ab Apostolo dictum est, Rectores harum tenebrarum, & spiritalia nequitiæ in cælestibus. Quærunt enim deceptores illi, & interrogant hominem scripturas diuinas non intelligentem, vnde sint in cælo rectores tenebrarum, vt cum respondere non potuerit, traducatur ab eis per curiositatem: quia omnis anima indocta, curiosa est. Hæc armatura diaboli, sed infirma, si in valentem incurrat, & inermem non inueniat. Didicisti diaboli telum, ait Ambrosius, sume scutum fidei. Deo se profitetur credere, & homini conatur illudere. Sed sume arma Christi, quibus tibi non sibi vicit. Simul in ipsa tentatione, artificem diaboli disce versutiam. Duxit illum iterum in montem altissimum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in memento temporis. Benè in momento temporis secularia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectûs celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpè honor seculi abiit antequam venerit. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula? Docemur ergo inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas secularis diabolicæ subiaceat potestati, ad vsum fragilis, inanis ad fructum. Vides deceptam astutiam, & apertam fallaciam, quæ dum mouet, dimouet, dum impellit, auertit?

Ambros. lib. 4 in Luc. post. initium.

August. in lib. de agon. Christ. cap. 4.

Omnis anima indocta, curiosa est.

Ambros. lib. 4. de in Luc.

De secundis, humana sunt quidem, nec minùs ornamenta quàm arma sunt dicenda: nec minus tamen nocent homini, dum apparent congrua rationi. Vide Manichæos, inquit Chrysostomus, quomodo ex propriis rationibus omnia loqui audeant, Non poterat, inquit, Deus creare mundum absque materiâ? Vndenam hoc constat? Hæc humi dicunt & ex terrâ, & ex iis quæ sunt apud nos. Rursus vide quid dicat Marcion. Non poterat Deus assumptâ carne manere mundus. Vndenam hoc constat? Quoniam nec homines quidem possunt, licet sint homines. Valentinus rursus humi serpentes habens rationes, è terra loquitur, & Paulus Samosatenus. Porrò autem quid dicit Arrius? Non poterat Deus generans generare impatibiliter. Vndenam hoc audes dicere, ô Arri. Ex his quæ sunt apud nos. Vides rationes omnium repere. Et ita quidem se habent quòd attinet ad dogmata. Rursus autem quòd ad vitam. Qui sunt scortatores, pecuniæ amantes, & gloriæ, & aliorum omnium, humi repunt. Rationes sunt, sed humanæ, sed terrenæ, ideò leues & vanæ, ne dicam, animales & diabolicæ. Rationes sunt, sed apparentes, sed probabiles, in argumentis coactæ, philosophatis suffultæ doctrinis. Hoc autem dico, ait paulus, vt nemo vos decipiat in in sublimitate sermonum. Seu, vt legit Ambros. In subtilitate sermonis. Et ad Græca proprius. Nam πιθανολογία, exquisitam probabilitatem reddit, & argutam verisimilitudinem, quâ creduli circumueniuntur, capiuntur incauti, Quot enim qui paralogizant, id est, à verâ ratione, falsâ auocant ratiocinatione? Sed non ego credulus illis. Idcircò ergo rectè dixit Chrysost. [Propriis rationibus.] Aliud enim vera ratio, aliud propria, illa enim est, quæ vna & simplex, ista, quæ multiplex & varia: quod cuique videtur, nec tam lege vel autoritate tenetur quàm libidine. Qui enim fidem Catholicam benè didicit: (verba sunt Augustini) & bonis moribus, & verâ pietate munitus est, quamuis eorum hæresim nesciat, respondet illis tamen. Nec enim decipi potest, qui iam nouit quid pertineat ad Christianam fidem (quæ Catholica dicitur) per orbem terrarum sparsam, & contra omnes impios, & peccatores, negligentes autem sui, Domino gubernante securam. Multum ergo veritatem distat & rationem: nam & erat ille nonnunquam qui suam rationem sequitur, numquam autem qui sequitur veritatem. Idcircò paulus non dicit, State ergo, succincti lumbos vestros in ratione. Sed, State ergo, succincti lumbos vestros in veritate. Nam vt ait Chrysostomus, Si veritate accingamur, nullus nos superabit. Qui quærit decretum veritatis, non decidet in terrâ. Nam quòd quæ vera non sunt, sunt ex terrâ, ex hoc est perspicuum, quòd externi omnes seruiunt vitiis, & animi perturbationibus, dum suas sequuntur rationes & cogitationes. Quàm porrò sunt illi molles & eneruati, vt qui de Deo nihil possint graue & austerum suscipere, quod humanam superet rationem: non sunt enim succincti in veritate.

Chrysost. orat. 23.

Ratio humana non semper vera, sed errori ac deceptui obnoxia.

Coloss. cap. 2.

August. lib. de agon. Christ. cap. 4.

Chrysost. orat. 23.

De vltimis. Sua reputat diabolus, quæ non tam concessa sunt sibi quàm permissa, terrena nimirum ac secularia, quibus eo faciliùs oppugnat homines, quo vel necessitatis suffragio, vel vtilitatis titulo promptiùs subornat inhiantes. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere. Sunt equidem tela diaboli multa ac multiplicia, & omnia quidem ignita seu ignea, cum ab ipsâ gehennâ inflammata sint: sed ea maximè quæ in maligno posita sunt, seu malo igne, & ardore peruerso malæ accensa concupiscentiæ. Ignea sunt tela diaboli, ait Aquinas, quia adurentia prauis concupiscentiis. Hæc autem per fidem extinguuntur: quæ tentationes præsentes & transitorias extinguit per bona spiritualia & æterna, quæ promittit sacra scriptura. Duplex autem inuenitur armatura contra eas. scilicet iustitia, & abrenuntiatio rerum temporalium. Et ideò præcipit primò

Aquin. Lect. 4.

mò Apostolus, vt eas non iniustè vsurpemus, quod facit iustitia. Propter quod dicit, Induti loricam iustitiæ: scilicet propter quam homo abstinet à rebus alienis. Secundò præcipit vt rerum temporalium curam superfluam deponamus, quia dum his nimis intendimus, non habemus pedes paratos ad diuina negotia, & mysteria annuntianda. Et propter hoc dicit, Et calciati pedes: id est affectus dispositi sint. Et in signum huius misit Apostolos Dominus, Calciatos sandaliis, quæ habent subtus soleas: per quod significatur eleuatio mentis à terrenis? & aperta sunt superiùs, per quod significatur promptitudo ad diuinam sapientiam: omnia igitur diaboli iacula repellenda sunt, sed ista sunt non excludenda tantùm, sed & in totum extinguenda. [Tela eius, inquit Chrysostomus,] dicit Paulus tentationes, absurdasque & nefarias cupiditates. Et dicit ignea. Tales enim sũt cupiditates. Et gladium spiritûs, quod est verbum Dei. Aut spiritum dicit, aut in gladio spirituali. Per eum enim secantur omnia, per eum omnia scinduntur. Nam sicut Dei verbum potest omnia, ita etiam qui gratiam habet spiritualem. Per fidem namque fortes efficimur, per diuinam inspirationem reuelationemue, non per præsumptionem humanam, omnium tentationum, omnium reddimur victores cupiditatum ac dæmonum.

Sandalia vitæ sunt contemplatiuæ symbola.

Chrysost. orat. 14.

DISSERTATIO IV.

De clausulâ.

EPistolam produxit adhortando, nunc & clausulam imponit apprecando. Armauit eos diligentissimè, ait Chrysostomus. Quid igitur deinceps oportebat? Regem inuocare, & rogare vt manum porrigeret. Tandem ergo absoluit, additque, Pax fratribus, & cum fide, à Deo patre & Domino Iesu Christo. &, Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen. Et primò quidem consulit sibi. Tria enim petit pro se, (vt aduertit Aquinas) quæ cuilibet prædicatori sunt necessaria: scilicet quòd os aperiat, & ad prædicandum se præparet quantum in se est, & detur sibi gratia. Et vt hæc tria dentur, petit vt oretur pro se, dicens, Vt detur mihi sermo in operatione oris mei. Non enim potero loqui, nisi quod dederit mihi Dominus, dicebat ille. Et ad quid Paule? Respondet, vt possim cum fiduciâ notum facere Euangelij mysterium. pro quo legatione fungor in catenâ. Et hoc est secundum quod petit: quia non solùm est necessarium prædicatori, vt detur ei sermo in apertione oris, seu scientia, sed vt sermonem sibi datum prædicet audacter, & cum fiduciâ. Tertiò petit, vt detur sibi temporis, seu modi congruentia: in omnibus enim modus & qualitas facit gratum, Vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.] Nonnulli os aperiunt, sed sermo non succurrit; aliis sermo effluit, sed parum audenter agunt fiducialiter-ue. Alij denique audent & dicunt, sed non tam docent Christianè, quàm intempestiuè & vocem perdũt, & sermonẽ effundunt. Vix Paulus os aperiebat, & affluebat sermonis copia, quàm & tantâ constantiâ mentis, quantâ & fidentis promebat prudentiâ. Ad homines quidem delegatus sum, vt eos Deo conciliem. (ita apud Athanas.) Hi verò me in catenas & vincula coniecere. Tametsi iure Gentium caueatur impunes esse oratores & nuntios, quippe qui dominorum mandata iam deferant, Catenæ verò eo iniectæ sunt mihi, vt meam obstruant loquendi licentiam. Animus tamen os mihi aperiet, vt fidentior sim ea enarrans, quæ mihi sunt per eum iniuncta qui me legauit. Postremò, vicem, orationis reddit, expetitque aliis pacem, fidem, charitatem.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. lect. 5.

Tria sunt cuiuis prædicatori necessaria.

Athanas. in Paulum.

Ornamenta sunt animi Christiani, & præcipua Dei munera. Magna tria dixit, (verba sunt Augustini.) Pax, charitas, fides. A fide cœpit, ad initium terminauit. Initium enim est in fide, finis in pace: quia enim credimus, ipsa est fides. Ita credidit Abraham, dans gloriam Deo nudè & plenissimè credens, quoniam quæ promisit, potens est & facere. Magnum nostrum gaudium? nos promisit Abrahæ. Nos promissionis filij sumus. Quando enim dictum est Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, nos promissi sumus. Ergo nos ipse fecit filios fidei Abrahæ, qui potens est facere quod promisit. Nemo dicat, Ego feci. Non enim promittit Deus, & facis tu. Potest autem rectè dici, quia quæ promittis tu: facit Deus. Tu enim infirmus es, tu omnipotens non es? Quando enim promittis, nisi faciat Deus, inanis est promissio tua. Dei autem promissio non pendet ex te, sed ex illo. Credit quidem omnis, qui ad Christum venit, sed sibi fidem tribuit; ab illo enim accipit, à quo pacem, charitatẽ, & cætera dona accipit salutaria, Apostolus enim apertissimè dicit, pax fratribus & charitas cũ fide à Deo Patre & domino Iesu Christo. A quo ergo pax, ait ille, & charitas, ab illo est & fides: propter quod ab illo eam non solùm augeri habentibus, verum etiã non habentibus poscimus dari. Qui verò nouit fidem posse quidem esse sine charitate, sed non & prodesse, charitatem adiungit, quæ fidem informet, & ad officiũ actumque suscitet. Alia quippe fides sanctorum, alia dæmonum. Dæmones non habent fidem quæ per dilectionem operatur: (ita Augustinus, sed soli serui Dei, soli sancti Dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis: ideò est & charitas dicta. Tria illa dicta sunt ab Apostolo, Pax fratribus, & charitas cum fide. Vnde pax & charitas? Vnde charitas cum fide? Si enim non credis: non amas. Dixit ergo Apostolus, sic incipiens à fine, & veniens ad initium: pax, charitas, cum fide. Nos dicamus, Fides, charitas, pax, Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non discreuisti fidem tuam ab eis qui timebant & dicebant, Scimus quis sit, filius Dei: nec regnaturi sunt cum filio Dei. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem,

Augustin. lib. 50. Hom. 17. cap. 1. & 2.

Vanè promittit homo, nisi Deus addit, sed Deus ex seipso facit quod promittit.

Augustin. lib. de don. perseu. cap. 17.

Augustin. Hom. 17. ex 50. cap. 2.

Sed sicut fides sine charitate in cassum laborat, ita charitas sine incorruptione claudicat. Omne enim vitium, vti dixit Chrysostomus, est corruptio: & sicut virginem corrumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat Paulus, Ne corrumpantur sensus vestri. Corruptam esse virginem, etiam propterea propriè dicimus, non quòd corrumpatur corpus solum, sed propter iniquitatem. Nam si coitus esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio: sed peccatum est corruptio, ipsum enim probro ac dedecore afficit.

Chrysost. orat. 14.

Corruptio, est quædam in deterius mutatio.

afficit. Sed vbique corruptio, est quædam in deterius mutatio, quæ fit in alium habitum, & ad deletionem eius quod erat prius. Audi enim scripturam dicentem, corrupit omnis caro viam suam. Et rursus, Homines corrupti mente. Ne igitur corrumpas animam. Nam quod corrumpitur, plenum est fœtore. Audi enim Prophetam dicentem, putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Fuerunt igitur nonnulli, & sunt adhuc non pauci, qui dicant se Deum Christumque diligere, nedum colere, & animam nihilominus vitio, corpus etiamnum opprobrio polluant. [Sed aiunt quidam: (ita apud Tertullianum) Satis Deum habere, si corde & animo suscipiatur, licet actu minus fiat. Itaque, se saluo metu ac fide peccare: hoc est, saluâ castitate, matrimonia violare, saluâ pietate, parenti venenum temperare. Si ergo & ipsi, saluâ veniâ, in gehennam detrudentur, dum saluo metu peccant.] Quibus gratiam apprecatur Apostolus? Omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum. Quomodo? In incorruptione. Iactant enim se aliqui Christum diligere, & templum eius violant, imò & ipsum in membris suis maculant. Non amant ipsi reuera, sed amare se simulant. Ista enim ingenia, vt dixit Tertullianus, de semine hypocritarum pullulare consueuerunt, quorum indiuidua cum diabolo amicitia est, quorum pœnitentia nunquam fidelis. [Mentiuntur ipsi charitatem, nec tam dilectionem comminiscuntur quàm corruptionem ac fœditatem: ideoque non solùm gratiâ diuinâ indigni sunt, sed & vindictâ æternâ, extremóque supplicio sunt dignissimi.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 5.

Tertullian. Ibidem.

Tandem ad caput redeamus, vt & per ipsum absoluamus, & in ipso requiescamus. Ingredimur enim per fidem, prouehimur per charitatem, sed per pacem in gradu sistimur, dum non solùm in perfectionis constituimur statu, sed & beatitudinis. Quam pacem? (ait Augustinus.) Veram pacem, solidam pacem, securam pacem. Vbi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax, est finis omnium desideriorum bonorum. Charitas cum fide: & si sic dicas, benè dicis, fides cum charitate. Magna hæc bona commemorauit Apostolus, pax fratri-

Augustin. lib. 50. Homil. 17. c. 3.

A bus, & charitas cum fide. Ipse dixit. Sed vide quòd sequitur, A Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Magna bona: sed dicit, vnde bona ista. Confitere, pacem charitatem cum fide, non tibi esse nisi à Deo. Quæ est enim fides plena & perfecta? Quæ credit ex Deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidem. Iterum dicit Apostolus, Misericordiam consecutus sum. O confessio! Non ait, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed, vt fidelis essem, misericordiam cõsecutus sum. Hæc scilicet sors sanctorum, quæ


B si arcanæ quidem ordinationis est, sapientissimæ nihilominus dispositionis est. Attendat charitas vestra, (verba sunt Augustini) videre hoc ipsum quemadmodum firmetur ab Apostolo Petro. Cum Simon ille Magus baptizatus â Phillippo adhæreret ei, credens miraculis diuinis factis in conspectu suo. Venerunt Apostoli ad Samariam, vbi crediderat etiam & ipse Magus, & vbi fuit baptizatus: & imposuerunt Apostoli manus hominibus baptizatis, & acceperunt Spiritum sanctum, & cœperunt linquis loqui. Admiratus est ille, & obstupefactus tanto diuino miraculo, quòd

Augustin. con. 2. in Psal. 30. versus finem.

C ad impositionẽ humanarum manuum venit Spiritus sanctus, & impleuit homines: & desiderauit istam, non gratiam, sed potentiam; non vnde liberaretur, sed vnde extolleretur. Qui se putauit pecuniâ comparare Spiritum sanctum: etiam Apostolos auaros arbitratus est, sicut erat superbus & impius. Sed continuò Petrus, pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ comparari. Non est tibi sors neque pars in fide hac: id est, non pertines

D ad istam gratiam quam gratis omnes accipimus, quia pecuniâ te putas emere quod gratis datur. Ex eo autem quod gratis datur, sors vocatur. Non est tibi sors neque pars in fide hac. Præsumit ille fidem, præsumit & charitatem: sed nec fides, nec charitas aliunde quàm ex gratuitâ misericordiâ. Fingit ergo fidem, fingit charitatem: & dum dilectionem resonat, seminat corruptionem. Nusquam ergo pacem metet beatorum, quia nec ad patrem seu hæreditatem fidelium, nec ad sortem sanctorum pertinet.

Spiritus Sãctus gratis datur, nullâ comparatur pecuniâ.



IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM.



OLOSSENSES, Populi minoris Asiæ, sed Phrygiæ maioris, ad fidem ministerio discipulorum Apostolicorum adducti, sed ad superstitionem traducti Pseudapostolorum artificio. [Idcircò, ait Ambros. hos Apostolus hortatur per epistolam, & admonet, ne alicui præter Christum aliquam esse spem putarent, & deciperent,] Licet enim non prædicasset Colossis, imò ne Colossas vidisset vnquam: tamen quia gentium erat Apostolus, & solicitudinem omnium gerebat Ecclesiarum, scripto reformat, quæ viuâ non formauerat voce; liberatque periculo quos in fide verâ deuios iudicauerat. Ambros. in prœm.



CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

SVpremum prædicat Christi dominium, præcipuum explicat Apostoli ministerium. In his duobus pars vna capitis & altera.

PARS PRIMA.

De Christi dominio.

TEXTVS.



PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater: eis qui sunt Colossis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in

Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis: quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij: quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex eâ die quâ audiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu, qui etiam manifeſtauit dilectionem veſtram in ſpiritu. Ideo & nos ex quâ die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientiâ & intellectu ſpiritali: vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientiâ Dei: in omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis eius, in omni potentiâ & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patrí, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij Dei lectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terrâ, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt antè omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per Sanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.

EXEGESIS LITERALIS.



VGMENTVM exorat fidei, Chriſti primatum exaltat, cuius morte redempti ſunt homines, cuius ſanguine fideles ſunt reconciliati.

Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater: eis qui ſunt Coloſſis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu &c. Salutat Paulus volente Deo ac iubẽte Apoſtolus, Salutat & Timotheus frater Eccleſiã Coloſſenſium: id eſt Chriſtianos, ſeu fidẽ veram ac pietatem Chriſtianam profeſſos: qui quidem omnes, ſeu maiores, ſeu minores ſunt fratres ſecundùm Chriſtum Ieſum. Ad omnes igitur Coloſſenſes, qui non ſolùm baptiſmi ſacramento ſanctificati ſunt, ſed & fidei teſtimonio probati. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto &c. Salutatio non inanis, nec communis comprecatio. Alibi quippe ſimpliciter dicit. A Deo Patre: Hîc autem addit, Noſtro. Sancti quàm præclari, fideles quàm nobiles, vt qui eundem Patrem cum vnigenito Dei filio ſortiantur, & ab eo ſalutaria conſequantur beneficia. Caput Epiſtolæ, ait Ambroſ. ſolito more ſcribit ad eos, in quo & ſanctis & fidelibus fratribus literas ſe ordinare proſequitur, quibus exoptat Dei gratiam manere per Chriſtum. Sancti ſunt, quibus inſidet Dei gratia, fideles ſunt, in quibus illa permanet;

Ambroſ. in Paulum.

A quibus non ſolùm indulta eſt remiſſio peccati, ſed & doni conceſſa eſt pacifica poſſeſſio. Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes: audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis &c. Ego & Timotheus meus, indeſinenter agimus gratias pro beneficiis in vos collatis, & continuas pro vobis Deo qui Pater eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, orationes offerimus. Audiuimus enim fidem veſ- B tram, quam habetis in Chriſto, charitatemque liberaliſſimam, quam ergà quoſcumque exercetis Chriſtianos: propter prœmium ſperatum, promiſſum vobis, ſed apud Deum in cælis repoſitum. Neque enim, vti dixit. Athanaſ. bona huiuſmodi ſeruantur in terris, vt corrumpantur, ſed in cælis conduntur. Ibi namque certa ſunt, & ſtabilia hæc bona futura. Colite ergo, fratres, non humanarum ſpe rerum, ſed futurorum bonorum expectatione: Nihil enim de ſpe hac ambigendum, quæ C in tuto ſeruatur.

Certâ ſunt nobis, quæ nobis ſũt, in cælis repoſita.

Athanaſ. in Paulum.

Quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij: quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex eâ die quâ audiſtis gratiam Dei in veritate &c. Iam enim ſpem illam concepiſtis per annuntiationem admiſſionemque veriſſimi Euangelij, quod quidem vobis prædicatum eſt, conſignatumque: ſicut: & vbique terrarum non ſolùm feliciter plantatum eſt, ſed & vtiliter propagatum. Commendatur doctrina Chriſti, ait Aquinas, à dilatatione: quia

Aquin. lect. 2.

quidam discipulus. Et ideò dicit, Audientes fidē, quæ est principiū spiritualis vitæ. Sed hæc fides sine dilectione operante, est mortua. Et ideò dixit, Et dilectionem quam habetis. Est autem quædam dilectio charitatis, & quædam mundana: sed mundana non se extendit ad omnes, quia dilectio talis ad illos est, cum quibus est communio, quæ est causa dilectionis; & hæc causa in dilectione mundanâ, non se habet ad omnes, sed tantùm est cum consanguineis & mundanis, sed dilectio charitatis se extendit ad omnes. Et ideo dicit, In omnes. Nam, si peccatores diligantur per charitatem, hoc est vt sint aliquando Sancti. Denique, dilectio mundi habet fructum in hoc mundo; sed charitas, habet in vitâ æternâ. Et ideò tertiò subdit, de spe, dicens: Propter spem quæ reposita est: id est, propter gloriam æternam: quæ ideò dicitur spes, quia pro certo custoditur. [Tria sunt hæc, sed omnia ferè, vel certè præcipua veræ pietatis, seu Christianæ religionis officia. Religio quippe in cultu Dei est, Deus autem fide, spe, & charitate colitur: pietas namque nititur fide, erigitur spe, charitate perficitur.] Finis enim præcepti est dilectio: & ea gemina, ait Augustinus, id est, Dei & proximi. [Sed si hoc audiuit Paulus, & ab aliis accepit, nonvtique Colossensibus Euangelium prædicauit per seipsum, sed per aliquē discipulum, ac fidelem ministrum.] Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in Spiritu. [Ergo non erant edocti à Paulo, sed ab Epaphra, nec tamen solo: nam in Græcis est,] Sicut & didicistis. [Sed si ille non primus, aut solus, certè præcipuus, qui fructum quem fecerat Colossis, Romæ Paulo in vinculis constituto exposuerat, &, vt dixit ipse Paulus, se concaptiuum fecerat. [Et Epaphroditus, qui hæc renuntiat. Eum enim veri simile est illic prædicasse. Inde ostendens eum esse fide dignum, dicit, conseruo nostro. Qui est fidelis pro vobis minister Christi.] Ita Chrysostomus.

Disciplina Christiana in fide, spe, & charitate cōstituta.

August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 26.

Chrysost. orat. 1.

DISQVISITIO III.

Quomodo Euangelium in totò mundo prædicatum.

NOn solùm de credendis imbuti fuerant Colossenses, sed & de sperandis. [Propter spem: quàm audistis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat & crescit, sicut in vobis.] Non mirum, quòd ad vos peruenerit Euangeliū, & apud vos manserit; cum modò iam sit in vniuerso mundo, vbique multiplicetur, vbique dominetur [Quoniam enim, ait ille, maximè confirmantur multi ex eo quod multos habeant socios dogmatum, propterea subiunxit, Sicut & in vniuerso mundo. Nō enim accessit, & præcessit, Sed mansit, & est illic. Vbique adest, vbique dominatum obtinet, vbique stat. Fructificat per opera, augetur quòd multos assumat, quòd magis firmetur ac stabiliatur. Tunc enim plantæ densæ fiunt, quando planta fuerit firmata ac stabilita. Plus est quod addit Apostolus, Euangelium non solùm in toto mundo disseminatum, sed & apud vniuersam prædicatum creaturam. Quod prædicatum est in vniuersâ creaturâ, quæ sub cœlo est. Sed huic assertioni tria repugnare videntur aut obstare. Primum est, quòd experientiâ teste, & historiâ iudice, partem reliquerit intactam, needum totum adimpleuerit orbem. Secundū [Prædicabitur hoc Euāgelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet cōsummatio.] Respondet nimirum discipulis, de futuro solicitis iudicio. Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduenrûs tui, & consummationis seculi. Ita priùs: Messis verò, consummatio seculi est. Sic erit in consummatione seculi. Cum igitur nondum aduenerit consummatio seculi, sequitur vt nondum facta fuerit per mundum vniuersum Euāgelij propagatio. Tertium, quia & Apostolus, ipse sibi prædicandi rationem præcideret, & aduersùs morem suum præscriberet: cum enim Euangelium non prædicet, nisi vbi nondum prædicatum est, non est quod iam ministerium curet suum, si iam vbique disseminatum est. Quid igitur egit toto illo spatio quo præsenti superuixit epistolæ, si nulli prædicauit creaturæ. Toto ferre decennio mansit otiosus, aut quod iam plantatum rigatumque quasi succedaneus excoluit?

Chrysost. ibidem.

Matth. cap. 24.

Matth. cap. 13.

Euangelium nondum vbique seminatum est.

Potest equidem concedi locus hyperbole; quæ in scripturis nostris non rara est, & in hac materia satis aperta. Cum enim dicitur in Actibus: Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Non de omnibus omninò intelligitur, sed de pluribus. Potest & idem sensus recipi scripturæ: cum enim ait Christus apud Marcū: [Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ.] Seu apud Matthæum, [Euntes docete omnes gentes.] Nullum excipit, sed omnibus omnium gētiū hominibus prædicari præcipit sine discrimine, omnes nationes sine exceptione Euāgelizari: adeo vt remotæ etiam & incognitæ fidem hauriant, aut rumorem percipiant. Potest enim dici, quòd Euangelium secundùm famam est diuulgatum per totum mundum, sed non secundùm fundationem. Verùm cum mens Pauli sit stabilire veram fidem, & falsam excludere, veritatem inde deducit, quod iam mundum vniuersum peruaserit, idcircò illa Catholica sit & verè Christiana; alia verò adulterina, & subdole superseminata. In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mūdo est. Inde potestis agnoscere, fidem vestram tam veram esse quàm & Euangelicam, quod prima cucurrerit, quod in vniuersum mundum exierit, locumque occupauerit; aliam verò tam falsam quàm intrusam, quod posterior aduenerit, quod vix vtpote minor, succreuerit. Soleo, ait Tertullianus, in præscriptione aduersùs hæreses omnes, de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni hæreticâ posteritate. Hoc nūc probabit Apostolus dicens, De spe repositâ in cœlis, quam audistis in sermone veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos sicut & in totum mundum. Nam si iam tum traditio Euangelica vbique manauerat, quanto magis nunc? Porrò, si nostra est, quæ vbique manauit, magis quàm

Actuum cap. 2.

Aquin. lect. 2.

Fides vera quæ prior vbique semiseminata est.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 19.

mite; & gladium spiritûs, (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantiâ, & obsecratione pro omnibus sanctis; & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Euangelij: pro quo legatione fungor in catenâ, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychichus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo patre, & Domino Iesu Christo gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

ARMATVRAM describit animæ Christianæ congruam: & Tyticho destinato, solitam epistolæ suæ, sine commendationibus quidem, sed cum apprecationibus, imponit clausulam.

De cætero fratres, confortamini in Domino, & in patientiâ virtutis eius &c.] Quod superest, fratres mei, date operam, vt per Christum Dominum, per fortitudinem eius virtutemque roboremini, & ad pugnam non solùm aliquibus domesticis, sed omnibus, Christianis paratam paremini. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli &c. Hæc est illa πανοπλία quæ quidem diuina, quia non arte mundi, sed Dei virtute imbuta: nam illa ad veternosum hostem, spiritualémue inimicum debellandum planè sunt necessaria. Textus Ambros. Induimini vos armis Dei, vt possitis stare aduersùs versutias diaboli. [Et,] Ideò accipite vniuersitatem armorum. [Tum] Arma Dei, fides est stabilis, per quam semper victus est satanas. Hæc nempe victoria est, quæ vincit illum fides nostra, dum firma consistit & intrepida. Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus &c. Non enim luctamur aduersùs homines seu pugiles carnales, sed aduersùm principatus & potestates, non aduersùs infirmos hostes fragilesque, sed aduersùm eos, quibus tanta in mundum hunc terrenum mundum caliginosúmque concessa est à Deo, humanæ culpæ merito, potentia. Apud Tertullianum. Sed aduersùs munditenentes luctatio si nobis, ô quanti iam dij creatores! Cur enim non hoc & hoc vindicem, vnum munditenentem nominari debuisse, si creatorem significabat, cuius essent quas præmisit potestates? porrò, quum suprà quidem induere nos iubeat armaturam, in quâ stemus ad machinationes diaboli; iam ostendit diaboli esse, quæ diabolo subiungit, potestates & munditenentes tenebrarum istarum, quæ & nos diabolo deputamus. Munditenentes, Græcè κοσμοκράτορες, quod simpliciùs, mundipotentes. Sunt enim Spiritus nequam in aëre vagantes, & in hoc infimo mundo tanquam in sede propriâ, suum

Comment. Ambros.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 18.

Magna dæmonibus in mundum infimum permissa est potentia.

A collocantes imperium. [Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare &c.] Quandoquidem tanta est hostium istorum potestas, calliditas tanta, panopliam assumite diuinam: vt possitis resistere tempore belli ac periculi, & in omnibus tentationibus firmi stabilesque ac perfecti consistere.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis &c.] Panopliam dixit, nunc verò armaturam vniuersam
B in partes suas distribuit. Incipit autem à veritate, quia nihil probandum, nisi sit verum. Idcircò vult veritatem assumi pro baltheo, seu militari cingulo, quia prima pars est armaturæ spiritualis, sicut baltheus insigne est militiæ téporalis. Vult & pro thorace iustitiam indui, vt tam in operibus iusti, quàm in sermonibus sinceri sint Christiani. Denique, vult calceari pedes, vt præparati sint ad Euangelium pacis ac reconciliationis, omnibus annuntiandum hominibus. Quoniam, ait Ambros. contra atrocissimos hostes & omni tergiuersatione callidos bellum gerimus, idcircò omni cautela & solicitudine vigilare debemus, vt quacumque
C tentauerint, munitos nos & præparatos inueniant. Si itaque succingemus lumbos nostros in veritate, si parati sumus errori resistere. Omnis enim qui operari vult, succingit se, vt ablato impedimento diligentiùs operetur.] Vita nostra, militia est, malis ac periculis exposita. [In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere &c.] In his autem omnibus, pro scuto fidem assumite. Secundùm Ambros. [Super hæc autem omnia assumite scutum fidei, quo poteritis omnia tela maligni ignita extinguere. Contra terrigenos enim hostes corpus saginâ roboratur, & poculis mens incita-
D tur, vt repugnandi sumat audaciam: aduersùs autem spiritalia nequitiæ spiritaliter repugnandũ est, & sobrietatis & abstinentiæ arma sumenda sunt, vt infusi sancto Spiritu immundos & erraticos spiritus deuincamus.] Spiritualibus spiritualia, sed spiritualibus nequitiæ spiritualia sunt opponenda iustitiæ. [Et galeam salutis assumite; & gladium spiritûs (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu &c.] Si iacula maligni ignita sunt, non solùm repellenda sunt, sed & extinguenda: sed ij soli repellunt & extinguunt,

Ambros. in Paulum.

Ignita diaboli iacula non solùm repellenda, sed & extinguenda.

Ambros. Ibidem.

extinguunt, qui sunt fortes in fide, & in professione stabiles, sed spem debet habere comitem, vt ad salutem semper & cogitatione aspiret & operatione: vt autem resistat fides, & spes subsistat, non sufficit galeam salutis imponere capiti, expedit & gladium sumere de manu Spiritûs sancti: iste enim gladius, verbum Dei est, quo fulcitur fides, spes innititur. Sic tamen arma seu offensiua sumatis seu defensiua, vt vestris meritis non fidatis; sed assiduè Deum oretis interpelletisq; nec vocis duntaxat sonitu, sed & cordis affectu, & constantiam flagitetis & victoriã.

Et in ipso vigilantes in omni instantiâ, & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Euangelij &c. Ex textu Ambrosiano. In idipsum vigilantes cum omni perseuerantiâ. Vt enim id habeatur, vt optatus obtineatur euentus, vigilandum est, orationibus instandum ac precibus. Obsecrate pro sanctis omnibus: sed & pro me, vt non solùm Deus os meum ad prædicandum aperiat, sed & animum faciat ad manifestanda fidei Euangelicæ mysteria. Pro quo legatione fungor in catenâ, vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui &c. Legatus sum quidem, sed ligatus: ideo præcibus vestris iuuandus sum vt audeam, legationemque meam, seu Euangelicam prædicationem liberè & exertè impleam. Vides, ait Athanas. vt culter diuini verbi fiduciam præferat, quem sanè Paulus erat oris apertione iam accepturus. Ideo enim ligatus vt taceret, sed legatus vt fidêter ac viriliter ageret. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino &c. Sciunt quidem Romani quid agam in catenâ, vt autem & vos sciatis, & cognoscatis quæ ad me pertinent, docebit vos Tychicus frater noster charissimus, & in iis quæ Christum attinent, & Euangelium, fidelissimus. Quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur cordâ vestra &c. In hoc à me destinatus est ad vos, vt & rerum nostrarum statum renuntiet, & animos confortet vestros, exhortando consolandoque, ne fortè deficiatis in tribulationibus meis, aut ne minùs alienis adhortationibus deferatis. Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Iesu Christo &c. Detur scilicet, aut multiplicetur non vobis solùm, sed & aliis, maximè Asianis. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, Amen. Credite in Christum, ipsum diligite, sed purè ac sanctè. Ita faciat Deus & in id gratiâ suam nobis impertiat. Licet, ait Aquinas, pax & charitas multum faciant ad gratiæ conseruationem; tamen quia semper supponunt ipsam gratiam, sine quâ haberi non possunt: ideo optat eis gratiam.

Athanas. in Paulum.

Christus sanctè ac purè diligendus.

Aquin. lect. 5.

DISSERTATIONES Tropologicæ.



SVPERFLVVM est inquirere, vbinam scripta sit Epistola, & per quem missa, cum scripta sit, In catenâ. Cum Romæ esset in vinculis. Et Tytisho commissa, ministro fidelissimo. Sic tamen commissa, vt & ipse quæ viderat & audierat loqueretur, commissoque fungeretur officio. Si enim à Paulo colebatur, ait Athanas. omnium profectò erat nihil ignarus. Si fidus, mendax esse non poterat. Est autem hîc minister in Domino: hoc est, Dei ob gratiam hoc fungitur ministerio, & diuinis in rebus, non terrenis versatur. Iam ad cætera.

Athanas. in Paulum.

DISSERTATIO I.

De armaturâ.

ARmatura illa non humana est, sed diuina; non enim carnalia sunt arma Christianorum, sed virtutum opera. De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis eius. Peritus vbique Paulus, domi forisque, in pace & bello instructissimus. Regem instituit domesticum, nunc ad bellum educit: Socios addiderat, nunc & armat aduersùs insidias diabolicas. Vniuscuiusque domus est ciuitas, ait Chrysostomus, vnusquisque est princeps & rector suæ domûs. Et id quidem est euidens in domo diuitum, vbi sunt & agri, & procuratores, & præfecti suprà præfectos. Ego autem etiam domum pauperum dico esse ciuitatem. Sunt enim hîc quoque principatus, vt puta, maritus principatum obtinet in vxorem, vxor in seruos, vt vxor sit domi rex alius dempto diademate. Sed ecce omnibus constitutis principatibus, eos deinceps armat, & educit ad bellum. Confortamini inquit, in Domino. In spe in ipsum per eius auxilium. Non quoniam multa iussit quæ fieri oporteret, nolite, inquit, timere: spem in Dominum coniicite, & omnia reddet facilia. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli. Non dixit aduersus pugnas; neque aduersùs bella. Neque enim apertè nobiscum bellum gerit inimicus, sed & insidiis, quæ dicuntur μεθοδεία. Μεθοδεύσαι enim est decipere, ac ratione capere & superare: quod quidem fit & in artibus, & in luctâ iis qui nos seducunt. Dixit astutias, subtilia cogitata, methodicâ ratione; ille enim vtitur arte, viâ agens compendiariâ; adoriens ex insidiis, hoc est probabilem reddens orationem, & vtens prætextibus. Multa præcepta proposuerat Apostolus & generalia, ad destruendam vetustatem peccati, & inducendam gratiæ nouitatem. Sed tribus adhuc opus erat ad hæc adimplenda: vnum quod est interius, alterum quod est exterius, tertium quod partim exterius. Quod est exterius, est meritum Christi. Confortamini in Domino. Quod est interius, est arcanum Dei auxilium, nempe Spiritûs subministratio, affectusque prouocatio. Et in potentiâ virtutis eius. Quanquam enim Deo virtus & potentia sint idem, vt notauit Aquinas, tamen quia virtus est vltimum de potentiâ, & quasi perfectio potentiæ: ideo dicit, In potentiâ virtutis eius: id est: in potentiâ virtuosa. Notatur enim efficacia gratiæ, seu potentia explicatur efficaciæ. Quod interius simul & exterius, armatura diuina. Posset enim aliquis dicere: si tantum est Christi meritũ, tãtumq; Dei in me auxilium,

Chrysost. orat. 22.

Insidiæ diaboli in rationibus seu prætextibus positæ.

Aquin. lect. 3.

xilium, tam certa mihi victoria est, quàm inuicta A potentia. Sic confidas, vt tamen non præsumas. Si enim quis inermis ad bellum procederet, rege licet vidente, sese periculo exponeret; & si in illo periret, non deberet casum suum alienæ improperare infirmitati, sed propriæ imputare temeritati. Ideò addit, [Induite vos armaturam Dei.] Qui dicit, induite vos aliquid externum connotat; qui autem adiungit, Armaturam Dei, aliquid internum subindicat.

Credit antiquitas, quædam heroum arma diuina esse, vel finxit. Ita de Memnone. [Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.] Inde fabularis armatura, vnde & vocabis statua. [De B Ænæa. [Arma rogo genitrix nato.] Et de Turno [Procurrit, fratrique ensem Dea Daunia, reddit.] Nam [Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est. Mortalis mucro, glacies seu futilis ictu, dissiluit. Vulcania, quasi Vulcani arte fabricata: sed reuera, quia, vt ait ille, [Arte magistrâ: Non solùm affabre, sed & quasi ad ictus mortales, & vsus immortales composita confecta-ve. Sicut enim grandia vulnera diis suis referebant. sic & arma seu ingentia seu excellentia diuino tribuebant opificio. [En perfecta mei promissa coniugis arte, Munera.] Sed lasso te meque istis, aut onero. Tamen & scripturæ nostræ, Deo seruant quæ sunt maiora ac præstantiora, vt montes Dei, cedros Dei, diuinaque vocant quæ Deo sunt digna. [Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem.] Id est, non aduersùs infirmos hostes, inimicos fragiles, mortales perituros: sed aduersùs, tam potentes quàm callidos. [Scitote, ait Augustinus, vos cum callido, antiquo, & veternoso inimico suscepisse certamen] Aduersus hostes immortales, ideoque arma conquirenda sunt immortalia. [Arma acri facienda viro.] Non minùs arte opus, quàm virtute; Sed cum ars humana ignara sit, virtus infirma, tam arte diuinâ opus est, quàm & virtute. [Ergo, ait Augustinus, nos admonens Paulus, ait, Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem. Posset enim quisque putare aduersus reges terræ, aduersus potestates seculi. Quare? Ipsi non caro & sanguis? Semel dictum est, non aduersùs carnem & sanguinem. Auertere ab omni homine. Qui ergo restant inimici? Aduersùs principes & potestates spiritualis nequitiæ. Carnis igitur & sanguinis titulo designat hominem Apostolus, sed adhuc mortalem: nam & eisdem communicauit Christus, quatenus infirmam assumpsit naturam. Nō est nobis colluctatio aduersùs homines, aduersùs reges ac principes carnales, seu aduersùs hostes spirituales, tam terribiles quàm & inuisibiles: idcircò nobis armis opus est, non humanis, sed diuinis, spiritualibus, inuincibilibus, donis scilicet, muneribus, virtutibusque necessariis: vt possimus non solùm resistere media inter pericula, sed & subsistere, non solùm aciem infringere, sed & hostem percutere, ictum eludere, elidere impetum.

Grādia omnia diuinæ seruata potentiæ.

August. lib. 4. de symb. ad cat. ca. 1.

August. ser. 8 de verb. Dom. cap. 3.

Iam verò in specie: [State ergo succincti lumbos vestros, in veritate &c. [Baltheum notat, seu militare cingulum, cuius mentio magna in ornamentis militum, non solùm, in exteris, sed & in nostris. Ita Ioab ad militem: Quare non confodisti eum cum terrâ, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum.] Parùm interest, si aspiret, vel non; si masculinum sibi genus, aut neutrum vindicet ita expoliauit se Ionathas vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad balteum, [Quasi vltimum, quod duci, aut militi esset deponendum. Benè autem coniungit arcum, gladium, & baltheum: nam balthei duplex vsus, primus ad arcum, alter ad gladium. De primo, poëta nobilissimus.] Alter amazoniam pharetam, plenamque sagittis Threiceis: lato quam circumplectitur auro Baltheus, & tereti subnectit fibula gemmâ. [Pharetra namque ex baltheo dependula: tum & gladius additus. Inde Græci ζωστῆρα dicunt à cinctione, tamque illi quam & Latini è rudi loro, seu crudo effingunt corio, non solùm vt ambiret corpus, sed vt & onus gestaret. Alludit Tertulianus, cum ait. [Et virgam portauit Moyses, & fibulam Aaron: cingitur loro & Ioannes; agmen agit & Iesus Naue; bellauit & populus, si placet ludere. [Sic tamen crudo, vt sua non deessent ornamenta, adeò vt eminerent & gemmæ & fibulæ aureæ. Inde mirum in Hadriano apud Spartianum, quod] Sine auro baltheum sumeret. Omnibus enim ferè, teste Liuio, aurata balthea, gemmataque. Ita apud Varronem, [Cingulum è corio C bullatum.] Sed ad rem nostram propius. Cingebatur baltheus: inde Latini cingulum dicunt Græci ζώνην. Ita Isidorus: [Baltheus, ait, dicitur, non tantùm quòd cingitur, Sed etiam à quo arma dependent.] Et primò quidem, [Ex loro appendebat humeris.] Vt habes apud Hesiodum. Inde Pharetræ prominebant, & ipsæ pendulæ. Tum & adhæsit lumbis, vt ensis commodiùs [illegible] et se, & pharetræ submitteret. Ita Isaias. [Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.] Ad vtrumque ille Rex Israël. [Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.] Sic & Iob. Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune D renes eorum. [Nihil frequentius in scripturis seu nostris, seu extraneis, cinctione balthei, incinctione, accinctione. [Omnes accincti erant balteo desuper.]Sed raro, vel nusquā succinctione. Inde singulum assumere, vel deponere, cingere se vel discingere: idest, militarem inire professionem, vel dimittere. Quid ergo Paulus ad milites Christianos. [Succincti lumbos vestros.] Succinctio enim ad ambulandum, Sicut & accinctio ad pugnandum. Sed meminisse debemus, militiam nostram non aliam esse quàm viam, seu vitam nostram, & eosdem esse milites quos viatores. [Et calceati pedes in præparationē Euangelij pacis.] Ipse Paulus in viâ prouocatus E est, seu potiùs aduocatus: & in ipsâ, negatis, sed mutatis armis, factus est miles Christianus.

2. Reg. c. 18.

1. Reg. c. 1.

Vsus balthei apud milites solemnissimus.

Tertullian. lib. de idol. cap. 19.

Isid. lib. 19. cap. 33.

Isai. cap. 11.

3. Reg. c. 20.

Iob. cap. 12.

4. Reg. ca. 3.

Post baltheum sequitur lorica. Græci θώρακα vocant, repræsentantque apud Plutarchum in Lucullo. [Ferream, squammeam.] Ita Poëta noster, [Læuibus huic hamis consertam auroque triplicem loricam. Donat habere viro, decus, & tutamen in armis.] Benè decus & tutamen. Thorax enim militaris, sed insignis, qui & ornaret auro; & ferro protegeret. Ita Goliath. [Loricâ squamatâ vtebatur. [Annulatæ enim loricæ seu squamatæ, quasi Spirulis hamulisque consertæ ac cōtextæ. [Porrò pondus loricæ eius, quinque millia. Siclorū æris erat.]De scuto, quòd

3. Reg. c. 17.

θυρεὸν

θυρεὸν Græci vocant, indicantque longum ac protensum Apud liuium [Se magnitudine scuti perfacile tuebatur miles] In hoc distinctum scutum à Clypeo, quod Clypeus rotundus esset, scutum oblongum; promissumque. Vnde Paulus non clypeum imponit, sed scutum, quasi maius ac tutius tegumentum, ad pedes vsque productum. [In quo, inquit, possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.] Tela Græcè βελὴ iacula: est enim armatura missilibus excipiendis excogitata, ideoque populis ferè omnibus notissima. De galeâ, vbique & apud omnes. [Hastam alij galeamque ferunt] De pallante. Et de alio. [Tertius Argolicâ hac galeâ contentus abito] De Goliath. [Et cassis ærea super caput eius.] Et eodem capite: [Induit Dauid Saül vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum loricâ.] Denique de gladio. [Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere.] Sed in rebelli, etiã vbi ius non est gladij, semper tamen vsus est. Idcirco supersedeo ab armis numerã is. Sed tria adnoto. Primum, Apostolum militi suo non solùm arma præcepisse defensiua sed & offensiua. [Et gladiũ Spiritus.] Gladium spiritualem, ad hostem spiritualem, non eludendum duntaxat. Sed & percutiendum confodiendumque. Alterum, etiam pedibus prouidisse. [Et calceati pedes.] Quamuis enim nuda passim bellantibus sicut & venantibus vestigia: vel vno pede tecto, intecto altero: vult tamen Paulus vtrumque pedem tegi ac protegi: quia & in hoc bello, paratæ etiam ipsi calcaneo insidiæ. Tertium, galeam, maximum insigne ducum, quasi militarem galerum, capiti impositum, non tantum ad tegumentum, sed & ad symbolum. Ita Tertullianus ex senario. [Mineruam calceans furuis galeam formis.] Sic & ille. [Fuluosque lupi de pelle galeros, Tegmen habent captiui: vestigia nuda sinistri instituere pedis, crudus tegit altera pero.] Sed calceatur galea, dum aptatur; sed dum dico aptari, intelligo & ornari, necnon & pro insigni nobilitatis, nedum pro trophæo salutis ostentari. [Et galeam, salutis assumite.] Et ex Græcis, [galeam salutaris accipite.] Sapientia in capite, inde tota spes salutis deducenda.

Christianus offensiuis & defensiuis armis muniendus.

Tertullian. lib. de testi. an. cap. 2.

Sed iam ad arma miles, imò ad virtutes, quibus muniendus est Christianus. [State ergo succincti lumbos vestros in veritate.] Non vt obseruat Aquinas, [In bello spirituali prius est necesse concupiscentias carnis restringere, sicut vicinus hostis prius est vincendus: hoc autem fit per restrictionem lumborum, in quibus viget luxuria, quod fit per temperantiam, quæ gulæ & luxuriæ cõtrariatur. Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti. & Iob 38. Accinge sicut vir lũbos tuos. Sed, In veritate, id est, in rectitudine intentionis, & non simulatè. [Certè, vt notat Chrysostom.] Non dicit de zonâ sensili. Nam omnia quæ sunt in loco ita dicit, vt cadant sub intelligentiam. Primum ergo succingit militem: id est, eum qui libidinibus diffluit & est dissolutus, & humi repentes habet cogitationes, per zonam contrahit ac reprimit; non sinens eum impediri à vestibus quæ tibiis implicantur, sed dimittens vt currat pedibus solutis & expeditis. Accipite armaturam: hoc est, semper armemini: vt possitis, deuictis vitiis, & animi perturbationibus, improbis & nefariis desideriis, quæ nobis afferunt molestiam, stare. Nam si in pugilibus & iis qui luctantur, hoc ante alia præcipit, nempe stare: multò magis in bellis, & in rebus militaribus. Qui stat rectus, stat nõ profligatus & dissolutus, neque ad aliquid inclinatus. Non stat qui degit in delicis, qui est lasciuus & libidinosus, qui est auarus & pecuniæ cupidus, sed est inclinatus. Lumbos cingunt milites loro coriaceo. Vos autem quonã? Succincti, inquit, lumbos nostros in veritate nullum diligamus mendacium. Res omnes tractemus & persequamur in veritate. Alter alteri non mentiatur: & si sit gloria, quod verum est, quæramus; & si vita, veram] Vult nos Apostolus perfectos, non solùm quoad sufficientiã, sed & quoad abundantiam. Idcirco summam colligit, nedum zonam præcingit: vt non solùm vera, sed & verè quæramus, vt in disciplinâ Christi, in viâ Dei non minus sincerè incedamus, quàm impigrè. Sic enim iustitiam attingemus perfectam, imò & induemus, velut loricam auream. Sicut enim lorica tegit membra, sic & iustitia omnes comprehendit virtutes. Sed in omnibus, scuto fidei vtendum est. [Quia, vt dixit Aquinas, sicut scutum supponitur omnibus armis, ita fides omnibus virtutibus. [Illo pectus, in quo cor, muniendum est, virusque inimici respuendum.] Meritò, ait Chrysostomus, fidem nominat scutum: quomodo enim scutum ante totum corpus ponitur veluti propugnaculum, ita etiam fides: omnia enim ei cedunt: nam si fides imperat dæmonibus, multò magis cupiditatibus.

Aquin. lect. 4.

Chrysosto. orat. 21. & 23.

Christiani ad sufficientiam & abũdantiam.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. orat. 24.

DISSERTATIO SECVNDA.

De pugnâ.

NEmo armatur nisi ob pugnam, sicut nemo præliatur nisi ob victoriam. Ideo stamus semper armati, quia semper depugnamus: sed non semper eximus illæsi, quia non semper vincimus. Armaturam habes, sed nondum calles pugnam. [Aduersùs principes & potestates: aduersùs mundi rectores tenebrarum harum: contrà spiritualia nequitiæ in cœlestibus.] Dedignabatur Alexander Philippi stadium intrare, nisi reges haberet concurrentes: quid inde gloriabatur cum homines haberet sibi similes? Aduersus carnem & sanguinem [Humana quippe seu sensibilia, carni deputata sunt & sanguini. Nos non solùm reges fecit Christus, sed & aduersùs dæmones, tam inuisibiles, quàm & truculentos, luctatores, fecit.] Sæpè enim, vti dixit August. deterioribus potestas à summâ Dei potestate dari creditur in meliores, id est, iniquis in eos qui vel Iam tenent iustitiã, vel ad eam tenendã peruenire nitũtur; ad hoc enim datur, vt probati per patientiã manifesti fiant, vel sibi ad spem vel aliis ad imitationem. Scientes, inquit Apostolus, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Ex quo genere certaminis est, cum homo fidelis aduersùs principes & potestates præuaricatorum angelorum, & aduersùs spiritualia nequitiæ colluctatur: cum illi accipiunt tentandi potestatem, ille præcepta tolerandi: quo fit vt in re inferiori superent, in potentiore superentur: superatur plerumque corpus infirmius, & tenente

Augustin. lib. 2. cont. Secundin. cap. 10.

Boni probati fiunt ad spem aut ad imitationem.

firmiore superatur.. Contrà vim quippe eorum, patientiâ pugnatur; contra insidias, prudentiâ: vt ad perniciosam consensionem, nec cogendo nos flectant, nec fallendo decipiant: quoniam iure virtus & sapientiâ Dei est, per quam facta sunt omnia.] Certabat Alexander pro pecuniis,aut pro gloriâ. Hic verò, vt obseruat Chrysostomus, [Non certatur pro pecuniis, non pro gloriâ: Sed certatur ne redigamur in seruitutem & captiuitatem.Quamobrem inimicitiæ sunt irreconciliabiles. Contentio & pugna est vehementior, quando pro rebus magnis suscipitur. Aduersus principes & potestates. Si est ergo bellum, si tales sunt acies, si mundi rectores, si spiritualia nequitiæ: quomodo, dic quæso, deliciis indulges quomodo es laxus & dissolutus? quomodo inermes superare poterimus?] Sed quærendum est primo, cur dæmones dicantur principes & potestates: Secundò, cur rectores mundi: tertiò, cur tenebrarū harum?

Chrysost. in Moral. orat. 22.

Quoad primum. Duo consideranda sunt in Angelis: iustitia scilicet ac Potentia [Magnificentia quædam est in Angelis, (verba sunt Augustini) & tanta potentia, vt si faciant Angeli quicquid possunt, sustineri non possit. Et omnis homo desiderat potentiam Angelorum, sed iustitiam Angelorum non amat.Existit qui amat potentiam, amat & magnificentiam: vult esse magnus quomodo Angeli sunt. Priùs iustitiam dilige, & sequetur te potentia. Sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. Tu iam quærebas magnificentiam, prius dilige sanctitatē. Cum sanctificatus fueris, eris & magnificus. Nam si præpostere priùs esse volueris magnificus, ante cadis quàm surgas. Non enim surgis, sed extolleris.] Talis fuit Simon ille Magus, qui delectatus potentiâ Angelorum, priuatus est iustitiâ Sanctorum: appetiit magnificentiam, & cecidit per superbiam. Inde Dauid: Domine non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei. Neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me. [Hoc planius dicatur, ait Augustinus, & audiatur. Non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: nec quæsiui aliquid suprà vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. Quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se: propterea plus illum delectauit potentia Angelorum,quàm iustitia Christianorum.] Sed alia Apostolorum, alia Angelorum potentia. Illa namque in rebus versatur spiritualibus quibus præsident, ista in rebus occupatur materialibus quibus assident.Denique in Apostolis, iustitia comes fuit potentiæ: in Angelis, potentia fomes fuit superbiæ, ideoque quibusdam peccantibus, remansit quidem potentia, quæ fœtus est naturæ; sed abscessit iustitia, quæ effectus est gratiæ. [Sic ait Athenagoras, & alias quasdam potestates esse cognoscimus,quæ vel circa materiam vel intra eam versantur: vnam, Deo inseruientem; alteram verò, Deo aduersantem. Non quòd vlla vis Deo repugnare queat, vt amicitiæ lis aduersatur, secundùm Empedoclem, & nox diei, sicut sensibus nostris apparet: nam etiamsi quid Deo se opponeret, mox aboleretur, vi & potentiâ Dei dissipatum. Sed quoniam Dei bonitati, quæ ei adiuncta copulatáque est, ita vt corpori color: Spiritus materiæ adhærens aduersatur: qui tamen & ipse à Deo creatus est, vt reliqui Angeli, & materiæ eiusque formis administrandis præfectus. Idcircò enim Angelos Deus creauit, vt rebus à se digestis prouiderent. Quamuis enim ipse vniuersali suâ & communi prouidentiâ vniuersis prospiciat: particularem tamen rerum singularum quæ cuique fuerint commissæ, Angelis imposuit. [Sunt igitur illi principes, seu potestates, quibuscum nobis colluctatio est. Aduersùs principatus (ita ex Græcis) aduersùs potestates. [Cum enim Angeli,] ab Archangelo,] vt dixit Tertullianus, seducti vel inducti, totam amiserint iustitiam, solam retinuerint potentiam, titulis sub nde delectati sunt, & superbis principatuum ac potestatum elogiis inflati defectum iustitiæ suppleuerunt vel potius per abusum compleuerunt potentiæ.

Augustin. Enarrat. in Psal. 95. in med.

Augustin. in Expos. Psalt. 130.post.ini.

Athenag legat. pro Christ. vlt. med.

Angeli rebus administrandis à Deo præfecti.

Tertullian lib.5. aduers Mar.cap.18.

Quoad secundum. Vulgatum apud priscos hæreticos mundum ab Angelis creatum. Ita Tertullianus, de iis, [qui ex Euangelio esse voluerunt. Primus omnium, inquit, est Simon Magus,qui in Apostolorum condignam meruit ab Apostolo Petro iustamque sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum. Mundum autem ab Angelis suis institutum. Post hunc Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quæ Simon ipse. Secutus potest hæc & Saturninus,& hic similiter dicens, Innascibilem virtutem,id est Deum, in summis & illis infinitis partibus & in superioribus manere, longè autem distantes ab hoc Angelos inferiorem mundum fecisse: & quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset ad similitudinem illam superiorem propter illius luminis Angelos, hominem instituere Angelos curasse. Postea Basilides hæreticus erupit: hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam Græcè νοῦν appellat. Inde Verbum. Ex illo prouidentiam,ex prouidentiâ virtutem & sapientiam. Ex ipsis inde Principatus, & Potestates,& Angelos factos, deinde infinitas Angelorum editiones & probolas: ab istis Angelis trecentos sexaginta quinque cœlos institutos, & mundum in honore Abraxæ, cuius nomen hunc in se habebat numerum computatum. In vltimis autem Angelis,& qui hunc fecerunt mundum, nouissimum ponit Iudæorum Deum, id est, Deum legis & Prophetarū: quem Deum negat, sed Angelum dicit. Huic sortiò obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terrâ Ægypti filios Israël in terram Chanaam transtulisse.] Cesso ab istis non tam sententiis philosophorum, quàm hæreticorum sententiis. Seriò agendum est, dicendumque,mundum nullatenus ab Angelis conditum, nec dæmones eatenus esse mundi, tanquam sui rectores opificij. Nec id dicit Apostolus in linguâ natiuâ, seu, vt sæpius vertit Tertullianus, [Munditenentes,] seu, vt propiùs vertendum est, [Mundipotentes] De potentiâ enim agitur, non de substantiâ; nec tam quæritur, quis mundum ediderit, quàm quis inuaserit principatum, Vnde principi se de potestate iactanti, non obstitit Christus sed intactam sic reliquit veritatem, vt præsumptam vanitatem excluserit. [Vide, ait Ambrosius, quia omnia à Deo: neque enim sine mundo Deus; quia & mundus per ipsum factus est: tamen opera eius mala quia seculum in

Tertullian. Supplem. cap.1. & 46. in lib. de proscript.

Variæ de condito mūdo hæreticorum fabulæ.

Ambros.lib. 4. in Luc. post init.

in maligno positum est:ordinatio mundi à Deo, opera mundi à malo. Ita etiam à Deo potestatum ordinatio, à malo ambitio potestatis. Denique non est, inquit potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt,à Deo ordinata sunt: non data,sed ordinata. Et, Qui resistit, Dei, inquit, ordinationi resistit. Itaque qui permitit, ordinauit:nec potestas mala,sed is qui malè vtitur potestate. Nec muneris aliqua culpa est,sed ministri: nec Dei potest ordinatio displicere, sed administrantis actio.

Quoad tertium. Intantum rectores sunt dæmones tenebrarum harum, inquantum rerum sunt principes mundanarum. Vnde diabolus vocatur princeps potestatis aëris huius, princeps huius mundi,princeps huius seculi, Deus huius seculi,id est,diuersis nominibus,eadem inculcatur potentia.] Rebus enim istis terrenis,vt loquitur Augustinus, merito suæ peruersitatis præpositus, magistratus huius seculi à Domino dicitur.] Et ab initio quidem vniuersalem,in res omnes corporales materialesve potestatem sortitus est naturalis excellentiæ priuilegio, sed inde deiectus est expulsusq; insolentis supplicio superbiæ:non seruauit principatum, sed suum reliquit domicilium. Inde ergo detrusus, hominem aggressus est, inferiorum rerum principem, vicitque, nec tam rectoris conditione, quàm iure victoris, ereptum inuasit imperium. Omnia ergo diabolicæ subiacent potestati, (verba sunt Ambrosij)& tanquam malus tyrannus in eos quos intra regnum suum inuenerit, acceptæ sæuitiâ potestatis vtitur. Nec tamen ideo mala ordinatio potestatũ. Bonum est enim Deum quærere, sed quidam ipsius inquisitionis anfractus & error obrepit. Nam si inquisitor in sacrilegium sæuâ interpretatione vertatur, in deterius vertitur quærentis offensa;non tamen inquisitionis,sed quæsitoris est culpa:nec inquisitio obnoxia malo, sed quærentis affectus. Quod si is qui Deum quærit, propter fragilitatem carnis,& mentis angustiam sæpè tentatur;quanto magis qui seculum quærit? Sunt igitur dæmones huius mundi principes,sed infimi, ideò Tenebrarum harum. Quia in hoc infimo seu caliginoso mundo, dominationem suam collocant, ad texendam tentationem, dum & mundiales diuitias, & illecebras carnales in in perditionem nostram aduocant. Subornant enim carnem nostram, velut seruum domesticum,speciemque armant externam velut instrumentum accommodatissimum. Inde Spiritualia nequitiæ,in cælestibus. Dæmones enim maximè spirituales, subtiles,acuti, ingeniosi, sed totum ingenium corrumpunt, dum ad fallaciam obuertunt ac nequitiam. Versantur illi in aëre, ideò in cælestibus, seu in nubibus, aues portantibus, hominesque circumdantibus, & inde insidiantur, nuncque tendiculas machinantur, nunc mediantur tendendas: nunc præsentem expoliunt fallaciam, nunc veterem recoquunt malitiam. Locus illis commodus, vt qui non solùm nobis immineat, sed & qui viribus tam insensibilibus præpolleat quàm inuisibilibus. Ac si cæcâ ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit: eadem obscuritate contagionis,aspiratio dæmonum, mentis quoque corruptelas agit. Ita Tertullianus.

Augustin. lib. 2. de ser. Dom. in mont. cap. 14.

Ambrof. lib. 4. in Luc.

Quomodo dæmones sint huius mundi principes.

Tertullian. cap. 22. Apolog.

Aptè igitur Apostolus & opportunè simul & amentiam proscripsit, & veram inscripsit sententiam. Non sunt reuera dæmones conditores

A huius mundi, sunt tamen oppidò. Dei ordinatione seu ex punitione peccati, in hoc mundo potentes. Non est nobis pugna aduersùs hostes corporeos, fragiles, infirmos, vt adeò tuta sit victoria. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem? id est: (vt exponit Augustinus) aduersus homines, quos videris sæuire in vos. Vasa sunt, alius vtitur. Organa sunt, alius tangit. Audi Apostolum: Neque detis locum diabolo. Tu malâ voluntate locum dedisti. Intrauit,possedit,vtitur. Si locum non dares, non possideret. Tutelam ergo prouidit aduersus inimicos non conspicuos, contra quos nos hortatur vt armemur. Qui ergo restant inimici? Aduersùs principes & potestates spiritualis nequitiæ, rectores mundi, Quasi plus dedit diabolo & angelis eius. Plus dedit, rectores mundi appellauit. Sed ne malè intelligas, exponit quid sit mundus, cuius sunt illi rectores. Rectores mundi tenebrarum harum. Quid est mundi tenebrarum harum? Non cum hominibus nobis certamen est, sed cum spiritibus: non quidem cum bonis,sed malis ac pessimis,qui in hoc mundo tanquam aues infaustæ peruolitant, & in hoc aëre turbulento ac nebuloso, exitialem sibi vindicant potestatem. Dæmones quippe,(testante Tatiano Assyrio) Iustinus ille magnâ dignus admiratione, latronibus esse similes edocuit. Siquidem illi viuos aliquos capere solent, deinde pactâ mercede familiaribus eos restituere. Formidanda diaboli potentia, idcircò armaturâ Dei inducenda, non enim corporalibus armis resistendum est, sed diuinis virtutibus:nec mundanis rebus vincendum, sed aduersis affectibus.[Quomodo ergo concludit Chrysostomus,luctabimur cum tenebris:Si lux facti fuerimus. Quomodo cum spiritualibus nequitiæ:Si facti fuerimus boni. Bono enim contrarium est nequitiæ & prauitas: & lux expellit tenebras. Quòd si & ipsi quoque simus tenebræ, omninò capiemur & superabimur,Quomodo ergo ipsos superabimus? Si quod illi sunt à naturâ, effecti fuerimus ex libero arbitrio & animi instituto, nempe extra carnem & sanguinem, sic eos capiemus & vincemus. Qui luctatur,adhuc tenetur,cęterùm nobiscum benè agitur, quòd possimus etiam luctari. Quoniam in bello sociam & adiutricem habemus inexpugnabilem; nempe spiritùs gratiam, eam autem didicimus, vt aduersùs homines non possimus luctari, sed aduersùs dæmones. Tunc autem præclara est victoria, quando hinc excesserimus. Si luctantes excesserimus,vicimus? Non enim ita habet hic sicut in athletis. Nam illic quidem nisi deieceris,non vicisti. Hic autem vicisti, si non fueris deiectus. Et meritò nam illic quidem ambo contendunt de victoriâ, & si alter fuerit deiectus, alter coronatur? Victoria autem diaboli non est in hoc vt coronetur,sed vt perdat. Quamobrem si non deiecero; non fuero autem deiectus,vici. Quænam est ergo præclara victoria? Ex superabundantiâ eum conculcare: vt faciebat Paulus,res præsentes nihil esse existimans. Quid enim opus est lucta? Quid opus est vt concertemus & manus conseramus? Qui manus conserit,finem habet incertum, num ipse quoque sit superandus & capiendus. Qui autem conculcat, certam & manifestam habet victoriam.]Si amputetur ansa,tenetur victoria.

Augustin. serm. 8. de verb. Dom. cap. 2. & 3.

Tatian. orat. cont. Græcos circa med.

Chrysost. orat. 22.

Melius dimisso seculo conculcare, diabolum, quàm retento,contra eum dimicare.

DISSERTATIO TERTIA.

De iaculis diabolicis.

OMnibus telis, omnibus iaculis, pro suo genio vtitur diabolus & ingenio, diuinis, humanis, & suis: sicque viribus omnibus in nos etiam armatos connititur. Nunc per hæreticos: nunc per philosophos: nunc per cæteros.

De primis, Adeo insolens diabolus, vt auctoritatem inuadat Dei, sed adeò imprudens, vt inanitatem prodat testimonij. Disce, ait Ambrosius, quia Satanas transfigurat se velut angelum lucis, & de scripturis ipsis sæpè diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, sic euiscerat fidem sic iura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus, quia potest de scripturis aliqua exépla proferre, nec sibi arroget quòd doctus videtur. Videtur & diabolus testimoniis scripturarũ, nó vt doceat, sed vt circumscribat & fallat. Inde argutæ non dæmoniorum duntaxat, sed & hæreticorum doctrinæ, prurientibus auribus natæ. Eligunt capitula de scripturis, inquit Augustinus, quæ simplices homines non intelligunt, & per illa decipiunt animas imperitas, quærendo vnde sit malum. Sicut in isto capitulo faciunt, quo ab Apostolo dictum est, Rectores harum tenebrarum, & spiritalia nequitiæ in cælestibus. Quærunt enim deceptores illi, & interrogant hominem scripturas diuinas non intelligentem, vnde sint in cælo rectores tenebrarum, vt cum respondere non potuerit, traducatur ab eis per curiositatem: quia omnis anima indocta, curiosa est. Hæc armatura diaboli, sed infirma, si in valentem incurrat, & inermem non inueniat. Didicisti diaboli telum, ait Ambrosius, sume scutum fidei. Deo se profitetur credere, & homini conatur illudere. Sed sume arma Christi, quibus tibi non sibi vicit. Simul in ipsa tentatione, artificem diaboli disce versutiam. Duxit illum iterum in montem altissimum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. Benè in momento temporis secularia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectûs celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpè honor seculi abiit antequam venerit. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula? Docemur ergo inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas secularis diabolicæ subiaceat potestati, ad vsum fragilis, inanis ad fructum. Vides deceptam astutiam, & apertam fallaciam, quæ dum mouet, dimouet, dum impellit, auertit?

Ambrof. lib. 4 in Luc. post. initum.

Augustin. lib. de agon. Christ. cap. 4.

Omnis anima indocta, curiosa est.

Ambrof. lib. 4. de in Luc.

De secundis, humana sunt quidem, nec minùs ornamenta quàm arma sunt dicenda: nec minus tamen nocent homini, dum apparent congrua rationi. Vide Manichæos, inquit Chrysostomus, quomodo ex propriis rationibus omnia loqui audeant, Non poterat, inquit, Deus creare mundum absque materia? Vndenam hoc constat? Hæc humi dicunt & ex terrâ, & ex iis quæ sunt apud nos. Rursus vide quid dicat Marcion. Non poterat Deus assumptâ carne manere mundus. Vndenam hoc constat? Quoniam nec homines quidem possunt, licet sint homines. Valentinus rursus humi serpentes habens rationes, è terra loquitur, & Paulus Samosatenus. Porrò autem quid dicit Arrius? Non poterat Deus generans generare impatibiliter. Vndenam hoc audes dicere, ô Arri. Ex his quæ sunt apud nos. Vides rationes omnium repere. Et ita quidem se habent quòd attinet ad dogmata. Rursus autem quòd ad vitam. Qui sunt scortatores, pecuniæ amantes, & gloriæ, & aliorum omnium, humi repunt. Rationes sunt, sed humanæ, sed terrenæ, ideò leues & vanæ, ne dicam, animales & diabolicæ. Rationes sunt, sed apparentes, sed probabiles, in argumentis coactæ, philosophatis suffultæ doctrinis. Hoc autem dico, ait paulus, vt nemo vos decipiat in in sublimitate sermonum. Seu, vt legit Ambros. In subtilitate sermonis. Et ad Græca proprius. Nam πιθανολογία, exquisitam probabilitatem reddit, & argutam verisimilitudinem, quâ creduli circumueniuntur, capiuntur incauti, Quot enim qui paralogizant, id est, à verâ ratione, falsâ auocant ratiocinatione? Sed non ego credulus illis. Idcircò ergo rectè dixit Chrysost. [Propriis rationibus.] Aliud enim vera ratio, aliud propria, illa enim est, quæ vna & simplex, ista, quæ multiplex & varia: quod cuique videtur, nec tam lege vel autoritate tenetur quàm libidine. Qui enim fidem Catholicam benè didicit: (verba sunt Augustini) & bonis moribus, & verâ pietate munitus est, quamuis eorum hæresim nesciat, respondet illis tamen. Nec enim decipi potest, qui iam nouit quid pertineat ad Christianam fidem (quæ Catholica dicitur) per orbem terrarum sparsam, & contra omnes impios, & peccatores, negligentes autem sui, Domino gubernante securam. Multum ergo veritatem distat & rationem: nam & erat ille nonnunquam qui suam rationem sequitur, numquam autem qui sequitur veritatem. Idcircò paulus non dicit, State ergo, succincti lumbos vestros in ratione. Sed, State ergo, succincti lumbos vestros in veritate. Nam vt ait Chrysostomus, Si veritate accingamur, nullus nos superabit. Qui quærit decretum veritatis, non decidet in terrã. Nam quòd quæ vera non sunt, sunt ex terrâ, ex hoc est perspicuum, quòd externi omnes seruiunt vitiis, & animi perturbationibus, dum suas sequuntur rationes & cogitationes. Quàm porrò sunt illi molles & eneruati, vt qui de Deo nihil possint graue & austerum suscipere, quod humanam superet rationem: non sunt enim succincti in veritate.

Chrysost. orat. 23.

Ratio humana non semper vera, sed errori ac deceptui obnoxia.

Coloss. cap. 2.

August. lib. de agon. Christ. cap. 4.

Chrysost. orat. 23.

De vltimis. Sua reputat diabolus, quæ non tam concessa sunt sibi quàm permissa, terrena nimirum ac secularia, quibus eo faciliùs oppugnat homines, quo vel necessitatis suffragio, vel vtilitatis titulo promptiùs subornat inhiantes. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere. Sunt equidem tela diaboli multa ac multiplicia, & omnia quidem ignita seu ignea, cum ab ipsâ gehennâ inflammata sint: sed ea maximè quæ in maligno posita sunt, seu malo igne, & ardore peruerso malæ accensa concupiscentiæ. Ignea sunt tela diaboli, ait Aquinas, quia adurentia prauis concupiscentiis. Hæc autem per fidem extinguuntur: quæ tentationes præsentes & transitorias extinguit per bona spiritualia & æterna, quæ promittit sacta scriptura. Duplex autem inuenitur armatura contra eas, scilicet iustitia, & abrenuntiatio rerum temporalium. Et ideò præcipit primò

Aquin. Lect. 4.

mò Apostolus, vt eas non iniustè vsurpemus, quod facit iustitia. Propter quod dicit, Induti loricam iustitiæ: scilicet propter quam homo abstinet à rebus alienis. Secundò præcipit vt rerum temporalium curam superfluam deponamus, quia dum his nimis intendimus, non habemus pedes paratos ad diuina negotia, & mysteria annuntianda. Et propter hoc dicit, Et calciati pedes: id est affectus dispositi sint. Et in signum huius misit Apostolos Dominus, Calciatos sandaliis, quæ habent subtus soleas: per quod significatur eleuatio mentis à terrenis: & aperta sunt superiùs, per quod significatur promptitudo ad diuinam sapientiam: omnia igitur diaboli iacula repellenda sunt, sed ista sunt non excludenda tantùm, sed & in totum extinguenda. [Tela eius, inquit Chrysostomus,] dicit Paulus tentationes, absurdasque & nefarias cupiditates. Et dicit ignea. Tales enim sũt cupiditates. Et gladium spiritûs, quod est verbum Dei. Aut spiritum dicit, aut in gladio spirituali. Per eum enim secantur omnia, per eum omnia scinduntur. Nam sicut Dei verbum potest omnia, ita etiam qui gratiam habet spiritualem. Per fidem namque fortes efficimur, per diuinam inspirationem reuelationemue, non per præsumptionem humanam, omnium tentationum, omnium reddimur victores cupiditatum ac dæmonum.

Sandalia vitæ sunt contemplatiuæ symbola.

Chrysost. orat. 14.

A

B

C

DISSERTATIO IV.

De clausulâ.

EPistolam produxit adhortando, nunc & clausulam imponit apprecando. Armauit eos diligentissimè, ait Chrysostomus. Quid igitur deinceps oportebat? Regem inuocare, & rogare vt manum porrigeret. Tandem ergo absoluit, additque, Pax fratribus, & cum fide, à Deo patre & Domino Iesu Christo. &, Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen. Et primò quidem consulit sibi. Tria enim petit pro se, (vt aduertit Aquinas) quæ cuilibet prædicatori sunt necessaria: scilicet quòd os aperiat, & ad prædicandum se præparet quantum in se est, & detur sibi gratia. Et vt hæc tria dentur, petit vt oretur pro se, dicens, Vt detur mihi sermo in operatione oris mei. Non enim potero loqui, nisi quod dederit mihi Dominus, dicebat ille. Et ad quid Paule? Respondet, vt possim cum fiduciâ notum facere Euangelij mysterium, pro quo legatione fungor in catenâ. Et hoc est secundum quod petit: quia non solùm est necessarium prædicatori, vt detur ei sermo in apertione oris, seu scientia, sed vt sermonem sibi datum prædicet audacter, & cum fiduciâ. Tertiò petit, vt detur sibi temporis, seu modi congruentia: in omnibus enim modus & qualitas facit gratum, Vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.] Nonnulli os aperiunt, sed sermo non succurrit; aliis sermo effluit, sed parum audenter agunt fiducialiter-ue. Alij denique audent & dicunt, sed non tam docentes Christianè, quàm intempestiuè & vocem perdũt, & sermonẽ effundunt. Vix Paulus os aperiebat, & affluebat sermonis copia, quàm & tantâ constantiâ mentis, quantâ & fidentis promebat prudentiâ. Ad

Chrysost. Ibidem.

D

Aquin. lect. 5.

Tria sunt cuiuis prædicatori necessaria.

E

homines quidem delegatus sum, vt eos Deo conciliem. (ita apud Athanas.) Hi verò me in catenas & vincula coniecere. Tametsi iure Gentium caueatur impunes esse oratores & nuntios, quippe qui dominorum mandata iam deferant, Catenæ verò eo iniectæ sunt mihi, vt meam obstruant loquendi licentiam. Animus tamen os mihi aperiet, vt fidentior sim ea enarrans, quæ mihi sunt per eum iniuncta qui me legauit. Postremò, vicem, orationis reddit, expetitque aliis pacem, fidem, charitatem.

Athanas. in Paulum.

Ornamenta sunt animi Christiani, & præcipua Dei munera. Magna tria dixit, (verba sunt Augustini.) Pax, charitas, fides. A fide cœpit, ad initium terminauit. Initium enim est in fide, finis in pace: quia enim credimus, ipsa est fides. Ita credidit Abraham, dans gloriam Deo nudè & plenissimè credens, quoniam quæ promisit, potens est & facere. Magnum nostrum gaudium? nos promisit Abrahæ. Nos promissionis filij sumus. Quando enim dictum est Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, nos promissi sumus. Ergo nos ipse fecit filios fidei Abrahæ, qui potens est facere quod promisit. Nemo dicat, Ego feci. Non enim promittit Deus, & facis tu. Potest autem rectè dici, quia quæ promittis tu: facit Deus. Tu enim infirmus es, tu omnipotens non es? Quando enim promittis, nisi faciat Deus, inanis est promissio tua. Dei autem promissio non pendet ex te, sed ex illo. Credit quidem omnis, qui ad Christum venit, sed sibi fidem tribuit; ab illo enim accipit, à quo pacem, charitatẽ, & cætera dona accipit salutaria, Apostolus enim apertissimè dicit, pax fratribus & charitas cũ fide à Deo Patre & domino Iesu Christo. A quo ergo pax, ait ille, & charitas, ab illo est & fides: propter quod ab illo eam non solùm augeri habentibus, verum etiã non habentibus poscimus dari. Qui verò nouit fidem posse quidem esse sine charitate, sed non & prodesse, charitatem adiungit, quæ fidem informet, & ad officiũ actumque suscitet. Alia quippe fides sanctorum, alia dæmonum. Dæmones non habent fidem quæ per dilectionem operatur: (ita Augustinus, sed soli serui Dei, soli sancti Dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis: ideò est & charitas dicta. Tria illa dicta sunt ab Apostolo, Pax fratribus, & charitas cum fide. Vnde pax & charitas? Vnde charitas cum fide? Si enim non credis: non amas. Dixit ergo Apostolus, sic incipiens à fine, & veniens ad initium: pax, charitas, cum fide. Nos dicamus, Fides, charitas, pax, Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non discreuisti fidem tuam ab eis qui timebant & dicebant, Scimus quis sit, filius Dei: nec regnaturi sunt cum filio Dei. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem,

Augustin. lib. 50. Hom. 17. cap. 1. & 2.

Vanè promitti homo, nisi Deus addit, sed Deus ex seipso facit quod promittit.

Augustin. lib. de don. perseu. cap. 17.

Augustin. Hom. 17. ex 50. cap. 2.

Sed sicut fides sine charitate in cassum laborat, ita charitas sine incorruptione claudicat. Omne enim vitium, vti dixit Chrysostomus, est corruptio: & sicut virginem corrumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat Paulus, Ne corrumpantur sensus vestri. Corruptam esse virginem, etiam propterea propriè dicimus, non quòd corrumpatur corpus solum, sed propter iniquitatem. Nam si coitus esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio: sed peccatum est corruptio, ipsum animi probro ac dedecore afficit.

Chrysost. orat. 14.

Corruptio, est quædam in deterius mutatio.

afficit. Sed vbique corruptio,est quædam in deterius mutatio, quæ fit in alium habitum, & ad deletionem eius quod erat prius. Audi enim scripturam dicentem, corrupit omnis caro viam suam. Et rursus, Homines corrupti mente. Ne igitur corrumpas animam. Nam quod corrumpitur, plenum est fœtore. Audi enim Prophetam dicentem, putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Fuerunt igitur nonnulli, & sunt adhuc non pauci, qui dicant se Deum Christumque diligere, nedum colere, & animam nihilominus vitio, corpus etiamnum opprobrio polluant. [Sed aiunt quidam :(ita apud Tertullianum) Satis Deum habere,si corde & animo suscipiatur, licet actu minus fiat. Itaque, se saluo metu ac fide peccare: hoc est,saluâ castitate,matrimonia violare, saluâ pietate, parenti venenum temperare. Si ergo & ipsi,saluâ veniâ, in gehennam detrudentur, dum saluo metu peccant.] Quibus gratiam apprecatur Apostolus? Omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum. Quomodo? In incorruptione. Iactant enim se aliqui Christum diligere,& templum eius violant, imò & ipsum in membris suis maculant. Non amant ipsi reuera,sed amare se simulant. Ista enim ingenia, vt dixit Tertullianus, de semine hypocritarum pullulare consuerunt, quorum indiuidua cum diabolo amicitia est,quorum pœnitentia nunquam fidelis.[Mentiuntur ipsi charitatem, nec tam dilectionem comminiscuntur quàm corruptionem ac fœditatem : ideoque non solùm gratiâ diuinâ indigni sunt, sed & vindictâ æternâ, extremóque supplicio sunt dignissimi.

Tertullian. lib.de pœnitent. cap.5.

Tertullian. Ibidem.

Tandem ad caput redeamus, vt & per ipsum absoluamus,& in ipso requiescamus. Ingredimur enim per fidem,prouehimur per charitatem, sed per pacem in gradu sistimur, dum non solùm in perfectionis constituimur statu, sed & beatitudinis. Quam pacem? (ait Augustinus.) Veram pacem, solidam pacem,securam pacem. Vbi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax, est finis omnium desideriorum bonorum. Charitas cum fide:& si sic dicas,benè dicis, fides cum charitate. Magna hæc bona commemorauit Apostolus, pax fratri-

Augustin. lib. 50. Homil.17.c.3.

A bus, & charitas cum fide. Ipse dixit. Sed vide quòd sequitur, A Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.Magna bona:sed dicit, vnde bona ista. Confitere,pacem charitatem cum fide, non tibi esse nisi à Deo. Quæ est enim fides plena & perfecta? Quæ credit ex Deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidem. Iterum dicit Apostolus, Misericordiam consecutus sum. O confessio! Non ait,Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed,vt fidelis essem, misericordiam cõsecutus sum. Hæc scilicet sors sanctorum,quæ

B si arcanæ quidem ordinationis est,sapientissimæ nihilominus dispositionis est. Attendat charitas vestra, (verba sunt Augustini) videre hoc ipsum quemadmodum firmetur ab Apostolo Petro. Cum Simon ille Magus baptizatus à Phillippo adhæreret ei, credens miraculis diuinis factis in conspectu suo.Venerunt Apostoli ad Samariam, vbi crediderat etiam & ipse Magus, & vbi fuit baptizatus: & imposuerunt Apostoli manus hominibus baptizatis, & acceperunt Spiritum sanctum, & cœperunt linguis loqui. Admiratus est


Augustin. con. 2. in Psal.30.vers. finem.

C ille,& obstupefactus tanto diuino miraculo,quòd ad impositionẽ humanarum manuum venit Spiritus sanctus, & impleuit homines:& desiderauit istam,non gratiam,sed potentiam; non vnde liberaretur,sed vnde extolleretur.Qui se putauit pecuniâ comparare Spiritum sanctum: etiam Apostolos auaros arbitratus est, sicut erat superbus & impius.Sed continuò Petrus,pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem,quia existimasti donum Dei pecuniâ comparari. Non est tibi sors neque pars in fide hac : id est, non pertines

Spiritus sãctus gratis datur, nullâ comparatur pecuniâ.

D ad istam gratiam quam gratis omnes accipimus, quia pecuniâ te putas emere quod gratis datur. Ex eo autem quod gratis datur,sors vocatur.Non est tibi sors neque pars in fide hac. Præsumit ille fidem, præsumit & charitatem : sed nec fides, nec charitas aliunde quàm ex gratuitâ mesericordiâ. Fingit ergo fidem, fingit charitatem : & dum dilectionem resonat, seminat corruptionem. Nusquam ergo pacem metet beatorum, quia nec ad patrem seu hæreditatem fidelium, nec ad sortem sanctorum pertinet.

IN



IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM.



OLOSSENSES, Populi minoris Asiæ, sed Phrygiæ maioris, ad fidem ministerio discipulorum Apostolicorum adducti, sed ad superstitionem traducti Pseudapostolorum artificio. [Idcircò, ait Ambros. hos Apostolus hortatur per epistolam, & admonet, ne alicui præter Christum aliquam esse spem putarent, & deciperent,] Licet enim non prædicasset Colossis, imò ne Colossas vidisset vnquam: tamen quia gentium erat Apostolus, & solicitudinem omnium gerebat Ecclesiarum, scripto reformat, quæ viuâ non formauerat voce; liberatque periculo quos in fide verâ deuios iudicauerat. Ambros. in proœm.



CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

SVpremum prædicat Christi dominium, præcipuum explicat Apostoli ministerium. In his duobus pars vna capitis & altera.

PARS PRIMA.

De Christi dominio.

TEXTVS.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater: eis qui sunt Colossis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in

quidam discipulus. Et ideò dicit, Audientes fidē, quæ est principiū spiritualis vitæ. Sed hæc fides sine dilectione operante, est mortua. Et ideò dixit, Et dilectionem quam habetis. Est autem quædam dilectio charitatis, & quædam mundana: sed mundana non se extendit ad omnes, quia dilectio talis ad illos est, cum quibus est communio, quæ est causa dilectionis; & hæc causa in dilectione mundanâ, non se habet ad omnes, sed tantùm est cum consanguineis & mundanis, sed dilectio charitatis se extendit ad omnes. Et ideo dicit, In omnes. Nam, si peccatores diligantur per charitatem, hoc est vt sint aliquando Sancti. Denique, dilectio mundi habet fructum in hoc mundo; sed charitas, habet in vitâ æternâ. Et ideò tertiò subdit, de spe, dicens: Propter spem quæ reposita est: id est, propter gloriam æternam: quæ ideò dicitur spes, quia pro certo custoditur. [Tria sunt hæc, sed omnia ferè, vel certè præcipua veræ pietatis, seu Christianæ religionis officia. Religio quippe in cultu Dei est, Deus autem fide, spe, & charitate colitur: pietas namque nititur fide, erigitur spe, charitate perficitur.] Finis enim præcepti est dilectio: & ea gemina, ait Augustinus, id est, Dei & proximi. [Sed si hoc audiuit Paulus, & ab aliis accepit, nonvtique Colossensibus Euangelium prædicauit per seipsum, sed per aliquē discipulum, ac fidelem ministrum.] Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in Spiritu. [Ergo non erant edocti à Paulo, sed ab Epaphra, nec tamen solo: nam in Græcis est,] Sicut & didicistis. [Sed si ille non primus, aut solus, certè præcipuus, qui fructum quem fecerat Colossis, Romæ Paulo in vinculis constituto exposuerat, &, vt dixit ipse Paulus, se concaptiuum fecerat. [Et Epaphroditus, qui hæc renuntiat. Eum enim veri simile est illic prædicasse. Inde ostendens eum esse fide dignum, dicit, conseruo nostro. Qui est fidelis pro vobis minister Christi.] Ita Chrysostomus.

Disciplina Christiana in fide, spe, & charitate cōstituta.

August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 26.

Chrysost. hom. 1.

DISQVISITIO III.

Quomodo Euangelium in toto mundo prædicatum.

NOn solùm de credendis imbuti fuerant Colossēnses, sed & de sperandis. [Propter spem: quàm audistis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat & crescit, sicut in vobis.] Non mirum, quòd ad vos peruenerit Euangeliū, & apud vos manserit; cum modò iam sit in vniuerso mundo, vbique multiplicetur, vbique dominetur [Quoniam enim, ait ille, maximè confirmantur multi ex eo quod multos habeant socios dogmatum, propterea subiunxit, Sicut & in vniuerso mundo. Nō enim accessit, & præcessit, Sed mansit, & est illic. Vbique adest, vbique dominatum obtinet, vbique stat. Fructificat per opera, augetur quòd multos assumat, quòd magis firmetur ac stabiliatur. Tunc enim plantæ densæ fiunt, quando planta fuerit firmata ac stabilita. Plus est quod addit Apostolus, Euangelium non solùm in toto mundo disseminatum, sed & apud vniuersam prædicatum creaturam. Quod prædicatum est in vniuersâ creaturâ, quæ sub cœlo est. Sed huic assertioni tria repugnare videntur aut obstare. Primum est, quòd experientiâ teste, & historiâ iudice, partem reliquerit intactam, nedum totum adimpleuerit orbem. Secundū [Prædicabitur hoc Euāgelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet cōsummatio.] Respondet nimirum discipulis, de futuro solicitis iudicio. Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentûs tui, & consummationis seculi. Ita prius: Messis verò, consummatio seculi est. Sic erit in consummatione seculi. Cum igitur nondum aduenerit consummatio seculi, sequitur vt nondum facta fuerit per mundum vniuersum Euāgelij propagatio. Tertium, quia & Apostolus, ipse sibi prædicandi rationem præciderét, & aduersùs morem suum præscriberet: cum enim Euangelium non prædicet, nisi vbi nondum prædicatum est, non est quod iam ministerium curet suum, si iam vbique disseminatum est. Quid igitur egit toto illo spatio quo præsenti superuixit epistolæ, si nulli prædicauit creaturæ. Toto ferre decennio mansit otiosus, aut quod iam plantatum rigatumque quasi succedaneus excoluit?

Chrysost. ibidem.

Matth. cap. 24.

Matth. cap. 13.

Euangelium nondum vbique seminatum est.

Potest equidem concedi locus hyperbole; quæ in scripturis nostris non rara est, & in hac materia satis aperta. Cum enim dicitur in Actibus: Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Non de omnibus omninò intelligitur, sed de pluribus. Potest & idem sensus recipi scripturæ: cum enim ait Christus apud Marcū: [Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ.] Seu apud Matthæum, [Euntes docete omnes gentes.] Nullum excipit, sed omnibus omnium gentiū hominibus prædicari præcipit sine discrimine, omnes nationes sine exceptione Euāgelizari: adeo vt remotæ etiam & incognitæ fidem hauriant, aut rumorem percipiant. Potest enim dici, quòd Euangelium secundùm famam est diuulgatum per totum mundum, sed non secundùm fundationem. Verùm cum mens Pauli sit stabilire veram fidem, & falsam excludere, veritatem inde deducit, quod iam mundum vniuersum peruaserit, idcircò illa Catholica sit & verè Christiana; alia verò adulterina, & subdole superseminata. In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mūdo est. Inde potestis agnoscere, fidem vestram tam veram esse quàm & Euangelicam, quod prima cucurrerit, quod in vniuersum mundum exierit, locumque occupauerit; aliam verò tam falsam quàm intrusam, quod posterior aduenerit, quod vix vtpote minor, succreuerit. Soleo, ait Tertullianus, in præscriptione aduersùs hæreses omnes, de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni hæreticâ posteritate. Hoc nūc probabit Apostolus dicens, De spe repositâ in cœlis, quam audistis in sermone veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos sicut & in totum mundum. Nam si iam tum traditio Euangelica vbique manauerat, quanto magis nunc? Porrò, si nostra est, quæ vbique manauit, magis quàm

Actuum cap. 2.

Aquin. lect. 2.

Fides vera quæ prior vbique semiseminata est.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 19.

omnis hæretica, nostra erit Apostolica. Marcionis autem quum totum impleuerit mundum, ne tunc quidem se deffendere poterit de Apostolica. Eam enim & sic constabit esse, quæ prior mundum repleuit.

DISQVISITIO IV.

Quid sors Sanctorum.

SI sors Sanctorum est, vtique & malorum sors est: sed & si pars sortis est, potest certè diuidi sors ista vel distribui. Sors, ait Aquinas, nihil est, quàm exquisitio prouidentiæ diuinæ de aliquo contingenti & humano. Vnde sors non est aliquod malum, sed in rebus dubiis diuinam exquirens voluntatem. Sed in sortibus triplex peccatum vitandum. Primò quidem, superstitionis: nam omnis vana & illicita religio, superstitio est. Tunc autem in sortibus incurritur peccatum illicitæ superstitionis, quando in eis initur aliquod pactum cum dæmonibus. Secundò, vitandum est peccatum tentationis Dei, nam quamdiu per se homo potest aliquid facere, & scire quid debeat facere, si tunc à Deo sorte, vel aliquo alio loco tali exploret quid facere debeat, Deum tentat. Quando autem necessitas imminet, neque ipse per seipsum iuuari potest, tunc licitè à Deo inquirit quid facere debeat. Tertiò, vitandum est peccatum vanitatis: quod fit si de inutilibus & impertinentibus ad nos inquiramus. Sorte quidem vsi sunt aliquando Apostoli, sed illa sors diuina fuit: nimirum, vt dixit Dionysius, Diuinum quoddam donum, declarans illi hierarchico choro à diuinâ electione ostensum. Sed quæcumque tandem illa fuerit, seu communis, seu singularis, nusquam illâ post Spiritûs sancti aduentum vsi sunt Apostoli, ne qua fraus obreperet, & quod semel factum, abiret in præiudicium. Inde, notante Baronio ac probante, reiectæ sunt. Sortes Apostolorum. Proscriptæ & [Sortes sanctorũ.] Eo quod ars praua honesto velaretur nomine, nec tam numine quàm omine fulciretur. Potest enim, vti Aquinas dixit, triplex sors accipi: scilicet quædam diuisoria, quædam consultoria, & quædam diuinatoria. Diuisoria est, cum aliqui diuidentes hæreditatem, & concordare non valentes, mittunt sortes. Consultoria fit, quando quis dubitans quid facere debeat, consulit Deum, mittens sortes. Diuinatoria autem sors, est inquisitio de futuris, soli diuinæ cognitioni reseruatis. Et hæc semper habet vanitatem admistam, nec potest sine vitio curiositatis fieri. Sed quoad diuisoriam. Dupliciter, ait ille, aliquid diuidunt. Quandoque per electionem, quando vnus hanc, alius aliam partem eligit. Aliquando sorte: & hæc pars cedit sanctis, non per electionem propriam. Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Mali, partem habent temporalia: sancti verò habent ipsum Deum partem. Psal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ.

Aquin. lect. 4. in cap. 1. ep. ad Ephes.

Dionys. lib. de eccles. hier. part. 3. cap. 3.

Sors quando licita est & quando illicita.

Aquin. lect. 41.

Iam ergo Paulus: Ideò, inquit, & nos ex quâ die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientiâ, & intellectu spirituali, vt ambuletis digne Deo per omnia pla-

A centes. Audita nimirum, fide Colossensium, & charitate cognitâ; primò gratias agit de collatis beneficiis, tum & satagit de conferendis, orat, postulatque, & plenam cognitionem veritatis, & perfectam virtutis operationem: vt illam sapientia iuuet, istam confortet patientia: digne Deo ambulent, id est, vitam suam conditioni suę, seu Christianæ conforment professionis: Deo per omnia placentes, fructum ferentes omnis generis bonorum operum. Ita proficiant in omnibus, & de omnibus, non perenniter solum, sed & hilariter debitas agant gratias. Dignè Deo. Sicut decet Dei filios, Christi discipulos, imò & Christum ipsum. In his qui

B crediderunt, ait Augustinus, omnis homo Christus, quia membra sunt Christi. Ideoque, quomodo ipse ambulauit, & nos debemus ambulare; sicut ille quæ Deo placita erant, fecit semper, ita & nos placere debemus per omnia. Vt vos, inquit, ambuletis dignè Deo. Hîc, (verba sunt Chrysostomi) de vitâ dicit & moribus. Nam hoc quoque facit vbique. Fidei semper coniungit vitæ agendæ rationem. Per omnia placentes. Quomodo autem, per omnia placentes? In omni opere bono fructificantes, & crescentes in agnitione Dei. Sicut enim se totum nobis reuelauit, & sicut tantam accepistis cognitionem, ita & vitæ vestræ institutionem ostendite fide dignam. Ea

C enim opus habet magna vitæ agendæ ratione, & longè maiori quàm vetus. Nam qui Deum nouit, & dignus est habitus qui Dei esset seruus, imò verò filius, vide quantâ opus habeat virtute. Deniq; quod dicit est eiusmodi. Breuiter, inquit, oramus, vt vos vitâ agatis in virtute, dignamque vestro viuendi instituto. Fructificantes, inquit. Hoc de operibus. Cõfortati. Hoc de tentationibus. In omni patientiâ & longanimitate. Lõganimitate seu lenitate inter se. Patientiâ aduersus externos. Longanimis enim ac lenis est quispiã in eos quos etiam potest vlcisci. Suffert autem ac tolerat eos quos non potest vlcisci. Vt ambuletis dignè Deo. Hoc est enim via optimi vi-

D tæ instituti & rectæ conuersationis. Non solùm oramus vt discatis, sed etiam vt in factis ostendatis. Sicut enim ambulare nobis est necessarium, ita etiam rectè viuere. Sic agite, nihil committite quòd sit, non dicam indignum Dei seruo, sed & quod non sit Dei filio congruum.

Augustin. con. 1. in Psal. 70. post. init.

Chrysost. orat. 2.

Digne Deo viuere est nihil indignũ Dei filio admittere.

Cur Deo dignè non ambuletis, cur vos filios non probetis verbo & opere Deo patre dignos? Qui dignos nos fecit in partem sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Hæreditates olim diuidebantur per sortes, sicque partes non consilio humano, sed di-

E uino committebantur iudicio. Nos igitur licet indignos adoptauit, nos inter suos, id est inter sanctos computauit, nos per gratiam suam vocauit, & aptauit ad gloriam, quæ sicut perfecta diuinitatis participatio est, sic & tota luminis est possessio. Quare, inquit Augustinus, sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est, electio, sed voluntas Dei. Nam vbi merita conconsiderantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Adde ex eodem Aug. Gratiâ salui facti estis in fidem & hoc non ex vobis inquit Apost. Vide sortem & hoc non ex vobis

Augustin. con. 2. in Psalm. 30. vers. fin.

quia non solùm peruenit ad vos, sed in vniuerso mundo: tum & quoad fructum commendatur, quantum ad bona opera, & multitudinem credentium. Omnes enim ferè audierunt, ferè omnes receperunt. Vos verò maximè: ex quo enim die probastis verã de redemptione ac salute probastis doctrinam, fructificare nõ cessastis & crescere. Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiam manifestauit dilectionem vestram in spiritu, &c. Ita enim accepistis ab Epaphra, qui dilectus est acceptusque noster in Deo & Christo conseruus, vesterque fidus in prædicandâ veritate, salutéque procurandâ minister: qui etiam fidem vestram renuntiauit nobis, spiritualémque dilectionem ac sincerum declarauit. Ideò & nos ex quâ die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientiâ & intellectu spiritali &c. Idcircò & nos ex quâ die audiuimus, tantam fidem, tantamque vobis collatam dilectionem: incessanter pro vobis oramus, instanterque postulamus, vt plenè perfectéque diuinum agnoscatis beneplacitum, omnémque sapientiam, & spiritalem recipiatis prudentiam. Nusquam dicit eos toto esse priuatos, (verba sunt Chrysost.) sed vbique eos deficere. Hoc significat illud, vt impleamini. Accepistis enim, sed vt impleamini in eo quod vobis deest. Nam quoniam ipsos decipiebant Philosophi, Volo vos, inquit, esse in sapientia spirituali, non secundùm sapientiam hominum. Ista enim non spiritualis est, sed carnalis. Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei: in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius, in omni patientiâ & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine &c. Oramus, vt conuersatio vestrâ Christiana sit, tam Deo digna, quàm & Domino Christo accepta: & ita erit, si bonorum operum copiâ proficiatis, si crescatis in mysteriorum diuinorum notitiâ. Et hoc oramus, vt totâ virtute, & perfectâ fortitudine inualescatis aduersùs tentationes dæmonum, & hominum impugnationes vincatísque per gloriosam Dei & Christi Domini potentiam, ita vt patienter toleretis hostes extraneos, & leniter malos fratres supporteris: omnia feratis, & de omnibus tam hilariter quàm & libenter Deo patri, qui nos fideles effecit, & sortis electorum, hæreditatísve quæ tota luminosa est, participes esse voluit, referatis.

Chrysost. serm. 2.

Christiana conuersatio, quæ digna est Deo.

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, &c. Ille nimirum est, qui nos eduxit de seculi carcere, seu de tyrannide diaboli, & in domum seu imperium transtulit filij dilectissimi: per cuius passionem ac mortem in libertatem asserti sumus, & plenam perfectamque pacem assecuti. Neque enim solùm magni faciendũ, quòd cælesti nos donauit imperio, sed etiam quia in tenebris antea diuersantibus, claritatem ingessit. [Ita Commentator Athanasianus.] Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ &c. [Tanta

Comment. Athanas.

A est mediatoris nostri Redemptorisve excellentia. Est enim imago perfecta, absoluta inuisibilis Dei similitudo: antè lucem istam, imò antè omnem creaturam editus genitúsve.] Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terrâ, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant &c. Sic quippe de patre natus est filius, vt omnia per filium creauerit pater, tam cælestia quàm terrestria; tam corporalia quàm spiritualia; omnia porrò in ipso, & in ipsum, seu ad ipsum
B siue sedes, siue dominationes, siue quosuis alios cælestium Angelorum ordines condiderit: ipse nãque est antè omnia, & est super omnia: sicut enim ab eo creantur, sic & ab ipso conseruantur. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens &c. Tantus est Christus quoad diuinitatem: quoad humanitatem verò, caput est Ecclesiæ, tanquam corporis sui connaturalis ac proprij: in quo primus resurrexit, resurrectionem regenerationémque prælibauit: non solùm enim primitias obtulit, sed & primas vbique obtinuit.
C Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Deo namque patri benè visum est, vt Christus fons perennis esset omnis gratiæ, omnis sapientiæ ac virtutis, pace factâ, & initâ societate inter miseros mortales, & cælestes Angelos. [Plenitudo in ipso est & manet, ait Ambros. quia omnia potest semper, vt nihil exceptum sit quod non per eum possit præstari: vt & faceret, & reformaret, & lapsa erigeret, & mortua viuificaret.]

Primatus Christo in omnibus à Deo collatus.

Ambros. in Paulum.

D ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISQVISITIONES *Dogmaticæ in literam.*

NONNVLLA poterant argumento inserferi, sed quia poterant poni sub dubio; idcircò dilata sunt, & in quæstiones disquisitionésve regerenda.

DISQVISITIO PRIMA.

Quid Colossæ.

E

Colossæ, vel Colossis: parùm interest: sed longè aliud Colossis, & aliud Colossus: licet Colossenses indistincti quandoque aut incerti. Colossus dicebatur statua immodicæ proceritatis, qualis Rodi facta fuit à Charete Lysippi discipulo ex ære, altitudine septuaginta cubitorum. Mirum est, imò miraculum, id est rebus non accensendum vulgatibus. Inde Mahuuias Saracenorum Princeps, æneum illud Solis simulacrum: cuius nimirum tanta magnitudo erat, vt diuaricatis auribus spatium præberet nauibus portum ingredientibus, iam antea terræ motu disiectum, confregit, Iudæoque euidari

Colossus, à quo Rhodij Colossenses dicti sunt.

bis sed Dei donum est. Non ex operibus quasi vos bene feceritis vt ad hoc accedere digni essetis. Nõ ex operibus ne forte quis extollatur ipsius enim sumus figmentũ creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hæc quodammodo sors occulta est volũtas Dei in humano genere sors est sanctorũ: sors veniens de Dei occultâ voluntate, apud quem non est iniquitas. Fortunã dicerent exteri, diuinam nostri censent beneuolentiam. Cur enim vocat sortem? (ait Chrysostomus, ostendit nimirum quod ex bonis suis actionibus rectè factis nemo regnum assequitur. Sed quomodo sors est potius boni euentûs, ita hîc quoque. Nullus enim ostendit talem vitæ suæ institutionem & gestionem, vt dignus habeatur regno, sed totum est eius doni. Propterea dicit ea omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus nã quæ debuimus facere fecimus. Nos eripuit de potestate tenebrarum, inquit, Eius est vniuersum, & hæc dare & illa. Nusquam enim nostrum est quod rectè geritur. De potestate tenebrarum, inquit. Hoc est ab errore à diaboli tyrannide. Non dixit, A tenebris, sed à potestate. In nos enim magnam habuit potestatem, & in nos dominatum obtinuit. Est enim graue vel solum esse sub diabolo: cum potestate autem, est hoc quoque grauius. Et transtulit, inquit, in regnum filij dilectionis suæ. Magna quidem res est, liberasse à tenebris; in regnum autem introduxisse, est multo maior. Nec dixit solùm, in regnum cœlorum, sed in regnum filij: eo enim non est maius encomium. Iisdem nos dignatus est, quibus filium. Nec hoc solùm, sed est etiam intensio, Dilecti. Eos qui erant inimici, qui obtenebrati, repente transtulit vbi erat filius, & in eundem in quo ille erat honorem. Nos dignos fecit. Magnum pondus. Vt si quispiam Rex factus fuerit, potest cui velit dare præfecturam, & hanc solam ei potest dare dignitatem, sed non eum reddere aptum & idoneum ad gerendum magistratum. Sæpè autem eum etiam ridiculum facit honor. Si autem eum dignitas aptum fecit ad honorem, & idoneum ad administrationem: tunc ea res est honor. Non ergo dixit solũmodo, Qui dedit; sed etiam, Qui idoneos seu dignos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: Hoc est, Qui nos collocauit cum Sanctis. Sed non solùm dixit, Qui collocauit; sed etiam qui præbuit vt iisdem frueremur. Pars est enim illud quod vnusquisque accipit. Tanta benignitas, quanta captiuitas erat: tanta misericordia, quanta erat miseria. Nos liberauit à miserrimâ seruitute, nos præstantissimâ donauit dignitate. Nos fecit filios, & dignos reddidit. Cur ergo non ambuletis dignè Deo, cur sanctè, imò cur diuinè non incedatis, vitamque instituatis vero dignam Christiano?

Chrysost. orat. 2.

Deus nõ solùm nos facit filios, sed & dignos reddit.

TROPOLOGIA.

Omnia per ipsum & in ipso creata sunt.

MAgnum beneficium, redimi; nec in pristinam duntaxat libertatem, sed & in summam asseri dignitatem. Quid verò si addas expendasque primò, redemptoris excellentiam: secundò, redemptionis efficaciam: tertiò, reconciliationis abundantiam.

Quoad primum. Christus quidem redemptor

A est, mediatorque, sed quatenus duplici naturâ cõpositus est, diuinâ scilicet & humanâ. Quoad diuinam. Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cælis, & in terrâ visibilia: siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Et ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant. Quid est, Imago Dei inuisibilis: Id est, imago Dei Patris. Nos enim, ait Tertullianus, inuisibilem dicimus Patrẽ Christi, scientes filium semper retrò visum, si quibus visus est in Dei nomine, vt imaginem ipsius. ne quam & hinc differentiam scindat Dei visibilis B & inuisibilis, Filius, vnus quidem cum Patre Deus est, eiusdem naturæ & eiusdem substantiæ: est tamen Deus de Deo: quia licet non factus, à Deo tamẽ est genitus, ortusque tanquam à principio. Idcircò per filium ad patrem tendendum est, & ad principium tanquã per imaginem perueniendum. In quo non inferenda inæqualitas naturæ, sed concipienda personæ proprietas. Certè, vt notauit Chrysostomus, De filij dignitate disserens Paulus hæc dicit. Quid est ergo, Imago Dei inuisibilis? Cuius vis eum esse imaginem? Dei. Est ergo immutabilis, Nam si tanquam Deus & Dei filius Dei est imago, C ostendit immutabilitatem. Nam imaginem, quatenus est imago, etiam apud nos oportet esse immutabilem, vtpote à characteribus & similitudine. Sed hîc quidem hoc nequaquam potest fieri. Ars enim humana sæpè non assequitur, imò verò nunquam, si accuratè examines, Vbi autem est Deus, ars nunquam excidit & aberrat, neque vllus vnquam est lapsus. Imago est, similitudo est, sed integra; sed Patrem ad viuum exprimens, sed ad æqualitatem in totum respondens, Deus est, sicut & Pater de quo natus est; nec enim similis tantummodò natus est, sed omnimodo æqualis: adeò vt si sit alia imago similis, non tamen sit æqualis: sed quicquid extra D Deum sit, creatum sit & conditũ, tam priore inferius imagine, quam conditore posterius. Si nõ est Christus primogenitus conditionis, (verba sunt Tertull.) vt sermo Creatoris per quẽ omnia facta sũt, & sine quo nihil factũ est, si nõ in illo cõdita sunt vniuersa in cælis & in terris, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, si nõ cuncta per illum & in illo sunt condita, nõ vtique tam nudè posuisset Apostolus, Et ipse est antè omnes. Quomodo enim ante omnes, si non antè omnia, si non primogenitus conditionis? si non sermo Creatoris? Quoad naturam verò humanam. E Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit ipse in omnibus primatum tenens Quoad æternam enim generationem, primogenitus est in filiis; ille enim in naturâ, isti ex gratiâ: quoad temporariam dispensationẽ, primogenitus est ex mortuis. Vbique primatum habet, vbique obtinet principatum. Primogenitus est, ait Chrysostomus, tanquam fundamentum. Per quod non significat creaturas esse eiusdem essentiæ, sed in ipso esse omnia, per ipsũ: & in ipsum enim pendet omnium substantia, Sic & Paulus quoque quando dicit, Fundamentum posui, non dicit de essentiâ, sed de operatione. Ipse enim principium est, à quo procedit omnis creatura; principium

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 19

Chrysost. orat. 5.

Imago humana semper deficit, diuina ad viuum exprimit.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 19.

Chrysost. orat. 5.

cipium est, à quo effluit omnis gratia. Primogenitus mortuorum nec primus solum tempore, sed & dignitate, imò & causalitate. Vbique primus (ait ille) In Ecclesiâ primus, est enim caput. In resurrectione primus, vt ipse sit primas partes tenens: sed qui superior est omnibus, iis se coniunxit qui sunt infra omnia. Resurrectio, certa quædam regeneratio est. Sicut ergo in æternâ generatione primatum obtinet, quia omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: sic & in vltimâ regeneratione, principatum habet, quia quicunque inter filios Dei resurgent, ad instar resurgent Christi, ad exemplar gloriosæ resurrectionis, & beatæ immortalitatis. Ante eum nullus, & post eum alius non est, nisi ab illo, tanquam à principio: vbique primogenitus, seu in æternitate, seu in tempore.

Quoad secundum. Non solùm primus, sed & plenus, vt inde haurirent omnes homines, nusquam exhaurirent. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.] Cui complacuit patri. Ostendit dignitatem capitis, ait Aquinas, quantum ad plenitudinem gratiarum omnium. Alij enim sancti habuerunt diuisiones gratiarum: Sed Christus habuit omnes. Singula tamen verba pondus suum habent. Compla- C cuit, designat quòd dona hominis Christi non erant ex meritis, sed ex diuinæ voluntatis complacentiâ, assumentis hunc hominem in vnitatem personæ Matth. 3. Hic est filius meus dilectus. Omnem, quia alij habent hoc donum, alij aliud. Ioan. 13. Omnia dedit in manus eius. Plenitudinem, quia aliquis aliquod habuit donum, sed non plenitudinem eius, seu virtutis, quia fortè inuitus in aliquo defecit. Sed Ioan. 1. dicitur de Christo, Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Inhabitare, alij enim acceperunt vsum gratiæ ad tempus, quia spiritus prophetarum non semper adest prophetis, sed in Christo est habitualiter, quia semper ad votum D in Christo est dominium huius plenitudinis. Ioan. 1. Super quem videris spiritum descendentem, & in eo manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Triplicem instituerat Christi comparationem. Primam, quoad Deum Patrem, & ita dixerat, Qui est imago Dei inuisibilis. Alteram, quoad totam creaturam, sicque addiderat, Primogenitus omnis creaturæ. Tertiam, quoad ipsam Ecclesiam. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium. Nunc declarat quantæ sit ipsum caput plenitudinis, quantæ sit ipsum principium virtutis: tam efficaciter enim in membra sua quàm perenniter influit, ad omnia sufficit, nec vnquam deficit. Quæ est E ista plenitudo, ait Tertullianus, nisi ex illis quæ Marcion detraxit? Cæterùm, quale est vt plenitudinem Creatoris, æmulus & destructor eius in suo Christo habitare voluerit? Dona sunt à Creatore promissa, & in redemptore deposita, vt exinde Ecclesiam suam respergeret, fidelesque & sui & regni compotes faceret. In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum. Si enim vti dixit Chrysostomus, remissa non essent peccata, non essemus hinc in regnum translati, ideò non dicit Græcè λύτρωσιν, quod minus est, sed, ἀπολύτρωσιν, id est plenam & perfectam redemptionem; ne amplius corruamus, neque efficiamur mortales. Ipse tibi pec-

Aquin. Lect. 5.

Tertullian. lib. 5. aduers.

Chrysost. orat.

A cata remisit: ergo te quoque adduxit. Non solum abstulit mala nostra, sed & bona sua contulit: non solùm antiquæ iugum auertit seruitutis, sed & statum pristinæ dignitatis restituit. Ego, Ait Adam miser, (apud Augustinum) & in Adã omnis homo, cum volo esse peruersè similis tibi, ecce quid factus sum vt de captiuitate ad te clamem. Cui benè erat sub rege bono, captiuus factus sum sub meo seductore: & clamo ad te, quia cecidi abs te. Et vnde abs te cecidi? Cum quæro esse peruersè similis tibi. Quid enim? Deus nonne ad suam similitudinem nos vocat? Nonne ipse est qui dicit, Diligite inimi- B cos vestros, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est. Qui enim benè vult inimico suo, Deo similis est; nec ista superbia, sed obedientia est. Quare? Quia ad imaginem Dei facti sumus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ergo aliquid alienum est, si imaginem Dei tenemus in nobis: vltimam tam per superbiam non amittamus. Adam ille primus eam labefactauit per præsumptionem, secundus eam reparauit per summissionem. Via huius humilitatis, ait ille, aliunde non manat, à Christo venit. Hæc via ab illo est qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit, (agnosce Augustinũ) soluendo quod nõ debebat, vt nos à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, crucifixus, nisi hanc humilitatẽ?

Augustin. con. 2. in Psalm. 70. cit. med.

Deo similes sumus, dum sumus humiles.

Augustin. Enarrat. 2. in Psalm. 31. vlt. med.

Quoad tertium. Non solùm complacuit Deo Patri omnem donorum gratiarumque plenitudinem habitare in Christo, sed & omnia instaurare in ipso, societatemque inter cælestia ac terrestria fœderare. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Vtramque sociauit Ecclesiã, militantem scilicet ac triumphantem, imò Angelos & homines, non solum in vnam Ecclesiam compegit, sed & ad vnam prouexit gloriam. Et hæc quidem quæ in sanctis angelis & virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam æternam beatitudinem sempiternam. Ista verò quæ ab illâ peregrinatur in terris, eo nobis notior est quod in illâ sumus: & quia hominum est, quod & nos sumus. Hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato, eiusque vox est, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideò etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsâ hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur. Aperit causam dissensionis, simul & causam addit reconciliationis. Angeli namque, qui in cælis, sancti erant & boni, homines verò qui in terris, mali erant & impij. Quæ autem societas lucis ad tenebras, quæ inter sanctos & impios conuentio? Verum vbi homines mundati sunt sanguine Christi, vbi cruce ipsius sanctificati sunt, pax inita est, & instaurata concordia. Non enim fieri poterat vt sancti iis infensi permanerent, qui

per

Augustin. cap. 61. Enchirid.

Quomodo concordia inter angelus & homines procurata.

per Christum reconciliati erant Deo, qui iam facti amici ac filij, qui ad eandem gloriam vocati, qui ad eandem adunati Ecclesiam. Propter quod ait Apostolus, (verba sunt Augustini) Instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt & quæ in terris. Instaurantur enim quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœlestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit, In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris. Concordãt enim Angeli nobiscum, cùm remittuntur nostra peccata. Ideò post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine cõfessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est, per hanc non perit quod perierat & inuentum est. Hæc igitur efficacia redemptionis, quòd omnia expungat peccata, seu corde, seu ore, seu opere commissa, non solùm quæ ingenerata inuenerit, sed quæ addita & actiuà. Illa verò abundantia reconciliationis, quod non solùm nos cum Deo in amicitiam restituerit, sed & vnam ex beatis spiritibus & hominibus miseris collegerit Ecclesiam. Interfectæ sunt inimicitiæ, facta est in sublimibus concordia, paxque cum hominibus fœderata. Ne existimes, ait Chrysostomus, quòd serui partes susceperit, dicit, per seipsum. Non enim data est solùm reconciliatio, sed etiam modus reconciliationis. Magnum quidem est reconciliare, per ipsum, maius: & eo maius est per sanguinem eius: & non solùm sanguinem, sed quod eo maius, per crucem. Pacificans per sanguinem crucis eius in ipso: siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Quid est illud, Quæ in cœlis? Illic quoque erat bellum & pugna. Abscissa erat terra à cælo, bellum gerebant Angeli aduersùs homines, videntes suum Dominum probro & contumeliâ affectum. Illuc commigrare fecit hominem: inimicum qui odio habebatur, illis reddit. Non solùm quæ sunt in terrâ fecit pacem agere, sed ad ipsos sustulit hostem & inimicum. Hoc pax profunda. Angeli de cætero rursum cernuntur in terrâ, quoniam homo quoque apparuit in cœlo. Cœlum facta est terra, quoniam quæ erant terræ cœlum erat suscepturum. Non est amplius cœlum paries intermedius.

[Augustin. eodem lib. c.62.& 64.]

[Chrysost. orat. 3.]

ANAGOGIA.

In omni sapientiâ & intellectu spirituali.

Sicut homo totus de Apostolo aduersùs diabolum armatus est, ita totus ab ipso in spiritum efformatus. Tria autem sunt quæ spiritualem constituunt hominem. Intellectus, affectus, & actus.

Quoad intellectum. Illa est differentia inter orationem & postulationem, quod oratio sit eleuatio mentis, postulatio sit necessitatis expositio. Inde præcedit oratio, succedit postulatio:

A nam orationem præmittimus, velut quandam persuasionem, non quâ Deum flectamus, sed quâ nos in eum erigamus: tum & petimus seu necessaria seu congruentia. Ita igitur Paulus. Non cessamus, inquit, pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientiâ & intellectu spiritali. Quibus, vt notat Aquinas, Triplicem optat cognitionem: scilicet agendorum, ideò dicit, vt impleamini agnitione voluntatis eius: cognitionem diuinorum ideo dicit, In omni sapientiâ, quæ est cognitio diuinorum: cognitionem spiritualium donorum, ideo dicit, Et intellectu spiri-
B tuali: id est non harum corporalium rerum. Et apte coniunguntur hæc duo, sapientia, & intellectus, quia minor est sapiẽtia si intellectu careat, & inutilis est intellectus sine sapientiâ; quia sapientia iudicat, & intellectus capit; & non valet capere nisi iudicet, & è conuerso. Optimè igitur vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientiâ & intellectu spiritali. Quia, vt aduertit Chrysostomus. Aliter non licet eius agnoscere voluntatem. Existimabant enim aliqui se eius habere voluntatẽ: sed non erat spiritualis sapientia. Duplex igitur spiritus, vnus qui ex mũdo est; vnde sapientes mundi; alter qui ex Deo est, vnde spiritales viri. Vult ergo Paulus Colossenses &
C quosuis Christianos sapere, sed secundùm Deum non secundùm mundum sapere; spiritales viros esse, id est, Dei spiritum habere, non spiritum mundi. Qui enim sic sapit, beneplacitũ agnoscit diuinum, consilium percipit. Spiritus ille datus est, non innatus, à Deo concessus, non humano acquisitus ingenio. Vnde Dauid. Da mihi intellectum, vt discã mandata tua. Vt agnoscam voluntatem tuam, vt sciam quid desit mihi, & vnde sit. Numquid, ait Augustinus, sine intellectu fecit hominem Deus, siue primum, siue vnumquemque nascentium, vt nunc dicat ei, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum? Nonne ipsi naturæ humanæ intellectus
D est inditus, vt eo discernatur à pecore? Aut sic est deformata peccando, vt etiam in eâ hoc etiã reformandum sit? propter quod & Apostolus omnibus ad regenerationẽ pertinentibus, dicit, Renouamini spiritu mentis vestræ: & vtique intellectus in mente est. De his autem qui huius regenerationis consortes non erunt: Hoc, inquit, dico, & testificor in Domino, vt non iam ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate mẽtis suæ, obscurati intelligentiâ, alienati à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum. Propter hos igitur interiores oculos quorum cæcitas est, Deum non intelli-
E gere, vt aperiantur, & magis magisque serenentur: Da mihi, inquit, intellectũ, vt discam mãdata tua. Proficit enim noster intellectus ad intelligenda quæ credat, & fides proficit ad credenda quæ intelligat: & eadẽ ipsa vt magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adiuuante atque donante: sicut medicinâ fit, non naturâ, vt vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Non parui tamen intellectûs, nosse à quo poscendus est intellectus. Mirum quòd qui habet spiritum Dei, meliùs deprehendat vel per eadem scripturæ verba, vel per eadẽ opera naturæ, altiusq; intelligat diuina mandata, quàm qui habet spiritũ mundi: licet ille sapien-

[Aquin. lect. 3.]

[Chrysost. orat. 1.]

[Augustin. con. 18. in Psal. 118. circ. med.]

[Intellectus diuinus non doctis datus, sed paruulis.]

tiâ seculari, seu vulgari literaturâ destitutus sit, A iste etiam subtili intelligentiâ sit prædiitus. Nemo enim comprehendit, ait Augustinus, nisi à Domino acceperit intellectum: vnde iste etiam dicit, Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Ille nimirum intellectus non humanus, sed diuinus; nec doctis datus, sed paruulis.

Augustin. con. 11. in Psal. 118. vlt. med.

Quoad affectum. Laudat Paulus dilectionem, sed spiritualem, id est diuinam; humanamque vt carnalem reprobat. Qui etiam manifestauit nobis dilectioné vestram in spiritu. Multi enim diligunt, sed sensu, pauci diligunt spiritu. Hæc est, vt loquitur Chrysostomus, admirabilis firmaque & stabilis dilectio. B Nam aliæ quidem solum habent nomen dilectionis. Turpes quidé prætermittimus: nemo enim nobis contradicet illas esse malas. Sed si vultis, in medium adducamus naturales, & quæ ad hanc vitam agendam pertinent. De aliquo quispiam est benemeritus, amicum parauit à maioribus: fuit socius mensæ aut peregrinationis, aut est vicinus: sunt hæ pulchræ & honestæ. Aut est eiusdem artis. Atque hæc quidem non est sincera: habet enim æmulationem quandam & inuidiam. Naturales autem, vt puta patris erga filium; filij erga patrem, fratris erga fratrem: si vultis etiam, vxoris C quoque erga maritum. Hæ enim omnes matrimoniales, sunt ad vitam pertinentes & terrestres. Atque hæ quidem videntur illis esse vehementiores. Videntur autem dixi, propterea quòd ab illis sæpè sunt superatæ. Et aliquando quidé apparuerût amici meliùs & sinceriùs affecti quàm fratres, & quàm filij in parentes. Et qui fuit quidem genitus, non opem tulit. Qui autem eum non cognouit, adfuit & opem tulit. Dilectio autem spiritualis est omniû suprema, veluti quædã regina, quæ in suos dominatum obtinet, honestaque est specie pulchroq; & ornato habitu. Nihil enim terrestre eam parit sicut illam, non consuetudo, non beneficium, non natura, non autû, sed D à superis descédit è cœlo. Et quid miraris si beneficio non eget vt consistat, cû ne si mali quidé quidquã accipiat, euertatur. Nam hîc quidem pater contumeliâ affectus, soluit amicitiam, illic autem nó itidé. Nihil est enim æquè validum, vt vinculum spiritûs. Qui enim propterea quòd sit beneficio affectus, euasit amicus, si hoc non fiat perpetuo, erit inimicus. Qui ex consuetudine cû esset indiuulsus, interruptâ rursus consuetudine, extinxit amicitiam. Mulier rursus, si fuerit lis ac dissensio, dimittit maritum, & soluit desiderium. Filius si diu viuenté viderit patrem, ægrè fert. In E spiritu autem, ex his nihil est. Nullo enim horû soluitur: quoniam ne ex his quidem constat. Neque tépus, neq; vitæ longitudo, neque malè esse affectum, non ira non contumelia, neq; quidquã aliud inuadit, neque eam potest dissoluere. Petit igitur Apostolus cognitionem, sed spiritalem, alia enim inanis est & vana.. Petit dilectionem sed cælestem, alia enim caduca & dissolubilis, cum origo eius de terrâ sit, vitâ, seu terrenis humanæ vitæ fulta commodis & enutrita. Dilectio verò spiritalis seu cœlestis, tã firma est quàm & inuiolabilis, vtpote orta è cœlo, & Deo subnixa. Sanctis filiis liberæ, ait August. hoc est supernæ Hierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur: non quam

Chrysost. orat. 1.

Dilectio humana tam dissolubilis, quàm diuina violabilis.

August. con. 11. in Psal. 118. circ. med.

memoriâ teneant, & vitâ negligant, sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Triplicem paucis verbis suggerit rationem, cur illa dilectio spiritalis dicatur. Prima est, quòd diffundatur per Spiritum sanctum: altera, quod in corde scribatur, non in lapide: tertia, quòd in Deû ipsum refundatur: ab ipso enim venit, & ad ipsum redir. Idcircò Dauid, Legem, inquit, pone mihi Domine. Quid ergo, legem non habebat, qui dicebat, Et lex tua meditatio mea est? Gratia itaque Dei, ait ille, nobis præcipuè commendatur, quando sibi legem poni poscit à Domino: qui vtique iam legem secundùm literam nouerat. Sed quia litera occidit, spiritus autem viuificat, orat vt per Spiritum sanctum faciat, quod per literam sciebat: ne per scientiam mandati non obseruati etiam præuaricationis ei crimen accedat. Qui enim non diligit Deum, mandatum non facit.

Augustin. vlt. med.

Quoad actum. Nihil excipit Paulus, cum ait: per omnia placentes Deo scilicet, seu Domino. Vel, vt ex Græcis, Ad omnem placentiam. Vt Deo placeamus in omnibus actibus nostris, vt & in omnibus operibus nostris, ipsius vereri maiestatem, ipsiusque bonitatem promereri studeamus. O quàm rari sunt, (vt pronuntiauit Laurentius Iustinianus) qui spirituales re, & nomine censendi sunt. Vocabulum hoc denuntiatione sortiuntur multi, effectum verò ipsius pauci. Spirituales viros illos arbitror esse dicendos, qui carnales habentes edomitas voluptates, carnem spiritui, mentem rationi, deuotioni affectum, intentionemque animi æternæ substernunt dominio sapientiæ. Hæc quippe est regula disciplinæ cœlestis, hæc (inquam) est spiritualis forma virorum in carne, & suprà naturam spiritualiter conuersantium, & quotidie proficientium in id ipsum. Nullus ad hunc perfectionis ascendit gradum repente: & si sint nonnulli, qui visitante gratiâ interdum, & ad tempus in actibus aliquibus ad culmen perfectionis attingant, in eo tamen minimè perseuerant. Certè, nihil spiritibus erat facilius, quàm agere spiritualiter, quàm sese sublimiter attollere: nec tamen perseuerarunt, imò & eo quo sublati, deiecti sunt: non enim in elatione animi scientia ista posita est, sed in imitatione Christi. Cur ait Chrysostomus, nusquam neque imago, neque filius appellatus est Angelus, sed homo vtrumque? Quoniam illic quidem naturæ sublimitas multos iniecisset in impietatem. Hîc autem vilitas & abiectio spondet rem fore in tuto. Tunc enim sublimitas est in tuto, cum præsto est humilitas. Si ergo & ipse spiritus non stetit in veritate, quia in humilitate non stetit: quid promittendum homini, quid carni pollicendum? Nam, vt dixit Laurentius, spirituales quis sine spirituali lumine effugit laqueos? Quis (inquam) aërearum potestatum insidias, & fallacias innumeras inimicorum inuisibilium agnoscit ad plenum, nisi sapientiæ sit splendore perfusus? Non sufficit naturalis acumen ingenij, si non introrsus erudiatur à verbo. Nec immeritò. Male namque corruptibilis prægrauatus corporis, ac infirmitatis propriæ obuolutus caligine nequit spiritualiter spiritualia iudicare. Hinc opus

Laurent. Iustin. lib. de obedient. cap. 16.

Multi spirituales nomine, re vero paucissimi.

Chrysost. orat. 3.

Laurent. lib. de obed.

opus est, vt superiori erigatur auxilio, manuducatur exemplo, & magisterio reformetur. Ea de causâ, volebat Paulus Colossenses repleri omni intellectu spiritali, vt voluntatem agnoscerent diuinam, & per humilitatem Christi, ad optatam Dei sublimitatem assurgerent. Christus qui descendit, (ita Bernardus) ipse est & qui ascendit. Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quòd descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum ascendere, vt nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, & magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Beata scientia, in quo vita continetur æterna; sed descensu potius obtinetur quàm ascensu.

Bernard. ser. 4. de Ascens. cit. med.

A Mihi, inquit Paulus, minimo omnium sanctorum data est hæc gratia. Et post pauca. Huius rei gratiâ flecto genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatem, siue veritatem. Et hæc est crux Christi. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei: homo similiter Deus esse voluit: præcipitatus est vterque. Videns ergo imago Dei, Deus filius Angelum & hominem per inordinatum similitudinis appetitum periisse: Exhibeo me, inquit, nouissimum virorum, vt zelet & imitetur in me humilitatem per quam perueniat ad gloriam, ad quam præpropere festinat; vt possit audire, discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.

B

Bernard. lib. de nat. & dignit. am. diu. cap. 10. & 11.



PARS SECVNDA.

De Apostoli ministerio.

TEXTVS.

ET vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coràm ipso: si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersâ creaturâ, quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore eius, quod est Ecclesia: cuius factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei: mysterium, quod absconditum fuit à seculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientiâ, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. In quo & laboro certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute.

EXEGESIS LITERALIS.

BENEFICIVM Christi Colossensibus applicat, seque declarat ministrum eius ad annuntiandum fidei mysterium in gentibus.

Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coràm ipso &c. Quod in genere dixit, nunc exponit in specie. Et vos igitur, ô Colossenses, licet inimici essetis Dei, vtpote

C in operibus malis conuersati, peruersisque implicati cogitationibus; Christus tamen Deo patri reconciliauit, per mortem in corpore passibili toleratam, per crucem in carne mortali susceptam: vt vos redderet sanctos mundosque, & inculpatos tandem coràm ipso sisteret. Quale donum Dei sit erga gentes memorat, vt ostendat eos debitores, & quidem multum, in gratiarum actionibus Deo; qui vt prodesset generi humano, incarnatus homo factus est, vt in carne suâ vinceret mortem. Ita Commentator Ambrosian. Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersâ

Comment. Ambros.

Fides non reputatur ad salutem, nisi in finem perstitatur.

creaturâ, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister &c. Et hoc quidem verum, certumque: dummodo fidem Christi qui in fundamento positus est, constanter retineatis, & in spe bonorum æternorum, quæ Euangelium proponit, inuiolabiliter permaneatis. Hæc quippe pollicitatio eius Euangelij, quod non solùm vobis prædicatum, sed & omnibus vbique hominibus in hoc mundo degentibus, annunciatum est: cuius disseminandi ac propagandi ministerium mihi est à Christo Domino concreditum. Vel id plurimum confert, ait Athanas. vt digna Euangelio fides adhibeatur, cuius præconium susceperat Paulus. Erat namque eius adeò nomen quoque diffusum & celebre, vt fama orbem peruaderet. Ministrum ergo cũ se Euangelij vocat, magis eos vt pareant, cogit. Neque enim quæ mea sunt prædico, inquit, sed alteri subministro, Deo scilicet Quocirca & vos dictis meis fidem præbete. Vnum est Euangelium, licet à multis, & in diuersis locis prædicatum.

Athanas. in Paulum.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore eius, quod est Ecclesia &c. Hæc pollicitatio Euangelij adeo vera, adeò certa, vt libenter, hilariterque pro vobis erudiendis aduersa omnia sustineam, & ea quæ restant passionum Christi, in carne meâ expleam, vt Ecclesia colligatur, & in vnum corpus, Apostolis laborantibus, cooperantibusque ministris, compingatur. Cuius factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei &c. Et ego eius Ecclesiæ, corporis & sponsæ Christi, factus sum minister iuxta prouidam eius dispositionem, qui mihi Apostolatum inter gentes tribuit, meque commisit vt vbique prædicem, & omnibus nationibus, Dei verbum annuntiem. Ministrum, ait Ambros. factum se esse Euangelij inter gentes à Dèo per Christum cum fiduciâ loquitur, vt mysterium ceptum à Domino per idoneum & efficacem seruum possit impleri, quod ignotum fuit à seculis. Ita sequitur. Quod absconditum, fuit à à seculis, & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ &c. Hoc est nimirum quod prædico, arcanum scilicet Dei consilium, hominibus præcedentium temporum incognitum, nec ita perspectum, vt nunc sanctis eius Apostolis reuelatum est: quibus tandem thesaurum sapientiæ suæ Deus aperire voluit, & ostendere quanta sit huius beneficij munificentia: non enim aliud est, quàm Christus ipse, cuius vera fides, in vobis spes est gloriosa: qui enim in ipsum creditis, etiã & æternam vitam vos per ipsum assecuturos confiditis. Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientiâ, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. In quo & laboro certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute. Quem nos altè & clarè prædicamus, corripientes omnem peccantem, docentes omnem ignorantem, vt & resipiscant integrè, ac perfectè sapiant: sic enim hominem non solum imbuimus fide, sed & tam actione perfectum quàm & instructum cognitione reddimus. In hoc ego laboro, in hoc totis viribus, nec sine magnis difficultatibus, collimo, secundùm potentem & efficacem Christi in me operationem. Nos, inquit, (apud Athanas.) non Angeli, hunc prædicamus. Ita enim id nitor, vniuersos mortales reddere perfectiores. Laboro autem dixisse haud contentus, & certando adiunxit, vt & vigilantiam præferat, & abstinentiam quandam acerrimam, & reliqua se seruasse ostendat, quibus solent certaturi studere. Sed cum labore cœpisse se diceret, arguit vtique hunc ipsum esse ex auxilio diuino. Nam quemadmodum in principio dixit, per voluntatem Dei: ita nunc, Illi, inquit, qui id laboris ad tolerandum mihi sufficit vires, sic placitum est.

Ambros. in Paulum.

Thesaurus sapientiæ diuinæ sanctis apertus Apostolis.

Athanas. in Paulum.



RELIQVATIONES *Supplendæ.*

SVPPLET Paulus reliquias, pressuras adimplet. Reliquationes sunt, Græcè ὑστερήματα, racemationesque superstites, sed colligendæ, & adimplendæ.

RELIQVATIO I.

De fide.

FIdeles admonet Apostolus, iubetque esse verè fideles, id est in fide ac spe immobiles. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso: si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Euangelij paucis multa continet, sed tria speciatim edocet: præteritum ethnici statum: collatum Christi beneficium: debitum fidei officium. Status autem præteritus, (vt animaduertit Aquinas, habuit tria mala. Quantum enim ad intellectum, erant ignorantes; quantum ad affectum, inimici iustitiæ; quantum ad actum, in multis peccatis. Quantum ad primum dicit, Et vos cum essetis aliquando alienati, à cultu vnius Dei. Quantum ad secundum, Et inimici sensu, ex electione, contradicentes ei ex malitiâ, Iob. 34. Qui quasi de industriâ recesserunt ab eo. Quantum ad tertium, dicit, In operibus malis. Ioan. 3. Dilexerũt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum opera mala. En qualis, quàm abominabilis, quamque deflendus hominis sine fide, seu Dei & Christi cognitione, status: tantoque miserior, quanto obstinatior. Dicere enim, ait Chrysostomus, quòd essent sub potestate tenebrarum, ostendit calamitatem in quâ erant. Sed ne, cum audieris potestatem tenebrarum, existimes esse necessitatem subiunxit, Et vos cum essetis alienati. Ostendit igitur, quòd etiam cum essent indigni reconciliatione, eos reconciliauit. Non sunt enim paria, eum qui est necessitate perpessus, & qui suâ sponte & volens est passus, à malis liberasse. Nam ille quidem dignus est misericordiâ: hic autẽ dignus est qui

Aquin. lect. 5.

Chrysost. orat.

Quo liberior homo in culpâ, eo veniâ indignior.

qui odio habeatur. Sed tamen vos, inquit, non inuitos, non necessitate compulsos, sed lubentes & voluntariè ab ipso resilientes, cum essetis indigni, liberauit. Neque solùm dixit, Cum inimici essetis, sed etiam alienati: quod quidem est magnarum inimicitiarum. Neque solùm alienati, sed neque expectantes reuerti: & sensu vel mente ac cogitatione inimici. Nec vsque ad liberam electionem constitit alienatio. Sed quid? Et in operibus malis. Et inimici, inquit, eratis, & agebatis quæ sunt inimicorum.

Leo serm. 12. de pass. Dom. in med.

Quantum igitur Christi Domini beneficium, qui non solùm pro impiis vitam dedit, sed & ipsis obtulit veniam. Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Quoniam, sicut ait Apostolus, vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Et cum sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis. Sed & illud tam ineffabile quàm & mirabile: vt modus rei non æquet solùm, sed & superet genus beneficij. Nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem. Ponit etiam Paulus modum reconciliationis (verba Chrysostomi.) Quòd in corpore non solùm percussus, flagellatus & venditus, sed etiam turpissimâ morte mortuus. Nec solùm liberauit, sed etiam nos fecit idoneos & sufficientes. Per mortem eius, inquit, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. Non solùm enim liberauit à peccatis, Sed etiam in proborum ac bonorum numerum retulit. Non enim hæc passus est solùm vt nos liberaret à malis, sed etiam vt primas partes assequeremur. Vt si quis reum non solùm liberaret à supplicio, sed etiam ad honorem eueheret. Et retulit in numerum non solùm eorum qui nihil peccauerunt, sed etiam eorum qui res gesserunt maximas & præclarissimas: & quod magnum est, dedit sanctitatem quæ est coram ipso: & esse irreprehensibilem, id est: nulli reprehensioni affinem. Inculpati intensio est esse nulli affinem reprehensioni, quãdo neque ad condemnationem quidem vsque, neque vsque ad criminationẽ quidquam à nobis actum fuerit. Quid vltra potuit? imò quanta voluit, qui nulla debuit? Gloria enim Dominicæ passionis, (vt loquitur Leo) humilitatis maximè est miranda mysterio, quæ omnes nos & redemit & docuit; & vnde datum est pretium, inde & iustitia sumeretur. Omnipotentia enim Filij Dei, quæ per eandem essentiam æqualis est patri, potuisset humanum genus à dominatu diaboli solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo quod vicit vinceretur, & per ipsam materiam repararetur naturalis libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas. Peccauit homo, liberauit homo: peccauit homo deliciando, liberauit homo vapulando: sed peccator nos ad extremum deiecit gradum miseriæ, liberator nos ad supremum euexit gloriæ fastigium.

Chrysost. 4.

Quanta sint Christi in nos beneficia.

Leo serm. 14. de pass. Dom. à princip.

Sed quid prodest ista Christi liberatio? Quid & copiosa apud eum redemptio: si à fide defecerimus, si in spe & charitate stabiles non

A permanserimus & immobiles. Propterea, inquit Chrysostomus, subiunxit Paulus. Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij. Et non solùm dixit, permanetis? potest enim esse vt permaneat labans, & seditionem agitans: potest etiam esse vt stet & maneat circumactus: Sed, si tamen permaneritis, inquit, fundati & stabiles, & immobiles. Papè quantâ vsus & metaphorâ ac translatione; Non solùm, inquit, non labantes, sed ne moti quidem: A spe Euangelij. Quænam autem alia spes Euangelij quàm Christus? In quo fides fundatur? nonne in Christo, tanquam in doctrinæ Christianæ

Chrysost. orat. 4.

B fundamento, In quo spes radicatur. Nonne in Christo, tanquam in meriti Christiani promptuario? Sic state in fide verborum immobiles. vt & fides immobiliter fundatur in Christo: sic perseuerare in spe promissorum stabiles, vt & spes stabiliter in Christo radicatur. Huius namque deuotionis quemadmodum poterimus esse participes, nisi rerum varietas constantiam mentis exerceat? vt amor directus in Deum, nec inter secunda superbiat, nec inter aduersa deficiat. Quid enim nobis proposuit Christus: quid & promisit? Persecutiones in hoc mun-

Leo serm. 1. de ieiun. 10. mens. vlt. med.

C do, sed delectationes in altero: nonne ablactauit & terrenis, & æternis inescauit? Nunc autem, ait Chrysostomus, hoc ipsum nobis vsu venit quod pullis, qui molles redduntur & teneri in nido volentes manere perpetuò: sed quod iustiùs manserint, hoc fiunt imbecilliores: Nidus enim est vita præsens, conglutinata ex paleis & luto. Etiamsi mihi magnas ædes ostenderis, & ipsas regias multo auro & gemmis fulgentes, existimabo eas nihil differre à nidis hirundinum. Nam cum hyemps aduenerit, omnia suâ sponte fugient. Atque hirundinum quidem nidus cum ceciderit, citò perit. Nos autem non perimus, sed perpetuò punimur. Hyems enim quod tunc erit tempus, imò vero hyeme gra-

Chrysost. 2.

D uius ac molestius. Non enim trahuntur torrentes aquæ, sed fluuij ignis. Non existunt tenebræ è nubibus, sed tenebræ indissolubiles; & luce penitùs carentes: adeò vt neque cælum videant nec aërem, sed in maiores redigantur angustias quàm qui infossi sunt in terrâ. Hæc sæpè dicimus, sed non persuademus aliquibus. Sed non est mirum. Nam quæ vult quispiam, ea & putat, ea & expectat: qui autem contradicunt, sunt nugæ. Eâ igitur de causâ vult Apostolus in fide stabiles, in spe immobiles, fundatos radicatosque; ne ea putemus, quæ cupimus; ne ea quæ concupiscimus expectemus. Quid enim

Præsens hominum vita, nidus est hirundinum.

E melius & optabilius, aut momento deliciari & in æternum damnari: aut momento pati cum Christo, & in æternum cum illo gloriari? Hæc fides Christianorum stabilis, hæc spes immobilis sanctorum omnium.

RELIQVATIO II.

De passione.

HVius veritatis prædicator constitutus est Paulus, huius doctor pietatis: Ego Paulus minister: qui nunc gaudeo in passionibus pro

vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore eius, quod est Ecclesia. Sanè, vt aduertit Aquinas: Hæc verba secundùm superficiem malum possent habere intellectum, scilicet quòd Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem; sed additæ sunt, ad complendum, passiones sanctorum. Sed hoc est hæreticum: quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptionem multorum mundorum. Primo igitur declaranda est sufficientia: secundò, supplenda pressura: tertiò, non defectui imputanda, sed effectui.

Aquin. lect.

Quoad primum. Tantum potuit passio Christi, quantum actio Dei: id est, nihil non potuit: tanta enim potestas patientis, quanta est agentis dignitas. Scimus etenim, ait Leo, & toto corde profitemur, patris & filij & Spiritûs sancti, vnam esse deitatem, & consubstantialem sempiternæ Trinitatis essentiam, in nullo esse diuisam, in nullo esse diuersam, quia simul est intemporalis, simul est incommutabilis, simul quod est, esse non desinens. In hac autem ineffabili vnitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem, humani generis propriè filij persona suscepit; vt quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animauit, idem naturam nostram ab æternitatis arce deiectam, amissæ restitueret dignitati, & cuius erat conditor, etiam esset reformator. Quia enim primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere, venit è cœlo medicus singularis, multis sæpè significationibus nuntiatus, & propheticâ diu pollicitatione promissus, qui manens in formâ Dei, & nihil propriæ maiestatis amittens, in carnis nostræ animæque naturâ, sine contagione antiquæ præuaricationis oriretur, & consilium suum dirigens in effectum, ad dominationem diaboli destruendam magis vteretur iustitiâ rationis, quàm potestate virtutis. Grandis quidem plaga, sed insignis medicina, quæ tantâ virtute polleret, quantâ dignitate; non humanâ seu fragili, sed diuinâ & inuiolabili potentiâ subsisteret. Omnia, ait Augustinus, quæ leguntur de scripturis sanctis, ad salutem & instructionem nostram intentè oportet audire. Maximè tamen memoriæ commendanda sunt, quæ aduersùs hæreticos valent plurimum. Mementote ergo Dominum nostrum & Saluatorem Iesum Christum, & mortuum esse pro nobis, & resurrexisse: mortuum scilicet propter delicta nostra; & resurrexisse propter iustificationem nostram. Profectò discipulorum duorum quos inuenit in viâ, tenebantur oculi ne eum agnoscerent: & inuenit eos desperantes de redemptione quæ erat in Christo, & existimantes iam illum passum & mortuum fuisse sicut hominem, nec tanquam Filium Dei putantes semper viuere. Deus ipse passus est pro nobis, Deus pro nobis mortuus est: ideoque sicut nullus dilectioni modus, sic & nullus terminus passioni. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Nulla enim quæ hoc sanguine elui non possint, nulla quæ hac virtute non possint redimi.

Leo serm. 12 de pass. Dom. post init.

Grandis Adami plaga, sed insignis Christi medicina.

Augustin. Tract. 2. in epist. Ioan. à princip.

1. Ioan. c. 2.

Quoad secundum. Christus quidem sufficienter in seipso passus est. Sed adhuc in membris suis vexandus est cruciandusque, & si non in capite, in corpore nihilominus suo, rursum, iterumque cædendus, crucifigendusque. Nimirum, ait Gregorius, & Dominus multa adhuc per corpus, quod nos sumus, patitur: & iam eius corpus, id est Ecclesia, de suo capite, videlicet Domino, in cœlo gloriatur, sed multa etiam in corpore suo sustinet. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret. Saule, Saule, quid me persequeris? Si cruciatus nostri, eius pœnæ non essent, conuersus afflictusque Paulus minimè diceret: Suppleo ea quæ desunt passionum, Christi, in carne meâ. Et tamen resurrectione iam sui capitis exaltatus dicit: Qui nos conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus. Nempe hunc in terrâ persecutionum tormenta constrinxerunt: sed pœnarum suarum ponderibus pressus, iam per gloriam capitis in cœlo residebat. Supplentur ergo passiones Christi, dum passiones adimplentur Christiani: cum augentur persecutiones capitis, per afflictiones corporis. Vnus enim homo, ait Augustinus, cum capite & corpore suo Iesus Christus saluator corporis & membrorum corporis, duo in carne vnâ & in passione vnâ; & cum transierit iniquitas, in requie vnâ. Passiones itaque Christi non in solo Christo: imò passiones Christi non nisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput & corpus, passiones Christi non nisi in Christo. Si autem Christum intelligas solùm caput, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, imò in solo capite: vnde dicit quoddam membrum eius Paulus Apostolus: Vt suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne meâ? Debemus enim intelligere personam nostram, personam Ecclesiæ nostræ, personam corporis Christi. Si ergo in membris Christi es quicumque homo: quicquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur quia deerat, mensuram implens non superfundens. Nam quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus: passionumque, omnium non erit finis, nisi cum seculum finitum fuerit. Vbi nos legimus, Quousque irruitis in hominem? Ille legit, Quousque apponitis super hominem? Aitque: Vna est ciuitas sancta cuius Rex Christus. Tota ergo illa ciuitas loquitur, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ. Inde, & deinceps à sanguine Ioannis per sanguinem Apostolorum, per sanguinem martyrum, per sanguinem fidelium Christi, vna ciuitas loquitur, vnus homo dicit: Quousque apponitis super hominem?

Gregorius lib. 3. Moral. cap. 11.

Augustin. Enarrat. in Psal. 61. post init.

Christus non solum in se, sed & in membris suis passus.

Augustin. Ibidem.

Quoad tertium. Si in omnibus & ad omnia sufficit passio Christi nusquam deficit: Sed si nihil deest ad sufficientiam, aliquid tamen superest ad efficaciam. Passus est Christus, mortuus est. Quid deest, vel potius quid superest vt quod acquisitum est, communicetur; quod effusum est, deriuetur. Nûc gaudeo in passionibus pro vobis, & suppleo reliquias pressurarum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia

Ecclesia. Ita Textus Ambrosianus. Functus est Christus officio suo, redemptoris scilicet mediatorisque. Quid superest? Reliquum est, vt & Paulus patiatur, suoque fungatur ministerio. Et quænam hæc consequentia? (ait Chrysostomus) videtur quidem adhuc pendere: sed magnam habet consequentiam. Et minister inquit, pro eo quod est, Nihil à me afferens, sed quæ sunt alterius annuntians. Ita credo quod & pro ipso patior: & non solùm patior, sed etiam lætor patiens ad spem futuram aspiciens: & patior non pro me, sed pro vobis. Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ. Videtur quidem magnum esse quod est locutus, sed non est arrogantiæ & insolentiæ; absit sed magnæ in Christum beneuolentiæ. Non enim vult esse suas, sed illius passiones, eos ipsi volens conciliare. Non enim nostrum, inquit, opus suscepimus, sed opus illius. Quamobrem non mihi, sed illi habete gratias. Non ergo seipsum extollens hæc dicit, sed volens ostendere Christum eorum adhuc curam gerere. Agnus ille occisus est ab origine mundi, sed rursum occidendus, nec pati desinet, aut desinet cædi, nisi in fine seculi. Intelligendum est enim, (vt & intellexit Aquinas) quod Christus & Ecclesia est vna persona mystica, cuius caput est Christus, corpus omnes iusti: quilibet autem iustus, est quasi membrum huius capitis. Quidam præcesserunt, quidam subsecuti sunt: sed vnum omnes constituunt corpus sub vno capite Christo, qui in fidelibus seu electis, id est, in omnibus suis membris patitur, patieturque: ideoque, dum instauratur passio Christiani, Christi passio consummatur.

Chrysost. orat. 4.

Pati pro Christo, non arrogantiæ est, sed beneuolentiæ.

Aquin. lect. 6.

Tria inde colligenda sunt. Primum est, duplex inesse corpus Christo, vnum naturale seu carnale, alterum morale seu spiritale. Sicubi enim Apostolus Ecclesiam corpus Christi dicit esse, vt hîc ait (Audis Tertullianum,) Adimplere se reliqua pressurarum Christi in carne, pro corpore eius quod est Ecclesia, non propterea & in totum mentionem corporis transferes à substantiâ carnis. Nam & suprà reconciliati nos ait in corpore eius post mortem, vtique in eo corpore, in quo mori potuit per carnem; mortuus est, non per Ecclesiam, planè propter Ecclesiam; corpus commutando pro corpore, carnale pro spiritali. Per vnum, reconciliat alterum. Reconciliat dico, nedum conciliat. Conciliari enim, ait ille, extraneo posset, reconciliari verò non alij quam suo. Quoties moritur, toties & renascitur; sed quoties renascitur, toties restituitur in gratiam, toties veniam à Deo suo consequitur. Alterum est, totum effectum corpori naturali, defectum vero corpori morali deputandum. Adimpleo: id est, vt exponit Aquinas, addo mensuram meam. Et hoc in carne meâ, id est, ego ipse patior. Vel quæ passiones desunt in carne mea. Hoc enim deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in membro suo Paulo, & similiter in aliis. Et pro corpore, quod est Ecclesia. Sic & omnes sancti patiuntur propter Ecclesiam, quæ ex eorum exemplo roboratur. Alius quidem exemplum confert, Paulus non exemplum duntaxat confert, sed & ministerium, Christus autem affert auxilium; sine quo nec exemplum

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 19.

Tertullian. Ibidem.

Aquin. lect. 6.

Aliud officium Domini aliud serui ministerium.

A sufficit, nec proficit ministerium. Et quidem membrum vnum pro altero, Christus pro toto corpore suo: membrum membro plantando, rigando, Christus incrementum dando intrinsecum, sanctificando: reconciliandoque: membrum denique non operando de suo, sed de alieno applicando: Christus sua dando, communicando propria. Tertium est passionem istam reliquationis, seu reliquationem passionis, non sœuitiæ deputandam, sed gratiæ. Peruersitas quam putas, ait Tertullianus, ratio est quod sœuitiam existimas, gratia est; ita Deo de momentaneis æterna medicante. Incutiat scorpius, B homicidam Deum ventilans: horrebo planè spurum blasphemiæ flatum de hæretico ore fœtentem: sed & talem Deum de fiduciâ rationis amplectar: quâ ratione etiam ipse se plus quàm homicidam pronuntiauit ex Sophiæ suæ personâ, voce Salomonis: Sophia, inquit, iugulauit filios suos. Sophia, sapientia est. Sapienter vtique iugulauit, dum in vitam; & rationaliter, dum in gloriam. O parricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcircò occidit, ne moriatur quem occiderit! O bonam matrem! opto & ipse in filios eius redigi, vt ab eâ occidar. Opto occidi, vt C filius fiam. Primus omnium Christi, deinde ij qui sunt Christi omnes electi, omnes filij.

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 5. & 7.

RELIQVATIO III.

De prædicatione.

OFficium Christi, saluando, iustificando: ministerium Pauli, prædicando, euangelizando. Cuius factus sum ego minister, secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, secundùm operationem eius quam operatur in me in virtute. Quibus tria tangit exigitque ad ministerium D Apostolicum: vsum, fructum, auxilium. Primum in prædicante: alterum, in audiente: tertium, in diuino beneplacito.

Quoad primum. Prædicatio commissa est Paulo, dispensatio à Deo credita. Quis vsus? Quem nos annuntiamus: corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientiâ. Quem Christum scilicet, non prædicamus solùm, sed & denuntiamus: id est, vt exponit Chrysostomus, Quem nos annuntiamus, à superis eum ferentes. Quem nos, non Angeli. Docentes & admonentes, non imperando, neque cum necessitate. Nam hoc quoque est Dei benignitatis, non adduci tyrannicè. E Quoniam autem illud, Docentes, erat magnum, subiunxit, Admonentes, quod magis erat patris, quàm doctoris & magistri. Sed & patres filios suos docent, admonentque, increpando etiam contumaces, rebelles castigando. Vsus igitur ministerij Apostolici est nuntiare & euangelizare Christum, sed perfectè, sed integrè, docendo veritatem, falsitatem refellendo: omnem hominem erudiendo, non solùm Iudæum, sed & Græcum: dociles instruendo, indociles corripiendo, contumaces obiurgando, castigandoque. Non enim, (vt de Basilio dicit Gregorius) adulatoriè ac seruiliter, sed perquam fortiter & magnificè hoc facit. Nam cum id quod molle

Chrysost. orat. 5.

Gregor. Nazianzē. orat. 20. circa med.

molle ac tenerum est, dissolutum & languidum esse; ac rursum id quod austerum est, asperum & contumax esse perspicit; vtrique malo per alterum medetur, duritiam, nimirum, mansuetudine & facilitate, mollitiem autem grauitate atque animi firmitate temperans: non callido artificio homines subigens, sed beneuolentiâ sibi concilians: nec imperij potestate vtens, sed per indulgentiam, quam in potestate adhibebat, eos alliciens, idcircò addit Paulus. In omni sapientiâ. Quod potest quidem intelligi de credente, sed potest & de prædicante concipi. Sicut enim in illo perfecta Dei cognitio procuratur, sic & in isto exquisita desideratur verbi dispensatio. Quamobrem, ait Chrysostomus, omni sapientiâ est opus: hoc est, omnia dicentes in sapientiâ. Quo fit, vt si quis nõ omnem habeat sapientiam, sit res imperfecta. Aut ille scilicet imperfectè discat, aut iste doceat imperitè.

Quanta in Apostolico ministerio prudentia.

Chrysost. orat. 5.

Quoad secundum. Minister Ecclesiæ Christi sponsæ Apostolus, dum docet, & adimplet verbum Dei. Vt impleam verbum Dei. Non solùm Euangelium prædicando, sed & decretum diuinum de coll gendis electis, & in vnum corpus componendis, exequendo. Vt impleam verbum Dei. Vt omnes electi, omnes Filij Dei qui per vniuersum mundum dispersi sunt, non solùm colligantur cum Christo, sed & patiantur pro Christo. Si non potest, inquit, calix iste transire à me nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Hæc vox capitis, ait Leo, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronauit. Quid dixi, per mundum vniuersum. Imò & per omnia secula. Passio enim Domini, (vt & ille loquitur) vsque in finem producitur mundi, & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus qui pro iustitiâ aduersato lerant, ipse compatitur: nisi fortè æstimandum est, multiplicatâ per orbem fide, renascente impiorum numero, omnes persequutiones, & omnia, quæ aduersùs beatos martyres sæuierunt, finita esse certamina; tanquam suscipiendæ crucis illis tantùm necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud seruientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patiuntur. Quâ sententiâ nimis trepidus & segnis ostenditur, qui nullâ persequutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mundi habere non possunt; & nulla vnquam iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Ibi ergo se constituat Christianus, quò eum secum sustulit Christus; & adid dirigat omnem viam suam, vbi scit humanam saluatam esse naturam. Adimplet

Leo serm. 7. de pass. Dom. in fine.

Leo ser. 19. de pass. Dom. vlt. med.

Pacem mundi non habent, nisi amatores mundi.

A Paulus passionem Christi, dum adimplet dispositionem Dei, per mundum vniuersum prædicans, vniuersos electos congregans, Christo socians & incorporans, Christo patienti ac morienti conformans.

Quoad tertium. Laborat Apostolus, imò & certat, sed supremo corroboratus præsidio, diuino animatus beneplacito. In quo & laboro certando, secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute. Quibus vt expendit Chrysostomus, Ostendit Paulus hoc esse opus Dei. Qui me, inquit, ad hoc facit fortem & robustum, perspicuum est quod hoc velit. Tria sunt ad hoc necessaria. Primum est, vt Deus prædicari decernat constituatque? nonnunquam enim prædicari imperat, nonnunquam vetat. Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ. Notanda verba, sicut & signanda mysteria. Non solùm, ait ille, dixit conditum, sed etiam absconditum: & quod etiamsi nunc factum est, est tamen vetus: & quod Deus hæc ab initio volebat, & sic erat constitutum. Nec dixit, factum est, sed, manifestatum est sanctis eius. Quamobrem totum est Dei dispensationis. Quando scilicet voluit Deus, quibus voluit, & quomodo voluit. Secundum, vt Spiritus sanctus aures audientis aperiat. Quædam mulier nomine Lydia, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Tertium denique, vt Deus det voci suæ vocem virtutis, inspiret dicentem, loquentem inflammet. Ita laborat Apostolus tanquam in re difficili, certatque tanquam bonus miles Christi; sed nisi, induatur virtute ex alto, nisi à Christo muniatur in certamine: tam laborat in vanum, quàm in cassum decertat. Hoc ergo habuit auxilium à Deo. (ita Aquinas.) Vnde dicit, In quo laboro certando, contra infideles, & peccatores. Et hoc secundùm operationem eius, quam operatur in me: quia hoc facit in me. In virtute, scilicet præbendo virtutem. Luc. vltimo. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Tria porrò ex Græcis addenda sunt. Primum, pro certando, illic legi ἀγωνιζόμενος. Res ardua ac periculosa, in quâ enitendum contendendumque: Alterum, illud, Quam operatur, passiuè exprimi. Secundùm impressam mihi efficaciam. Tertium, illud, In virtute, posse de signis ac miraculis intelligi. Laboro certans secundùm operationem ipsius, quæ operatur in me in virtute. Certamen, ait Ambros. contra perfidos habere se loquitur, adiuuantibus signis virtutum, vt per hæc vita infidelitatis comprimatur. Qui enim versis subtilitate quadam diabolicæ versutiæ ausus est contradicere, pudore correctus necesse est vt cedat virtuti.

Chrysost. orat. 5.

Chrysost. Ibidem.

Actuũ cap. 16.

Aquin. lect. 6.

Tunc fructuosè feruntur verba, cum redduntur efficacia.

Ambros. in Paulum.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

ABdicat fecularem philofophiam, irregularem ac fuperftitiofam damnat obferuantiam. Ita caput in fectiones duas diuidendum.

SECTIO PRIMA.

De Philofophiâ.

TEXTVS.

VOLO enim vos fcire qualem folicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui funt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: vt confolentur corda ipforum, inftructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem myfterij Dei patris & Chrifti Iefu: in quo funt omnes thefauri fapientiæ & fcientiæ abfconditi. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in fublimitate fermonum. Nam etfi corpore abfens fum,fed fpiritu vobifcum fum: gaudens, & videns ordinem veftrum, & firmamentum eius, quæ in Chrifto eft, fidei veftræ. Sicut ergo accepiftis Iefum Chriftum Dominum, in ipfo ambulate, radicati, & fuperædificati in ipfo, & confirmati in fide, ficut & didiciftis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philofophiam & inanem fallaciam, fecundùm traditionem hominum, fecundùm elementa mundi, & non fecundum Chriftum quia in ipfo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & eftis in illo replecti, qui eft caput omnis principatûs, & poteftatis, in quo & circumcifi eftis circumcifione non manufacta in expoliatione corporis carnis, fed in circumcifione Chrifti: confepulti ei in baptifmo, in quo & refurrexiftis per fidem operationis Dei, qui fufcitauit illum à mortuis.Et vos,cum mortui effectis in delictis, & præputio carnis veftræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipfum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteftates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in femetipfo.

A

EXEGESIS LITERALIS.

COLOSSENSES admonet vt fibi caueant à fubtioquentiâ pfeudapoftolorum philofophico protecta pallio: docetque Chriftum in cruce de principatibus ac poteftatibus triumphaffe.

Volo enim vos fcire qualem folicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui funt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne &c. Dixerat Apoftolus. In quo. Seu, vt ex Græco: Ad quod & laboro certans. Probat: volo enim vos fcire qualem folicitudinem. Seu, vt ex Græcis: Quantum certamen habeam de vobis. Solicitudo mea, omnium Ecclefiarum eft, non folùm illarum quas inftitui, fed & earum quas nunquam vidi. Vos, ô Coloffenfes nunquam me præfentem habuiftis, nunquam vidiftis faciem meam corporalem, ficut nec ij qui funt Laodiciæ vicini veftri: nec tamen minus pro vobis & illis folicitus fum, nec minùs anxius. Cum fit de dogmate iam differturus, plurimam in Coloffenfes aperit beneuolentiam, vt apud hos gratiam ineat, & acceptior fit. Nam eo, inquit, decerto, vt & vos tuear. Et ne eos obturbet, perinde ac vt imbecilli & alienâ indigeant ope, & Laodicenfes adiecit, & alios qui eius non viderunt faciem in carne: arguens illos frequenter in Spiritu fefe fpectaffe

Comment. Athanaf.

Paulus non minùs eos diligebat quos non viderat quàm quibus prædicabat.

spectasse diuinitùs, quem in carne, hoc est, corporaliter numquam vidissent. Ita Commentator Athanasij titulo editus. Vt consolentur corda vestra, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem mysterij Dei patris & Christi Iesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi &c. Volo vos, ô Colossenses scire, Laodicensesque, & omnes qui me non viderunt., vt nonnullum habeant solatium, cum per vinculum charitatis coniuncti sint, nec sufficienter tantùm, sed & abundanter religionis mysterium redemptionisque edocti, circa Deum patrem scilicet; ac mediatorem Christum, qui thesaurum sapientiæ & scientiæ tam inexhaustus est, quàm & reconditus. Textus Ambrosianus. Vt consolationem accipiant corda eorum, cum fuerint instructi in charitate. Vt scirent, inquit Commentator non minori affectu diligi ab eo, quia eos non viderat, quàm cæteros apud quos erat, diligebat; sicque foueret animos eorum in charitate, & prompti fierent per epistolam, & agnitionem acciperent sacramenti Dei & patris in Christo: aduertentes has esse sapientiæ & scientiæ diuitias, si agnoscatur Christus in deitatis suæ plenitudine adorandus.

Ambros. in Paulum.

Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ &c. Quod dico de tantâ Christi scientiâ, propterea dico, ne sinatis vos circumueniri dolo falsæ ratiocinationis, néue feratis vos accuratæ subtilitatis fuco, minutisque argutiis à disciplinâ Christianâ abripi. Hanc de vobis curam gero: nam etsi carne sum absens, mente tamen vobiscum sum tanquam præsens. Exulto, dum specto constitutionem legitimam ac rectam dispositionem Ecclesiæ vestræ: dum considero fidei vestræ soliditatem firmitatemque. Ecclesia enim, vt dixit Aquinas, est spirituale ædificium, cuius bonitas consistit in debito fundamẽto, quod est fides, & in debitâ superædificatione, seu ordinatâ conuersatione. Credidistis in Christum, & iuxtà fidei tenorem, colendi, viuendique ordinem exstruxistis. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate radicati, & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione &c. Sicut ergo edocti estis, & credidistis, Christum Iesum esse Dominum, redemptorem mediatorem-ve, sic & incedite, imò & perficite, non solùm firmiter retinentes quæ didicistis, sed & incessanter reuoluentes quæ creditis, perennesque gratiarum actiones, pro tantis agentes beneficiis. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum &c. Iterum dico vobis, Cauete, ne quis vos abripiat subigatque per illam doctrinam, quæ grandia promittit in nomine, re autem vana suggerit & inania, secundùm adinuentionem humanam & Sophisticam institutionem, secundùm futilia mundanæ scientiæ principia, & non secundùm doctrinam vobis de Deo & Christo traditam. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs, & potestatis &c. Cur vanos adeatis Philosophos, cum habeatis Christum veritatis omnis promptuarium? In illo enim stat constatque substantialiter & inseparabiliter tota deitas, ideoque & tota veritas: & vos igitur pleni aut replendi estis omni scientiâ, fideli necessariâ, per illum qui non solùm caput est vestrum, sed & Angelorum ordinum, etiam supremorum. In quo circumcisi estis circumcisione non manufacta in explicatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis &c. Quid veterem reuocetis circumcisionem, cum per ipsum Christum circumcisi sitis, non carnaliter, sed spiritualiter: nam cùm illo per baptismum submersi estis, & à morte seu vetustate per ipsum emersistis: per fidem scilicet viuacem & efficacem operationem, quâ sicut Deus Christum suscitauit à mortuis, sic & vos à peccatis repurgauit. Resurrexerunt per fidem Dei, ait Ambros. illic enim vetus homo deponitur, nouus assumitur.

Aquin. lect. 2.

Secularis philosophia inanis est fallacia.

Ambros. in Paulum.

Et vos, cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta &c. Explicat quod proposuerat. Vos nempe cum mortui essetis ob delicta, & inolitæ vitia concupiscentiæ, reuocauit ad nouam vitam cum Christo, dum omnia condonauit peccata, & ad opera destinauit cœlestia. Vos qui scelerum mortem subiistis, & in præputio eratis, hoc est, magnum in modum quę carnis sunt, sapiebatis, quod sanè vobis attulit mortem, ad vitam estis cum Christo redacti. Nam vt ille resurrexit: sic ipsi qui spiritu estis à morte iam excitati, & corpore resurgetis. Tanquam id inquiat, aduertite quibus vos malis Christus exemerit, quæ vobis meritò debebantur. Ita Athanasius, seu, vt reor, Vulgarius. Delens quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci &c. In Græcis egit, nunc & de Iudæis agit. De illis. Et vos. De istis. Et nos. Illis, præputium carnis; istis chirographum legis: illud, mortem intulerat; istud, attulerat maledictionem. Vos ergo ab operibus carnis absoluit Deus per baptismi sacramentum, nos ab obligationibus legis Christus absoluit per priuilegium Euangelij. Subscripsimus quidem legis, & nos obseruationi obstrinximus, sed oneri ferendo impares eramus, ideoque discrimini & periculo nos & patres obnoxij. Aboleuit ergo Christus legem illam veterem, seu Mosaicam ac ceremonialem, nobis importunam Iudæis onerosamq; & contractũ debitum sustulit: obligationem deleuit, legem introducens Euangelicam: damnationem dissoluit, indebitâ mortem pro debitoribus seu peccatoribus sustinens. Delens decretis. Ita ex Græco: id est Euangelicis institutis. Vt sit in auferendi, non in gignendi. Si autem, Decreti. Quod iam statutum erat, fixumque. Et expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Dæmonesque subactos, & illo quod in homines prætendebant exercebantque imperio destitutos tam publicè quàm & liberè produxit omnibus spectantibus, & triumphũ viribus propriis,

Athanas. in Paulum.

Christus legem sustulit per legem, mortem per mortem aboleuit.

priis, de aduersariis pariter potestatibus egit solemnissimum Textus Ambrosianus. Ostentauit palàm triumphans de illis per seipsum. Mors enim ipsorum hæc est, ait Commentator, quia victi à Saluatore, dum expoliantur animabus quas tenebant in captiuitate, mortificantur. Quod autem dicit, publicè, id est in cruce.

Comment. Ambros.



QVÆSTIONES miscellaneæ.

SVNT equidem disquisitiones dogmaticæ, sed mistæ, id est non purè doctrinales, sed actioni seruientes ac contemplationi, trinámq; referẽtes Apostoli Pauli theologiã.

QVÆSTIO PRIMA.

De scientiâ Christi.

QVæstio dogmatica, sed & anagogica institutio. Iam dogma, ait Chrysostom. aggredi contendit & innititur Apostolus. Quamquã hoc est Dei mysterium. Vide tamen quomodo loquitur cum simplicioribus. In quo sunt omnes thesauri. Ipse enim nouit omnia. Dicendo ergo thesaurum, ostendit multitudinem. Dicendo verò omnes, eum nihil ignorare. Quamobrẽ sunt ab eo omnia petenda. Ipse dat sapientiam & cognitionem. Dicendo autem, absconditi, quòd solus sciat. Equidem in Christo, vnica persona est, & diuina: sed sub vnâ personâ, multiplices repræsentationes sunt, quasi personarũ species. Christus enim perfectus Deus est & perfectus homo, in vtraque & ex vtraque naturâ subsistẽs, & cuique naturæ congrua peragens. In quantũ Deus, diuinam habet scientiam & eandem cũ patre, id est, tam increatam, quàm & æternam. In quantum homo scientiam habet, sed aliam à patre, id est, tam temporariam quàm & creatã: sed dum comprehensor, beatificam; dũ doctor, infusam; dum viator, acquisitam: illam, generalem, licet distinctam istam singularem, licet certam, propriâ quidem, sed securâ partam experientiâ. Iam ergo quæritur in quâ naturâ recondat Christus omnes scientiæ thesauros & sapientiæ. Sed primò quærendum quid thesaurus: secundò, quid scientia & sapientia: tertiò, quomodo thesauri illi scientiæ & sapientiæ absconditi. Ad primum dicendum ex Aquinate, notitiam rerum omnium, non solùm à Paulo, sed & à Sapiente, thesauro comparatam, quasi conflatam diuitiarum omnium copiam. Effusæ enim diuitiæ non dicuntur thesaurus, sed quæ in vno sunt congregatæ. Sparsa quidem sapientia in omnia opera, sed tota in vno Christo collecta. Ad secundum, respondendum ex Augustino, scientiam esse rerum humanarum, sapientiam verò diuinarum rerum notitiam. Habet enim, ait ille, & scientia modum suum bonum, si quod in eâ inflare assolet, æternorũ charitate vincatur, quæ non inflat, sed vt scimus ædificat. Sine scientiâ quippe nec virtutes ipsæ, quibus rectè viuitur, possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, vt ad illam quæ verè beata est perueniatur æternam. Ad tertium, thesauri scientiæ ac sapientiæ sunt absconditi, quia reconditi, nec ad captum omnium, nec ad om-

Chrysost. orat. 5.

Aquin. lect. 1.

Augustin. lib. 11. de Trinit. c. 14.

A nium arbitrium sunt expositi. Quod enim mihi aliquid absconditur, ait Aquinas, cõtingit dupliciter: sc. vel propter debilitatem intellectûs mei, vel propter velamẽ oppositũ; sicut quis nõ videt candelã, vel quia cęcus est, vel quia velata est. At in verbo Dei, sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, sed absconditi nobis, qui non habemus limpidos oculos, sed lipos. Ioan. 12. Adhuc modicum lumen in vobis est: & quia est velatum duplici velamine, scilicet creaturæ; quia intellectus noster nunc ad illam cognitionem non potest, nisi per similitudinem creaturarum. Rom. 1. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, B intellecta conspiciuntur. Secundò, est velatum in carne. Ioan. 1. Et verbum caro factum est. Et si aliquid videmus de Deo, non tamen totum. Esa. 45. Verè, tu es absconditus.

Thesauri diuini ægris sunt oculis absconditi.

Resoluendum igitur dicendumq; Paulum de verbo capiendum, sed increato: id est, de Christo quidem, non tamen secundùm naturam humanam, sed diuinam. Pium enim est, vti dixit Cyrillus Alexandrinus, credere ipsum filium esse verbum patris, quod in principio erat: in quo quidem verbo Paulus ait, Omnis cognitionis atque sapientiæ thesauros esse reconditos. Quod si ita est (non enim mentitur Paulus) quomodo C sibi opus, vt ab alio doceatur? aut in quonã perfectam cognitionem, atque sapientiam esse dicemus, si cui sapientia est, alienâ doctrina est sapiens? vel quomodo sapientiæ veræ, ac propriè nomen sibi accommodabitur, si aliunde discit? Non igitur nugis hominum, sed Spiritûs sancti doctrinæ attendere oportet. Quare quoniã Spiritûs sanctus per Paulum nos docuit, cognitionis & sapientiæ thesauros in filio esse absconditos: credere oportet, non ab alio ipsum discere, sed quum in patre sit, omnia patris, tanquã perfecta eius sapientia, naturaliter scire: impium est enim inter patrem & Filium quicquã quasi intermedium intelligere. Quęcumque scientia vel D sapientia constituatur in homine Christo, in tantum limitata inueniatur necesse est, in quantum creata. Christus quidem, vt resoluit Aquinas, cognouit omnia per scientiam diuinã operatione increatâ, quæ est ipsa Dei essentia. Sed hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi, cum sit alterius naturæ. Talis erat scientia naturæ humanæ, vt non solùm esset finita ratione creationis; sed & accidentalis ex conditione qualitatis seu qualitate cõditionis: cui proinde aliquid accedere posset aut decedere. Paulus verò scientiam in Christo & sapientiam constituit inexhaustam, proindeque diuinam esse definit quã infinitam. Ad te ergo, omnipotens pater, (verba E sunt Ambrosij) cum lacrymis verba conuerto. Ego te quidem inaccessibilem, incomprehensibilem, inæstimabilem promptè dixerim: sed filiũ tuum minorem non ausim dicere: Nam cum illum splendorem gloriæ, & imaginem substantiæ tuæ legerim, vereor ne minorem imaginem tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cuius imago sit filius, cum plenitudo tuæ diuinitatis omnis in filio sit. Immensum te, filiumque tuum & Spiritum sanctum incircumscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem legi frequenter, credo libenter. Et ideò æstimare non possum, vt examinare possim. Væ misero mihi, impiè disputere audemus, quem dignè rogare non possumus.

Cyrill. Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 4.

Scientia naturæ humanæ limitata; quâ creata.

Aquin. 3. p. q. 9. art. 1. ad 1.

Ambros. lib. 5. de fide cap. 8.

Iam vero ad rem noſtram, ſeu inſtitutionem Chriſtianam. Vanè ſcientiam ac ſapientiam præſumunt mortales, dum ipſum ſcientiæ ac ſapientiæ theſaurum neſciunt. Humana quippe ſcientia, vti dixit Laurentius Iuſtinianus ſi diligenter examinetur, quid neſciat, nō ſcientia, ſed veriſſimè potiuſque ignorantia vocabitur. Innumera namque ſunt, quæ prorſus ignorat. Quid de iis quorum an ſint, neſcit, cum de ipſis, quæ quotidie videt & palpat, nullam conuincitur habere notitiam & rationis ſcintillam? Si ſciſcitetur, vt rationem reddat, cur oliuarum, laurique folia potius, quàm vitis ac fici hyeme vireſcant, penitus ignorabit; ſi quæratur cur formica ſine alarum remigio creata, cur talia ac talia facta ſint, omninò ſuam conuincetur confiteri ignorantiam. O elata præſumptio, ô tumens humana exiſtimatio, indocta ſcientia, & neſcia doctrina quid inflaris? quid extolleris? cur terminos excedis tuos? cur erectâ ceruice, extento collo, ductis ſuperciliis graderis? & quaſi de ſingulari inflaris ſcientiâ. Si ſcientia quærenda eſt, ibi quærenda eſt vbi poteſt inueniri, nec inueniri poteſt, niſi vbi ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi. Ponamus, ait Aquinas, quòd aliquis habeat candelam velatam, non quæreret aliunde lumen: ſed potius quòd velamen ab eo reueletur, & ideo non oportet ſapientiam quærere, niſi in Chriſto: ſicut qui haberet librum vbi eſſet tota ſcientia, non quæreret, niſi vt ſciret illum librum: ſic & nos non oportet amplius quærere, niſi Chriſtum. Quemadmodum infinitus ille ſcientiæ & ſapientiæ theſaurus ſeſe naturæ humanæ communicat ratione vnionis, illamque affatim ditat, & omni plenitudine cognitionis cumulat, ſicut omni plenitudine perfectionis; ſic & in omnes fideles influit, iuſtoſue, quos ſibi iungit, & ſacramento regenerationis & dilectionis vinculo. Fecit Deus cœlos in intellectu, ſpiritales ſanctos ſuos, (ita Auguſt.) quibus non tantùm credere, verum etiā intelligere diuina donauit. Dictum eſt namque de Domino Ieſu Chriſto, quòd in illo ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: hæc autem duo, id eſt, ſapientiam, & ſcientiam diſtare inter ſe aliquid, alia quoque ſcripturarum teſtantur eloquia, maximè loquente ſancto Iob, vbi quodammodo ſingula definiuntur: Dixit autem homini, Ecce pietas eſt ſapientia, abſtinere autem à malo ſcientia eſt: non incongruenter intelligimus ſapientiam in cognitione & dilectione eius quod ſemper eſt, atque incommutabiliter manet, quod Deus eſt.

Laurent. Iuſtin. lib. de caſto connub. cap 14.

Scientia humana mera eſt ignorantia.

Aquin. lect. 1.

Auguſtin. Enarrat. in Pſal. 135. vlt. med.

Sed ſicut in vanis tam inutilis cognitio eſt quàm dilectio, ſic & in veris tam optabilis dilectio eſt quā cognitio. De duobus quippe malis, (vt loquitur Bernard.) tolerabilius eſt quod amas non videre, quam videre, & non habere, quamuis nō ſic de bonis Domini. Bona enim Domini videre, amare eſt; amare verò, habere eſt. Ideo nitamur, in quantum paſſumus, vt videamus, videndo intelligamus, & intelligendo amemus, vt amando habeamus. De animali enim ſtatu tranſeuntes ad rationalem, de rationali ad ſpirituale, ſcire debemus quia ſapiētia præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, & occurrit eis & oſtendit ſe in viis ſuis hilariter, ſicut in proficiendo, ſic & in

Bernard. ad frat. de monte Dei vlt. med.

A meditando. Adiuuat enim Deus vultu ſuo ſe intuentem, mouet ac promouet, & attrahit ſummi boni ſpecie ſe contemplantem. Cumque ratio proficiendo in amorem ſurſum aſcendit, amanti & deſideranti gratia condeſcendit. Vnum ſæpè fiunt, quæ illos duos ſtatus efficiunt quæ ſunt ratio & amor, & quæ ex eis efficiuntur, ſcil. ſcientia & ſapientia. Nec iam poſſunt altrinſecus cogitati quæ iam vnum, & vnius operationis ac virtutis ſunt & in ſenſu intelligentis, & in gaudio fruentis. Vera quippe ratio ſcientiam exprimit, dum certam extundit notitiam: perfecta autem dilectio ſapientiam imprimit, dum perficit intelligentiam. Notandum quippe (ex Gregorio) quod de eâ quatuor dicta ſunt.
B Ait: Vidit, enarrauit, præparauit, inueſtigauit. Vidit namq; quia ſpecies eſt: enarrauit, quia verbum eſt: præparauit, quia remedium eſt: inueſtigauit, quia occultum. Sed hoc quod æterna Dei ſapientia ſpecies patris, & verbū dicitur, quando ab humanâ mente penetratur? Quis namque intelligat, vel verbum ſine tempore, vel ſpeciē ſine circumſcriptione? Dicendum ergo erat aliquid, quod de illa homo cognoſceret in ſe, vnde aptè dicitur: Et dixit homini: Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia. Ac ſi apertè diceretur: Ad temetipſum homo reuertere, cordis tui ſecreta perſcrutare. Si Deū
C te timere deprehendis, profectò conſtat quia hac ſapientiâ plenus es. Quam ſi adhuc cognoſcere non potes quid ſit in ſe, iam cognoſcis interim quid ſit in te. Quæ enim apud ſe ab angelis metuitur, apud te timor Domini vocatur: quia hanc habere te certum eſt, ſi timere te Deum incertū non eſt. Sed quia ille veraciter non diuini timoris intelligit, qui ſe à cunctis prauis operibus cuſtodit, rectè dicitur: Et recedere à malo, intelligentia. Adiuuant Græca, confirmantq; Nam, vt aduertit Auguſt. & quod ait, Ecce pietas eſt ſapientia, θεοσέβεια dicta eſt in Græco: quod vt to-
D tum Latinè exprimatur, Dei cultus dici poteſt. Abſtinere autem à malo, quod dixit eſſe ſcientiam, quid eſt aliud, quàm in medio nationis tortuoſæ & peruerſæ tanquam in nocte huius ſeculi cautè prudenterque verſari: vt abſtinendo quiſque ab iniquitate non confundatur tenebris, proprij muneris luce diſcretus?

Gregorius li. 19. Moral. cap. 5. & 6.

Qui Deum timet, diuinâ plenus eſt ſapientiâ.

Auguſtin. Enarrat. in Pſal. 135. verſ. fin.

Sic igitur Paulus non ſolùm theſaurum demonſtrat diuinæ ſapientiæ, ſed & adeundæ modum indigitat ac poſſidendæ. Vt conſolentur corda ipſorū, inſtructi in charitate. Seu ex Græcis, Conſtructorum in charitate. Nimirū inſtructi ſeu conſtructi in charitate, qui connexi, ſeu, vt dixit Chryſoſt. Compacti Nam, Hoc eſt quod
E dicit Apoſtolus, vt ſtent firmi & ſtabiles in fide. Per dilectionem ſcil. ſeu charitatem operante. Ponit enim Apoſtolus ſpecialiter ſapientiæ inſtructionem (ita Aquinas) Quia verò debet quis eſſe inſtructus de viâ, ideò dicit, In charitate, quia ſcil. eſt via ad Deum. Inde addit, Et in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei patris & Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcōditi. Intellectus enim angelicus, iam ab initio ſcientiâ intelligibilium impletus eſt, humanus autem genio ſuo auidus eſt, ſemperque in potentiâ ad cognoſcendum. Et ideò, ait ille, oportet quod noſtro intellectui humano ſuperueniat ſcientia, vel per diſciplinam,

ſed

Chryſoſt. orat. 5.

Aquin. Lect. 1.

Aquin. Ibidem.

sed hæc est insufficiens, quia nunquam aliquid A tantum potest sciri sic, quòd capacitatem eius impleat; vel per reuelationem diuinam & donum Dei, & hæc est sufficiens. Eccles. 15. Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectûs, & ideo dicit, in omnes diuitias plenitudinis intellectûs: id est, Instructi in copiâ diuinæ sapientiæ, quæ copia implet intellectum. Et hoc habebimus cognoscendo Deum: & ideò dicit, In agnitionem mysterij Dei patris, & Iesu Christi: id est, ad cognoscendum veritatem Sacramenti huius occulti: in agnitione æternæ generationis, & incarnationis Christi. Sap. 6. Cogitare de illâ, sensus est consummatus. Sic igitur anima Christiana, plenitudinem B omnem sapientiæ ac scientiæ, iuxta suam acquirit mensuram, cum per fidem ac dilectionem Christum ipsum contingit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ absconditi. Si omnes, nullus sanè sine Christo scire potest, nullus potest sapere; imò qui sine ipso scire præsumit aut sapere, desipit. Si absconditi, sunt vtique reuelandi; sed sicut prudentibus & sapientibus absconduntur huius seculi, sic & paruulis, id est Christi seruis ac discipulis reuelantur.

Intellectus humanus, per diuinam implendus copiam.

QVÆSTIO II.

De disciplina Christiani.

GAudet Paulus dum videt in Colossensibus εὐταξίαν, bonam ordinationem, rectam conuersationem, legitimamque agendi ac procedendi disciplinam. Spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, abundantes in illo in gratiarum actione. Quis ille ordo? Recta viuendi regula, ordinata Christiani disciplina. Quodnam eius firmamentum? Fides ipsa. Quis fructus? Virtutis incrementum.

Quad primum. Tam commendata ac laudabilis Christianorum εὐταξία, quàm vana & irregularis hæreticorum ἀταξία. Non omittam, ait Tertullianus, ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit; sine grauitate, sine auctoritate, vt fidei suæ congruens. In primis enim quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si superuenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam, lenocinium vocant. Non solùm igitur instituta est Ecclesiæ Christianæ disciplina, sed & summa habita est disciplinæ Ecclesiasticæ cura. Episcopo subiecti estote, sicut Domino. (ita Ignatius) Necessarium est enim vos nihil præter Episcopum facere, neque aliquid agere: ipse enim vigilat pro animabus vestris tanquam rationem redditurus Deo: propter quod videmini mihi non secundùm carnem viuere, sed secundùm Iesum Christum. Sed & Presbyteris subditi estote vt

Tertullian. lib. de præscript. cap. 41.

Ignat. epist. 5. quæ est ad Trallian.

Apostolis Iesu Christi spei nostræ, in quo perseuerantes in ipso inueniamur. Oportet & Diaconis qui sunt in ministerium Iesu Christi omnimodò placere. Vos tales reuereamini, quoniam custodes sunt loci eius, sicut Episcopus forma est patris omnium, Presbyteri verò sicut consessus Dei & coniunctio Apostolorum Christi. Sine ipsis enim Ecclesia electa non est, neque collectio sanctorum, neque congregatio sancta. Sunt enim quidam vaniloqui & mentis seductores, non Christiani sed Christum mercantes, seductione circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij. Nominant enim Christum, non vt Christum prædicent, sed vt Christum spernant: & legem proferunt, non vt legem statuant, sed vt legi contraria adnuntient. Nam, vt dixit Tertullianus, Nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Aut nullum volunt ordinem, aut nullum non prostituunt: cum talis subiectio esse debeat, qualis ordinatio. Illud, ait Ignatius, Deo nominandum & Deo dignum presbyterium ita coaptatum sit Episcopo, quomodo chordæ in cythara colligatæ. Omnes vnus chorus C fiant, vt consonantes facti in vnitate, coniunctionem Domini in similitudinem motum recipientes, in vnitate vnum effecti consensu Deo patri, & dilectissimo filio eius Iesu Christo. Populus quippe Diacono, Diaconus Presbytero, Presbyter Episcopo, sicut & Episcopus Christo subiectus.

Populus Diacono, Diaconus subiectus Episcopo.

Tertullian. lib. de præsc. cap. 41. & 42.

Ignat. epist. ad Ephes. quæ ... 14.

Quoad secundum. Inde stat disciplina aut nutat, vnde fides ipsa aut firma est aut infirma: nam si nulla est, non solùm vergit in lapsum, sed & in totum corruit. Adeò, ait Tertullianus, & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index, disciplina est. Idcirco Paulus, nô solùm laudat ordinem, sed & radicem D connotat. Videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. Ordinem, ait Chrysostomus, benè constitutum dicit ordinem. Et firmamentum fidei. Non dixit fidem, sed firmamentum; tanquam militibus ordinatè firmiterque stantibus. Quod enim est firmum ac solidum, non dolus labefactat, non tentatio. Non solùm, inquit, non cecidistis, sed nec ordinem vestrum confudit aliquis. Sic enim seruatur ordo, nempe id quod ex soliditate ac firmamento est condensatum. Fides autem hoc ipsum facit, quando non finit ingredi rationes. Nam sicut diuidunt & labefaciunt rationes, ita consolidat fides & facit concrescere. Nam quoniam Deus nos maioribus affe- E cit beneficiis quàm quæ possit humana ratio assequi, meritò fidem introduxit. Fieri enim non potest vt sit firmus ac solidus, qui exigit rationes. Per fidem autem, intelligenda sunt capitalia, &, vt ita dicam, fundamentalia Christianæ religionis mysteria. De quibus Ignatius: Nemo, inquit, seipsum seducat. Si enim non crediderit Christum Iesum in carne fuisse conuersatum, & confessus fuer t crucem eius, & passionem & sanguinem, quem effudit pro mundi salute, vitam æternam non consequetur, siue Rex siue Sacerdos, seu Princeps, seu Priuatus, seu

Tertullian. lib. de præscript. c. 43.

Chrysost. orat. 5.

Ignat. epist. 10. quæ est ad Smyrnens.

Dominus siue seruus, siue vir siue mulier, qui capit capiat, & qui audit audiat. Locus & dignitas atque diuitiæ neminem inflent, ignobilitas & paupertas neminem humilet. Sed cum his omnibus, fides eius sit in Deum & in Christum, & spes fruitionis futurorum bonorum. Sic Dominus dicit: Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Disciplina ista cœlestis est, non terrestris; Christianorum, non politicorum: idcircò non tam humanâ subnixa ratione, quam fide diuinâ, nec temporalium, sed æternorum spe suffulta bonorum. Tam certa igitur ac tuta spes esse debet, quàm firma fides ac solida: non enim seruabit, nisi seruauerit firmitatem.

Ecclesiastica disciplina, non tam ratione quàm fide suffulta est.

Quoad tertium. Plantatur Ecclesia, ædificaturque per fidem ac pietatem: idcircò radicanda & superædificanda est, magis magisque in fide ac pietate confirmanda. Radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, fixi ac stabiles, non aliquando quidem hoc, aliquando verò illa. Sed radicati. Quod autem radicatum seu quod radices egit, non poterit transmoueri. Vide quàm proprias & appositas ponit dictiones. Et superædificati, inquit, hoc est mente ad ipsum pertingentes. Et confirmati in ipso, hoc est ipsum tenentes, tanquam super fundamentum ædificati. Reuera enim ædificium est fides: & opus est forti fundamento, stabilique & tutâ ædificatione. Nam si quis in tuto non ædificauerit, labascit. Et si in tuto, & non steterit, non stat amplius. Abundantes, inquit, in illo, in gratiarum actione. Hoc est enim eorum qui sunt grati & memores beneficij, non solùm inquam, gratias agere, sed cum magnâ abundantia: si fieri potest cum magnâ animi contentione præclareque ac magnificè. Hic præcipuus disciplinæ Christianæ fructus, vt se in fidem ac pietatem protendant fideles, & super omnem perfectionem obseruantes adiiciant. Ita Dauid: Ego autem semper in te sperabo, & adiiciam super omnem laudem tuam. Quid est hoc (inquit Augustinus) mouere nos debet, Adiiciam super omnem laudem tuam. Perfectiorem facturus es laudem Dei? Est aliquid quod superadiiciatur? Si iam omnis illa laus est, tu quid adiecturus es? Vult Apostolus, vt Christiani in Christo suo ambulent, in omni virtutum perfectione; sed & vt in ipso abundent, in omni gratiarum actione. Laudatus est Deus in omnibus bonis factis suis, (verba sunt Augustini) in omni creaturâ suâ, in omni institutione rerum omnium, in gubernatione & regimine seculorum, in ordine temporum, in eminentiâ cœli, in fœcunditate terrarum, & cæteris omnibus mirabilibus suis: nondum erat laudatus in eo quòd suscitauit carnem in vitam æternam. Sit ergo ista laus adiecta per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Aucta est fides, spes adiecta. Inde exurgit cumulus virtutum, inde thesaurus accrescit meritorum. Inde copia laudis, inde gratiarum actionis abundantia. Talis est enim deifica Ecclesiæ sponsæ disciplina, tamque sublimis, vt animum euehat in cœlum, dum cœlestia repræsentat mysteria: spemque acuat eius rei, cuius fidem annuntiat.

Chrysost. orat. 6.

August. con. 1. in Psal. 70. vlt. med.

Augustin. Ibidem.

Fides per Christum Iesum aucta, spes adiecta.

QVÆSTIO III.

De philosophiâ mundi.

NOn solùm stomachum mouet Paulo, sed & suprà modum displicet. Idcircò non solùm animum aperit suum, sed & odium imprimit: dum non proponit tantùm, sed & repetit. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Et, videte ne quis vos decipiat per philosphiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. In quibus quærendum primò, Quid sit sublimitas sermonum. Secundò, quomodo secularis philosophia, sit inanis fallacia. Tertiò, quænam illa mundi sint elementa.

Quoad primum. Multa parent sublimia, quæ speciem habent subtilitatis, quæ rationem habent probabilitatis; sed tam soliditate carent, quàm & veritate. Quibus enim ita scribit Apostolus, (ita Augustinus loquitur) metuebat eos seduci vmbris rerum dulci nomine scientiæ, & auerti à luce veritatis, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hanc autem sub sapientiæ vel scientiæ curam vanarum superfluarumque obseruationum, & de superstitione gentilitatis, maximeque ab eis qui philosophi sunt nuncupati, & à Iudaismo cauendàm esse cernebat, vbi erant vmbræ futurorum remouendæ, quoniam lumen earum iam Christus aduenerat. Cum ergo commemorasset & commendasset quantum certamen pro eis haberet, & pro his qui Laodiciæ fuerant, & quicumque non viderant faciem eius in carne, vt cordibus consolarentur copulati in charitate, & in omnibus diuitiis plenitudinis intellectûs, ad cognoscendum mysterium Dei, quod est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hoc dico, inquit, vt nemo vos circumueniat in verisimili sermone: quia veritatis amore ducebantur, verisimilitudinem illis timuit ne deciperentur. Vult eos fide nutriri, vt capaces fiant participandorum thesaurorum sapientiæ & scientiæ, qui sunt absconditi in Christo, ne antequam sint ad hæc idonei, verisimili sermone capiantur, & à veritatis itinere deuient. Quid ergo subtilitas illa sermonis, nisi rationis verisimilis plausibilitas, seu probabilitas. Ad hoc ducit Græca vox πιθανολογία, persuasibilitas, quæ est in probabili, seu opinabili. Ita Chrysostomus: Nemo vos decipiat in probabilitate sermonis. Et Paulus apud ipsum: vides, inquit, me hæc dixisse, ne quæratis ab hominibus. Quid tum enim si dicit probabiliter? Illa est sublimitas sermonis, rationis probabilitas, plausibilitas opinionis: probabiliter seu persuasibiliter dicere, sublimes subtilesue rationes in specie, futiles opiniones producere. Aliud enim, vti dixit Epictetus apud Arrianum, alij incidit probabile aut improbabile, sicut & bonum aut malum, vtile inutile. Ideoque doctrinâ maximè egemus, vt iudicium habeamus de probabili atque improbabili. Sicut enim nihil est cui non patrocinetur aliqua rationis species, vel aliqua non suffragetur auctoritatis effigies;

Augustin. epist. 59. quæst. 7.

Sublimitas sermonis, rationis est subtilitas.

Chrysost. orat. 5.

Arrian. lib. diss. 2.

effigies; nihil tam absurdum, imò nihil tam impium, quod non videatur probabile; nihil tam alienum à vero, quod ab aliquo non censeatur verosimile. Et si probabilitas rationis, seu sermonis subtilitas, certa boni ac recti regula est, nihil iam non rectum erit ac bonum; nec iam audienda synderesis conscientiarum, sed προαίρεσις τῶν φαντασιῶν, vt ille dicebat, hæresis phantasiarum inducenda: nec ad meliorem frugem mali compellendi, nec ad fidem hæretici reducendi, imò nec pagani ipsi ad Dei cognitionem, vel Christi religionem inducendi: nec enim illis desunt suorum auctoritates maiorum, nec suorum rationes auctorum, quæ etsi infirmæ ac falsæ, sunt tamen illis probabiles, ideoque tutæ ac certæ.

Quoad secundum. Ingeminat Paulus, instatque, velut in re admodum periculosâ, & suprà modum cauendâ. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam. Philosophia secularis, inanis est fallacia; quæ latenter obrepit, & sub specie veri, falsum, sub imagine recti, iniquum subtiliter inducit. Quod enim aliquis decipiatur per sapientiam secularem, dupliciter contingit (ita aduertit Aquinas) scilicet quandoque per principia realia philosophiæ, quandoque per sophisticas rationes: & vtrasque docet cauere. Vnde dicit, Ne quis vos decipiat per philosophica documenta, & rationes, quæ non fundantur nisi super apparenti inuolutione verborum. Qui enim seducit, oportet habere aliquid apparens, & aliquid non existens. Principium autem apparentiæ est duplex: id est, auctoritas Philosophorum, secundùm ea quæ aliqui tradiderunt propriâ ratione. Aliud est adinuentio rationis, quando scilicet aliquis vult metiri ea quæ sunt fidei, secundùm sapientiam diuinam. Quicquid enim non est secundùm Christum, respuendum est. Aliud philosophia mundi, aliud Christi sapientia: sicut aliud schola cœli, & aliud schola seculi. Illa namque in sublimi virtute est, ista in subtili sermone: illa iuxta spiritum, ista iuxta sensum: idcircò instruit illa doctorum more, ista more seducit latronum. Vides, ait Chrysostomus, quomodo Paulus ostenderit esse furem, & sensum ingredientem. Pulchrè dixit συλαγωγῶν, deprædari ac suffurari. Vt si quispiam aggerem infernè suffodiens, sui sensum non præbeat. Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam. Deinde quoniam veneranda videtur esse philosophia, addidit, Et inanem deceptionem. Est enim bona quoque deceptio & bonus dolus quo multi sunt decepti, quem ne fallaciam quidem aut deceptionem oportet dicere. Nam & patrem suum decepit Iacob, sed non erat deceptio, verùm dispensatio. Istic recta simplicitas iustorum, illic subdola ac fraudulenta furum latronumque subtilitas. Christus dixit, Ego & pater vnum sumus. Non ego hoc dico, ait Ambrosius, Christus dixit. Numquid fallax, vt mentiretur? Numquid impius, vt quod non erat vsurparet? Quando ergo hæreticus dicit esse dissimilem, idque versutis disputationibus adstruere nititur, dicendum est nobis quod scriptum est: Cauete ne quis vos deprædetur per philosophiam, & inanem seductionem secundùm traditionem hominum; & non secundùm Christum. Omnem enim vim venenorum suorum in dialecticâ disputatione constituunt, quæ Philosophorum sententiâ definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialecticâ complacuit Deo saluum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Quid enim παραλογίζειν, nisi verbum è scholis deductum dialecticis? pro quo interpres dixit decipere, sed idem voluit ac paralogizare, exquisitâ subtilitate, sed falsâ ratiocinatione concludere: non tam dogmata, quàm paradoxa, imò meras logomachias, aut periergias inducere.

[Margin notes: Aquin. lect. 1. — Chrysost. orat. 6. — Ambrosius lib. 1. de fide cap. 3. — Dialecticâ non tam astruendo quàm destruendo adinuenta.]

Quoad tertium. Hoc ipsum confirmat Apostolus, dum explicat. Secundum traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. Secundùm instituta humana, secundùm principia mundialia, & non secundùm Euangelicam doctrinam, vobis Colossensibus & omnibus Christianis traditam. Cum monet cauendum à subtili loquentiâ & philosophiâ, & inani seductione, quæ sit secundùm elementa mundi; non secundùm cœlum aut terram dicens; (ita Tertullianus) sed secundùm literas seculares, & secundùm traditionem; scilicet hominum subtililoquorum & Philosophorum: omnes quippe hæreses ex subtililoquentiæ viribus & philosophiæ regulis constant. Ita Marcion principalem suæ fidei terminum de Epicuri scholâ agnoscat, Dominum inferens hebetem, ne timeri eum dicat; collocans & cum Deo creatore materiam, de porticu Stoicorum; negans carnis resurrectionem, de quâ proinde nulla philosophia consentit. Cuius ingeniis tam longè abest veritas nostra, vt & iram Dei excitare formidet, & omnia illum ex nihilo protulisse confidat, & carnem eandem restiturum repromittat, & Christum ex vuluâ Virginis natum non erubescat, ridentibus Philosophis & hæreticis & ethnicis ipsis. Stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: ille sine dubio, qui ex respectu huius suæ dispositionis perditurum se sapientiam sapientium præminabatur. Hac simplicitate veritatis, contraria subtililoquentiæ & philosophiæ, nihil peruersi possumus sapere. Vnde exorta subtililoquentiâ? è scholâ mundi. Quibus illa tigillis seu argumentis subnixa est? Duobus: auctoritate philosophicâ, & humanâ ratione. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam. Per auctoritatem philosophicam, Et inanem fallaciam. Per humanam rationemque plausibilis quidem, sed inanis. Secundum traditionem hominum. Secundùm adinuentionem dialecticorum. Secundùm elementa mundi. Secundùm humani visa ingenij. Ex hoc enim, ait Aquinas, multi decipiuntur, & ideò dicit, Secundùm elementa mundi. Quanto enim causa est altior, tanto habet superiorem effectum. Vnde qui voluerit considerare effectus superiores secundùm causas inferiores, decipitur, vt si qui consideret motum aquæ secundùm virtutem aquæ, non potest scire causam refluxûs maris; sed sic, considerat eum, secundùm virtutem Lunæ. Vnde multò magis decipitur, qui considerat proprios Dei effectus, secundùm elementa mundi; & hæc est causa apparentiæ: Et hæc expositio est melior. Subtililoquentia igitur duo aduocat machinamenta, armatque aduersùs

[Margin notes: Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 19. — Subtililoquentiâ ex philosophicâ auctoritate; & humanâ ratione. — Aquin. lect. 2.]

aduersùs fidem Christianam, imò aduersùs A veram rationem: philosophica scilicet seu humana instituta, & vulgaria mundanæ scholæ principia; sed tam rationes hominum, quam cogitationes Philosophorum tam vanæ sunt quam fallaces, ideoque decipiunt.

Inde est quòd ij qui humanis incumbunt literis, & mundanas reducunt scholas, sint probi quidem Grammatici, probabiles Philosophi, sed pessimi & intolerabiles Theologi. Illi sunt qui in Rethoricis declamationibus, non tam spatiantur quàm vagantur, qui in dialecticis nugantur disputationibus; qui buccis concrepantibus Iesum perstrepunt,& offundentibus tenebris Christum nesciunt. Aufer hinc argumenta, ait Ambrosius, vbi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat. Nō quæro quid loquantur Philosophi, requiro quid faciant. Soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quàm fides argumētis præponderet. Illi quotidie à suis consortibus deseruntur, qui copiosè disputāt: isti quotidie crescunt, qui simpliciter credūt. Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus & deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis & doloribus exuerunt. Nonne Ariani ex philosophiâ omnem impietatis suæ traxerunt colorem: Gentiles tamen quod venerantur amplificant, isti Dei filium creaturam asserunt esse, qui Deus est. Imago enim docet non esse dissimilem, character expressum esse significat, splendor signat æternum. Imago itaque non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris, sed simplex de Deo, egressa de patre, expressa de fonte. Præmonitorium illud Apostoli edictum, omnes tangit fideles, vellitque aurem non solis Colossensibus, sed & omnibus Christianis: videte, cauete, & attendite vobis ab istis Philosophis tanquam ab impostoribus; qui dum de rebus omnibus disputant, ita opinantur esse vt disputant, ideoque diuinant & ariolantur potiùs quàm philosophantur aut disputant. Nescierunt iustitiam Philosophi, (ita Lactantius) quia nec ipsum Deum agnouerunt: & ideò refelli potuerunt à Carneade, cuius hæc fuit disputatio, Nullum esse ius naturale. Itaque omnes animantes ipsâ ducente naturâ commoda sua defendere: & ideò iustitiam, si alienis vtilitatibus consulet, suas negliget, stultitiam esse dicendam. Ita iudex erit homo non sui tantùm, sed & alieni, propriarum vindex iniuriarum: & id omne iustum erit, quod videbitur commodum vel vtile: ius erit quod quisque arbitrabitur, quod sibi pro ratione propriâ præscribet, imò quod pro præconcepta præsumet opinione. Et ad hoc igitur literis studemus externis, vt crimina, furta, homicidia, adulteria & cætera flagitia non tam doctè quam acutè propugnemus; Christianamque Ecclesiam vitiis nec inter gentes seu infideles notis aut probatis infestemus? Concludat Seneca, & rationem attollat, quia fidem ignorat. Sed quæ ratio? Ratio perfecta, recta & consummata. Sed sciat illam ex naturâ corruptam & ex gratiâ reparandam.

Ambrosius lib. 1. de fide cap. 5.

Ariani mundanâ subnixi philosophiâ.

Lactant. in Epit. diuin. inst. cap. 1.

Sen. epist. 76.

QVÆSTIO IV.

De Christi gratiâ.

VLtima verba resumimus, redimusque ad Christum Iesum. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis. Tantus est Christus, vt pro ipso omnia respui debeant, imò omnia B præ ipso instituta humana debeant despui. Est igitur ratio præcedentis admonitionis, seu triplicis comparationis connexio simulque triplex ratio.

Prima, per comparationem ad diuinitatem. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Tria sunt exponenda. Primum, quid sit inhabitare: secundùm, quid plenitudo diuinitatis: tertium, quid corporaliter. Quoad primum: vnionem notat sed indissolubilem, quâ nusquam amisit aut dimisit Deus, quod semel assumpsit. Parùm sit quòd mansionem faciat, sed per vnionem personalem inhabitat in Christo tanquam in seipso, C nedum in proprio domicilio. Tribus enim modis, vt Aquinas edisserit, est Deus in rebus. Vnus est communis, per potentiam, præsentiam, & essentiam. Alius, per gratiam in sanctis. Tertius modus, singularis, in Christo per vnionem. Habitare igitur, est hominem fieri: & ideò habitabilis dicitur Christus, non quasi alius sit qui habitat, & alius qui inhabitatur; sed ipse est & homo & Deus, in quo habitat plenitudo diuinitatis. Illa non solùm permanentia est, sed consistentia, qua vtraque naturâ, diuina & humana in eadem consistit persistitque personâ. Quoad secundum. Totum dicitur plenitudo. Vti resoluit Chrysostomus. Nam, vt D Aquinas exponit. Deus quidem est in omnibus, sed in quibusdam per participationem similitudinis suæ bonitatis, vt in lapide, & aliis huiusmodi. Et talia non sunt Deus, sed habent in se aliquid Dei; non eius substantiam, sed similitudinem eius bonitatis. Et ideò non habitat in eis plenitudo diuinitatis, quia non est ibi secundùm substantiam. Est & in mentibus sanctis per operationem, cum per cognitionem & amorem attingunt Deum. Et ideò est in eis secundùm effectum gratiæ; nec tandem plenitudo est, sed secundùm aliquos effectus terminatos. In Christo est omnis plenitudo. Tota E nimirum diuinitas seu deitatis, Græcè θεότητος, substantia. Quoad tertium. Omnis plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter, id est substantialiter, non per vnionem accidentalem, sed personalem. Ne enim fortè, vti dixit Athanas. existimes verbum habitando tantùm operatum esse: quemadmodum & Prophetæ solebant, in quibus Deus inhabitabat: Corporaliter scilicet adiunxit. Hoc est, non operatione aliquâ, sed substantiâ, & tanquam corporatus, & substantia vna existens cum carne assumptâ. Substantiam antiqui maximè verò Stoici vocabant corpus, quo essentiam notabant minimè euanidam aut imaginariam, sed realem, constantem sibi, subsistentemque

Aquin. lect. 2.

Chrysost. orat. 6.

Aquin. lect. 2.

Athanas. in Paulum.

Corporaliter idem apud Paulū quod substantialiter.

Tertullian. lib. aduers. Hermog. cap. 35. de Anim. cap. 7. Ambros. lib. 3. de fide cap. 6.

stentemque. Ita Tertullianus, Ipsam substantiam ait, esse corpus rei cuiusque. Nihil enim (addit) si non corpus. Sed. Sui generis. Vt & ipse exponit: id est, sui ordinis. Quid ergo, Corporaliter? Realiter, substantialiter. Vnam diuinitatem lex probauit, quæ dicit vnum Deum (verba sunt Ambrosij) probauit & Apostolus, dicendo de Christo: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si enim iuxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter diuinitatis in Christo est, aut vnius diuinitatis patrem & filiũ fatebuntur: aut si patris & filij diuinitatem cupiunt separare, cum omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter filius habeat, quid est quod patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine perfectionis? Nihil igitur corporaliter habitare, quàm realiter seu personaliter, id est, per ipsammet diuinitatis seu deitatis substantiam, vnam & eandem personam constituere.

Secunda, per comparationem ad ipsos Christianos. Et estis in illo repleti. Diuinitate scilicet, & exinde sapientiæ omnis, scientiæ-ve cælestis plenitudine. Ipse enim Christus cum plenus sit influit in membra sua, & immensum, non iis sic vnitis subditisque non abscondit thesaurum, sed refundit. Qui enim primus hominum resurrexit,

Leo serm. 15. de pass. Dom. in fine.

ait Leo, eius plenitudinis est portio quæ præcessit: & piè creditur hoc, quod est in capite inchoatum, in membris quoque esse complendum. Amplectentes igitur Christianæ fidei vnicum pignus, non diuellamur à compage corporis Christi, in quo habitat, sicut Apostolus ait, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis repleti in illo. Nam cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis, facta est caro deitatis, & in illo sumus Deo repleti, in quo crucifixi, in quo sepulti, in quo sumus etiam suscitati? De hoc fonte hauriunt omnes sancti, de hoc plenitudine portionem suam, imò & ipsam plenitudinem, secundùm conditionem suam, seu destinatam sibi à Deo mensuram accipiunt. In quolibet quamuis præcipuo membro (ita loquitur Augustinus, velut in aliquo magno Propheta & Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinquepartitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In ceteris autem solus est tactus. Singulari nimirum quadam susceptione hominis illius facta est vna persona cum verbo. De nullo verò sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est. Nullus sanctorum qualibet præstantiâ gratiæ, vnigeniti nomen accepit, vt quod est ipsum Dei verbum antè secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Sumus Christiani, non Christi tamen & eatenus Christi sumus, quatenus sancti, nisi quod non tam sancti sumus, quàm sanctificati. Christi enim sumus, licèt non naturâ, sed gratiâ; inferiorem occupamus ordinem, sed eandem participamus sanctitatem. Et estis in illo repleti. Quid ergo est? (ait Chrysostomus.) Quod nihil minus habetis quàm ille? Sicut in illo habitauit, ita etiam in vobis. Semper enim contendit Paulus, vt nos adducat propè Christum: vt quando dicit, Qui conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus, &, Si sustinuerimus, & conregnabimus, &, Quomodo non etiam cum illo omnia donabit, vocans etiam cohæredes. Vnum cum ipso facimus cum ipso, sicut & ipse vnum facit cum Deo, sed proportione seruatâ, & adiudicatâ prælatione. Vnum quidem cum illo corpus constituimus, sed ille membris omnibus antecellit.

Augustin. epist. 57. vers. finem.

Sensus in membris dispersi, sed in ipso capite sunt collecti.

Chrysost. orat. 6.

Tertia per comparationem ad Angelos, non infimos tantùm, sed & supremos, dominationes ac potestates. Qui est caput omnis principatûs & potestatis. Idcircò si propriè loquendum est, nulla comparatio nisi prima: Christus enim non solùm omni hominum conditioni, sed & omni Angelorum ordini præstat eminenter, antistat incomparabiliter. Tam apposita nihilominus ratio, quàm impropria comparatio. Si enim tantus est Christus, vt cum Deo solo conferri possit, cui certum sit coæquari: nullo modo dubitandum, tantum scientiæ & sapientiæ thesaurum semper hauriri posse, nunquam posse exhauriri, Idcirco tam indignum esse quàm & vanum, Christianos, etiam doctissimos, cisternas adire dissipatas, & oracula muta consulere, cum habeant fontem aquæ viuæ, vereque sapientiæ plenitudinem possideant. Si enim doctor idoneus spirituum, quidni mortalium? Si rector deductorque Angelorum etiam præstantissimorum præstantissimus, quidni hominum? Tangit enim istos ordines, vt Aquinas obseruat, qui videntur habere quandam præeminentiam. Qui est caput omnis principatûs &, potestatis. Inquantum est Rex eorum, & dominus; non per conformitatem naturæ, quia sic est caput hominum. Sciendum quippe est, quòd Platonici dicunt, quòd diuina dona perueniunt ad homines mediantibus substantiis separatis. Et hoc quidem est verum, etiam secundùm Dionysium. Sed hoc est quoddam speciale, quia ab eo immediatè qui replet Angelos. Regendo, dirigendo, ordinando, destinando. Per principatus enim, vti dixit Augustinus, & potestates superstitio gentilium, vel philosophi seducebant, prædicantes illam, quam vocant Theologiam per elementa huius mundi. Caput autem omnium, Christum, principium omnium voluit intelligi, sicut ipse ait, cum ei dictum esset: Tu quis es? Respondit: principium, qui & loquor vobis. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil Mirabiliter ergo vult eos horum esse velut mirabilium contemptores, cum eos ostendit corpus factos illius capitis, dicendo; Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis. Quid auide vanam sititis philosophiam, & veram improuidè relinquitis, aut etiã contemnitis sapientiam? Timetis vobis defuturum sapientiæ vel etiam sapientiæ, si ipsum consulueritis, qui caput est Angelorum omnium: qui ipsasmet format & informat intelligentias: nec informat solùm, sed & ad arbitrium suum delegat?

Christus caput Angelorum per auctoritatem, non per conformitatem.

Aquin. lect. 2.

Augustin. epist. 59. q. 7.

QVÆSTIO V.

De vmbrâ Iudaiſmi.

ARguunt Philoſophi, ſed & Iudæi ſeſe interſerunt: ſuam illi ſapientiam ingerunt, ſuas iſti obtrudunt ceremonias. Hinc iam, ait Auguſtinus, ne vmbris Iudaiſmi ſeducantur Coloſſenſes, adiungit: In quo etiam circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis. Vel, ſicut aliqui habent, In expoliatione corporis peccatorum carnis in circumciſione Chriſti, conſepulti per baptiſmum, in quo & conſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Vide quemadmodum & hic corpus Chriſti eos oſtendit, vt iſta contemnant, cohærentes tanto capiti ſuo, mediatori Dei & hominum Chriſto Ieſu, & nullum falſum vel inualidum medium per quod Deo cohæreant requirentes. Illi ergo philoſophos inter ac Iudæos conſtituti, vtroque pulſati latere, de ſuperſtitione aut de lege tentati. Philoſophi ſubſtantias inuehunt ſeparatas, quarum officio Deus adeundus ſit aut promerendus, Chriſto præterito, aut ſepoſito. Iudæi ſuas reuehunt ceremonias, quarum ingenio Deus aduocandus ſit interpellanduſque, Chriſto non contempto quidem, ſed per legem & circumciſionem inducendo. Forte iudaizabant iſti Platonici, vel platonizabant Iudæi: ſed in hoc concordabant, quòd veritatem infringerent Euangelij & Chriſti dignitatem vel minuerent vel ſi non minorem, certè inefficacem redderent inutilemque. Sciendum eſt ergo, (ex Aquinate) quòd duplex eſt circumciſio, ſcilicet carnalis, & ſpiritualis. Per Chriſtum verò ſumus circumciſi, non circumciſione carnali, ſed ſpirituali. Et ideò Apoſtolus primò excludit carnalem, ſecundò aſtruit ſpiritualem. Dicit ergo, In quo, ſcilicet Chriſto, Circumciſi eſtis circumciſione non manufactâ. Rom. 2. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non literâ. Quid tantum reclamatis circumciſionem carnalem, & ſpiritualem diſſimulatis? An ignoratis illam iſtius vmbram eſſe, & vmbram appetente luce euaneſcere? Ideoque reuehendæ nō ſunt illæ ceremoniæ, quæ Chriſto mortuo ſunt ſepultæ, cognito & admiſſo, mortiferæ.

Auguſtin. epiſt. 59.

Aquin. lect. 3.

Ceremoniæ Iudaicæ Chriſto ſepulto mortuæ.

Admittenda quidem vtriuſque circumciſionis oppoſito, ſed ſic admittenda vt deſtruatur carnalis, ſpiritualis præferatur. Oppoſitio eſt in illis verbis. In quo circumciſi eſtis circumciſione non manufactâ in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti prælatio verò in illis. In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione corporis peccatorum carnis in circumciſione Chriſti. Iudæi circumciſi ſunt, ſed circumciſione manufactâ, id eſt carnali, corporali, demptâ ſcilicet ſeu abſciſsâ corporis carniſue, ſeu cutis carnalis pelliculâ. Chriſtiani circumciſi ſunt, ſed circumciſione non manufactâ Græcè ἀχειροποιήτῳ, id eſt ſpiritali, quæ in mente fit non

A in corpore, quæ non manu ſed ſpiritu, quæ non arte ſed virtute. Per petram ſine manibus exciſam, per gratiam ſine operibus impertitam. Admirabile, ait Chryſoſtomus, ſubiunxit beneficium Apoſtolus, & multo admirabilius eo quod eſt ad Romanos. Nam illic quidem dicit, Circumciſio cordis in ſpiritu, non literâ: hîc autem in Chriſto. In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione corporis peccatorum carnis: in circumciſione Chriſti. Vide quomodo proximè ad rem accedit. Dicit in expoliatione, non dixit in ſpoliatione. Expoliationem corporis peccatorum, veterem dicit vitam. Eadem quippe aſſiduè & diuersè verſat, ſicut ſuperiùs dicebat, Qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, & abalienatos reconciliauit vt eſſemus ſancti & inculpati. Non amplius, inquit, in gladio & circumciſione, ſed in ipſo Chriſto. Non enim manus infert ſicut illic hanc circumciſionem, ſed ſpiritus. Nec partem, ſed totum hominem circumcidit. Corpus eſt hoc, & corpus eſt illud. Sed illud quidem carne, hoc verò ſpiritualiter circumciditur. Non enim carnem, ſed peccata exuimus. Primum corpus, corpus eſt carnis: alterum, corpus peccatorum carnis, ſeu carnalis hominis veteris-ve. Habent membra ſua, quæ organa ſunt, aut vita. Primum brachia, femora: ſecundum, furta, adulteria: ſed ſicut illa, in parte ſuâ reſecanda ſunt propter ſignificationem; ſic & iſta in totum domanda ſunt per mortificationem. In Expoliatione carnis: id eſt, (vt exponit Aquinas) carnalis corruptionis. Ideo circumciſi, quia non habetis iam vitia carnis. Mortificanda ſunt membra illa terrena; vt ſicut mortui nullum cum viuis conſortium habent, ſed in totum conſuetudine nedum regione diſcreti: ſic & iuſtificati nullum cum vitiis & concupiſcentiis commercium inſtaurent; vtpote iis mortui, & cum Chriſto in ſepulchro iam poſiti: non enim circumciſi tantùm ſumus, ſed & ſepulti.

Chryſoſt. orat. 6.

B

Corpus peccatorũ, omnium malorum operum.

C

Aquin. lect. 3.

D Iam ergo, Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei qui ſuſcitauit illum à mortuis. Ita, vt obſeruat Chryſoſtomus: Quod Apoſtolus vocat circumciſionem, vocat etiam ſepulchrum. Sed nō eſt ſolùm ſepulchrum. Vide enim quid dicat, In quo & conſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Rectè dixit: totum enim eſt fidei. Credidiſtis quòd Deus poteſt ſuſcitare à mortuis: & ita ſuſcitati eſtis. Baptiſmus Sacramentũ eſt, id eſt ſactũ ſignũ; licet nō repræſentatiuũ duntaxat, ſed & operatiuũ; quo dũ proteſtamur fidem, auſpicamur reſurrectionẽ. In eo

Chryſoſt. orat. 6.

E namque, vt loquitur Aquinas, exprimitur ſimilitudo mortis Chriſti, vt ſicut Chriſtus ponitur primò in cruce, & poſtea in ſepulchro; ita qui baptizatur, ponitur ſub aquâ, & ter, ſicut fuit Chriſtus triduo in ſepulchro. Conſepulti igitur in baptiſmo, id eſt, baptizati ad ſimilitudinem mortis Chriſti: vt ſicut in ea deſtruxit peccatum, ita & in baptiſmo: & ſicut reſurrexit de ſepulchro, ita & nos à peccatis in re, & à corruptione carnis in ſpe. Per fidem denique operationis Dei: quia virtute Dei reſuſcitatus eſt Chriſtus. Et qui credit hanc reſurrectionem, fit particeps huius reſurrectionis. Credis in mortem Chriſti humanâ in carne conſummatam,

Aquin. Lect. 3.

Ritus baptiſmi, futuri ſtatûs eſt præſagius.

tam, credis in resurrectionem Christi virtute diuinâ effectam; idcircò mergeris in baptismo, quasi condaris in sepulchro: sed & resurgis, dum emergis, vt in nouitate vitæ ambules, & immortalem non præfigures tantùm, sed & præoccupes resurrectionem. Ita igitur vmbram Iudaismi discutit Apostolus, & gratiam inducit Christi. Circumcisionem remouet: Docet enim, (vt concludam ex Tertulliano) Colossensibus, mortuos fuisse nos aliquando, alienatos, & inimicos sensûs Domini, quum in operibus pessimis agebamus; dehinc, consepultos Christo in baptismate, & conresuscitatos in eo per fidem efficaciæ Dei, qui illum suscitarit à mortuis. Si cum Christo mortificamur sensu, & spiritu viuificabimur: si commorimur per gratiam, restituemur in gloriam. Hoc ritus baptismi innuit, hoc modus promittit Sacramenti.

Tertullian. lib. de resur. car. cap. 23.

DISQVISITIO VI.

De liturâ chirographi.

PArum sit quòd Christus deleuerit chirographum nobis contrarium. Quid verò quòd ipsum tulerit de medio, crucique affixerit? Quid tandem quòd exspoliauerit principatus & potestates traduxerit?

Quoad primum. Ita Paulus. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta. Delens quòd aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Textus Ambrosianus. Delero quod aduersùm nos erat, chirographo in decretis, quod contrarium erat nobis. Tertullianus. Liberans hominem per lauacrum, donato ei chirographo mortis. Sic tamen ex Græcis exprimendum est. Delens chirographum decretis. Tria igitur disquirenda sunt. Primum est, Quid sit chirographum apud Paulum? Dixi apud Paulum: nam chirographum aliàs nomen generale est quo & contenta syngrapha: imò & gesta, propria vel alienâ manu conscripta. Ita Suetonius. Ita Asconius. Sed de nostris, nec ad nostra. Chirographum, ait Aquinas, est scriptura manualis, & propriè fit pro cautione contractuum. Propriùs ille, dum & propiùs: est enim chirographum apud Paulum, obligatio officij, seu debiti confessio, quocumque signo expressa. Quodnam chirographum? ait Chrysostomus. Id dicit quod dicebant Moysi, Quæcumque dixit Deus, faciemus & audiemus. Sic se quiuis Iudæus propriâ obstrinxit confessione; & quicumque circumcisus est, eandem accepit vocem, dum eandem iniit professionem. At publica illa cautio, pactio quædam erat reciproca; vt sicut ille qui vniuersam legem faceret, mercedem reposceret temporalem; sic & qui illam infringeret, maledictionem & mortem incurreret. Est ergo chirographum cautio publicæ professionis, seu vniuersæ legis obligatio faciendæ. Secundum, Quomodo chirographum esset aduersùs nos, seu nobis contrarium? Quia lex non leuabat, sed potius onerabat. Quia lex, sicut dicit Apostolus, præ-

Tertullian. de pudicit.

Aquin. Lect. 3.

Chrysost. orat. 6.

Cautio publica, velut reciproca pactio.

Augustin. lib. de spi. & lit. cap. 18. Ex vilegis Moscrita.

A uaricationis gratiâ posita est, id est, litera ista extrà hominem scripta: propterea eam & ministrationem mortis, ait Augustinus, & ministrationem damnationis appellat. Occidebat, nedum terrebat: supplicium indicebat, nec promittebat auxilium. Nescio quam literaturam inuenimus apud Iudæos, (ait ille) Superbia Iudæorum præsumentium tanquam de viribus suis, & de iustitiâ operum suorum gloriabatur de lege, quòd ipsi legem acceperint, aliæ gentes non acceperint: in quâ lege non de gratiâ gloriabantur, sed de literâ. Lex enim sine gratiâ, sola litera est: manet ad conuincendam iniquitatem, non ad dandam salutem.

Augustin. conc. 1. in Psalm. 70. vlt. med.

B De hac literâ dicit Apostolus, Litera occidit, spiritus autem viuificat. Tertium, Quomodo deletum sit euacuatumque? Decretis seu Euangelicis institutis: lex enim cessit legi, litera cessit spiritui. Nouum testamentum, ministrationem spiritûs & ministrationem iustitiæ, dicit Apostolus, (verba sunt Augustini) quia per donum spiritûs operamur iustitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. Ideò aliud euacuatur, hoc manet: quoniam terrens pædagogus aufertur, cum timori successerit charitas. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas.

Augustin. lib. de spi. & lit. cap. 18.

Quoad secundùm. Non solùm deleuit Christus chirographum, sed & illud affixit cruci: C sic enim debitum dissoluit, dum tulit supplicium. Donauit nobis, inquit omnia delicta, (ita Chrysostomus) quæ efficiebant mortalitatem. Et quid? Siuitne ea manere. Nequaquam, sed deleuit, non solùm expunxit vt non apparerent. In decretis, inquit, seu dogmatibus. In quibusnam? In fide. Sufficit credere. Non operibus opera, sed opera fidei addidit. Et quid postea? Remissioni rursus subiungit deletionem. Et ipsum, inquit, tulit de medio. Et ne sic quidem seruauit, sed & id disrupit affixum cruci. Vides quantum posuerit studium vt deleret chirographum. Vtpote eramus obnoxij peccato & pœnæ. Ipse punitus soluit & pec- D catum & pœnam. Punitus autem fuit in cruce. Illic ergo, ipsum affixit; tanquam qui haberet potestatem, ipsum disrupit. Hoc chirographum tenebat diabolus: nec id nobis dedit Christus, sed ipse id scidit, Quod quidem est eius qui lætus remittit. Prostabat chirographum istud in medio, præuaricatorésque ac transgressores accusabat de peccato. Sed Christus peccatum in cruce deleuit, sicque chirographum extinxit in sanguine. Diuinæ vtique, vt loquitur Leo, potestatis erat indicium, quæ impiorum conatus, non armis contrariis, neque vllius creaturæ potentis auxilio, sed solâ verbi E virtute prosterneret. Quia verò saluando humano generi alterius operis ratio congruebat, nec posset sanguis Christi pretium credentium fieri, si redemptor se non fineret comprehendi, admisit in se impias manus, & cohibita est potentia deitatis, vt perueniret ad gloriam passionis. Itaque non infirmitatis est, sed virtutis, quâ potuit Christus chirographum extorquere, & debitum exsoluere. Ipsa figura est etiam, quòd Helisæus, (verba sunt Augustini) primò ad mortuum resuscitandum baculum suum misit per seruum. Nesciebat quid ageret, præcessit seruus, posuit baculum super

Chrysost. orat. 6.

Leo serm. 1 de pass. Dom. cit. med.

Augustin. con. 2. in Psalm. 70. vers. fin.

mortuum, non surrexit mortuus. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Non viuificauit lex per seruum missa: & tamen ille misit baculum suum per seruum suum, qui postea secutus viuificauit. Namque cum ille infans non resurrexisset, venit Helisæus iam figuram portans Domini, qui seruum suum cum baculo tanquam seruum cum lege præmiserat: Fecit ergo Dominus quod non fecit baculus: fecit gratia, quod non fecit litera. Illi namque qui in baculo: remanserunt, in litera gloriantur, & idcircò non viuificantur. Data est enim lex, vt reos vos faceret, rei facti timeretis, timentes indulgentiam peteretis; & iam de viribus vestris non præsumentes, de literà vos non extolleretis. Christus nobis planè necessarius, qui chirographum mortis per mortem suam deleret, qui iniquitatis vinculum per crucem suam dissolueret: dum enim in patibulo pependit, tulit illud de medio, deleuitque virtute crucis suæ, seu passione & morte, quam in cruce sustinuit. Tunc enim disruptum est, nedum sublatum: laceratum, nedum extortum.

Figura Christi in Helisæo prophetа expressa.

Quoad tertium. Nihil illustrius victoriâ Christi, nihil eloquentiâ Pauli grandius. Exspolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Nusquam, ait Chrysostomus, locutus est tam magnificè. Exspolians principatus & potestates. Diabolicas sanè dicit potestates. Illic namque vulnus accepit diabolus, cum id certum & lethale accepisset à corpore mortuo. Percussit Christum mors: sed ea fuit tanquam singulare certamen: nam Christus percussus eam postea sustulit. Mortuo corpore, dissoluta est quæ videbatur esse mors. Idcircò enim mortuus est, vt mortem vinceret; idcircò crucem sustinuit, vt lacessentem traduceret potestatem. Nam, vti dixit Ambrosius, qui potuit non mori si voluisset, proculdubio quia voluit, mortuus est. Quod ita esse comprobans Apostolus ait: Spolians se carne, principatus & potestates exspoliauit triumphans illos in semetipso, per mortem scilicet hominis suscepti: vt, sicut idem beatus Apostolus dicit, per mortem nempe hominis suscepti destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos qui per totam vitam obnoxij erant seruituti. Per veram ergo carnem immortalis mediatoris Dei & hominum, nos mortales redempti, viuificati, saluati, atque soluti sumus à laqueis & captiuitate diaboli, super quem nobis potestatem dedit, dicens: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Quod ita esse comprobat Apostolus, dicens: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: hoc est, satanam in carne Saluatoris: sicut & in aliâ epistolâ ait, Detriumphans illos in seipso: vt, sicut alibi dicit idem Apostolus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificarentur. Paulo aliter Paulum legit Ambrosius, sed non aliter intelligit. Sic quippe posuit Augustinus, vt Ambrosius, nec tamen multò aliter exposuit. Delens quod aduersùs nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, quia (vt ille dixit) reos lex faciebat, quæ subintrauerat vt abundaret delictum. Tollens, inquit, illud de medio & affigens illud cruci, exuens se carne, principatus & potestates exemplauit, fiducialiter triumphans eos in semetipso. Non vtique bonos sed malos principatus & malas potestates, diabolicas scilicet, & dæmoniacas exemplauit. Seruauit proprietatem verbi Græci ἐδειγμάτισεν: quòd est, ostentare, in triumphum & exemplum agere. ἐν παῤῥησίᾳ. Cum totâ fiduciâ. Palàm traducere, quasi propriâ virtute, summâque potestate, de subactis hostibus, & æmulis principatibus, coràm omnibus triumphare.

Chrysost. orat. 6.

Monomachia Christum inter & diabolum instituta.

Ambrosius Tract. in Sym. Apost. cap. 13.

Triumphus Christi de diabolo deuicto solennissimus.

Augustin. epist. 59. quæst. 7.

Iam ergo, vt dicam ex Aquinate. Litera non est difficilis. Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta. Dixi vos circumcisos, quia consepulti estis Christo in baptismo: nam baptismus est circũcisio: quia scilicet peccatum est superfluitas, & caro præputij est superfluitas: idem ergo est deponi peccatum, & præputium. Sed in baptismo deponitur peccatum, ergo est idem quod circumcisio. Et ideò dicit, Cum essetis mortui in delictis, id est, propter delicta vestra. Et præputio carnis vestræ, id est, carnalis concupiscentiæ, quasi astricti reatu malorum actuum. Conuiuificauit, remouens à vobis omne peccatum, condonans & remittens vobis omnia delicta. Idem est igitur circumcidi & conuiuificari: & hoc in baptismo per remedium mortis peccati. Prius ergo sermonem dirigit ad gentes. [Et vos] &, Cum essetis in præputio carnis vestræ. Præputium enim vocauit, vt & Augustinus obseruauit, quod significatur præputio, hoc est, delicta carnalia quibus exspoliandi sumus. Viuificauit, inquit, cum illo, donans vobis omnia delicta. Quid vobis? Græcis nimirum, seu ethnicis. Tum & figuram inuertit sermonis, crucisque exponit potentiam. Delens quod aduersùs nos erat chirographum. Quid, Nos? Iudæos scilicet. Quod erat contrarium nobis. Quis, Nobis? Iudæis. Opponit ergo Iudæos & Græcos, nec tamen diuidit. Omnes enim per Christum circumcisi sunt, omnes per baptismum consepulti, suscitati, conuificati. Deleta sunt peccata omnia sed adhuc ansa remanebat, quâ detenti Iudæi. Est enim chirographum, ait Chrysostomus, quando quispiam est reus debendi. Etiam extincto peccato subsistebat chirographum, vrgebatque. Confessionem agnoscebant Iudæi, sed obligationem exsoluere, aut implere solutionem non poterant. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Consuetudo enim erat, (vt Aquinas notat) quòd soluens omnia ad quæ quis tenebatur, scindebatur chirographum. Homo autem erat in peccato, sed Christus soluit pro nobis patiendo: & ideo simul morte Christi hoc chirographum est destructum. Et ideo dicit, Affigens illud cruci, per quam satisfaciens Deo, tulit peccatum nostrum. Deinde cum dicit, Exspolians principatus,

Aquin. lect. 3.

Præputium, carnalis symbolum libidinis.

Augustin. epist. 59.

Chrysost. orat. 6.

Aquin. lect. 3.

principatus, ostendit quomodo liberauit à seruitute peccati. Detur enim quòd vsurarius propter cautionem teneat hominem captum, non sufficeret destructio cautionis, nisi liberaretur. Et ideo dicit, Espolians principatus & potestates, id est ipsos dæmones. Luc. 11. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Et traduxit confidenter, tanquam auctoritatem habens. Et palàm: id est, coràm multitudine Angelorum.

Actum est aduersus diabolum, solutum est pretium; vinculum disruptum est: si quid enim debemus, nimirum vt diligamus; habemus vnde soluamus ex gratiâ Christi, ex Dei manificentiâ. Ille namque qui spiritu viuus, (verba sunt Augustini) carnem suam mortuam resuscitauit, verus vitæ mediator illum spiritu mortuum & mortis mediatorem à spiritibus in se credentiũ foras misit, vt non regnaret intrinsecùs, sed forinsecùs oppugnaret, nec tamen expugnaret. Permissus est in illud quod ex nobis mortale viuus mediator acceperat. Sed vbi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte deuictus est; & vnde accepit exteriùs potestatem Dominicæ carnis occidendæ; inde interior eius potestas quâ nos tenebat, occisa est. Factum est enim vt vincula peccatorum multorum in multis mortibus per vnius vnam mortem quam nullum peccatum præcesserat, soluerentur. Quam propterea Dominus pro nobis indebitam reddidit, vt nobis debita non noceret. Et ideò principa-

Augustin. lib. 4. de Trinit. cap. 13.

Oppugnare potest diabolus electos, sed illos non potest expugnare.

A tus & potestates exemplauit, fiducialiter triumphans eas in semetipso. Morte suâ quippe vna verissimo sacrificio pro nobis oblato, quicquid culpatum erat vnde nos principatus & potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, extinxit. Ita diabolus hominem, quem per consensionem seductum, tanquam iure integro possidebat, tanto superbior, quanto velut ditior, in ipsâ morte carnis amisit. Inde qui baptizatur, vt admonet Chrysostomus: Totus vngitur: non solùm enim venit vt doceatur, sed etiam vt decertet & exerceatur: Nam si qui sunt vncti ab hominibus, nihil patiuntur à serpentibus, neque tu patieris aliquid quandiu fueris vnctus, vt possis serpentem tenere & suffocare, calcare super serpentes & scopiones. Possunt quidem mouere sensum, sed consensum extorquere non possunt. Tunc ergo suffocantur calcanturque, quando venenum dissipatum

Chrysost. orat. 6.

B est, conculcatum imperium. Multi dicunt, ait Augustinus, quomodo possumus vincere diabolum, quem non videmus. Sed habemus magistrum qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo à nobis inuisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit Apostolus, Triumphans eos in semetipso. Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Et ideò qui in nobis ipsis vincimus temporlium rerum cupiditates, necesse est vt in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine.

August. lib. de agone Christ. c. 1.

SECTIO SECVNDA.

De obseruantiâ.

TEXTVS.

NEMO ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei: Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis: quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundùm præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

EXEGESIS LITERALIS.

OBSERVANTIA est, sed mala: non enim ex verâ religione, sed ex vanâ superstitione suborta est: idcircò non

C reprobanda solùm, sed & damnanda.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi &c. Si ergo deletum est chirographum Mosaicæ legis, si dissolutum est legalis obseruantiæ

vinculum: nemo adigat, aut reos constituat in cibo aut in potu, aut de violatâ festorum & & sabbatorum obseruantiâ. Illa enim sicut vmbra ad corpus comparanda: ideoque corpore, tanquam veritate, comparente, euanescunt vmbræ, figuræ transeunt. Ad hunc vsque locum subobscurè; & in ænigmatis modum, id dixit. Nunc verò apertiùs, quandoquidem & beneficia explicauit. Quòd si huiusmodi iam estis beneficia nacti, cur vos minoribus & tam paruis obstringitis? Nolite ergo hoc ferre, vt quisquam in vos sententiam ferat, tanquam Iudaicæ obseruationis præuaricatores. Vel ex eo quidem hos laudat, quia Iudaicas illas & superuacaneas cautiones dissoluerint. Ita Commentator Athanasianus. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ &c. Nemo animum vestrum decipiat, & à prœmio auertat proposito, dum humilitatem & religionem affectat Angelorum, deque iis quæ non vidit, tam fastuosè quàm & inconsideratè pronuntiat. Falsa est illa scientia, & qui se iis ingerit immittitque immerito carnali suâ inflatur cogitatione, cum inani proculdubio pascatur imaginatione. Et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei &c. Quomodo non ille vanus & imperitus, qui non adhæret capiti, ex quo Ecclesia ipsa, tanquam corpus capiti suo cohærens, per idoneas compacta membrorum commissuras assurgit crescitque augmento non carnali sed spiritali, non humano sed diuino. Quod superius sub nomine philosophiæ, ait Ambros. cauendum monuit, nunc apertius docet cauendum ab iis qui terrenæ sapientiæ studentes hæc colenda asserunt, quæ culturis animæ sub firmamento obligatæ teneantur, ne se supra firmamentum tendant ad superiores cœlos ad Deum omnium adorandum.

Comment. Athanas.

Humilitas affectata, mera est vanitas.

Ambros. in Paulum.

Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? &c. Cum itaque Christiani sitis, & ceremoniis Mosaicis, tanquam rudimentis puerilibus, aut initiamentis carnalibus in Christo Domino mortui: cur vetera patimini instituta, quasi veteribus adhuc obseruationibus obnoxij? Decernitis, Græcè est δογματίζεσθε. Per baptismum, (inquit apud Athanas.) Christo commorientes vitæ omni superiori demortui estis, ita vt nil amplius vobis sit elementis mundi inseruiendum. Cur ergo hoc tempore haud secus quàm priorem vitam degentes his estis subiecti. Quippe qui satis sitis edocti. Si sat instructi, cur aliis decretis imbuimini? Si tamen vis actiue sumi. Si his, inquit, renuntiastis, cur iam aliam induitis sententiam, aut alia dogmata proponitis? Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neq; contrectaueritis: quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum &c. Illa sunt dogmata seu decreta, Non tangendum immundum, non gustandum, neque emendo aut vendendo contrectandum. Sed illa non iam diuinæ legis instituta censenda sunt, sed humanæ adinuentionis placita, vanæque commenta superstitionis; & ideò per malum vsum deducunt homines in interitum, obseruantes meritis inuoluunt suppliciis. Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Et illa quidem humanæ seu vanæ scientiæ præcepta, speciem quandam sapientiæ apud imperitos, aut certè nomen retinent; sed eius quæ in voluntariâ religione posita est & affectata humilitate: ideoque tam vana quàm ficta omnia. Præpostera sane & superstitiosa corporis maceratio est, carnisque afflictio, non autem debitaque refectio, qua per immoderatas abstinentias defraudandi non sunt Christiani. Textus Ambrosianus. Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in obseruatione religionis, & humilitate cordis, ad vexationem corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis. Et Commentator. Hinc se, inquit, sapientiæ rationem habere putant, quia traditioni humanæ nomen religionis applicant; vt religio appelletur, cum sit sacrilegium: quia quod contra auctorem est, sacrilegâ mente inuentum est.

Athanas. in Paulum.

Reiicienda humanæ tanquam vanæ doctrinæ placita.

Comment. Ambros.



ILLATIONES deducendæ.

DVo statuerat Apostolus de Christo Domino: vnum in gratiam Iudæorum. Delens quod aduersùs nos erat chirographum, quod erat contrarium nobis. Quia, vt dixit Aquinas. Faciebat cognitionem peccati, & non iuuabat. Alterum, in dæmonum ignominiam. Exspolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Id est, vt & ille exponit. In suâ virtute. Per semetipsum, per proprium imperium. Nunc conclusiones infert tam ad eruditionem iudaizantium, quàm ad exclusionem Angelorum, nec malorum duntaxat, sed & bonorum: omnes enim confert cum Christo Domino, tamque aduersùs superstitionem iudaizantium, quàm aduersùs religionem Angelorum, apertam exertamque profert sententiam.

Aquin. lect. 3.

ILLATIO PRIMA.

De superstitione iudaizantium.

SI chirographum Euangelicis deletum est institutis: si lex vetus mortua est ac sepulta, auctoritate priuata, virtute spoliatâ: rectè sequitur directeque infertur. Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbræ futurorum: corpus autem Christi. Rectè, inquam, ac directè. Nam, vt expendit Aquinas: Suprà ostendit legalia esse impleta in Christo, propter circumcisionem in eo impletam, quæ est legalium professio: hîc concludit eos non obligari ad legalia præcepta ceremonialia. Sed in his tria enodanda sunt. Primum est, distributio præceptorum ceremonialium: alterum, significatio: tertium, impletio.

Aquin. lect. 4.

Quoad distributionem. Multiplicia quidem erant,

erant, & propè infinita legalia præcepta ceremonialia: sed in certas classes iuxta Paulum redigenda, imò nec in certas classes iuxtà Paulum redigenda sunt, quia ex parte tantum recensuit, quod ex parte duntaxat obseruatum, sed nullo modo obseruandum censuit. Vides, ait Chrysostomus, quomodo ea deprimit, & extenuat, dicens, Aut in parte diei festi. Non enim tenebant omnia priora. Neque dixit, In scenopegiis & Azymis & Pentecoste, sed in parte dies festi. Non enim audebant totum seruare. Non iam Iudaismum reuocabant, quàm cultum affectabant ad placitum: idcircò non tam Iudæi erant, quàm Iudæorum partiarij: sententiam diuidentes, & ad saliuam probantes illud, istud reprobantes. Hoc enim proprium hæreticorum, qui singulari suo priuilegio, imo grandi suo sacrilegio, quod volunt, eligunt; quod nolunt, reiiciunt. Hæreses, ait Tertullianus, dictæ Græcâ voce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Non ergo qui legem perstrepebant, custodiebant legem: tamen quia legis se fingebant æmulatores, idcircò ex omnibus ferè ceremoniis hinc inde decerpebant. Ceremonialia verò, vt Aquinas. colligit, erant quatuor: scilicet sacrificia, sacra, sacramenta, & obseruantiæ. Sacrificia immolabantur Deo, vt oues, vituli & huiusmodi. Sacra erant, sicut vasa, & solemnia tempora. Sacramenta erant tria: scilicet circumcisio, agnus Paschalis, & consecratio Sacerdotum. Obseruantiæ autē erant ea, quæ pertinebant ad singulare quid in conuersationem populi Israël, vt cibi, vestes, & huiusmodi. Quædam verò prædictorum pertinebant ad quosdam, vt sacrificia, vasa, & alia huiusmodi: quædam ad omnes. De primis autem non facit mentionem, sed de tangentibus totum populum sicut nunc baptismus. Facit autem mentionem de obseruantiis, quia abstinebant à certis cibis, vt de quadrupedibus, ab his quæ vngulam non diuidunt. In potu etiam, vas quod nō haberet operculum immundum erat, & quicquid in eo erat. Et ideò quantum ad hoc dicit, Nemo vos iudicet in cibo: id est, condemnabiles putet in hoc, quòd vtimini cibis vel potibus prohibitis in lege. Tum mentionem facit de sacris, ad temporum solemnitatem pertinentibus. In veteri autem lege erat solemnitas iugis, vt sacrificium vespertinum & matutinum, quædam autem quæ certis temporibus fiebant: & horum, quædam fiebant pluries in anno, vt sabbatum, & neomenia; illud qualibet hebdomadâ, istud semel in mense: quædam semel tantùm, sicut pascha, scenopegia, Pentecoste. Et huius ratio est, quia omnia festa tendunt ad honorem Dei. Impendimus autem Deo honorem, vel propter aliquod æternum, & sic est iuge sacrificium: vel propter aliquod temporale, & hoc quantum ad totum hominum statum: & sic sunt duo: scilicet creationis beneficium, & sic est sabbatum. Aliud est beneficium propagationis & conseruationis, quod etiam fit per tempus. Et quia Iudæi obseruabant tempora à lunâ, ideo dicit, Festum neomeniæ, id est nouæ lunæ. Et quia isti habebant plura sabbata, & aliæ solennitates sunt superadditæ, ideo dicit, Aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum. Quasi dicat, Nullus vos condemnet, quia hæc non obseruatis.

Chrysost. orat. 7.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 7.

Aquin. lect. 4.

Festa omnia ad Dei honorem instituta.

Quoad significationem. Omnes quidem illæ ceremoniæ futurum prænuntiabant, sed obscurè; Christum præfigurabant, sed ænigmaticè. Idcircò Paulus ait. Quæ sunt vmbra futurorum Christus autem considerandus in capite, considerandus in corpore. Totus quippe Christus, (vti docet nec semel ad monet Augustinus) caput est & corpus. Caput ipse Saluator noster, passus sub Pontio Pilato; qui postquam resurrexit à mortuis, sedet ad dexteram patris. Corpus autem eius est Ecclesia: non autem ista aut illa, sed toto orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt antè nos, & his qui futuri sunt post nos vsque in finem seculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cælestibus quod gubernat corpus suum: etsi separatum à visione, sed annectitur charitate. Quia ergo totus Christus caput est & corpus eius: propterea in omnibus Psalmis sic audimus voces capitis, vt audiamus & voces corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus, dicens: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Si nobiscum est, loquitur in nobis, loquitur per nos; quia & nos loquimur in illo: & ideo verum loquimur, qui in illo loquimur. Nam quando in nobis ex nobis loqui voluerimus, in mendacio remanebimus. Lex igitur & Prophetæ Christum personabant. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. Omnes quidem Christum prophetarunt venturum futurum-ve: sed quidam indicarunt de longinquo, quidam demonstrarunt de proximo. Ita Ioannes, vt exponit Augustinus: Præmissus est velut vox antè verbum, lucerna ante solem, præco ante iudicem, seruus antè Dominum, amicus antè sponsum. Christum annuntiabant omnes venturum. Sed Christus nunc in capite spectandus, nunc in corpore: nunc agens docens-ve in hoc mundo, nunc in cœlo sedens & requiescens. Ita cum dicitur Exod. 20. Memento vt diem sabbati sanctifices. Ratio ibi ponitur. (ita Aquinas) Quia septimo die Deus requierit. Et ratio allegorica est, quia significat quietem Christi in sepulchro. Et anagogicè, quietem animæ in Deo. Idcircò igitur Paulus dixit, Quæ sunt vmbra futurorum. Quia totum repræsentabant Christum, & gratiam præfigurabant & gloriam. Sed in vmbrâ, quia nondum illucescebat veritas, adhuc sub figurâ delitescebat: tamen, sicut vmbrâ prouisâ, speratur corpus, sic & figurâ præmissâ, realitas, seu Christus ipse sperabatur.

Augustin. Enarrat. in Psal. 56. post init.

Christus nō solùm in capite spectandus, sed & in corpore.

Actuū cap. 19.

Augustin. serm. 11. de sanct. circa med.

Aquin. lect. 4.

Quoad impletionem. Si Christus venit, debet vmbra cessare: Si corpus apparuit figura debet secedere. Corpus autem Christi. In quo, vt notauit Commentator Athanasianus. Quidam in vnum contextum hæc nectunt, Corpus autem Christi, nemo vos seducat. Alij verò corpus hoc autem Christi dicunt, in eoque & contextum

Comment. Athanas.

textum terminant orationis: perinde sic Paulus sentiat, vtera quidem omnia pro vmbrà sunt, corpus autem Christi, Christi veritas est. Quid ergo erit necesse, vmbram, corpore ipso præsente, tenere? Non adeò multum interest iungas an disiungas, modò idipsum colligas. Nam distulit Augustinus, & idem nihilominus intulit. Iam hìc, inquit, diligēter attende quemadmodū Paulus inferat propter quod cuncta illa cōmemorauimus. Nemo ergo vos, inquit, iudicet in cibo, tanquam propterea omnia illa dixerit, quia isti per huiusmodi obseruationes seducebantur à veritate quà liberi fiebant, de quà dictum est in Euangelio: Et veritas liberabit vos, id est, liberos faciet. Nemo ergo, inquit, iudicet vos in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est vmbra futurorum: hoc propter Iudaismū. Deinde sequitur propter superstitiones Gentilium: Corpus autē Christi, inquit, nemo vos conuincat. Aptius tamen & congruentiùs contextus totus vnam enuntiat sententiam, quia impletum esse in corpore Christi seu in veritate rei, quod in lege priùs adumbratum, determinat. Age iam, ait Tertullianus, quum dicit, Nemo vos iudicet in cibo & in potu, & in parte diei festi & neomeniæ & sabbati, quæ est vmbra futurorum, corpus autem Christi: quid tibi videtur? De lege iam non retractamus, nisi quod & hìc quemadmodum exclusa sit edocet, dum scilicet de vmbrà transfertur ad corpus, id est, de figuris ad veritatem, quod est Christus. Ergo & vmbra eius, cuius & corpus; id est & lex eius, & Christus. Segrega alij legem, & alij Deo Christum, si potes aliquam vmbram ab eo corpore, cuius vmbra est, separare. Manifestè legis est Christus, si corpus est vmbræ. Sic igitur inferendum est, concludendumque ex Ambrosio, imò ex Apostolo. Quoniam omnis spes in Christo est ac fiducia, nulli superstitioni aut legi subiacere nos debere præcipit. Quamobrem perstrepentes, aut aliquid quod ad fidem Christi non pertinet susurrantes, contemnendos: istum autem solum sequendum, per quem deuicta mors est, & reddita resurrectio mortuorum. Quidam enim Iudæorum solent iudicare fideles, quod ea quæ interdicta per Moysem sunt, edant de cibis, cum omnia Deus munda fecerit. Solent, iterum reprehendere nos, quia dies festos eorum spernimus, vt otio & epulis cum luxuriâ transigantur: quod magis ad offensam pertinet, quàm ad gratiam. Et hæc quidem sic data sunt per Moysen, vt vmbra essent, vel figura futurorum, vt apparente veritate figura cessaret. Sicut enim absente Imperatore imago eius habet auctoritatem, præsente non habet: ita & hæc ante aduentum Domini tempore suo obseruanda fuerunt, præsente autem carent auctoritate.

Augustin. epist. 59. q. 7.

Tertullian. lib. 5 aduers. Marc cap. 19

Vmbra in corpus figura in veritatem trāslata.

Ambros. in Paulum.

ILLATIO II.

De religione Angelorum.

EN quid agat subtilis sermo, seu ratio probabilis. Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Seu, vt est apud Chrysostomum: Nemo vos decipiat in probabili sermone. πιθανολογίᾳ. En quomodo seducat, nec pietatem inducat; sed deducat ad impietatem. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput. Seu, vt habet Textus Ambrosianus. Nemo vos decipiat, volens in humilitate animi, & superstitione Angelorum, in his quæ non videt extollens se: frustra inflatus mente carnis suæ. Quod operâ efficitur inimici, ait Commentator, vt semper animas super terras humiliatas detineat, vbi se scit de cœlis deiectum semper futurum iusto iudicio Dei, religionem simulans, cum sit maximum sacrilegium. Nemo ergo vos decipiat: en secunda illatio. Sed quærendum primò, quæ sit illa seductio: secundò, quæ superstitio: tertiò, quæ ratio.

Chrysost. orat. 7.

Comment. Ambros.

Quoad seductionē. Illa est, in quâ qui seducti sunt, argumentis conuicti sunt, aut euicti præstigiis. Ita apud Augustinum. Nemo vos conuincat. Hoc autem fit, cum quis à scopo diuertit tractus aut distractus, sicque excidit à præmio. Sic apud Chrysostomum. Nemo vobis interuertat, seu intercipiat: καταβραβευέτω enim, quo verbo Paulus vtitur, est quando aliorum quidem est victoria, aliorum verò brauium, seu præmium, quando victoriam assecuto insultatur. Stas supra diabolum & peccatum, quid peccato te rursus subiicis? Quid est ergo seducere? est præmium interuertere, brauium intercipere, subtilitate sermonis, aut iudicis iniquitate, palmam coronámque amittere. Ita ille apud Plutarchum in Apophtegmatis, interrogatus, vter victor esset ex duobus collusoribus, respondit difficile esse id definire. Quamuis enim ille vulgò victor haberetur, qui aduersarium deiecisset, victus tamen tantis rationibus suaderet, elapsum se potius quam deiectum, vt palmam relinqueret dubiam, & coram iniquis iudicibus, debitum sibi suffuraretur præmium, cum non tam victus quam victor censeretur. Sic igitur & apud Hieronymum. Nemo vos superet, id est, nemo aduersùm vos brauium accipiat: hoc enim Græcè dicitur, καταβραβευέτω, quando quis in certamine positus, iniquitate agonothetæ, vel insidiis magistrorum βραβεῖον, & palmam sibi debitam perdit. Nemo vos seducat, id est, nullus brauium accipiat aduersùm vos. Credam equidem Cilices vsos hoc verbo, sed cur non credam eo vsos & Iones: nec tam è prouinciæ finu, quàm ex penu Græciæ Paulum mutuatum esse verbum, quo passim vsi sunt & alij, nec vsi tantùm, sed & rectum ac probum rati, cum quis certantem ac propè victorem auocat, meritáque fraudat palmâ.

Augustin. epist. 59.

Chrysost. orat. 7.

Seducere, est brauium debitum præripere.

Hieronym. epist. 151. quæst. 10.

Quoad superstitionem. Græcè θρησκείαν, seu ἐθελοθρησκείαν, affectatam religionē. Vnde apud Hieronymum. Nemo vos superet volens in humilitate mentis, & religione Angelorum. Et ille, Nemo ergo vos superet ac deuincat, volens humilitatem literæ sequi, & Angelorum religionem, atque culturam. Quod dixit Ambrosius, In humilitate mentis. Augustinus dicit, volens in humilitate cordis. Et exponit ex populari sermone, seu loquendi consuetudine. Sic enim, inquit, & vulgò dicitur, qui diuitem affectat, thelodiues; & qui sapientem, thelosapiens, & cętera huiusmodi. Ergo & hìc thelohumilis, quod pleniùs dicitur thelon humilis, id est, volēs humilis, affectans

Hieronym epist. 151.

Augustin. epist. 59. quæst. 9.

affectans humilitatem,quod intelligitur, volens videri humilis,affectans humilitatem.Hoc enim in talibus obseruationibus agitur,vt cor hominis velut religione humile reddatur.Volēs in humilitate,volens in religione:id est,affectans humilitatem,affectans religionem:vtramq; volens,& humilitaté ad religionem,seu religionem ad humilitatem traducens:vt sit cultura aliqua humilior & inferior quæ Angelos coleret,& per ipsos Deum adiret,nō per Christum: idcircò vana sit, nec tam religio quàm superstitio. Idcircò enim verbum caro factum est. Vt quoniam homines pleriq; ait August.diuinitatis auidi,per potestates cælestes quos Deos putarēt,ritusq; varios illicitorum non sacrorum sed sacrilegiorum,ambiendum sibi arbitrarentur ad Deum,magis superbè quàm piè:quā in re pro Angelis sanctis,eis se dęmones superbiæ cogitatione supponunt:scirent homines tam proximum esse Deum pietati hominum,ad quem velut longè positum per interpositas potestates ambiebant, vt hominem suscipere dignaretur:& cum illo vniri quodámodo vt ei sic coaptaretur homo totus; quemadmodū animæ corpus:exceptâ concretione mutabili,in quam non conuertitur Deus, & quàm videmus quod habeat & corpus & animus.Volebāt ergo illi alios excluso Christo mediatores inducere, nempe Angelos, per quos ad Deum accederēt; dicebantq; illos inferioris quidem esse ordinis à Deo seu summo principio; mūdi tamē esse creatores,& inde mundi reconciliatores.Ita Simon Magus.Ita discipuli pariter magi;qui videbātur Angelos deprimere,illos tamē conuincebantur colere tā impiè quā & superstitiosè. Simonianæ autem magiæ disciplina,ait Tertul.Angelis seruiēs,vtiq; & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur, Angelis quidē,sed malis,& malo animo. Ille se, summū Deum dicebat,& Angelis suis seruiebat. Sed & Antichristus se pro Deo venditabit, & in occulto nihilominus idolum suum adorabit.Sic sunt qui peruersè & indignè diligunt quod enim execrantur sensu, cultu venerantur.

Augustin. epist.3.vlt. med.

Simoniana disciplina malis Angelis addicta.

Tertullian. lib de præscript.c.33.

Quoad rationem. Non alia quam vanitas humana,seu profana curiositas. Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quā pluribus,(verba sunt Tertulliani) cum circulatoribus, cum astrologis,cum philosophis,curiositati scil. deditis.Quærite & inuenietis, vbique meminerūt.Vna mater,quæ magos genuit,philosophos, hæreticios,nec tam domo impleuit scientię,quā vento distindit superbiæ.Ita Irenęus,curiositatū seu hæresum diligentissimus explorator : vbi Fontem & radicē tangit:Simon Samarites, (ait) Magus ille, de quo discipulus & sectator Apostolorum Lucas.Hic,inquam, Simon,qui fidem simulauit , putans Apostolos ipsas sanitates per magiam & non virtute Dei perficere , sed per maiorem quandam magicam scientiā hoc suspicans fieri: & vniuersam magiā adhuc amplius inscrutans : quippe cum esset sub Claudio Cæsare , à quo etiam statuā honoratus esse dicitur propter magiam.Inde cultus Angelorum, malorum scilicet seu dæmonum subinductus. Magi, inquit Tertullianus, phantasmata edunt , multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, habentes semel,inuitatorum Angelorum & dęmonum assistentem sibi potestatem. Vtriusq; enim nominis testes vel magi assunt.Dæmonum scilicet

Tertullian. eodem lib. cap. 43.

Irenæus lib. 1.aduers.hæres.cap.20.

Hæretici & philosophi passim magiæ dediti.

Tertullian. cap.22. & 23. Apolog.

atque Angelorum,sed malorum.Inde fęda compago , & libido promiscua. Qui sectæ Simonis erant,ait Theodoretus, se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant:& omni incantationum & præstigiarum nomine vtebantur: amatoria quædam & pellicentia machinantes, & quæcumque alia sunt incantarionum & præstigiarum propria tanquam diuina mysteria persequuntur. Ita igitur Paulus apud Augustinum. Nemo vos conuincat,volēns videri humilis corde in culturâ Angelorum,quæ non vidit inculcans. Sic enim dicere voluit , Quæ non vidit inculcans : quia homines ista suspicionibus & opinionibus agunt. Inculcans legit Augustinus, quia Paulus dixit ἐμβατεύων.Nos,Quæ non vidit ambulans.In iis incedens se iis immiscens ingerensque superbe ac temeratiè quæ nusquam vidit,sed perperam confinxit;ideò tam vane cogitatione suâ inflatur carnali, quàm malè inani cognitione delectatur.Sic enim apud Irenæum, Simon Samaritanus , ex quo vniuersæ hæreses substiterunt, habet huiusmodi sectæ materiam. Hic Helenam quandam,quam à Tyro ciuitate phœnicēs quæstuariam cum redemisset , secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis eius conceptionem , matrem omnium , per quam initio mente concepit Angelos facere & Archangelos. Hanc enim Ennoiam exilientem ex eo,digredi ad inferiora,& generare Angelos & Potestates,à quibus hunc mundum factum dixit. Posteaquàm autem generauit eos, hæc detenta est ab ipsis propter inuidiam, quoniam nollent progenies alterius cuiusdam putari esse. Somnia febrientis animæ , meraquē emotæ mentis deliria.

Theodoret. lib. 1 fabul. hæret.

Augustin. epist.59.

Iren. lib 1. cap. 20.

ILLATIO III.

De communione sanctorum.

SI tenuissent caput, nunquam superstitionem induxissent Angelorum,aut communionem inuertissent sanctorum. Ita Paulus. Et non tenens caput:ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.Nemo vos seducat, non tenens caput.Ex quo,(vti Augustinus monuit)vult Christum intelligi. Ergo qui adhæret capiti Christo, qui illi vt homini & Deo seruit, qui docet nulli alij vt Domino seruiendum, aliis tamen seu Angelis, seu cæteris sanctis cultum tanquam Christi seruis deferendum , non decipit, non diuertit à scopo , nec ab instituto deficit. Tenemus enim communionem sanctorum , videmus connexionem membrorum : sed subsidium omne,sicut & augmentum omne,& à Deo profectum est per Christum, & in Deum per Christum est referendum.

Quoad sanctorū communionem singularis nō est, sed cōmunis Angelorū omnium & hominū non solùm triumphantiū in cęlo, sed & in hoc mundo,sub eodem duce & capite Christo militantium. Inde in Symbolo Apostolico dicimus credimusq; Sanctam Ecclesiam,sanctorum communionem. Caput enim Ecclesiæ Christus,Ec-

rantium. Inde in Symbolo Apostolico dicimus credimusq; Sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem. Caput enim Ecclesiæ Christus, Ecclesia corpus Christi. (ita August. Caput nostrũ surrexit, ascendit in cœlum: vbi caput, illic & membra. Error sectæ Simonianæ non in eo est quod Angelos caluerit, sed quod malos, aut si bonos, malè coluerit: quod caput nõ tenuerit, quòd cultum omnem ad Christum Dominum, religionis ac venerationis auctorem ac principem non retulerit. Nec mirum, cũ ille Samaritanus esset, id est, partim Iudæus, partim ethnicus, & hinc inde delibasset, nec tam religionem cogitasset Christianam, quàm confusam superstitionem reuocasset. Cum Dominum colerent, Diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem Gentium de quibus translati fuerant Samariam. Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes: nam & filij eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem. Ita illi acephali à regni capite, & Dei sede diuisi. Inde igitur Simoniani, nisi quod magiam, interseruerint, ideoque pythagoricam inuexerint philosophiam. Habent imagines per colorem depictas, ait Epiphanius, quidam etiam ex auro, & argento ac reliquâ materiâ, quas sane imagines Iesu esse dicunt, & sub Pilato factas esse: habent autem eas occultè. Insuperque philosophorum quorundam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum, cum quibus etiam alias imagines Iesu collocant, collocatasque adorant, & Gentiũ mysteria perficiunt. Sic sacra profanis mixta, omnia quippe ab hæreticis profanata: Deum quidẽ & Christum eius nomine tenus confitentes, sed opere & institutione aut deprimentes aut confundentes. Ita apud Irenæum. Ebionei consentiunt quidem mundum à Deo factum, ea autem quæ sunt erga Dominum non similiter opinantur. Circumciduntur ac perseuerant in his consuetudinibus, quæ sunt secundùm legem, & Iudaico charactere vitæ vti. Sed abeant isti, ac sileant. Nos non in totum respuimus religionem Angelorum, quia communionem credimus sanctorum. Caput tenemus Christum, sub quo suspicimus Angelos vt Dei & Christi ministros: sub quo sanctos colimus, vt viua Christi mẽbra quibus cum vnum, facimus corpus, dum vnam omnes constituimus Ecclesiam. Et hoc capite totũ corpus, (vt Chrysostomus loquitur) habet vt sit, & vt rectè sit. Quid igitur dimisso capite hæres membris? Si illinc excideris, periisti.

August. lib. 1. de Symb. ad Catech. cap. 9.

4. Reg. c. 17.

Epiphan hæresi 27.

Sacra apud hæreticos profanis permixta.

Iren. lib. 1. c. 26. 42.

Chrysost. orat. 7.

Quoad connexionẽ membrorũ. Sicut sub capite coluntur Christo, sic & sub eodem capite compinguntur. Christus enim vti edisserit Hieronym. Caput ac principium totius est corporis, eorumq; qui credunt, & omnis intelligẽtiæ spiritualis. Ex quo capite corpus Ecclesiæ per suas compages atq; iuncturas vitalẽ doctrinæ cœlestis accipit succum. Tale quid & in verbis, & in sensibus, & in genere locutionis obscurissimè scribit ad Ephes. Veritatem autem loquentes in charitate. crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactũ & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate. Loquitur autem vniuersa contra eos qui credentes ex Iudæis in Dominũ Saluatorem, Iudaicas ceremonias obseruare cupiebant. Super qua re & in Actis Apostolorũ nõ parua quæstio concitata est. Vnde & suprà Paulus ait, de iis, qui magistros legis esse se iactant. Nemo vos iudicet in cibo & potu, quasi alia mũda sint alia immunda: aut in parte diei festi, vt alios dies festos putent, alios non festos; nobis enim, qui in Christum credimus resurgentẽ, iugis & ęterna festiuitas est: aut in parte neomeniæ, hoc est Kalendarum, & mensis noui; quando decrescens luna finitur, & noctis vmbris tegitur: Christianorum enim lumen æternum est, & sẽper solis iustitiæ radiis illustratur: aut in parte sabbatorum, vt nõ faciant seruile opus, & onera non portẽt: quia nos sumus Christi libertate donati, & onera peccatorũ portare desiuimus. Hęc, inquam, omnia vmbra sunt futurorum, & imagines venturæ felicitatis: vt in quibus Iudæi hæsitant iuxtà literã, & tenentur in terrã, nos iuxta spiritum transeamus ad Christum: qui, ad distinctionem vmbrarũ, nunc corpus appellatur. Quo modo enim in corpore veritas est, & in corporis vmbrã mendacium. Sic in spirituali intelligentiã mundus omnis cibus & potus, & tota festiuitas, & perpetuæ Kalendæ, & æterna requies expectanda est. Quid est tenere caput, nisi tenere Christum? Quid Christum tenere, nisi fidẽ Christianam? Quid porrò Christianam tenere fidem, nisi spiritualem habere iam non carnalem intelligentiam? Non tenens caput: scilicet Christum, per fidem. (ita Aquinas) Et talis decipitur, quia sine Christo est in tenebris. Sed quare est caput? Respondet Paulus, dicens, Quia ab eo dependet totum bonum corporis scilicet Ecclesiæ. In corpore enim naturali sunt duo bona, scilicet compactio membrorũ, & augmẽtũ corporis. Et hoc habet Ecclesia à Christo: ex eo enim dependet totum corpus. Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo. Et ideo dicit Paulus, coniũctiones: in corpore enim duplex est coniunctio mẽbrorum, scilicet secundùm contactum, quia manus est coniuncta vlnæ, hæc pectori, & sic de aliis. Alia est connexio seu coniunctio neruorũ: & ideo dicit, coniunctum & connexum. Sic in Ecclesiã est coniunctio per fidem & scientiam. Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Sed hoc non sufficit, nisi sit connexus charitatis, & connexio sacramentorum: & ideo dicit, Sub ministratum per nexus & constructum.

Tenere fidẽ Christianã, est Spiritualem habere intelligentiam.

Aquin. lect. 4.

Quoad membrorum accretionem. Idcircò iuncta sunt inter se membra, vt vnum alteri ministrare per charitatem possit, idcircò coniuncta capiti, vt sic totum corpus cõstructum, possit per virtutem diuinam, & spiritualem energiam augescere. Succum, accipit, inquit Hieronymus, vt omnia paulatim membra vegetentur: & per occultos venarum meatus, fundatur defecatus sanguis ciborum, & ministretur, atque succrescat; vt de fonte capitis rigati artus, crescant in perfectionem Dei, & impleatur Saluatoris oratio: Pater volo, vt sicut ego, & tu vnum sumus, sic & isti in nobis vnum sint; vt postquam nos Christus tradiderit patri, sit Deus omnia in omnibus. Ita ergo Paulus ex textu Ambros. Nemo vos decipiat, non tenens caput illud ex quo omne corpus per cõpaginationes & colligationes subministratũ & cõpactũ, crescit in agmẽtũ Dei. Res est de viuis membris, Spiritu, capitis Christi animatis, ac pietatis seu charitatis sensu præditis: hæc enim sola & nomine membrorum digna sunt, & filiorum munere. Solus

Hieronym. epist. 151.

Hieronym. epist. 151. quæst. 10.

Viua membra, sola tali nomine & honore digna.

mo)non solùm habet vt viuat, sed etiam vt illi coniungatur. Vniuersa Ecclesia quandiu habuerit caput, augetur. Non enim arrogantiæ & vanę gloriæ est affectio, inuentum humanæ mentis. Ecce illud. Ex quo, dicitur de filio. Per nexus & coniunctiones, inquit, subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. Quod est secundùm Deum, inquit, & optimæ vitæ institutionis. Sic ergo subsidium spiritule, & omne augmentum, sicut à Deo profectum est per Christum, sic & Deo per Christum referendum est. Quod enim pertinet ad religionem atque pietatem: (verba sunt Augustini) de quâ loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra quâ credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumq; opus bonum: vnde in omni opere bono, & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides si non cogitetur, nulla est: & non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Initium ab illo, necnon & augmentū, vtrūq; enim diuinum est: sed sicut vtrumque à Deo collatum est, sic & vtrumque Deo tribuendum.

Augustin. lib. de prodest sanct. cap. 2.

ILLATIO IV.

De elementorum abolitione.

POstrema verba cum primis iungenda sunt, aut prima in postremis includenda: Recolamus, ait Augustinus, quod dictum est superius, vt hoc intelligamus. Non vult enim eos in his obseruationibus iudicari, vbi dicitur, Ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne attaminaueritis, quæ sunt omnia, inquit, in corruptionem per abusionem. Omnia hæc, inquit, magis ad corruptionem valent, cum superstiosè ab eis abstinetur, vt eis homo abutatur. Hoc planum est. Primò igitur intulit aduersùs iudaizantium superstionem: Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu. Nunc & eandem resumit illationem. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis: Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis, quæ sunt omnia ad interitum ipso vsu secundùm præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Praescribit igitur vsum obseruantiæ Iudaicæ, decernitque non superstitiosum esse duntaxat, sed & exitiosum. Idcircò Ebionæi apud Irenæum Apostolo Paulo recusant, apostatam eum legis dicentes. Sed illi similes cæteris hæreticis, superbi: Gloriantes, ait illis, emendatores se esse Apostolorum. Cum enim ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum; quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem, ob quam & Paulum dixisse, Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Et hanc sapientiam vnusquisque eorum dicit, quam à semetipso adinuenit, fictionem videlicet. Vnusquisque enim ipsorum omni modo peruersus, semetipsum, regulam veritatis depranans, prædicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionē, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos. Aduersātur traditioni, dicentes se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem, & absconditum scire mysterium. Sed sinamus illos cæci enim sunt, & duces cæcorum. Quoad Paulum verò nostrum: exponenda primò elementorum abolitio: secundò, deponenda sapientum ratio: tertiò reponenda, aut certè componenda corporum mortificatio.

Augustin. epist. 59.

Iren. lib. 1. cap. 26.

Iren. lib. 3. cap. 1. & 2.

Hæretici hoc statuunt esse, quod ipsi præsumunt.

Quoad primum. Redit Paulus ad instaurationem præcepti, & dehortationem Iudaismi: concluditque. Si baptizati estis in Christo, (ita apud Hieronymū) & cum Christo in baptismate consepulti, mortui autem ab elementis mundi, pro eo quod est, elementis: cur mecum non dicitis: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Sed è contrario quasi viuētes in mundo decernitis, Ne tetigeritis corpus hominis mortui, nec vestimentum, nec scabellum in quo sederit mulier menstruata: neque gustaueritis carnē suillam, & leporū & sepiarū, & leliginū, murenæ, & anguillæ, & vniuersorū piscium, qui squammas & pinnulas non habēt: quæ omnia in corruptionem & interitum sunt ipso vsu, & stercore digeruntur: Esca enim ventri, & venter escis: & omne quod intrat per os, non coinquinat hominē, sed ea quæ de nobis exeunt. Secundùm præcepta, inquit, & doctrinas hominum: secundùm illud quod Esaias loquitur: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Frustra autem colunt me docētes doctrinas hominum & præcepta. Vnde & Dominus corripit Pharisæos, dicens: Irritum fecistis mandatum Dei, vt traditiones vestras statueretis. In quibus tria sunt obseruanda. Primū est, elementa huius mundi, seu, vt ex Græco, & ex ipso Hieronymo, Elementa mundi. Nō alia esse, quàm puerilia, crassa ac carnalia Mosaicæ obseruantiæ, imò mundanæ exordia disciplinæ, ac vanæ sapientiæ rudimenta, infirma nimirum & egena elementa: quibus mortui sunt Christiani; id est, quibuscum nullum ineunt commercium. Alterum, interitum, nō solum de decretis, sed & de cibis capiendum, qui ipso vsu, seu ipso esu, in secessum eunt; imò pereunt, dum absumuntur, digeruntur, subeuntq; interitum. Tertium, præcepta humana, esse instituta Iudaica, seu pharisaica, quæ absona & anilia. Imò, vt refert ipse Hieronym. Pleraq; turpia. Ideoq; nec referenda. Elementorum igitur abolitio, est institutorum vanorum, mundanorum-ve initiorum euersio. Non estis, inquit, (apud Chrysostomum) in mundo: quomodo subiicimini elementis? quómodo hominum obseruationibus? Hæc secundùm præcepta & doctrinas hominum. Quid dicis? Etiam legem dicis? Eane iam est doctrina hominum? Sed eam adulterabant

Hieronym. epist. 151. quæst. 10.

Aniles & turpes Pharisæorum traditiones.

Chrysost. orat. 7.

bant ac deprauabant. Aut tacitè significat ea quæ sunt Græcorum. Totum, inquit, est dogma seu decretum humanum. Simoniani quippe partim Iudæi partim Græci, vtpote Samaritani. Nonnulla ex Iudæis delibabant, sed & illa philosophicis interpolabant institutis.

Quoad secundum. Rationem prætendunt, sed amittunt. Quæ sunt rationem quidem habentia in superstitione & humilitate. Quid Rationem habentia? Græcè λόγον. Quasi speciem ipsam, aut solum etiam nomen retinentia: quæ dicuntur instituta sapientiæ, deliria nihilominus esse conuincantur dementiæ. Quid, In superstitione & humilitate? Pro humilitate in Græco legitur ταπεινοφροσύνη: sed intelligitur ἐθελοταπεινοφροσύνη, quæ risui vertitur & contemptui. Videntur, ait Hieronymus, obseruationes Iudaicæ apud imperitos, & vilem plebeculam, imaginem habere rationis, humanæque sapientiæ: vnde & doctores eorum σοφοὶ, hoc est sapientes vocantur. Et si quando certis diebus traditiones suas exponunt, discipulis suis solent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id est, sapientes docent traditiones. Sicut ergo in Græco pro superstitione legitur ἐθελοθρησκεία, sic & pro humilitate, ἐθελο sub intelligitur, nec tam ταπεινοφροσύνη reprehenditur quàm ἐθελοταπεινοφροσύνη: quæ ex humano placito sentit humilia, terrena sapit; & dum sapit, desipit. Sunt enim hæc ramenta Græciæ, magiæ incantamentis inspersa. Cur ergo hæc dicit rationem habere sapientiæ, quæ ita reprehendit? Dicam, ait Augustinus, quod & in Scripturis potes aduertere, sæpè sapientiam positam etiam in sedilibus mundi huius, quam dicit expressiùs sapientiam huius mundi. Nec moueat quòd hîc non addidit, Mundi. Non enim & alio loco, cum ait, vbi sapiens, vbi scriba: addidit, huius mundi: vt diceret, vbi, sapiens huius mundi? & tamen hoc intelligitur. Sic & ista ratio sapientiæ. Nihil enim ab eis dicitur in huiusmodi superstitiosis obseruationibus, vbi non mundi huius elementorum naturarumque rerum, ratio quædam sapientiæ reddi videatur. Nam & cum dicit, Cauete ne quis vos decipiat per philosophiam: non ait, huius mundi. Et quid est philosophia Latinè, nisi studium sapientiæ? Sunt ergo, inquit, ista rationem quidem habentia sapientiæ, id est, de quibus aliqua ratio reddatur. Et de quibus non redditur? Sed tam vana quàm & falsa per veram seu diuinam conuincitur sapientiam: sicque non tam rationi defertur, quàm aufertur veritati. Decipiuntur omnes, ait Irenæus, quia quod est in verbis verisimile, se putant posse discere à veritate: sine fuco autem veritas: suasorius verò & verisimilis est, & exquirens fucos error. Adornatis sermonibus inuolutus, humanis palliatus rationibus. Verùm, vt & ille ait: Si ea quæ in manibus sunt, & ante pedes, & in oculis, & terrenis, & causas eorum quę sunt in hoc mundo, & præcipuè dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ij qui sunt perfecti: quemadmodum eis de spiritualibus, & supercælestibus, & de his quæ sunt ad Deum vana persuasione confirmant, credemus?

Hieronym. epist. 151.

Augustin. epist. 59. quæst. 7.

Quanta rationem inter & veritatem differentia.

Iren. lib. 3. aduers. hæres cap. 15.

Iren. lib. 2. cap. 49.

Quoad tertium. Abstinent illi. Credo, nam & magi continent, sed abstinentiâ infami, & fœdiori incontinentiâ. Si autem & aliquos taxat Apostolus, (ita Tertullianus obseruat) qui ex visionibus angelicis dicebant cibis abstinendum, ne attigeris, ne gustaueris, volentes in humilitate sensûs incedere, & non tenentes caput, non ideo legem & Moysem pulsat, quasi de angelicâ superstitione constituerit interdictionem quorundam edulium. Moysen enim à Deo accepisse legem constat. Denique, hanc disciplinam, Secundùm præcepta, inquit, & doctrinam hominum deputauit in eos qui caput non tenerent, id est, ipsum, in quo omnia recensentur, in Christum ad initium reuocata. Non ergo reprobat abstinentiam, sed Iudaicam superstitiosamue castrat disciplinam. Id enim agunt ista, ait Augustinus, secundùm principatus & potestates in obseruatione & humilitate cordis, vt superstitionis vitio cor humilietur ad non parcendum corpori, dum fraudatur istis escis, quibus compellitur abstinere, non in honore aliquo ad saturitatem carnis: non quòd honoratius illo magis quàm illo cibo caro saturaretur, cum ad eius necessitatem non pertineat, nisi à quolibet valetudini apto alimento refici atque fulciri. Humiliatur caro, dum austeriore vexatur disciplinâ, honoratur verò, dum commodiore relaxatur indulgentiâ: humiliat qui affligit, honorat qui reficit. Non parcunt illi corpori, sed humiliant vexant-ve dum indiscretâ imò & superstitiosâ macerant onerantque inediâ. Non autem honorât, dum non saturant; dum non reficiunt, dum non ad iustam debitam-ve pascunt sufficientiam. Sicut enim subtrahendum voluptati non necessariæ, sic & humanæ indulgēdę necessitati: sicut enim mortificanda caro ne noceat spiritui, sic & sustentanda vt illi seruiat: Si ergo reponenda, aut certe cōponēda corporū mortificatio, vt tollatur quidem ciborum superstitio, abigaturq; ieiuniorum aut ostentatio externa, aut exquisita immoderatio: carnis tamen insolentia reprimatur, adigaturque religionis abstinentiâ. Ita Paulus, ita Petrus, ita Apostoli omnes, ita omnes sancti. Eos enim, qui dicunt solum Paulum veritatem cognouisse, cui per reuelationem manifestum est mysterium: (verba sunt Irenæi) ipse Paulus conuincit, dicens, vnum & ipsum Deum operatum Petro in Apostolatu circumcisionis, & sibi in gentes. Ipsius ergo Dei Petrus erat Apostolus, cuius & Paulus. Et quem Petrus in circumcisione annuntiabat Deum & Dei filium, hunc & Paulus in gentes. Neque enim vt solum Paulum saluaret venit Dominus noster, nec sic pauper Deus, vt vnum solum haberet Apostolum, qui dispositionē filij eius cognosceret. Et Paulus autem dicēs, Quàm speciosi pedes euangelizantiū bona, euangelizantium pacem, manifestum facit quoniam non vnus, sed plures erant qui veritatē euangelizabant. Doctrina Pauli, doctrina est Petri, doctrina Apostolorum, doctrina sanctorum omnium. Sic enim abstinentiam præcipiunt, vt reiiciant imprudentiam; sic religioni consulant, vt occurrant superstitioni,

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. c. 19.

Augustin. epist. 59.

Non parcit carni qui affligit, honorat qui sustentat.

Iren. lib. 3. cap. 13.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

DOctrinam instaurat cæleſtium, diſciplinamque denſat præceptorum : ſed iſta aut publica ſunt aut domeſtica. Sit igitur.

PARS PRIMA.

De publicis.

TEXTVS.

IGitvr, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens : quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus: propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis : in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius qui creauit illum. Vbi non eſt gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam : ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduersùs aliquem habet querelam; ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quâ & vocati eſtis in vno corpore : & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientiâ, docentes, & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum.

A

EXEGESIS LITERALIS.

TErrena membra mortificanda ſunt, vt acquirantur cœleſtia : opera veteris hominis abdicanda ſunt, vt quæ noui ſunt, aſſumantur.

Igitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite; vbi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens : quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram &c. Mementote vos cum Chriſto mortuos in baptiſmo, & cum illo in nouam vitam ſuſcitatos. Conuiuificauit cum illo. Si igitur in nouam, id eſt, non terrenam ſed diuinam emerſiſtis vitam, ſi in cœlum, imò in Deum aſſurrexiſtis : iam in cœleſtia ſeu diuina, veſtra conferte ſtudia; terram, velut ſedem corruptionis deſerite, patriſque dexteram tanquam immortalitatis fontem animis votiſque ſuſpicite. Cum per baptiſmum dixiſſet, Chriſto eſtis commortui, tacitè dedit intelligi, quia & ſimul eſſent cum Chriſto reſurrecturi. Baptiſmus namque quemadmodum mergendo mortem denuntiat, ſic emerſione ipsâ reſurrectionem figurat. Nunc verò illud complectitur. Si con- Commentar. Athanaſ.

surrexistis cum Christo, necesse est, vt in cœlo A & vos vbi ille assidet patri ad dexteram, diuersemini. Cœlestia vobis sapienda sunt, non terrestria. Nec satis habuit Paulus quæ in cœlo sunt dicere & vbi Christus consisteret, sed, In dexterâ Dei sedet, adiecit, vt magis ac magis animum nobis à terrenis hisce disiungat. Ita Commentator Athanasianus. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ &c. Cum adhuc terrena saperetis? nonne illis mortui estis? Nec solùm tamen mortui estis, sed sicut Christus vitæ huic terrenæ ac mortali B mortuus, vitâ vixit spiritali; imò idcircò resurrexit vt nouam inchoaret vitam, & in cœlum seu in Deum totus auolaret: sic & vos à morte peccatorum in vitam cœlestem transiistis spiritualem-ve: sed vita vestra abscondita est à sensibus carnalium, & apud Deum, sicut & ipsa Christi vita, est reposita. Sed cum Christus in quo & de quo viuitis, ad iudicium venerit, regnumque suum manifestauerit: tunc & vita vestra apparebit gloriosa, fulgebitque, impiorum etiam obtutibus conspicua. Quia, inquit Aquinas, hæc vita est per Christum, Christus autem est occultus à nobis, quia est in C gloriâ Dei patris: similiter vita quæ per eum nobis datur, est in occulto, vbi scilicet Christus est in gloriâ Dei patris. Ostendit ergo quomodo manifestatur, scilicet sicut & Christus. 1. Ioan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, scilicet in gloriâ.

Vita iustorum nunc occulta, sed in futuro manifestanda iudicio.

Aquin. lect. 1.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus &c. Nunc ergo vigilate & curate, ne reuiuiscant desideria peccatorum, conceptumque spiritum extinguant, tanquam putida veteris hominis D membra. Ea enim sunt, fornicatio, concubitus omnis maris & feminæ non coniugalis: immunditia, actus omnis, quo fœdatur caro: libido, obscœna passio: concupiscentia mala, quæ aduersùs spiritum: auaritia, πλεονεξία, insatiabilis turpium cupiditas voluptatum, quæ summa impietas est, vtpote tota simulacris seu idolis dedita. Præcidenda sunt ista, elidendaque. Quoniam, ait Ambros. omnia simul peccata corpus esse in epistola ad Romanos significat, idcircò nunc singula delicta describens, membra ea appellat, vt post acceptam & seruatam Euangelicam de Saluatoris plenitudine rationem, bonæ vitæ operam darent, abstinentes se ab omni turpitudine & desiderio malo. E Non enim opera solummodo resecanda sunt, sed & ipsa suffocanda sunt desideria. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis &c. Propter hæc peccata pendet immineтque hominibus Euangelicæ prædicationi non acquiescentibus tremendum irati Dei iudicium. Et in illis peccatis vos aliàs membra exercebatis vestra, cum vitam ducebatis à Deo & Christo alienam. Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro &c. Iam quidem non amplius illa flagitia committitis, imò iam fugitis: sed & cætera etiam à

Ambros. in Paulum.

Membra veteris hominis sunt peccata omnia.

vobis abiicienda sunt: cuiusmodi sunt ira, quæ in animo; indignatio, quæ in verbo; malitia, quæ in facto; blasphemia quæ in probro & opprobrio; turpis sermo, nec verborum obscœnitas vnquam apud vos audiatur, sicut nec maledictorum proferatur indignitas. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius qui creauit illum &c. Ne alter alteri mentiatur, ne fraudem moliatur aut deceptionem: & in totum deponatis veterem hominem cum actibus suis, pariterque cum suis assumatis nouum hominem, qui renouatur in agnitionem, dum in imaginem ac similitudinem creatoris sui restauratur vt iam non terrena sapiat, sed capiat cælestia. Vbi non est gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus &c. In illo quippe reparationis seu reformationis negotio, parum interest, ex quâ natione, ex quâ religione, ex quâ conditione quis sit, licet sit barbaris ipsis barbarior, ac Scythis tetrior, nihil refert: omnia quippe quæ noui sunt hominis, à Christo sunt, & omnibus assunt seu Græcorum seu Iudæorum generibus. Aut aliud dicit, (secundùm Chrysostomum) omnes vnus Christus facti estis cum sitis eius corpus. Si hunc solum habeas, eadem assequeris quæ alij qui habent: alia enim omnia sunt externa. Omnia sit nobis Christus, & auctoritas, & genus.

Chrysost. orat. 8.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersùs aliquem habet querelam; sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos &c. Sicut abiicienda sunt opera carnalis hominis, sic & opera spiritualis hominis exercenda. Intimum igitur assumite erga proximum misericordiæ affectum, comitatem, humilitatem, mansuetudinem, lenitatem ostendite: alij infirmitates aliorum sustinentes, alij aliis illatas remittentes iniurias: sicut & Christus offensas vobis condonauit, sic & vos aliis condonate, nec querimonias renouate. Ita decet sanctos & diuinâ præuentos gratiâ. Vt lucrum possint habere, ait Commentator Ambrosianus, ad hæc nos hortatur, quæ meritum collocant apud Deum: hæc enim quæ facienda nunc monet, ad profectum pertinent meritorum. Deponenda sunt scelera, sed merita reponenda. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in quâ & vocati estis in vno corpore, & grati estote &c. Super omnia autem illa, charitatem inquam omnium vestrûm vnitatem induite: vnit enim constringitque fideles omnes tam perfectè quàm & sanctè: si quid componendum resarciendumue, id reportet interna pax ac diuina, ad quam vocati estis, cum in vnam cooptati estis Ecclesiam. Hoc mementote, & de hoc gratias agitote perpetuas. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientiâ, docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo &c. Doctrina Christi radicem figat in cordibus

Comment. Ambros.

Fideles omnes charitate, tanquam vnitate vinciendi.

cordibus vestris, vosque faciat opulentos in perfectâ diuinarum rerum notitiâ: vt alij alios doceatis commoneatisque: simul exhortemini psallendo, canendo, sed cantica concinendo spiritalia: delectationemque spiritalem in animis vestris fouendo mysticis cantilenis. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Tandem præcipio ac commendo, vt quicquid agitis, propter gloriam facite diuinam, gratiasque Deo & patri per Dominum Christum agite. Si potum, inquit apud Athanas. si potum desumis, si peregrè aliquò proficisceris, cuncta in Dei nomine facito: hoc est, illum vt adsit inuoca, vt opem ferat. Omnia & verba & opera seu externa seu interna in Deum referenda sunt, sed virtute Christi & nomine in scopum dirigenda.

Athanas. in Psalum.

DISQVISITIONES *dogmaticæ in literam.*

ORDINE procedit Apostolus, seductores comprimit, fidelesque & in genere instruit & in specie. Suprà, ait Aquinas, monuit fideles contrà seducentes: hîc instruit eos contrà peruersitatem morum. Et primò, proponit generalem doctrinam: secundò, specialem. In doctrinâ verò generali: primò, scopum præstituit; secundò, constituit præceptum. Primò ergo de scopo: tum & de præcepto.

Aquin. lect. 1.

DISQVISITIO I.

De scopo.

TRia sunt Stoicis nobisque communia. Primum est quod tam Stoici quàm & Christiani tale discrimen philosophiam inter ac sapientiam constituant, quale inter quæstionem & acquisitionem sapientiæ. Dicam, ait Seneca, inter philosophiam & sapientiam quid intersit. Sapientia, perfectum bonum est mentis humanæ: philosophia, sapientiæ amor & affectatio. Siue, Assertio. Illa enim contendit, apprehendit ista. Ita Paulus: Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor. Ad scopum scilicet propositum, ad comprehendendam sapientiam. Sicut enim artes liberales conferunt ad philosophiam, quæ est earum domina: (ita Clemens Alexandrinus) sic ipsa philosophia ad sapientiam. Studemus sapientiæ comparandæ, nondum possidemus; contendimus, sed nondum peruenimus; ostensus est scopus, sed nondum apprehensus. Alterum, sapientiam huius æui non tam in fruendo quàm in proficiendo positam: fructus enim in omnium rerum humanarumque rerum scientiâ positus est; profectus, in curâ. Quem virum bonum dicam? (ait Seneca) Huius secundæ notæ: nam ille alter fortasse tanquam Phœnix semel anno quingentesimo nascitur. Ibi nusquam hîc nascitur, vbi semper proficitur. Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Semper aspirandum, quia semper ambulandum: sed nunquam absoluimus, quia nunquam perfectam attingimus sapientiam: quanquam enim omnes attingendi scopi capaces, nulli tamen contingunt, & eo solo perfecti nonnulli, quo accedunt, & eo magis perfecti quo magis accedunt. Ita Augustinus de Marcellino. Rescripsit mihi, inquit, se fuisse permotum quòd dixerim, fieri posse vt sit homo sine peccato, si voluntas eius non desit, ope adiuuante diuinâ; quamuis nemo tam perfectæ iustitiæ in hac vitâ vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. Tertium, duplicem esse doctrinam: dogmaticam scilicet & ac paræneticam: seu decretoriam & præceptoriam. Hoc, inquit Seneca, interest inter decreta philosophiæ & præcepta, quod inter elementa & membra. Hæc ex illis dependent: illa & horum causæ sunt, & omnium. Primò quippe decernendum est quid vitandum, quid & consectandum: tum & ad hortandum est, instandumque ostendit igitur Paulus quid verum quid rectum: nunc & animum acuit: & docendo mouet, & mouendo docet. Pars igitur ista suasoria ac commonitoria: quamuis enim nullus totam adipiscatur sapientiam, quiuis tamen ad illam vocatur, ideo semper progrediendum est procedendumque. In ipsis enim, vt & ille dixit, sapientiam sectantibus, magna discrimina esse, fateamur necesse est. Quibusdam enim mediocres profectus, aliis progressus ingentes. Idcircò hortandum instandumque, vt & quod cognitum, impleatur; & quod susceptum prouehatur.

Sen. epist. 89.

Philipp. cap. 3.

Clemens Alexand. lib. 1. Stromat.

Sen. epist. 42

Augustin. lib. 1. Retract. cap. 37.

Sen. epist. 95

Pars duplex philosophiæ dogmatica, & prænetica.

Sen. epist. 71.

Tria etiam Christianis certa, Stoicis imperuia. Primum est, Christum resurrexisse à mortuis, Christianumque pariter cum illo iam mente suscitatum, carneque suscitandum. Ita in Actibus, Stoici philosophi disserebant cum Paulo, dicebantque: nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. Alterum est, omnia iustorum perfectorum-ve opera gratiæ deputanda & cruci, non naturæ aut arti. Et in hoc maximè reprobi Stoici ac reprobandi, quod semper naturam crepant, ignorant gratiam. Quod inter omnes Stoicos conuenit, (ita Seneca) Rerum naturæ assentior. Ab illâ non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. Felicitas in scopum omnibus exposita, sed difficultas ad assequendum non minima. An eò ducet natura humana? an eò prouehet? Ita astruit Stoa concluditque. Beata est ergo vita, conueniens naturæ suæ. At illa dum beatam vitam petit, abscedit; & quo plus operæ impendit, hoc se magis impedit; quo plus properat, plus implicat. Quid enim infirmitati ac felicitati? Quid imo miseræ vitæ ac beatæ? Mera ista philologia est, imò philodoxia, torquendis potius ingeniis quàm excolendis nata, tamque beatæ vitæ, quàm veræ aduersa iustitię, in tantum autem veræ aduersa iustitiæ, in quantum gratiæ ignara Christianæ. Natura quidem humana, tam felicitatis æternæ capax, quàm & veræ rationis, sed neutrius efficax, nisi destinante prouidentia Dei, & operante Christi gratiâ.

Actuum. cap. 17.

Sen. lib. de vitâ beat. cap. 3.

In scopum adducimur, non ductante naturâ, sed iuuante gratia.

Augustin. lib. 1. de corrept. & grat. cap. 7.

gratiâ. Profectò enim, vt ait Augustinus, electi sunt per electionem gratiæ, quia gratia illis est omne meritum. Et illa quidem, cum erat integra, tam ex parte proprio, quam diuino munere, contendere poterat ac peruenire. Post casum autem hominis, ait ille, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo, hanc gratiam posuit in illo quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur; ac petit sicut operatur vt accedamus, sic operatur ne discedamus. Nunc ergo naturam attollere humanam, non est remedium afferre, sed augere vitium: scopum offerre, & brauium subtrahere. Quoniam de vitâ æternâ, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, (ita Augustinus) nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est si per terram: sed faciet nos perseuerare in se vsque in eius vitæ finem; cui quotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem. Tertium denique, post vniuersalem conflagrationem, manere generalem præmiorum ac suppliciorum distributionem. Stoæ quidem placet fieri ecpyrosin: sed Mundo resoluto, & Diis in vnum confusis. De cæteris tacet. Iam omnia confusa, & nulla iam fabula. Christiani verò innouationem expectant, & inde perfectam sperant immortalitem. Si igitur talia præcepta, qualia decreta; si talia membra qualia sunt elementa seu initiamenta; dum Stoici ex falsis principiis, falsiores deducunt conclusiones: Christiani ex fundamentis immotis, irrefragabiles paræneses instituunt.

Augustin. lib. de dono perseu. c. 7.

Augustin. eodem lib. cap. 12.

Sen. epist. 9.

Sic scopum proponit Apostolus, sic concludit propositum. Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Papè (exclamat Chrysostomus) Quò mentem nostram euexit. Quomodo eos magno impleuit spiritu? Non satis habuit dixisse, Quæ sursum sunt. Sed quid. In dexterâ Dei sedens. Illinc de cætero efficit vt terram non aspicias. Conclusio non Stoica, sed Christiana. Ratio etiam non humana, sed Apostolica. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. Illuc collimandum conspirandumque velut in scopum credentibus omnibus propositum, Christianis certum, ipsis inuium philosophis. Primò, ait Aquinas, instruit eos de habendâ rectâ intentione finis: vt & in finem principaliter intendant, & secundùm finem de aliis iudicent. Sit ordo in vobis: vt quia Christus est mortuus & resurrexit, & sic assumptus est à dextris Dei; ita, & vos moriamini peccato, vt postea viuatis vitâ iustitiæ, & sic assumamini ad gloriam. Deinde cum dicit, mortui enim estis: ponit rationem monitionis. Sunt enim peccato mortui, & velut sepulti in baptismo, vt vnà cum Christo resurgant, vitamque cum illo ducant beatam; promissam Christianis, philosophis incognitam. Vita, inquit, (apud Chrysostomum) non est hæc vestra. Est quædam alia vita. Sic viget vt eos transferat, & contendit ostendere eos sedere supernè, etiamsi sint mortui, ex vtrisque probans non esse quærenda quæ hîc sunt. Nam siue mortui estis, non debetis quærere: siue estis suprà, non debetis quærere. Neque apparet Christus, neque vita vestra. In Deo est apud superos. Quid ergo? quando viuemus? Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc gloriam quærite, tunc vitam, tunc delicias. Abscondita est, inquit, à vobis: quamobrem nunc non apparetis: tunc autem cum eo quoque apparebitis. Vide quomodo eos transfert in ipsum cœlum. Nam semper contendit ostendere eos eadem habere quæ Christus. Et per omnes suas epistolas hoc agit vt ostendat eos societatem & communionem habere in omnibus. Propterea & caput dicit & corpus: & omnia facit, vt hoc repræsentet & exhibeat. Tunc & vos, inquit, cum ipso apparebitis in gloriâ. In gloriâ dixit, non abs re nec inconsideratè. Nam & margarita est absconsa quandiu fuerit in ostreo. Siue ergo contumeliâ & probro afficiamur, ne doleamus: siue quoduis patiamur. Non est enim nostra vita, hæc vita: hospites enim & peregrini sumus. Mortui enim, inquit, estis. Quis adeò desipit, vt mortuo corpori sepulto aut seruos emat, aut domos ædificet, aut pretiosas vestes comparet. Nullus. Nec ergo nos. Sed sicut vnum solùm quærimus ne simus nudati: ita hîc quoque vnum quæramus. Sepultus est noster primus homo, sepultus est non in terrâ, sed in aquâ: non morte ipsum dissoluente, sed ipso qui mortem dissoluit; non lege naturæ, sed iussu fortiore, quàm sit & natura & dominium. Hac sepulturâ nihil est beatius, quâ omnes lætantur, & Angeli, & homines, & Dominus Angelorum. Huic sepulturæ non opus est vestibus, non loculo, nec vllâ re aliâ eiusmodi.

Chrysost. orat. 7.

Aquin. lect. 1.

Chrys. & orat. 7.

Mors mystica, vitæ morienti non comparatis.

DISQVISITIO II.

De præcepto.

PRæceptum dico, sed strictum volo: id est, non monitionem solummodo, sed iussionem intelligo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Primò igitur inquirendum, quale sit præceptum: secundò, quo iure subnixum: tertiò, quâ parte adimpletum.

Quoad primum. Non solùm reale præceptum est, sed & generale, imò generalissimum. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere. Nihil excipit. Omnia in nomine Domini Iesu Christi facite. Nihil non comprehendit. Nec enim seipso quisquam frui debet, (verba sunt Augustini) si liquidò aduertas, quia nec seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo, cum totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si ergo teipsum, non propter teipsum debes diligere, sed propter illum vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis diuinitùs constituta est, Diliges, inquit proximum sicut teipsum: Deum verò ex toto corde & ex totâ

Augustin. lib. 1. doct. Christ. c. 22.

totâ animâ & ex totâ mente, vt omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, Toto corde, totâ animâ, totâ mente: nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt aliâ re velit frui; sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Inde tot præcepta, & vnum nihilominus præceptum est. Quia, vti dixit Gregorius, omne mandatum de solâ dilectione est: & omnia vnum præceptum sunt: quicquid enim præcipitur, in solâ charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vnâ radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vnâ charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Multa quidem sunt opera, quia diuersa; sed omnia in vnum collecta, quia ab vno profecta; omnia ad vnum spirant, quia omnia dimanant ab vno. Non enim, vt dixit Augustinus, fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Hoc ergo Paulus, omne quodcumque facitis, inquit, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini facite. Si comedas, ait Chrysostomus, si bibas, in nomine Dei fac omnia. Vadis ad forum, fac idem. Secundùm Deum omnia dicite & agite. Nam si sic faciamus, nihil erit scelestum nihil immundum. Vbicumq; autem fuerit positum nomen Domini, omnia sunt fausta & felicia. Nihil tam vile, nihil tam contemptibile, quod in Deum ordinari non debeat, & per Christum sublenari. Vnde Apostolus, Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Cum enim finis præcepti omnis sit charitas, nihil prodest aliquid aut veri dicere, aut agere boni, nisi fiat diligendo, hoc est in Deum per Christum dirigendo. Cum enim Deus te taliter debeat amari, nihil non ad illum ordinari debet, nihil nisi propter illum licet vel cogitari, vel perpetrari. Si enim modus totalitatis referatur ad rem dilectam, (sita resoluit Aquinas) sic Deus est totaliter diligendus; quia totum quod ad Deum pertinet, homo diligere debet: si autem totalitas referatur ad diligentem, sic etiam Deus totaliter diligi debet, quia ex toto posse suo homo debet diligere Deum, & quicquid habet ad Dei amorem ordinare, secundùm illud Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quando igitur dicitur, Deum totaliter diligendum, intelligitur omnia vniuersaliter propter Deum dilectum facienda: cum enim dilectio sit quasi medium, seu vinculum vniens coniungensue amantem & amatum: aut extra tenorem fiunt, cum non fiunt secundùm Deum, aut in Deum sunt per amorem reducenda.

Præcepta omnia in vno solo solidata.

Gregorius Homil. in Euang.

Augustin. lib. de spi. & lit. cap. 14.

Chrysost. orat. 9.

Omnia in Deum per Christum reducenda.

Aquin. 22. quæst. 27. art. 5. in corp.

Quoad secundum. Duo sunt in præcepto: res, & modus: res, omnia in gloriam Dei facere: modus, omnia per Christi gratiam reducere. Duo igitur in hoc negotio distinguenda sunt ac secernenda: Deus, & Christus. Et quidem quoad Christum, diuini quidem iuris est, sed positiui; ideoque non omnes constringit, sed solos fideles, seu gratiæ Christianæ conscios. Quoad Deum verò, iuris etiam diuini est, sed innati, ideoque omnes inuoluit homines, non solos Christianos, sed quoscumque rationis capaces, seu mentis compotes.

Non solùm, ait Laurentius Iustinianus, quæ ad proximum, & quæ ad seipsum, sed etiam quæ ad Deum virtutes ordinant, comprehendit iustitia, scilicet latriam, pietatem, & obedientiam. Latria enim est cultus Deo debitus & exhibitus, vel voluntas impendendi Deo cultum debitum. Triplex verò est cultus Deo debitus, scilicet cordis, oris, & operis. Cultus autem cordis in duobus consistit, in cognitione Dei, & in affectione cum debitâ subiectione. Cognitio autem ad cultum Dei pertinens est credulitas, quâ credit anima Deo sicut credendum est. Affectionum autem ad cultum Dei pertinentium vna est timor, non qualiscumque timor, sed quali timendus ille est, cuius potentiæ nullus potest resistere. Alia est amor, & non qualiscumque, sed quali amandus est, qui optimus est in se, & ideò omni amore dignissimus; qui etiam est fons omnium bonorum, à quo suscepimus omnia bona quæ habemus, & quæ habuimus, à quo nos suscepturos speramus, quicquid boni suscepturi sumus. Quisquis ergo est, qui se, qui iustitiam & Dei cultum desiderat, Deum timeat & amet, vt ab eo ametur. Ad fundandam igitur seu generalem omnium iustitiam, seu specialem obseruantiam mandatorum, præcipitur præmittiturque in iure naturali, seu lege morali, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: quia nihil benè fit, si non fit ex amore, ideò & vanè fit. Vidit hoc Ecclesia, ait Augustinus, quod dicit in Psalmo, omnis consummationis vidi finem. Quid est, omnis consummationis vidi finem? Consummationis perfectionis, non consumptionis: vidi finem perfectionis, non abolitionis. Quis est iste finis? Latum mandatum tuum valde. Finis enim præcepti est charitas de corde puro. Finis quo perficimur, non quo consumimur. Iste finis latus est, quia mandatum Dei est, de quo dictum est, Latum mandatum tuum valde. Mandatum nouum do vobis. Vide latitudinem mandati huius. Vbi latum est? nunquid in carne? In corde potius. Nam si & in carne latum esset, auditores studiosi angustias non pateremini. In corde latum est. Audi Apostolum, Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris. Non dixit, inclusa, quod angustias sonat: sed diffusa, quod latitudinem insinuat. Latum mandatum charitatis, ideoque dilatatum cordis domicilium. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meũ. O vera confessio, (exclamat Laurentius Iustinianus) & prædicanda cognitio, quæ ignorat vsurpare alienam gloriam, & se extollere suprà mensuram. Nemo aliunde præsumat, quàm ab æterno charitatis fonte, nullus sibi arroget, quod potest. Hæc vna omnium diligentium Deum sententia. Omnes dicant Domino, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Quis potest enim mandatum sine charitate perficere, & quis potest legem absque cordis dilatione complere? Nemo absque te (Domine) potest hoc, sed neque bonum cogitare.

Laurent. Iustin. Tract. de iustit. cap. 5.

Cultus Deo debitus in timore & amore constitutus.

Augustin. serm. 36. ex nouis vlt. med.

Laurent. Iustin. Tract. de charit. cap. 1.

Quoad tertium. Impletur præceptum, cum Christianè viuitur, cum affectu mentis & cordis impetu in Deum per Christum sollicitè tenditur. Intentio, ait Augustinus, dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis Christus?

Augustin. Enarrat. in Psal. 54. à princip.

Quoniam quicquid agimus, ad illum referimus: A & cum ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus non habebimus. Finis noster perfectio nostra esse debet, perfectio nostra Christus est. In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus. Et dictus est finis legis, quia sine illo nemo perficit legem. Pondus quippe à naturâ, sed opus à gratiâ. Ars est artium ars amoris, ait Bernardus, cuius magisterium ipsa sibi retinuit natura, & Deus auctor naturæ; ipse enim amor à creatore inditus, nisi naturalis eius ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus præpedita fuerit, ipse inquam se docet, sed docibiles sui, docibiles Dei. Est quippe amor vis B animæ naturali quodam pondere, ferens eam in locum vel finem suum. Omnis enim creatura siue spiritualis siue corporea, & certum habet locum quo naturaliter fertur, & naturale quoddam pondus quo fertur: pondus enim non semper fert ad ima, ignem sursum, aquam deorsum sic & de cæteris. Nam & hominem agit pondus suum naturaliter spiritum ferens sursum, corpus deorsum, vnumquodque in locum vel finem suum. Sed cum nihil à naturæ suæ tramite aberret, sola misera anima, & degenere spiritus cum per se naturaliter contendat, peccati vitio corrupta nescit ad suum redire princi- C pium. Naturali quidem pondere suo semper eò impellitur, cum beatitudinem desiderat, beatitudinem somniat, aberrat à naturali intentione suâ, ideoque iam opus habet doctore: Beatus enim ille & non alius, cuius Dominus Deus eius. Inde igitur procedendum, & cum illo dicendum. Recedat ab animâ meâ omnis iniustitia, vt te diligam Dominum Deum meum ex totâ animâ meâ, & ex omnibus viribus meis: recedat omnis zelotypia ne tecum aliquid amem quod propter te non amem. Tu enim verè solus es Dominus cuius dominari super nos, hoc est saluare nos: nostrum verò seruire tibi, nihil aliud est quàm à te saluari: quæ enim salus tua D ô Domine cuius est salus nisi quod à te accepimus vt amemus te vel amemur à te. Idcircò Domine filium dexteræ tuæ hominem quem confirmasti tibi, Iesum, id est, saluatorem appellari voluisti. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, & non est alius in quo salus, qui docuit nos amare se, cum vsque ad mortem crucis prior ipse dilexit nos, & lauit nos amando & diligendo: suscitans vt amemus eum qui prior vsque in finem dilexit nos: hæc est iustitia filiorum hominum. Hoc igitur iustum, hoc & legitimum creaturæ rationalis, seu naturæ intellectualis officium, vt in Deum creditum speratum, amatum omnia referat, & opera & verba, vt præ omnibus ipsum & in omnibus diligat: sed id iam exequi non potest aut assequi, nisi virtute Christi, nisi in nomine Domini, gratiâ scilicet à Christo Domino indultâ. Omne quodcumque facitis in verba aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, facite. Gratias agentes Deo & patri per ipsum. A quo scilicet nobis omnia bona proueniunt, & per quem ad principium suum redeunt. Itaque, si quæritis, quærite. Quæritis enim beatitudinem, aut potius fingitis beatitudinem; quia nec in eâ re, nec in eâ regione, nec eâ virtute quæritis, quâ quærenda est & inuenienda: sicque non tam felicitatem aut scopum attingitis, quàm diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Suspiratis patriam, & viam ignoratis: beatitudinem contingere præsumitis, & nescitis in vrbem pergere.

Bernard. lib. de nat. & dig. am. diu. cap. 1.

Pôdus amoris à natura, opus à gratiâ.

Bernard. lib. de amo. Dei cap. 6.

TROPOLOGIA.

Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram.

Valida illa consequentia. Mortui enim estis. Deberis esse mortui rebus omnibus terrenis, omnibus malis operibus, & dictis & factis. Mortificate ergo membra vestra. En mortificatio omnibus indicta fidelibus. Induentes eum qui renouatur in agnitionem. En omnibus promissa innouatio. Vbi non est gentilis & Iudæus. En omnibus proposita perfectio.

Quoad mortificationem. Audiistis Apostolum dicentem, si consurrexistis cum Christo. Quomodo resurgimus, qui nondum mortui sumus? (verba sunt Augustini) Quid est ergo quod voluit dicere Apostolus, Si consurrexistis cum Christo? Numquid ille resurrexisset, nisi priùs mortuus fuisset? viuentibus loquebatur, nondum morientibus, & iam resurgentibus. Ipse dicit Apostolus, non ego: sed tamen verum dicit: & ideò dico & ego. Si benè viuimus, mortui sumus, & resureximus. Qui autem nondum mortuus est, nec resurexit, malè adhuc viuit. Et si malè viuit, non viuit: moriatur. Quid est, moriatur, ne moriatur? Mutetur, ne damnetur. Qui nondum mortuus est, dico vt moriatur; & qui adhuc malè viuit, dico vt mutetur. Si enim malè viuebat, & iã malè nõ viuit, resurrexit. Rectè igitur Apostolus, Mortificate (ait) ergo membra vestra, membra quæ sunt super terram. Nam, vt resumit August. Quid est, benè viuere? Quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram. Quamdiu terra es, in terram ibis. Quamdiu lingis terram? Amando terram, lingis vtique terram, & efficeris eius inimicus, de quo dicit Psalmus, Et inimici eius terram lingent. Quid erratis filij hominum, qui estis filij Dei? Quid quæritis mendacium? Quod mendacium quæritis? Mundum. Omnes vultis beatè viuere: sed vnde homo beatè viuat non vultis quærere. Quare vis esse in isto seculo sublimatus? Quia honore hominum & pompâ seculi putas te beatum futurum: sed pompa seculi non te facit beatum. Quare quæris mendacium? Et quicquid hic aliud quæris cum seculariter quæris, cum amando terram quæris, cum lingendo terram quæris, propterea quæris vt sis beatus. Sed nulla res terrena te beatum facit. Quare non cessas quærendo mendacium? Non ait Apostolus, Mactate corpora vestra; sed, Mortificate membra vestra; non quæ data sunt aut facta per naturam, sed quæ infecta & contaminata super terram. Dicit ergo, (apud Aquinatem) Non debetis sapere quæ sunt super terram: sed mortificare quicquid terrenum. Mortui enim estis, scilicet terrenæ conuersationi. Quomodo? Et respondens dicit, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. In tantum enim morimur culpæ, in quantum mortificamur per gratiam.

Augustin. serm 141. de temp. cap. 3.

August'n. eodem serm. cap. 4.

Membra non per naturam mala, sed per concupiscentiam.

Aquin. lect. 1.

Vita

Vita enim gratiæ reparat nos quantum ad mentem, non totaliter quantum ad corpus propter fomitem. Qui ergo mortui estis quantum ad mentem, mortificare concupiscentiam in membris quæ sunt super terram, in quantum sunt super terram, & terrena corpora. Et ideò ponit peccata in speciali: fornicationem, immunditiam, libidinem. Sicut multa sunt membra quæ corpus exstruunt humanum, cui multa necessaria sunt officia: sic & multa sunt mala quæ exstruunt corpus peccatorum cui omnia addicta sunt vitia: sicut enim Christianæ virtutes gratiæ seruiunt, sic & libidines malæ seruiunt concupiscentiæ. Audistis, inquit, Chrysostomus, quid exclamarit Paulus; Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam libidinem, concupiscentiam malam; & auaritiam quæ est idolorum seruitus. Videtis vbinam malum desinat? Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram: super terram ipsa vocat peccata: fornicationem, immunditiam, inquit: libidinem, concupiscentiam malam: Ecce totum dixit in genere. Nihil iam sapere debetis terrenum, aut immundum; sed quæ sursum sunt quærere piè ac Christianè viuere: mortui enim estis cum Christo, & cum illo resurrexistis, vt in cœlum conscenderetis, & ipsum repereretis principium. Vitia igitur omnia perimenda sunt, & ipsa etiam elidenda concupiscentiæ malæ desideria.

Chrysost. orat. 8.

Quoad innouationem. Mortificatur Christianus, vt viuat; exspoliatur veteri homine, vt nouum induat: à terrenis mundanisque reuocatur, vt sese attollat in cœlum & in Deum assurgat. Cum igitur, (ita Ambrosius) firmissimam hanc spem habeamus, sicut exhibuimus membra famulari immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus ea obedire iustitiæ in sanctificationem vitæ, vt in nouitate vitæ ambulantes, vitâ Domini Iesu manifestetur in carne nostrâ mortali propter spiritum eius habitantem in nobis: & resurgentes à mortuis, in eius imaginem à claritate in claritatem transformemur. Iustum est enim, & verè iustum, vt qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferimus, vita quoque eius in corpore nostro manifestetur: spoliantes nos, sicut dicit Apostolus, veterem hominem cum actibus suis: erroris nempe tunicam, ac peccati pallium non requiramus, sed nouum, qui Christus est, induamus hominem. Desinamus esse mundani, incipiamus esse sancti. Sunt enim, (ait ille) mollia indumenta deliciosi actus & mores. Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt. Quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Non hîc Domino de vestibus sermo: quamquam plerosque mollioris cura vestis effœminet, qui quasi lanæ onus ferre non possint, sericas vestes tectis per terram verrunt vestigiis, vsque faciunt vt amictus oneri sit. Sed tamen alia videtur hîc indumenta signare, & nisi fallor, humana corpora, quibus anima nostra vestitur. Totus igitur hic locus exemplo nos prophetico ad virtutem subeundæ passionis hortatur. Denique & Ioseph tunica ad speciem Domini corporis cruentata est. Propter quod nos hortatur Apostolus, vt expoliantes veterem hominem cum actibus eius, induamus nouum; in quo non dulcis illecebra sit ludusque lasciuiæ, sed vsus laboris & fructus; eo quòd tenerâ corporis curâ, luxuque, & lasciuiarum cupiditate mollitos, nequaquam cœlestis aula suscipiat, ad quam duris laboriosæ gradibus virtutis ascenditur. Hi verò quibus fluida deliciis membra soluuntur, regni cœlestis extorres, intra mundi huius habitacula consenescunt. Vult ergo Apostolus, vt homines iam non sint homines; sed filij Dei, tantumque in sanctitate proficiant, tantum crescant in virtute, quantum vetustatis exuerint infirmitatisque. Non enim, vt aduertit Augustinus, ex qua horâ quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et inquantum quisque spiritalia sapit, qui iam sapit intantum renouatur. Cætera verò in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, vsque ad ipsius corporis renouationem in meliorem statum immortalitatis & incorruptionis, quâ induemur in resurrectione mortuorum. Nam & ipsam Dominus regenerationem vocat, non vtique talem qualis fit per baptismum, sed in quâ etiam in corpore perficietur quod nunc in spiritu inchoatur. Nam in baptismo quamuis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, sed in ipso animo qui est homo interior, non diceret Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus. Intrinsecus ergo exuimus veterem hominem, & induimus nouum; quoniam ibi deponimus mendacium & loquimur veritatem, & cætera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem & indui nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis.

Ambros. Tract. in sym. Apost. cap. 16.

Ambros. lib. 5. in Luc. vers. finem.

Augustin. lib. 2. de pec. meo, & rem. cap. 7.

Renouatio incipit in hoc mundo, definit in futuro.

Quoad perfectionem. Discrimen adimit Apostolus, cum ait: Vbi non est gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus tamen & speciem præstituit, cum addit. Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Omnibus quidem dicitur, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Nulli enim hominum, maximè Christianorum licet fornicari, nulli licet immunditiam, malámue sectari concupiscentiam: nulli in furorem indignationemque efferuescere, nulli turpem proferre sermonem. Mortificanda sunt ista suffocandaque. Cœpit aliquis, ait Augustinus, timere diem iudicij: si cœpit credere, cœpit & timere: timendo corrigit se: incipit reuiuiscere interiùs, & mortificare membra sua quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Spiritalia nequitiæ dicit membra super terram: nam sequitur & exponit: Auaritiam, immunditiam, & cætera quæ illic exequitur. Quantum autem mortificat iste qui timere cœpit membra sua super terram, tantum surgunt & corroborantur membra cœlestia. Membra autem cœlestia, omnia opera bona. Inde & omnibus dicitur,

Augustin. Tract. 9. in epist. Ioan. post. init.

dicitur, Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius qui creauit illum. Sicut enim membra terrena deprimunt hominem, sic & opera bona cœlestem efficiunt: sicut illa distrahunt à Deo, sic & ista Deo reddunt. Eis certè loquitur, ait ille, qui consurrexerant cum Christo, nondum vtique carne, sed mente; quos mortuos dicit, & magis hinc viuos. Nam vita vestra, inquit, abscondita est cum Christo in Deo. Talium mortuorum vox est: viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Quod fit si efficaciter audiamus ipso adiuuante, qui hoc per Apostolum suum præcipit: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Nunc autem & vos deponite vniuersa. Quid est ergo quod ei non sufficit dicere, deponite vos vniuersa; sed addita coniunctione, dixit, & vos? Nisi ne propterea se putarent hæc mala facere, atque impunè in eis viuere, quia fides eorum liberaret eos ab irâ quæ venit in filios infidelitatis ista facientes, & in his sine fide viuentes. Omnibus ergo omninò fidelibus hæc dicta sunt & indicta: omnes pristinis exspoliari debent vitiis, omnes in diuinam renouari imaginem, id est, omnes perfectam debent æmulari sanctitatem, seu diuinam perfectionem imitari. Ibi non est masculus nec fœmina. Ecce, inquit Chrysostomus, nec gentis, nec auctoritatis, neque maiorum ingreditur discrimen cum nihil habeat externum, neque his opus habeat. Si qui tamen de conditione suâ excipiant aut dignitate, & Christianam perfectionem in alienam professionem reiiciant. Ostendit, ait ille, facilitatem virtutis, vt & eam perpetuo habeant, & vt tanquam maximo vtantur ornamento. Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ. Fuerunt enim sancti, sed non electi. Non dixit misericordiam, sed cum maiori emphasi, viscera misericordiæ. Non enim quæritur multane dederis, sed num minùs dederis quàm ferant facultates: hoc enim est ludentis. Quid ergo mulieres, (pudet quidem, sed tamen necesse est dicere) matulas facientes argenteas? Oportet vos pudere, quæ hæc facitis. Christo esuriente tu ita indulges deliciis, imò ita desipis? Qui modò sunt illi, qui aut conditionem suam caussari possunt, aut aduersùs Christianam perfectionem cauillari? Si enim diuites sunt, indigentibus eleemosynas donare possunt; si pauperes, possunt saltem iniurias & offensas delinquentibus condonare. Æmulentur munificentiam patris cœlestis, Christi Domini imitentur misericordiam. Hoc ex tanto præstent exemplo: hoc est, dent ex animo.

Augustin. lib. de Contin. cap. 13. & 14.

Chrysost. orat. 8.

Nulla excusationis caussa in perfectionis materiâ.

Chrysost. orat. 7.

ANAGOGIA.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris.

EX Græco, seu iuxta Græca Chrysostomus. Pax Dei præmium distribuat in cordibus vestris. Et quidem parùm interest siue dicatur pax Dei, siue pax Christi, cum vtrobique eadem pax intelligatur; vera scilicet ac certa, quæ à Deo per Christum datur. Sed tria dicenda sunt: exultatio, adiudicatio, eructatio.

Quoad primum. Pax illa Christi est, non mundi; non ex cupiditate, quæ trophæum vincenti relinquit; sed ex charitate, quæ Deum amatum vnit diligenti: idcircò non politicorum est, sed perfectorum. Vnumquodque enim, vti dixit Aquinas, perfectum est, quando adhæret fini vltimo, scilicet Deo, quod facit charitas. Ideò dicit Paulus, Super omnia autem hæc charitatem habete, est enim super omnia alia, quia est finis omnium virtutum. Deinde cum dicit, Et pax Christi exultet in cordibus vestris, mouet ad actus charitatis. Exultet, inquit, quia charitatis effectus est gaudium quod sequitur ex pace: sicut ex charitate oritur pax: qui enim aliquem diligit, concordat cum eo in voluntate. Sic est vinculum, quia per omnes virtutes homo perficitur, sed charitas connectit eas ad inuicem secundùm glossam: sed ex naturâ suâ est vinculum, quia est amor, qui est vniens amatum amanti. Si charitatem habueritis perfectam, pacem habebitis diuinam; si pacem habueritis Dei, exultabitis dilatatione animi, & profusione gaudij. Sursum prorumpes, & in Deum assurges, vt dilecto sociari possis, & ab ipso reformari. Qui enim conuertuntur ad Dominum ab eâ deformitate, (verba sunt Augustini) quâ per cupiditates seculares conformabantur huic seculo, reformantur ex illo, audientes Apostolum dicentem: nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ, vt incipiat illa imago ab illo reformari, à quo formata est. Non enim reformare seipsam potest, sicut potuit deformare. Dicit etiam alibi, Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, eum qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis. Quod ait secundùm Deum creatum, hoc alio loco dicitur, ad imaginem Dei. Sed peccando iustitiam & sanctitatem veritatis amisit, propter quod hæc imago deformis & decolor facta est, hanc recipit cum reformatur & renouatur. Quod autem ait, Spiritu mentis vestræ: non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis; sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est: spiritum mentis voluit dicere eum spiritum, quæ mens vocatur. Sicut ait etiam idem Apostolus, In expoliatione corporis carnis, non duas vtique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis: sed quia corpus multorum rerum nomen est, quarum vna, caro est; corpus carnis dixit, corpus quod caro est. Sic itaque spiritum mentis eum spiritum quæ mens est, alibi quoque apertiùs etiam imaginem nominauit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens, Induite, inquit, nouum hominem, qui agnitione Dei secundùm imaginem eius qui creauit eum. Quod ergo ibi legitur, Induite nouum hominem qui secundùm Deum creatus est: hoc in isto loco, Induite nouum hominem, qui renouatur secundùm imaginem eius qui creauit eum. Ibi autem ait secundùm Deum: hic verò, secundùm imaginem eius creauit eum. Pro eo quod ibi posuit, In iustitiâ & sanctitate veritatis; posuit hic, In agnitione Dei. Fit ergo ista renouatio reformatioque mentis secundùm Deum, vel secundùm imaginem Dei: vt in eâ re intelligatur fieri hæc renouatio, vbi est imago Dei,

Aquin. Lect. 3.

Augustin. lib. 14. de Trinit. c. 16.

Renouatio est imaginis seu mentis reformatio.

Dei, id est in mente. Non alia quidem est imago, secundùm quam renouatur homo: sed alia & alia est renouatio. Prima quidem quæ fit in baptismo per remissionem peccatorum: altera quæ indefesso fit studio per acquisitionem virtutum: vltima in extremo iudicio per resurrectionem corporum. Ideò exultat anima sancta, vt videat diem istum, spiritalemque profectum, imò perfectam Dei similitudinem per visionem Dei perfectam compleat. Nos certè, ait ille, quod nemo Christianus ambigit, & anima & corpore mortui sumus, animâ propter peccatum corpore propter pœnam peccati, ac per hoc & corpore propter peccatum. Vtique ergo rei nostræ, id est, animæ & corpori, medicinâ & resurrectione opus, vt in melius renouaretur, quod erat in deterius commutatum. Dum corrumpitur homo exterior, interior perficitur in animo: sed ille in momento reparabitur per resurrectionem, iste continuò reformatur per innouationem. Primò enim, dempto peccati telo, causa remouetur languoris; tum & iniecto cupiditatis frœno, materia virtutis augetur alligaturâ vulneris, donec tota persanetur anima, & per gratiam Christi renouetur in Dei gloriam.

Augustin. lib.4. de Trinit. cap. 3.

Quoad secundum. Habitat anima Christiana cum habitantibus Cedar: sed cum his qui oderunt pacem, debet esse pacifica. Pax Dei, ait Chrysostomus, ea est quæ est firma & stabilis. Si propter hominem quidem pacem habeas, ea citò dissoluitur. Sin autem propter Deum, non itidem. Quid est ergo, pax Dei prœmium distribuat in cordibus vestris. Sicut Deus vobiscum fecit pacem, ita vos quoque facite. Si pugnent duæ cogitationes, ne statuas iram aut violentiam tenere brauium, sed pacem. Vt sit quispiam iniustè affectus contumeliâ. A contumeliâ enatæ sunt duæ cogitationes: vna quidem iubens vlcisci, altera verò tolerare: & inter se luctantur. Si steterit pax Dei prœmium distribuens, dat prœmium ei qui iubet tolerare: persuadens Deum esse pacem, & pacem nobiscum fecisse. Ne ita, inquit, prœmium distribuat, non contentio, non pax humana. Stadium intus fecit in cogitationibus, certamenque & prœmij distributorem. Pax Dei, in quâ, hoc est, propter quam vocati estis. Rectè denique addidit, Et grati estote. Domino cedat, pro omnibus gratias agat, seu contumeliâ affecerit quispiam, seu percusserit. Qui enim Deo agit gratias pro iis quæ passus est, non eum qui fecit vlciscetur. Qui nos fecit luctatores, non fecit inuulnerabiles: imò nos in mediis constituit periculis, sed admonuit in ipso discrimine, in ipso certamine, flammam extinguere vindictæ, palmam adiudicare misericordiæ. Etsi enim, vt Augustinus dixit, ex ipsâ humanâ conditione & infirmitate mortalitatis quam portamus surrepit ira Christiano, non debet diu teneri & fieri pridiana. Eiice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux ista inuisibilis. Cum cœperit in homine habitare per fidem, non tantum in te valeat iracundia quæ in te nascitur, vt occidat super iracundiam tuam: id est deserat Christus mentem tuam, quia non vult Christus habitare cum iracundiâ tuâ. Videtur enim quasi ipse à te occidere, cum tu ab ipso occidas! quia ita cum inueterauerit,

Chrysost. orat. 8.

Augustin. Enar. 1. Psal. 25. cit. med.

A odium fit; cum factum fuerit odium, iam homicida es. Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est, sicut dicit Ioannes Apostolus. Item ipse dicit, quia omnis qui odit fratrem suum, in tenebris manet. Et non mirum si ille in tenebris manet, à quo occidit sol. Non solùm cohibendâ est ira, sed & in totum extinguenda. Parùm est vindictam remittere, Christianus si perfectus, imò si bonus est, debet in totum dimittere; debet enim studere paci, iuri etiam suo cedere, stare semper pro clementiâ, pro pacis ac reconciliationis decertare victoriâ. Propterea oramus, (verba Chrysostomi) & dici-

Chrysost. orat. 3.

B mus petentes Angelum pacis, & semper pacem petimus. In Ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpè eam dat is qui præest Ecclesiæ, dicens, pax vobis. Propterea Christus quoque Apostolis domos ingredientibus hoc iussit statim dicere, pax vobis, tanquam aliquod bonorum symbolum: nam si ea non sit, omnia sunt superuacanea. Sic cum ingressus fuerit is qui præest Ecclesiæ, statim dicit, pax omnibus. Quando sermonem, facit ac concionatur, pax omnibus. Quando benedicit, pax omnibus. Quando iubet salutare, pax omnibus. Quando peractum fuerit sacrificium, pax omnibus. Dicis, Et cum spiritu

Mysteriâ nunc in figuris ac verbis indicata.

C tuo. Hei mihi, Quæ sunt Ecclesiæ honesta ac veneranda, facta sunt figuræ tantùm rerum, sed non aliqua veritas. Hei mihi, vsque ad verba manent symbola horum castrorum.

Quoad tertium. Ex abundantiâ cordis, os loquitur. Idcircò Paulus: Verbum, inquit Christi habitet in vobis, in omni sapientiâ, docentes & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo. Quid est, Verbum Christi, nisi fons sapientiæ. Non solùm ergo deriuet in vos, sed & in vobis habitet; nec modicè tantùm fluat, sed & copiosè confluat: nec in communi duntaxat scientiâ, sed & in omni

Aquin. lect. 3.

D sapientiâ. Id est, vt exponit Aquinas, in omnibus pertinentibus ad Christi sapientiam. Non solùm sapientiâ donati Christianâ, sed & cumulati; vndantes abundantesque; vt sicut de plenitudine Christi accipitis, sic & de animi plenitudine eructetis in hymnos, psalmos, & cantica spiritualia, non solùm donorum copiam, sed & promissorum lætitiam testantia. Ita psaltes, Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Quis dicit, ait Augustinus, pater, an propheta? Quid est enim dico? Verbum profero. Tu dicis aliquid modo: & cum pro-

Augustin. Enarrat. in Psal. 44. post init.

E ferre cœperis, rumpis silentium quodammodo, & generas verbum quod antea non erat. Sed dicere Dei, æternum est. Vnde eructat Deus? ex copiâ suâ: ex intimo suo, sed fœcundissimo: sed vnicum eructat verbum, quia semel tantùm per ineffabilem quandam natiuitatem æternum promanat verbum, semel generat pater: semel dicit, & idipsum non repetit. Semel dicitur, ait ille, & non finitur: & ipsum semel sine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non transit quod semel dicitur. Vnde eructat Propheta? ex abundantiâ suâ, & corde suo, ex fonte pleno: sed quia diffluunt verba transeuntque, idcircò repetit, linguamque nunc in hymnos resoluit suam, nunc in psalmos, nunc in cantica spiritalia: nunc ignaros docendo, nunc frigidos com-

Augustin. Ibidem.

Chryſoſt. orat. 9.

monendo. Non ſolum dixit, (ita Chryſoſtomus) Verbum Christi, hoc eſt doctrina, habitet in vobis; ſed etiam, cum magnâ abundantiâ. Audite quicumque eſtis mundani, & vxori præeſtis & liberis, quomodo vobis quoque maximè mandet legere ſcripturas; & non leuiter, nec temerè, ſed magno ſtudio ac diligentiâ: Cui planè eſt perſuaſum nihil eſſe res humanas, & eis eſt affixus, tanquam eæ ſint immortales? Satanica cantica, & ſaltationes veſtri diligunt pueri: nemo autem nouit Pſalmum; ſed res videtur eſſe pudenda, ridicula, & ſubſannanda. Oportet vos à nobis ſolùm diſcere: vxores autem à vobis: filios à vobis: doce illos canere Pſalmos plenos omni philoſophiâ. Docentes, inquit, & commonentes voſmetipſos in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Nam quoniam lectio eſt A laborioſa & valde moleſta & grauis, non deduxit ad hiſtorias, ſed ad Pſalmos, vt ſimul & animum oblectes canēs, & furtim ſubducas à laboribus. Quis ſit hymnus supernorũ, ſciunt fideles. Quid ſupernè dicant Cherubin. Quid dicerent Angeli. Gloria in excelſis Deo. Propterea poſt Pſalmodias hymni, vtpote res quædam diuinior. In Pſalmis, inquit, & canticis ſpiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris Deo. A gratiâ, inquit, Spiritûs ſancti cantantes in cordibus veſtris Deo. Non ſolùm, inquit, ore, ſed cum attentione. Hoc enim eſt Deo canere, illud verò aëri. Non ad oſtentationem. Etiamſi ſis in foro, potes teipſum conuertere, & Deo canere nemine audiente. Hoc eſt in gratiâ Deo cantare, non in laſciuiâ vel auaritiâ miniſtrare ſeculo.


Anima Chriſtiana Deo fœta, Pſalmo aſſueta canendo.



PARS SECVNDA.

De domeſticis.

TEXTVS.



MVLIERES ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino. Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſeruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

EXEGESIS LITERALIS.



VXORES & maritos, parentes & filios: quin & ſeruos, inſtituit: dominos verò ſimul coniungit: non enim tam tranſtulit eos, quàm diſtulit.

Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino &c. Ex Græco, Viris propriis. Vxores igitur viris ſuis pareant quidem ac placeant, ſed iuxtà Chriſti legem, iuxtà Dei voluntatem. Oportet enim ſubiici, ſed decet piè ac Chriſtianè ſubiici. In Domino autem, hoc eſt, propter Dominum vos ipſas ſubiicite. Non enim naturalem modò ſubiectionem illam exegerim: id namque prætendit, cum vt oportet, inquit: ſed Dei gratiâ, vt vos iure obſequentiores præſtetis. Ita Commentator Athanaſius. Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas &c. Mulierum ſubiectio eſt, virorum dilectio: vt ſicut illæ parent ex pietate, ſic & iſti cum auſteritate non imperent: nam imperium honeſto leniendum titulo. Quandiu locus erit amori, tandiu erit dulcedini; nec vlla ſubrepet amarulentia, B quandiu incœpta ſubſiſtet beneuolentia. Diligere quidem eſt virorum, ait Chryſoſtomus, mulierum verò cedere. Aliâs facilè ac periculosè intercipitur amor, dum dolor exoritur, & in pugnas acerbas, & iurgia conuertitur domeſtica. Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino &c. Filij, obedite parentibus, in omnibus quæ Chriſtianam pietatem ſapiunt, & paternam non excedunt poteſtatem: hoc enim gratum eſt Deo, acceptumque. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant &c. Patres, nolite nimiâ ſeueritate exaſperare filios veſtros, C nolite eos irritare intempeſtiuâ moroſitate; ne in indignationem veniant, & concipiant deſperationem. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum &c. Serui obedite iis qui ſecundùm carnem ſeu rem temporalem Domini ſunt, in omnibus quæ vobis imperant, dum herilem non ſuperant poteſtatem. Ne ocularem exhibeatis ſeruitutem, velut qui hominibus placere ſtudeatis; ſed ſimplicem, innocentem, ſine fuco

Comment. Athanaſ.

Chryſoſt. orat. 10.

Serui Deum metuant, & ipſum velut teſtem ac iudicem proſpiciant.

fuco ac dolo, quasi qui Deum metuant, & ipsum in omnibus actibus testem ac iudicem prospiciant.

Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis &c. Reddite obsequia vestra, tam libenter quàm & alacriter, perinde ac si seruiretis Christo & non hominibus: & scitote, quod si modicam recipitis mercedem ab hominibus, hæreditatem nullam; eximiam tamen à Domino mercedem refereris non seruorum iam sed filiorum, æternam scilicet hæreditatē. Vt promptos illos in obsequio & fide faciat, ait Ambros. mercedem illorum bonorum operum accepturos promittit à Deo in regno Christi. Quod vt probatum sit & acceptum, sic illos vult obsequi sicut Domino, à quo mercedem expectant. Non lucrum exiguum, sed lucrum æternum. Domino Christo seruite &c. Sic ergo ministretis, vt non tam hominum specteris carnalium potestatem, quàm Christi Domini voluntatem. Ex Græcis: Nam Domino Christo seruitis. Quidni recipiatis hæreditatem, cum pie seruientes, & obsequentes Christianè, faciatis Christi Domini voluntatem. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum &c. Non solùm mercedem impensi recipietis obsequij, sed & vltionem illatæ refereris iniuriæ. Quisquis enim quemuis læserit iniustè aut indignè tractauerit, quantumuis magnus eximiusque, pœnam reportabit iniustitiæ suæ debitam: non enim personas respicit Deus, vt iniurias dissimulet; sed merita expendit, vt vnumquemque iuxtà opera remuneret. Remouet dubitationem (ait Aquinas) posset enim dicere seruus. Quomodo seruiam ei, qui facit mihi iniuriam: Et ideo dicit, Non est tuum vt vindices te, subtrahendo ei quod suum est: sed experta ab eo qui potest. Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

Ambros. in Paulum.

Serui Christiani in regnum æternum tralati.

Aquin. lect. 4.



INSTITVTIONES *Apostolicæ.*



MNES instituit Apostolus Christianam componentes familiam, coniuges, mulieres ac viros, filios, patres, seruos, Dominos, traditque monita cuique statui conuenientia.

INSTITVTIO I.

De mulieribus.

INcipit à mulieribus, quia matrimonium à matre, sicut à patre patrimonium. Costa ædificata est in mulierem, quia fœmina in rem familiarem & curas exstructa domesticas. Cur enim, ait Augustinus, non dictum est, finxit, aut fecit, sicut in omnibus supra operibus: sed, ædificauit, inquit, Dominus Deus illam costam, non tanquam corpus humanuum, sed tanquam domum? Non est itaque dtbitandum quoniam hæc facta sunt, & stula esse non possunt, ob aliquid significandum esse facta. Sed illa tam destruendæ domui, quam exstruendæ idonea. Nam vt Sapiens dixit: Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Idcircò Paulus in erudiendâ familiâ Christianâ, non solùm incipit à muliere, sed & à subiectione: aitque, Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Ornent se, sed in simplicitate; imperent, sed in humilitate: sarcinam enim suam gerunt, & tam ex sexûs conditione, quàm ex domûs institutione, & modestiam promittunt & obedientiam. Prodite vos, ait Tertullianus, medicamentis & ornamentis exstructæ Prophetarum & Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebitis. Duo quidem in vnâ domo præsunt luminaria magna, sed & onera distributa sunt, sicut & opera; vt vnum quasi maius præsit diei, alterum nocti; vnum priuatis rebus intendat animum, vt & alterum publicis, sicque perfectam pari subsidia, licet præsidio impari, compleret vterque œconomiam. Benè, ait Ambrosius, Ædificauit dixit scriptura, vbi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro & muliere domûs videtur quædam plena esse perfectio. Qui sine vxore est, quasi sine domo sit, sic experimur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. Idcircò & vir extra Paradisum factus est, vt sciret vniuersum sibi obnoxium, mulier intra septa Paradisi creata est & quasi conclusa, vt priuatum agnosceret officium. Mulier quidem præcipuam oneribus domesticis seu priuatis rebus locat operam, sed & viri præsidium consiliumque desiderat. Ecce, inquit Ambrosius, illa quæ in adiumentum facta est viro, præsidio viri indiget, quia vir caput est mulieris. Ideoque de viro scriptura dixit: quia posuit eum in Paradiso operari & custodire eum. Non idem est operari & custodire. In opere enim quidem virtutis præcessus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quòd quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, & parta custodiat. Illud ex agro, istud in domo. Habet igitur & mulier imperium suum, quia domesticis præfecta negotiis, in palatiolo suo præsidet: sed ne metas excedat suas, geniumque traducat in impetum: occurrit Paulus, aitque, Mulieres subditæ sint.

Dum tamen occurrit Paulus, succurrit: nec enim sic sexus ille deprimendus, vt atteratur; nec ita spernendus, vt non requiratur. Cum enim fecisset Deus hominem, (verba sunt Ambrosij) & posuisset in Paradiso operari & custodire, dixit: Non est bonum solum esse hominem. Faciamus, inquit, ei adiutorium secundùm se. Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere prædicatur. Nam cum dicit: Non est bonum solum esse hominem, confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui fœmineus

Augustin. lib. de Gen. ad lit. c. 13.

Eccles. c. 25.

Tertullian. lib. de cult. fœmin. cap. vlt.

Ambros. lib. de Parad. cap. 11.

Mulier ædificata, quia domesticis profecta negotiis.

Ambrosius eodem libr. cap. 4.

Ambros. lib. de instit. virg. cap. 5.

mineus sexus accedat. Tria igitur constituit Apostolus, quæ simul iuncta, muliebrem eleuant subiectionem, & specialem intimant dignitatem. Primum est, vt viris suis, seu propriis sint subditæ, non enim alienis obnoxiæ sunt, imò si nuptæ non sunt, iuris maritalis non sunt, imò quoad curam domesticam, in totum sunt liberæ. Imò nec in coniugio passim & indiscriminatim subditæ sunt, sed viris tantùm suis: illis enim solum debent, à quorum latere assident, è quorum pendent regimine. De cætero & suum, in domo exercent imperium, dum & famulis ac reliquis præsident domesticis. Denique non præcipit Paulus esse ancillas, sed subditas: socias quidem, sed inferioris conditionis, nec tam obsequio datas quàm adiutorio: ideoque & imperium concedit & dominium, sed sub arbitrio mariti; sub viri consilio. Et ratio huius est (ait Aquinas.) Quia regere est rationis: viri autem magis vigent ratione, & ideò præsidere debent. Et hæc subiectio est ex lege diuinâ ordinata. Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Secundum, Subditæ sint quidem, sed, In Domino. Non tam iuxta legem antiquam, quæ videtur lex humiliationis; quàm secundum legem nouam, quæ lex censetur sanctificationis. In primâ dicitur, Ipse dominabitur tui. Durum quidem ac molestum etsi iustum ac necessarium. In secundâ additur, Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Vtrobique subiectæ sunt, quia naturæ ius non infringitur per ius gratiæ, sed potius perficitur: verùm in illo subditæ sunt per legem punitionis, duro ac immiti imperio; in isto coniunctæ sunt, grato & amabili officio; adeo non tam subiectæ, quàm dominæ. Tertium denique non indecenter; nec seruiliter, sed. Sicut oportet. Iuxta decentiam ac conuenientiam. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Pro eo quod est, (vt exponit Chrysostomus, Subditæ estote propter Deum. Quoniam hoc, inquit, vos ornat, non illos. Non enim Dominicam subiectionem, neque eam solùm quæ est à naturâ, sed eam etiam dico quæ est propter Deum. Subditæ estote, non quatenus per iustam punitionem virili addictæ estis dominio, sed quatenus per nouam institutionem spiritali adiunctæ estis mysterio: iam enim non tam iugum est, quàm ornamentum, & dum obedientiam exprimit, addit decentiam: non enim tam potestatis auctoramentum est, quam honestatis officium, & symbolum sanctitatis.

Innuptæ quoad curam domesticam liberæ.

Aquin. lect. 4.

Ephes. c. 5.

Chrysost. orat. 10.

INSTITVTIO II.

De viris.

MAtrimonium, maris & fœminæ legitima coniunctio est, & indiuidua cohabitatio: ambo coniuges, quia simul pariterque coniuncti, aut eiusdem iugi consortes: compares in officio coniugali, etsi in obsequio ciuili dispares. Mulieres subditæ estote viris. Illis igitur præcipitur subiectio. Viri diligite vxores vestras. Istis dilectio indicitur. Sanè quicquid dicatur ad defensionem segnioris sexûs, quicquid inueniatur in probationē tenerioris affectûs; dū de-A fendit, deprimit; dum excusat, extenuat. Quæ se dicit esse seductam, ait Ambrosius, testatur errorem. Sit maior in homine peccante iniquitas, tamen maior est in muliere etiam non peccante infirmitas. Illa pro genio curiositati dedita, & inde deceptioni obnoxia; idcirco virili quidem subdenda dominio, sed speciali releuanda solatio. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Tria sunt exponenda: quorum primum iubetur his verbis, Diligite vxores vestras. Alterum istis prohibetur, Nolite amari esse ad illas. Tertium aliis suppletur, sed eiusdem sententiæ, etsi alterius epistolæ.

Ambros. lib. de inst. virg. cap. 4.

B Quoad primum. Cum dixit Paulus, Diligite, præceptum quidem instituit, sed nondum modum instituit. Charitas quippe alia est diuina, vti notauit Augustinus, alia humana: alia est humana licita, alia illicita. Licita est humana charitas, quâ vxor diligitur; illicita quâ meretrix, vel vxor aliena. Non solùm ita illa licita est, vt concedatur; sed ita licita, vt si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humanâ charitate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere ciues vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, & gluten quodammodo charitatis. Sed videris istam charitatem esse posse & impiorum, id est, paganorum, Iudæorum, hæreticorum. Quis enim C eorum non amat vxorem, filios, fratres, vicinos affines, amicos? Si ergo tali quisque crudelitate effertur, vt perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet coniugem suam: nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est qui amat filios suos, sed damnandus est qui non amat filios. Nec mireris illam dici charitatem, cum idem sit nomen apud Græcos ἀγάπη, quod nunc dilectionem apud Latinos resonat, nunc charitatem, nec sanctos tantùm appellat, sed & impios: ista quippe charitas seu dilectio nondum diuina est, sed tantùm humana: nec tam gloriam captat, D quàm vitat infamiam: qui enim aut prolem non diligit aut coniugem, non solùm ex hominibus expungendus est, sed ne cum pecudibus quidem accensendus. Amat filios, ait ille, & feræ amant filios. Amant filios aspides, amant filios tigrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est, quæ non filiis suis blandè murmuret. Nam cum terreat homines, paruulos fouet. Premit leo in syluis, vt nemo transeat. Intrat in speluncam vbi habet filios suos, omnem rabiem feritatis exponit. Foris eam ponit, cum ipsâ non ingreditur. Ergo qui non amat filios suos, etiam leone peior est. Quid ergo viris primo præcipiendum est? Viri, diligite vxores vestras. Tam E enim diligere, humanum est; quam inhumanum, non diligere. Viri: si homines estis, vxores vestras non diligere non potestis; cum & pecudes ipsæ se diligant, & mutuam ostendant beneuolentiam. Vide, ait Chrysostomus, quòd hoc quoque naturâ sic sit comparatum, vt vir quidem diligat, mulier autem obediat. Nam quando is qui imperat, diligit eum qui paret imperio, tunc consistunt omnia. Nec tam ab eo qui paret imperio quæritur dilectio, quàm ab eo qui imperat aduersùs eum qui paret, ab illo enim est obedientia. Nam quod mulieri est pulchritudo, viro autem cupiditas & desiderium, nihil aliud ostēdit quàm quòd sic fiat propter dilectionem.

Augustin. serm. 52 de temp. cap. 1. & 2.

Amare coniugem aut prolem non hominum duntaxat, sed & pecudum.

Augustin. eodem serm. cap. 2.

Chrysost. orat. 10.

Quoad

Quoad secundum. Mirum est quòd viri fœminis & intenti sint & infensi; nec sine ipsis viuere possint, nec cum ipsis possint viuere. Viri, diligite vxores vestras. Nec plura: satis est permittere, cum ista fræno potius egeant quàm stimulo, & fomitem potius concupiscentiã, quàm comitem adhibeant prudentiam. Diligite. Permitto, imò præcipio. Quis enim vnquam mulierem acciperet in vxorem, quis accederet vnquã, si non natiuo affectu, ne dicam & cæco impetu diligeret? Sed, Nolite amari esse ad illas. Propè dixi, cæcum impetum: nec me pœniteret: ignis enim est, in quo plus ardoris quam lucis, ideoq; ignorantiâ efferuescit, detumescit experientia: euaporato enim libidinis momento, errorẽ homo deprehendit amoris, quia minus inuenit, quàm quod credidit. Et in hoc notãda carnalis amoris & spiritualis differentia, quod in illo simul coeant ignorantia & anxietas, simul remaneant satietas & pœnitentia; in isto pereat ignorantia & anxietas, maneat auiditas cum sufficiẽtiâ: ille statim vertitur tædio, quia quid sit, & quid possit deprehenditur; iste nõ solùm in pretio habetur, sed & in desiderio, quia quod tenendum est tenetur, sed nondum tanto quanto tenendum est, possidetur. Amas vxorẽ, non ductã, sed adhuc ducendam: (ita August.) & fortè ducenda amatur, ducta odio habebitur. Quare hoc? quia talis non apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda. Deus autẽ nõ vilescit præsens, amatur absens. Quantumcumq; enim sibi humana mens exaggerauit bonum quod Deus est, minus agit, & valdè infra est: & necesse est plus inueniat adeptio, quàm formabat cogitatio. Plus ergo amabimus cum viderimus, si potuerimus amare, & antequã videremus. At verò; parum sit minus diligere, cũ videmus minus diligendum, quod multum nimiumq; diliximus. Quid porrò & odisse: vt & ardor in nauseã vertatur, & amor patiatur amarulentiam? Sed & illa carnalis amoris nota est, dum secretam de ignorantiâ suâ vindictam repetit, dum pœnam sentit vt iniuriam, & in causã tam erroris quàm amoris regerit. Sed quanto fuit ignorantia dulcior, tanto pœna fit amarior: non enim solùm facilè acescit vinum optimum, sed & de se acetũ euadit acerbissimũ. Nolite amari esse. Hoc est quod dicit (secundùm Chrysost.) Ne pugnetis. Nihil est enim hac pugnã acerbius, quando viri fuerit pugna aduersùs vxorem. Nam quæ aduersùs personas quæ diliguntur sunt pugnæ, eæ sunt acerbæ: & ostendit hoc fieri ex magnã acerbitate, cũ alicui aduersùs suum membrum est dissidium.

Notanda amoris carnalis ac spiritualis differentia.

Augustin. s. m. 5. ex nouis post natium.

Chrysost. orat. 16.

Quoad tertium. Præcepit hic Apostolus vxores diligi, sed & alibi præcepti modum ostendit. Viri diligite vxores vestras. Quomodo? Sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Inde enim inconstantia amoris, & erroris pœnitentia, quòd viri suas vxores non tam sanctè, quàm humanè, ne dicam & profanè, diligant; quòd illas vt speciosas potius mulieres, quàm vt religiosas sacri mysterij imagines respiciãt. Cur, tu inquit, Ambros. vultûs decorem in coniuge magis, quàm morũ requiras? Placeat vxor honestate magis, quàm pulchritudine. Nõ est vitium mulieris, esse quod nascitur; sed vitium viri est quærere in vxore, quo sæpè tentetur: in quo si infirmior fuerit mulier, ipsa labatur; si fortior, vir periclitetur. Non possumus reprehendere diuini artificis opus: sed quẽ delectat corporis pulchritudo, multo magis illa delectet venustas, quæ ad imaginem Dei est intus non foris comptior. Diligant viri mulieres, sed non tam vaniores eligant, quàm castiores; non tam voluptati consulant quàm honestati: diligant, sed quomodo Christus dilexit Ecclesiã quam diligendo speciosam effecit ac mundam, quam sibi iungendo, rugam abstersit & maculã. Hanc vtique Ecclesiam, ait Laurent. Iustinianus, Dei filius homo Christus adamauit, suscepit, & copulauit. Pro hac Patrem reliquit, & matrem, vt fierent duo in spiritu vno: non enim gratis illam dilexit. Reliquit Patrem pro eâ, quum semetipsum exinaniuit: reliquit matrẽ, quum omnẽ priscæ legis ritum, synagogamque destruxit, vt huic suæ castissimæ adhereret vxori. Tanti etenim suum æstimauit amorem, vt ne periret ipsa, se morti tradere non dubitauerit. Sic de huiusmodi tam sancto, & ignito amore Apostolus ait: Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret. Habes igitur præceptum Apostoli; habes & diligendi modum. Amate filios vestros, ait August. amate coniuges vestras, etsi seculariter. Nam secundùm Christum amare debetis, vt secundùm Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis. Ipsa est enim charitas illa diuina. Nam quid eis proderit transitoria & mortalis charitas vestra? Non in eis nisi Christum deligatis, & oderitis in vestris si Christum habere noluerint.

Ephes. c. 5.

Ambros. lib. de inst. virg. cap. 4.

Laurent. Iustin. lib. de casto connub. cap. 10.

Vir diligat sponsam v. Christus Ecclesiam.

Augustin. serm. 51. de temp. cap. 7.

INSTITVTIO III.

De filiis.

Debent filij parentibus obedire, debent parentes filijs indulgere; sed si patres indulgẽtes sunt, filij fiunt inobedientes. Sic viri diligere vxores, debent vxores se viris subdere; sed dum diliguntur, euadunt contumaces, dum subiiciuntur, viri fiunt insolentes. Si ergo, ait Chrysostomus, vnusquisq; quod suum est afferat, stant omnia firma & stabilia. Ex eo namque quod diligatur, fit mulier amica & beneuola: ex eo autẽ quod fit subdita, vir fit mitis & clemens. Ne ergo quoniam subiectã est mulier, sis insolens: neque tu, quoniam vir diligit, intumesce. Neq; viri amicitia extollat mulierem, neque mulieris subiectio inflet virum. Propterea seipsam tibi subiecit, vt magis diligatur. Propterea te fecit amari ô mulier, vt facile feras quòd sis subiecta. Quid verò de filiis? facilitas patrum non illos reddat immorigeros, infirmitas filiorum patres non reddat difficiles. Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino: Seu ex Græcis: Filij obedite parentibus secundùm omnia, hoc enim beneplacitũ est Domino: Non solùm honorare debent, debent & obedire. Homo enim, vt resoluit Aquinas, efficitur diuersimodè aliis debitor, secundùm diuersam eorum excellentiã, & diuersa beneficia ab eis suscepta. In vtroq; autẽ Deus summũ obtinet locũ, cui & excellentissimus est, & est nobis essendi & gubernationis primum principium. Secundariò verò nostri esse, & gubernationis principia sunt parentes & patria, à quibus, & in quã nati & nutriti sumus. Et ideo post Deum, est homo maximè

Chrysost. orat. 10.

Benè procedunt omnia; cum iusta sunt officia.

Aquin. 2. 2. q. 101. artic. 1. init. corp.

ximè debitor parentibus & patriæ. Vnde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus & patriæ. Dixi, non solùm honorare, sed & obedire. Sicut enim, (vt & ille ait) ex ipso ordine naturali diuinitùs instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis & diuini tenentur inferiores suis superioribus obedire. Maximè verò parentibus: quia sicut Deus vniuersale est principium, sic & parentes sunt particulare principium nostri esse. Quoniam nisi per illos natus non fuisses. Vnde est quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulę: & ideò immediatè post præcepta nos in Deum ordinantia, ponitur præceptum nos ordinans ad parentes, & quasi reuerentia committitur pro reuerentiâ, obedientia pro obedientiâ reponitur. Vnde sicut nihil tam impium, quàm Deum non agnoscere Dominum; ita nihil tam iniquum, quàm parentibus non deferre. Nihil tam caninũ est, ait Augustinus, quàm cum illi qui genuerũt, non agnoscuntur: vnde & meritò catuli canum cæci nascuntur. Quasi maior imprudentia non sit, imò maior non sit dementia.

Augustin. ead. parte q. 104. art. 1. in fin. corp.

Ecclesi. c. 7.

Augustin. fragm. 2.

Debent ergo filij parentibus obedire secundùm omnia? Debent vtique, sed secundùm omnia auctoritati paternæ seu humanæ dignitati competentia. Nam quoad Deum, qui est vniuersale, sicut & primarium & hominum & rerum omnium principium, nihil excipitur, licet aliquid contra solitum naturæ cursum, & contra consuetum virtutis modum aliquid præcipiat. Ita vt Aquinas docet, Non fuit contrà castitatem, præceptum Oseæ factum, vt mulierem adulteram acciperet; quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator, & ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem Deus instituit. Cum enim diuina voluntas prima sit tam ordinis, quàm & virtutis regula: tantum abest vt quis peccet, sequendo, quin & peccet, non sequendo. Quoad parentes verò, qui sunt esse nostri particulare principium, tantum de inferiore demitur, quantum excipitur de superiore, maximè si non diuersa solùm, sed & aduersa præcipiat. Obediens enim, (vt definit Aquinas) mouetur ad imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, sicut res naturalis mouetur ex virtute sui motoris necessitate naturæ. Quod autem, aliqua res naturalis non mouetur à suo motore, potest contingere dupliciter. Vno modo, propter impedimentum quod prouenit ex fortiori virtute alterius mouentis; sicut lignum non cõburitur ab igne, si fortior vis aquæ impediat. Alio modo, ex defectu ordinis mobilis ad motorem; quia etsi subiiciatur eius actioni quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia; sicut humor quandoq; subiicitur actioni caloris quantũ ad calefieri, non tamen quantũ ad exsiccari siue consumi. Similiter ergo ex duobus potest contingere, quod subditus suo superiori non teneatur in omnibus obedire. Vno modo, propter præceptum maioris potestatis. Alio modo, nõ tenetur inferior suo superiori obedire, si ei præcipiat in quo ei non subdatur. Vnde non tenentur nec serui dominis, nec filij parẽtibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruandâ, aut aliquo alio huiusmodi. Sed in his quę

Aquin. 22. q 104. art. 4. ad 2.

Aquin. ead parte & qu. artic. 5. in corp.

A pertinent ad dispositionem actuum & rerũ humanarũ, tenetur subditus suo superiori obedire, secundùm rationem superioritatis, sicut miles duci exercitûs in his quæ pertinent ad bellum, seruus domino in his quæ pertinent ad seruilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinẽt ad disciplinã vitæ & curam domesticam. Iubet vnum gubernator vrbis, iubet aliud orbis imperator: cui parendum est? sed & si imperator metas suas transiliat, & iura naturæ concutiat, aut priuilegia gratiæ, iam nec parendum est, quia non sua curat, sed violat aliena; nec inferioribus iam sed paribus imperat.

Auctoritas humana iuxta ius suum determinata est.

B Sed quæ ratio affertur à Paulo? Non alia quã quæ digna Apostolo. Hoc enim beneplacitũ est Domino. Hoc enim veris sufficit Christianis, bonis ac rectis corde sufficit. Meritò enim, vti dixit August. dirigunt cor in Deum suum, meritò ambulant recti cum Deo suo, præponentes eius voluntatem sibi, neque de suâ quicquam superbè præsumentes. Hoc iubet Dominus, multum est hoc placet Domino, satis est. Hoc cogitãt, ait ille, qui recto sunt corde, qui voluntatẽ Dei sequuntur, non voluntatem suam: sed qui Deum volũt, faciunt illum præcedentem, & se sequentes: non autem se præcedentes, & illum sequentem. Et in omnibus eum bonum inueniunt, siue emendantem, siue consolantem, siue exercentem, siue

Augustin. Enarrat. in Psalm. 111. cit. med.

C coronantem, siue purgantẽm, siue illuminantẽ, sicut Apostolus ait: Scimus quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Et ideò dicit Dauid: Benefac Domine bonis & rectis corde. Sicut enim qui declinat à malo, & facit bonũ, rectus corde est: sic praui cordis est, qui scandalizatur in viis Domini, qui declinat à Deo, & facit malũ, & inescatur dulcedine sęculi. Itaq; Filij obedite parentibus, hoc imperat natura, & confirmat gratia. Lex enim charitatis, vt Aquin. docet, non remouet legẽ naturæ, sed perficit. Obedite igitur, & in omnibus obedite, quæ diuinam legem non violant, aut patriã non superant po-

Augustin. in Expos. Psal. 124. vers. fin.

Aquin. lect. 4.

D testatem. Ita præcipio, nec aliã suggero rationẽ, quàm quia hoc beneplacitum est Domino, gratum Christo acceptumq;: nihil aliud à me requiretis, si boni estis, & recti corde. Christianis enim loquor, Dei filiis, & Christi seruis: cui autem rei magis studeat filius aut seruus si probus & officiosus, quàm vt ille patri, iste domino placeat. Huic vni studuit Christus non solùm vt pareret Deo patri, sed & quę placita semper faceret: huic vni incumbat Christianus, vt quæ sunt Christo suo placita, sciat, & faciat. Vide, ait Chrysostom. quomodo ex iis quæ Deo placent, vult nos omnia agere.

Christiani diuino intenti beneplacito.

Chrysost. orat. 10.

E

INSTITVTIO IV.

De patribus.

Æqua lex Apostoli, quæ superuacuis abstinet, prouidet necessariis. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Nihil vacat, nihil redundat. Non dixit, (vt obseruat Chrysostomus, Diligite filios, esset enim superuacaneum, ipsa enim cogit natura: sed correxit quod oportuit: potest enim esse, vt qui diligit, sit acerbus. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, ne pusillo animo fiant. Nusquam ponit Deum: fregisset enim parentes, inflectens eorum

Chrysost. orat. 10.

eorum viscera:sed quod sciebat futurum vt maximè eos morderet,hoc posuit. Non prohibet erudiri,aut corripi, imò verò iubet. Ipsa enim censura,vt Ambrosius dixit,est pietas; quæ idcircò circà negligentiores filios adhibetur,vt timore discant, quod amore neglexerant. Non quòd omnes filios non æqualiter diligat pater, sed quòd indulgentia patris sit, pro diuersitate morum exhibere pietatis affectum:vt blandum filium exhortatione prouocet, contumacem verò austeritate conueniat, de vtriusque tamen correctione securus, quoniam hunc amore verberat, illum seueritate castigat, sicut ait beatus Apostolus: Omnis quidem disciplina in præsenti non videtur esse gaudij,sed mœroris: postea verò fructum pacificum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Debet pater filium erudire,debet & corripere; sed quomodo pater filium,nō quomodo magister discipulum: nam iste durus censor nonnunquā,ille pius monitor.Hæc quippe nomina, (vt & ille dixit) vitæ solent operari gratiam, non ministerium necis: hæc vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent.Filius vocat patrem, pater dicit, Fili: vt ipso verborum sono se recognoscat pater, quàm impossibile est vt ferire possit, cuius se vulneri subiicere optaret.Castiget,sed ex paternā pietate;obiurget,sed ex innatā lenitate. Hoc nimirum nobis scriptura affert, (verba sunt Ambrosij)quæ dicit,Filij diligite patres vestros:patentes,nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Natura hoc bestiis infundit,vt catulos proprios ament, fœtus suos diligant. Nesciunt illæ odia nouercalia, nec mutato concubitu parentes à sobole deprauantur,neque nouerunt præferre filios posterioris copulę,superioris autem negligere,nesciunt charitatis differentiam,odiorum incentiua, offensionum discrimina. Non igitur,ait Paulus, Nolite castigare filios vestros; sed, nolite eos exacerbare: illud enim disciplinæ est,istud iracundiæ:illud paternæ pietatis: istud nimiæ seueritatis: illud correctionem procurat, istud ad indignationem prouocat & desperationem.

Ambrof. serm. 21.

Patres castigare debent filios nō exacerbare.

Ambrof. lib. 1. de Abrah. cap. 8.

Ambrof. lib. 6 Hexam. cap. 4.

Ratio quæ pungat patres, & reddat mitiores. Seruos vultis,an filios? Eo igitur genio eos corripite, quo vultis eos agere ac viuere:filiali scil. non seruili;non tam minando, quam monendo; non tàm irritando, quàm adhortando. Et hoc, (ita Aquinas)Vt non pusillo animo fiant:id est; vt non pusillanimes fiant:& huius ratio est,quia homines retinent impressionem, quam à pueritiā habuerunt. Naturale autem est,quòd qui in seruitute nutriuntur, semper sint pusillanimes. Animosos Apostolus vult filios, non timidos. Primò quidem, quia sicut patrum sapientia est, sic & filiorum audacia.Ita Ioannes: Scribo vobis patres,quoniam cognouistis eum, qui ab initio est.Scribo vobis iuuenes, quoniā fortes estis, & vicistis malignum. Quid est,Scribo vobis iuuenes? Etiam atque etiam considerate,(ita August.)quia iuuenes estis:Pugnate,vt vincatis;vincite,vt coronemini. Secundò, quia tempora vel maximè tunc periculosa & ardua, quæ animum exquirerent, metum depellerent. Cæterùm, ait Tertullian.tempora Christianis semper,& nunc vel maximè, non auro, sed ferro transiguntur: stolæ martyriorum præparantur,Angelis baiulis sustinentur.Tertiò denique,quia timor, Iudæorum est;amor vero, Christianorum: ille manda-

Aquin. lect. 4.

Ioan ep. 1. cap. 2.

Augustin. Tract. 2. in Ioan. vlt. med.

Tertullian. lib. de cult. fœmin. c. 13.

A tis minus potens adimplendis, iste præparatus. Quantò enim,ait Augustinus,fit eo quisque capacior,tanto ad operandam legem facilior.Dico enim dilectioni vestræ, quod & vos considerare,& facilè videre poteritis,Charitas implet legem. Timor pœnarum facit hominem operari, sed adhuc seruiliter.Si enim propterea facis bonum,quia times malum pati;aut propterea non facis malum, quia times pati malum; si aliquis tibi promitteret impunitatem, statim comprehenderes iniquitatem. Diceretur tibi, securus esto,nihil patieris mali:fac.faceres.Timore enim
B pœnæ reuocabaris,non dilectione iustitię.Nondum enim de te charitas operabatur. Vult igitur Paulus filios corripi à parentibus, sed paternā pietate,ex innatā benignitate;si enim id pręstiterint, filios non prouocabunt ad indignationem. Vult & illos parentibus subiici, sed ex Christianā charitate:si enim id fecerint,non solùm dicto parebunt, sed & ex animo, sicut legem diuinam,sic & paternam adimplebunt voluntatem.

Augustin. serm. 21. ex nouis vult. med.

Timor Iudæorum, amor Christianorum est.

INSTITVTIO V.

C

De seruis.

VErum equidem quòd ista epistola non solùm eodem ferè tempore, sed & eodē tenore,cum Ephesinā conscripta sit: sed mirùm, quod ambę diutiùs in seruis instituendis immorentur, nec exhortentur solùm, sed & solentur impensiùs.Magnam,ait Chrysostomus,similitudinē habet hæc epistola cum epistolā ad Ephesios in his quoque.Quoad istam: Serui,obedite per omnia dominis carnalibus: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis,timentes Deum. Quodcumque facitis,ex animo operamini, sicut Domino
D & non hominibus:scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite. Primò igitur lenit obsequium: secundò,modum constituit:tertiò denique,congruum proponit præmium.

Chrysost. orat. 10.

Quoad primum. Primus quidem homo, factus est à Deo omnium dominus; sed peccando factus est omnium seruus: nec tamen aliis seruiebat, nisi violentiā seu rapinā inductā: & quouis modo se subtrahebat, aut redimebat; adeò pristinæ meminerat dignitatis, & originis primeuæ titulum priuilegium-ve protegebat. Hoc enim naturalis ordo præscribit, ait Augustinus, ita Deus hominem condidit.
E Nam,Dominetur, inquit, piscium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti, pastores pecorum, magis quàm reges hominum constituti sunt: vt etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum,& quid exigat meritum peccatorū. Prima enim seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditionis vinculo subderetur: quod non fit nisi Deo iudicante, apud quē non est iniquitas:& nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentiū. Seruilē quidē cōditionē natura nō instituit,sed culpa meruit: verùm cum prima

Augustin. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 15.

prima culpa tam communis esset omnium, quàm specialis omnium; aut omnes serui forent, & nullus dominus; aut omnes domini remanerent, & seruus nullus: donec homo peccauit in hominem, seruitutemque reportauit in punitionem. Ecce, ait Chrysostomus, fratrem eodem natum patre, eodemque egressum vtero peccatum fecit seruum, & ablatâ libertate iugum illi vilissimæ subiectionis imposuit, vnde postea seruitus sumpsit originem. Neque enim antea solebant ita molliter viuere & delitiari, vt aliorum ministerio & seruitiis vterentur; sed quisque sibi quod opus erat, ministrabat, eratque par omnium honos. Ex quo quidem peccauit homo, factus est seruus peccati, sed sibi potius addictus quàm alteri: nulla adhuc externa seruitutis seu seruilis conditionis nota, nulla dominantium ac ministrantium differentia. Sed ex quo filius peccauit in patrem, factusque reus in hominem, non solùm declaratus est seruus, sed & miseriam traduxit ad ignominiam. Serui, siue à seruiendo, siue à seruando, durum est vocabulum: sed vide quomodo leniat obsequium Apostolus, & impertiat solatium. Est hîc namque amor quidam ait Chrysostomus, sed non ita naturalis sicut superiùs. Quoniam ergo hîc quidem id quod est amoris est succisum ac diminutum, quod est autem obedientiæ intensum & amplificatum, in eo volens immorari, quod primi habent à naturâ, hoc eis dare eligit ex obedientiâ. Serui, inquit, obedite per omnia dominis carnalibus. Vide quomodo semper ponit nomina, mulieres, filij, serui, mox ius obediendi quod debetur. Sed ne dolerent, subiunxit, Dominis carnalibus. Quod est tui, inquit, optimum & præstantissimum, est liberum: ad tempus est seruitus. Et vxores obediunt viris suis, & filij parentibus seruiunt. Quidni vos, qui seruilis estis conditionis? Licet enim probro detur, & imputetur peccato: tamen secundum corpus tantummodo est, & ad tempus, fortè modicum, certè non diu duraturum.

Chrysost. Hom. 29. in Genes.

Seruitus probro datur quia imputatur peccato.

Chrysost. orat. 10.

Quoad secundum. Subduntur viris mulieres, subduntur filij parentibus: aliquid à naturâ est, aliquid à culpâ: quòd enim inferior subdatur superiori, segnior meliori, naturæ est, quod autem superior aut melior ex amarulentiâ dominetur aut ex iracundiâ, culpæ est. Sed quod seruus subiiciatur domino, aut quòd dominus quocumque tandem modo vtatur seruo, id omne ex culpâ, nihil à naturâ. Testis est homo Dei Daniel, ait August. cū in captiuitate positus, peccata sua & peccata populi sui confitetur Deo, & hâc esse causam illius captiuitatis pio dolore testatur. Verùm & pœnalis seruitus eâ lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari vetat: quia si contrà eam legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coërcendum. Ideoque Apostolus etiam seruos monet subditos esse dominis suis, & ex animo eis cum bona voluntate seruire: vt scilicet si non possunt à dominis fieri liberi, suam seruitutem ipsi quodammodo liberam faciant: non timore subdolo, sed fideli dilectione seruiendo, donec transeat iniquitas, & euacuetur omnis principatus, & potestas humana, & sit Deus omnia in omnibus. Malum quidem istud peccato intro-

Augustin. lib. 19. de Ciuit. Dei. cap. 15.

A ductum est & admissum in seculo. Quid ergo, dissoluet Christianus, quasi iam à Christo liberatus, & obedire ac seruire domino renuet? Cur dissoluet Christianus, quod non dissoluit Christus, sed verbo potius firmauit & exemplo? ille enim qui regnare noluit, voluit ministrare; qui dominium recusauit, amauit obsequium: non enim qui bona omnia suis promisit, omnia ab eis auertit mala; & qui subiectionem legitimam non dissoluit, debitam non remisit seruitutem. Quid igitur Apostolus? videt malum, sed censet esse necessarium: quia si seruos aut filios arcet ab officio, nocet Euangelio: & si ritè obediunt, Christo Domino verè deseruiūt. Non ergo retrahet, imò potius inducet, sed necessitatem conuertet in virtutem; imò necessitatem auferet, cum inferet libertatem. Quem

Christus recusat regnū, non negat obsequium.

B enim magis liberum censes? (ait Ambros.) Sola est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos propriis fœnerare dominis facit. Ita sapiens obediet non seruiliter sed libèter sicq; non tam seruiet, quàm obediendo dominum suum facto instruet. Non ex necessitate sit bonum nostrum, ait ille, non ex mœrore atq; mœstitiâ, sed voluntarium: quia seruus inuitus facit, amicus voluntarius. Non ergo seruos absoluit Apostolus, & liberos nihilominus reddit, cū bonos fecit. Non dixit solummodo, In simplicitate cordis; sed, Timentes Deum. Hoc enim, ait

Ambros. Enarrat. in Psal. 104. cir. med.

Ambrosius Enarrat. in Psal. 118. octon. 7.

C Chrysostomus, est timere Deum, quando numine vidente, nihil mali facimus. Sin autem facimus, non Deum, sed homines timemus. Vide ergo quomodo illos componit, Quodcumque facitis, inquit, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus. Non solùm ab hypocrisi, sed etiam ab otio & desidiâ eos vult liberari. Illud enim non est simplicitas, sed hypocrisis & simulatio; aliud in animo habere, & aliud facere: alium quidem videri præsente domino, alium verò absente. Eos denique liberos pro seruis fecit, cum non opus habeant vt adsit, & eos vrgeant domini. Hoc enim est, illud, Ex animo, cum beneuolentiâ, non cum seruili necessitate,

Chrysost. orat. 10.

D sed liberè & ex animi instituto.

Quoad tertium. Qui spectat hominem, mercedem expectat temporalem: qui animum erigit, cœlum suspicit; nec attendit miseriæ seruitutis, sed ordinis iustitiæ. Viderit ergo ingratia, ait Tertullian. si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. Viderit & gratia, si captatio eius ad benefaciendū incitamento est: terrena, mortalis vtraque. Quantulum enim compendij, si grato benefeceris; vel dispendij, si ingrato? Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis remunerator est causæ. Forte an ille cui seruis, aut obedis, tibi gratiam non re-

Tertullian. lib. 2. de pœnitent. c. 2.

E fert, imò infert iniuriam. Quid ergo, seruiendum non est, obediendum non est? Absit. Fac quod facis, (verba sunt August.) noli pigrescere, noli cessare. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. (credo, saluus) Benè fecisti homini, ingratus est homo: non te pœniteat benè fecisse, ne fundas pœnitendo quod implesti miserando. Dic in corde tuo, Non videt iste in quem feci, videt ille propter quem feci; quia iste si videret, sed ingratus non esset, sibi potius quàm mihi prodesset. Ad Deum me teneam, quem non latet quod facio: non solum quod facio, sed etiā quod corde facio: illum sperem retributorem

Augustin. serm. 22. de verb. Apost. cap. 6.

Christus nos sibi sociat, & nostra sibi imputat.

qui

qui facti mei non quæret testem. Sic igitur Paulus, ex textu Ambrosiano. Quicquid facitis, ex animo operamini, vt Domino & non hominibus: certi quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis Domini Christi, cui seruitis. Qui enim iniquè gerit, reportabit id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum. Si enim, ait ille, benè egerit seruus, non erit apud Deum seruus hominis quasi despectior, sed remunerabitur quasi liber inter homines, seruus autem Christi, quod dignitatis est nomen. Seruitus quidem, nomen est indignitatis, sed seruitus terrena: Christiana enim, nomen dignitatis est, thesaurus gratiæ, titulus gloriæ. Seruis homini propter lucrum? adhuc permanes in indignitate tuâ. Seruis homini propter Christum? adhuc quidem remanes in humilitate tua: sed humilitas Christianorum multo dignior est ac pretiosior, quàm Regum ac Principum sublimitas. Fortè, ait Augustinus, solis discipulis dixit Dominus, non vos dicam seruos, sed amicos. Audite Apostolum Paulum dicentem: Itaque, inquit, non est seruus, sed filius: si autem filius, & hæres per Deum. Populo dicebat, fidelibus dicebat. Iam ergo in nomine Domini redempti sanguine ipsius, loti lauacro ipsius, filij sumus, filius sumus: quia sic multi sumus, vt in illo vnus simus. Ille non solùm te sibi sociat, sed & opera tua & obsequia sibi imputat: idcircò & mercedem, & hæreditatem non minus seruis reponit, quàm dominis: non enim personarum examinator est, sed rerum; nec titulorum librator sed operum: ideò sicut mala castigat merita Dominorum, sic & bona seruorum appretiat.

Ambrof. in Paulum.

Augustin. Enarrat. in Psal. 122. in med.

INSTITVTIO VI.

De Dominis.

SEquuntur in alio capite quæ de Dominis, sed à multis cum isto capite connectuntur: sicut enim se habent vxores ad maritos, filij ad parentes, sic & serui ad dominos: & hæ tres virorum mulierumque seu conditiones seu connexiones Christianam complent familiam. Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo. Si iustum est, ius ad id habent serui. Si æquum, seu, vt ex Græco, Æquale. Munus aliquod, & gratiam repetere possunt vt debitam. Si vnum habent omnes Dominum, non tam se dominos, quàm seruos seu conseruos eiusdem Domini tam prouidi, quàm & iusti debent inscribere.

Quoad primum. Debet seruus Domino, debet & Dominus seruo. Est aliquid, ait Seneca, quod Dominus præstare seruo debet, vt cibaria, vestiarium: nemo hoc dixit beneficium. Hoc enim debitum, nec à vicariis solùm seu lautioribus seruis, sed & subseruis seu vilioribus mancipiis expetendum. Familia, ait ille, vestiarium petit victumque. Quanto ille felicior, qui nihil vlli debet, nisi cui facillimè negat? Qui se solum habet & seruum & Dominum, qui nulli debet salarium, vasarium, calcearium. Iustum quippe id præstare, iniustum denegare. Seruus

Seneca lib. 3. de benef. cap. 21.

Sen. lib. de trang. cap. 8.

A est, qui quinque modios accipit, & quinque denarios, diurnum accipit, & in contumeculo dormit. Sic legendum, non cœnaculo. Hæc quippe seruorum sunt, quorum cura die ac nocte imposita. Mercedula quidem, seruis tamen notæ inferioris, seu seruorum seruis debitæ, ex iustitiâ datæ, & ex iniuriâ denegatæ. Vnde & apud Senecam. De iniuriis dominorum in seruos, qui audiat, positus est, cui & sæuitiam & libidinem, & in præbendis ad victum necessariis auaritiam compescat. Non enim omnia permittit ius seruile, & multa præcipit. Circumscripti sunt termini. Non licet supra modum animaduertere, nec suum magis occidere seruum, quàm alienum: nec vendere licet lanistæ, causâ non præstitâ; nec præposterè subigere, causâ etiam præstitâ. Decet verò, imò oportet, alimenta præbere ac vestimenta, calceos, congios: pecuniam seu diurnam, seu menstruam, vsibus familiaribus, & communi impendendam supellectili. Domini, quod iustum est, seruis præstate. Reddite quod debetis, vos ipsi iudicium facite, dimensum tribuite, nec alienam expectetis sententiam. Ita Iob. Si contempsi iudicium subire cum seruo meo & ancillâ meâ, cum disceptarent aduersum me. Ius ergo repetendi, altercandi, respondendi locus: etsi enim viles sunt, tamen homines sunt, non pecudes; familiam instruunt, & domesticam expetunt iustitiam: nam si nec in pecudem sæuire licet, quanto minus in hominem? si nec boui os alligandum est trituranti, quanto minus homini ministranti?

Seneca epist. 80.

Sen. lib. 3. de benef. cap. 22.

Vestimenta & alimenta iure seruis debita.

Iob. cap. 31.

Quoad secundum. Non solùm quod iustum, sed & quod æquum. Domini, quod æquum est. Seu, vt ex Græco, Æqualitatem. Alij, Æquabilitatem. Æquum est enim, vt qui plus impendit quàm debet, plus reportet quàm qui minùs tribuit: debet enim æqualitas fieri seu æquabilitas. Quid ergo, si non solùm, quis seruiat, sed & faciat ex animo; nec ex necessitate tantùm seu ex sufficienti, verùm ex liberalitate seu ex D abundanti, incumbat officio: an pro seruo habendus est vel pro amico: an inopia subleuandus duntaxat, nonne & copiâ cumulandus? Quid est æquum? (ait Chrysostomus) Efficere vt sit eis rerum omnium abundantia, & non sinere vt aliis egeant, sed pro laboribus remunerentur. An sufficit cibarium seruile, quod necessarium, vilioribus mancipiis denegatur? imò pensum expedit honorabile, quod melioribus seruatur amicis. Quemadmodum enim, ait Seneca, ille beneficium dat, vbi plus præstat quàm quod operis locauit: sic seruus vbi beneuolentia erga Dominum fortunæ suæ modum transit, & altius aliquid ausus, quod etiam felicius nato decori esset, & spem Domini antecessit, beneficium E est intra domum inuentum. An æquum tibi videtur, quibus si minus debito faciant, irascimur: non haberi gratiam, si plus debito solitoque fecerint? vis scire, quando non sit beneficium? Vbi dici potest. Quid si nollet: vbi verò id præstat, quod nolle licuit, voluisse laudandum est. Inter se contraria sunt, beneficium & iniuria. Potest dare beneficium Domino, si à Domino potest iniuriam accipere. Quid ergo? Beneficium Dominus à seruo accipit? imò homo ab homine. Quidquid enim est quod seruilis officij formulam excedit, quod non ex imperio, sed ex

Chrysost. orat. 10.

Seneca lib. 3. de benef. cap. 21.

Potest gratiam reddere, qui potest iniuriam accipere.

ex voluntate præstatur, beneficium est: si modò A tantum est, vt hoc vocari potuerit, quolibet alio præstante. Denique quod in illius potestate fuit fecit: beneficium Domino dedit. Certè, vt & ille dixit. Eo animo quidque debetur, quo datur: nec quantum sit, sed à quali profectum voluntate, perpenditur. Potest etiam imprudens, & rudis, & vnus de turbâ, vtique dum prope est, reddere beneficium, & pensare: vni autem sapienti notum est, quanti res quæque taxanda sit. Viles sunt serui. Quidni humiles amici? Hostes domestici. Quidni familiares consiliarij? Non habemus eos hostes, sed facimus, & quibus debemus gratiam, iniuriam rependimus.

Sen. epist. 81.

Quoad tertium. Habes seruũ, sed habes & Dominum. Scientes, inquit Paulus, quòd & vos Dominum habetis in cœlo. Hic, inquit Chrysostomus, communem effecit seruitutem. Quis maior, quis excelsior: qui sedet in throno, an qui sedet in B cœlo? Iob solio sublimatus & sceptro, se conseruum reputat, quia prospectat Dominum, nec humanâ inflatus gloriâ, sed de diuinâ sollicitus iustitiâ. Quis, ait Gregorius, dignè considerare valeat huius viri tam sublimia virtutum moderamina? In quo tanta est auctoritas regiminis, vt ad silentium restringantur duces: tanta humilitas cordis, vt ex æquo ad iudicium venire permittantur ancillæ. Ecce apparet miro modo in potestate principibus potentior, in certamine seruis æqualis; in cœtu principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis. Se quippe sub vero Domino famulum conspicit, ideoque cordis altitudine se super famulos non extollit. Vnde & protinus subdit: Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? Qui venturum iudicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarum in melius causas parat: quia dum æternum Dominum tremore cordis intuetur, intra temporalis dominij super subiectos moderari compellitur. Perpendit enim nil esse quòd temporaliter præest cæteris, quando illi ad reddendam rationem subest, qui sine fine dominatur. Qui eius iudicium, qui super omnia est, metuit: ad temporale iudicium famulis æqualis venit: & vt semper cor in humilitate deprimat, nequaquam in eisdem famulis, quòd sibi status est dispar, sed quòd natura communis. Vnde etiam subdit: Nunquid non in vtero fecit me qui & illum operatus est, & formauit in vuluâ vnus? Potentibus igitur viris magna est virtus humilitatis, considerata æqualitas conditionis. Omnes namque homines naturâ æquales sumus, sed accessit dispensatorio ordine, vt quibusdam prælati videantur. Quid si gratiam addas ad naturam? Quid si expendas omnes Christianos fratres esse, & vnius Dei & vnius Christi Domini conseruos? Vis aliquid loqui (ait Chrysostomus) Christum Dominum propone. Et ideò nos quoque in epistolis nomen Domini præponimus. Nam si consulum nomina efficiunt vt firmæ & validæ sint literæ, multò magis nomen Christi. Sic nos agnoscimus Christianos, cum non Dominos, sed vnius Christi Domini seruos inscribimus: sic tam fideles quàm humiles agnoscimur, cum inter fratres non vt Domini, sed vt conserui conspicimur.

Chrysost. orat. 10.

Gregorius lib. 21. Moral. cap. 10.

Tumor falsæ præsumptionis comprimitur cõsideratione veræ dominationis.

Chrysost. orat. 9.



CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

COmmendat orationem continuam, & honestam conuersationem: salutat, & epistolam prouulgat suam. Multa hæc, sed vno filo contexenda.

TEXTVS.

DOMINI, quod iustum est & æquum, seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hîc aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: & Iesus, qui

qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesiâ legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. Et dicite Archippo: Vide ministerium, quòd accepisti à Domino, vt illud impleas. Salutatio, meâ manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

INTER orandum meminerint sui & vinculorum suorum exhortatur, suisque & suorum salutationibus & commendationibus peractis, solitam apprecatur gratiam.

Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo &c. Iam istud prælibatum est, aliud tamen declarandum. Nimirum apud nos nullum propriè esse seruum, sed μισθωτὸν seu μισθοφόρον: mercenarium, qui operas locat, & inde pactas reportat mercedulas. Sunt ergo isti liberi, sed in diem, aut ad tempus seruiunt. Vnde, Seruus (vt placet Chrysippo) perpetuus mercenarius est. Non ista acuta ineptia, sed certa serui ac mercenarij differentiâ: nam mercenarius seruus est temporaneus; seruus perpetuus mercenarius: imò nec mercenarius nomine tantùm seruus est, re verò sui iuris & arbitrij: vt qui se elocet vltrò, seque pro libito liberet: seruus verò non elocatus, sed perpetuâ obstrictus operâ. Non ista inepta argutia, nec futilis aut vana, sed vtilis & vera serui ac mercenarij diffentia. Sed si Paulus voluit Dominos, iustos se & æquos præstare erga seruos suos, propriosve & addictos, quanto magis erga mercenarios, qui liberi, etsi miseri; nec aliâ necessitate, quàm fortuitâ pressi paupertate? Domini, benigni & humani estote erga seruos vestros, qui non solum homines naturâ, sed & fratres gratiâ: & illis non solùm quæ necessaria sunt exhibetote, sed & quæ commoda: licèt enim sitis nonnullâ fortunâ superiores, licèt nonnullâ gloriâ inflatiores: scitote tamen & vobis & illis communem esse Dominum, tam supremum, quam & incorruptibilem, qui de cœlis prospectat, & de vestrâ pietate, aut inhumanâ seueritate erga domesticos vestros diiudicat. Tandem ille ad extremum inde veniet iudicium, rationemque omnium citrà personarum acceptionem exiget. Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione &c. Iam præcepta ista generalia sunt, viris ac mulieribus, parentibus ac filiis, Dominis ac seruis communia: omnes enim indefessè orare debent, omnes continuè, incessanter, incunctanterque acceptas gratias recolere. Orantes simul & pro nobis, vt Deus

Apud Sen. lib. 3. de benef. cap. 22.

Quanta inter seruū ac mercenariū differentia.

A aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) vt manifestem illud ita vt oportet me loqui &c. Nec pro vobis duntaxat orate, sed & simul pro me vincto, & Euangelij gratiâ seu Christi causâ in vincula ista coniecto: orate, inquam, Deum, non vt faciat libertatem carceris, sed vt oportunitatem suggerat sermonis: vt tam liberè quàm & aptè annuntiem Euangelium, tantumque redemptionis ac salutis declarem mysterium omnibus gentibus. Ita de Paulo & Barnaba. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. Quomodo dimouisset obicem, & occasionem suggessisset.

Actuum capi 14.

In sapientiâ ambulate ad eos qui foris sunt, B tempus redimentes &c. Cauta sit ac circumspecta vestra cum infidelibus conuersatio, nè qua intempestiua sit vexatio, quæ pacē euertat, libertatemque Deo seruiendi, aut Euangelio ministrandi intercipiat. Vestrum est quodcumque est temporis: & illud vtique estis optimè redempturi, si prudenter inceditis. Ita Commentator Athanasianus. Sermo vester in gratiâ sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere &c. Si cum extraneis seu ethnicis hominibus agendum, si loquendum: videte quomodo vnicuique satisfaciatis, quid & quo pacto dicatis: non enim minùs comiter quàm sapienter cum illis agendum loquendumque. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychichus, charissimus frater, & fidelis C minister, & conseruus in Domino &c. Quantum ad res meas, ea vobis aperiet Tychichus, dilectissimus, qui eidem Domino seruit, operamque suam non minus fideliter quàm & gnauiter promouendo impendit Euangelio. Ipse vobis dicet quid agam, & quid ad Christi ministerium, & Euangelij successum disponam. Quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circà vos sunt, & consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hîc aguntur, nota facient vobis &c. Illum misimus cum Onesimo vestro, iam ad fidem conuerso, pietatemque sectato. Misimus, inquam ad vos, vt vestra mihi, nostra vobis referat, animumque faciat ad persistendum. Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus &c. Hic strenuus miles Christi, & Pauli comes

Comment. Athanas.

Quomodo cum extraneis seu ethnicis agendum loquendumque.

comes fidiſſimus. Impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Audis Macedonem, audi & Theſſalonicenſem. Comitatus eſt eum, Theſſalonicenſium, Ariſtarchus. Audi & fidelem. Perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi. Plures enim Paulum videntes captum, timuerunt deſerueruntque: at ille intrepidus Romam vſque, nedum Hieroſolymam, proſequi voluit, & fieri concaptiuus. Et Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum &c. Hic eſt Ioannes, cognomento Marcus. Ioannes autem, qui cognominatus eſt Marcus, diſcedens ab eis, reuerſus eſt Hieroſolymam. [Et] Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (vt qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphyliâ, & non iſſet cum eis in opus) non debere recipi. Sed reconciliatus eſt, & conſtantior factus, vtiliorque, idcircò literis probatus commendatitiis. Et Ieſus, qui dicitur Iuſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio &c. Salutat etiam vos Ieſus, qui dicitur ἴϛος. Hoc enim ſeu nomine, ſeu agnomine cognoſcitur. Illi ſunt Iudæi, hi ſoli ferè ad Dei regnum operarij, qui me ſolati ſunt amicâ conuerſatione, & ſubſidiariâ prædicatione promouendo cooperati ſunt Euangelio.

Actuum cap. 19.

Act. cap. 20.

Act. cap. 27.

Act. cap. 12. 13. & 15.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei &c. Vos pariter ſalutat Epaphras, ciuis veſter, & fidelis in Euangelio prædicando miniſter: ſolicitè adlaborans, & enixè orans, vt perfectè cognoſcatis voluntatem Dei, & integre incedatis perſiſtatiſque ad veritatem Euangelij. Teſtimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli &c. Teſtis ſum zeli illius pro vobis, tanquam diſcipulis amantiſſimis, & pro vicinis veſtris, eiuſdem fidei conſciis. Vt ſolicitos eos ſalutis ſuæ faciat, ait Ambroſ. aliorum vigilantia quanta ſit pro his oſtendit: clarioremque illis facit epiſtolam, quando eius, qui ciuis illorum eſt, teſtimonium reddit. Pro labore ζῆλος. Pro ſolicitudine ἀγωνιζόμενος. Grande ſtudium, ſed & grande teſtimonium. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas &c. Salutat vos Lucas Medicus, mihi chariſſimus. Et Demas, qui nunc adiutor fideliſſimus. Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam &c. Salutate Laodicenſes, vicinos ac fratres veſtros. Et Nympham, & Chriſtianam illius viri familiam. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite vt & in Laodicenſium Eccleſiâ legatur: & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis &c. Laodicenſes in Aſiâ, maxime verò in phrygiâ nobiles, imò & principes aut principales: & idcircò non ſolum ſpeciatim ſalutari iubet Apoſtolus, ſed & miſſam communicari illis epiſtolam: vt ſi ob viciniam idem periculum obreperet, idem etiam per doctrinam afferret remedium. Curate ergo vt epiſtola veſtra legatur in Eccleſiâ Laodicenſium: & eam quam mihi ſcripſerunt Laodicenſes, fidem ſuam ac pietatem conteſtantes, vos in Eccleſiâ veſtrâ, in

Ambroſ. in Paulum.

Vbi idem malum, ibidem adhibendum eſt remedium.

A exemplum charitatis, & ſanctitatis augmentum legitote. Et dicite Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti à Domino, vt illud impleas &c. Vos autem monete Archippum, Eccleſiæ veſtræ commiſtrum, vt diligentiùs incumbat operi, & vigilantiùs occurrat errori. Salutatio, meâ manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen. Salutatio, ſcripta manu propria. Gratia Chriſti ſit in vos effuſa. Vt impartitam ſalutem, ait Athanaſ. faciat firmiorem, & vt eius mandata corroboret, propriâ manu ſcripſiſſe hæc ſe confitetur. Si vobis, inquit, præſto hæc gratia fuerit, ſiue preſſuræ affligent, ſiue præpediant compedes, & carcer

Athanaſ. in Paulum.

B coërceat, nihil potuerunt hæc vobis obeſſe. Mei ſit apud vos recordatio, qui & vinculis hiſce adſtringor & condemnatus ſum. Ingens enim ſanè illis cum affligantur eſt conſolatio, Pauli reminiſci, vincti ac condemnati. Etſi non ad mortem, certè ad carcerem.



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

MVLTA ſunt requirenda ſimul & diſquirenda, tam de epiſtolâ Coloſſenſium, quàm & de Laodicenſium. Denique de Nympha, & aliis nonnullis.

C

DISQVISITIO I.

De epiſtola Coloſſenſium.

CErtum eſt: epiſtolam iſtam Romæ à Paulo ſcriptam, cùm eſſet in vinculis: ſemel enim & iterum meminit vinculorum ſuorum: imò & finem imponens, abrumpenſque ſalutationem, æternam ipſorum infigit memoriam. Memores eſtote vinculorum meorum. Iam enim

D manu propriâ ſalutationem aggreſſus, & optanda meditatis beneficia, quaſi graphio inter catenas ipſas dilapſo; reſumit, aitque, Alius forſan diceret, Ignoſcite: ego verò, Mementote vinculorum meorum, & id mihi ad meritum dari, vobis ad exemplum imputari cogitate. Papè! (exclamat Chryſoſtomus) quanta conſolatio. Hoc enim ſufficit ad eos ad omnia adhortandos, & ad reddendos eos fortiores ad omnia certamina. Soluit metum. Etſi enim doctor eſt in vinculis, gratia tamen eum ſoluit. Et hoc quoque eſt gratiæ, concedere vt ipſe ſit vinctus.

Chryſoſt. orat. 12.

E Reuera enim dignum eſſe, habitum eſt, & contumeliam eſſe paſſum, & vinctum eſſe. Si quis enim habens quempiam quem amat, lucrum eſſe putat, ſi propter illum ſit paſſus quidpiam, multò magis propter Chriſtum. Audi enim Lucam dicentem, Reuertebantur Apoſtoli à facie concilij, gaudentes, quòd digni eſſent habiti pro nomine ipſius contumeliam pati. Ne ergo nos ægrè feramus afflictiones propter Chriſtum, ſed vinculorum Pauli nos quoque ſimus memores. Et hoc eſt nobis adhortatio. Vt, ſuades aliquibus pauperibus date propter Chriſtum. Reminiſcere vinculorum Pauli, & te & illos

Qui meminit vinculorum Pauli, inuenit mali omnis remedium.

illos pronuntia miseros, si ille quidem & corpus vinculis dedit propter ipsum: tu autem ne cibum quidem impertiris. Es elatus propter benefacta: recordare vinculorum Pauli, & quòd nihil tale sis passus, nec adhuc patiaris. In desideriis aliquorum bonorum proximi, memento vinculorum Pauli, & videbis quàm sit absurdum illum quidem esse in periculis, te autem in deliciis. Rursus deliciarum teneris desiderio, tibi veniat in mentem carcer Pauli; es illius discipulus, es illius commilito. Quomodo est rationi consentaneum, vt commilito quidem sit in vinculis, tu autem in deliciis? Es in afflictione, existimas te esse derelictum: audi verba Pauli, & videbis quòd esse in afflictione, non est indicium derelictionis. Quibus ergo dicit Paulus, Mementote vinculorum meorum? Omnibus dicit. Cum ad omnes, (vti dixit Tertullianus) scripserit, dum ad quosdam. Quod enim Colossensibus dicit, omnibus dicit.

Tertullian. lib.5. aduers. Mar. cap. 17.

Certum est secundò, eodem ferè illam tempore scriptam, quo missa est alia ad Ephesios primò, & alia vltimò ad Hebræos. Et quidem quod illa, quæ ad Hebræos, scripta sit in iisdem vinculis, patet ex eo quod ait Paulus: Nam & vinctis compassi estis. Seu, vt ex Græco. Nam & vinculis meis compassi estis. Dixi autem, vltimò: nam in Epistolâ ad Philippenses, vbi de Timotheo: [Hunc, inquit, spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt.] Et illa Scripta est in vinculis, sed prior illa quæ ad Hebræos ipsos: nam in illa sperabat tantùm, in istâ verò iam impleuerat. [Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos.] In illâ confidebat se venturum, in istâ præsumebat dimissum iam Timotheum se forsan præuenturum. In illâ: [Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.] Nondum enim statum viderat rerum suarum, nec adhuc propositum suum firmauerat. In istâ verò: [Amplius autem deprecor vos facere, quo celerius restituar vobis.] Adhuc quidem detentus, quia adhuc vinctus. Inde, [Mementote, ait, vinctorum tanquam simul vincti.] Sed qui pertum iam tangeret libertatis, statumve captiuitatis verteret; quasi propediem profecturus, iamque viæ suæ ordinem meditatus. Sed ne diutiùs immoretur in itinere, & multitudine Ecclesiasticorum retardetur negotiorum: vult orari, vt celeriùs reddatur Iudæis, vt citius à remoris absoluatur. Itaque in illâ videbat præsentiebatque res suas maturari, in istâ, terminari, seque absolui & exolui, abire liberum, nuncque in Phrygiam, nunc Ierosolymam versùs tendere. Sed in epistolis aliquid elucet, quod non solùm generositatem probet Pauli patientis, sed & styli germanitatem redarguentis. Cum enim hæretici, maximè verò Simoniani, totum infestassent orientem, Christumque & crucem eius abnegassent: occurrit Paulus tanquam sapientissimus medicus, & errori serpenti eadem vbique suggerit remedia. Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Quinam illi, nisi Simoniani? Ex iis quippe, Primus omnium Simon Magus, ausus est dicere, se, qui esset sapientia, descendisse apud Iudæos: se in phantasmate Dei non passum, sed esse quasi passum. Ii sunt inimici crucis Christi, & inde ventris ac libidinis omnis operarij: qui non solùm omnifariam exercerent immunditiam, sed & spurcitiam suam, (quod horrendum dictu, sed indignum relatu) in latriam erigerent. Inde igitur in iisdem epistolis, easdem aduersùs scelestos illos iaculatur sententias, paribusque armatur reprehensionibus: vt qui deiectâ cruce, & simulatâ pietate, Angelicam profiterentur religionem, propudiosam nihilominus & infandam sectarentur libidinem.

Heb. cap. 10. — Philippens. cap. 2. — Heb. cap. 13. — Simoniani de falsâ & impiâ doctrinâ in multis epistolis conuicti. — Philipp. c. 3. — In Supplem. Tert.

Certum est tertiò, epistolam quæ scripta est ad Ephesios, illam præcessisse, quæ scripta est ad Philippenses, & eam quæ ad Colossenses: imò ante omnes quæ Romæ scriptæ sunt, è primis vinculis exiisse. Cum enim Asiani, maximè verò Ephesij Iudæi conspirassent aduersùs Paulum, prouocassentque populum Hierosolymitanum, vt manus iniicerent, imò & occiderent; & inde reuersi in patriam, alienassent contribules suos, fideles factos: statim ac Paulus Romam ingressus est, & aliquâ requie, seu primâ libertate potius, scripsit ad ipsos Ephesios, tum & ad Timotheum Ephesiorum Episcopum; misitque Tychicum, vt illos contineret in officio; ipsum verò vrgeret, necessario adhibendum ministerio. Ita Paulus coram Felice Præside. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent aduersùm me: aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis. Asiani, maximè verò Ephesij. Ita Paulo ante. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asiâ erant Iudæi, cum vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus. Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus. Quidam tamen ex istâ prouinciâ nobiles & illustres viri Paulo ad fuerant in Ephesinâ ciuitate, eumque à proximâ captiuitate redemerant. Quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum. Statim ergo vt licuit respirare Romæ, cogitauit de Tychico Ephesum mittendo. Tychicum autem misi Ephesum. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium. Aberat igitur Timotheus, quando per Tychicum siue per alium ad ipsos scribebat Ephesios, & solus ferè remanserat. Ita in limine epistolæ, nullus præter Paulum ipsum inscriptus. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi. Mox accessit Timotheus, vt qui secundùm Pauli præceptum & monitum Tychici festinauerit: vnde & in epistolis ad Philippenses, & ad Colossenses inscriptus est. Sed præcessit illa quæ ad Philippenses, nam nondum certus de profectione. Siue cum venero, & videro

Actuum cap. 24. — Act. cap. 21 — Iudæi semper aduersùs Paulum tumultuati. — Act. cap. 19. — 2. Timoth. cap. 4. — Ephes. cap. 1. — Philipp. c. 1.

videro vos, siue absens. In illâ autem quæ est ad Colossenses, quasi de liberatione securus, ne dicam, & ad iter accinctus est. Vnde ad Philemonem Colossensem. Para mihi hospitium. At illa epistola simul per Tychicum & Onesimum à Paulo missa adhuc vincto. Quæ circà me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, quem misi ad vos, cum Onesimo charissimo, qui ex vobis est. Primò igitur omnium post aduentum suum, Paulus Ephesum Româ Tychicum misit, accersiuitque Timotheum: postea Tychicum Epheso reuersum, destinauit in magnam Phrygiam & Colossas ipsas adire iussit. Denique illa, quæ est ad Hebræos, videtur omnium vltima: nam Hebræis iam dimissus est Timotheus, qui Colossis adhuc detinetur prope diem dimittendus. In vnâ epistola finem attingebat captiuitatis, in alterâ rationem exigebat libertatis, iamque suos præmittebat discipulos, liberationis ac profectionis nuntios. Sic igitur epistola Ephesiorum scripta est anno Christi quinquagesimo nono: Colossensium, sexagesimo. Biennio verò in vinculis iam exacto, solutus anno Christi sexagesimo primo, & liber abire permissus est, sed mox liberandus, dimisit Tymotheum, tum & ad ipsos scripsit Hebræos, statim secuturus. Verùm si in his sitæ sunt res Græciæ, non tamen & ipsa res gratiæ.

Coloss. c. 4.

DISQVISITIO II.

De epistolâ Laodicensium.

LAudicæa seu Laodicia, metropolis Phrygiæ, vrbs celeberrima in Asiâ Lyco flumini imposita: sed inde nobilior & illustrior, quod à Ioanne inter celebriores Asiæ Ecclesias numerata, licèt vltima. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei. Id est, Deus ipse. Nam vt notat Auctor titulo Ambrosij. Non ideò se principium creaturæ Dei dicit, quòd ipse sit creatura, sed quòd ab ipso omnia sint creata, vtpote architectus fecit domum. Si interrogaueris qui fuerit principium domûs, dicetur tibi: Artifex, qui eam priùs mente concepit, & postea ædificauit, quia domus sibimetipsi principium dare non potuit. Vnde, Amen verè, siue fideliter interpretatur. Quod est Amen, hoc est testis fidelis & verus. Tantumdem igitur est ac si diceret: Hæc dicit, scribitque Deus ipse seu Christus, qui est veritas ipsa, & in quo tota est diuinitas. Si Christus scripsit ad Laodicenses, quidni scripsit & Paulus? Cum lecta fuerit apud vos epistola, facite vt & in Laodicensium Ecclesiâ legatur; & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. Vbi Chrysostomus: Mihi, inquit, videntur esse quædam ex iis quæ illic scripta sunt, quæ hos etiam oportebat audire. Et his maior erat vtilitas, cum aliis reprehensis sua peccata agnoscerent. Si & ad Laodicenses scripsit Apostolus, sunt igitur plus quàm quatuordecim epistolæ; sed non omnes in canonem receptæ, vel ob aliquod dubium, vel ob mysterium certo numero comprehensæ. Rectè enim vita sanctæ Ecclesiæ, (vt loquitur Gregorius) multa multiplicata per decem & quatuor: quia vtrumque testamentum custodiens, & tam secundùm legis decalogum, quàm secundùm quatuor Euangelij libros viuens, vsque ad perfectionis culmen extenditur. Vnde & Paulus Apostolus, quamuis epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius quàm quatuordecim tenet: vt ex ipso epistolarum numero ostenderet, quòd doctor egregius, legis & Euangelij secreta rimasset. Nec de illa epistolâ loquitur, quæ tertia est, imò prima ad Corinthios, de quâ Paulus meminit: Scripsi vobis in epistolâ, ne commisceamini fornicariis. Sed quæ nobis excidit tota. Cur enim de illâ loqueretur, cuius nullæ superessent reliquiæ? vel quid mirum, quodve mysterium, quod Ecclesia non teneret epistolam, cuius nullam haberet memoriam, aut cuius nulla prorsus extarent vestigia? Sed illa, quæ est ad Laodicenses circumferebatur, passimque à doctis & indoctis legebatur. Nec mirandum quod exciderint quædam scripta Pauli, cum tot libri, etiam in Scripturis sanctis laudati, vel iniuria temporum, vel asseruantium incuriâ, perierint integri. Vbi nunc liber bellorum Domini? Liber iustorum. Liber verborum dierum Salomonis? Quid addam tot historias consepultas Regum ac Principum, tot visiones ac sermones prophetarum, seu Isaiæ, seu Ieremiæ, tot conscripta volumina, quæ à sacris citantur auctoribus, nec cum sacris auctoribus computantur?

Apocal. c. 3.

Ambros. in cap. 3. Apocalyp.

Chrysost. orat. 10.

Gregorius lib. 35. Moral. cap. 15

Mysterium in epistolis Pauli comprehensum

1. Corinth cap. 5.

Num. c. 21.

Iosu. cap. 10

3. Reg. c. 1.

Verumtamen necesse non est diutiùs in his immorari, aut exspatiari longiùs: Laborant enim homines in discendo, (vt dicit Augustinus) & breuia non valent intelligere, prolixa non amant legere. Laborant itidem in docendo, qui & pauca tardis, & multa pigris frustrà ingerunt. Dicendum igitur breuiter, intelligibiliterque concludendum, nullam esse, aut fuisse vnquam legitimam Pauli Apostoli ad Laodicenses epistolam. Quam enim ad Ephesios, vt Tertullianus loquitur, præscriptam habemus, hæretici verò ad Laodicenos Constat legitimam quidem fuisse, sed malè ab hæreticis, maximè verò à Marcionitis inscriptam, vtpote Ephesiis ipsis debitam. Illa verò alia, quæ circumferebatur, & adhuc offertur; non solùm alia est, sed & ab Apostolo Paulo aliena: licet enim ad Laodicenses directa sit, & ad Colossenses reducta; tamen ab aliquo nugiuendulo consarcinata est, qui otio abuti voluit, nec vti potuit ingenio. Scripsit enim Paulus, (ex Hieronymo) nouem ad septem Ecclesias epistolas, ad Romanos vnam ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Colossenses vnam, ad Thessalonicenses duas: præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam: & illam, quæ fertur ad Hebræos. Legunt autem quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. Non enim vera est ac germana, sed adulterina & supposititia. Quod ergo ait Paulus, Et eam quæ Laodicensium est vos legatis. Ex Græco καὶ τὴν Λαοδικείας, non habet difficultatem: non enim innuit à se ad Laodicenses,

Augustin. epist. 101. in fine.

Tertullian. lib. 5. aduers. Marc. cap. 11.

Hieronym. in catal. de script. Ecclesiast.

Chrysost. orat. 12.

Laodicenses, sed à Laodicensibus ad se fuisse A scriptam missamque. Quidam, ait Chrysostomus, dicunt non Pauli ad ipsos missam, sed quæ ab ipsis ad Paulum. Non enim dixit, Eam quæ est ad Laodicenses, sed quæ scripta est à Laodiceâ. Scripserat igitur ad Paulum Ecclesia Laodicea, & fidem illi suam testatam fecerat charitatemque. Vt ergo permoueret Colossenses Apostolus; & exemplo vicinorum fratrum accenderet; iubet & eam legi epistolam, quæ ex Laodiceâ scripta est, vt sciant quales esse debeant, nec verbo tantùm instructi, sed & verbo prouocati, in melius semper meliusque proficiant. Cur autem non rescripserit Paulus ad Laodicenses, quamuis ipsi scripserint; scripserit autem ad Colossenses, licèt ipsi non scripserint: causa est, quia instabat Epaphras, nobilis Colossensis, rogabatque pro suis in aperto constitutis periculo. Testimonium illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis. Existimauit igitur Paulus necessarium esse scribi ad Colossenses: sed & dignum iudicauit iustumque, non solùm salutari Ecclesiam Laodicenam. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ. Sed & epistolam illi protinus communicari. Et cum lecta fuerit apud apud vos epistola, facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur. Ita vnicâ epistolâ & respondit scribentibus, & succurrit non scribentibus; & obsequio necessitatis, & pietatis satisfecit officio.

Vnicâ epistolâ Paulus & necessitati satisfecit ac pietati.

DISQVISITIO III.

De Marco, Et Archippo.

ISte inter salutantes est, non solùm in istâ epistolâ; sed & in illâ, quæ est ad Philemonem. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, & Marcus Aristarchus. Hìc verò Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: Si venerit ad vos, excipite illum. In quibus requirendum est cur dicatur consobrinus Barnabæ? Nimirum vt illum notâ aliquâ insigniret, & ab alio Marco secerneret. Hunc quidem, qui sanguine Barnabam contingeret, Marcum laudat: præstabat enim & Barnabas fidei magnitudine. Et Marcus quidem consobrinus Barnabæ, idem est cum eo qui à Luca dicitur filius Mariæ, apud quem collecta Hierosolymis erat Ecclesia: sed alius planè ab eo Marco, qui Romam secutus petrum, ibidem scripsit Euangelium. Paulus Romæ Euangelizans, ait Basilius, & Iacobus in Hierusalem, & Marcus Alexandriæ, ac alius aliâ in ciuitate spiritu adimplebatur, nullo in eodem tempore prohibente interuallo eandem fieri gratiam. Eodem tempore quo Paulus agebat Romæ, cum eo aderat Marcus consobrinus Barnabæ: sed tum Marcus Euangelista Alexandrinam excolebat regebatque Ecclesiam. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.[Aliàs.] Quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus. Et propius ad Græca est enim συνεκλεκτή: nisi quod non

Epist. ad Philem.

Athanas. in Paulum.

Basil. lib. 5. aduers. Eunom. vers. finem?

1. Pet. cap. 5.

additur [Ecclesia].Sed sub intelligitur:nec Ecclesia solùm, sed & Romana concipienda est. Petrus in epistolâ primâ, (verba sunt Hieronymi) sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus. Hoc nimirum anno, quo Petrus primam scripsit epistolam, nempe Christi quadragesimo quinto, Claudij tertio, misit & Marcum filium suum secundùm spiritum, Alexandriam, & illi regundæ Ecclesiæ commisit prouinciam. Distinguendus ergo Ioannes Marcus consobrinus Barnabæ, & B Marcus Euangelista, Episcopus Alexandriæ: istum quippe dicunt plures fuisse interpretem Petri, illum sciunt omnes fuisse Pauli comitem. Et quamuis ambo Iudæi fuerint, seu, vt Paulus loquitur, Ex circumcisione. Marcus tamen Euangelista insuper creditus ex genere sacerdotali progenitus, & vnus ex illis, de quibus scribitur. Multa turba sacerdotum obediebat fidei.

Hieronym. catal. de script. Eccles.

Alius Marcus Euangelista, alius Barnabæ cōsobrinus.

Act. cap. 6.

Archippus ille famosus inter suos, sed famâ non adeò bonâ, sub curâ tamen constitutus Apostolicâ. Ita ad Philemonem. Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater: Philemoni dilecto, adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni C nostro. Hìc autem. Dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas. In quibus habes tria. Primum est, fuisse ministrum, & commiltionem Pauli: alterum, indiguisse admonitione in opere ministerij: tertium, correctum fuisse probatumque.

Quoad primum. Ministerium quidem accepit, sed quale. Nam gradus omnes Ecclesiastici à summo ad infimum, seu, vt dicunt, à primo ad vltimum, ministeriales sunt, omnes sub ipso comprehensi ministerio. Omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister. Græcè διάκονος. Siue D legatum egerit, siue tabellarium. Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis. Quin & fœminæ ministerio Ecclesiastico adhibitæ. Commendo autem vobis phœbem sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris. Plus aliquid elici potest ex commilitonis verbo: bis enim à Paulo vsurpatum est: semel in epistolâ ad philemonem, iterum ad Philippenses. Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos. Quid ergo? erit Archippus Episcopus Colossensium, sicut Epaphroditus Colossensium? Quid si vterque Apostolus suorum, & neuter illorum Episcopus? Dicti sunt E enim Apostoli, non solùm ob gradum, sed & ob ministerium seu prædicationis Euangelicæ, seu publicæ functionis. Nec cogit aut impellit commilitonis verbum, quod etsi à nullo alio scriptore sacro, quàm à Paulo vsurpatum sit, cuiuis tamen vsui commodum est & idoneum. Tibi veniat in mentem carcer Pauli, (ita dixit Chrysostomus) es illius discipulus, es illius commilito. Quomodo est rationi consentaneum, vt commilito quidem sit in

1. Corinth. cap. 3.

Rom. c. 16.

Philipp. c. 2.

Chrysost. orat. 12.

vinculis,tu autem in deliciis? Quiuis ergo legitimus Christianus est Pauli commilito, & Paulus commilito cuiuſuis legitimi Christiani.Sunt enim commilitones, qui pariter militant,ſimul laborant, & mutuam in aliquo negotio nauant operam. Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis. Poſſet dicere commilitones ſuos, non minùs quàm concaptiuos, cum & ipſi pariter laborarent, ſimulque militarent. Imò & de fœminis: Salutate, inquit, Mariam: quæ multum laborauit in vobis, & Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Certè Archippus non potuit fungi apud Coloſſenſes epiſcopali munere, ſi Epaphras tali honore ſublimatus eſt.Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu. Equidem fuit ille Coloſſenſium Apoſtolus, fortean & illorum Epiſcopus: ſed ſi fuit,alius non fuit, cum ille adhuc in viuis eſſet, & ſuorum curam etiamnum ageret. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper ſolicitus pro vob s in orationibus vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Sed nec gradus anxiè aut ſcrupuloſè requirendus eſt: cum ſufficiat Epaphram præſentem miniſterium geſſiſſe Apoſtolicum, abſentem autem Archippo, quaſi vicario commiſiſſe.

Rom.cap. vlt.

Archippus conſtitutus Epaphræ vicarius.

Quoad ſecundum. Laudabilis quidem apud ſuos Archippus, probus ac multum commendabilis, ſed nondum in totum, quod tanto neceſſarium eſt officio, irreprehenſibilis. Sed quid mirum, milites fuiſſe imbelles, cum duces ipſi reprehenſionem effugerent; cum nec arietes ipſi meritis, animiſque gregem præcederent? Id ſi dubitas (ita Tertullianus) euolue quid Spiritus Eccleſiis dicat: Deſertum dilectionem Epheſiis imputat: Stuprum & idolothytorum eſum Thyatirenis exprobat: Sardos non plenorum operum incuſat. Pergameneos docentes peruerſa reprehendit: Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat. Aquin non tam ipſos, quàm ipſorum Angelos rectores, paſtores-ve, per ſtellas ſuboſtenſas deſignatos. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc. Hic, ait Ambroſius, non ſe de præſentibus & futuris tantummodo, ſed & de præteritis prophetiam texuiſſe. Scribe ergo quæ vidiſti, id eſt, quæ de præteritis tibi oſtenſa ſunt. Quæ ſunt, quæ fieri oportet, id eſt præſentia & futura. Myſterium ſeptem ſtellarum quas vidiſti in dexterâ meâ, & ſeptem candelabra aurea: ſubauditur, quid ſignificent. Quid autem ſignificent, ſubdendo manifeſtat. Septem, inquit, ſtellas Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, & ſeptem candelabra aurea, ſeptem Eccleſiæ ſunt. Septem igitur Angelos, rectores ſeptem Eccleſiarum debemus intelligere, eo quòd Angelus nuntius interpretatur: & qui verbum Dei populis annuntiant, non inconuenienter Angeli, id eſt, nuntij vocantur. Et ſicut per ſeptem Eccleſias, vna Eccleſia catholica; ita & per ſeptem rectores ſeptem Eccleſiarum, omnes rectores Eccleſiæ catholicæ deſignantur. Sicut hominum eſt regere pecudes, ſic & Angelorum homines paſcere. Itaque ſicut maxima lucis claritatiſ-ve ſtellas inter & candelas eſt diffe-

Tertullian. lib.de pœnitent.cap.8.

Ambroſ. in cap.1. Apocalypſ.

Epiſcopi per ſtellas & Angelos deſignati.

A rentia, ſumma beatos inter Angelos, & homines mortales virtutis celſitudiniſque diſtantia: ſic & inter rectores duceſque & vulgares fideles, tantum differre debet quantum inter cœlum & terram, tantum intereſſe quantum aurum inter & ſcoriam. Quid verò ad Angelum Laodiceæ. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Frigidus non erat, ait Ambroſius, quia quamuis opera fidei non haberet, ſolâ fide ſe iuſtum exiſtimabat. Calidus non erat, quia charitas illi deerat. Vtinam frigidus eſſes aut calidus. Id eſt, vtinam aut charitate ferueres, aut te peccatorem, ſicut es, exiſtimares. Sed quia tepidus es, B incipiam te euomere ex ore meo. In os Domini tunc ingredimur, quando per baptiſmum à vitiis omnibus emundati, membra eius efficimur. Igitur, ſi fidem, quæ per charitatem operatur, & quam in baptiſmate promiſimus, à charitate tepeſcentes operari neglexerimus, ab ore Domini, veluti quoddam nocuum ac faſtidioſum reiicimur. Suadeo tibi emere à me aurum probatum. Probatum autem dicitur, quia probatos & perfectos reddit omnes quos poſſidet.

Ambroſ. in cap. 3.

Quoad tertium. Non dico Archippum à Chriſto ſpeciatim reprehenſum, ſed à Paulo C nominatim admonitum: verùm & addo non correptum duntaxat, ſed & correctum. Certè ſi Epiſcopus non erat Archippus, nihilominus gradum habebat in Eccleſiâ, dum in ipſâ miniſterium gerebat Eccleſiaſticum: imò & abſente præſule, ipſam adminiſtrabat Eccleſiam. Si ſe ſegniter non gereret, ſi non errori & diſcrimini negligenter occurreret; non iuberet Paulus à totâ Eccleſiâ, ſeu à ſubditis ipſis palàm ac publicè moneri, aut certè in occulto conueniri. In occulto enim admonere & reuerenter, ait Aquinas, hoc poteſt etiam ille qui non eſt par. Vnde Apoſtolus ad Coloſſenſes vltimo ſcribit de ſubditis, vt prælatum ſuum admoneant, cum dicit, Dicite Ar- D chippo, Miniſterium tuum imple. Vbi tamen immineret periculum fidei, etiam publicè eſſent Prælati à ſubditis arguendi. Vnde & Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem, Petrum publicè arguit. Admonendus igitur Archippus corripienduſque, licèt Prælatus. Cur ergo Paulus non ſcribit ad ipſum? Fortaſsè, ait Chryſoſtomus, ſed ſolâ nudâ admonitione, vt fieret diligentior. Vir enim erat bonæ ſpei, ac fidei ſinceræ, qui admonitionem admitteret, & vltro ſe ad meliorem frugem reci- E peret. Sed in ipſâ admonitione Archippi, ſeu miniſterij mentione, tria ſunt obſeruanda. Primum eſt, Paulum, vituperationem viri temperare per conſiderationem miniſterij. Piger eſt, ſed miniſter. Magnum encomium, ait ille, & maius aliis omnibus. Miniſtrum ipſum pro ipſis dicit, ſicut & ſe miniſtrum Eccleſiæ. Vt quando dicit, Cuius ego fui Paulus miniſter. Ad eandem dignitatem virum effert, & conſeruum eum vocat. Alterum, admonitionem quidem iniungere, ſed increpationem auertere. Dicite Archippo. Vide miniſterium quod accepiſti. Eos maximè ipſi ſubiicit. Non poterunt enim amplius illum arguere ipſos increpantem, quando ipſi vniuerſum

Aquin. 2.2 q.37. art.4. ad.2.

Chryſoſt. orat. 12.

Chryſoſt. Ibidem.

vniuersum susceperint. Non est enim rationi consentaneum, vt discipuli dicant de præceptore. Sed eis os obstruens hoc dicit, Dicite Archippo. Vide. Tertium, sic extollere ministerium, & discipulum continere, vt vtrumque premat, & reducat ad officium. Vide, inquit, ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas. Non finit eum esse dominum, sicut ipse dicebat: Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi est credita. Accepisti in Domino, id est, per Dominum. Ipse tibi dedit, non nos. Et illos ei subiicit, quando ostendit id ei fuisse traditum à Domino. Ita Chrysostomus. Sic ergo se res habet. Abscedente Epaphra, seu, vt ille dicit, Epaphrodito, & ad Paulum proficiscente: deliberatum est de pastore, non tam succedente, quàm supplente. Eminebat inter omnes Archippus, idcircò oculi omnium in ipsum intenti: electus est voto publico, fortean & signo aliquo confirmatus. Sed cum in honore esset, non intellexit, intepuit, suoque defuit ministerio. Verùm sicut Demas tandem sui meminit, & ita profecit, vt in Episcopum eligeretur, diuinoque probaretur testimonio: sic & Archippus ad mentem rediit, sicque pietatem coluit, vt non solum plenè & integrè accepto fungeretur ministerio, sed & in albo sanctorum recenseretur, æternoque beatorum fruetetur præmio.

Ministerium non ab hominibus, sed à Deo accipiendum.

DISQVISITIO IV.

De Nympha & domesticâ Ecclesiâ.

ET illum salutari iubet Apostolus, & domesticam eius Ecclesiam. Salutate fratres qui sunt Laodiciæ, Et Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. Ex quibus tria elicias. Primum est, Nympham, Laodicensem fuisse, non Colossensem. Iam enim transiit Paulus ad Laodicenses, additque, Et Nympham: secernit enim à turbâ, sed in eadem relinquit Laodicensium fratrum Ecclesiâ. Alterum, virum esse, non fœminam: non solùm quia connumeratur inter fratres, sed & quia domestica eius, Græcè αὐτοῦ, demonstratur. Innumera sunt eius terminationis nomina: sed apud Paulum Iunias, Lucas, Stephanas: sic erit & Nymphas. Tertium, fuisse magni nominis virum: non solùm, quòd à cæteris secernatur, sed & quod magnæ præponatur familiæ: non enim Ecclesia dici solet duorum aut trium numerus, sed magni conuentus populi. Alij autem aliud clamabant: erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant, quâ ex causâ conuenissent. Et cum sedasset Scriba turbas, dixit: Viri Ephesij: Si quid quæritis, in legitimâ Ecclesiâ poterit absolui. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam. In quibus tria subnotanda sunt. Primum est, Scribam illum non fuisse Alexandrum Iudæum, vt opinatus est Baronius, sed virum inter suos ciues Ephesinos, gentiles tamen seu ethnicos tam dignitate quàm & auctoritate conspicuum. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat rationem reddere populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium,

Actorum cap. 19.

Baron. Tom. 1. Annal. 57.

A quasi per horas duas clamantium. Vides Alexandrum Iudæum turbam iam turbatam non sedasse sed potius irritasse: post interuenisse scribam, & turbam, seu tumultum impetum-ve compressisse. Adeo probabile est, Alexandrum istum hominem fuisse factiosum, & à suis excitatum de medio, non vt causam oraret Pauli, sed vt in caput illius iram effunderet populi. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris. Ita Paulus ipse ad Ephesinum Episcopum. Alterum est, per legitimam Ecclesiam non intelligendam synagogam, vt & ipse arbitratus est, sed Ephesinam politiam, seu iudicis præsidisue

2. Tim. c. 4.

B sententiam. Duo enim distinguit scriba, vnum quasi ordinarium, alterum quasi extraordinarium, aitque: Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. En quod extraordinarium: non enim ciuium, sed proconsulum seu præsidentium in prouinciis non Asiaticis solùm, sed & Africanis causas controuersias-ve diebus statutis, & designatis vrbibus dirimentium. Sol ille, ait Tertullianus, in conuentu Viticensi extincto penè lumine, portentum fuit. Quoad ordinarium verò, Si quid autem alterius

Legitima Ecclesia est iudicum iuxta leges decernentium.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. 3.

C rei quæritis, in legitimâ Ecclesiâ poterit absolui. Certè homo gentilis synagogam non vocasset Ecclesiam legitimam, nec ad Iudicem prouocasset incompetentem. Sed paucis verbis: Vel Demetrius habet aliquid singulare & extraordinarium, vel aliquid commune & ordinarium: si illud, adeat proconsules Romanos; si istud, ordinarios Iudices adhibeat: res enim secundùm leges & consuetudines expediti poterit, In legitimâ Ecclesiâ poterit absolui. Tertium denique, Ecclesiam semper sumi pro numerositate populorum, seu conuenientium hominum multitudine. Ita Paulus, Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos. Et quod ille scribæ dixit Ecclesiam, conuentum dicere

1. Corinth. cap. 11.

D potuit, sicut & conuentum dicere voluit Ecclesiam.

Redeo ad Nympham & dico ex Chrysostomo: Vide quidem certè, quàm magnum eum ostendit esse virum Apostolus, siquidem domus eius erat Ecclesia. Salutate, inquit, fratres, qui sunt Laodicææ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. Vide quomodo eos conglutinat, & inter se coniungit, non solùm quòd salutauerit, sed etiam quòd epistolas reddiderit. Deinde rursus gratificatur, eum seorsum appellans. Hoc autem facit non temerè, sed alios ad eandem adducens æmulationem. Neque enim

Chrysost. orat. 12.

E est parùm, quod non connumeratur cum cæteris. Vides ergo tria simul collecta. Primum, ciuem fuisse Laodicensem, non Colossensem: alterum, fuisse virum: tertium, eximium fuisse & egregium, quasi è grege seu plebe selectum. Idcirco igitur Aquinas vocat hominem. Alienæ Ecclesiæ. Eo quòd legat Laodicensis esse, non Collossensis Ecclesiæ. Nec tamen virum alienum reputat aut extraneum, cum & familiam erigat in Ecclesiam. Non ergo laus minor à pietate, quàm à nobilitate. Magnam familiam habuit, benè est: fecit Christianam optimè: ex priuatâ domo, publicam instituit Ecclesiam, in quâ

Aquin. lect. 1.

Non minor imò maior laus pietatis, quàm nobilitatis.

ipſe præeſſet, & tanquam ſi eſſet in domo Dei, quæ diuina ſunt ageret, vana procul abigeret, viam ſalutis tam verbo, quàm exemplo ſuis demonſtraret, diſciplinam obſeruaret ſanctis congruam. Quid melius, quid & ſanctius? Sed quid improbius, quid & iniquius, quàm Eccleſiam Dei negotiis implicare, profanare ſacrilegiis, quæ vel ædes priuatæ non ferrent, aut publicæ leges plecterent? Domus, ait Chryſoſtomus, priſcis temporibus Eccleſiæ erant, nunc ipſa Eccleſia in domum redacta eſt. Nihil in priuatâ domo carnale loquebantur, nihil nunc in Eccleſiâ ſpirituale memoratur. Cumque Deus loquatur, non modò ipſum ſilentio non auditis, verumetiam contraria inferentes inculcaris. Quis non defleret tam amarè, quàm & acerbè, imò quis flendi faceret finem, ſi tanti rem momenti, tantoque magis deplorandam, quanto minus deploratam attenderet. Priſci illi viuebant in domo ſuâ, tanquam in templo Dei, tanquam Angeli Dei in cœlo: miniſtrabant ipſi domini, cibumque ſalutis, ſeu virtutis exemplum, ſuis diſpenſabant domeſticis: familiam habebant, ſed volebant Chriſtianam, id eſt, caſtam ſanctamque. Denique ea quæ ſibi propria, prouulgabant, & priuatam domum, publicam conſecrabant Eccleſiam: nunc in Eccleſiis negotia tractantur velut in nundinis, & ex publicis templis priuata coagmentantur ædificia. Sed hæc ad tropologiam.

Chryſoſt. Hom. 33. in Matth.

TROPOLOGIA.

In ſapientiâ ambulate ad eos qui foris ſunt.

Magnâ quidem prudentiâ Chriſtianis opus erat, ad vitandam perſecutionem ſeu vexationem redimendam; ſed magnâ conſtantiâ ad præſeruandam fidem, & religionem retinendam: denique, ſi quid zelo minus conſiderato pro Deo perpetratum eſt, animo fide firmato, religione confirmato, ſubſignandum.

Matth. c. 10

Quoad primum. Opus arduum, nedum eximium munus quod Chriſtus ſuis imponit diſcipulis. Idcircò ſic infit. Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Quid, Ecce? Nouum aliquid & inauditum. Noua hæc prælij lex eſt, (ait Chryſoſtomus) Nudos enim mittit: ſed ſuam virtutem oſtendit, dicens, Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum? Vbi conſiderandum eſt, quòd non ſimpliciter ad lupos, ſed in medio luporum mittit; vt ſic ſuam virtutem magis demonſtrent, cum oues lupos ſuperauerint, etiam in medio luporum exiſtentes. Multo enim mirabilius eſt & maius tranſmutare mentes eorum, quàm eos interficere? Sed quid facto eſt opus? Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes. Quæ illa conſequentia? Si enim à Chriſto miſſi, ſi diuino protecti ſunt auxilio, nihil timendum, nec intrepidè tantùm ſed & animoſè, non ſolum fidenter ſed & audenter incedendum eſt: nec cautela deſideratur, vbi certa expectatur victoria. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis. Mitto vos, non vt leones, ſed vt oues; non vt terribiles, ſed vt docibiles, nec minùs ſapientes, quàm & patientes à lupis ſeu inimicis & aduerſariis. Plurimos enim morſus accipientes ab eis, ait ille, non ſolùm non conſumuntur, ſed & illos conuertunt. Ideò inter lupos, ouium manſuetudinem eos docet oſtendere. Ne turbemini quoniam in medio luporum mittimini: poſſum enim facere vt nihil mali ſuſtineatis, non ſolum lupis non ſuppoſitis, ſed leonibus terribiliores effecti: verùm ita expedit: hoc enim vos clariores facit, & meam virtutem magis diuulgat. Quid ergo ab eis requirit Chriſtus? quod Paulus requirit à Chriſtianis. Ita enim Chriſtus. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Ita Paulus: In ſapientiâ ambulate ad eos qui foris ſunt. Extraneos ſcilicet, infideles nimirum ſeu ethnicos, fidei hoſtes, Dei & Chriſti inimicos. Sapienter prudenterque incedatis, quia ſicut oues inter lupos proceditis. Chriſtus: Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos. Paulus verò: Redimentes tempus. Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Cauta ſit conuerſatio veſtra, & nota diſcretio. Neſcitis vos in loco degere ſuſpecto, vos eſſe peregrinos aliis, alios vobis eſſe extraneos, & inter extraneos facile inimicos reperire? Ne inimicorum numerum adaugeatis aliquâ imprudentiâ, ſed vnicuique reſpondeatis, cum ſinceritate mentis quidem, ſed ſobrietate ſermonis: ſimpliciter, ſed ſapienter ambulate, opera ac verba, modeſtiâ ac gratiâ temperate: ſi enim dies malos, tolerabiles facietis, ſi non bonos, dum perſecutionem vexationémue, à fide ac religione prohibentem redimetis. Eſto prudens, ſicut ſerpens Ille, inquit Hilarius, animum primò mollioris ſexûs aggreſſus eſt, ſpe deinde illexit, & communionem immortalitatis ſpopõdit. Pari ergo opportunitate introſpectâ vniuſcuiuſque naturâ & voluntate, verborum adhibenda prudentia eſt. Non vetat Paulus loqui de regno Dei, de odio peccati, de virtutis gloriâ, de pœnâ ſceleris, ſed vetat margaritas inconſideratè & improſpectè antè porcos proiicere, quiſquilias auidè & auarè repetere; imperat etiam quod ſuum eſt dimittere, ſicque & meditandi ſpatium & orandi redimere. In ſapientiâ ambulate ad eos qui foris ſunt. Propterea autem, ait Chryſoſtomus, adiicitur, Ad eos qui foris ſunt, vt diſcamus quòd aduersùs noſtra membra non tantâ nobis opus eſt cautione quantâ aduersùs extraneos. Non ſunt enim paria, eſſe inter inimicos & hoſtes, & inter amicos. Inter lupos conuerſanti longè maiori prudentiâ, & ſagaciori cautelâ opus eſt, quàm inter oues ambulanti: inter lupos enim, ipſa etiam familiaritas timenda eſt; inter oues autem nec ipſa feritas metuenda.

Chryſoſt. Hom. 34. in Matth.

Chryſoſt. Ibidem.

Quod Chriſtus requirit ab Apoſtolis hoc Paulus à Chriſtianis requirit

Hilar. can. 10. in Matth.

Chryſoſt. orat. 11.

Quoad ſecundum. Plures oppidò ſapientes, ſed nihilo ſimplices. Illi ſunt veteratores, & argutatores callidi, quibus inhæret ſerpentis mẽtientis prudentia, nulla columbinæ ſimplicitatis ſtilla, vel germanæ pietatis inſidet: adeò prudentiæ ſtudent, vt renuntient innocentiæ. Propterea non ſolùm dixit Chriſtus, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Sed inſuper addidit. Et ſimplices ſicut columbæ. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes Homo autem arrigit, iam ſpiritu ſerpentis afflictus iam & vanitatis afflatu faſcianus: humanum eſt decipere, imponere, blandiri,

ri, mentiri. Sed simplices sicut columbæ, homo mentem auertit, id est enim sapit suprà humanum, & vltra genium proripit. Simplicitas columbarum, ait Hieronymus, ex Spiritus sancti specie demonstratur. Vnde dicit Apostolus: Malitiâ paruuli estote. Quàm periculosa est prudentia, à quâ columbina simplicitas abest, aut sincera pietas. Idcircò: Quod Christus dicebat discipulis, (verba sunt Chrysostomi) hoc nunc quoque monet Paulus. Quid autem Christus? Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Sitis ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Hoc est, cauti estote, nullam eis aduersùs vos dantes ansam & occasionem. In sapientiâ, ait Paulus, ambulate ad eos qui foris sunt. Deinde postquam terruit, vide quomodo rursus eis addit animum. Tempus, inquit, redimentes. Hoc est, præsens tempus est breue. Hoc autem dicebat, non quòd vellet eos esse varios & hypocritas ac simulatores: hoc enim non est sapientiæ, sed amentiæ. Sed quid? In iis, inquit, in quibus non lædunt, nullam eis date ansam nec occasionem. Quod etiam dicit ad Romanos, Reddite omnibus debita, cui debetis tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. Propter prædicationem solùm esto, inquit, tibi bellum. Nullum aliud initium accipiat hoc bellum. Vt si vectigalia non solueremus, si honores quos conuenit non redderemus, si non essemus humiles. Vides quantum se demittat Paulus, vbi nihil lædit prædicationem. Audi enim ipsum dicentem Agrippæ: Beatum me existimo hodie apud te causam acturus, qui es maximè peritus consuetudinum & quæstionum quæ sunt apud Iudæos. Si autem existimasset oportere contumeliâ afficere Principem, omnia euertisset. Audi & beatum Petrum quàm leniter & mansuetè responder Iudæis, dicens: obedite oportet. Deo magis quam hominibus. Atqui homines qui animum desponderant, & vitæ spem abiecerant, potuissent contumeliâ afficere, & quiduis facere. Sed non propterea animum desponderant, & vitæ spem abiecerant, vt inanem gloriam captarent. Sed vt prædicarent, & vt liberè & confidenter omnia loquerentur. Prudenter igitur diuinæ res exponendæ sunt, sed constanter asserendæ. Christianæ virtutes proponendæ sunt, non animo serpentino ac duplici, sed columbino ac simplici: ex maiestatis diuinæ zelo, non ex affectatæ studio probitatis. Non est hærendum in biuio, vbi de Deo dicendum; nec claudicandum in duas partes, vbi in res nostras inclinandum est. Quod enim à Christo dictum est, (ita Hilarius) cum libertate fidei & confessionis vult esse loquendum. Idcircò quæ in tenebris dicta sunt, prædicari iussit in lumine: vt quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est excelso loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prædicationis Apostolicæ reuelandum. Nullus corporum nostrorum casus est pertimescendus: doctrinis enim talibus confirmatos, oportet liberam confitendi Dei habere constantiam.

Hieronym. in cap. 10. Matth.

Chrysost. orat. 11.

Nulla danda est, nec aut quærenda materia.

Hilarius can. 10. in Matth.

Quoad tertium. Iungenda quidem constantiæ prudentia, sicut & prudentiæ constantia: sed malim Christianum plus constantiæ habere minus prudentiæ, quàm constantiæ minus & plus prudentiæ: malim illum inuictum martyrem quàm doctorem acutissimum, fortem quàm callidum. Quot legimus viros gloriosos, patres nostros, milites Christianos, non tantâ prudentiâ, sed magnâ constantiâ præditos, qui animo forti ardenti zelo, non solùm confessi sunt, sed & professi, id est, se vltrò manu factâ obtulerunt? Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus fratres, in persecutione Diocletiani deorum cultum liberè detestantes, plumbatis cæsi, in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quot, qui impetu facto irruperunt in idola, templa succenderunt? Mennas Ægyptius, Christianus miles, in persecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, cum pœnitentiæ causâ in solitudinem secessisset, natali die Imperatorum, quo populus celebri spectaculo tenebatur, in theatrum prosiliens, liberâ voce gentilium superstitionem insectabatur. Quamobrem comprehensus, loris crudeliter cæditur, &, Theodorus, miles Christianus, Maximiano imperatore, quòd idolorum fanum incendisset, comprehensus, cum à præfecto legionis pœna ei remitteretur, si pœnitens facti Christianam religionem execraretur, constanter in fidei confessione perseuerans, missus est in carcerem: & in ardentem rogum iniectus, in oratione & diuinis laudibus animam Christo reddidit. O fortes viros, & inuicto zelo laudabiles, ô milites in Deo gloriosos! Præstat enim minus sapere, quam in negotio religionis, in pietatis officio, in confessionis proposito plus sapere: præstat aggrediendo vincere, quàm subterfugiendo declinare. Nota est illa quæ inter Antistitem Ambrosium, & Theodosium Imperatorem facta est controuersia: nimirum de Episcopo illo, qui iuxta nomen suum, synagogam Iudæorum audacter incenderat; sed iuxta honorem suum, restituere illam & restaurare constanter recusabat: Non incentor vel auctor consilij, & facti nihilominus defensor: iudicat minus inesse prudentiæ, probat tamen plus esse constantiæ: noluisset ita dirui, sed noluit ita restitui: non suasisset incendi, sed dissuasit reparari; & cuius fieri noluisset in faciendo socius, fieri voluit in facto patronus. Audendum est Christiano, sicut Iudæo timendũ: & si quid Christianus plus solito ausus est, non tã temeritatis consilio deputandũ est, quam genio cõdonandum libertatis. Vbi fides, ait Ambros. ibi libertas: seruus enim sub metu, liber ex fide. Ille sub literâ, iste sub gratiâ: ille in seruitute, iste in spiritu. Vbi autẽ spiritus Domini, ibi libertas. Iudæus autem literâ non spiritu in seruitute est; & qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Mirum est, quod Ecclesia toties frænum primis illis iniecerit Christianis, quoties vetuerit idola euerti, templa succendi, ethnicos adoriri, Christianos profiteri: sed magis mirũ quod hoc opus aggressos semper in sanctos admiserit, malueritque cælestem suspicere instinctum, quam sensum vrgere communem. Vide tantùm, ait Tertullianus, ne hoc ipso, quòd talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, vt hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed vltrò vocare. Quid illi parum Christiani, qui virilem Christianismi genium infringunt, eneruem animum reddunt & elumbem: omnia omnibus peruerse fiunt, & omnia in omnibus improbè subuertunt. Cum idcircò

Ex off Rom.

Laudabilior in milite Christiano constantia quàm prudentia.

Ambrosius epist. 43. vers. fin.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. vlt.

Tertullian. lib. de coron. mil. cap. 11.

idcircò (vti ille concludit) aut officia fugienda sint, ne in delictis incidamus; aut & martyria toleranda sint, vt officia rumpamus.

ANAGOGIA.

Orationi instate, vigilantes in eâ.

Luc. cap. 6. QVi instat, vigilat. [Vigilate, & orate]. Vnde & ipse Christus: Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione. Orabat, instabat, idcirco vigilabat, pernoctabatque: sed in oratione Dei, quâ in cœlum tenditur, quâ & in Deum assurgitur. Triplex, igitur orationis species, vnionis, assimilationis, fruitionis.

Quoad orationem vnionis. Exit Iesus in montem, secedit in solitudinem. Noli, inquit Ambrosius, insidiatrices aperire aures, vt putes Filium Dei, quasi infirmum rogare vt impetret, quod implere non possit: potestatis enim auctor obedientiæ magister ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Sic audiamus Christum orantem, vt sciamus nostrum esse doctorem. Secedit igitur à turbis, imò & à discipulis ascendit in montem, aciem intendit in cœlum, oculum sursum erigit. Omnia hæc innuunt aliquid, indicare volunt aliquid: omnis enim actio Christi, instructio est Christiani. Recedendum est à negotiis, nec ab alienis duntaxat, sed & à suis; à terrenis ad superiora progrediendum est, ab humanis ad cœlestia seu diuina conscendendum: erigenda mentis intentio ad diuinæ contemplationis intuitum, dirigenda voluntatis impulsio ad radium diuinæ maiestatis. Sic ergo monet Paulus instare vigilare in gratiarum actionibus perpetuis, sic docet & Christus diuinis orationibus insistere. Quid porrò oratio, nisi eleuatio mentis in Deum? Itaque Species, ait ille, tibi Christiane datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Vt quid Christus recedat, vt quid assurgat ab infimis: ille qui semper à terrenis semotus? cur ascendat in montem, cur aciem intendat, ille qui diuinis semper intentus? Documentum est, quo animum sursum subleues; exemplum, quo appropinques ad Deum. Hoc ideo dico, (ex Laurentio Iustiniano) quia non omnis, qui orat, ad orationis altitudinem peruenit. Habet enim gradus, per quos spiritales viri ascendunt, & Deo chari & propinqui fiunt, non corpore, sed mente. Corpore namque Pharisæus Deo propinquus erat in templo orans & se iactans: corde verò longinquus, quia superbus. Publicanus autem qui præ humili confusione oculos ad cœlum erigere non audebat, seque pectus tundēdo peccatorem esse fatebatur, Deo propinquus ac præsens erat. Nam Deus se deprecantium siue voce, siue mente cordis humilitatem intuetur & approbat. Itaque non locus, sed affectus ad orandum est eligendus. Vult Apostolus Christianos orare in omni loco. Non enim ait ille, tantum locus quærendus est, quantum sensus. Hieremias orans confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace exultantes & Deum benedicentes tripudiant, Iob nudus in sterquilinio triumphat, Paradisum de cruce latro promeruit. Et quoniam non est locus, vbi non sit Deus, vbique

Ambros. lib. 9. in Luc.

Ambros. Ibidem.

Laurent. Iustin lib de perf. grad. cap. 12.

Laurent. Iustin Tract. de orat. c. 6.

A effundenda est ad illum deprecatio. Nec quærendus est locus, quum à Deo & ad Deum noster prouocatur affectus. Tria tamen specialiter loca ad orandum congrua esse cognoscuntur: & primò locus secretus, de quo dicit Dominus, Tu autem quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Minus enim vanis cogitationibus stimulatur, qui orat, vbi non est hominum frequentia; sicut minus auaritia tentatur, qui concupiscibilia non cernit. Templum quoque materiale ideò dicatur idoneum ad orandum esse non dubitatur. Tertius denique locus ad orandum aptissimus est spirituale templum, scilicet cor mundum & purum, de quo Apostolus ait, Templum Dei sanctum, B quod estis vos: in hoc enim templo oramus spiritu, oramus & mente. Sic in oratione attollimus animum, & mente in Deum assurgimus: subleuatur enim mens, vt vniatur Deo, vt non solum appropinquet illi, & approximet; sed & illi adhæreat, fiatque cum illo vnus spiritus. Sic ab infimis seu terrenis emergimus, & ad Deum ipsum ascendimus; vt attingamus, & indiuiduum societatis ac communionis nectamus vinculum.

Tria sunt loca ad orādum dedicata.

Quoad orationem assimilationis. Triplex vnio cum Deo: vna, naturæ; altera, personæ; tertia, gratiæ: prima, localis est; secunda, substantialis; tertia moralis. Prima conuenit rebus omnibus, sicut enim Deus per naturam, seu per essentiam infinitam & immensam vbique se porrigit, attingitque à fine ad finem, ab extremitate se diffundit in extremitatem, sic & nihil ad Deum non accedit per localem indistantiam. Altera competit soli Christo, qui Deus & homo, verbum caro factum, vnus cum verbo Deus per vnionem hypostaticam. Tertia congruit omni Christiano, modò sanctus sit seu perfectus: non enim fit per solam eleuationem animæ, sed per copiosam diffusionem gratiæ. Venit ad Christum, qui credit, accedit, qui diligit: iam præcedit vnionis vestigium, nondum tamen assurgit ad assimilationis fastigium. Ita Psaltes, D Accedite ad eum, & illuminamini. Multi enim accedunt, qui illuminati sunt, sed potius confenebrati. Accedamus ad eum, ait Augustinus, & illuminemur; non quomodo accesserunt Iudæi vt tenebrarentur. Quid est ergo, Accedite ad illum, & illuminamini? Ne accedatis vt infideles, imò ne accedatis solùm vt fiatis fideles, sed vt similes euadatis. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Vos meræ estis tenebræ, si infideles, & idcircò in totum dissimiles: vos eratis aliquando tenebræ, sed iam lux in Domino, si fideles: verùm lux in tenebris lucet, dum mens scatet næuis, & ideò parùm similes estis. Accedite ergo ad eum, & illuminamini: id est, accedite, & assimilamini. Accessus iste ad Deum, non fit passibus, sed affectibus; non gressibus pedum, sed virtutum progressibus; non propinquitate locorum, sed morum similitudine: quomodo dicitur color accedere ad colorem licet dissitum; sicut amor sentitur amorem referre, licet alienum: ista enim propinquitas alia non est, quàm vera conformitas. Prima igitur orationis species, vnionis est; altera, assimilationis: Ascendit Iesus in montem vt oraret. En quoad primam speciem, quâ appropinquamus ad Deum, & ipse appropinquat nobis. Et facta est,

Triplex vnio ad Deum localis, personalis, moralis.

C

Psal. 33.

Augustin. in Expos. Psalm 33. cit. med.

1. Ioan. c. 1

E

Luc. cap. 9.

est, dum oraret, species vultûs eius altera: & vestitus eius albus & refulgens. Seu, vt est apud Matthæum. Ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est antè eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. En quoad alteram speciem. Ordinem quippe seruat Lucas, obseruatq; orationem lucis originem esse; lucē verò transmutationis assimilationisq; ad primam illam lucis inaccessibilis fontem: non enim aliter fit assimilitatio, quàm dum fit transfiguratio: dū ab humanis ad diuina, à terrenis ad cælestia trāsitur, nedum acceditur. Ascendit Iesus in montē excelsum seorsum, vt oraret; & dum oraret, in alterum statum transiit, tam conformem maiestati essentiæ diuinæ, quàm gloriæ similem claritati. Non enim tanquam corpore humanā formam mutante, vti dixit Cyrillus, sed quadam splendidā gloriā superueniente, Voluit Iesus transfigurari, sed orando: voluit lucem illā æternam & interminabilem auspicari, sed per orationem. Non enim minore prouidentiâ, (vt loquitur Leo) spes Ecclesiæ sanctæ fundatur, vt totum Christi corpus agnosceret, quali esset cōmutatione donandum: vt eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset. De quo idem Dominus dixerat, cū de aduentûs sui maiestate loqueretur: Tunc iusti fulgebunt, sicut sol, in regno patris sui: protestante hoc ipsum beato Paulo Apostolo & dicente: Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Matth. c. 17.

Cyrill. apud Aquin.

Leo Hom. de Transf. cir. med.

Quoad orationem fruitionis. Sicut nondum visio succedit fidei; ita nondum fruitio succedit spei: verùm sicut suprema contemplatio, procemium visionis est; sic & magna dilectio fruitionis initium. Itaq; sicut per vnionem peruenimus ad assimilationem; sic & per assimilationē, præcipimus fruitionem. Equidem, nōdum planè similes sumus, quia nondum clarè videmus eum sicuti est; sed sicut beatam illam cognitionē anticipamus, orando contemplandoq; sic beatificā prælibamus fruitionem. Ita Petrus Apostolus (Leone teste) per reuelationē summi patris, corporea superans & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confessus est gloriam deitatis: quia non ad solam respexit carnis substantiam & sanguinis, tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem. Vnde id assecutus est Petrus? Quia secutus est ad excelsa, quia ascendit ad sublimia, quia mentem per orationem vsq; ad diuinitatem prouexit. Ita Petrus visionibus ac reuelationibus orando meditandoque assuetus. Ascendit Petrus in superiora vt oraret: & Cecidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum. Sicut enim nihil non vident, qui videntem omnia vident; sic & aperto cœlo, visionibus extaticis fruuntur & diuinis allocutionibus, qui ad hanc vsque speciem euehuntur, seu qui in anticipatam istam rapiuntur fruitionem. Certè Spiritus adiuuat infirmitatem nostrā: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Postulat nimirum clamatq; dum nos orantes facit & clamantes, ipse enim euehit, nec supernæ solùmodo claritatis, sed & summa

Leo Ibidem.

Actuum cap. 10.

Rom. c. 8.

A deitatis reddit compotes. Per hunc enim, vti dixit Basilius, quilibet sanctorum Deus est. Dictum est enim, à Deo adipsos: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, &, Deus deorum sanctorum, scil. Dominus locutus est, &, videbitur Deus deorum (sanctorum videlicet) in Sion. Necesse est autem qui diis causa est vt dij sint, diuinum spiritum esse, & à Deo esse. Nam quemadmodum quod cremantibus causa est vt crement, ipsum cremās esse necesse est: & quod sanctis causa est vt sancti sint, ipsum sanctum esse. Sic & qui diis causa est vt dij sint, ipsum Deum esse necesse est; & B qui eo participant; viuunt, vt Deos decet, vitam diuinam ac cælestem possidentes. Mira claritatis dispēsatio, sed vera diuinitatis participatio. Deus Pater producit Filium Deum: ambo in vnum collecti principium, producunt Spiritum sanctū: ibi desinit diuina fœcunditas, vel potius, ibi tota subsistit diuinitas: nec enim Spiritus sanctus alium producit spiritum, nec personæ diuinę numerum excedunt ternarium. Sed si subsistit, non tamen & sistit: refluit enim in sanctos, quos & Spiritus sanctus facit deos: & cum Deus, ignis consumens sit, accendendo lumen sensibus, & amorem cordibus infundendo, consumit quod humanum est, animumq; in seipsum conuertit: C & quod deest ex parte subiecti, suppletur ex multitudine; vt quod deest in qualitate opificij, ex quantitate compensetur. Ita tot dij sunt, quot sancti, incēdio amoris absumpti, abysso diuinitatis absorpti; tanto supremæ bonitatis præuenti munere, quāto claritatis diuinæ lumine circumuestiti: diuinum quippe illud lumen non illuminat solùm, sed & inflāmat; nec attrahit tantùm; sed & orantē contemplantemq; in seipsum conuertit: quicumq; enim reuelatā facie gloriā Domini speculatur, in eandem tanquam à Domini spiritu, de claritate in claritatem, transformatur imaginē: diuina capiendo, cælestia præcipiendo gaudia: se beatis inferendo, & pro modulo suo, D æternis diuitiis, & Angelicis perfruendo deliciis.

Basilius li. 5. aduers. Eunom. vers. finem.

Qualis dispensatio claritatis, talis diuinitatis participatio.

COROLLARIVM.

Vult Apostolus nos non solùm excedere, sed & sobrios esse; vt non instemus solùm, sed & vigilemus: sed si sobrietatem desiderat, non tamen amat parcitatem: vult enim talem esse orationem, quæ non solum acceptis satisfaciat largitatibus, sed & alienis proficiat necessitatibus. Orationi instate, vigilantes in eā in gratiarū actione. Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum: vt manifestē illud, ita vt oportet me loqui. E Multi sunt, qui orant; sed pauci sunt, qui instant, & si sunt aliqui, quorum laudanda perseuerantia est, culpanda tamen illorum ignauia. Quoniam igitur, orationi instare & in eā perseuerare, (verba sunt Chrysost.) sæpè reddit pigros & ignauos, propterea dicit, Vigilantes: hoc est, sobrij. Scit enim, scit diabolus quantum bonum sit oratio, & ideo grauiter eam premit. Scit etiā Paulus, quòd multi qui precantur sint desides & segnes. Quamobrem dicit, Orationi instate, tanquam de re laboriosā. Non parua res est oratio, nec adeò leuis, vt supremo imputanda non sit beneficio. Nonne, ait August. aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & planè nulla; imò

Quàm grauis & laboriosa sit oratio.

Chrysost. orat. 10.

Augustin. lib. 1 ad Simplician. q. 2. vers. fin.

imò omninò interdum ita nulla vt neque hoc in nobis cum dolore aduertamus; quia ſi vel hoc dolemus, iam oramus. Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere & quærere & pulſare ille concedit, qui hæc vt faciamus, iubet? Neque enim volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quandoquidem nec velle nec currere, niſi eo monente atque excitante poterimus. Facile eſt intrare in cubiculũ ſuum, ſed difficile oſtium obſerare. Parum tamen eſt intrare cubiculum ſuum, ſi oſtium pateat importunis; per quod oſtium, (ait ille) ea quæ foris ſunt, improbè ſe immergunt, & interiora noſtra appetunt. Foris autem ſunt omnia temporalia & viſibilia, quæ per oſtium, id eſt, per carnalem ſenſum in cogitationes noſtras penetrant, & turbâ vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum eſt ergo oſtium, id eſt carnali ſenſui reſiſtendum eſt, vt oratio ſpiritalis dirigatur ad patrem, quæ fit in intimis cordis, vbi oratur Pater noſter in abſcondito.

Auguſtin. lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. c. 3.

Orandum tamen, inſtandumq; non ſermonibus quidem; ſed affectibus; non exercendo linguam, ſed abſtergendo conſcientiam. Ipſa quippe orationis intentio, vt Auguſt. loquitur, cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſq; efficit ad excipienda diuina munera, quæ ſpiritaliter nobis infunduntur. Non enim ambitione precũ nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritalem: ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerũ temporalium cupiditate tenebramur. Vult nobis dare Deus, quod nobis iubet petere: ſed erigendus eſt animus, reddendusq; munerum diuinorũ, luciſve cæleſtis idoneus. Idcircò non orandum duntaxat, ſed & inſtandum perſtãdumque: nec ſolùm debet anima Chriſtiana de accipiendis ſatagere, ſed & de acceptis gratias agere perpetuas. Vigilantes in gratiarum actione. Inſtando pro futuris, laudando pro præteritis. Quid enim inſtius? (verba ſunt Auguſt.) quid dignius? quid gratius? Etenim ſi non laudauerint ſerui dominum: ſuperbi; ingrati, irreligioſi erunt. Laudes, non laudes, ſeruus es. Sed ſi laudes propitiabis: ſi non laudes, offendis. Laudandus eſt qui nos erexit iacentes, & fecit in domo ſuâ ſtare, & ipſum agnoſcere, ipſumq; laudare. Paruumne hoc beneficium eſt? nunquid parũ grati eſſe debemus? Nonne cogitandum eſt nobis vbi iacebamus, & quò collecti ſumus? Et quoniã non habet Chriſtianus quid pro tantis beneficiis Deo retribuat, quid ei reſtat niſi gratias agere, non rependere? Sic enim accipite & laudantem & non ſufficientem, vt etiamſi non impletur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris deuotio. Approbet me voluiſſe, ignoſcat non impleuiſſe. Si cogereris offerre Domino tuo ſacrificium gratum illi & acceptum, ſicut antea vouebantur ſacrificia in vmbra futurorum, fortè non inueni-

Auguſtin. Ibidem.

Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 134. init. & deinceps.

In diuinis laudibus voluiſſe, laudaſſe eſt.

A res in grege tuo placitum taurũ, & diceres fortè Deo: volui, & non habui. Nunquid potes de laude dicere, volui & non habui? Ipſum voluiſſe, laudaſſe eſt. Non enim verba à te quærit Deus, ſed cor. Si quis obmuteſcit aliquâ valetudine, linguam non habuit, & tamen laudem habuit. Si enim Deus aures carnales haberet, & ſono tui corporis indigeret; & idcircò cum remanerês ſine linguâ, ſine laude etiam remaneres. Nunc verò quia cor quærit, cor inſpicit intus teſtis eſt, iudex, approbator, adiutor, coronator: ſufficit vt offeras voluntatem.

Denique tanta eſſe debet orantis laudantiſve exuberantia, tanta copia charitatis; vt ſeſe aliis communicet. Ita ille vir ſanctus, de quo

B Chryſoſt. gratiis peractis pro omnibus beneficiis, tam communibus quàm ſingularibus, addebat corollarium, & de plenitudine ſuâ, ſeſe in proximum effundebat. Adiectâ autem fidelium oratione, veluti quadam coronide, inquit, hîc ceſſat. Orandum pro omnibus, ſed maximè pro paſtoribus; quia bonum eorum ſingulare non eſt, ſed commune omnium. Orantes ſimul & pro nobis. Qui vos erudimus, qui vos cuſtodimus: pro nobis qui Euangelizamus, qui annuntiamus regnum Dei, qui verbum Dei prædicamus. Quia autem tria poſſunt eſſe impedimenta verbi, (vt obſeruat Aquin.) primò propter timo-

C rem: ideo dicit, Propter quod etiã vinctus ſum: ſecundò propter altitudinem, ita quòd ſubditi nequeant intelligere; ideo dicit, vt Deus aperiat nobis oſtium Sermonis ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtem illud: tertiò, propter incongruitatem temporis, vel modi; ideo dicit, Ita vt oportet me loqui. Deus det gratiam dignè proferendi verbum ſuum. Non ſolùm dando aditum & libertatem, ſed & animum edocendo, obſcuritatemq; dimouendo. Papè! (exclamat Chryſoſt.) Tantus athleta non dixit, vt liberer à vinculis; ſed cum eſſet in vinculis, alios rogabat, & propter rem magnam rogabat: nempe vt acciperet libertatem loquendi myſterium Chriſti:

D oſtendit nihil eſſe ſibi deſiderabilius, quàm hoc loqui. Propter quod, inquit, etiam vinctus ſum. Vincula eum manifeſtum reddunt, non in obſcuro collocant & abſcondunt. Vinciebat quoque aliquando Paulus & coniiciebat in carcerem. Sed poſtquam factus eſt Chriſti ſeruus, non quod agat gloriatur, ſed quod patiatur. In vinculis cum maleficis ac ſceleratis, doctor orbis terrarum. Qui in tertium aſcendit cœlum, erat vinctus: ſed tunc velocior erat eius curſus. Et hoc eſt miraculum prædicationis, quando per ipſos patientes, non autem per malè agentes, ſic excitatur & augetur. Vbinam vidit quiſpiam eiuſmodi certamina? Qui malè patitur, vincit; & qui malè agit, vincitur. Hîc ergo impoſitâ coronide, ceſſandum eſt, imò acceſſione factâ, triumphandum. Sed & ad alia properandum certamina.

Chryſoſt. orat. 10.

Aquin. lect. 10.

Chryſoſt. orat. 10.

Euangelium per patientes, non per male agentes fundatum.

IN



IN EPISTOLAM AD TITVM.

ARGVMENTVM.

TITVM Paulus creauerat Episcopum,& exinde Cretæ præfecerat. Nunc igitur breuem ad eum scribit Epistolam, sed sublimem ac succidam; indicítque vt & Ecclesiasticæ ordinationi prouideat, & Iudaicæ caueat simulationi. Inuehitur enim in Iudæos, (vti loquitur Athanas.) quorum si vniuersum genus & respuit & detestatur, nil mirum: non enim tanquam maledicus & detractor hos improbat, sed immenso Dei amore & zelo ductus, id facit. Athanas. in ptol.



CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

PRæscribit constitui presbyteros per ciuitates, & eorum qualitates describit: remouet Iudæos, iubetque doctrinas eorum redargui, fabulas reiici.

PARS PRIMA.

De presbyteris.

TEXTVS.

PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Saluatoris nostri Dei: Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro. Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & cōstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.

EXEGESIS LITERALIS.

RELIQVERAT Titum Cretæ Paulus, & illi exstruendæ Ecclesiæ negotium disponendęque commiserat. Nunc instat vt quæ desunt, corrigat & eos qui digni sunt Episcopos constituat.

Comment Athanas. Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis &c. Paulus seruus Dei viui, legatus autem Christi Domini, & ad hoc missus, vt electi fidem accipiant hæreditatemque salutis, & in cognitionem veritatis perueniant. Apostolus sum, vt per me qui electi sunt credant. Ad rerum autem Iudaicarum differentiam, veritatis adiunxit. Illa quippe haudquaquam sunt vera, nec penitus mentiuntur, sed figuram quandam & vmbram præferunt veritatis. Ita Comment. Athanas. Quæ secundùm pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia &c. Illa veritas quæ nunc reuelata est, de rebus est ad cultum diuinum, & exinde ad æternam vitam pertinentibus: illam quippe nobis seu electis ante conditum mundum, pollicitus est Deus, qui tam mentiri non potest, quam nec decipi. Id enim voluit, & ab æterno, in proposito habuit. Manifestauit autem temporibus verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei &c. Sed quod apud se ab æterno constituit, id nunc congruo tempore patefecit, per prædicationem scilicet Euangelij, quæ mihi commissa est, secundum destinationem iussionem Dei nostri creatoris saluatorisque.

Quod Deus destinauit in æternitate, manifestauit in tempore.

Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro &c. Tito Paulus scribit hanc Epistolam, velut filio sincero secundùm eandem fidem & iisdem insistentem vestigiis: cupitque dona omnia salutaria, & stabilem ipsorum possessionem à Deo Patre creatore omnium, & Christo Iesu saluatore fidelium. Textus Ambrosianus. Tito Germano filio secundùm communem fidem. Est enim in Græco γνησίῳ. Et in Commentario. Decretum, inquit, donum à Deo quod antè secula promiserat, tempore Saluatoris, in prædicatione Apostolorum manifestatum declarat. Quod etiam sibi creditum dicit, vt Gentibus insinuaret prædestinatam misericordiam Dei; vt & Titus verus eius filius, id est secundùm Euangelium hanc Dei voluntatem solicite suscipiens prædicaret.

Ambros. in Paulum.

Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi &c. Eâ de causâ reliqui te in Cretâ, vt ea quæ desunt pergas corrigere, quæ supersunt corrigenda satagas in meliorem ordinem redigere, & in singulis ciuitatibus seniores seu præsules constituas. Partem, ait Athanas. sibi desumunt & peragunt. Quod hoc loco designat, cum, inquit, Reliqui te Cretæ: tanquam ipse illo relicto, aliò prædicandi gratiâ concessisset, Iacit Paulus fundamentum, alius superexstruit ædificium. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos &c. Dixerat, sicut & ego disposui tibi. Sicut ordinaui, sicut indicaui, quales nimirum seniores seu Episcopi essent eligendi: nunc explanat inculcatque. Si quis nullo crimine notatus, sed bono præclarus nomine; qui digamus non sit, sed vnâ & solâ contentus: si quos habet filios, constet esse Christianos, castos, sobrios, morigeros. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum &c. Redit ad presbyteros, seu Episcopos, aitque, oportet Episcopum esse bonæ famæ, tanquam ministrum Dei, & in sacris dispensandis vicarium, non præfractum obstinatique iudicij, non iracundum, non multo vino deditum, non percussorem, iuris sui non rigidum exactorem, non turpis lucri sectatorem. Sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem &c. Parum est, quod propriis aut domesticis criminibus infamatus non sit: veris etiam sit ornatus virtutibus; sit igitur ad suscipiendos peregrinos expositus, benignus, Græcè φιλάγαθος, maximè verò bonos ac religiosos: sit sobrius castusque: sit coràm mundo iustus, coràm Deo sanctus, continens abstinensque. Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere. Non sat quòd sit sanctus, sit etiam doctus, Christianæ doctrinæ, fideique sinceræ tenacissimus; vt non solùm ad alios edocendos adhortandosque potens sit per incorruptam Euangelij disciplinam; sed & eos qui fidei resistunt contradicuntque veritati reuincendos, sufficiens. Episcopum, ait Ambros. & sanctum in operibus, & verbis prudentem ornari vult, vt & fratres exhortari possit, & contradicentes conuincere. Vult illum potentem opere & sermone, & suis instruendis, & aduersariis arguendis idoneum.

Athanas. in Paulum.

Episcopus iustus sit coràm mundo, coràm Deo sanctus.

Ambros. in Paulum.

DISQVI



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

SE dicit Paulus seruum Dei, & Apostolum Christi: asseritque Deum tam veracem in verbis, quàm in promissis fidelem. Vera sunt ista, sunt tamen exponenda.

DISQVISITIO I.

De Paulo.

GRaue exordium, imò & grande, breuissimæ collatum epistolæ: sed Paulus scribit, & Tito suo scribit iam prouecto, & de rebus diuinis non sufficienter tantùm sed & abundanter instructo.

Quoad primum. Paulus quidem scribit, sed quis ille? Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei. Vide, inquit Chrysostomus, quàm ista indifferenter ponit, dum se interdum quidem Dei seruum, & Christi Apostolum dicit: aliàs verò Christi se appellat seruum, dicens, Paulus seruus Iesu Christi, adeò nullam inter patrem & filium differentiam nouit. Quòd nullam norit, satis manifestum est; cum enim nunc Dei, nunc Christi nominat seruum, Deum esse vnum, & vtrumque vnum esse Deum pronuntiat. Sed tria sunt requirenda. Primum, cur distinguat inter Deum & Iesum Christum. Alterum, cur Dei seruum se, Iesu Christi autem affectat Apostolum. Tertium, cur titulos confundat. Quantum ad primum, si indifferenter ista poneret Apostolus, communiter etiam ista repeteret: nunc verò vbi communitas ista, si tanta est singularitas. Nusquam enim in cæteris epistolis distinguit inter seruum & Apostolum, sed se nunc seruum Iesu Christi dicit, nunc Apostolum hîc verò non solùm distinguit inter Deum ac Iesum Christum, sed & inter seruum & Apostolum. Bellè tamen cohærent omnia, respondentque aptissimè, non solùm Christi officio, sed & Pauli merito. Quid enim Paulus, nisi paruus, modicus, minimus? sed quod ex nomenclatione sibi vendicat, explicat ex conditione. Paulus seruus Dei. Verùm talis seruus Dei, vt sit etiam filius Dei & amicus, vtpote Apostolus Christi, amore ministrans filiali, non seruili timore, nec tam seruum quam Christum ipsum repræsentans. Christum ergo spectat quà [Catholicum, vt loquitur Tertullianus sacerdotem] seu vniuersalem Ecclesiæ sanctæ propositum: & ita se Iesu Christi, triplicem ob rationem nominat. Prima est, quia ab ipso electus missusque. Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Altera, quia solum Christum annuntiabat, prædicabatque. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum, Tertia, quia legatus Christi. Si quid donaui propter vos in personâ Christi. Denique, quantum ad vltimum, tam Deus saluator, quàm & Christus creator. Quid enim ait Paulus? Secundùm imperium Saluatoris nostri Dei. Vide, ait Chrysostomus, quàm bene posteriora quadrent. Superiùs enim dixerat, Qui non mentitur Deus: hîc autem secundùm imperium saluatoris nostri Dei. Si itaque saluator est, ipseque studio ac voluntate saluandi ista præcipit, non officium huiusmodi, ambitionis res est: fides enim est & imperium est: idque & Dei saluatoris. Distinguit igitur Apostolus inter Deum & Iesum Christum, & vtrique quod suum est attribuit, aut ratione diuinitatis propriæ, aut ex conditione humanitatis assumptæ: Nam cum distinxisset, seque seruum Dei dixisset & Apostolum Christi: vtrumque reducit in vnum, dum tam Christum Dominum, quàm Deum patrem dicit nostrum saluatorem. Gratia & pax à Deo patre, & Christo Iesu Saluatore nostro. Et hæc sæpè coniungit, ait Aquinas, quia omnium spiritualium donorum principium est gratia, & pax finis. Psal. 147. Qui posuit fines tuos pacem.

Chrysost. Hom. 1.

Cur Paulus Dei seruus, & Christi Apostolus.

Tertullian. lib. 4 aduers. Mar. cap. 9.

Galat. cap. 1.

2. Corinth. cap. 4

2. Corinth. cap. 2.

Chrysost. Hom. 1.

Aquin. lect. 1.

Quoad secundum. Scribit Paulus seruus Dei & Apostolus Christi, sed Tito scribit, non solum filio, sed dilecto: seu germano, ideoque charissimo. Tito charissimo filio. Sunt enim etiam non huiusmodi filij, (inquit Chrysostomus) Filius nempe est, ideò quòd semel susceperit gratiam, ac regeneratus sit: sed profectò charissimus non est, quia patris dignitate degenerat, atque ad alterum tyrannum sponte deuoluitur. Nam in naturalibus quidem filiis charissimum facit vtriusque parentis affectus, hîc autem non sic: verùm ex proposito vnusquisque id munus assequitur. Quoniam igitur dixerat, filium, pulchrè intulit, A Deo patre, vt ipsius animum ad celsitudinem deitatis erigeret, dum disceret cuius esset filius. Equidem Titus tam filius Pauli, quàm & discipulus: sed sicut Paulus ipse tam Dei seruus est, quàm Apostolus Christi; idcircò & ipse Titus tam Christi discipulus est, quàm Dei filius. Dixi Pauli discipulum ac filium: dicam comitem, & fratrem non tamen & interpretem. Cur enim Paulus interpretem vel oratorem in exponendis Dei rebus desideret, qui omnibus se linguis enuntiet, & omnibus seu viris seu fœminis, se iuxta capacitatem ingenij, seu mysterij dignitatem attemperet? Denique si interpres Pauli Titus, quidni & comes perpetuus; cur illum reliquit in Cretâ, cur illum elegit ex Græciâ? Dona quippe Dei, (vti Aquinas dixit) non sunt imperfecta: & donum linguarum fuit specialiter Apostolis collatum ad prædicandum per totum mundum. Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quod de Tito erga Paulum, hoc dico & de Marco erga Petrum: nec tamen nego ipsos scriptores fuisse seu amanuenses, & Apostolos ipsis vsos fuisse velut antiquariis. Sic ergo Paulus, vt dicam ex Hieronymo: Habebat Titum interpretem, sicut & beatus petrus Marcum: cuius Euangelium, petro narrante, & illo scribente, compositum est. Denique & duæ epistolæ, quæ feruntur petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus. Organa enim ista cuiusque quidem manui ac pulsui

Chrysost. Hom. 1.

Titus & Marcus amanuenses, sicque interpretes.

Aquin. lect. 3. in cap. 2. epist. 1. ad Corinth.

Hieronym. epist. 150. quæst. 11.

pulſui reſpondere poſſunt, ſed & aliquid de ſuo conferre norunt, dum alienum ſenſum proprio ſtylo exprimunt. Sufficit filium eſſe, verum & ingenuum, fratrem fidelem & amantiſſimum. Idcircò Paulus: Cum veniſſem autem, inquit, Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtiū mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam. Frater quidem ſecundùm fidem communem, filius autem ſecundùm ſingularem inſtitutionem.

2.Corinth. cap.2.

Quoad tertium. Breuis quidem epiſtola, ſed grauis materia: idcircò multa præmittit, nec multa tamen ediſſerit: auctoritatem quippe primò conciliat, deinde viro non ſufficienter tantùm ſed & abundanter inſtructo, dicendi docendique poteſtatem delegat. Vnus ex Pauli ſociis hic fuit vir probatus: (ita Chryſoſtomus) neque enim profectò illi integram inſulam permiſiſſet, neque ea quæ deerant præcepiſſet implenda: nec tam multorum Epiſcoporum iudicium commiſiſſet, niſi multùm illi confideret. Aiunt autem quidam hunc iuuenem fuiſſe, idcircò quòd ad eum ſcribens Paulus eum filium vocet: ſed hoc ſanè non ſatis manifeſtum eſt. Tam enim prouectæ iam ætatis erat, quàm & ſpectatæ virtutis: vnde illum ſperni ob adoleſcentiam timet ſicut Timotheum: quin & breuiter ſed grauiter ipſum edocet, ob cognitam ſapientiam. Intuere, obſecro, ait ille, quàm iſtud exordium beneficiis Dei refertum ſit. Paulus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti, ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem. Seruus, ſed Dei; Apoſtolus, ſed Chriſti. Paulus, ait Hieronymus, grandem inter Chriſtianos ſibi vendicans dignitatem, Apoſtolorum ſe Chriſti titulo prænotauit. Ex maieſtate Domini, ex dignitate magiſtri, agnoſcenda eſt ſerui Apoſtoliſque præſtantia: ſed & ſocietate filij chariſſimi, Titi iungenda eſt excellentia. Secundùm communem fidem. Sicut enim Paulus excellenter Dei ſeruus eſt, ſic & Titus ſingulariter filius eſt Apoſtoli. Rogaui Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem ſpiritu ambulauimus? nonne iiſdem veſtigiis? Eidem quippe ille fidei inſiſtebat: pari animo, parique zelo cum Paulo aduersùs legem ac circumciſionem decertabat pro Euangelio. Deinde poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundùm reuelationem: contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi. Titus ergo inter electos ipſos præcipuus, non ſolùm fidem diuinitatis à Paulo agnitionem-ve accepit veritatis, ſed & eandem hauſit ab ipſo mentem, eundem ſenſum imbibit. Non multis igitur cum Paulus inſtruit, ſed ad ipſum ſcribit tanquam ſatis iam inſtructum. Audi nempe, ait Chryſoſtomus, quid beatus hic dicat: Huius rei gratiâ, inquit, reliqui te in Creta, vt quæ deerant ſupercorrigeres. Non imperantis iure vtitur, ſed interim admonet. Vt ſupercorrigeres, inquit. Intuere quæſo animam omni inuidiâ liberam, & omnibus in locis diſcipulorum vtilitati conſulentem; nec ſatis curantem, ſiue id per ſe ſiue per alium fiat.

Chryſoſt. Hom. 1.

Titus tam prouectæ ætatis quam ſpectatæ virtutis.

Chryſoſt. Ibidem.

Hieronym. in cap.1.

2.Corinth. cap 12.

Galat.cap.2.

Chryſoſt. Hom 2.

DISQVISITIO II.

De Deo.

AGnitio veritatis, non cuiuſcumque eſt; ſed illius, Quæ ſecundùm pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus, antè tempora ſecularia: manifeſtauit autem temporibus ſuis verbum ſuum, in prædicatione, quæ credita eſt mihi. Quod propoſuit ab æternitate, patefecit in tempore. Idem ergo promiſſum, quod verbum, ſeu decretum: illud conſtitutum in æternitate, ſed impletum in tempore: ille quippe qui decreuit & impleuit, tam nec mentiri poteſt, quam nec impediri.

Quantum ad primum. Verbum eſt Dei, quod à mente Dei profectum, ſeu in ſermone, ſeu in opere. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Quid eſt verbum tuum? ait Auguſtinus. Nunquidnam quod in principio erat Deus apud Deum, verbum ſcilicet per quod facta ſunt omnia? Non eſt ita. Nam illud verbum lumen eſt, ſed lucerna non eſt. Lucerna quippe creatura eſt, non creator, quæ participatione incommutabilis lucis accenditur. Hoc erat Ioannes: de quo dicit Verbum Deus, Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed lumen eſt & lucerna: & tamen in comparatione verbi, de quo dictum eſt, Deus erat verbum: non erat ille lumen, ſed miſſus eſt, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat enim lumen verum, non quod illuminatur vt homo, ſed quod illuminat omnem hominem. Cum igitur lumen dicatur vnigenitum verbum æquale gignenti, lumen dicatur & homo ab illo verbo illuminatus qui dicitur & lucerna, ſicut Ioannes, ſicut Apoſtoli, nec vllus eorum homo ſit verbum, & illud verbum à quo illuminati ſunt, lucerna non ſit: quid eſt hoc verbum quod ita lumen dicitur, vt lucerna ſit, ait enim, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, niſi verbum intelligamus quod factum eſt ad prophetas, vel quod prædicatum eſt per Apoſtolos? Non verbum Chriſtum, ſed verbum Chriſti, de quo ſcriptum eſt, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Fide autem cuſtodiuntur iudicia iuſtitiæ Dei: cum ſic Deo iuſto indice, nec rectè factum infructuoſum, nec peccatum creditur impunitum. Sed pro hac fide quia multa & grauiſſima mala corpus pertulit Chriſti, Humiliatus ſum, inquit, vſque valde: maximam ſcilicet paſſus perſecutionem. Et ne in tantâ humiliatione fides ipſa deficeret, addidit. Domine viuifica me ſecundùm verbum tuum. Nam & verbum promiſſorum Dei, lucerna eſt pedibus, & lumen ſemitis. Quod enim lucerna, hoc repetitum eſt, lumen: & quod pedibus meis, hoc ſemitis meis. Eſt ergo verbum Dei promiſſorium: ſed & illud duplex eſt, vnum internum, ideò & æternum: externum alterum, ideo temporarium illud, ante ſecula; iſtud per ſecula. Quæ enim ſecula præterierint, (verba ſunt Auguſtini) antequam genus inſtitueretur humanum, me

Auguſtin. com.23. in Pſal.118 init.

Verbum Dei quod à Dei mente profectum ſeu in ſermone, ſeu in opere.

Auguſtin. lib.12. de Ciuit. Dei cap.16.

me fateor ignorare: non tamen dubito nihil omninò creaturæ creatori esse coæternum. Dicit autem Apostolus tempora æterna, nec ea futura: sed, quod magis est mirandum; præterita. Sic enim ait: In spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna: manifestauit autem temporibus suis verbum suum. Ecce dixit retrò quod fuerint tempora æterna, quæ tamen non fuerint Deo coæterna. Siquidem ille ante tempora æterna non solùm erat, verumetiam promisit vitam æternam, quam manifestauit temporibus suis, id est, congruis: quid aliud, quàm verbum suum? Hoc enim vita æterna. Quomodo autem promisit, cum hominibus vtique promiserit, qui nondum erant ante tempora æterna: nisi quia in ipsius æternitate, atque in ipso eius verbo eidem coæterna, iam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat. Idem ergo promissum, quod verbum, quod decretum, quod propositum.

Quantum ad secundum. Illud quidem constitutum est in æternitate, sed impletum in tempore: illud quippe prius omnibus seculis, istud notum factum est omnibus seculis. Illud quippe verbum promissorium duplex est: vnum quo terra Iudæis destinata est, alterum, quo vita æterna Christianis præparata: illud in veteri testamento consignatum est, istud in nouo nuntiatum. Secundùm pietatem est in spem. Seu, vt ex Græcis: In spe vitæ æternæ, quam promisit Deus, qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis verbum suum, in prædicatione, quæ credita est mihi. In quo notandum est primò nulla esse tempora æterna: nihil enim præcedit ea quæ verè ac propriè æterna sunt: at promisit Deus ante tempora æterna: ergo tempora illa verè ac propriè non sunt æterna. Notandum secundò, melius ex Græco dici tempora secularia, quàm æterna; vt & eatenus æterna sint, quatenus perpetua sunt & sempiterna. Ita Paulus, alibi. Secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti. Græcè χρόνοις αἰωνίοις. Et hic, Antè tempora æterna, Græcè πρὸ χρόνων αἰωνίων. Noster, Antè tempora secularia. Nec ait Apostolus fuisse aliqua secula seu tempora ante mundum conditum: sed asserit æternam vitam fuisse ante omnia tempora seu secula, id est ab æterno, sanctis electisve à Deo præordinatam. Notandum tertiò, quod statutum est ante mundi constitutionem, manifestatum fuisse post mundi constitutionem, maximè verò per Pauli prædicationem. Manifestauit, inquit, temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, apertè cum magna loquendi libertate, hoc vtique est, In prædicatione. Sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat: ita & nos, inquit, publicè prædicamus eâ ratione, vt nihil addamus; sed ea tantùm quæ audiuimus, prædicemus. Ea quippe virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt, omnia prosequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre. Ex quibus inferendum est primò secula omnia à constitutione mundi & operatione Dei condita. Si cuiusquam, ait Augustinus, volatilis sensus vagatur per imagines retrò temporum, euigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam vnde poterant innumerabilia secula præterire, quæ ipse non feceras cum sis omnium seculorum auctor & conditor? Aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? Inferendum secundò, non plus æternitatis ipsis temporibus inesse, quàm rebus mundanis seu secularibus. Non enim, ait ille, coæuum Deo mundum istum dicimus, quia non eius æternitatis est mundus, cuius æternitatis est Deus: mundum quippe fecit Deus, & sic cum ipsâ creaturâ quam Deus fecit, tempora esse cœperunt. Quo pacto ergo potest mundus dici æternus, quia ante eum non est alius; eo & secula dici possunt æterna, quia ante ipsa non sunt alia. Inferendum tertiò, quod promissum decretum-ve ante tempora secularia, patefactum post tempora secularia; sed adimpletione rei, non immutatione Dei. Nouit enim quiescens agere, ait August. & agens quiescere: potestque ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium. Id est æternum, & quod sine tempore concepit ac statuit, in tempore facere.

Quantum ad tertium. Hoc promisit Deus, hoc & adimplebit: tam enim mentiri non potest, quàm nec falli, quàm nec impediri. Quam promisit, qui non mentitur. Græcè ἀψευδής. Mentiri nescit, non nouit, non metuit in electione, aut constitutione suà seu æternâ promissione intercipi. Vide, ait Chrysostomus, quàm ex ipsis initiis iam indicet Paulus gratiæ legisque distantiam. Iudæi non electi, sed nos: nam & ipsi aliquando dicebantur electi, iam huiusmodi gratiam amiserunt. Quam repromisit is qui non mentitur Deus. Hoc est, non modò ex pœnitentiæ remedio prouenit, sed olim, atque ab ipso principio, ante tempora secularia, ista præfixa sunt. Ostenditur profectò ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim, atque ab ipsis initiis dilecti sumus. Neque enim hoc parui ducendum est, quòd iam olim diligamur, & ab initio. Quam repromisit is qui non mentitur Deus. Si is non mentitur, prorsus erunt quæ promisit is qui non mentitur: neque est cur ambigere debeamus, etiamsi post mortem pollicitis perfruamur. Nam etiam ex eo, quod ait, Antè tempora secularia: promissum commendat immobile, dignissimumque cui fides adhibeatur. Manifestauit autem temporibus suis: quod enim ait, Suis, idem est profectò, ac si diceret, competentibus, debitis, congruis. Quænam enim huius ratio dilationis est. Prouidentiæ profectò gratia, & vt omnia opportunè, ac suis temporibus fierent. Manifestauit autem in prædicatione, quæ credita est mihi. Secundùm imperium Saluatoris nostri Dei. Et ex eo quod addidit, Secundùm imperium, dignam esse prædicationem, cui fides adhibeatur, ostendit. Talis est Deus vt mentiri non possit, aut mutari: ideoque, quod semel dixit, fixum stabit firmumque. Promissio igitur hæc, (vt concludit Aquinas) est firma dupliciter. Primò ex parte promittentis, vnde dicit, Qui non mentitur. Deus enim veritas est, cuius contrarium est mendacium. Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur. Secundò, ex diuino proposito dandi, vnde dicit, Ante tempora secularia, sunt tempora distincta secundùm diuersas

Marginalia: Roman. c. 16 — Eatenus æterna sunt tempora, quatenus perpetua. — Chrysost. Hom. 1. — Augustin. lib. 11. Confess. cap. 13. — Augustin. lib. 1. de gen. cont. Man. cap. 2. — Augustin. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 17. — Chrysost. Hom. 1. — Quod semel promisit Deus, nunquam euertit. — Aquin. lect. 1.

uersas successiones rerum. Quasi dicat, antequam tempus successiuum inciperet esse. Et quia incepit hoc tempus cum mundo, ideo fuit antè principium mundi. Antiqua sunt secula, quia cum ipso mundo sunt condita: ante illa tamen promisit Deus, dum verbum emisit suum, decretumque in eo de dando protulit: fiet ergo quod promisit, & pro certo eueniet; quia ille qui promisit nec verbo mentiri potest, nec de proposito suo potest à quoquam intercipi.

DISQVISITIO III.

De presbytero.

FVndamentum ponebant Apostoli, ædificium alij superstruebant. Itaque prædicato seu annuntiato veritatis salutisque Euangelio, & populis ad fidem conuersis, aliquem relinquebant, qui rem peragerret, & opus inceptum absolueret. Paulus ergo, vt dicam. Definit qualis Episcopus esse debeat, scribens ad Timotheum. Tito quoque scribens discipulo, quales Episcopos debeat ordinare, breui sermone demonstrat. Ideò reliqui te Cretæ, vt, quæ reliqua sunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ergo præcepi tibi. Qui sunt illi presbyteri? maiores sacerdotes, præpositi, Episcopi.

Dicendum ergo est eos de quibus loquitur Apostolus, fuisse etiam Episcopos. Cum enim dixisset. Reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros. Statim subdit, Si quis sine crimine est. Oportet enim Episcopum sine crimine esse. Quasi dicat, elige viros probos idoneosque, & constitue in presbyteros seu Episcopos: oportet enim illos bonæ esse famæ, ac vitæ integræ. Certè, Creta, insula latissima, necnon & feracissima iuxtà ac pulcherrima, vnde dicta est, Beata insula. Ita Solinus. Et apud Plinium processit opinio illa: Quicquid in Cretâ nascitur, infinito præstare cæteris eiusdem generis alibi genitis. In eâ vrbes illustres, nec paucæ, etsi nonnullæ grandiores. Κρήτην ἑκατόμπολιν vocat Homerus, etsi aliàs demat de numero, ideoque certum pro incerto constituat. Sex memorant, nominantque maximas & illustrissimas, Gnosson, Gortynam, Cydoniam, Theragnem, Cyteum, Lissen. Cætera forsan oppida, vel vrbes minus insignes, quibus tamen assignandi essent Episcopi. Vult ergo Paulus constitui presbyteros κατὰ πόλιν, per singulas vrbes, quæ non solùm sub eodem pomœrio continerent ciues, sed & quæ iusto numero fideles colligerent. Quid enim si vrbes sint, sed desertæ? vel si frequentes, sed populis destitutæ Christianis? Idcircò igitur Titum in Cretâ reliquerat Paulus, imò & toti insulæ præfecerat, vt quod superesset, τὰ λείποντα, perficeret, & in singulis ciuitatibus, seu vrbibus populosis, sedis capacibus Episcopalis, presbyteros, id est Episcopos constitueret. Primò igitur omnium constituti sunt presbyteri, sed maiores, seu summi sacerdotes; qui pro exigentiâ loci, aut rei circumstantia, alios crearent, sed inferiores ac minores, sicque Ecclesiasticam complerent hierarchiam. In ipso namque Episcopo vti dixit Dionysius, perficitur & impletur omnis nostræ hierarchiæ dispositio. Vt enim omnem hierarchiam videmus in Iesum consummatam, sic vnamquamque in proprium diuinum summum sacerdotem. Ipsa autem hierarchici ordinis virtus in omnibus locatur sacris vniuersitatibus, & per omnes diuinos ordines operatur propriè hierarchiæ mysteria. Discretè autem huic vltrà cæteros ordines in suam operationem diuina lex distribuit diuiniores sacrificationes. Hæ autem sunt perfectrices virtutis diuinæ imagines, consummantes omnia diuinissima symbola, & omnes sacras dispositiones.

Omnes quidem Presbyteri, Sacerdotes sunt, quia Sacra conficiunt, sed non omnes perficiunt; dant omnes, sed non omnes consummant mysteria: sunt enim alij minores inferioresve, maiores alij ac superiores, imò supremi ac summi, in apice dignitatis constituti, & sublimitate ordinis, si non munere aut fulgore sanctitatis conspicui. Quamuis enim videatur maiores presbyteros eleuare, & inferiores sublimare velut æquandos: istos tamen extollit aduersùs Diaconos potius, quàm aduersùs Episcopos: illos verò non tam deprimit, quàm repellit; nec tam deiicit, quàm reiicit eos, qui monachos, maximè verò Presbyteros contemnebant, affligebantque, supplices licèt & humiles. Ad aduentum tuum, inquit, vt reor, non pauet monachorum turba, sed gaudet, cum certatim tibi procedunt obuiàm: & de eremi latibulis exeuntes, suâ te cupiunt humilitate superare. Quis eos compellit exire? nonne amor tui? Amari parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit: quem odit, periisse cupit. Idcircò nos patrias nostras dimisimus, vt quieti absque vllis simultatibus in agris & in solitudine viueremus: vt Pontifices Christi, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum metu, sed parentum honore veneremur; vt deferamus Episcopis vt Episcopis; & non, sub nomine alterius, aliis, quibus nolumus, seruire cogamur. Non sumus tam inflati cordis, vt ignoremus quid debeamus sacerdotibus Christi: qui enim eos recipit, non tam eos recipit, quàm illum, cuius Episcopi sunt. Sed contenti sint honore suo. Patres se sciant esse, non Dominos; maximè apud eos, qui, spretis ambitionibus seculi, nihil quieti & otio præferunt. Non nouit terrori natio ista succumbere & impendenti gladio magis ceruicem, quàm manus subiicit. Quis enim monachorum, exul patriæ, non exul est mundi? Nouit tamen ordinem secernere, & inferiorem superiori, vt maiori minorem summittere. Ecclesiæ salus, inquit, in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas; tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. De illis igitur presbyteris loquitur Apostolus, à quorum non ætate, sed dignitate, salus pendet Ecclesiæ: id est, de maioribus ac superioribus. Constituas presbyteros, id est, vt exponit Aquinas, Episcopos: vtitur enim indifferenter nomine Episcoporum &

Plin. lib. 25. cap. 8.

Creta insula latissima ac feracissima.

Dionys. lib. de Eccl. hierarch. cap. 5.

Hieronym. epist. 62.

Episcopi non impotentes Domini, sed benigni patres.

Hieronym. dial. aduers. Lucifer. circ. med.

Aquin. lect. 2.

& presbyterorum. Et dicit, Constituas, non in villis, sed, per ciuitates. Sicut enim in republicâ Reges sunt tantùm in ciuitatibus, sic in spirituali regimine Episcopi. Sicut ego disposui tibi: quia pertinet ad superiores Episcopum constituere.

TROPOLOGIA.

Si quis sine crimine est.

SVmmum sacerdotium, affert ingens fastigium, suspiciendum est: imminens periculum infert, verendum est: præsens profert remedium, adhibendum est.

Quoad primum. Si summum est, nihil est in eo genere maius, nihil in eo genere sublimius. Omnes, ait Ignatius, Episcopum sequimini, sicut Christus Iesus patrem: Presbyteros, sicut Apostolos; Diaconos autem veneramini, sicut Dei mandato ministrantes. Nemo præter Episcopum aliquid agat eorum quæ ad Ecclesiam pertinent. Firma Eucharistia reputetur, quæ ab Episcopo concessa fuerit: vbi Episcopus præsens fuerit, illuc & plebs congregetur; sicut & vbi Christus est, omnis cœlestis militia adest, tanquam Principi militiæ virtutis Domini,& ipse est dispensator totius intelligibilis naturæ. Propterea non licet sine Episcopo, neque offerre, neque sacrificium immolare neque missas celebrare. Sed si ei visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, tunc demum tutum & firmum erit. Ego dico: Honorate quidem Deum vt auctorem omnium & Dominum, Episcopum autem tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem; principatum quidem secundùm Deum, sacerdotium verò secundùm Christum: & post hunc, honorare oportet etiam Regem. Nemo enim potior est Deo, neque similis ei; neque Episcopo honorabilior in Ecclesiâ, sacerdotium Deo gerenti, pro mundi salute; neque Regi quis similis est in exercitu, pacē & beneuolentiam omnibus Principibus cogitanti. Qui enim honorat Episcopum, honorabitur à Deo; & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra Regem insurgens, damnatione dignus est; quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Episcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt: quòd si quis inhonorauerit, Deum inhonorat & Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ, & solum naturâ Principē Sacerdotem Dei. Reges quidem in summo constituti sunt, & in fastigio positi: sed hic ordo humanus, corporibus cum terrore imminens: alter ordo non diuinus solùm, sed & deificus, animabus ex amore præsidens. Honor, ait Ambrosius, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. Quid iam de plebeiâ dixerim multitudine, cui

Ignat. epist. 10. quæ est ad Smyrnens

Ambros. lib. de dignit. sacerd. c. 2.

A non solùm præferri à Domino meruit, sed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum est Euangelicis? Nihil grandius concipi potest, nihil dici excellentius; cum Deus ipse spectetur in Sacerdotibus, in Pontificibus honoretur Christus. Boni enim sunt Sacerdotes, ait Ignatius, & sermonis ministri: melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei. Bona sunt etiam officia virtutis Dei, bonus quoque Spiritus sanctus, qui est super omnia sancta sanctissimus, & verbi minister; sed super omnes sanctos. Sanctissimus est summus Pontifex & Princeps Pontificum, qui est

Quanta Sacerdotalis dignitatis præstantia.

Ignat. epist. 9. quæ est ad Philadelph.

B legatus & minister patris, & Princeps legionum militiæ cœlestis, per quem pater omnia fecit, atque omnem prouidentiam gerit. Ipse enim est via quæ ducit ad patrem, ipse est petra, clauis, pastor, ianua scientiæ & agnitionis, per quam introiuit sponsa Domini Ecclesia, pro quâ sanguinem suum fudit vt eam redimeret: omnia igitur hæc in vnitate vnius & vnigeniti veri Dei. Vnum quippe constituunt, in quo corpus est Episcopus, Deus est spiritus: sicque vnum quid integrum componunt, ideoque & eundem fulgorem emittunt, & eundem nobis imponunt honorem.

Quoad secundum. Summum sacerdotium,

C ingens quidem fastigium affert, sed & imminens infert periculum. Antè omnia peto, ait Augustinus, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Nihil est in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi officio. In summo quidem fastigio est, sed in loco confragoso; ex quo semper timendus lapsus, nec modicus vnquam censendus est. Hæc igitur

Augustin. epist. 148. à limine.

D cuncta ideo præmisisse debetis cognoscere, (verba sunt Ambrosij) vt ostenderemus nihil esse in hoc seculo excellentius Sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri: vt cum dignitatem Episcopatûs, Episcoporum oculis demonstramus, & dignè noscamus quid sumus; & quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus; vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus processus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur

Ambros. lib. de dignit. sacerd. c. 3.

E in Ecclesiâ cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ergo, sicut Senatorem chlamys ornat, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat: vt ex bono opere magis, quam professione noscatur; plus metitis esse Episcopus, quàm quod nomine vocitetur: quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius si de sanctâ vitâ Episcopus periclitetur, si Sacerdos

Ne sit actus vilior, vbi gradus sublimior.

dos in crimine teneatur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto est, grauiori casu collidit. Honor quidem Episcopalis coràm hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabitur, ruina grauior est. Sublimitas magna, sed tanto magis difficultas præcauenda, quanto magis & infirmitas perspecta, & suspecta fragilitas. Timenda semper ruina, vbi tanta est sarcina; præsumenda semper offensa, vbi tanta est ignorantia. Neque enim sic tumore vanæ mentis extollar (aiebat Augustinus) vt audeam dicere, ex quo huius muneris sarcinas porto, nullum à me hominem perperàm læsum. Hoc cuilibet homini tam multis & molestis actibus occupato atque districto, ne dicam impossibile, certè difficile est: Quanto magis mihi qui noui infirmitatem meam, quam diebus ac noctibus offero sanandam Domino Deo meo? Hic quippe omni, & omni horâ, & curâ omninò continuâ, cogitare debet Episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illâ rationem Domino suo reddat. Diuersarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè, non vt poscebat, audiui; si quem tristiùs, quàm opus erat, aspexi; si in quem verbum duriùs, quàm oportebat, emisi; si quem corde contribulatum, & opis indigum responsione incongruâ contristaui; si quem pauperem mihi in aliud intento importuniùs insistentem vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui; si cui de me falsi aliquid tanquam homine de homine suspicanti, iusto acerbiùs indignatus sum; si quis in suâ conscientiâ non agnouit quod de illo humaniùs suspicatus sum: vos quibus pro his atque huiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem. Nam pullos quos fouet, sæpè in Angustiis, sed non toto pedis pondere calcat & mater: nec ideò desinit esse mater. Dimittite amanti vos, debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Orate vt quod mihi deinceps temporis sub hac sarcinâ erit, iter agentem regat Dominus, & suis oculis, placentem vobisque vtilem faciat.

Augustin. lib. 50. Hom. 24. cap. 2.

Quoad tertium. Non tam collatum munus, quàm onus impositum; non tam quis beneficio donatus, quàm obstrictus officio: sed si ingens infert periculum, præsens etiam affert remedium: vitabit enim discrimen, si crimen effugerit; & officium implebit religionis, si se in virtutis proposuerit magisterium. Vt igitur specialiter ipsius Episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, (verba sunt Ambrosij) Apostolica est nobis regula reuoluenda, quæ de iis per singula Episcopales actus depingit. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Irreprehensibilem ait. Nam si Episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Sequitur deinde, & ait, Sobrium hoc est, non vino tantùm, sed & vitiis parcum; vt nec vino ampliùs indulgeat quàm oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et denuò

Ambros. lib. de dign. sacerd. c. 4.

A infert: Ornatum. Quòd si iuxtà sensum literæ tantùm respiciamus, non aliud sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratiâ: Castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopum, sed mente decet esse ornatum: vt ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Vult non solùm ab omnibus vitiis esse liberum, sed & omnibus præclarum esse virtutibus: quid enim interest sobrium esse vino, & vitio ebrium: aut quid prodest, immunem esse à criminibus, sed virtutibus carentem: cute mundum, & corde leprosum? Oportet Episcopum esse sine crimine, siue sine accusatione: (ita Hieronymus) hoc enim magis ἀνέγκλητον sonat, sicut dispensatorem Dei, non proteruum, non iracundum, non turpis lucri appetitorem: sed benignum, pudicum, iustum, sanctum. Primum, quod dixit, irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus. Deinde quod sequitur, διδακτικὸν, qui possit docere, non, vt interpretatur Latina simplicitas, docilem, cum cæteris virtutibus difficulter inuenies. Cupit quoque vt & domum suam optimè regat quodque difficillimum est, vt filios habeat sic biectos, cum omni pudicitiâ, vel filios carnis, vel filios fidei. Cum omni, inquit, pudicitiâ. Non enim sufficit Episcopum propriam habere pudicitiam, nisi ea filiorum, & comitum, ac ministrorum pudore decoretur, dicente Dauid: Ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. Consideremus quoque σεμνότητι pudicitiæ, filios habentem subditos in omni pudicitiâ; vt non solùm opere, sed sermone quoque & nutibus se abstineant ab impudicitiis; ne fortè illud incidat Heli, qui certè increpauit filios suos, dicens: Nolite filij mei, nolite: non bonam famam audio ego de vobis. Corripuit, & punitus est: quia non corripere debuit, sed abiicere. Quid ergo faciet, qui gaudet ad vitia, qui emendare non audet? qui conscientiam suam non metuit; &, quod cunctus populus clamitat, nescire se simulat? Denique, vult vt bonam opinionem ab iis, qui foris sunt, habeat; vt quibus doctrina displicet, placeat conuersatio: puto quòd non facile sit reperire; maximeque illud, vt potens sit aduersariis resistere, & peruersas opprimere & superare doctrinas. Quis sine peccato? Nullus hominum, nec ipse Princeps Apostolorum Petrus. Solus Christus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Optat quidem Paulus Episcopum ab omni peccato esse liberum, sed interim omne crimen amputat, ne in discrimen veniat, ne in iudicium Dei, aut in laqueum incidat diaboli. Prima libertas, ait Augustinus, carere criminibus. Ideò Apostolus Paulus quando elegit ordinandos ad præposituram Ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait, Si quis sine crimine est. Sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Vlterius tendere debet Episcopus, perfectionemque omnem & omnium, nec inchoationem, sed consummationem virtutum apprehendere.

Hieronym. lib. 1. aduers. pelag. vlt. med.

Oportet Episcopum & ab omnibus criminibus esse liberum, & omnibus præclarum virtutibus.

Augustin. Tract. 41. in Ioan. vlt. med.

ANAGO

ANAGOGIA.

Sicut Dei dispensatorem.

Tanquam vices gerentem Dei, res illius nomine agentem & virtute. Triplex autem locus, in quo constituendus est Episcopus: Ecclesia, familia, anima. In illâ Deus, per spiritum veritatis: in istâ, per spiritum pietatis: in hac verò, per spiritum charitatis. Omnes vbique Dei dispensatores, ministri ac vicarij.

Quoad primum. Dixi Episcopatum, non tam munus esse, quàm onus: nunc dico, non tam onus esse, quàm opus; arduum quidem, sed diuinum, non per conatum infirmitatis humanæ, sed per spiritum diuinæ veritatis peragendum. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: Fidelis sermo. Ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitum. Tum subiungit: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: hoc est: si Episcopus esse desideras magnum est quod esse cupis. sed si & opus bonum simul amplectatis. Nam si aliter esse cupis, Episcopus esse non potes. Sic polleat Episcopus sapientiâ, vt non solùm creditum sibi populum sufficienter doceat, verùm etiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à Catholicâ repellere Ecclesiâ. Si enim adhuc profundiora scruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hæreticum; sed Christianam tantùm orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnius tantummodo vxoris & Catholicæ Ecclesiæ vit Episcopus vocitetur. Qui ergo talem esse se ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius occupare præsumat: præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ, populorum, potest corda lustrare. Ne iam cogites Episcopatum, honoris esse titulum, sed putes auctoramentum esse virtutis, doctrinæ ac sapientiæ speculum. In actione enim, vti dixit Augustinus, non amandus est honor in hac vitâ siue potentiâ, quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit; si rectè atque vtiliter fit, id est, vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est. Propter quod Apostolus exponere voluit quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Itaque à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium, quod quærit charitas veritatis: sed negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat necessitas. Studere quisque debet sapientiæ diuinæ: sed dum quis otio delectatur sancto, solus epulatur in conuiuio veritatis: Episcopus verò dum iustis occupatur negotiis, non iam solus epulo saginatur veritatis: sed omnes ad conuiuium vocat, dum tanquam Dei vicarius, mysterium dispensat fidei, esurientes recreat,

Ambrof. lib. de dignit. sacerd. c. 4.

Augustin. lib. 19. de Ciuit Dei cap. 19.

Episcopatus nomen operis est, non honoris.

A languentes refocillat. Os est Domini: sed quomodo pronuntiabit veritatis oraculum, nisi spiritum acceperit veritatis? Ita illi primi Antistites & arietes nostri: in publico religionis concilio, & immoto veritatis decreto. Visum est Spiritui sancto, & nobis. Non enim videretur nobis, nisi suggeretur nobis. Visum est Spiritui sancto, & inde nobis illius afflatis numine illius lumine, illustratis. Ad hoc enim, vti dixit Tertullianus Spiritus sanctus missus est à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset doctor veritatis. Idcirco dictus ab ipso, Dei villicus, Christi vicarius. Duplex quippe in Ecclesiâ Episcopus est: vnus visibilis, alter

B inuisibilis; qui Apostolos, qui Episcopos in omnem deducit veritatem: qui non sinit aliter intelligere, aliter credere, quàm quomodo intelligendum & credendum est. Idcircò: omnia, vt dixit Ignatius, benè ordinanda, quæ mandanda sunt in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi presbyteris, presbyteri, Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse patri. Ipse enim fons veritatis omnis. Christus quippe quæ accepit à patre, nota fecit nobis; suumque reliquit spiritum, qui ipsam animet, ne dicam & informet Ecclesiam: ideoque quò propior spiritui, eò propior veritati.

Quoad secundum. Duplex Ecclesia, publica vna, altera domestica: & vtrobique

C constituendus est Episcopus: sed si illic spiritus est veritatis, istic spiritus pietatis: illic throno editiore, istic de humiliore loco: ille de cathedrâ, iste de areâ. Nos ergo, ait Augustinus, dispensatores sumus. Nos erogamus, vos accipitis. Sed etiam ad vos nolite existimare non pertinere erogationem. Non potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis vbicumque estis. Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Vnusquisque ergo in domo suâ, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim in-

D currant. Disciplina Apostolica præposuit Dominum seruo, & seruum subdidit Domino; Christus tamen pro ambobus vnum pretium dedit. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate. Hæc si facitis, erogatis. Quis Episcopus communis? qui publicæ præfectus est Ecclesiæ. Quis Episcopus familiaris, qui priuatæ præfectus est familiæ. Adeo, (vt Tertullianus loquitur) vbi Ecclesiastici ordinis non est consessus, sacer-

E dos es tibi solus. Igitur si habes ius Sacerdotis in temetipso, habeas oportet disciplinã Sacerdotis. Si dignitatem vindicas, quidni vindicas pietatem? cur nomine auctoritatem prætendis, re committis iniquitatem? Ecce, ait Ambrosius, ad quæ mala voluitur deificus ordo: Ecce ad quæ probra sunt prolapsi Sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi: vos estis lux mundi. Ecce quibus subiiciuntur Gentes, quibus à Domino dictum est: vos estis sal terræ. Ergo si lux est Ecclesiæ Episcopus à Domino ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur

Actuum cap. 15.

Tertullian. lib. de præscript. c. 28.

Ignat. epist. 10. in fine.

Augustin. 51. de sanct in med.

Episcopus familiæ velut suæ præfectus Ecclesiæ.

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 7.

Ambrof. lib. de dign. sacer. cap. 6.

cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solùm quia ipse dum malè agit, dignè perit: insuper & alios secum indignè perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, vt insipientium possis corda condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita vt nec alios, nec teipsum possis cõdire: De vtroque loquor: quis enim commendabilior, qui ditior, an qui sanctior? Locus, ait Ignatius, & dignitas atque diuitiæ neminem inflent, ignobilitas & paupertas nullum humiliet. Sed cum his omnibus, fides eius sit in Deum & in Christum, & spes fruitionis futurorum bonorum cum dilectione quæ est circa Deum & circa proximum. Mallem ego actionem sine nomine, quàm nomen sine actione: mallem sine dignitate virtutem, quàm dignitatem sine virtute: qui enim solo inflatus est titulo, non solùm indignus est dignitate, sed nec dignandus nomine. Qui autem & titulo dignus est & officio, non solùm volet socios, sed & eos compellet. Inde tam pia quàm & iusta Chrysostomi querela. Omnia in nos congeritis, Oporteret vos à nobis solùm discere: vxores autem à vobis, filios à vobis: sed nobis omnia relinquitis. Audite quæso vos omnes, quibus curæ sunt quæ ad hanc vitam pertinent: & parate vobis libros medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, nouum quidem certe testamentum vobis parate, Apostolorum actus, Euangelia, magistros perpetuos. Ex his quippe libris, spiritus hauritur pietatis, spiritus sanctitatis & in totam familiam, tanquam in Ecclesiam domesticam respergitur.

Ignat. epist. ad Smyrn. cir. med.

Chrysost. orat 9. in epist. ad Coloss.

Sanè vtendũ.

Quoad tertium. Episcopus altiùs attollitur, vt eminus videatur. Nam quid aliud interpretatur Episcopus, ait Ambrosius, nisi super inspector? maximè cum solio in Ecclesiâ editiore residcat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Omnes videt, & videtur ab omnibus: quid enim Episcopus, nisi viuum speculum, expositum omnibus, nec speculandum duntaxat, sed & imitandum; ad cuius contuitum mores suos formet quiuis aut reformet, cuius exemplum & actiones foris domique æmuletur. Ita Hieronymus Heliodoro. In te, inquit, oculi omnium diriguntur: domus tua, & conuersatio, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Caue ne committas, quod aut, qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. Pone Episcopum in solio, imò & in altiorem ac sublimiorem sedem euehe, nusquam tamen internos animi deprehendet motus, sed varios duntaxat populi vultus aspiciet. Ideò, inquit Augustinus, altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est. Et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, vt humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus, vt qui nouit mentes vestras ipse custodiat: quia nos intrantes vos & exeuntes possumus videre: vsque adeò autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, vt neque quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custodimus? Homo videt ea quæ sunt in facie, Deus autem videt ea quæ sunt in corde: idcircò & alius nobis, animarum scilicet nostrarum Episcopus necessarius, sine quo nec ciuitatem custodire, populorum Episcopus potest, nec pietatem promouere. Hic est spiritus charitatis, qui actiones regit, actiones dirigit: qui intus sedet, & omnibus præsidet cogitationibus: sicut enim cupiditas opera nostra inficit, sic & charitas afficit: influit enim in omnia pietatis opera, imò solus ille spiritus charitatis mandata omnia perficit. Qui diligit me, mandata mea seruabit: quorum caput & radix est, Diliges Dominum Deum, & proximum tuum sicut teipsum. Si ergo (ita elicit Chrysostomus) diligere Deum, diligere proximum est: si etiam dilectio proximi facit vt mandata custodias: meritò ait Christus in his totam legem & Prophetâs pendêre. Nam si diligis me, ô Petre, inquit, pasce oues meas. Qui enim verè Deum diligit, otium non requirit nisi sanctum, iustumque negotium non solum pro seipso, sed & pro proximo, imò & pastoris rectoris-ve officium suscipit. Memores esse debemus, (ait venerabilis Beda) voluntatem non nostram, sed Dei facere debere: quapropter mente integra, fide firmâ, virtute robustâ, charitate perfectâ, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conseruantes fortiter Dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendendâ veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis. Errant qui putant se natos otio, nec considerant se addictos obsequio. Antiquis viris, ait Chrysostomus, vita omnis erat operosa, totaque in labore, atque in certamine: nobis autem non sic, sed tempus omne per negligentiam ducimus. Nouerant profectò illi, ideò se in hunc mundum fuisse deductos, vt placita ei, qui se condiderat, gererent, illique per bona opera placere studerent. Qui sunt Filij Dei, qui ducuntur Spiritu Dei; sicut aguntur; sic & aliquid semper agunt, quod exerceat charitatem, quod ad spiritualium rerum rationem pertineat. Vnde & vos, fratres mei, præcipientes rogamus, (ita Augustinus) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Facite nostrum ministerium fructuosum. Dei agricultura estis. Extrinsecùs accipite plantatorem: intrinsecùs verò incrementi datorem. Corripiendi sunt inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cauendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adiuuandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. Oremus ergo pariter, dilectissimi, vt & facienda dicam, & vos faciatis audita. Si enim & nos pro vobis, & vos pro nobis cum perfecto charitatis amore indesinenter orauerimus, ad æternam beatitudinem, auxiliante Domino, feliciter veniemus. Amen.

Ambros. lib. de dignit. sacerd c. 6.

Hieronym. epist. 5. vlt. med.

Augustin. in Expos. Psal. 126. post init.

Necessarius animarum nostrarum Episcopus.

Chrysost. Hom. 71. in Matth.

Beda serm. 18. de sanctis.

Chrysost. Hom. 1.

Augustin. serm. 39. ex nouis sub fin.

PARS

PARS SECVNDA.

De Iudæis.

TEXTVS.

SVNT enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

EXEGESIS LITERALIS.

CRETENSES denotat vt mendaces, ideoque & durius imperat increpari, & à Iudaicis fabulis, peruersisque magistris diligentiùs auocari.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui &c. Cur Episcopus & bonorum instructioni idoneus esse debet, malorumque seu contradictorum conuictioni? Quia inter fideles, maximè verò Cretenses, multi inueniuntur refractarij, vanis dediti friuolisque, quibus capiuntur audientes, mentesque seducuntur. Ij maximè Iudæi sunt, ideoque reuincendi sunt. Iudæi à Prophetis & Patriarchis exorti, ad docendum, quàm ad discendum proniores, ad loquendum audaciores, auidi plusculum imperij, impatientes admodum obsequij. Cum inobedientiam dixit Paulus, omnium expressit malorum radicem. Nam qui obtemperare alteri nolit, nec pati imperium potest, sed alios magis, vt præsit, inuaserit, nec recti quicquam, nec sanè didicisse se profitebitur. Qui vt ab aliis instruatur nil sustinet, is sanè & vaniloquus est, & deceptor, qui cum seipsum, tum alios fallat. Valde ergo illi sunt obiurgandi, & ita vt eorum ora intercludantur: ob eos qui & corrumpi ab his possent & inquinari, continendi sunt & frœnandi. Qui verò id facere nequit, nec Episcopatûs dignitatem assumet. Ita Athanas. seu vulgarius in Apostolum. Qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ &c. Cur ita durè tractandi, cur ita seuerè obiurgandi? totas inficiunt familias doctrinis falsis ac noxiis, peruertuntque concusso fidei fundamento: idque totum vt emungant nummum, & quæstum faciant. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum

Athanas. in Paulum.
Qui quæstum quærit corrumpit Euāgelium.

A Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate &c. De ipsis Epimenides & ipse Cretensis, verum pronuntiauit oraculum, dum eos dixit mendaces semper, nocendi auidos, ventri, & otio inerti oppidò deditos. Quocirca non solùm admonendi sunt solerter, sed & acriter arguendi, vt sanam doctrinam custodiant, Christianam ferant disciplinam: nec hominibus attendant somnia sua venditantibus, veramque fidem religionem Christianam auersantibus,

B Insistendum præcipit in correptione illorum, ait Ambros. vt conuerti possint, & illa sectari quæ iusta sunt, & lege Dei condigna, auertentes se à Iudaicis fabulis.

Ambros. in Paulum.

Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia &c. Vetant gustare, vel etiam contrectare multa velut immunda, aliaque commendant non inutilia solùm, sed & noxia: si immunda sunt ista, certè immundis, non autem sanctis sunt immunda: vanè docentibus, non autem piè credentibus, religiosèque vtentibus. Sicut enim nihil non mundum fidelibus, sic & infidelibus nihil est

C mundum purum-ve; sed impura omnia: quia scilicet intellectus eorum iam per errorem corruptus est, & exinde affectus per intentionem seductus, polluta per actionem conscientia. Non enim pro earum naturâ vel immundæ res sunt, sed pro eorum voluntate, qui illis vescuntur. Nam qui puriores sunt & fideles, cuncta pro mundis habent, vt quæ à Deo sint condita, flagitia duntaxat immunda dixerit. Ita Commentator Athanasianus. Cōfitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Profitentur certam veri Dei notitiam: sed

Comment. Athanas.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.

EXEGESIS LITERALIS.

RELIQVERAT Titum Cretæ Paulus, & illi exstruendæ Ecclesiæ negotium disponendęque commiserat. Nunc instat vt quæ desunt, corrigat & eos qui digni sunt Episcopos constituat.

Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis &c. Paulus seruus Dei viui, legatus autem Christi Domini, & ad hoc missus, vt electi fidem accipiant hæreditatemque salutis, & in cognitionem veritatis perueniant. Apostolus sum, vt per me qui electi sunt credant. Ad rerum autem Iudaicarum differentiam, veritatis adiunxit. Illa quippe haudquaquam sunt vera, nec penitus mentiuntur, sed figuram quandam & vmbram præferunt veritatis. Ita Comment. Athanas. Quæ secundùm pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia &c. Illa veritas quæ nunc reuelata est, de rebus est ad cultum diuinum, & exinde ad æternam vitam pertinentibus: illam quippe nobis seu electis ante conditum mundum, pollicitus est Deus, qui tam mentiri non potest, quam nec decipi. Id enim voluit, & ab æterno, in proposito habuit. Manifestauit autem temporibus verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei &c. Sed quod apud se ab æterno constituit, id nunc congruo tempore patefecit, per prædicationem scilicet Euangelij, quæ mihi commissa est, secundum destinationem iussionem Dei nostri creatoris saluatorisque. Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro &c. Tito Paulus scribit hanc Epistolam, velut filio sincero secundùm eandem fidem & iisdem insistentem vestigiis: cupitque dona omnia salutaria, & stabilem ipsorum possessionem à Deo Patre creatore omnium, & Christo Iesu saluatore fidelium. Textus Ambrosianus. Tito Germano filio secundùm communem fidem. Est enim in Græco γνησίῳ. Et in Commentario. Decretum, inquit, donum à Deo quod ante secula promiserat, tempore Saluatoris, in prædicatione Apostolorum manifestatum declarat. Quod etiam sibi creditum dicit, vt Gentibus insinuaret prædestinatam misericordiam Dei; vt & Titus verus eius filius, id est secundùm Euangelium hanc Dei voluntatem solicite suscipiens prædicaret.

Comment. Athanas.

Quod Deus destinauit in æternitate, manifestauit in tempore.

Ambros. in Paulum.

Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi &c. Eâ de causâ reliqui te in Cretâ, vt ea quæ desunt pergas corrigere, quæ supersunt corrigenda satagas in meliorem ordinem redigere, & in singulis ciuitatibus seniores seu præsules constituas. Partem, ait Athanas. sibi desumunt & peragunt. Quod hoc loco designat, cum, inquit, Reliqui te Cretæ: tanquam ipse illo relicto, aliò prædicandi gratiâ concessisset, Iacit Paulus fundamentum, alius superexstruit ædificium. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos &c. Dixerat, sicut & ego disposui tibi. Sicut ordinaui, sicut indicaui, quales nimirum seniores seu Episcopi essent eligendi: nunc explanat inculcatque. Si quis nullo crimine notatus, sed bono præclarus nomine; qui digamus non sit, sed vnâ & solâ contentus: si quos habet filios, constet esse Christianos, castos, sobrios, morigeros. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum &c. Redit ad presbyteros, seu Episcopos, aitque, oportet Episcopum esse bonæ famæ, tanquam ministrum Dei, & in sacris dispensandis vicarium, non præfractum obstinatique iudicij, non iracundum, non multo vino deditum, non percussorem, iuris sui non rigidum exactorem, non turpis lucri sectatorem. Sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem &c. Parum est, quod propriis aut domesticis criminibus infamatus non sit: veris etiam sit ornatus virtutibus; sit igitur ad suscipiendos peregrinos expositus, benignus, Græcè φιλάγαθος, maximè verò bonos ac religiosos: sit sobrius castusque: sit coràm mundo iustus, coràm Deo sanctus, continens abstinensque. Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere. Non sat quòd sit sanctus, sit etiam doctus, Christianæ doctrinæ, fideique sinceræ tenacissimus; vt non solùm ad alios edocendos adhortandosque potens sit per incorruptam Euangelij disciplinam; sed & eos qui fidei resistunt contradicuntque veritati reuincendos, sufficiens. Episcopum, ait Ambros. & sanctum in operibus, & verbis prudentem ornari vult, vt & fratres exhortari possit, & contradicentes conuincere.

Athanas. in Paulum.

Episcopus iustus sit coràm mundo, coràm Deo sanctus.

Ambros. in Paulum.

Vult illum potentem opere & sermone, & suis instruendis, & aduersariis arguendis idoneum.

DISQVI



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

SE dicit Paulus seruum Dei, & Apostolum Christi: asseritque Deum tam veracem in verbis, quàm in promissis fidelem. Vera sunt ista, sunt tamen exponenda.

DISQVISITIO I.

De Paulo.

GRaue exordium, imò & grande, breuissimæ collatum epistolæ: sed Paulus scribit, & Tito suo scribit iam prouecto, & de rebus diuinis non sufficienter tantùm sed & abundanter instructo.

Quoad primum. Paulus quidem scribit, sed quis ille? Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei. Vide, inquit Chrysostomus, quàm ista indifferenter ponit, dum se interdum quidem Dei seruum, & Christi Apostolum dicit: aliàs verò Christi se appellat seruum, dicens, Paulus seruus Iesu Christi, adeò nullam inter patrem & filium differentiam nouit. Quòd nullam norit, satis manifestum est; cum enim nunc Dei, nunc Christi nominat seruum, Deum esse vnum, & vtrumque vnum esse Deum pronuntiat. Sed tria sunt requirenda. Primum, cur distinguat inter Deum & Iesum Christum. Alterum, cur Dei seruum se, Iesu Christi autem asserat Apostolum. Tertium, cur titulos confundat. Quantum ad primum, si indifferenter ista poneret Apostolus, communiter etiam ista repeteret: nunc verò vbi communitas ista, si tanta est singularitas. Nusquam enim in cæteris epistolis distinguit inter seruum & Apostolum, sed se nunc seruum Iesu Christi dicit, nunc Apostolum hîc verò non solùm distinguit inter Deum ac Iesum Christum, sed & inter seruum & Apostolum. Bellè tamen cohærent omnia, respondentque aptissimè, non solùm Christi officio, sed & Pauli merito. Quid enim Paulus, nisi paruus, modicus, minimus? sed quod ex nomenclatione sibi vendicat, explicat ex conditione. Paulus seruus Dei. Verùm talis seruus Dei, vt sit etiam filius Dei & amicus, vtpote Apostolus Christi, amore ministrans filiali, non seruili timore, nec tam seruum quam Christum ipsum repræsentans. Christum ergo spectat quà [Catholicum, vt loquitur Tertullianus sacerdotem] seu vniuersalem Ecclesiæ sanctæ propositum: & ita se Iesu Christi, triplicem ob rationem nominat. Prima est, quia ab ipso electus missusque. Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Altera, quia solum Christum annuntiabat, prædicabatque. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum, Tertia, quia legatus Christi. Si quid donaui propter vos in personâ Christi.

Chrysost. Hom. 1.

Cur Paulus Dei seruus, & Christi Apostolus.

Tertullian. lib. 4 aduers. Mar. cap. 9.

Galat. cap. 1.

2. Corinth. cap. 4

A Denique, quantum ad vltimum, tam Deus saluator, quàm & Christus creator. Quid enim ait Paulus? Secundùm imperium Saluatoris nostri Dei. Vide, ait Chrysostomus, quàm bene posteriora quadrent. Superiùs enim dixerat, Qui non mentitur Deus: hîc autem secundùm imperium saluatoris nostri Dei. Si itaque saluator est, ipseque studio ac voluntate saluandi ista præcipit, non officium huiusmodi, ambitionis res est: fides enim est & imperium est: idque & Dei saluatoris. Distinguit igitur Apostolus inter Deum & Iesum Christum, & vtrique quod suum est attribuit, aut ratione diuinitatis propriæ, aut ex conditione humanitatis assumptæ. Nam cum distinxisset, seque seruum Dei dixisset & Apostolum Christi: vtrumque reducit in
B vnum, dum tam Christum Dominum, quàm Deum patrem dicit nostrum saluatorem. Gratia & pax à Deo patre, & Christo Iesu Saluatore nostro. Et hæc sæpè coniungit, ait Aquinas, quia omnium spiritualium donorum principium est gratia, & pax finis. Psal. 147. Qui posuit fines tuos pacem.

2. Corinth. cap. 2.

Chrysost. Hom. 1.

Aquin. lect. 1.

Quoad secundum. Scribit Paulus seruus Dei & Apostolus Christi, sed Tito scribit, non solum filio, sed dilecto: seu germano, ideoque charissimo. Tito charissimo filio. Sunt enim etiam non huiusmodi filij, (inquit Chrysostomus) Filius nempe est, ideò quòd semel susceperit gratiam, ac regeneratus sit: sed profectò
C charissimus non est, quia patris dignitate degenerat, atque ad alterum tyrannum sponte deuoluitur. Nam in naturalibus quidem filiis charissimum facit vtriusque parentis affectus, hîc autem non sic: verùm ex proposito vnusquisque id munus assequitur. Quoniam igitur dixerat, filium, pulchrè intulit, A Deo patre, vt ipsius animum ad celsitudinem deitatis erigeret, dum disceret cuius esset filius. Equidem Titus tam filius Pauli, quàm & discipulus: sed sicut Paulus ipse tam Dei seruus est, quàm Apostolus Christi; idcircò & ipse Titus tam Christi discipulus est, quàm Dei filius. Dixi Pauli discipulum ac filium: dicam comitem, & fratrem non tamen
D & interpretem. Cur enim Paulus interpretem vel oratorem in exponendis Dei rebus desideret, qui omnibus se linguis enuntiet, & omnibus seu viris seu fœminis, se iuxta capacitatem ingenij, seu mysterij dignitatem attemperet? Denique si interpres Pauli Titus, quidni & comes perpetuus; cur illum reliquit in Cretâ, cur illum elegit ex Græciâ? Dona quippe Dei, (vti Aquinas dixit) non sunt imperfecta: & donum linguarum fuit specialiter Apostolis collatum ad prædicandum per totum mundum. Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in
E fines orbis terræ verba eorum. Quod de Tito erga Paulum, hoc dico & de Marco erga Petrum: nec tamen nego ipsos scriptores fuisse seu amanuenses, & Apostolos ipsis vsos fuisse velut antiquariis. Sic ergo Paulus, vt dicam ex Hieronymo: Habebat Titum interpretem, sicut & beatus petrus Marcum: cuius Euangelium, petro narrante, & illo scribente, compositum est. Denique & duæ epistolæ, quæ feruntur petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus. Organa enim ista cuiusque quidem manui ac

Chrysost. Hom. 1.

Titus & Marcus amanuenses, sicque interpretes.

Aquin, lect. 3. in cap. 2. epist. 1. ad Corinth.

Hieronym. epist. 150. quæst. 11.

pulsiu respondere possunt, sed & aliquid de suo conferre norunt, dum alienum sensum proprio stylo exprimunt. Sufficit filium esse, verum & ingenuum, fratrem fidelem & amantissimum. Idcircò Paulus: Cum venissem autem, inquit, Troadem propter Euangelium Christi, & ostiū mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Frater quidem secundùm fidem communem, filius autem secundùm singularem institutionem.

2. Corinth. cap. 2.

Quoad tertium. Breuis quidem epistola, sed grauis materia: idcircò multa præmittit, nec multa tamen edisserit: auctoritatem quippe primò conciliat, deinde viro non sufficienter tantùm sed & abundanter instructo, dicendi docendique potestatem delegat. Vnus ex Pauli sociis hic fuit vir probatus: (ita Chrysostomus) neque enim profectò illi integram insulam permisisset, neque ea quæ deerant præcepisset implenda: nec tam multorum Episcoporum iudicium commisisset, nisi multùm illi confideret. Aiunt autem quidam hunc iuuenem fuisse, idcircò quòd ad eum scribens Paulus eum filium vocet: sed hoc sanè non satis manifestum est. Tam enim prouectæ iam ætatis erat, quàm & spectatæ virtutis: vnde illum sperni ob adolescentiam timet sicut Timotheum: quin & breuiter sed grauiter ipsum edocet, ob cognitam sapientiam. Intuere, obsecro, ait ille, quàm istud exordium beneficiis Dei refertum sit. Paulus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, Tito dilecto filio secundùm communem fidem. Seruus, sed Dei; Apostolus, sed Christi. Paulus, ait Hieronymus, grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolorum se Christi titulo prænotauit. Ex maiestate Domini, ex dignitate magistri, agnoscenda est serui Apostolisque præstantia: sed & societate filij charissimi, Titi iungenda est excellentia. Secundùm communem fidem. Sicut enim Paulus excellenter Dei seruus est, sic & Titus singulariter filius est Apostoli. Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne iisdem vestigiis? Eidem quippe ille fidei insistebat: pari animo, parique zelo cum Paulo aduersùs legem ac circumcisionem decertabat pro Euangelio. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem: contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi. Titus ergo inter electos ipsos præcipuus, non solùm fidem diuinitatis à Paulo agnitionem-ve accepit veritatis, sed & eandem hausit ab ipso mentem, eundem sensum imbibit. Non multis igitur cum Paulus instruit, sed ad ipsum scribit tanquam satis iam instructum. Audi nempe, ait Chrysostomus, quid beatus hic dicat: Huius rei gratiâ, inquit, reliqui te in Creta, vt quæ deerant supercorrigeres. Non imperantis iure vtitur, sed interim admonet. Vt supercorrigeres, inquit. Intuere quæso animam omni inuidiâ liberam, & omnibus in locis discipulorum vtilitati consulentem;

Chrysost. Hom. 1.

Titus tam prouectæ ætatis quàm spectatæ virtutis.

Chrysost. Ibidem.

Hieronym. in cap. 1.

2. Corinth. cap 12.

Galat. cap. 2

Chrysost. Hom 2.

A nec satis curantem, siue id per se siue per alium fiat.

DISQVISITIO II.

De Deo.

AGnitio veritatis, non cuiuscumque est; sed illius, Quæ secundùm pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus, antè tempora secularia: B manifestauit autem temporibus suis verbum suum, in prædicatione, quæ credita est mihi. Quod proposuit ab æternitate, patefecit in tempore. Idem ergo promissum, quod verbum, seu decretum: illud constitutum in æternitate, sed impletum in tempore: ille quippe qui decreuit & impleuit, tam nec mentiri potest, quam nec impediri.

Quantum ad primum. Verbum est Dei, quod à mente Dei profectum, seu in sermone, seu in opere. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Quid est verbum tuum? ait Augustinus. Nunquidnam quod in principio erat Deus apud Deum, verbum scilicet per quod facta sunt C omnia? Non est ita. Nam illud verbum lumen est, sed lucerna non est. Lucerna quippe creatura est, non creator, quæ participatione incommutabilis lucis accenditur. Hoc erat Ioannes: de quo dicit Verbum Deus, Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed lumen est & lucerna: & tamen in comparatione verbi, de quo dictum est, Deus erat verbum: non erat ille lumen, sed missus est, vt testimonium perhiberet de lumine. Erat enim lumen verum, non quod illuminatur vt homo, sed quod illuminat omnem hominem. Cum igitur lumen dicatur vnigenitum verbum æquale gignenti, lumen dicatur & homo ab illo verbo illuminatus qui dicitur & lucerna, D sicut Ioannes, sicut Apostoli, nec vllus eorum homo sit verbum, & illud verbum à quo illuminati sunt, lucerna non sit: quid est hoc verbum quod ita lumen dicitur, vt lucerna sit, ait enim, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, nisi verbum intelligamus quod factum est ad prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos? Non verbum Christum, sed verbum Christi, de quo scriptum est, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Fide autem custodiuntur iudicia iustitiæ Dei: cum sic Deo iusto iudice, nec rectè factum infructuosum, nec peccatum creditur E impunitum. Sed pro hac fide quia multa & grauissima mala corpus pertulit Christi, Humiliatus sum, inquit, vsque valde: maximam scilicet passus persecutionem. Et ne in tantâ humiliatione fides ipsa deficeret, addidit. Domine viuifica me secundùm verbum tuum. Nam & verbum promissorum Dei, lucerna est pedibus, & lumen semitis. Quod enim lucerna, hoc repetitum est, lumen: & quod pedibus meis, hoc semitis meis. Est ergo verbum Dei promissorium: sed & illud duplex est, vnum internum, ideò & æternum: externum alterum, ideo temporarium illud, ante secula; istud per secula. Quæ enim secula præterierint, (verba sunt Augistini) antequam genus institueretur humanum, me

Augustin. com. 23. in Psal. 118 init.

Verbum Dei quod à Dei mente profectum seu in sermone, seu in opere.

Augustin. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 16.

me fateor ignorare: non tamen dubito nihil omninò creaturæ creatori esse coæternum. Dicit autem Apostolus tempora æterna, nec ea futura: sed, quod magis est mirandum, præterita. Sic enim ait: In spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna: manifestauit autem temporibus suis verbum suum. Ecce dixit retrò quod fuerint tempora æterna, quæ tamen non fuerint Deo coæterna. Siquidem ille ante tempora æterna non solùm erat, verumetiam promisit vitam æternam, quam manifestauit temporibus suis, id est, congruis: quid aliud, quàm verbum suum? Hoc enim vita æterna. Quomodo autem promisit, cum hominibus vtique promiserit, qui nondum erant ante tempora æterna: nisi quia in ipsius æternitate, atque in ipso eius verbo eidem coæterna, iam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat. Idem ergo promissum, quod verbum, quod decretum, quod propositum.

Quantum ad secundum. Illud quidem constitutum est in æternitate, sed impletum in tempore: illud quippe prius omnibus seculis, istud notum factum est omnibus seculis. Illud quippe verbum promissorium duplex est: vnum quo terra Iudæis destinata est, alterum, quo vita æterna Christianis præparata: illud in veteri testamento consignatum est, istud in nouo nunciatum. Secundùm pietatem est in spem. Seu, vt ex Græcis: In spe vitæ æternæ, quam promisit Deus, qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis verbum suum, in prædicatione, quæ credita est mihi. In quo notandum est primò nulla esse tempora æterna: nihil enim præcedit ea quæ verè ac propriè æterna sunt: at promisit Deus ante tempora æterna: ergo tempora illa verè ac propriè non sunt æterna. Notandum secundò, melius ex Græco dici tempora secularia, quàm æterna; vt & eatenus æterna sint, quatenus perpetua sunt & sempiterna. Ita Paulus, alibi. Secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti. Græcè χρόνοις αἰωνίοις. Et hic, Antè tempora æterna, Græcè πρὸ χρόνων αἰωνίων. Noster, Antè tempora secularia. Nec ait Apostolus fuisse aliqua secula seu tempora ante mundum conditum: sed asserit æternam vitam fuisse ante omnia tempora seu secula, id est ab æterno, sanctis electisve à Deo præordinatam. Notandum tertiò, quod statutum est ante mundi constitutionem, manifestatum fuisse post mundi constitutionem, maximè verò per Pauli prædicationem. Manifestauit, inquit, temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, apertè cum magna loquendi libertate, hoc vtique est, In prædicatione. Sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat: ita & nos, inquit, publicè prædicamus eâ ratione, vt nihil addamus; sed ea tantùm quæ audiuimus, prædicemus. Ea quippe virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt, omnia prosequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre. Ex quibus inferendum est primò secula omnia à constitutione mundi & operatione Dei condita. Si cuiusquam, ait Augustinus, volatilis sensus vagatur per imagines retrò temporum, euigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam vnde poterant innumerabilia secula præterire, quæ ipse non feceras cum sis omnium seculorum auctor & conditor? Aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? Inferendum secundò, non plus æternitatis ipsis temporibus inesse, quàm rebus mundanis seu secularibus. Non enim, ait ille, coæuum Deo mundum istum dicimus, quia non eius æternitatis est mundus, cuius æternitatis est Deus: mundum quippe fecit Deus, & sic cum ipsâ creaturâ quam Deus fecit, tempora esse cœperunt. Quo pacto ergo potest mundus dici æternus, quia ante eum non est alius; eo & secula dici possunt æterna, quia ante ipsa non sunt alia. Inferendum tertiò, quod promissum decretum-ve ante tempora secularia, patefactum post tempora secularia; sed adimpletione rei, non immutatione Dei. Nouit enim quiescens agere, ait August. & agens quiescere: potestque ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium. Id est æternum, & quod sine tempore concepit ac statuit, in tempore facere.

Roman. c. 16

Eatenus æterna sunt tempora, quatenus perpetua.

Chrysost. Hom. 1.

Augustin. lib. 11. Confess. cap. 13.

Augustin. lib. 1. de gen. cont. Man. cap. 2.

Augustin. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 17.

Quantum ad tertium. Hoc promisit Deus, hoc & adimplebit: tam enim mentiri non potest, quàm nec falli, quàm nec impediri. Quam promisit, qui non mentitur. Græcè ἀψευδής. Mentiri nescit, non nouit, non metuit in electione, aut constitutione suâ seu æternâ promissione intercipi. Vide, ait Chrysostomus, quàm ex ipsis initiis iam indicet Paulus gratiæ legisque distantiam. Iudæi non electi, sed nos: nam & ipsi aliquando dicebantur electi, iam huiusmodi gratiam amiserunt. Quam repromisit is qui non mentitur Deus. Hoc est, non modò ex pœnitentiæ remedio prouenit, sed olim, atque ab ipso principio, ante tempora secularia, ista præfixa sunt. Ostenditur profectò ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim, atque ab ipsis initiis dilecti sumus. Neque enim hoc parui ducendum est, quòd iam olim diligamur, & ab initio. Quam repromisit is qui non mentitur Deus. Si is non mentitur, prorsus erunt quæ promisit is qui non mentitur: neque est cur ambigere debeamus, etiamsi post mortem pollicitis perfruamur. Nam etiam ex eo, quod ait, Antè tempora secularia: promissum commendat immobile, dignissimumque cui fides adhibeatur. Manifestauit autem temporibus suis: quod enim ait, Suis, idem est profectò, ac si diceret, competentibus, debitis, congruis. Quænam enim huius ratio dilationis est. Prouidentiæ profectò gratia, & vt omnia opportunè, ac suis temporibus fierent. Manifestauit autem in prædicatione, quæ credita est mihi. Secundùm imperium Saluatoris nostri Dei. Et ex eo quod addidit, Secundùm imperium, dignam esse prædicationem, cui fides adhibeatur, ostendit. Talis est Deus vt mentiri non possit, aut mutari: ideoque, quod semel dixit, fixum stabit firmumque. Promissio igitur hæc, (vt concludit Aquinas) est firma dupliciter. Primò ex parte promittentis, vnde dicit, Qui non mentitur. Deus enim veritas est, cuius contrarium est mendacium. Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur. Secundò, ex diuino proposito dandi, vnde dicit, Ante tempora secularia, sunt tempora distincta secundùm diuersas

Chrysost. Hom. 1.

Quod semel promisit Deus, nunquam euertit.

Aquin. lect. 1.

uersas successiones rerum. Quasi dicat, antequam tempus successiuum inciperet esse. Et quia incepit hoc tempus cum mundo, ideo fuit antè principium mundi. Antiqua sunt secula, quia cum ipso mundo sunt condita: ante illa tamen promisit Deus, dum verbum emisit suum, decretumque in eo de dando protulit: fiet ergo quod promisit, & pro certo eueniet; quia ille qui promisit nec verbo mentiri potest, nec de proposito suo potest à quoquam intercipi.

DISQVISITIO III.

De presbytero.

FVndamentum ponebant Apostoli, ædificium alij superstruebant. Itaque prædicato seu annuntiato veritatis salutisque Euangelio, & populis ad fidem conuersis, aliquem relinquebant, qui rem perageret, & opus inceptum absolueret. Paulus ergo, vt dicam. Definit qualis Episcopus esse debeat, scribens ad Timotheum. Tito quoque scribens discipulo, quales Episcopos debeat ordinare, breui sermone demonstrat. Ideò reliqui te Cretæ, vt, quæ reliqua sunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ergo præcepi tibi. Qui sunt illi presbyteri? maiores sacerdotes, præpositi, Episcopi.

Dicendum ergo est eos de quibus loquitur Apostolus, fuisse etiam Episcopos. Cum enim dixisset. Reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros. Statim subdit, Si quis sine crimine est. Oportet enim Episcopum sine crimine esse. Quasi dicat, elige viros probos idoneosque, & constitue in presbyteros seu Episcopos: oportet enim illos bonæ esse famæ, ac vitæ integræ. Certè, Creta, insula latissima, necnon & feracissima iuxtà ac pulcherrima, vnde dictà est, Beata insula. Ita Solinus. Et apud Plinium processit opinio illa: Quicquid in Cretâ nascitur, infinito præstare cæteris eiusdem generis alibi genitis. In eâ vrbes illustres, nec paucæ, etsi nonnullæ grandiores. Κρήτην ἑκατόμπολιν vocat Homerus, etsi aliàs demat de numero, ideoque certum pro incerto constituat. Sex memorant, nominantque maximas & illustrissimas, Gnosson, Gortynam, Cydoniam, Theragnem, Cyteum, Lisson. Cætera forsan oppida, vel vrbes minus insignes, quibus tamen assignandi essent Episcopi. Vult ergo Paulus constitui presbyteros κατὰ πόλιν, per singulas vrbes, quæ non solùm sub eodem pomœrio continerent ciues, sed & quæ iusto numero fideles colligerent. Quid enim si vrbes sint, sed desertæ? vel si frequentes, sed populis destitutæ Christianis? Idcircò igitur Titum in Cretâ reliquerat Paulus, imò & toti insulæ præfecerat, vt quod superesset, τὰ λείποντα, perficeret, & in singulis ciuitatibus, seu vrbibus populosis, sedis capacibus Episcopalis, presbyteros, id est Episcopos constitueret. Primò igitur omnium constituti sunt presbyteri, sed maiores, seu summi sacerdotes; qui pro exigentiâ loci, aut rei circumstantia, alios crearent, sed inferiores ac minores, sicque Ecclesiasticam complerent hierarchiam. In ipso namque Episcopo vti dixit Dionysius, perficitur & impletur omnis nostræ hierarchiæ dispositio. Vt enim omnem hierarchiam videmus in Iesum consummatam, sic vnamquamque in proprium diuinum summum sacerdotem. Ipsa autem hierarchici ordinis virtus in omnibus locatur sacris vniuersitatibus, & per omnes diuinos ordines operatur propriè hierarchiæ mysteria. Discretè autem huic vltrà cæteros ordines in suam operationem diuina lex distribuit diuiniores sacrificationes. Hæ autem sunt perfectrices virtutis diuinæ imagines, consummantes omnia diuinissima symbola, & omnes sacras dispositiones.

Plin. lib. 25. cap. 8.

Creta insula latissima ac feracissima.

Dionys. lib. de Eccl. hierarch. cap. 5.

Omnes quidem Presbyteri, Sacerdotes sunt, quia Sacra conficiunt, sed non omnes perficiunt; dant omnes, sed non omnes consummant mysteria: sunt enim alij minores inferioresve, maiores alij ac superiores, imò supremi ac summi, in apice dignitatis constituti, & sublimitate ordinis, si non munere aut fulgore sanctitatis conspicui. Quamuis enim videatur maiores presbyteros eleuare, & inferiores sublimare velut æquandos: istos tamen extollit aduersùs Diaconos potius, quàm aduersùs Episcopos: illos verò non tam deprimit, quàm repellit; nec tam deiicit, quàm reiicit eos, qui monachos, maximè verò Presbyteros contemnebant, affligebantque, supplices licèt & humiles. Ad aduentum tuum, inquit, vt reor, non pauet monachorum turba, sed gaudet, cum certatim tibi procedunt obuiàm: & de eremi latibulis exeuntes, suâ te cupiunt humilitate superare. Quis eos compellit exire? nonne amor tui? Amari parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit: quem odit, periisse cupit. Idcircò nos patrias nostras dimimisimus, vt quieti absque vllis simultatibus in agris & in solitudine viueremus: vt Pontifices Christi, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum metu, sed parentum honore veneremur; vt deferamus Episcopis vt Episcopis; & non, sub nomine alterius, aliis, quibus nolumus, seruire cogamur. Non sumus tam inflati cordis, vt ignoremus quid debeamus sacerdotibus Christi: qui enim eos recipit, non tam eos recipit, quàm illum, cuius Episcopi sunt. Sed contenti sint honore suo. Patres se sciant esse, non Dominos; maximè apud eos, qui, spretis ambitionibus seculi, nihil quieti & otio præferunt. Non nouit terrori natio ista succumbere & impendenti gladio magis ceruicem, quàm manus subiicit. Quis enim monachorum, exul patriæ, non exul est mundi? Nouit tamen ordinem secernere, & inferiorem superiori, vt maiori minorem summittere. Ecclesiæ salus, inquit, in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas; tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. De illis igitur presbyteris loquitur Apostolus, à quorum non ætate, sed dignitate, salus pendet Ecclesiæ: id est, de maioribus ac superioribus. Constituas presbyteros, id est, vt exponit Aquinas, Episcopos: vtitur enim indifferenter nomine Episcoporum &

Hieronym. epist. 62.

Episcopi non impotentes Domini, sed benigni patres.

Hieronym. dial. aduers. Lucifer. cir. med.

Aquin. lect. 2.

& presbyterorum. Et dicit, Constituas, non in villis, sed, per ciuitates. Sicut enim in republicâ Reges sunt tantùm in ciuitatibus, sic in spirituali regimine Episcopi. Sicut ego disposui tibi: quia pertinet ad superiores Episcopum constituere.

TROPOLOGIA.

Si quis sine crimine est.

SVmmum sacerdotium, affert ingens fastigium, suspiciendum est: imminens periculum infert, verendum est: præsens profert remedium, adhibendum est.

Quoad primum. Si summum est, nihil est in eo genere maius, nihil in eo genere sublimius. Omnes, ait Ignatius, Episcopum sequimini, sicut Christus Iesus patrem: Presbyteros, sicut Apostolos; Diaconos autem veneramini, sicut Dei mandato ministrantes. Nemo præter Episcopum aliquid agat eorum quæ ad Ecclesiam pertinent. Firma Eucharistia reputetur, quæ ab Episcopo concessa fuerit: vbi Episcopus præsens fuerit, illuc & plebs congregetur; sicut & vbi Christus est, omnis cœlestis militia adest, tanquam Principi militiæ virtutis Domini, & ipse est dispensator totius intelligibilis naturæ. Propterea non licet sine Episcopo, neque offerre, neque sacrificium immolare neque missas celebrare. Sed si ei visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, tunc demum tutum & firmum erit. Ego dico: Honorate quidem Deum vt auctorem omnium & Dominum, Episcopum autem tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem; principatum quidem secundùm Deum, sacerdotium verò secundùm Christum: & post hunc, honorare oportet etiam Regem. Nemo enim potior est Deo, neque similis ei; neque Episcopo honorabilior in Ecclesiâ, sacerdotium Deo gerenti, pro mundi salute; neque Regi quis similis est in exercitu, pacê & beneuolentiam omnibus Principibus cogitanti. Qui enim honorat Episcopum, honorabitur à Deo; & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra Regem insurgens, damnatione dignus est; quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Episcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt: quòd si quis inhonorauerit, Deum inhonorat & Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ, & solum naturâ Principē Sacerdotem Dei. Reges quidem in summo constituti sunt, & in fastigio positi: sed hic ordo humanus, corporibus cum terrore imminens: alter ordo non diuinus solùm, sed & deificus, animabus ex amore prasidens. Honor, ait Ambrosius, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. Quid iam de plebei i dixerim multitudine, cui

Ignat. epist. 12. quæ est ad Smyrnens

Ambros. lib. de dignit. sacerd. c. 2.

A non solùm præferri à Domino meruit, sed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum est Euangelicis? Nihil grandius concipi potest, nihil dici excellentius; cum Deus ipse spectetur in Sacerdotibus, in Pontificibus honoretur Christus. Boni enim sunt Sacerdotes, ait Ignatius, & sermonis ministri: melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei. Bona sunt etiam officia virtutis Dei, bonus quoque Spiritus sanctus, qui est super omnia sancta sanctissimus, & verbi minister; sed super omnes sanctos. Sanctissimus est summus Pontifex & Princeps Pontificum, qui est
B legatus & minister patris, & Princeps legionum militiæ cœlestis, per quem pater omnia fecit, atque omnem prouidentiam gerit. Ipse enim est via quæ ducit ad patrem, ipse est petra, clauis, pastor, ianua scientiæ & agnitionis, per quam introiuit sponsa Domini Ecclesia, pro quâ sanguinem suum fudit vt eam redimeret: omnia igitur hæc in vnitate vnius & vnigeniti veri Dei. Vnum quippe constituunt, in quo corpus est Episcopus, Deus est spiritus: sicque vnum quid integrum componunt, ideoque & eundem fulgorem emittunt, & eundem nobis imponunt honorem.

Quanta Sacerdotalis dignitatis præstantia.

Ignat. epist. 9. quæ est ad Philadelph.

Quoad secundum. Summum sacerdotium,
C ingens quidem fastigium affert, sed & imminens infert periculum. Antè omnia peto, ait Augustinus, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Nihil est in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi officio. In summo quidem fastigio est, sed in loco confragoso; ex quo semper timendus lapsus, nec modicus vnquam censendus est. Hæc igitur
D cuncta ideo præmisisse debetis cognoscere, (verba sunt Ambrosij) vt ostenderemus nihil esse in hoc seculo excellentius Sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri: vt cum dignitatem Episcopatûs Episcoporum oculis demonstramus, & dignè noscamus quid sumus; & quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus; vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur
E in Ecclesiâ cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ergo, sicut Senatorem chlamys ornat, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat: vt ex bono opere magis, quam professione noscatur; plus meritis esse Episcopus, quàm quod nomine vocitetur: quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius si de sanctâ vitâ Episcopus periclitetur, si Sacerdos

Augustin. epist. 148. à limine.

Ambros. lib. de dignit. sacerd. c. 3.

Nō sit actus vilior, vbi gradus sublimior.

dos in crimine teneantur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto est, grauiori casu collidit. Honor quidem Episcopalis coràm hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabitur, ruina grauior est. Sublimitas magna, sed tanto magis difficultas præcauenda, quanto magis & infirmitas perspecta, & suspecta fragilitas. Timenda semper ruina, vbi tanta est sarcina; præsumenda semper offensa, vbi tanta est ignorantia. Neque enim sic tumore vanæ mentis extollar (aiebat Augustinus) vt audeam dicere, ex quo huius muneris sarcinas porto, nullum à me hominem perperàm læsum. Hoc cuilibet homini tam multis & molestis actibus occupato atque distento, ne dicam impossibile, certè difficile est: Quanto magis mihi qui noui infirmitatem meam, quam diebus ac noctibus offero sanandam Domino Deo meo? Die quippe omni, & omni horâ, & certà omninò continuà, cogitare debet Episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illâ rationem Domino suo reddat. Diuersarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè, non vt poscebat, audiui; si quem tristiùs, quàm opus erat, aspexi; si in quem verbum duriùs, quàm oportebat, emisi; si quem corde contribulatum, & opis indigum responsione incongruâ contristaui; si quem pauperem mihi in aliud intento importuniùs insistentem vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui; si cui de me falsi aliquid tanquam homine de homine suspicanti, iusto acerbius indignatus sum; si quis in suâ conscientiâ non agnouit quod de illo humaniùs suspicatus sum: vos quibus pro his atque huiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem. Nam pullos quos fouet, sæpè in Angustiis, sed non toto pedis pondere calcat & mater: nec ideò desinit esse mater. Dimittite amanti vos, debita difficultatis, qui nos contra inimicos debita crudelitatis tenere deberis. Orate vt quod mihi deinceps temporis sub hac sarcinâ erit, iter agentem regat Dominus, & suis oculis, placentem vobisque vtilem faciat.

Augustin. lib. 50. Hom. 14. cap. 2.

Quoad tertium. Non tam collatum munus, quàm onus impositum; non tam quis beneficio donatus, quàm obstrictus officio: sed si ingens infert periculum, præsens etiam affert remedium: vitabit enim discrimen, si crimen effugerit; & officium implebit religionis, si se in virtutis proposuerit magisterium. Vt igitur specialiter ipsius Episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, (verba sunt Ambrosij) Apostolica est nobis regula reuoluenda, quæ de iis per singula Episcopales actus depingit. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Irreprehensibilem ait. Nam si Episcopus reprehenditur, deformiter subiacet culpæ. Sequitur deinde, & ait. Sobrium hoc est, non vino tantùm, sed & vitiis parcum; vt nec vino amplius indulgeat quàm oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et denuò

Ambrof. lib. de dign. sacerd. c. 4.

A infert: Ornatum. Quòd si iuxtà sensum literæ tantùm respiciamus, non aliud sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratiâ: Castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopum, sed mente decet esse ornatum: vt ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Vult non solùm ab omnibus vitiis esse liberum, sed & omnibus præclarum esse virtutibus: quid enim interest sobrium esse vino, & vitio ebrium: aut quid prodest, immunem esse à criminibus, sed virtutibus

B carentem: cute mundum, & corde leprosum? Oportet Episcopum esse sine crimine, sine sine accusatione: (ita Hieronymus) hoc enim magis ἀνέγκλητον sonat, sicut dispensatorem Dei, non proteruum, non iracundum, non turpis lucri appetitorem: sed benignum, pudicum, iustum, sanctum. Primum, quod dixit, irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus. Deinde quod sequitur, διδακτικόν, qui possit docere, non, vt interpretatur Latina simplicitas, docilem, cum cæteris virtutibus difficulter inuenies. Cupit quoque vt & domum suam optimè regat quodque difficillimum est, vt filios habeat subie-

Hieronym. lib. 1. aduers. pelag. vlt. med.

C ctos, cum omni pudicitiâ, vel filios carnis, vel filios fidei. Cum omni, inquit, pudicitiâ. Non enim sufficit Episcopum propriam habere pudicitiam; nisi ea filiorum, & comitum, ac ministrorum pudore decoretur, dicente Dauid: Ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. Consideremus quoque [illegible] pudicitiæ, filios habentem subditos in omni pudicitiâ; vt non solùm opere, sed sermone quoque & nutibus se abstineant ab impudicitiis; ne fortè illud incidat Heli, qui certè increpauit filios suos, dicens: Nolite filij mei, nolite: non bonam famam audio ego de vobis. Corripuit, & punitus est: quia non corripere debuit, sed

Oportet Episcopum & ab omnibus criminibus esse liberum, & omnibus præclarum virtutibus.

D abiicere. Quid ergo faciet, qui gaudet ad vitia, qui emendare non audet? qui conscientiam suam non metuit; &, quod cunctus populus clamitat, nescire se simulat? Denique, vult vt bonam opinionem ab iis, qui foris sunt, habeat; vt quibus doctrina displicet, placeat conuersatio: puto quòd non facile sit reperire; maximeque illud, vt potens sit aduersariis resistere, & peruersas opprimere & superare doctrinas. Quis sine peccato? Nullus hominum, nec ipse Princeps Apostolorum Petrus. Solus Christus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Optat quidem Paulus Episco-

E pum ab omni peccato esse liberum, sed interim omne crimen amputat, ne in discrimen veniat, ne in iudicium Dei, aut in laqueum incidat diaboli. Prima libertas, ait Augustinus, carere criminibus. Ideò Apostolus Paulus quando elegit ordinandos ad præposituram Ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait, Si quis sine crimine est. Sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Vlterius tendere debet Episcopus, perfectionemque omnem & omnium, nec inchoariorem, sed consummationem virtutum apprehendere.

Augustin. Tract. 41. in Ioan. vlt. med.

ANAGO

ANAGOGIA.

Sicut Dei dispensatorem.

TAnquam vices gerentem Dei, res illius nomine agentem & virtute. Triplex autem locus, in quo constituendus est Episcopus: Ecclesia, familia, anima. In illâ Deus, per spiritum veritatis: in istâ, per spiritum pietatis: in hac verò, per spiritum charitatis. Omnes vbique Dei dispensatores, ministri ac vicarij.

Quoad primum. Dixi Episcopatum, non tam munus esse, quàm onus: nunc dico, non tam onus esse, quàm opus; arduum quidem, sed diuinum, non per conatum infirmitatis humanæ, sed per spiritum diuinæ veritatis peragendum. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: Fidelis sermo. Ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitum. Tum subiungit: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: hoc est: si Episcopus esse desideras magnum est quod esse cupis. sed si & opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, Episcopus esse non potes. Sic polleat Episcopus sapientiâ, vt non solùm creditum sibi populum sufficienter doceat, verùm etiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à Catholicâ repellere Ecclesiâ. Si enim adhuc profundiora scruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hæreticum; sed Christianam tantùm orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnius tantummodo vxoris & Catholicæ Ecclesiæ vir Episcopus vocitetur. Qui ergo talem esse se ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius occupare præsumat: præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ, populorum, potest corda lustrare. Ne iam cogites Episcopatum, honoris esse titulum, sed putes auctoramentum esse virtutis, doctrinæ ac sapientiæ speculum. In actione enim, vti dixit Augustinus, non amandus est honor in hac vitâ siue potentiâ, quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit; si rectè atque vtiliter fit, id est, vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est. Propter quod Apostolus exponere voluit quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Itaque à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium, quod quærit charitas veritatis: sed negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat necessitas. Studere quisque debet sapientiæ diuinæ: sed dum quis otio delectatur sancto, solus epulatur in conuiuio veritatis: Episcopus verò dum iustis occupatur negotiis, non iam solus epulo saginatur veritatis: sed omnes ad conuiuium vocat, dum tanquam Dei vicarius, mysterium dispensat fidei, esurientes recreat, languentes refocillat. Os est Domini: sed quomodo pronuntiabit veritatis oraculum, nisi spiritum acceperit veritatis? Ita illi primi Antistites & arietes nostri: in publico religionis concilio, & immoto veritatis decreto. Visum est Spiritui sancto, & nobis. Non enim videretur nobis, nisi suggereretur nobis. Visum est Spiritui sancto, & inde nobis illius afflatis numine illius lumine, illustratis. Ad hoc enim, vti dixit Tertullianus Spiritus sanctus missus est à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset doctor veritatis. Idcirco dictus ab ipso, Dei villicus, Christi vicarius. Duplex quippe in Ecclesiâ Episcopus est: vnus visibilis, alter inuisibilis; qui Apostolos, qui Episcopos in omnem deducit veritatem: qui non sinit aliter intelligere, aliter credere, quàm quomodo intelligendum & credendum est. Idcircò: omnia, vt dixit Ignatius, benè ordinanda, quæ mandanda sunt in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi presbyteris, presbyteri, Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse patri. Ipse enim fons veritatis omnis. Christus quippe quæ accepit à patre, nota fecit nobis; suumque reliquit spiritum, qui ipsam animet, ne dicam & informet Ecclesiam: ideoque quò propior spiritui, eò propior veritati.

Quoad secundum. Duplex Ecclesia, publica vna, altera domestica: & vtrobique constituendus est Episcopus: sed si illic spiritus est veritatis, istic spiritus pietatis: illic throno editiore, istic de humiliore loco: ille de cathedrâ, iste de areâ. Nos ergo, ait Augustinus, dispensatores sumus. Nos erogamus, vos accipitis. Sed etiam ad vos nolite existimare non pertinere erogationem. Non potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis vbicumque estis. Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Vnusquisque ergo in domo suâ, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim incurrant. Disciplina Apostolica præposuit Dominum seruo, & seruum subdidit Domino: Christus tamen pro ambobus vnum pretium dedit. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantiâ procurate. Hæc si facitis, erogatis. Quis Episcopus communis? qui publicæ præfectus est Ecclesiæ. Quis Episcopus familiaris, qui priuatæ præfectus est familiæ. Adeo, (vt Tertullianus loquitur) vbi Ecclesiastici ordinis non est consessus, sacerdos es tibi solus. Igitur si habes ius Sacerdotis in temetipso, habeas oportet disciplinã Sacerdotis. Si dignitatem vindicas, quidni vindicas pietatem? cur nomine auctoritatem prætendis, re committis iniquitatem? Ecce, ait Ambrosius, ad quæ mala voluitur deificus ordo: Ecce ad quæ probra sunt prolapsi Sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi: vos estis lux mundi. Ecce quibus subiiciuntur Gentes, quibus à Domino dictum est: vos estis sal terræ. Ergo si lux est Ecclesiæ Episcopus à Domino ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur

Ambrof. lib. de dignit. sacerd. c. 4.

Augustin. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19.

Episcopatus nomen operis est, non honoris.

Actuum cap. 15.

Tertullian. lib. de præscript. c. 28.

Ignat. epist. 10. in fine.

Augustin. 51. de sanct. in med.

Episcopus familiæ velut suæ præfectus Ecclesiæ.

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 7.

Ambrof. lib. de dign. sacer. cap. 6.

cut ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solùm quia ipse dum malè agit, dignè perit: insuper & alios secum indignè perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, vt insipientium possis corda condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita vt nec alios, nec teipsum possis cōdire: De vtroque loquor: quis enim commendabilior, qui ditior, an qui sanctior? Locus, ait Ignatius, & dignitas atque diuitiæ neminem inflent, ignobilitas & paupertas nullum humiliet. Sed cum his omnibus, fides eius sit in Deum & in Christum, & spes fruitionis futurorum bonorum cum dilectione quæ est circa Deum & circa proximum. Mallem ego actionem sine nomine, quàm nomen sine actione: mallem sine dignitate virtutem, quàm dignitatem sine virtute: qui enim solo inflatus est titulo, non solùm indignus est dignitate, sed nec dignandus nomine. Qui autem & titulo dignus est & officio, non solùm volet socios, sed & eos compellet. Inde tam pia quàm & iusta Chrysostomi querela. Omnia in nos congeritis, Oporteret vos à nobis solùm discere: vxores autem à vobis, filios à vobis: sed nobis omnia relinquitis. Audite quæso vos omnes, quibus curæ sunt quæ ad hanc vitam pertinent: & parate vobis libros medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, nouum quidem certe testamentum vobis parate, Apostolorum actus, Euangelia, magistros perpetuos. Ex his quippe libris, spiritus hauritur pietatis, spiritus sanctitatis & in totam familiam, tanquam in Ecclesiam domesticam respergitur.

Ignat. epist. ad Smyrn. cit. med.

Chrysost. orat 9. in epist. ad Coloss.

Sanè vtendū.

Quoad tertium. Episcopus altiùs attollitur, vt eminus videatur. Nam quid aliud interpretatur Episcopus, ait Ambrosius, nisi super inspector? maximè cum solio in Ecclesiâ editiore resideat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Omnes videt, & videtur ab omnibus: quid enim Episcopus, nisi viuum speculum, expositum omnibus, nec speculandum duntaxat, sed & imitandum; ad cuius contuitum mores suos formet quiuis aut reformet, cuius exemplum & actiones foris domique æmuletur. Ita Hieronymus Heliodoro. In te, inquit, oculi omnium diriguntur: domus tua, & conuersatio, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Caue ne committas, quod aut, qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. Pone Episcopum in solio, imò & in altiorem ac sublimiorem sedem euehe, nusquam tamen internos animi deprehender motus, sed varios duntaxat populi vultus aspiciet. Ideò, inquit Augustinus, altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est. Et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hîc, vt humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus, vt qui nouit mentes vestras ipse custodiat: quia nos intrantes vos & exeuntes possumus videre: vsque adeò autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, vt neque quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custodimus?

Ambros. lib. de dignit. sacerd c. 6.

Hieronym. epist. 3. vlt. med.

Augustin. in Expos. Psal. 126. post init.

A Homo videt ea quæ sunt in facie, Deus autem videt ea quæ sunt in corde: idcircò & alius nobis, animarum scilicet nostrarum Episcopus necessarius, sine quo nec ciuitatem custodire, populorum Episcopus potest, nec pietatem promouere. Hic est spiritus charitatis, qui actiones regit, actiones dirigit: qui intus sedet, & omnibus præsidet cogitationibus: sicut enim cupiditas opera nostra inficit, sic & charitas afficit: influit enim in omnia pietatis opera, imò solus ille spiritus charitatis mandata omnia perficit. Qui diligit me, mandata mea seruabit: quorum caput & radix est, Diliges Dominum Deum, & proximum tuum sicut teipsum. B Si ergo (ita elicit Chrysostomus) deligere Deum, diligere proximum est: si etiam dilectio proximi facit vt mandata custodias: meritò ait Christus in his totam legem & Prophetâs pendêre. Nam si diligis me, ô Petre, inquit, pasce oues meas. Qui enim verè Deum diligit, otium non requirit nisi sanctum, iustumque negotium non solum pro seipso, sed & pro proximo, imò & pastoris rectoris-ve officium suscipit. Memores esse debemus, (ait venerabilis Beda) voluntatem non nostram, sed Dei facere debere: quapropter mente integra, fide firma, virtute robustâ, charitate perfectâ, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conseruantes fortiter Dominica mandata, C in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendendâ veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis. Errant qui putant se natos otio, nec considerant se addictos obsequio. Antiquis viris, ait Chrysostomus, vita omnis erat operosa, totaque in labore, atque in certamine: nobis autem non sic, sed tempus omne per negligentiam ducimus. Nouerant profectò illi, ideò se D in hunc mundum fuisse deductos, vt placita ei, qui se condiderat, gererent, illique per bona opera placere studerent. Qui sunt Filij Dei, qui ducuntur Spiritu Dei; sicut aguntur; sic & aliquid semper agunt, quod exerceat charitatem, quod ad spiritualium rerum rationem pertineat. Vnde & vos, fratres mei, præcipientes rogamus, (ita Augustinus) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Facite nostrum ministerium fructuosum. Dei agricultura estis. Extrinsecùs accipite plantatorem: intrinsecùs verò incrementi datorem. Corripiendi sunt inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cauendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi co- E hibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adiuuandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. Oremus ergo pariter, dilectissimi, vt & facienda dicam, & vos faciatis audita. Si enim & nos pro vobis, & vos pro nobis cum perfecto charitatis amore indesinenter orauerimus, ad æternam beatitudinem, auxiliante Domino, feliciter veniemus. Amen.

Necessarius animarum nostrarum Episcopus.

Chrysost. Hom. 72. in Matth.

Beda serm. 18 de sanctis.

Chrysost. Hom. 2.

Augustin. serm. 39. ex nouis sub fin.

PARS



PARS SECVNDA.

De Iudæis.

TEXTVS.



SVNT enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

EXEGESIS LITERALIS.

CRETENSES denotat vt mendaces, ideoque & durius imperat increpari, & à Iudaicis fabulis, peruersisque magistris diligentiùs auocari.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui &c. Cur Episcopus & bonorum instructioni idoneus esse debet, malorumque seu contradictorum conuictioni? Quia inter fideles, maximè verò Cretenses, multi inueniuntur refractarij, vanis dediti friuolisque, quibus capiuntur audientes, mentesque seducuntur. Ij maximè Iudæi sunt, ideoque reuincendi sunt. Iudæi à Prophetis & Patriarchis exorti, ad docendum, quàm ad discendum proniores, ad loquendum audaciores, auidi plusculum, imperij, impatientes admodum obsequij. Cum inobedientiam dixit Paulus, omnium expressit malorum radicem. Nam qui obtemperare alteri nolit, nec pati imperium potest, sed alios magis, vt præsit, inuaserit, nec recti quicquam, nec sanè didicisse se profitebitur. Qui vt ab aliis instruatur nil sustinet, is sanè & vaniloquus est, & deceptor, qui cum seipsum, tum alios fallat. Valde ergo illi sunt obiurgandi, & ita vt eorum ora intercludantur: ob eos qui & corrumpi ab his possent & inquinari, continendi sunt & frœnandi. Qui verò id facere nequit, nec Episcopatûs dignitatem assumet. Ita Athanas. seu vulgarius in Apostolum. Qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ &c. Cur ita durè tractandi, cur ita seuerè obiurgandi? totas inficiunt familias doctrinis falsis ac noxiis, peruertuntque concusso fidei fundamento: idque totum vt emungant nummum, & quæstum faciant. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum

Athanas. in Paulum. Qui quæstum quærit corrumpit Euãgelium.

A Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate &c. De ipsis Epimenides & ipse Cretensis, verum pronuntiauit oraculum, dum eos dixit mendaces semper, nocendi auidos, ventri, & otio inerti oppidò deditos. Quocirca non solùm admonendi sunt solerter, sed & acriter arguendi, vt sanam doctrinam custodiant, Christianam ferant disciplinam: nec hominibus attendant somnia sua venditantibus, veramque fidem religionem Christianam auersantibus.

B Insistendum præcipit in correptione illorum, ait Ambros. vt conuerti possint, & illa sectari quæ iusta sunt, & lege Dei condigna, auertentes se à Iudaicis fabulis. Ambros. in Paulum.

Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia &c. Vetant gustare, vel etiam contrectare multa velut immunda, aliaque commendant non inutilia solùm, sed & noxia: si immunda sunt ista, certè immundis, non autem sanctis sunt immunda: vanè docentibus, non autem piè credentibus, religioséque vtentibus. Sicut enim nihil non mundum fidelibus, sic & infidelibus nihil est

C mundum purum-ve; sed impura omnia: quia scilicet intellectus eorum iam per errorem corruptus est, & exinde affectus per intentionem seductus, polluta per actionem conscientia. Non enim pro earum naturâ vel immundæ res sunt, sed pro eorum voluntate, qui illis vescuntur, Nam qui puriores sunt & fideles, cuncta pro mundis habent, vt quæ à Deo sint condita, flagitia duntaxat immunda dixerit. Ita Commentator Athanasianus. Cõfitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Comment. Athanas.

Profitentur certam veri Dei notitiam: sed

Cibi non ex naturâ suâ immûdi, sed conscientiâ erroneâ.

factis suis reuincuntur esse mendaces, cum sint execrabiles ac pertinaces, impersuasibilesque, & ad omne pietatis opus ac salutis inhabiles, inutilesque. Ex textu Ambrosiano: Deum profitentur se nosse, factis autem negant: quoniam sunt execrabiles, inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi. Et ex Commentario: Quamuis ad omnes hæreticos pertineat dictum, hoc tamen de Iudæis intelligitur locutus, qui se Abrahæ Deum solos dicunt scire, operibus verò abnegant, sicut dicit Dominus; Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Quomodo ergo possunt Deum Abrahæ scire, qui mysterium & fidem eius ignorant, non Euangelij opera sectantes, sed legis factorum, in neomeniis, & circumcisione, & cæteris, perturbatores, impij & irreuerentes: Hæc sunt opera quæ Deum nesciunt. Adeò male professioni seu fidei conueniunt.

Comment. Ambros.



DISQVISITIONES dogmaticæ in literam.

QVis ille Propheta Cretensium, qui adeò verum edidit oraculum? & vnde, seu quâ de causâ de suis adeò exertum reddit testimonium?

DISQVISITIO I.

De Propheta.

NOn infringit aut minuit vatis dignitatem, quod Apostolus dixit, Quidam ex illis. Quasi per nominis indignitatem. Sic enim assolet, non solùm de profanis, sed & de sanctis; non tantùm ignotis, sed & notis: nomen quippe non semel reticet. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Quasi omnia incerta, cum certissima sint omnia, & titulus Prophetæ, & locus sententiæ. Et cum aliquando Athenienses alloqueretur, ait Chrysostomus, inter concionandum ait, Ignoto Deo, & cætera. Et rursus: Huius enim & genus sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt. Sed distinguit, dum addit Apostolus; Ex illis proprius ipsorum Prophetæ. Quibus & Cretensem indicat, vatemque notat familiarem, ex ipsis natum, & ipsis vaticinatum. Sed iam quæritur primò, Quis ille sit: secundò, cur Propheta dictus sit: tertiò, quis vsus similium Prophetarum sanctis seu Christianis permittendus sit.

Heb. cap. 2.

Chrysost. orat. 3.

Quantum ad primum. Parùm refert de nomine, vbi constat de numine. Stans Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Prætериens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram, in quâ scriptum erat: Ignoto Deo. Quid interest, in foro, an in templo. Tam illi sciunt, qui pertranseunt, quàm qui incolunt: adeò res nota, & omnibus obuia. Innuit tamen forum potius, quàm templum, cum rem viderit omnibus visibilem, etiam prætereuntibus, nec in templo reconditam, sed expositam in propatulo. Quid interest, à quo ille Deus ignotus consecratus sit, quando, aut quomodo? An multæ fuerint aræ diis ignotis prostitutæ, vel vnica? Forsan & vna, sed præ cæteris conspicua, vtpote præcipua. Et ad hoc ducit Paulus, cum ait. Inueni & aram. Ergo erant & aliæ, sed minùs notandæ aut spectandæ. Inuenio planè, ait Tertullianus, Ignotis Deis aras prostitutas. Sed Attica idololatria est. Sed vna excellens eminensque: In quâ scriptum erat, Ignoto Deo. Ita in Circo, apud Tertullianum: Tres aræ trinis diis patent. Sed, obelisci enormitas, Soli prostituta. Sufficit Theologiam istam apud Athenienses fuisse receptam, Deum aliquem tam innominatum quàm ineffabilem, tam incognitum quàm incomprehensibilem. Quia, vt Hermes ait, (apud Lactantium,) mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto propinquare non potest, id est, propius accedere, & intelligentiâ subsequi: & ideò terrenum adhuc animal, rerum cælestium perspectionem non capit: quia corpore quasi custodiâ septum tenetur, quo minus soluto ac libero sensu cernat omnia. Optimè igitur inde sumpta dicendi licentia: vnde & Paulus: Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Scio vos in cultum diuinum satis pronos, sed audeo dicere, nimis prodigos; cum quosli bet colatis deos notos & ignotos, certos & incertos admittatis. Nam per forum vestrum transiens, & exposita prospiciēs simulachra, inter alia, vnum animaduerti, & perspexi vt præcipuum. Prostabat enim extabatque ara, Deo ignoto prostituta. Inde vos deprehendi ac dolui supra modum religiosos, imò in cumulum superstitiosos. Quod ergo ex ignorantiâ coluistis, nunc colite ex conscientiâ: quod ex superstitione vestrâ præsumpsistis, nunc ex animaduersione nostrâ comprehendite. Nunc enim de Deis vestris, miserandæ Nationes, congredi vobiscum defensio nostra desiderat, prouocans ipsam conscientiam vestram, ad censendum, an verè Dei, vt vultis; an falsò, vt scire non vultis? Incertos deos disponunt nonnulli. Tantam vanitatem! Quid enim erat illis cum incertis, si certos habebant? nisi si Atticos stupores recipere voluerunt: nam & Athenis ara est inscripta, Ignotis Deis. Colit ergo quis quod ignorat? Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, quod errantes quæritis, hoc ego vobis suggero. Ita Triephon apud Lucianum. Nos illum Athenis Ignotum inuentum adoramus. Tota de numine ratio est, nulla quæstio de nomine. Vatem igitur istum scimus Cretensem ex Paulo, Epimenidem dicimus ex Hieronymo; illum scilicet Agisarchi filium qui sopitus in antro quodam annis quinque supra septuaginta, & hoc elogio præclarus, aut obscurus somnio. Aliquid demit Tertullianus de tempore, imò nihil de re admittit. Genus fuerat, inquit, grauioris aliquanto soporis, aut tale quid vitij, quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, quinquaginta penè annos somniculosum. Sed quid nobis de personâ, cùm nobis de receptâ constet sententiâ.

Actuũ cap. 17.

Tertullian. lib. 1. aduers. Mar. cap. 9.

Tertullian. lib. de Spect. cap. 8.

Lactant. lib. 2. diuin. Institut. c. 9.

Athenienses præ cæteris Græcis superstitiosiores.

Tertullian. lib. 2. ad Nat. cap. 1. & 9.

Tertullian. lib. de Anim. cap. 44.

Quan

Quantum ad secundum. Propheta non solum ille est qui futura præfatur, aut scrutatur incognita: sed & qui aut arcanam excellentiam cælat, aut exertam pronuntiat sententiam. Ita Deus ad Abimelech de Abraham. Redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit pro te, & viues. Et alibi: Dixit Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, Quasi dicat, ipse erit os tuũ, idcircò pronuntiabit oraculum. Si Cretenses semper mendaces, nihil notius omnibus insularibus, nihil manifestius: nec illud futurum est, nec reconditum, vt vaticinari necesse sit, aut præfari: sed nullus vnquam ita exertè pronuntiauit, nullus ita bellè & inertiam taxauit & nequitiam. Sed tria sunt subiungenda. Primum est, Epimenidem illum fuisse versificatorem celeberrimum, cuius Plato meminit. Cuius heroici hemistichium, (vt Hieronymus loquitur) postea Callimachus vsurpauit. Nec mirum si apud Latinos metrum non seruet ad verbum expressa translatio; cum Homerus, eadem lingua versus in prosam, vix cohæreat. At verò poëtæ dicebantur Prophetæ, vates, diuini, credebâturque cælitus tangi, afflari diuinitùs, & aliquid grandius loqui ore mortali, ob τὸ θεῖον ἱερόν. Inde, & laurum mordere, & fatiloquum agere. Alterum est, scripsisse illum περὶ χρησμῶν. De oraculis. De mysteriis, & arcanam sublimium rerum attigisse notitiam. Vates enim dicti sunt, oraculorum diuinorum interpretes; quasi oracula funderent & ipsi, & responsa redderent. Sicaque terrifici cecinerunt carmina vates. Tertium est Apostolum, non simpliciter Epimenidem pronuntiasse Prophetam aut vatem, sed vulgariter, & cum addito: Proprius ipsorum Propheta. Quasi ex communi ac populari elogio. Sed id habet vim, Proprius ipsorum Propheta. [Quasi vernaculus, idcircò à veris, seu Iudæis ipsis alienus.] Ex ipsis enim (vt dixit Tertullianus) & ad ipsos semper Prophetæ perorauerunt, scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratiâ. Proprius igitur ipsorum Propheta, non Iudæorum, ideoque nec Christianorum, sed Cretensium, maximè verò ethnicorum. Admittendum tamen testimonium, quia verum. [Testimonium hoc verũ est.] Quamuis enim, Callimacho teste, [Prisci Poëtę nullo modo veraces.] Imò, nullo teste, sed iudice libro, plurimum ac suprà modum mendaces: tamen verè dixit Epimenides, suosque probè nouit insulares, cum mendaces pronuntiauit & pigros: vt qui manducare semper vellent ac vorare, laborare nunquam: inde ad mordendum arrodendumque semper parati, ad mentiendum promptissimi. Sic vnusquisque paruo negotio, non alteri tantùm, sed & sibi esse potest, cum aut genio patrio imbutus est, aut proprio structus experimento. Vt ab Ioanne paracletus, obmutuisset, (verba sunt Tertulliani) ipsi nobis Prophetæ in hanc maximè causam extitissemus.

Quoad tertium. Cum quærimus, quis vsus similium Prophetarum sanctis Christianis-ve permittendus sit; non illum proscribimus in totum, sed in modum redigimus. Illud quippe inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, (ita loquitur Gregorius Nazianzenus) eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostrâ solùm ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepôre atque ornatu saluti vni, atque earum rerum, quæ ratione atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissimè hæret: sed etiam de externâ, quam plerique Christiani, prauo quodam iudicio, vt insidiosam & periculosam, ac procul à Deo auertentem, aspernantur. Quemadmodum enim cœlum, terram, aërem, quæque eorum complectu coërcentur, non ideò contemnere debemus, quia nonnulli sceleratè acceperunt pro Deo ea quæ Dei sunt venerantes: quin potiùs quidquid tum ad vitam, tum ad animi oblectationem vsui est, decerpentes, quidquid periculosum est, fugimus; non res creatas aduersùs creatorem, vt stulti faciunt, concitantes; sed ex rebus conditis conditorem agnoscentes, atque omnem intellectum, vt Apostoli verbis vtar, Christo captiuum submittentes. Quemadmodum insuper, nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res vlla alia suapte naturâ vel maximè noxia, verùm vt iis, qui vtuntur placet: atque adeò ex serpentibus bestiis quasdam interdum salutaribus medicamentis admiscemus: eodem nos quoque modo ex literis illis & disciplinis, id eam, quod in inquirendâ rerum naturâ & contemplatione versatur, suscepimus: quicquid autem ad dæmones, & errorem, & exitij voraginem ducit, respuimus. Im etiam ab eo ad Dei cultum adiuti sumus, nimirum ex deteriori id, quod præstantius est, cognoscentes, atque illorum imbecillitate doctrinam nostram fulcientes. Quamobrem non idcircò eruditio contemnenda est, quòd ita quibusdam videatur: quin potius stulti atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant: qui omnes esse sui similes cupiant, vt priuata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat & coarguat. Ita Hieronymus Magno Oratori Romano. Quoad, inquit, quæris in calce Epistolæ tuæ, cur in opusculis nostris, secularium literarum interdum ponamus exempla; & candorem Ecclesiæ, ethnicorum sordibus polluamus: responsum breuiter habeto: Nunquam hoc quæreres, nisi te totum Tullius possideret, si scripturas sanctas legeres, si interpretes earum, omisso volcatio, euolueres. Quis enim nesciat, & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Vnde in exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata, quæ propriè dialecticorum & Philosophorum sunt. Sed & Paulus Apostolus Epimenidis poëtæ abusus versiculo est, scribens ad Titum: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, id est, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. In aliquâ quoque Epistolâ, Menãdri ponit senarium: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, id est, Corrumpũt mores bonos colloquia mala. Et apud Athenienses in Martis curiâ disputãs, Aratũ testẽ vocat, Ipsius enim & genus sumus. Quod Grecè dicitur: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Benè

Genes. c. 20.
Exod. cap. 7.
Hieronym. epist. 84.
Vates dicti [illegible] interpretes.
Tertull. cap. 18. Apol.
Tertullian. lib. de Ieiun. cap. 12.
Grego. Nazianzen. orat. 20. post init.
Literatura secularis, nõ in totum à Christianis repudianda.
Hieronym. epist. 84.

Benè est: sed dummodo tres sequentur conditiones: quarum prima est vt parcus sit vsus: altera, vt vera à falsis secernamus: tertia, vt & ea ad peruincendos aduersarios veritatis, gentilitatis-ve alumnos sint vtilia. Hoc quippe obseruauit Paulus, qui his rarissimè vsus est, qui neglectis vanis, solum decerpsit quod est verum; qui infideles peruicaces-ve domesticis suffudit testimoniis. Cur enim Gentilium testimonia producit in medium? Hæc profectò ratio est, ait Chrysostomus, quia illos his maximè reuincimus, cum suorum in eos torquemus maledicta, quoties eos qui apud eos fuere mirabiles, accusatores illorum constituimus. Idcircò & alio in loco his testimoniis vtitur, dicens: Ignoto Deo. Athenienses namque quoniam ab initio deos omnes non receperunt, verùm per tempora illorum sacra vrbem ingressa sunt, sicuti quæ ex hyperboreis allata referuntur: coniicientes ex hoc fieri posse, vt esset & alius Deus, qui ab ipsis nesciretur, vt etiam illi seipsos deuouerent, eam aram instituerant, quam inscriberent, Ignoto Deo. Propemodum id significantes, Et si quis ignotus sit Deus. Ex hac igitur inscriptione sumptâ materiâ, dicit Apostolus: Quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio. Verum testimonium aliud, videlicet: Huius enim & genus sumus, de Ioue dictum est ab Arato. Nam cum dixisset Poëta Iouis omnia plena, post paululum intulit: Huius enim & genus sumus. Hæc sunt quæ in eâ concione Paulus ex Gentibus protulit. Quid enim? Num ex Prophetis sibi sumenda erant testimonia, cum Gentiles alloqueretur? At nunquam illi credidissent, quippe & Iudæis nihil ex Euangelio loquitur, sed Prophetarum testimonia semper adducit in medium. Fecit hoc & Deus in Magis: non illos per Angelum ducit, non per Prophetam admonet, non Apostoli, non Euangelistæ ministerio vtitur, sed stellæ illis signum quo ducerentur, ostendit. Quippe in huiusmodi doctrinis atque artibus periti erant, faciliusque vernaculo signo admoniti sunt. Nusquam ad suam respicit dignitatem: quod vtique totum ad fidei nostræ robur communiendum apprimè vtile est. Omnia omnibus factus est Apostolus, sed vt omnes lucrifaceret, & viis diuersis ad Deum ipsum adduceret. Ductor Christiani exercitûs, (verba sunt Hieronymi) & orator inuictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero David, extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. At verò, vbi hostes omnes corruerunt, & artes iam quasi erunt inutiles: nomine ancilla illa Ægyptiaca, fœtu admisso, & recepto partu, de domo Dei eiicienda est; nec abradendi solùm crines, vel vngues præcidendi; sed & totum corpus, tanquam opus mortuum deputandum est, sepulchrisque potius quam scriptis consignandum.

Chrysost. Hom. 3.

Quibus conditionibus testimonia Gentilium sint à Christianis assumenda.

Hieronym. epist. 84.

A

DISQVISITIO II.

De causâ.

IAm de causâ diximus, quæ Paulum impulit, vt ex vanis ipsis exprimeret veritatem, & ex inimicis nostris salutem pareret. Causa sic acta est, vt & aliquoties, si non in iudicium, certè in testimonium reducenda. De causâ nunc agimus, quæ mouit Epimenidem vt Prophetiam illam funderet, & exertam aduersùs conciues suos, eiusdem cœli ac soli consortes & conscios promeret sententiam. Ea est autem, (vt resoluit Chrysostomus) huius dicti occasio. Cretenses sepulchrum habent Iouis ita inscriptum: Hic iacet Iupiter. Poëta autem ait: Etenim sepulchrum, ô Rex, fabricati sunt tuum: tu verò minimè obiisti, es enim semper. Epimenides igitur est qui hoc protulit, Cretensis & ipse: sed quâ ratione motus id dixerit, necessarium est planiùs explanare. Propter hanc quippe inscriptionem Poëta Cretenses suos perstringens, rursus subiicit, augens magis comœdiam. Sed si Cretenses semper mendaces, & ipse Epimenides inter Cretenses est, vtique & inter mendaces est. Ita periclitatur veritas, dum vanitas condemnatur: & dum Epimenides Cretenses pronuntiat semper mendaces, sibi ipsi imprudenter suffragium denegat & testimonium. Vidit hoc Apostolus, & ideò laboranti succurrit veritati. Attendite, ait Chrysostomus, magnâ cum diligentiâ. Poëta mentitos Cretenses ait, qui defunctum dixêre Iouem. Eius testimonium Apostolus approbat, & suâ auctoritate confirmat. Non ergo credimus Cretenses semper mendaces, quia sic pronuntiauit Epimenides, & ipse tam fallax quàm & mendax; sed quia probauit Paulus, qui non solùm confirmauit verum esse testimonium, sed & profanum sanctificauit versiculum. Admittimus, non quia Cretensi scriptum calamo, sed quia irrefragabili calculo comprobatum: Verùm timendum est, ne dum hostes insequimur, à tergo præbeamus locum vulneri; vel dum Cretenses complectimur, inconsultò, & in præiudicium nostrum, faueamus vanitati. Si enim Prophetia Epimenidis Cretensis ab Apostolo Paulo facta est canonica: ergo credendum est Iouem esse immortalem, immutabilemque? Respondendum est, primò, doctorem scripturæ sacræ vera secernere à falsis, certa ab incertis, & illis quidem suum dare, istis negare suffragium. Non enim propter hoc, vt Aquinas notauit, approbatur tota Gentilium doctrina, quod doctor sacræ scripturæ accipit testimonium veritatis: sed eligitur bonum, & respuitur malum: verum namque à quocumque dicatur, est à Spiritu sancto. Respondendum secundò Paulum non solùm veritati cauisse, sed & occurrisse difficultati: non enim dixit, Testimonium eius verum est. Sed, Testimonium hoc verum est. Quo nimirum Cretenses dicuntur mendaces, non quo Iupiteres creduntur immortales. Respondendum tertiò, in Iouis nomine,

B

C

D

E

Chrysost. Hom. 3.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. lect. 3.

Testimoniũ Deo vero sub nomine Iouis redditum.

A nomine, velut Iupiteris, seu iuuantis patris numine, testimonium Deo nostro redditum. Qvomodo igitur quæ de Ione dicta erant, ea ad Deum omnium Paulus refert? At iustissimè id quidem: nam quæ Dei sunt propria, cum Ioui peruersè omninò, nec propriè adscripta essent, Deo ipse restituit: nam & Dei nomen ipsius tantùm est.

Chrysost. Hom. 3.

Redeo ad causam. Res ita se habet. Cretenses Iouis habent sepulchrum ita inscriptum. Hîc iacet, quem Iouem appellitant. Cretenses, semper mendaces: nec explodendi tantùm de mendacio, sed & irridendi de somnio Non enim, (vt dixit & irrisit Tertullianus) Iupiter Cretam suam Romanis fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia, & iucundissimum illic nutricis suæ odorem. Nonne omni capitolio tumulum illum suum præposuisset, vt ea potius orbi terra præcelleret, quæ cineres Iouis texit? Illum quippe in Cretâ natum, enutritum, commoratum, & mortuum, fama publica est: inde Creta, dicta est Iouis insula: & ipse apud Minutium Felicem, Creticus dictus est. Et alij quidem contendunt illum apud se natum, sed concedunt sepultum in Cretâ insulâ: creditur enim Rex fuisse Cretensium, & ibi dicitur obiisse. Non igitur Epimenides, suos pulsat Cretenses, quod hominem condât mortuum, quem vt Regem suum asseruant; sed quod diuûm patrem credant & hominem Regem, id est Deum summum; quòd regnare in cœlis, superis imperare; & in terris nihilominùs; quasi putidum sepeliant. Quid omnium pater Iupiter, ait Lactantius, qui in solenni precatione Optimus Maximus nominatur? Nonne à prima sui pueritiâ impius ac penè parricida deprehenditur? cum patrem regno expulit ac fugauit, nec expectauit mortem decrepiti senis cupiditate regnandi. Nec parum ei videbatur, si in expugnandâ fœminarum pudicitiâ maculosus esset ac turpis, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret. Hæc qui fecit, viderint an maximus, certè optimus non est. Quis est igitur tã excors, qui hûc in cœlo regnare putet, qui ne in terrâ quidem debuit? Sed omittamus de moribus dicere: rem consideremus, vt intelligant homines, in quibus miseri versentur erroribus. Regnare in cœlo Iouem vulgus existimat: id & doctis pariter & indoctis persuasum est, quod & religio ipsa, & precationes, & hymni, & delubra, & simulachra demonstrant. Sed si Iouem ex rebus gestis & moribus hominem fuisse, in terraque regnasse deprehendimus, superest vt mortem quoque eius inuestigemus. Ennius in sacrâ historiâ, descriptis omnibus quæ in vitâ suâ gessit, ad vltimum sic ait: Ætate pessum actâ, in Cretâ vitam commutauit, & ad deos abiit, eumque Curetes filij sui curauerunt, decorauerùntque eum, & sepulchrum est in Cretâ in oppido Gnoso; in quo sepulchro eius inscriptum est antiquis literis, ζεὺς τῶ κρόνω, id est Latinè, Iupiter Saturni. Hoc certè non Poëtæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores; quæ adeò vera sunt, vt à Sibyllinis versibus confirmentur.

Tertullian. cap. 25. Apolop.

B

Minut. Fel. in Octau.

Lactant. lib. 1. diuin. Instit. cap. 10. & 11.

Omniũ pater dictus est optimus maximus.

Fatendum tamen in his non tam historiis quàm fabulis, nihil adeò certum vt non possit reiici, nihil adeò fixum vt non possit deiici.

Sed enim, (vti dixit Tertullianus) multa sunt, quibus tenebritas conscientiæ obduratur in callositatem voluntarij erroris. Vnde vetustatem delusit superstitio, Et omnis superstitio, vt ille loquitur, non iam Philosophorum, nec Poëtarum, nec populorum, sed dominantium Romanorum, à quibus occupata est, auctoritatem sibi exstruxit. Illud vnum certum est, cordatiores, sapientiorèsque, per Iouem ipsum, Deum immortalem intellexisse, ideoque non sepulchrum ei tanquam mortali, sed capitolium erexisse, tanquam capitalem maiestatem possidenti. Ita, Varro, quo, vt dixit Augustinus, doctiorem Romani apud se inueniunt neminem, Deum Iudæorum Iouem putauit, nihil interesse censens quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur: credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani quàm Iouem quod Capitolium eorum satis apertéque testatur, cumque Regem omnium deorum arbitrantur: cum animaduerteret Iudæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quàm Iouem, Epimenides igitur hymnum condens Ioui & sub eo nomine, Deum capiens immortalem Regemq; seculorum inuisibilem ac cælorum: eos irridet, qui Iouem credant regnare in cœlo, & condant in sepulchro: vt autem fidem eleuet auctoritatemque, mendaces dicit pro genio, traducitque velut homines otio deditos, tamque nocendi ac lædendi auidos, quàm viuendi inscios ac colendi. Telum sanè validum, argumentumque aduersùs Cretenses, omnesque infideles acutissimum. Vnde apud Hieronymum, Cyprianus, vir eloquentiâ pollens, & martyrio, Firmiano mordente ridetur, cur aduersùs Demetrianum scribens, testimoniis vsus sit Prophetarum, & Apostolorum, quę ille ficta & commentitia esse dicebat, & non potius Philosophorum & Poëtarum, quorum auctoritati vt ethnicus contraire non poterat. Sed vbi iam nullus ethnicus, quid nobis cum commentis Philosophorum, aut falsis Poëtarum insaniis? Et nũc quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi in viâ Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia, & auersio tua increpabit te. Quid enim derelinquere fontem aquæ viuæ, & sibi cisternas fodere dissipatas? Sed si sacra grauant, dicat & absoluat homo ethnicus, sed pro conscientiâ suâ Christianus. Operosè, i[illegible]t, nihil agunt, qui in literarum inutilium [illegible]s detinentur: quæ iam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere, prior scripta esset Ilias, an Odyssæa: præterea an eiusdem esset auctoris. Alia deinceps huius notæ: quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant; siue proferas, non doctior videberis, sed molestior. Speciosa illa vanitas, non veritas fructuosa.

Tertull. lib. 2. ad Nat. cap. 1.

Tertullian. eodem lib. cap. 9.

Augustin. lib. 1. de cons. Euang. cap. 23.

Quænam varroni de Deo Iudæorum sententia.

C

Hieronym. epist. 84.

D

Ierem. c. 2.

Sen. lib. de breuit. vitæ cap. 13.

E

TROPOLOGIA.

Quam ob causam increpa illos durè.

NOn solùm exhortandi sunt illi, sed & increpandi, idcircò Episcopus tantâ prudentiâ debet esse prædibus, quantâ & doctrinâ: nec leuiter tantùm obiurgandi, sed & acriter;

A idcircò non solùm lenitate debet ornari, sed & armari seueritate: sic tamen exerceatur seueritas animi, vt integritas seruetur fidei.

Quoad primum. Multa præcepta de Episcopis spargit Apostolus, sed semper & vbique exigit doctrinam, & in id sententiam colligit. Proferuntur ergo Apostoli Epistolæ, (ita Hieronymus) vna ad Timotheum, altera ad Titum. Volo itaque superiora capitula, in quibus futuri Episcopi vita describitur, cursim exponere. Simul obsecro, ne quis me in suggillationem istius temporis Sacerdotum scripsisse, quæ scripsi, existimet, sed in Ecclesiæ vtilitatem. Vt enim Oratores & Philosophi, describẽtes qualem velint esse perfectum Oratorem, & Philosophum, non faciunt iniuriam Demostheni, aut Platoni, sed res ipsas absque personis definiunt: sic in descriptione, Episcopi,& in eorum expositione, quæ scripta sunt, quasi speculum Sacerdotum proponitur. Iam in potestate & conscientiâ singulorum est, quales se ibi aspiciant: vt vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem: possint. Si quis ergo Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus, non dignitatem, laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. Id ipsum quoque ad Titum: Si quis est sine crimine. Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo reprehensione dignum est: quis est ille, qui absque peccato, id est sine reprehensione, versetur in hoc mundo? Sed futurus pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur. Ornatum quoque, ἐπίτασις est prioris verbi, irreprehensibilis Qui vitia non habet irreprehensibilis appellatur; qui virtutibus pollet, ornatus est. Sunt enim quidam ignorãtes mensuram suam, & tantæ stoliditatis, ac vecordiæ, vt & in motu, & in incessu, & in habitu, & in sermone communi, risum spectantibus præbeant; & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus, & munditiis corporis; & lautioris mensæ epulas parant: cum omnis istiusmodi ornatus, & cultus, sordibus fœdior sit. Quod autem doctrina à Sacerdotibus expectatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum plenius scribitur. Innocens enim & absque sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet: nam & latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. Oportet Episcopum non solùm esse doctum, sed & Doctorem. Obtinentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Fidelem, ait Chrysost. hîc veracem dixit, qui nobis per fidei gratiam traditur, neq; argutis conclusiunculis indiget, neque inanibus quæstionibus seruit. Obtinentem, id est curantem, hoc est summoperè molientem. Quid ergo si secularis eloquentiæ fuerit imperitus? Nihil inde penitùs læditur: idcircò ait, Eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem. Vt potens sit exhortari, & contradicentes arguere. Non itaque illis fastuosis verbis, sed summâ illâ opus est peritiâ scripturarum, vt absconditos sensus, intelligentiasque rimetur. Qui, inquit, ignorat rectam, sanamque doctrinam, vt oportuerit, tradere, longè à sede Episcopali arceatur. Nam alia quidem & in subditis inuenire facilè est: puta esse sine crimine, filios habere subiectos, hospitalem esse, iustum & sanctum. Cæterùm hoc est quod maximè doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare aduersarios. Vt possit exhortari in doctrinâ sanâ: hoc est ad suorum custodiam, & euersionem hostium: cuius rei nullam fermè nunc curam haberi videmus, atque ingemiscimus: nam nisi hoc possit, omnia pereunt. Vult Episcopum Doctorem esse, non Academicum, qui quæstiones torqueat, argumentationes calleat, curiositates ingerat, & difficultates nectat potius, quàm resoluat; sed Christianum, non tam subtilem & acutum, quàm eruditum in scripturis, grauem in sententiis; qui verba non numeret, sed ponderet mysteria; qui antiquam calleat disciplinam, qui non tam persuadendo doceat quàm docendo persuadeat.

Hieronym. epist. 83.

Quæ & quãta in Episcopo requisita sit doctrina.

Chrysost. Hom. 2.

Quoad secundum. Debet Episcopus non solùm instruere dociles, sed & indociles arguere; obsecrare illos, istos increpare; illis disciplinam, istis plagam infigere. Hoc Christus, hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc omnes sancti, & pastores legitimi. Nam si contentiosus habetur à vobis vel animosus patratorque rixarum, (ita Augustin. Cresconio) quisquis cuiquam sermonis altercationẽ vel inferre vel referre curauerit, videte quid de Domino Iesu Christo, eiusque seruis & Prophetis & Apostolis sentiatis. Quid toties aduersùs Iudæos, Pharisæos, Sadducæos, non solùm minimè crediturος, verumetiam maximè contradicturos, & persecuturos coràm in os eorum quàm multa locutus est? Memento Apostolicas Epistolas non eis tantùm scriptas qui tempore illo quo scribebantur, audiebant, sed etiam nobis: non enim ob aliud in Ecclesiâ recitantur. Recole iam igitur non quid Paulus, sed quid per eum Christus locutus sit: Prædica verbum, insta opportunè, importunè. Attende etiam quemadmodum ad Titum, cum explicaret qualis esse Episcopus debeat, etiam perseuerantem dixit esse oportere, iuxta doctrinam fidelis verbi, vt potens sit, inquit, & exhortari in doctrinâ sanâ, & contradicentes arguere. Sunt enim multi non subditi, vaniloqui, & mentis seductores, maximè qui ex circumcisione sunt, quos oportet refelli. Non ergo solos qui ex circumcisione sunt, sed eos maximè tales esse ait, oportere tamen in doctrinâ sanâ redargui refellique ab Episcopo vaniloquos & mentis seductores, indubitata præceptione firmauit. Ne putes prohibitionem petulantiæ, occasionem esse pigritiæ; ne existimes præceptum indulgentiæ, iudicium esse duritiæ: debet Episcopus amare mansuetudinem lenitatemque, sed & seueritatem in increpando, sicut & grauitatem in adhortando seruare; nec acriùs tantùm, sed & duriùs peruicaces contumacesque redarguere. Quam ob causam, increpa illos durè. Quos? illos maximè, qui sunt inobedientes, vaniloqui, & seductores. Qui vniuersas domos subuertunt docentes

Augustin. lib. 1. cont. Crescon. cap. 8. & 9.

Non debet petulantiæ prohibitio, occasio esse pigritiæ.

docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. Signanter expressit, acriterque inobedientiam repressit &c. insolentiam. Nolunt, inquit, regi, sed regere (ita Chrysostomus) Cùm igitur persuadere nequiueris huiuscemodi, ne paueas neque formides, sed eos ob aliorum vtilitatem argue. Nam siquidem doctrinæ quis percipit gratiam, non autem sufficiens est illis obsistere, & os obstruere eorum qui adeo impudentes sunt, pereuntium in se attrahit damna, ac per singulos auctor perditionis erit. Noli quærere magister fieri, si virtutem eius rei à te alienam esse consideras: verùm & si traharis, inde resilire contende: nam rectè quidam admonet, dicens: Ne quæras fieri Iudex, nisi valeas iniustitiam tollere. Quid verò si addas, Cretenses semper esse mendaces, malas bestias, ventres pigros, nec desides tantùm, sed & luxui deditos ac libidini? Eo igitur sic loquitur, ait ille quòd istis sint mores admodum impudentes, subdoli, & profligati: ad confingenda mendacia dolosque nectendos promptissimi, ventri atque inerti otio suprà modum addicti. Increpa igitur ipsos durè. Opus est acri atque obiurgatorio sermone: neque enim qui istiusmodi moribus præditus est, ad imperium facilè reducitur. Durè, profundiorem, inquit, infige plagam. Neque enim pari eodemque modo omnibus infligendum est vulnus increpationis, sed discretim, variè, & habitâ vniuscuiusque subditorum ratione. Verborum acrimonia, nonnunquam & duritia verberum necessaria est; nimirum vbi tria concurrunt, quæ Cretenses referunt fideles, plurimùm rebelles. Primum est, quando vulnus occaluit in duritiam: secundò, quando serpit in ruinam: tertiò, cum procedit vsque ad audaciam. Duritia, ait Tertullianus, vincenda est, nō suadenda.

Chrysost. Hom. 2.

Chrysost. Hom. 3.

Tertullian. lib. de Scorp. c. 2.

Quoad tertium. Aliud duritia medici, aliud inimici sæuitia. Nonnunquam durus est medicus; sed si durus non esset, inimicus esset; quia hoc inferret parcēdo, quod faceret inimicus sæuiendo. Increpa illos durè. [Quam ob causam?] Vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum auersantium veritatem. Nequaquam, ait Chrysostomus, præsenti loco consolatoriis vtitur verbis: nam quemadmodum qui mansuetum & ad opera pietatis strenuum duriùs increpat, ipsum vtique perimit ac perdit: sic qui blandiens eum demulcet, qui opus habet verborum acrimoniâ, vtique illum corrumpit, nec sinit ad meliorem vitæ frugem exurgere. Quemadmodum igitur illis obtemperare non expedit, ita nec istis quidem. Et hoc vtique sanitas, nihil illegitimum, nihil item alienum inducere. Si enim credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola? Quid teipsum spontaneæ subiicis seruituti, & legis iugo collum submittis? Non fidis gratiæ? Id profectò infidelitatis atque diffidentiæ indicium est, id infirmi atque increduli, & infidelis certum argumentum. Narrant iniqui fabulationes suas, seu fabulosas cogitationes vanasque, armantque legem Dei aduersùs legem fidei: sed qui benè Christiani, qui verè sancti, fidei seruant integritatem aduersùs veneni malignitatem. Omnes tamen admonendi sunt fideles, tam sani, quàm infirmi: illi quidem ne vitientur, isti autem vt sanentur: & si processerit corruptio, si obduruerit consuetudo, nec agenti tantùm exitiosa fuerit, sed & perniciosa credenti: etiam asperè obiurgandi sunt, & durè increpandi. Omnibus enim viribus agere debet Episcopus, vt salubritas seruetur fidei, puritas vindicetur Euangelij, à fabulis, à Philosophatis doctrinis, à commentis repurgetur humanis. Id autem fit non dicendo, sed docendo: docet autem ille, qui non solùm manet verbo, sed & mouet exemplo. Definiunt rhetores oratorem, (verbo Hieronymi) qui sit vir bonus, dicendi peritus. Antè vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, vt doctus meritò suscipiatur. Perdit enim auctoritatem dicendi, cuius sermo opere destruitur. Heri cathecumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Ecclesiâ: vesperè in circo, manè in altario: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Caput est artis, docere quod facias. Nihil enim impudentius arrogantiâ rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant; & parati semper ad lites, in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Talis ergo sit Pontifex Christi, vt, qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant. At nunc plerosque cernimus, vel fauorem populi in aurigarum morem pretio redimere; vel tanto omnium hominum odio viuere, vt non extorqueant pecuniâ, quod mimi impetrant gestibus. Idcircò Paulus omnia ab Episcopis abstersit vitia, omnes illis virtutes imposuit; vt fructuosiùs docere possint, fidentius possint arguere. Quomodo enim alium ipse docebit, qui seipsum non docuit? quomodo ab alio petere, quod à seipso non exigit? quomodo austerè loqui, qui molliter viuit? quomodo Christianè philosophari, qui turpiter seruit? Cogitate, inquit Chrysostomus, quàm accurrata esset Apostolis vitæ ratio, vt ipsi propositi essent, quasi archetypus, & exemplar, & leges animatæ. Quæ enim literæ dicebant, hæc ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc optima est docendi ratio: ita discipulum impellere doctor poterit. Sin dicat quidem, ac verbis philosophetur; factis verò contraria repræsentet, nondum doctor est. Nam vel discipulo hoc facile est, verbis philosophari. Sed illa admonitio & persuasio accedat oportet, quæ per opera fit: nam hæc & doctori reuerentiam conciliat, & discipulo propensionem ad parendum.

Fidem charitate formata.

Hieronym. epist. 83.

Doctrina Christiana, non verbis, sed factis suadenda.

Chrysost. Moral. digni serm. 12. sup. epist. ad Philippens.

ANAGOGIA.

Omnia munda mundis.

OMnia cibaria scilicet, quæ reuera naturâ suâ non sunt immunda. Sed ostendit Paulus primò, quomodo in bonos ea se habeant. Secundò, quomodo se habeant ad malos: tertiò, innuit vnde illi accedant ad Deum, & vnde ipsum isti refugiant.

Quoad primum. Distinguit Faustus apud Augustinum tria legum genera: sed non tam struit documentum, quàm fucum facit. Vnum quidem, inquit, Hebræorum, quod peccati & mortis Paulus appellat: aliud verò Gentium, quod naturale vocat. Tertium verò genus legis est veritas, quod perinde significās Apostolus,

Augustin. lib. 19 cont. Faust. cap. 2.

ideircò non solùm lenitate debet ornari, sed & armari seueritate: sic tamen exerceatur seueritas animi, vt integritas seruetur fidei.

Quoad primum. Multa præcepta de Episcopis spargit Apostolus, sed semper & vbique exigit doctrinam, & in id sententiam colligit. Proferuntur ergo Apostoli Epistolæ, (ita Hieronymus) vna ad Timotheum, altera ad Titum. Volo itaque superiora capitula, in quibus futuri Episcopi vita describitur, cursim exponere. Simul obsecro, ne quis me in suggillationem istius temporis Sacerdotum scripsisse, quæ scripsi, existimet, sed in Ecclesiæ vtilitatem. Vt enim Oratores & Philosophi, describētes qualem velint esse perfectum Oratorem, & Philosophum, non faciunt iniuriam Demostheni, aut Platoni, sed res ipsas absque personis definiunt: sic in descriptione, Episcopi, & in eorum expositione, quæ scripta sunt, quasi speculum Sacerdotum proponitur. Iam in potestate & conscientiâ singulorum est, quales se ibi aspiciant: vt vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem: possint. Si quis ergo Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus, non dignitatem, laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. Id ipsum quoque ad Titum: Si quis est sine crimine. Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo reprehensione dignum est: quis est ille, qui absque peccato, id est sine reprehensione, versetur in hoc mundo? Sed futurus pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur. Ornatum quoque, ἐπίτασις est prioris verbi, irreprehensibilis. Qui vitia non habet irreprehensibilis appellatur; qui virtutibus pollet, ornatus est. Sunt enim quidam ignorātes mensuram suam, & tantæ stoliditatis, ac vecordiæ, vt & in motu, & in incessu, & in habitu, & in sermone communi, risum spectantibus præbeant; & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus, & munditiis corporis; & lautioris mensæ epulas parant: cum omnis istiusmodi ornatus, & cultus, sordibus fœdior sit. Quod autem doctrina à Sacerdotibus expectatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum plenius scribitur. Innocens enim & absque sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet: nam & latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. Oportet Episcopum non solùm esse doctum, sed & Doctorem. Obtinentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Fidelem, ait Chrysost. hîc veracem dixit, qui nobis per fidei gratiam traditur, neq; argutis conclusiunculis indiget, neque inanibus quæstionibus seruit. Obtinentem, id est curantem, hoc est summoperè molientem. Quid ergo si secularis eloquentiæ fuerit imperitus? Nihil inde penitùs læditur: idcircò ait, Eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem. Vt potens sit exhortari, & contradicentes arguere. Non itaque illis fastuosis verbis, sed summâ illâ opus est peritiâ scripturarum, vt absconditos sensus, intelli-

Hieronym. epist. 83.

Chrysost. Hom. 2.

A gentiasque rimetur. Qui, inquit, ignorat rectam, sanamque doctrinam, vt oportuerit, tradere, longè à sede Episcopali arceatur. Nam alia quidem & in subditis inuenire facilè est: puta esse sine crimine, filios habere subiectos, hospitalem esse, iustum & sanctum. Cæterùm hoc est quod maximè doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare aduersarios. Vt possit exhortari in doctrinâ sanâ: hoc est ad suorum custodiam, & euersionem hostium: cuius rei nullam fermè nunc curam haberi videmus, atque ingemiscimus: nam nisi hoc possit, omnia
B pereunt. Vult Episcopum Doctorem esse, non Academicum, qui quæstiones torqueat, argumentationes calleat, curiositates ingerat, & difficultates nectat potius, quàm resoluat; sed Christianum, non tam subtilem & acutum, quàm eruditum in scripturis, grauem in sententiis; qui verba non numeret, sed ponderet mysteria; qui antiquam calleat disciplinam, qui non tam persuadendo doceat quàm docendo persuadeat.

Quæ & quāta in Episcopo requisita sit doctrina.

Quoad secundum. Debet Episcopus non solùm instruere dociles, sed & indociles arguere; obsecrare illos, istos increpare; illis disciplinam, istis plagam infigere. Hoc Christus, hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc om-
C nes sancti, & pastores legitimi. Nam si contentiosus habetur à vobis vel animosus patratorque rixarum, (ita Augustin. Cresconio) quisquis cuiquam sermonis altercationē vel inferre vel referre curauerit, videte quid de Domino Iesu Christo, eiusque seruis & Prophetis & Apostolis sentiatis. Quid toties aduersùs Iudæos, Pharisæos, Sadducæos, non solùm minimè credituros, verumetiam maximè contradicturos, & persecuturos cotàm in os eorum quàm multa locutus est? Memento Apostolicas Epistolas non eis tantùm scriptas qui tempore illo quo scribebantur, audiebant, sed etiam nobis: non enim ob aliud in Ecclesiâ recitantur. Recole iam igitur non quid Paulus, sed
D quid per eum Christus locutus sit: Prædica verbum, insta opportunè, importunè. Attende etiam quemadmodum ad Titum, cum explicaret qualis esse Episcopus debeat, etiam perseuerantem dixit esse oportere, iuxta doctrinam fidelis verbi, vt potens sit, inquit, & exhortari in doctrinâ sanâ, & contradicentes arguere. Sunt enim multi non subditi, vaniloqui, & mentis seductores, maximè qui ex circumcisione sunt, quos oportet refelli. Non ergo solos qui ex circumcisione sunt, sed eos maximè tales esse ait, oportere tamen in doctrinâ sanâ redargui refellique ab Episcopo vaniloquos & mentis seductores, indubita-
E ta præceptione firmauit. Ne putes prohibitionem petulantiæ, occasionem esse pigritiæ; ne existimes præceptum indulgentiæ, iudicium esse duritiæ: debet Episcopus amare mansuetudinem lenitatemque, sed & seueritatem in increpando, sicut & grauitatem in adhortando seruare; nec acriùs tantùm, sed & duriùs peruicaces contumacesque redarguere. Quam ob causam, increpa illos durè. Quos? illos maximè, qui sunt inobedientes, vaniloqui, & seductores. Qui vniuersas domos subuertunt docentes

Augustin. lib. 1. cont. Crescon. cap. 8. & 9.

Non debet petulantiæ prohibitio, occasio esse pigritiæ.

docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. A Signanter expressit, acriterque inobedientiam repressit &c. insolentiam. Nolunt, inquit, regi, sed regere (ita Chrysostomus) Cùm igitur persuadere nequiueris huiuscemodi, ne paueas neque formides, sed eos ob aliorum vtilitatem argue. Nam siquidem doctrinæ quis percipit gratiam, non autem sufficiens est illis obsistere, & os obstruere eorum qui adeo impudentes sunt, pereuntium in se attrahit damna, ac per singulos auctor perditionis erit. Noli quærere magister fieri, si virtutem eius rei à te alienam esse consideras: verùm & si traharis, inde resilire contende: nam rectè quidam admonet, dicens: Ne quæras fieri Iudex, nisi valeas iniustitiam tollere. Quid verò si addas, Cretenses semper esse mendaces, malas bestias, ventres pigros, nec desides tantùm, sed & luxui deditos ac libidini? Eo igitur sic loquitur, ait ille quòd istis sint mores admodum impudentes, subdoli, & profligati: ad confingenda mendacia dolosque nectendos promptissimi, ventri atque inerti otio suprà modum addicti. Increpa igitur ipsos durè. Opus est acri atque obiurgatorio sermone: neque enim qui istiusmodi moribus præditus est, ad imperium facilè reducitur. Durè, profundiorem, inquit, infige plagam. Neque enim pari eodemque modo omnibus infligendum est vulnus increpationis, sed discretim, variè, & habitâ vniuscuiusque subditorum ratione. Verborum acrimonia, nonnunquam & duritia verberum necessaria est; nimirum vbi tria concurrunt, quæ Cretenses referunt fideles, plurimùm rebelles. Primum est, quando vulnus occaluit in duritiam: secundò, quando serpit in ruinam: tertiò, cum procedit vsque ad audaciam. Duritia, ait Tertullianus, vincenda est, nõ suadenda.

Chrysost. Hom. 2.

Chrysost. Hom. 3.

Tertullian. lib. de Scorp. c. 2.

Quoad tertium. Aliud duritia medici, aliud inimici sæuitia. Nonnunquam durus est medicus; sed si durus non esset, inimicus esset; quia hoc inferret parcẽdo, quod faceret inimicus sæuiendo. Increpa illos durè. [Quam ob causam?] Vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & mandatis hominum auersantium veritatem. Nequaquam, ait Chrysostomus, præsenti loco consolatoriis vtitur verbis: nam quemadmodum qui mansuetum & ad opera pietatis strenuum duriùs increpat, ipsum vtique perimit ac perdit: sic qui blanditiis eum demulcet, qui opus habet verborum acrimoniâ, vtique illum corrumpit, nec sinit ad meliorem vitæ frugem exurgere. Quemadmodum igitur illis obtemperare non expedit, ita nec istis quidem. Et hoc vtique sanitas, nihil illegitimum, nihil item alienum inducere. Si enim credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola? Quid teipsum spontaneæ subiicis seruituti, & legis iugo collum submittis? Non fides gratiæ? Id profectò infidelitatis atque diffidentiæ indicium est, id infirmi atque increduli & infidelis certum argumentum. Narrant iniqui fabulationes suas, seu fabulosas cogitationes vanasque, armantque legem Dei aduersùs legem fidei: sed qui benè Christiani, qui verè sancti, fidei seruant integritatem aduersùs veneni malignitatem. Omnes tamen admonendi sunt fideles, tam sani, quàm infirmi: hi quidem ne vitientur, isti au-

Chrysost. Hom. 3.

Fidem charitate formata.

D

E

tem vt sanentur: & si processerit corruptio, si obduruerit consuetudo, nec agenti tantùm exitiosa fuerit, sed & perniciosa credenti: etiam aspere obiurgandi sunt, & durè increpandi. Omnibus enim viribus agere debet Episcopus, vt salubritas seruetur fidei, puritas vindicetur Euangelij, à fabulis, à Philosophatis doctrinis, à commentis repurgetur humanis. Id autem fit non dicendo, sed docendo: docet autem ille, qui non solùm manet verbo, sed & mouet exemplo. Definiunt rhetores oratorem, (verbo Hieronymi) qui sit vir bonus, dicendi peritus. Antè vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, vt doctus meritò suscipiatur. Perdit enim auctoritatem dicendi, cuius sermo opere destruitur. B Heri cathecumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Ecclesiâ: vesperè in circo, manè in altario: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Caput est artis, docere quod facias. Nihil enim impudentius arrogantiâ rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant; & parati semper ad lites, in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Talis ergo sit Pontifex Christi, vt, qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant. At nunc plerosque cernimus, vel fauorem populi in aurigarum morem pretio redimere; vel tanto omnium hominum odio viuere, vt non extorqueant pecuniâ, C quod mimi impetrant gestibus. Idcircò Paulus omnia ab Episcopis abstersit vitia, omnes illis virtutes imposuit; vt fructuosiùs docere possint, fidentius possint arguere. Quomodo enim alium ipse docebit, qui seipsum non docuit? quomodo ab alio petere, quod à seipso non exigit? quomodo austerè loqui, qui molliter viuit? quomodo Christianè philosophari, qui turpiter seruit? Cogitate, inquit Chrysostomus, quàm accurrata esset Apostolis vitæ ratio, vt ipsi propositi essent, quasi archetypus, & exemplar, & leges animatæ. Quæ enim literæ dicebant, hæc ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc optima est docendi ratio: ita discipulum impellere doctor poterit. Sin dicat quidem, ac verbis philosophetur; factis verò contraria repræsentet, nondum doctor est. Nam vel discipulo hoc facile est, verbis philosophari. Sed illa admonitio & persuasio accedat oportet, quæ per opera fit: nam hæc & doctori reuerentiam conciliat, & discipulo propensionem ad parendum.

Hieronym. epist. 83.

Doctrina Christiana, non verbis sed factis suadenda.

Chrysost. Moral. digni serm. 12. sup. epist. ad Philippens.

ANAGOGIA.

Omnia munda mundis.

OMnia cibaria scilicet, quæ reuera naturâ suâ non sunt immunda. Sed ostendit Paulus primò, quomodo in bonos ea se habeant. Secundò, quomodo se habeant ad malos: tertiò, innuit vnde illi accedant ad Deum, & vnde ipsum isti refugiant.

Quoad primum. Distinguit Faustus apud Augustinum tria legum genera: sed non tam struit documentum, quàm fucum facit. Vnum quidem, inquit, Hebræorum, quod peccati & mortis Paulus appellat: aliud verò Gentium, quod naturale vocat. Tertium verò genus legis est veritas, quod perinde significãs

Augustin. lib. 19 cont. Faust. cap. 2.

A Apostolus, dicit: Lex enim spiritûs vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Tribus verò existentibus legibus, & Iesu asseuerante nobis, quia non venit soluere legem, sed adimplere: non paruâ curâ ac diligentiâ opus est, de quâ earum dixerit intelligere. Sic & Prophetæ, alij sunt Iudæorum, alij Gentium, alij veritatis. Sed de Iudæorum quidem nullus quæsiuerit, notum est enim. De Gentium verò si quis ambigit, audiat Paulum, qui scribens ad Titum de Cretensibus, dicit; Dixit quidam proprius eorum Propheta: ac per hoc dubitandum non est, & Gentes suos habere Prophetas. B Necnon & veritatem habere Prophetas suos, tam idem Apostolus significat, quàm etiam Iesus. Et Iesus quidem, vbi dicit: Ecce mitto ad vos sapientes & Prophetas, & ex ipsis interficietis in singulis locis. Paulus verò, cum dicit. Ipse Dominus constituit primùm Apostolos, deinde Prophetas. Sed nô minus insanè quàm vanè seipsum excruciat, vt errorem suum statuat, cum demptis cæteris, ad vnum Christum conspirare debeat; id est, veritatem, figuris expunctis, imprimere.

Augustin. eodem lib. cap. 8.

Prophetias enim sic adimpleuit, ait Augustinus, cum in eo veritas facta est promissio Dei: hoc Paulo dicente; C Quotquot enim promissiones Dei, in illo est. Idem rursus dicit: Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Quod ergo in Prophetis, siue apertè siue per figuras, vel locutionum vel actionum promittebatur, in illo adimpletum est, Qui non venit soluere legem, sed adimplere. Vsque adeò enim, quicquid per huiusmodi figuras prophetabatur, impletum est, vt etiam per illas non prophetetur. Et ad hoc pertinet quod ipse Dominus ait: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.

Populus Iudaicus tam in cibis propheticus, quàm in ceremoniis.

In ipsâ quippe lege, vniuersa prophetia, quæ non tantùm verbis, sed etiam quarumdam actionum figuris, D Saluatoris promittebat aduentum, veritas facta est per Iesum Christum. Lex enim per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Ex cuius aduentu iam regnum Dei cœpit annuntiari, quia lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. In lege ipsâ, vniuersa prophetia, quia tota lex erat prophetica.

Augustin. lib. 22. cont. Faust. c. 24.

Imò, Hac in re dico (cum Augustino) illorum hominum non tantùm linguam, verumetiam vitam fuisse propheticam: totumque illud regnum gentis Hebræorû magnû quendâ, quia & magni cuiusdam, fuisse Prophetam. Quicquid enim de illo populo statutum, quicquid in illo constitutum regno; seu in cibis, seu in ceremoniis; E certa erat, licet obscura venturi Christi, & Christianæ prophetia Ecclesiæ.

Augustin. lib. 31. cont. Faust. cap. vlt.

Cum ergo ait Apostolus, omnia munda mundis, naturas ipsas, ait ille, intelligi voluit, quas Deus creauit, secundùm illud quod Moyses in Genesi scripsit; Et fecit Deus omnia, & ecce bona valdè: non secundùm significationes, secundùm quas Deus per eundem Moysem ab immundis munda discreuit. Bona quidem conditio, sed prophetica seu figuratiua significatio, quæ mysterium aliquod importet, immundum aliquod impurúmque repræsentet. Omnia munda mundis.

Chrysost. Hom. 3.

Vides, ait Chrysostomus, quid sibi hoc dictum velit? Non enim per naturam munda aut immunda sunt, sed ex accipientiû volûtate, atq; proposito.

Quoad secundum. Sicut omnia munda mundis seu sanctis, Christianis, fidelibus-ve; sic & omnia immunda immundis, ethnicis, profanis, infidelibus-ve; maximè verò, Iudæis, Iudaizantibusque.

Augustin. lib. 31 cont. Faust. cap. 4.

Proinde, ait Augustinus, illos, qui iam tempore reuelationis noui testamenti, adhuc illas vmbras futurorum ita custodiendas putarét, vt sine iis Gentes salutem, quæ in Christo est percipere non posse contenderent, immundos dicit Apostolus, quòd carnaliter saperent: & infideles, quòd tempus gratiæ à legis tempore non discernerent. Quibus ideo dicit nihil esse mundum, quia & iis quæ respuebant, & iis quæ sumebant, non sanctè nec iustè vtebantur. Omnia ergo munda mundis, secundùm naturam in quâ creata sunt, non tamen omnia secundùm significationem munda primo populo Iudæorum: nec nobis omnia vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis, apta sunt: sed cum sua cuique redduntur, & naturalem ordinem seruant, omnia munda sunt mundis: immundis autem & infidelibus, nihil est mundum: sed polluta sunt eorum & mens & conscientia.

Lex desiit ceremonialis, sed naturalis interuenit.

Desiit quidem lex ceremonialis, quæ in signis ac figuris; sed vbique lex naturalis, quæ in reddendis officiis, interuenit: sicut igitur illa, impletâ veritate, relinquit cibos promiscuos, indifferentes, immunditiæ expertes, vacuos intelligentiæ: sic & ista, cognitâ veritate, obstringit animos, non sibi conditos, sed diuinitati.

Augustin. lib. 22. cont. Faust. c. 27.

Ita Sancti ac sublimes Angeli, id sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, iubet: cuius æterno imperio liberaliter, quia suauiter, seruiunt: nos verò pro modulo infirmitatis nostræ secundùm legem, quâ naturalis ordo seruatur, iustè viuamus ex fide non fictâ, quæ per dilectionem operatur: habentes in conscientiâ bonâ spem repositam in cœlis immortalitatis & incorruptionis, & ipsius perficiendæ iustitiæ vsque ad quandam ineffabiliter suauissimam saturitatem, quam in istâ peregrinatione oportet esuriri ac sitiri, quandiu per fidem ambulamus, non per speciem. Peccatum quippe est, factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contrà æternam legem. Lex verò æterna est, ratio diuina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans. Constat autem homo ex animâ & corpore. Sed hoc & pecus. Nulli autem dubium est, animam corpori naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis inest ratio, quæ pecori non inest. Proinde sicut anima corpori, ita ipsius animæ ratio cæteris eius partibus, quas habent & bestiæ, naturæ lege præponitur. In hac enim imago Dei est, quâ per fidem ad speciem reformamur. Sicut corpus propter animam, sic & anima propter Deum. Itaque sicut nihil non corporis propter animam factum est, sic & nihil non animæ in Deum est referendum. Id enim dictat imperatque ratio humana, sed diuina dispositio: Æternâ lege, consultâ, quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari vetat.

Augustin. cap. 29.

Quod enim sunt corporis artus, hoc sunt actus mentis. Idcircò, sicut omnes artus corporis in animæ rationalis commodum effecti sunt, sic & omnes animæ rationalis actus sunt in Deum, tanquâ in auctorem supremum ac finê vltimû referendi. Itaque sicut mundis seu sanctis nihil immundû est,

est, sic & immundis seu profanis nihil est mundum. Quia,(vti dixit Aquinas) nihil est mundum affectibus, nisi in finem debitum ordinatum sit. Isti autem sunt extra finem. Et ideò quod de natura suâ est mundum, fecerunt sibi immundum. Cuius causa est, quia causa actuum eorum est immunda, scilicet voluntas & intellectus, quæ sunt in eis deprauata. Vnde dicit Paulus, sed inquinatæ sunt eorum mens, scilicet per infidelitatem: Et conscientia, scilicet per peccatum. Intellectus per ignorantiam obscuratus, affectus per inolitam deprauatus concupiscentiam.

Aquin. lect. 4.

Quoad tertium. Omnes penè non infideles solùm, sed & fideles, Deum suffugiunt, dum deserunt officium: pauci, imò paucissimi ad Deum contendunt, nulli ferè currunt. Sequor autem si quomodo comprehendam. Adhuc mihi vita in certamine versatur, (ita Paulus apud Chrysostomum) adhuc à metâ longè absum: adhuc à brabiis disto: adhuc curro, adhuc sequor: & non dixit, curro, sed sequor, ac meritò. Nam qui apud Græcos dicitur διώκων, id est, qui sectatur, nostis, quantam contentionem insectando adhibeat: omnes quicumque cursum illius intertumpunt, magno impetu propellit, neminem intuetur; & mentem & oculos, & vires, & animam, & corpus contrahit, solum brabium spectans, præterea nihil. Deinde ostendens debitum hoc esse, inquit, In quo & comprehensus sum à Iesu Christo. Eram, inquit, expeditorum numero, demergebar, pereundum mihi omninò erat: comprehendit me, ac tenuit Deus. Nam & ipse nos sectatus est fugientes ipsum magno cum studio, propterea omnia hæc illi accepta refert. His enim verbis, Comprehensus sum, & studium Dei demonstrauit nos comprehendere volentis, & nostrum longinquum recessum, atque errationem, nosque omninò ab illo refugisse ostendit. Insectatur Deus hominem, vt ipsum apprehendat fugientem; auersatur homo Deum, cum ipsum suffugiat operi seu saluti nostræ intentum. Quamobrem, ait ille, cum illud lachrymis dignum est, omnes ad pristinū statum relabi; rū verò hoc etiā, cū magno simus debito obnoxij, neminē tamen lugere, neminē lachrimari, neminē suspirare. Ac ne putes ironicè isthæc à me dici. Nam quemadmodū antè Christi aduentum à Deo fugiebamus, ita nunc ab ipso fugimus. Pote enim est fugere à Deo, non quidem loco (nam vbique est) sed operibus. Etenim loco quidem ab eo discedi non posse, audi Prophetam dicentem, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Quomodo igitur pote est à Deo fugere? eodem modo, quemadmodum pote est procul à Deo proficisci, ac longè abesse. Qui se elongant, inquit, à te, peribunt. Quomodo igitur fit iste longinquus discessus? & quomodo intercedit interuallum? electione, & animo. Peccator igitur fugit, quod scriptura inquit, Fugit impius nemine persequente. Valde fugimus Deum, tametsi semper ille sectatur nos. Apostolus cursum suum eò intendebat, vt propè ad illum accederet; nos eò intendimus, vt procul discedamus. Quomodo ad eum accedimus? non passibus, sed, affectibus: eò tendendo, eò & motus cordis, & actus mentis dirigendo. Inde viuificamur, quia vita est; inde illuminamur, quia lux est; inde mundamur, quia perfecta puritas est, ac summa sanctitas. Quomodo fugimus? non sermonibus, sed operibus; animum auertendo, debitum subtrahendo, aut distrahendo officium. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Sicut enim, (vt obseruat Aquinas) habens scientiam in vniuersali, potest errare in particulari; ita habens fidem in vniuersali, in particulari tamen agibili corrumpitur, propter corruptionem affectus. Sunt enim tria, per quæ homo redit ad Deum: scilicet Dei gratia, fides, exercitium boni operis. Redimus in statum pristinum, & Deum fugimus; pauci redeunt, pauci quò tendendum est, contendunt; quò currendum est, currunt. Sed si aberrant nonnunquam sancti, quomodo non oberrant impij? Cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Chrysost. ser. 11. in epist. ad Philipp.

Chrysost. in Mor. digest.

Aquin. lect. 4.

Impij non regionibus sed moribus à Deo dissiti.

CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

CVique conditioni ac sexui salutaria præscribit documenta, sed ipsum Titum proponit proscribitque in exemplum omnium. Itaque & illi monita suggerit statui necessaria.

TEXTVS.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam: Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ: Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, benè docentes: vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. Iuuenes similiter

hortare vt sobrij sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

EXEGESIS LITERALIS.

A Tito incipit, & in ipso desinit: ipsius enim est non solùm sanam præferre doctrinam, sed & vitam suam proferre in formam virtutis omnis, ac sanctitudinis.

Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ &c. Prohibuerat fabulis attendi Iudaicis, humanis innutriri institutis. Hæc enim pseudapostoli, maximè verò Iudæi, qui prædam existimant religionem, & prædicationem ad saliuam consarcinant. Tu verò, tanquam legitimus fidei arbiter, tanquam sincerus minister Euangelij, ea propone, quæ incorruptæ disciplinæ consentanea sunt, & magistellos istos exemplo tu suffunde. Adhortare igitur senes sobrios esse, honestos, prudenter se temperanterque gerentes; fidem seruare illibatam, dilectionem sinceram, integram patientiam. Etsi nullam dictis tuis adhibeant fidem, & reprobi sint; tu tamen quod tua interest facito, nihil obticeas; sed verba ede, vel si minùs his vacent auditores, ne exequantur quæ dixeris. Ita Commentator Athanasianus. (Comment. Athanas.) Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, benè docentes &c. Anus similiter exhortare, habitum gerere non ætati tantùm, sed & sanctitati congruum, non calumniari, non ingurgitari, honesta docere, bona suggerere. Vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei &c. Maiores natu, minores instruant, & ad prudentiam ac pudicitiam erudiant: vt maritos suos ament, liberosque; castitatem seruent, sobrietatémque; rem curent domesticam, Christianam demonstrent benignitatem, viris propriis debitum præstent obsequium: ne contrarium malè vertat, cadatque in Euangelicæ doctrinæ præiudicium. (Non succedit prædicatio, vbi offendit conuersatio.) Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint &c. Paucis sed satis: si enim sobrij, & pudici erunt, ac modesti. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in grauitate, verbum

A sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis &c. Sed in omnibus quæ ab aliis exigis, teipsum exhibe tanquam virtutis formam Christianæ, & sanctæ conuersationis regulam. Doctrinam trade, sed & integritate morum & verborum grauitate suffultam: nihil doce, quod aut reprehensioni obnoxium sit, aut obuium contemptui: vt qui quærit occasionem, & prædicationem expendit, erubescat, nihilque quod criminetur, aut calumnietur, in nobis ministris inueniat. Textus Ambrosianus. (Ambros. in Paulum.) Vt is qui ex aduerso est, reuereatur, nihil habens dicere de nobis dignum reprehensione. [Et ille,] Magistrum, inquit, formam esse præcipit, vt ea quæ docet, quomodo fiant ostendat: vt ij qui profani sunt, & inimici fidei, erubescant; B videntes quia quæ verbis docet, vera esse probat factis.

Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus &c. Hortare seruos Dominis suis esse morigeros, in omnibus, diuinæ voluntati minimè repugnantibus, gratam exhibentes seruitutem, non responsatores, non susurratores, sed integram perfectamque conseruantes fidelitatem; ne blasphemetur doctrina Dominica, sed potius ornetur in omnibus. Nam vt exponit glossa apud Aquinatem: (Aquin. lect. 2.) ornamentum doctoris, est honesta vita discipuli; sicut sanitas infirmi, est laus medici. C Doctor, curator est animarum. Si ergo nos ostendimus bona opera, laudatur doctrina Christi. Matth. 5. Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Dicit autem Paulus, In omnibus. Ne quid lædat, aut auertat. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo &c. (Gratia Christi gentibus omnibus salutifera.) Gratia enim tandem illuxit omnibus hominibus, nec Dominis tantùm, sed & seruis salutifera, diuina Iudæis Græcisque innotuit beneficentia, admonens nos per Apostolicam prædicationem, mouensque per internam inspirationem: vt abdicatâ impietate, conculcatisque mundanis desideriis, sobriam quoad nos, iustam quoad

quoad alios, piè quoad Deum ac Dominum, A vitam in hoc seculo transigamus, æternamque contingamus. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi &c. Interim spe viuimus promissæ nobis beatitudinis, & æternæ felicitatis; manifestatione gloriosi aduentûs Christi Domini, nostram fulcimus sustinentiam. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum &c. Qui quidem Christus Deus & magnus Deus, carnem assumpsit, & se in mortem pro nobis tradidit redimendis, ab omni iniquitate B seu seruitute peccati: sicque populum sibi peculiarem acquireret, bonorum operum sectatorem faceret studiosum-vc. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Hæc doce & admone, hæc, contemptis nugis loquere: pigros adhortare cum omni mansuetudine, refractarios cum omni auctoritate argue. Sic te gere in ministerio, sic mone & argue verbo, vt quiuis suscipiat prudentiam, nullus doctrinam despiciat. Cum opportunè scilicet austerum te exhibueris, (ita apud Athanas.) obiurgando nemini eris derisui: vt contrà solet, qui minus necessario tempore alios increpando incesserit, parui fieri. Nec eneruiter, nec imprudenter.

Athanas. in Paulum.

DOCVMENTA Salutaria.

VERE, Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. Seu, vt habet Textus Ambrosianus. Illuxit gratia Dei Saluatoris. Græcè ἡ σωτήριος, salutifera. Nempe, vt ille exponit: Donum Dei illuxisse hominibus dicit per D Christum, id est, veritatem vnius Dei manifestatam in Christo, vt erroris tenebras euitantes, pij inueniamur, & bona opera faciamus. Misericordia singularis, ineffabilis beneficentia, quâ visitauit nos Oriens ex alto, & inolitam dissipauit ignorantiam. Omnes priùs infideles, omnes impij, & cæcitatis nube, & iniquitatis felle deprauati. Illuxit tandem lux illa in tenebris, & omnes homines, non iuuenes tantùm, sed & senes; nec Dominos solùm, sed & seruos ipsos erudiit. Inde igitur documenta salutifera per Euangelij prædicationem, & subministrationem Apostoli omnibus hominibus exhibita.

Ambros. in Paulum.

DOCVMENTVM I.

De senibus.

INcipit à senibus, tum ætatis reuerentiâ, cum & gratiâ sanitatis. Habet enim senectus vitia quædam propria, ait Chrysostomus, & morbos quibus iuuentus caret. Et ipsa quippe senectus morbus est: inest illi tamen præterea segnities quædam, ac tarditas, obliuio profunda, & obtusio sensuum, atque iracundia. Quocirca de his admonens Paulus: Senes, inquit, admone vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ. Considerari possunt vel quatenus senes, vel quatenus fideles: si inquantum senes, sobrij sint, pudici, prudentes: si inquantum fideles, sani sint in fide, in dilectione, in patientiâ. Virtutes sunt ætati infirmæ, aut Christianæ religioni congruentes.

Chrysost. Hom. 4.

Quoad primas. Senectutem dixi ætatem infirmam: quidni & infirmitatem perpetuam incurabilemque, ne dicam & mortem imminentem. Vnde, vt refert Hieronymus, Cereali consule dicente: posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter lusit Marcella: Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu viuere non potest. Lusit, an senem delusit morientem? Nam & ipse Hieronymus de seipso: pro ætate, inquit, tunc lusimus: &, calentibus adhuc Rhetorum studiis, atque doctrinis, quædam scholastico flore depinximus. Nunc iam cano capite, & aratâ rugis fronte, & instar boum pendentibus à mento palearibus, frigidus obsistit circum præcordia sanguis. Vnde & in alio loco idem poëta canit: omnia fert ætas, animum quoque. Et post modicum: Nunc C oblita mihi tot carmina, vox quoque Mœrin, Iam fugit ipsa. Quod ne de gentili tantùm literaturâ proferre videamur, diuinorum voluminum sacramenta cognosce. Dauid annos natus septuaginta, bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri. Fessa quippe illa ætas, & quasi enecta, deficit, frigescitque: vnde vino recreanda est, imo sustentanda; quo scilicet fugiens reuocetur anima, vel candens vena reuocetur. Vinum, inquit Hieronymus, tantùm senes accipiunt, quibus & paruulis sæpè fit prandium; vt aliorũ fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Benè iuuatur incipiens ætas, & deficiens, sed iniquè vindicatur æqualitas, sicut enim puerilis ætas sese in altum exerit, sic & infirmitas senilis vergit in præcipitium. Earinus puer, (ita Seneca iam senex) ait nos eamdem crisim habere, quia vtrique dentes cadunt: sed iam vix illum assequor currentem, & intra paucissimos dies non potero. Citò magnum interuallum fit, inter duos diuerso itinere euntes: eodem tempore ille ascendit, ego descendo, nec ignoras, quanto ex his velociùs alterum fiat. Vino igitur nec modico fulciendi sunt senes, & illo liquore fouendi seu lacte nutriendi. Sed dum infunditur liquor, ardor accendi- E ditur. Venter, ait Hieronymus, mero æstuans, citò despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuriâ voluptas, in voluptate impudicitia est. Denique, vbi vinolentia est, ibi imprudentia, imò & amentia. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Rectè igitur Paulus tres illas virtutes à senibus requirit, tanquam ætati congruas, seu senectuti competentes: quamuis enim annorum curriculo disponantur, incommodorum nihilominus periclitantur remedio. Admone igitur senes, vt sobrij sint, ac pudici, prudentes. Aliquando enim contingit, (Aquinate teste) vt senex reducatur ad puerilia peccata ex magnâ peruersitate. Iuuenis enim incitatur ad hæc ex instinctu passionis, sed senes ex electione,

Hieronym. epist. 16.

Hieronym. epist. 2.

Senilis deficit infirmitas, dum ætas puerilis proficit.

Hieronym. epist. 22.

Sen. epist. 83.

Hieronym. epist. 83.

Eccles. cap. 19.

Aquin. lect. 1.

ctione. Nullus enim vult esse sine delectationibus, & tanto plus apperit eas quanto maiores molestias sentit. Senex autem patitur multa incommoda & defectus naturæ: & ideo quando non habet spirituales delectationes, quærit corporales. Vtantur vino, sed non abutantur; ne lasciuiam sapiant, & incidant in amentiam. Moderati sint & honesti, graues sint temperantesque.

Quoad alias. Tres semper illas virtutes ab omnibus Christianis exigit Apostolus, nec senibus tantùm, sed & iuuenibus, nec Dominis solùm, sed & seruis: non enim illas præcipit vt ætati, sed sanctitati necessarias. Sed cupit senes sanos integrosque in fide, in dilectione, in patientiâ, seu spe expectatione ac sustinentiâ, quia præsentit has virtutes apud senes facile ægrescere, nonnunquam & euanescere. Ita Hieronymus, laudatâ senum sapientiâ. Non hoc dico, inquit, quòd in iuuenibus, & adhuc solidioris ætatis, his dumtaxat, qui labore & & ardentissimo studio, vitæ quoque sanctimoniâ, & orationis ad Dominum Iesum frequentiâ, scientiam consecuti sunt, frigeat sapientia, quæ in plerisque senibus ætate marcescit: sed quòd adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem. Senectus verò rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior. Vnde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum, expletis centum & septem annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quòd tunc egrederetur è vitâ, quando sapere cœpisset. Sed dum sapientiam præsumunt acquisitam, fidem lædunt, vtpote nec experimentis nec argumentis congenerem. Naturale vitium senum est, ait Aquinas, quòd sint increduli: quia sunt experti se sæpiùs esse deceptos. Et ideo loquuntur semper cum aduerbiis temperatiui & dubitatiui modi. Incredulitas autem repugnat fidei. Sicut autem incredulitas fidei non concordat, sic & ætas dilectioni non consonat. Iuuenum quippe est diligere, delectationemque requirere: senum verò quiescere, dilectionem ob vtilitatem seu necessitatem fingere potius, quàm exprimere. Denique nulla aut rara in senibus vtpote languentibus deficientibusque patientia. Senes ad impatientiam mouentur, ait ille, propter bona quæ habuerunt, & carent eis: nec non propter mala multa siue incommoda, quæ eos circumueniunt. Sani sint igitur in fide, in dilectione, in patientiâ, seu sustinentiâ: contenti credere, sperare, diligere: sed fidem præferant integram, sinceram dilectionem, inuictam ostendant patientiam. Ita beati illi senes, martyres sancti, qui tanta passi sunt tormenta, vt fidem obsignarent sanguine, dilectionem passione demonstrarent. Ita non dicam, Sobrij sint; sed sint ebrij; dum enim ita ebrij erunt, erunt sobrij. Est enim mustum, ait Ambrosius, quod reficit & inebriat Christianum: sed ebrietas illa magis sobrium facit. Qui enim inebriatur cœlesti gratiâ, exsobriatur sarcinâ peccatorum. Hoc namque musto repleti sancti Apostoli,

Hieronym. epist. 2.

Aquin. lect. 1.

Senes increduli, quia sæpiùs decepti.

Ambros. serm. 19. post nit.

A sicut ait scripturis, alienis linguis Dei magnalia loquebantur. In quo facto pariter ebrij esse videbantur, & sobrij. Ebrij enim putabantur, quòd in iis loquela præter naturam altera personabat. Sobrij erant, quòd iuxtà consuetudinem mentis Deum deuotione laudabunt. Quod quidem non electione aliquâ aut impudentiâ contigit, vt viri sancti peregrino sermone loquerentur; sed prouidentiâ diuinitatis factum est, vt quia ad magnificandum Deum vna loquela non sufficit, per plures linguas mentis deuotio solueretur.

B

DOCVMENTVM II.

De anubus.

SIcut senes, doctores sunt iuuenum, ita vetulæ sunt adolescentularum magistræ. Quamuis enim ius docendi in Ecclesiâ, imò & dicendi seu loquendi eis adimat Apostolus, in priuatâ tamen familiâ delegat. Doctrina publica, ait Aquinas, quæ fit in populo, interdicitur mulieri: sed priuata, quâ quis familiam docet, ei conceditur: magis enim ipsa conuersatur cum familiâ, quàm viri. Verùm ne concessâ vtantur licentiâ, & in aniles diffundantur confabulationes, mauult Paulus eas exemplo potius docere quàm verbo, & in habitu, conuictu, ac victu, formam pietatis, normamque virtutis ostendere. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes. C

Quoad habitum. Tria sunt notanda. Primum est per habitum, Græcè κατάστημα, supellectilem muliebrem comprehendere, cultumque & ornatum inuoluere. Habitus fœminæ, ait Tertullianus duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Alterum, aliquid in adolescentulis dissimulari, quod in vetulis non possit tolerari. Quid enim si se iuuenculæ propter viros suos ornent modestè? Dico dissimulari, non tamen & laudari, cum vix ingenium φιλόκοσμον intra debitos terminos temperent. Quid est, ait Seneca, quòd vxorem dimiseris? nunquid premit censum onerosa sumptibus, & vt seculi mos est, in deterius luxu fluente, muliebris ambitio certamine mutuo vsque in publica damna priuatim insanit? Nunquid gemmas & ex alieno littore petitos lapillos, & aurum vestemque nihil in matronâ tecturam concupiuit? Sed si dissimulari aliquo modo potest in iunioribus, nullo pacto potest in anubus tolerari. Tertium, Paulum, non solùm lasciuiam omnem & omnem pompam abigere, sed & habitum sanctum imponere. Anus in habitu sancto. Qui deceat castimoniam, qui sanctimoniam redoleat. Videlicet, vti dixit Chrysostomus, vt ex ipso habitu atque amictu, interior ostendatur ornatus. Nihil in incessu, nihil in vultu, sicut nihil in vestitu, quod grauitatem non præferat, quod non promittat sanctitatem. Prô temeritas! (exclamat Tertullianus) erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia in quâ deliquimus suspiratur, occasio prauitatis interpolatur. Absit à sapientiæ filiabus stultitia tanta.

D

E

Aquin. lect. 1.

Tertullian. lib. de Hab. mul. cap. 4.

Sen. pat. Cont. 13.

Chrysost. Hom. 4.

Tertullian. lib. cal. fœm. cap. 6.

Senectus quò plus occultatur, plus detegitur.

tanta. Senectus cùm plus occultari studuerit, plus detegetur. Hæc est æternitas vera de capilli iuuentute. Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad nouam domum, quam ἐπαγγελία pollicetur. Benè properatis ad Dominum. Benè festinatis excedere de iniquissimo seculo; quibus ad finem propinquare deforme est.

Quoad conuictum. Prohibet Paulus mulieres esse criminatrices. Græcè μὴ διαβόλους. Non calumniatrices. Docet quàm modestus debeat esse cum aliis conuictus, quàm verbis parcus, quàm ab iniuriis & calumniis alienus Certè, eximiâ virtute opus est ad reparandum apud homines formæ detrimentum, idcircò fœminæ iam effœtæ, gratiam enundinantur ex habitu, parumque Christianæ, imò & affectu deprauatæ, suffurantur arte, quod ætate confectum detritum-ve, conantur lenocinio redimere, quod senio surreptum, naturamque vel inuitam reducere. Sic & quæ solo prius silentio eloquentes erant ob florem iuuentutis, & commendationem pulchritudinis; silente specie, non solùm vocales esse incipiunt, sed & loquaces, garrulæ, importunæ; creduntque eo se commendabiliores reddi, quo sunt grauiores; eo gratiores effici, quo lepidiores. Stude, ait Tertullianus, ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit: frugalitati, quæ seculum spernit. Conuictus atque colloquia Deo digna sectare. Inde auctoritatem præsumunt succensendi, loquacitatem prætendunt facultatem non loquendi solùm, sed & obloquendi. Otiosæ, ait Hieronymus, atque verbosæ domos circumeunt matronarum. Inde igitur criminatrices, calumniatricesque, seu diabolici æmulatrices ingenij. Quid æmulatrices? imò & diabolo ipso periculosiores nonnunquam, ne dicam & perniciosiores. Quis enim ferat dæmonem etiam vera dicentem? at quis mulierem non audiat etiam falsa referentem? Tu es diaboli ianua, ait Tertullianus: tu es quæ eum persuasisti quem diabolus aggredi non valuit. Subtilior quidem astus dæmonum, sed genius mulierum blandior! ideò quod astutiis suis efficere dæmones non possunt, per mulieres efficiunt, fœmineisque surripiunt blanditiis. Fugite, ait Ignatius, illas sine Deo hæreses. Diaboli enim sunt adinuentio, serpentis auctoris malorum, qui per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri. Fugite malas soboles eius: Simonem dico, primogenitum generis ipsius. Ille quippe non tam à muliere circumseptus, quàm obsessus à dæmone. Hic namque ausus est dicere, à dæmone se oberrante, qui esset sapientia (Helena scilicet) descendisse ad quærendum. Adeo tremenda fœminarum lingua, adeò periculosus malarum conuictus: nisi admoneantur seriò, & contineantur in officio.

Perniciosus malarum fœminarum conuictus.

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap. vlt.

Hieronym. ad geront.

Tertullian. lib. de hab. mul. cap. 1.

Ignat. epist. 5.

In supplem. Tertul.

Quoad victum. Non iubet Paulus vetulas esse abstemias, sed monet esse sobrias. Iam enim desierant, imò ceciderant illa maiorum instituta, quæ abstinentiam commendarent vini, vetarentque fœminas licèt matronas, non dicam bibere, sed & attingere. Adeo apud M. Catonem. Si quid peruersè, tetrèque factum est à muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. Quasi idem, aut eiusdem esse probri, vinum bibere, aut alieni viri consortium admittere. Paulatim desueuit vsus, victusque successit liberalior, & ætati labenti commodior: sed quid necessitati indultum est, nihil detractum est honestati. Ita igitur Paulus, Non multo vino seruientes. Idem quippe, (vti dixit Chrysostomus) mulierum, atque senectutis proprie vitium est. Nam quæ ætate frigescant, magno potationis inseruiunt studio. Quo circa eas hinc maximè admonet, vt omnibus ex partibus ebrietatis vitium amputet, eas ab hoc morbo esse remotissimas cupiens atque irrisionem, quæ hinc exurgit, effugere. Namque faciliùs vapores ex infimis ad superiora feruntur, ac cerebrum occupant; & caput hinc læditur, eò quòd iam ætate confectæ sint ipsæ: atque inde maximè ebrietas fit. Habet quidem vino opus hæc ætas, cùm maximè infirma sit, cæterùm temperato. Ægrè Paulus adolescentulis, vsum vini permitteret vel modici, nisi forte in remedium morbi præscriberat. Vetulis quidem concedit bibere, sed præcipit temperare. Plurimæ enim, vt dixit Tertullianus: otiosæ, vinosæ, curiosæ: per otium à seueritate deducunt: per vinolentiam, quiduis mali insinuant, per curiositatem, æmulationem libidinis conuehunt. Nulla huiusmodi fœminarum de bono viduitatis loqui nouit: Deus enim illis (vt ait Apostolus) venter est, ita & quæ ventri propinqua. Sicut enim per loquacitatem irrumpunt verba pudoris inimica, sic & vinositatem ebriositatem-ve desideria emergunt salutis deuoratoria, incentiua prorumpunt libidinis.

Chrysost. Hom. 4.

Vsus vini adolescentulis negatus, concessus vetulis, sed moderatus.

Tertull. lib. 1. ad Vxo. cap. 8.

DOCVMENTVM III.

De Iunioribus.

VVlt Apostolus natu grandiores esse καλοδιδασκάλους, rerum bonarum honestatumque esse magistras maximè verò adolescentulas instituere, ad pietatem informare, commendare sanctitatem. Viris namque, vti dixit Chrysostomus, docere permittitur & viros & mulieres. Cæterùm mulieri domi tantùm exhortationis permittit verbum; nunquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omninò sermonem intendere. Vt adolescentulas moneant. Vides quantâ curâ connectit, & congregat populum, quomodo adolescentulas subiiciat mulieribus ætate prouectis? Tales sint anus, tamq; prudentes, vt adolescentulas docere possint, & prudentiam suam in ipsas refundere.

Chrysost. Hom. 4.

Quid verò docebunt anus? an fabulas aniles, an superstitiosas obseruationes? Vt viros suos ament: viro enim, vt exponit Aquinas, debetur amor. Hoc primum officium, & præcipua alligatæ fœminæ prudentia. Præcipuum enim illud est domesticæ pacis, vt loquitur Chrysostomus, ac bonorum omnium fundamentũ, si vxor viro per omnia consentiẽs sit. Nam vbi hoc fit, nihil triste cõtingere poterit. Quo pacto enim, cũ caput corpori connexũ, coniunctũq; sit, vlla ibi

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. 4.

ibi ſeditio, vlla diſſenſio poſſit exoriri. Neceſſariò profectò reliqua omnia in pace ſunt. Principibus namque pacatis, quis iam pacem diuidere poſſit, atque diſcindere? Quemadmodum è contra, his inuicem diſſentientibus, nihil ſalubre eſſe poterit, totaque ſimul nutabit familia. Nihil igitur hac re maius, nihilque magis neceſſarium: verùm præſtat id & pecuniis, & ingenuitati, atque potentiæ, & cæteris omnibus longè vtiliſſimum eſt. Neque enim ait ſimpliciter, in pace eſſe; ſed, amare viros. Ea quippe dilectionis eſt vis, vbicumque illius fragrantiæ odor aſpirat, nihil omninò triſte, nihil ingratum irrumpere poterit. Ex hac enim & reliqua oriuntur bona. Amor ille reuerentialis eſt potius quàm familiaris, quo mulier & virum diligit vt maritum, & metuit vt Dominum: ideoq; nihil admittit aut etiam permittit, quod offendat, aut etiam auertat. Porrò ſi viros ſuos amant, ſequitur vt filios ſuos diligāt. Quæ enim radicē diligit, ait ille, multò magis & fructus amatura eſt. Ita igitur Paulus. Benè docētes, vt prudentiā doceant adoleſcentulas: vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant. Si enim amantes virorum ſunt, erunt & amantes liberorum: ſed quia nonnullæ à viris læſæ, parùm gratæ ſunt liberis, vtramque partem ſeparat Apoſtolus, nec coniugalem duntaxat, ſed & naturalem amorem ſuſcitat. Amate viros, hoc prudentia ſuggerit: amate filios veſtros, ad hoc impellit & natura. Quia ad viros, (vt obſeruat Aquinas) eſt amor feruentior, ſed ad filios naturalior.

Amare maritum, prudentiæ eſt; filium, naturæ.

Chryſoſt. Ibidem.

Aquin. lect. 1.

Quoad ſe autem. Prudentes, caſtas, ſobrias. Tria enim ſunt in muliere, ſicut & in quouis homine, ratio, concupiſcentia, iraſcentia: ſed in mulieribus, maximè verò in iunioribus parùm viget ratio: vrget verò aut concupiſcentia, aut iraſcentia. Quoad primum ergo, vult Apoſtolus eſſe prudentes; quoad alterum, caſtas; quoad vltimum, ſobrias. Moderatè ſe gerant ac temperatè, nec vindictam expetant, nec iram effundant. Prudentes, Græcè σώφρονας, Temperantes. Si enim pudicè ſe gerent, viuent ſobriè, modumque & rebus imponent, & motibus frœnum iniicient. Sunt profectò nonnullæ prudentes fœminæ, ſunt piæ, ſunt ſobriæ. Hieremias, ait Hieronymus, carcere clauditur: & quia periturus Iſraël virum non receperat prophetantem Olda eis mulier ſuſcitatur. Sacerdotes & phariſæi crucifigunt filium Dei: & Maria Magdalene plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & ſuâ reſponſione condigna audit oracula. Ruth, & Heſter, & Iudith tantæ gloriæ ſunt, vt ſacris voluminibus nomina indiderint. Thecuites mulier Regem Dauid interrogatione concludit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. Legimus & aliam ſapientem fœminam, quæ cùm obſideretur ciuitas, & propter vnum perduellem Dux exercitûs Ioab muros ariete quateret, locuta eſt ad Populum in ſapientiâ ſuâ, & tantæ multitudinis periculum muliebri auctoritate ſedauit. Sint aliquæ prudentes, ſint & ſapientes: ſed & illæ in prudentiâ ſuâ ac ſapientiâ formidabiles, ideoque continendæ, ne per prauum affectum erumpant, & ipſum corrumpant Euangelium. Simon magus, ait ille, hæreſim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles, Philomenem ſuarum habuit doctrinarum. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius vt orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit: Donatus per Africam, vt infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Luciliæ opibus adiutus eſt. In Hiſpaniâ Agape Elpidium, mulier virum, cœcum cœca duxit in foueam. Bonorum certè capaces ſunt mulieres, ſed malorum feraces: idcircò frœnandæ, temperandæ.

Hieronym. epiſt. 140.

Mulieres bonorum malorumq; capaces.

Hieronym. ad Cteſiph.

Quoad alios, benigna eſſe debet mulier erga domeſticos, quorum cura illi demandata eſt; viro autem ſuo debet eſſe ſummiſſa, cuius permiſſa eſt imperio. Ita Raguel & Sara. Monuerunt filiam ſuam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere. Fœminæ, ſtudioſæ viri, domi ſedulæ, liminum cuſtodes, rerumque adminiſtratrices domeſticarum: & iſtâ domus curâ mites debent eſſe ac placidæ, nec domeſticis inſultantes vel oneroſæ, nec viris propriis obſtrepentes vel amaræ. Anus qualibet, inquit, (apud Chryſoſtomum) adoleſcentulam moderetur ac regat. Doceat amare viros: hinc namque, vt dixi, omnia proueniunt bona: etenim benignæ & curatrices domûs, ex charitate & amore viri facillimè fiunt. Subiectas propriis viris. Nempe enim quæ virum contemnit, etiam rei domeſticæ negligens erit: ex eâ autem dilectione viri etiam pudicitia naſcitur. Ex eâ charitate omnis contentio tollitur. Et ſi ille gentilis ſit, facillimè temperabit, & pronus ad redamandum erit. Si verò Chriſtianus, citò ad meliorem euadet frugem. Sic illa, quæ leonem accepit, & ouem reddidit; quæ perditū inuenit, & reduxit ad Chriſtum. Educata pudicè ac ſobriè, ait Auguſtinus, vbi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro, ſeruiuit velut Domino: & ſategit eum lucrari tibi Chriſte, loquens te illi, moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilē atque mirabilem viro. Erat ille ſicut beneuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus. Sed nouerat hæc non reſiſtere irato viro, non tantùm facto, ſed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuerat. O prudentiſſima mulierum, ô fœminarum optima! quæ maritum amabat, non patrimonium, quæ domum piè tractabat; cuiuis benigna, nulli importuna aut ingrata.

Tob. cap. 10.

Chryſoſt. Hom. 4.

Auguſtin. lib. 9. Confeſſ. cap. 9.

Monica patricium virū ſanctâ elucrata.

DOCVMENTVM IV.

De adoleſcentibus

PAucis rem agit Apoſtolus, nec tamen in paucis finem deſerit Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint. Statim? Reuera, ſi expendas omnia ferè adoleſcentum vitia ortum habere incrementumque ab intemperantiâ. Plurimum poteſt conſuetudo, ait Seneca, quæ ſi grauis eſt, alit vitium. Naturam quidem mutare, difficile eſt: nec licet ſemel mixta naſcentium elementa conuertere. Sed in hoc noſſe profuerit, vt calentibus ingeniis ſubtrahatur vinum:

Sen. lib. 2. de Irā. c. 20.

vinum: quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt: distendentur enim corpora, & animi cum corpore tumescent. Labor illos citrà lassitudinem exerceat: vt minuatur, non vt consumatur calor, nimiusque ille feruor despumet. Si saginentur, insolescunt; si teneantur, non adolescunt. Et quia non dissimilibus tantùm ista, sed contrariis curanda sunt, semper ei occurremus, quod increuerit. Plurimùm quidem proderit pueros statim salubriter institui: difficile tamen regimen est: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti obseruatione res indiget. Vtrumque enim, & quod extollendum, & quod deprimendum, similibus alitur: facilè autem attendentem similia decipiunt. Crescit licentiâ spiritus; seruitute comminuitur; assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur; sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter vtrumque regendus est, vt modò frænis vtatur, modò stimulis. Nihil illo regitur difficiliùs qui rectorem non patitur; nihil tam laboriosius illo ducitur, qui aduersùs ductorem connititur. Adolescentiam enim, vti dixit Ambrosius, & ipsam in exordiis iuuentutem variarum illecebris passionum feruere quis abnuat? Sed vbi maturior ætas accesserit, tanquam pubescentis lasciniæ tempestate discussâ tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassæ animæ nauigium subducere. Nihil ad impetum concitatius, nihil ad lapsum pronius adolescentia nostra, quæ metum excutit, tamq; cœca quàm temeraria, currit ad præcipitium. Ita Iob Deo: Quare apposuisti mihi adolescentiæ peccata: pulchrè, inquit Ambrosius, id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica esse consueuit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiæ iuuentus bonæ existimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. In tanto igitur confragoso & procelloso mundi huius turbine, cur tam crebra naufragia improuidæ adscribuntur ætati: vnde præclarè Dauid totius temporis eius veniam sibi à Domino postulauit, dicens: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris Domine: quia tunc maximè calor corporis feruet, & æstu sanguinis vaporantis ignescit.

Senec. cod. lib. cap. 21.

Adolescentia vitiis plurimum obnoxia.

Ambros. lib. 1. de Abel & Cain. cap. 3.

Ambros. lib. 1. de Interp. Iob. cap. 7.

Spectanda igitur Apostoli Pauli prudentia, quid dum duobus verbis temperantiam indicit, non solùm lasciuiam auertit, sed & omnibus vitiis intulit medicinam. Adolescentiores similiter hortare, vt sobrij sint. Vides, inquit Chrysostomus, quomodo vbique doctrinæ seruet decorem? Nam docendas mulieres mulieribus magnâ ex parte permisit, anus adolescentularum magistras esse constituens. Porrò virilis sexus instruendi curam omnem ipsi permittit. Nihil enim ita difficile, tamque durum ætati huic esse potest, vt superare noxias, ac mortiferas voluptates. Neque enim aut pecuniarum amor aut gloriæ studium, aut cuiuslibet rei alterius concupiscentia, ita hanc perturbat ætatem, sicuti corporum amor, væsanaque libi-

Chrysost. Hom. 4.

[A] do. Idcircò omnibus aliis omissis, circa id quod vrgebat magis plusque erat necessarium, versatur admonitio. Excessum inter & defectum temperat Apostolus, & vtrumque vitium abdicat: non subtrahit quod necessarium est, nec permittit superfluum. Sobrij sint ac temperantes, vt pudici sint ac continentes. Iusta sobrietas, vbi necessitas indulta, & recisa voluptas. Habes hoc in Apostolo; (ait Ambrosius) Sobrij estote iustè. Non solùm sobrios nos sed etiam iustè sobrios esse debere docuit. Etenim potest aliquis & sobrius esse, & non iustè sobrius; vt sobrius sit à vino, & non sit sobrius æquitate, [B] atque iustitiâ. Est enim crapula iniquitatis. Potest & aliquis ebrietati & luxuriæ semper indulgens, dum aliena tamen diripere conatur, eo occupatus studio sobrius esse à vino, & non sobrius à rapinâ, nec iste iustè sobrius. Ideò Apostolus admonet vt sit in nobis iusta sobrietas. Denique addidit: Et nolite peccare. Qui enim peccat, etsi sobrius sit, non potest tamen tanquam iustè sobrius prædicari. Meritoque addidit: Sobrij estote iustè, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent: vt sobrius ille sit qui non habet ignorantiam Dei, nec titubat ebrietate perfidiæ; iustè autem sobrius, in quo operum gratia cum fidei sobrietate res- [C] plendet. In nostris: Nolite seduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti. Sed ipse Græcè legit, ἐκνήψατε δικαίως. Sobrij estote iustè. Est enim temulentia erroris, sicut & furoris, quæ discutienda est per iustam sobrietatem, per cognitionem Dei, per abiectionem vitij, id est, per sanctitatem Christianam, perfectamque pietatem.

Ambros. octon. 10. in Psal. 118.

Iusta medicina indomitæ indicta adolescentiæ.

1. Corinth. cap. 15.

DOCVMENTVM V.

[D]

De seruis.

NEc istos omisit Paulus, aut neglexit; cur enim eos omittat aut negligat, quibus erudiendis, imò redimendis venit Christus, quibus non sermonem duntaxat impendit, sed & sanguinem? Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, erudiens nos. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Si redemit nos, si erudiit, non solùm cœci eramus, sed & serui cœcitatis vitio afflicti, iugo captiuitatis oppressi. Non inuidea- [E] mus, ait Ambrosius, de longinquâ regione remeantibus: quia & nos fuimus in regione longinquâ. Non insultemus iniquâ seruitute laborantibus, quia & nos indignâ captiuitate seruiuimus: qui enim facit peccatum, seruus est peccati: & quæ peior seruitus, quæ turpior, homini seruire, an libidini? Christus Iesus formam serui accepit, non Domini; ministerium elegit seruile, herile fugit imperium: pro liberandis venit seruis, id est, pro sanandis infirmis, idcircò & cum ipsis infirmatus est, cùm pro ipsis humiliatus. Non despexit Paulus humilem conditionem vilemve, imò & dilexit; nec ei dilectionē tantùmodo impendit, sed & honorem. Onesimus seruus erat, & seruus

Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 15.

fugitiuus: reduxit eum Paulus, & ad Christum reduxit: nec solùm tanquam fratrem fidelem, sed & tanquam socium habuit charissimum. Misi cum Onesimo charissimo & fideli fratre qui ex vobis est. Hic est Onesimus, ait Chrysostomus, de quo ad Philemonem scribens dicebat, Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere. Addit autem encomium ciuitatis, vt etiam gloriarentur, non solùm non afficerentur pudore, dicens, Quis est ex vobis. Sicut enim infirmioribus membris, abundantiorem circumdamus honorem; sic & vilioribus personis ampliorem Paulus reseruabat solicitudinem. Exactis namque dominorum, imò & Episcoporum officiis, redit ad seruos, quos & præceptis erudit vberioribus, & illustrioribus attollit titulis. Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos.

Chrysost. orat. 11. in epist. ad Coloss.

Serui à Paulo in pretio habiti.

Incipio ab vltimis verbis: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Grande eloquium, encomium illustre, ne ingenuis quidem concessum liberis-ve. Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus. Hoc encomio, ait Chrysostomus, nullum est maius. Quippe maius dixit, quàm Prophetæ. Iusserat adolescentulas, domûs curam gerere, benignas esse domesticis, propriis viris subditas. Ne verbum Dei blasphemetur. Hîc blasphemiam metuit, istic etiam promittit gloriam. Tamen & hoc mirandum, quod & sexui infirmiori, & viliori inhæreat conditioni, vt & Christi gloriam, & famam promoueat Euangelij. Vult fœminas curam habere domûs. Intuere, ait ille, Pauli summam conformitatem, ineffabilemque diligentiam. Is qui omnia gerit, & cuncta molitur, vt nos penitus à secularibus negotiis & tumultibus auferat, domesticæ rei magnam nunc ostendit curam, magnamque prouidentiam facit. Quippe eâ rite dispositâ, spiritualis quoque gratia locum habitura est: alioquin omnia simul intereunt. Ne verbum Dei, inquit, & doctrina blasphemetur. Vides vt principaliter prædicationis ei cura sit, non rerum secularium. Nam si contingat, vt fidelis mulier infideli viro coniuncta sit, & virtutis non deseruiat studiis, blasphemia protinus in Deum transmitti consueuit. Quòd si fuerit ornata virtutibus, prædicatio gloriæ incrementa conquirit ex merito illius, & earum, quæ ab illa gesta sunt rerum. Hoc certè non minimum est, sed maximum est, atque omnino mirabile, si conuersationis gratiâ, religio quoque admirationi infidelibus sit. Sed omnibus prouidit Apostolus. Præuidit enim duobus vel tribus modis à mulieribus peccari posse, & Euangelicam doctrinam ab infidelibus vtroque pulsari latere. Primò per enormem incuriam, hic defectus est: secundò, per tenacitatem nimiam, hic excessus: tertiò, per præsumptionem illicitam, hic abusus est: ideo vult Paulus sedulas esse, sed commodas, denique propriis viris subditas. Caput enim, vt Chrysostomus

Chrysost. Ibidem.

Chrysost. Hom. 4.

Fœmina tribus modis peccat in curâ domesticâ.

admonet, non tantum loco superat reliquum corpus, quantum curâ & prouidentiâ, vt quod ipsum regat ac dirigat tanquam gubernator. In capite enim & corporis & animæ sunt oculi. Illinc ad eos affluit vis perspiciendi, illinc vis regendi quæ tenet principatum. Et reliquum quidem corpus constituitur ad ministrandum: hoc verò collocatum fuit ad imperandum. Ita nos etiam imperamus mulieribus: eas vincimus; non quòd plus honoris quæramus, sed quod ipsæ à nobis maiori afficiantur beneficio. Si itaque mulieres, negligentes sint ac solutæ, si tenaces ac rigidæ, si viris sui inobsequentes & immorigeræ, & odium incurrunt publicum, & Euangelium maledictioni exponunt & execrationi.

Chrysost. orat. 5. in epist. 1. ad Thess.

Redeo ad seruos, minori quidem ditatos copiâ, sed maiori gloriâ cumulatos. Alij, ait Tertullianus, quos retrò ante hoc nomen (Christianum) vagos, viles, improbos nouerant, ex ipso denotant quo laudant: ita nomen emendationi imputatur. Vxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus eiecit. Filium iam subiectum pater retro patiens abdicauit. Seruum iam fidelem Dominus olim mitis ab oculis relegauit. Hæc tria sunt membra, vni, & in vnâ familiâ, subiecta capiti: sed os infidelis capitis obstruentia. Opprobrium est, quod sicut ex suspicione natum, sic & exconuersatione amputandum. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia iudicia tua suauia. Possunt quippe homines, vt exponit Augustinus, videre quod agimus, cuius autem rei contemplatione agimus occultum est: & ideò datur suspicionibus locus, vt audeat homo iudicare de occultis hominum, & falsa plerumque, & si vera, tamen ei incognita temerè suspicari. Hoc itaque opprobrium suum Propheta petebat auferri quod in se senserat, & in aliis fuerat suspicatus. Vnde cum dixisset, Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, addidit, Quia iudicia tua suauia, id est, iudicia tua vera. Veritatis enim amator, suaue clamabat esse quod verum est. Hominum autem iudicia de occultis hominum non suauia, quia temeraria. Petebat igitur auferri, vt non esset diabolo similis, qui de occultis sancti Iob suspicatus est. Sed cum libenter alterius opprobrium non nisi æmulatio suspicetur, dum bonum opus reprehendi non potest, quia se exerit quod apertum est, & quo fine fiat semper reprehenditur, quia non se exerit quod occultum est: atque ita malè suspicari non debet quilibet non videndo quod latet, & non inuidendo quod eminet: profectò contra hoc malum quo quisque libenter de homine malum quod non prospicit suspicatur, charitas habenda est, quæ non æmulatur. Duo ergo ista sunt componenda imò disiungenda: æmulatio, quæ ex genio diaboli, ideoque semper bonis inuida: dilectio, quæ ex præcepto Dei, ideoque malis etiam bona. Illa clausis oculis in odium impingit, & dum bonum alicui reddit testimonium, eo quod adiungit ignoranter, imprudenter corrumpit: dum enim crimen non tam nomini imputant quàm emendationi, spem omnem frugis melioris amputant. Tanti non est bonum, ait Tertullianus, quanti est odium. Ista verò oculis minimè liuidis malignis-ve, sed æquis ac benignis

Tertullian. c. 3. Apolog.

Augustin. serm. 12. in Psal. 118. vlt med.

Opprobrium æmulationi & suspicioni obnoxium.

Tertul. cap. 3. Apol.

benignis bonum inspicit manifestum, occultum credit. Cum sit iustius, ait ille; occulta de manifestis præiudicare, quàm manifesta de occultis prædamnare.

Quid porrò seruos docebit Apostolus? Docebit esse morigeros, fideles in omnibus, non sermonibus contradicentes aut gestibus. Quid promoueant alij; si doceant seruos fideles esse arbitros infideles, iudices iniquos, contumaces, fraudatores? O viros excellentes, socios furum, dignos iniquarum cogitationum iudices; qui non solùm Ecclesiam faciant latronum speluncam, sed & quamvis familiam, prædonum turbam ac manticulariorum? qui conscientiæ secreta peruadant, & Christianæ nesciant rudimenta scientiæ. Seruus erat infidelis, quia ethnicus; factus est fidelis, quia Christianus. Bonus vir, tantùm quòd Christianus. O gloriosam exprobrationem! ô præclaram exceptionem. Antea fur erat, furtum enim serui vitium: sed ex quo conuersus ad fidem, non solùm non rapuit alienum, sed & reliquit suum. Vin tu ergo peruerti, & ad infidelitatem reuerti, simul & ad rapacitatem. O insignem doctorem! ô spectabilem noui Euangelij plantatorem, qui euertat potius quàm conuertat; qui destruat, non instruat. Audi saltem Paulum Apostolum, vel si tandem illum non abiicis. Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Vbi fraudare, Græcè νοσφίζεσθαι est de rebus dominorum aliquid furtim clamque subducere, cum non possis aut non ausis totum tollere. Carpit Paulus sic facientes, opponitq; Fidem bonam in omnibus ostendentes. Seu, vt ex Græcis. Fidem omnem bonam ostendentes. Sicut enim illi, disciplinam infamant Euangelij; sic & isti, Christi Iesu doctrinam exornant. Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Hæc quippe doctrina non transitionibus Ciceronianis, aut putidis declamationibus, sed probis moribus exornanda. Nam si manum non contineas, ait Chrysostomus, quâ ratione admirabitur is qui gentilis est, nostræ fidei dogma? Neque enim ex verbis dogmata, verùm ex ipsis rebus, atque vitâ gentiles iudicare consueuerunt. Non contradicentes, inquit, neque fraudantes. Id est, profectò & magnam in his rebus, quæ sibi creditæ fuerint, beneuolentiam ostendere, atque aduersum dominos eximia bonitate præstare. Magnum reuera diuinæ religionis, & Christianæ veritatis, seu probæ institutionis argumentum, magnum veræ pietatis ornamentum: seruos malo fato natos, natiuo genio inquinatos, fures, peruicaces; nullâ excultos disciplinâ, solâ præuentos gratia, fidem in omnibus bonam ostendere, veram pietatem non tam verbis quàm factis probare: dominorum oculos ad conscientiam sanctitatis, animos omnium ad veritatis notitiam impellere.

Tertullian. Ibidem.

Doctrina Christiana non ethnicis floribus, sed probis moribus exornanda.

Chrysost. Hom. 4.

DOCVMENTVM VI.

De prælatis.

AB hoc documento ingressus est Apostolus. Tu autem loquere quæ decent sanam A doctrinam. Ex hoc prosecutus. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum: in doctrinâ, in integritate, in grauitate: verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. In hoc desiit & absoluit. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Adeò totum caput his contextum est, suffultumque. Adeò in prælatis tria sunt necessaria. Primum est, doctrina sana: alterum, vita integra: tertium, imperium, moribus Christianis, seu veris virtutibus commendatum.

B Quoad primum. Non ego dico, sed Dominus. Quoniam enim sunt, pastores (verba Augustini) qui pastorum nomine gaudere volunt Pastorum autem officium implere nolunt; quid ad eos per Prophetam dicat, recenseamus. Audite cum intentione, audite cum tremore: Hæc dicit Dominus Deus, væ Pastoribus Israël, qui pascunt se solos! Nunquid oues pascunt Pastores. Id est, non se pascunt Pastores, sed oues. Hæc prima causa est, quare arguantur Pastores isti: quia seipsos pascunt, non oues. Terribilis admonitio Domini, ineuitabilis expectatio iudicij: Væ Pastoribus Israël. Nam, vti dixit C Chrysostomus, quæ agenda sunt, alia sunt in nostrâ potestate, alia non. Et ea quæ imperans Dominus dicit, non in nostrâ potestate sunt: quæ verò permittit, in nostrum ius cadunt: puta si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: hoc iam imperium est: & eum qui præuaricatus fuerit, necesse est suppliciis subdi. Cum verò dicit: Si vis perfectus esse, vende substantias tuas: iam non imperantis vtitur voce: quippe auditorem exequendorum constituit dominum, & quæ agenda sunt, in eius arbitrio ac voluntate constituit. Hæc enim & facere, & omittere in nostrâ potestate est: cæterum quæ imperantur, omittere nobis minimè D tutum est: sed necessariò aut ea facienda sunt, aut si non fecerimus, nobis supplicium imminet. Manifestauit, inquit Paulus, verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi, secundùm imperium, Si secundùm imperium, igitur non iam ego huiusce rei sum dominus, quippe imperium impleo. Hoc & alio in loco insinuat, cum dicit: Necessitas enim mihi incumbit, Væ autem mihi est, si non Euangelizauero. Quid autem hoc sibi velit, apertius eloquar, vt euidens omnibus fiat. In quidem cui Ecclesiæ principatus est creditus, quique dignitate Episcopatus ornatus est, nisi populo quæ agenda sunt, dictet, non erit innoxius. Sed duo præcepta sunt simul concurrunt, E & grauiorem imponunt necessitatem. Primum est, loquendi; alterum, sanam loquendi doctrinam. Alij loquantur quæ placent, aut quæ vanam seculi decent sapientiam. Tu autem loquere, crimen enim Antistitem in Ecclesiâ positum esse, tanquam vigilem in speculâ, & irruentibus inimicis, imò hostibus iam proximis, mutum remanere. Tu loquere, non placentia, sed sanam Christi doctrinam decentia. Quot enim qui prædicant doctrinam Christi, & sanam non prædicant; sed potius interpolant, & aberrationes animi euagationésque pro Dei verbo & Euangelio Christi venditant? Sana autem illa doctrina in duobus consistit: in iis quæ cre-

Augustin. lib. de Pastorib. cap. 1.

Chrysost. Hom. 1.

Quid consilij, liberum est, quod præceptum, necessarium.

denda sunt, secundùm regulam à Christo traditam: & in eis quæ agenda sunt, secundùm disciplinam ab æuo seruatam. Propter hoc, ait Augustinus, ad nos quidem pertinet non tacere: ad vos autem, si taceamus, de scripturis sanctis verba Pastoris audire. Quid est, Ad nos? Pastores scilicet & Antistites, præpositos ac Prælatos. Nostrûm est loqui, sed sanam doctrinam, id est, de scripturis sanctis expressam; quibus scilicet loquitur Princeps Pastorum, quibusque, silentibus etiam malis mutisve Pastoribus, vera doctrina, non auribus tantùm, sed & mentibus illabitur.

Augustin. lib. de Pastorib. cap. 9.

Quoad secundum. Bona est doctrina, cum sana; sed deficit, aut parum efficit, si vita Doctoris Pastoris-ve non est in totum integra. Vbi enim discipulus verbis quidem viderit Philosophantem, secum dicet, ea quæ fieri non possunt, magister iste præcipit, idque ipse primus ostendit, qui ea non facit. Sin autem viderit factis ipsis expressam, non habebit amplius cur ista dicat. Prælati sunt Philosophi, non tam verbis quàm factis; nec grandia dicunt, sed faciunt. Quid Christus, cuius illi Ministri sunt ac Vicarij? Nunquid cœpit facere & docere, nonne quod sermone præcepit; compleuit opere? Optimi medici more, ait ille, parat pretiosa pharmaca, eaque primus gustat. Virtutem enim ipse primus obiuit, ac deinceps nobis tradidit. O quanti, qui non fuissent de numero damnatorum, si non fuissent de numero Prælatorum! Sunt enim multi Christiani, & non præpositi (ita Augustinus) qui perueniunt ad Deum, faciliore fortasse itinere; & tanto fortè expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Cum verò præpositi ad hoc sint, vt his qui subiecti sunt, consulant, non in eo quod præsunt, omninò vtilitatem suam attendant, sed eorum quibus Ministrant. Prælatus, sibi quidem Christianus est; alteri autem præpositus: & hoc mirum, quòd superior sit, inquantum prior, & inferiori sit obnoxius: non enim officium otio, sed iusto negotio dedicatum est, expositumque periculo; nec in honore positum, sed in opere. Multa dicit Paulus, sed plura facit. Intuere quæso, ait Chrysostomus, animam omni inuidia liberam, & omnibus in locis discipulorum vtilitati consulentem; nec satis curantem, siue id per se siue per alium fiat. Nam ea quidem, in quibus periculi plurimum & difficultatis erat, præsens ipse peragebat: quæ verò honoris magis, quàm laboris habebant, locum discipulo permittebat, Episcoporum scilicet ordinationes, & cætera talia, quæ aliquâ correctione indigebant, atque, vt ita dixerim, perfectione maiore. Reliquit te Cretæ, inquit, vt quæ deerant supercorrigeres, & constitueres per ciuitates presbyteros. Quid istud, oro, sibi vult? Num ipse quæ egeras, correctione opus habent? An verò non eam rem turpem esse arbitraris, & tibi verecundiam ferre? Minimè sanè, nam commune tantùm intueor lucrum: id siue per me, siue per alterum fiat, nihil mea interest: ita prorsus Pastorem affici necesse est, nec honorem proprium quærere, sed communem vtilitatem prosequi debet. Neque profectò volebat, insulam totam vni viro permitti: sed vnicuique propriam curam ac solicitudinem indici: ita enim sciebat subditos maiori diligentiâ gubernandos, siquidem doctor non multarum Ecclesiarum regimine distraheretur, sed vni tantùm regendæ vacaret, eamque componere moribus atque ornare studeret. Quod ergo facit, hoc & ipse discipulo suo præcipit. In omnibus teipsum præbe formam bonorum operum. Sit omnibus doctrina, (ita ille exponit) exemplarque virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quædam imago, omnia in se habens quæ bona atque honesta sunt: quæ magna volentibus imitari exempla semper præbere parata sit.

Chrysost. in Morali digress. serm. 11. in epist. ad Philippens.

Chrysost. dig. mo. sermon. 11. in ep. ad Philip.

Augustin. lib. de Past. cap. 1.

Chrysost. Hom. 2.

Prælatus subditis suis est obnoxius.

Chrysost. Hom. 4.

Quoad tertium. Prælatus non solùm eloquio pollere debet, vt suos instruat; sed & imperio præstare, vt malos arguat puniatque. Rectores enim, vt obseruat Aquinas, tripliciter debent se habere ad mala. Primò, vt ea cordè odio habeant: secundò, vt prohibeant ea ne fiant: tertiò, vt facta puniant. Rector enim ad tria vtilis est: vt sustentet per potentiam, dirigat per sapientiam, cohibeat per iustitiam. Denique, tres sunt Epistolæ, secundùm tria quæ competunt Prælato; quorum primum est, vt gubernet populum: secundũ, vt pro populo subdito patiatur: tertium, vt malos coerceat. Primum, in primâ ad Timotheum: secundum, in secundâ, vbi agit de martyrio: tertium, in Epstolâ ad Titum. Audi quid scribat ad Titum. Hæc loquere, & exhortare: & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Loquere, quæ credenda sunt: exhortare ad ea quæ agenda sunt: & si qui contradicunt, si qui peruicaces sunt, ceruicosi, rebelles, argue confidenter, acriter reprehende: cum Episcopali grauitate, cum omni auctoritate. Ita non solùm compellit ad loquendum, sed & modum imponit. In doctrinâ, in integritate, in grauitate: verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. Qualis enim auctoritas, vbi grauitas deest, aut integritas? Qualis libertas, vbi ille qui reprehendit reprehendendus est, qui arguit, risui & contemptui est expositus. Nemo te contemnat. Si enim, quis inueniat in te quod contemnat; facile etiam doctrinam, contemnet, & per vitam arguet disciplinam. Si autem imperium tuum moribus Christianis, & veris suffulcieris virtutibus, nemo te iure contemnet, quia nihil in sermone aut opere, quod arrodat, aut despiciat, inueniet. Nam cùm & vita clarueris, ait Chrysostomus, & sermo conueniens fuerit, modestus, mansuetus, ac placidus, nihilque aduersarios læserit, magnum inde atque ineffabile conquiritur emolumentum. Magna igitur huiusce ministerij vtilitas, cum ex ore prædicatoris verbum resonat, non qualecumque, sed probatum atque irreprehensibile, & quod nullam vllâ ex parte volentibus præstet occasionem. Certè Paulus, maximè contemptui cauet, dum studet auctoritati. Quod enim Tito dicit, Nemo te contemnat. Dixit Timotheo. Nemo adolescentiam tuam contemnat. Perdit enim loquendi fiduciam, qui contemptum & risum incurrit; perdit imperium arguendi coërcendique, qui doctrinam infringit per vitam: qui ostentat auctoritatem, integritatem abnegat.

Aquin. prol. in epist. 1. ad Timoth.

Eius vilis doctrina, cuius vita contemptibilis.

Chrysost. Hom. 4.

An Timotheus ob iuuentutem feruentior esset; & ideo fræno continendus patientiæ: Titus

Titus verò ob senectutem, remissior, ideoque acrimoniæ stimulo concitandus: potest conijci. An vtriusque ingenium pigrius ac lentius, & idcircò auctoritatis cote acuendum, imò & pungendum acumine seueritatis: dici potest, potest & contradici. Per Titum namque ac Timotheum omnibus Prælatis scribit Apostolus, & omnibus consulit Christianis. Tria certa sunt. Primum est quibusdam lenitatem seruandam ob infirmitatem humanam, quibusdam demonstrandam seueritatem ob peruersitatem inolitam. Alterum, ad hoc auctoritatem necessariam esse, loquendi agendique libertatem requisitam. Tertium, regnum illud seu imperium non tam humano fastu, vel apparatu mundano exstrui, quàm destrui. Qui enim fruitur honore mortali, (verba sunt Chrysostomi) ingentemque ab hominibus consequitur gloriam: præter id quòd maioribus debitis obnoxius fit, reusque honoris ab omnibus præstiti: in arrogantiæ sæpe tumorem atque inanem gloriam tollitur, efficiturque hominum seruus. Deinde cum huiusmodi dominatus increuerit, plurima iam agere cogitur, quæ non vult. Scientes igitur aliud illo esse præstantius, longéque plura nobis conferre, non quæramus honores: imò eos cum oblati fuerint, repellamus, & abiiciamus à nobis, & huiusmodi concupiscentiam extinguere modis omnibus studeamus. Ita nos & ad Principes, & ad subditos dicimus. Anima omnis quæ honoris tenetur appetitu, & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cœlorum regnum. Non mea hæc ratio est, à meipso ista non loquor. Hæc verba Dei spiritus profert. Non videbit gloriam Dei, qui huiusmodi est, etiamsi virtutis opus exerceat: Receperunt enim ait, mercedem suam. Qui igitur ista non ceperit, consequenter cœlorum fruetur regno. Non prohibeo gloriam appeti: sed illa volo ambiatur gloria, quæ vera est, quæ ex Deo est. In occulto, abditoque religiosus, timoratusque persistens, non tibi inanem fastum, serpentinamque simulationem. Nihil profectò humana gloria vilius, nihil abiectius. Non enim vera, sed vana; non naturalis, sed inanis est. Minima sanctitatis vel austeritatis vncia titulis omnibus præponderat: vel ipsa virtutis larua, cunctis præstat vanitatis repræsentationibus. Quid ergo si Prælati etiam religiosi sibi honorem assumunt, si seipsos pascunt aut solos aut primos, si sermone incandescunt, ope deficiunt. Si cæci sunt, non sint duces cœcorum: si Doctores sunt, non sint religiosorum ductores: sed ille sit ductor verus, qui bonus est Pastor. Nam vt dixit Augustinus, Deus non deserit oues suas: & mali Pastores pœnas debitas luent, & oues promissa percipient. Quid ab illis disces, imò quid non ab illis exiges; qui fastu turgent auctoritatis, actu silent humilitatis? Non habes Doctorem virtute præditum? (ait Chrysostomus) sed habes eum, qui verè Doctor est, quem etiam solum Doctorem appellare oportet. Ab illo disce. Ille dixit, Discite à me, quia sum mitis: non obserues magistrum istum, sed illum, illiusque disciplinas. Inde typum cape: habes effigiem optimam, ad quam te ipse componas. Ibi vitia tua non videbis: imò quantum religiosus, non solùm æquaberis in totũ, sed & in immensum superaberis.

Chrysost. Hom. 2.

Qui honorem quærit, in tumorem incidit, reusque fit reuerentiæ præstitæ.

Augustin. lib. de Pastorib. cap. 1.

Chrysost. digel. Mor. serm. 12. in epist. ad Philip.

A

DOCVMENTVM VII.

De fine redemptionis.

NOn solùm dixit Paulus, populum acceptabilem, seu peculiarem, præclarum, specialem, prætiosum. Sed &, Sectatorem bonorum operum. Seu, vt habet textus Ambrosianus: Æmulatorem. Est enim in Græco ζηλωτήν. Piis incumbentem operibus, veris studentem virtutibus. Vides, ait Chrysostomus, vt non simpliciter à nobis opera virtutis exigantur? B Addidit nempe, Sectatorem, hoc est, magnâ cum alacritate, atque ingenti studio & animo virtutis opera capessentem, quâ in re vehementia quædam ad sit necesse est omninò laudabilis. Nam eos quidem, qui malis pressi sunt, atque desperabiliter languent, eripere, illius benignitatis est proprium: quæ verò sequuntur opera, profectusque virtutis, nostra simul atque illius sunt. Video multos æmulatores, sed doleo malos æmulatores: quibus illud Isaiæ dici potest. Numquid vobis parùm est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo. Non enim illis sat est tumultuari aduersùs homines, veritatis amatores, sectatores pietatis: sed & solentes, imò insolentes C causari aduersùs Deum, quasi in iustum: vt qui non det quod debet. Proh miseri trutinatores, & disputatores importuni! Si daret Deus quod debet, dilataret infernus os suum, & omnes raperet. Nihil enim peccatori debet Deus nisi supplicium: redditque quod promisit: non tamen ad tuum, sed ad suum promisit arbitrium. Quàm molesti, imò quàm iniusti, qui semper decernunt quid debeat Deus, cùm nihil debeat alteri sed sibi; non enim accipiendo, sed disponendo: nunquam inquirunt, quid debeat homo, cum nihil non debeat Deo, nihilque de suo nisi insaniam habeat & arrogantiam. Eia, fratres, (ait Augustinus) redite ad vos, inspicite vos, interrogate vos, vera respondete D vobis; & iudicate vos non secundùm personam, sed iustum iudicium iudicate. Ecce Christianus es, Ecclesiam frequentas, verbum Dei audis, de lectione verbi Dei lætissimè commoueris. Tu laudas tractantem, ego quæro facientem. Ecce hoc quod propono, in eo te examina, in eo te appende, in eo ascende mentis tuæ tribunal, & constitue te ante te, & iudica te: & si prauum inueneris, corrige te. Examina te, iudica te: sed parce Deo, Christo ignosce.

Chrysost. Hom. 5.

Deus nihil debet alteri, homo illi nihil non debet.

Augustin. serm. 19. de verb. Apost. cap 6.

Primum præceptum legis de colendo vno Deo est. Secundum præceptum, ait Augustinus, Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Qui enim accipit nomen Domini Dei E sui in vanum, non mundabitur. Nomen Domini Dei nostri Iesu Christi veritas est, ipse enim dixit, Ego sum veritas. Veritas ergo mundat, vanitas inquinat: & quoniam qui loquitur veritatem, de Deo loquitur, qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur: veritatem loqui, est rationabiliter loqui; vanitatem autem loqui, strepere potius est quàm loqui: meritò secundum præceptum est dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis. Huic præcepto secundo contrariam videte plagam secundam. Quæ est illa secunda plaga? Ranarum abundantia.

Augustin. serm. de Decal. cap. 2. in Fragm. 2.

Quanta ranarũ Ægypti acarum plaga.

dantia. Habes expressam significatam vanitatem, si attendas ranarum loquacitatem. Vide amatores veritatis non accipientes in vanum nomen Domini Dei sui, loqui sapientiam inter perfectos, etiam inter imperfectos. Non quidem loqui quod capere non possunt, non tamen recedere à veritate, & pergere in vanitatem. Nolo perstrepentes inaniter, sed rationabiliter loquentes; non secundùm præsumptionem humanam, sed secundùm diuinam Philosophantes rationem; quæ in medullâ est, & plerumque manifestis notisque æmula. Præstat quærere, quantum adiuuat Dominus, (verba sunt Augustini) & illo aperiente intrare, & illo donante inuenire: quid sit quod ait, Neget se. Quomodo negat se, qui amat se? Ita verò rationis est, sed humanæ, qui amat se. Sed dicit Deus homini. Neget se, si amat se. Amando enim se, perdit se: negando se, inuenit se. Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Iussit qui nouit quid iubeat, quia scit consulere qui potuit instruere; & nouit reparare, qui dignatus est creare. Sollicitat homo prouidentiam diuinam, suamque nec curat nec procurat iustitiam: cum prouidentia suscipienda sit, & quærenda iustitia, Christianæ studendum virtuti, occurrendum morti secundæ. Quæ si nolis, ait Augustinus, ideò non erit; quia illud, vnde te ab istâ morte redimes, si volueris, erit. Iustitiam voluntas impetrat à Domino, & bibit illam tanquam de fonte suo. Ad quem fontem nullus prohibetur accedere, si dignus accedit. Quid blasphemas diuinam æquitatem, & non accusas propriam indignitatem, innatam iniquitatem, insulsam vanitatem, quæ semper obstrepit, & insurgit aduersus veritatem, non loquendo, sed obloquendo. Voluntas impetrat iustitiam à Domino, non loquacitas, quæ vindictam & plagam reportat à Domino.

Augustin serm. 29. ex nouis post init.

Augustin. serm. 31. ex nouis vlt. mod.

Vis ergo scire finem redemptionis, Saluatoris intentionem deprehendere? Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos: vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Vis ad vitam peruenire, vis possidere gloriam? ne sis de æternâ sollicitus prouidentiâ, & in pluribus Dei operibus ne sis curiosus: sed attende tibi, & stude virtuti: salua enim tibi tua sunt munera, sed explenda sunt æquitatis Christianæ pietatis officia. Non tamen implentur aut promouentur, si arguté disseramus de tãto negotio, sed si sobriè, & iustè, & piè in hoc viuamus seculo. Dicit ergo Paulus, Vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, quia omnia peccata vel consistunt in his, quæ sunt directè contrà Deum, quæ dicuntur peccata impietatis. Pietas enim propriè est secundùm quam colimus parentes & patriam. Sed quia Deus est principalis Pater, ideo pertinet ad cultum Dei pietas. Vel consistunt in abusu temporalium, & hæc sunt secularia desideria. Est autem seculum spatium mensurans periodum rerum. Vnde per secularia intelliguntur res seculares, & omnia peccata, quæ in proximum committuntur, vel in se, per earum abusum. Deinde cum dicit, Sobriè, iustè piè, ostendit quid boni faciamus: & dicit sobriè, quantum ad se; iustè, ad proximum; piè, ad Deum. Vult ergo omnia arceri corruptæ naturæ pec-

Aquin. lect. 3.

Arcẽda peccata, & opera bona sunt exercenda.

A cata & omnia exerceri disciplinæ Christianæ officia. Vult vt immutetur vita mala, &, In Domino laudetur anima bona: quo, (vt loquitur Augustinus) possidente fit bona, quo inspirante viget, quo illuminante fulget, quo formante pulchra, quo implente fœcunda est. Hoc enim deserente, quondam mortua, tenebrosa, deformis, sterilis fluctuabat, antequam credidisset in Christum. Quid enim & pagano procedat eloquentia, quâ tanquam poculo pretioso & bibebat mortiferos, & propinabat errores? Cum autem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei: mundauit eum credentem sibi à B secularibus cupiditatibus, & fecit vos in honorem vtile domui suæ, ad omne opus bonum paratum.

Augustin. serm. 116. de diuers. cap. 2.

Vis argumentum? Ecce, ait Chrysostomus, virtutis totius argumentum. Non ait Paulus: vt abnegemus: sed, vt abnegantes. Abnegatio quippe huiusmodi magnam distantiam indicat, ingens interuallum, plurimam execrationem: vt videlicet quanto studio idola auersamur, cum tanto secularia itidem desideria fugiamus. Et hæc enim idola nuncupauit, quippe auaritiam idolorum seruitutem esse dixit: & quæque in præsenti seculo vtilia esse videntur, secularia C desideria sunt: quæque item in hoc seculo deficiunt, atque dilabuntur, secularia desideria sunt. Nihil igitur nobis sit commune cum seculo. Venit enim Christus vt abnegemus impietatem, peruersa scilicet dogmata; & secularia desideria, hoc est scelestam atque improbam vitam. Sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo. Vides quòd sobrietas non modò abstinentiam fornicationis indicat, verùm perturbationum quoque reliquarum: qui enim pecunias amat, non est sobrius. Temperantiam exigit in omnibus seu rebus seu affectibus, regulamq; imponit tã necessariam vitæ, quàm & gratiæ congruam. Filius Dei apparuit, ait Bernardus, vt nos adiuuaret & erudiret: quod po-D test, quia est virtus Patris & sapientia. Virtus adiuuat, sapientia erudit & informat. Infirmitati auxilium est necessarium. Cæcitas eruditione indiget & doctrinâ. Erudiuit sanè faciens abnegare impietatem & sæcularia desideria, vt sobriè, & iustè, & piè viuamus. Impietas erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Deum enim sicut pium est colere, sic impium est abnegare. Secularia desideria sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ: quæ trahunt & inclinant ad amorem, seculi. Istis abnegatis viuit homo sobriè, refrænas concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Postquam verò incipit E esse sobrius, contrà duplicem ebrietatem, duplicem ponit sobrietatem. Ebrietas exterior, voluptatum effusio; interior, curiositatum occupatio. Econtra, sobrietas exterior, voluptatum refrænatio; interior, curiositatum exclusio. Ita viuit homo sobriè, quantum ad seipsum; iustè, quantum ad proximum; piè, quantum ad Deum. Innocentia quippe iustitiam inchoat, beneficentia consummat. Pietas est & in duobus: vt de nobis non præsumamus, sed in Deo perfectè confidamus: vt per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non est diffidendum, sed securè & fiducialiter est agendum.

Chrysost. Hom. 5.

Secularia desideria, velut idola sunt fugienda.

Bernard. serm 11. ex paruis & variis.

DOCV

DOCVMENTVM VIII.

De ratione expectationis.

ADhuc sumus in spe, nondum in re, adhuc expectamus, adhuc suspiramus. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Intuere obsecro, ait Chrysostomus, vt virtutem prœmiis iungat. Etenim illud est gratiæ, cum à secularibus cupiditatibus liberamur, atque in cœlum digni subuehimur. Duos autem in hoc loco Paulus ostendit aduentus: duo enim reuera sunt: gratiæ prior, sequens verò retributionis & iustitiæ. Quænam enim est spes? quod laborum prœmium? Expectantes, inquit, beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei. Reuera nihil illâ felicius, nihil beatius, nihil cui maiori studio studendum sit. Et hæc quidem sermo nullus explicare sufficeret: exuperant enim mentem, atque omnem intelligentiam nostram. Magnus quippe in Deo cum dicitur, non relatiuè ad aliquid, sed absolutè omninò dicitur magnus, post quem magnus ritè nemo dicitur. Duæ sunt apparitiones: prima in gratia. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri. Altera apparitio. Græcè ἐπιφάνεια, in gloriâ. Et aduentum gloriæ. Græcè ἐπιφάνειαν. Prima in infirmitate, vtpote in diebus carnis: idcircò maiestatem cælat, & humanitatem demonstrat. Ipse tibi Saluator tuus, ait Augustinus, quamuis in carne Deus, quamuis cum carne Deus, humanum tamen demonstrauit affectum. Nouerat quòd calix transire non poterat: ad eum bibendum venerat. Voluntate, non necessitate, bibendus ille calix. Omnipotens erat: si vellet, vtique transiret; quia Deus cum patre, & ipse & Deus pater vnus Deus. Sed ex formâ serui, ex eo quod suscepit ex te pro te, vocem hominis, vocem carnis emisit. Altera in potestate, quia in splendoribus claritatis, ideò humanitatem dissimulat, & manifestat diuinitatem. In primo aduentu, nihil non humile, quia iudicari venerat non iudicare, ministrare non ministrarij: in secundo aduentu, nihil non sublime, quia aderit solenniter iudicaturus, mirabiliter, imò incomparabiliter gloriosus apparebit. Viderunt omnes primum & boni & mali, sed illi vt crederent, isti vt contradicerent. Secundum videbunt omnes & mali & boni, sed illi vt iudicium reportent, isti vt cumulent gaudium. Expectant gloriam illam quam sperant, tanquam collatæ cumulum gratiæ, tanquam vltimum bonorum actionum prœmium.

Chrysost. Hom. 5.

Augustin serm. 31. ex nouis post init.

In prima Christi apparitione, nihil non humile, in secunda, nihil non sublime.

Apparuit Christus erudiens nos. De duobus autem, ait Aquinas, erudiuit nos: quia duo sunt necessaria homini: scilicet bonum opus, & recta intentio. Vbinam opus? Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Tres quippe sunt vitæ Christianæ partes, quibus virtutis exercetur disciplina, imò perfectionis summa continetur. Per temperantiam quippe corpus immolatur Deo, per beneficentiam quod extus est consecratur, per fiduciam anima ipsa, id est homo integer & totus, id est, & quod est, &

Aquin. lect. 3.

A quod suum est, dedicatur. Per sobrietatem domatur concupiscentia carnis, per iustitiam concupiscentiam refrœnatur oculorum; per pietatem, vitæ superbia conculcatur. Ideò præmisit resecanda esse secularia, id est vitia omnia rescindenda, vt virtutibus locum darent, nullumque iustis ac piis operibus facerent negotium. Ieiunium enim magnum & generale est, vti dixit Augustinus, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium: vt abnegantes impietatem & seculares cupiditates, temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Huic autem ieiunio quam mercedem addit Apostolus?
B Sequitur & dicit: Expectantes beatam spem, & manifestationem gloriæ beati Dei, & Saluatoris nostri, Iesu Christi. In illâ spe, cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium. Non tanquam salutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & felicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat. Ostendit igitur non solùm quid agendum sit, sed & quomodo agendum sit, quò tendendum sit Christiano, quonam scopo concurrendum sit. Sicut enim qui præcesserunt primum Christi aduentum, ad hoc ipsum votis conspirabant animisque, vt diem illum viderent, Saluatoremque cernerent incarnatum:
C sic & qui subsecuti sunt, ad hoc vnum collimant, vt iudicem securi venientem suscipiant, Christum cernant sed gloriosum, & eandem hæreditatem percipiant. Sunt enim homines, vt dixit Augustinus, qui cum patientiâ moriuntur: sunt autem quidam perfecti qui cum patientiâ viuunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolui & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur. Ergo, fratres, date operam, intus agite vobiscum, vt desideretis diem iudicij; aliter non probatur
D perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfectâ atque sincerâ.

Augustin. Tract. 17. in Ioan. circ. med.

Christiani in aduentum gloriosum intenti.

Augustin. Tract. 9. in Ioan. circ. med.

Omnes quidem Christiani petunt secundum Christi aduentum, sed plures nesciunt quid petunt: soli iusti ac perfecti intelligunt, quia hoc ipsum quod petunt, diligunt, ideoque non solis verbis, sed & votis petunt ac desideriis. Cum cœperit, ait ille desiderare venientem Christum casta anima, habet iam fiduciam in die iudicij: non contra se pugnat, quando orat & dicit, Veniat regnum tuum. Qui enim timet
E ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiduciâ charitatis, optat iam vt veniat. Ita Paulus de illo Dei & Christi regno prolocutus: statim animum succendit, acuitque desiderium, sed iustorum, sed perfectorum. Euigilate iusti, & nolite peccare. Seu, vt legit Augustinus: Sobrij estote, & iusti, & nolite peccare. Ex Græco. Sobrij estote iustè. Qui sobrij sunt, facilè vigilant, intenti prospectant, & securè Christum Dominum expectant venturum,

Augustin. Ibidem.

Augustin. epist. 137.

rurum. Verùm non id ſolum præſtandum eſt, ſed iuſtè ac piè præſtandum. In primo enim actio eſt; in altero, intentio: in illo, virtutis officium; in iſto, complementum perfectionis. Sobriè, & iuſtè, & piè, viuamus in hoc ſeculo: expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & faceret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vt enim indicaret Paulus, quinam efficaciter redempti, quinam in populum acceptabilem, ſeu ſpecialem illorum cœtum electi, qui promiſſam expectant felicitatem, & ad æternam aſpirant hæreditatem: addidit, Sectatorem bonorum operum. Non dixit patratorem, ſed ſectatorem: multi enim faciunt, ſed ex neceſſitate potius quàm ex pietate ac charitate: pro officio potius faciunt, quàm ex animo & ſtudio. Ij namque ſunt, quibus, Vulnera ſua, (vt ediſſerit Auguſtinus, demonſtraturus eſt Chriſtus, dicens, propter vos hoc latus apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. Qui non eſtis redempti prætio mei ſanguinis, non eſtis mei. Illi enim illi verè ac propriè redempti ſunt, qui in acceptabilem populum, ſeu in puſillum gregem ſunt aſcripti: in tantum enim à captiuitate liberati ſunt, in quantum ab iniquitate ſunt mundati: & in tantum vaſa diaboli non ſunt, in quantum ſunt membra Chriſti. Cum enim, vt proſper definit, rectiſſimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit. Et nonnullis quidem profuit quoad vocationem, aliis quoad iuſtificationem, aliis denique quoad glorificationem: & illi propriè redempti, quia à totali captiuitate, ſeu ab omni aduerſitate ſunt eruti. Circa alios poteſt quidem vtilitas redemptionis eſſe, ſed non proprietas. Circa alios: Haud dubiè, vt & ille ait, eſt redemptionis proprietas.

Illi redempti à captiuitate, qui ab iniquitate eruti.

Auguſtin. lib. 2. de Symb. ad Cat. cap. 8.

Proſp. lib. 1. Reſponſ. 9.

Proſ. lib. 2. Reſp. 1.

Habes dogmaticam, habes parœneticam: tropologiam habes, & anagogiam. Hæc loquere & exhortare. Hæc enim ſanam decent doctrinam, hæc humilitatem fouent, & promouent pietatem. Stultas quæſtiones deuita, infructuoſas amputa diſputationes; quæ mentes exacerbant, & lites generant. Sed vt Nemo te contemnat. Imò, vt quiuis te non ſolùm libenter

A audiat, ſed & vtiliter: prædica verbum, ſed Euangelicum, quod non tam in ſermone poſitum eſt, quàm in virtute: doctrinam ſanam obſigna per vitam integram. Sunt enim quidam boni prædicatores, ſed mali doctores; quod deſtruunt factis, quod verbis exſtruunt. Parùm eſt, ait Auguſtinus, quod languentes & infirmos & errantes & perditos oues non curant: etiam fortes & pingues necant. Illæ viuunt de miſericordiâ Dei: tamen quantum ad Paſtores malos attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? Malè viuendo, malum exemplum præbendo. An fruſtra dictum eſt ſeruo Dei, eminenti in membris ſummi Paſtoris: Circa omnes teipſum bonorum operum præbe exemplum, &, Forma eſto fidelibus. Attendit enim ouis etiam fortis plerumque Præpoſitum ſuum malè viuentem. Si declinet oculos à regulis Domini, & intendat in hominem; incipit dicere in corde ſuo, Si præpoſitus meus ſic viuit, ego quid ſum qui non faciam quod ille facit? Occidit ouem fortem. Si fortem, iam de cæteris quid faciet? Dico charitati veſtræ, iterum dico; & ſi viuunt oues, & ſi fortes ſunt oues in verbo Domini, & tenent illud quod audierunt à Domino ſuo, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere: tamen qui in conſpectu populi male viuit, quantum in illo eſt, eum à quo attenditur, occidit. In eo religioſos oportet eſſe Præpoſitos, imò licet eſſe ſcrupuloſos: vt non conſcientiâ tuti ſint, ſed & famâ præclari. Vobiſcum hîc viuimus, (verba ſunt Auguſtini) & propter vos viuimus: & intentio votumque noſtrum eſt, vt apud Chriſtum vobiſcum ſine fine viuamus. Credo autem antè oculos veſtros eſſe conuerſationem noſtram: vt & nos fortaſſis dicere audeamus, quamuis illi multum impares qui dixit. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et ideò nolo vt aliquis de nobis inueniat malè viuendi occaſionem. Prouidemus enim bona, vt ait idem Apoſtolus, non ſolùm coràm Deo, ſed etiam coràm hominibus. Propter nos, conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter vos, fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete, quod dixi, atque diſtinguite. Duæ res ſunt cõſcientia & fama. Cõſcientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens cõſcientiæ ſuę negligit famã ſuum, crudelis eſt: maximè in loco iſto poſitus, de quo dicit Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum, Circa omnes teipſum bonorum operum præbe exemplum. Sic ſalui ſunt, & qui dicunt, & qui audiunt.

Auguſtin. lib. de Paſtorib. cap. 4.

Auguſtin. ſerm. 49. de diuerſ. c. 1.

Fama præpoſitis neceſſaria eſt, ne dum conſcientia.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

OBedientiam ac modeſtiam præcipit qualis decet ſanctos : contentioſos reprimi, & hæreticos abigi : tum ſalutatione & appreca finis fit Epiſtolæ.

TEXTVS.

ADMONE illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe : neminem blaſphemare , non litigioſos eſſe , ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitiâ & inuidiâ agentes, odibiles , odientes inuicem. Cùm autem benignitas , & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei : non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos , ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit , per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritûs ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum : vt iuſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Fidelis ſermo eſt : & de his volo te confirmare : vt curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæſtiones, & genealogias , & contentiones, & pugnas legis deuita : ſunt enim inutiles, & vanæ. Hæreticum hominem, poſt vnam & ſecundam correptionem deuita : ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Cùm miſero ad te Artemam, aut Tyticum , feſtina ad me venire Nicopolim : ibi enim ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicitè præmitte, vt nihil illis deſit. Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infructuoſi. Salutant te qui mecum ſunt omnes : ſalutâ eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

IVSSERAT, Seruos dominis ſuis ſubditos eſſe. Nunc & heros ipſos Principibus & Poteſtatibus imperat obedire : ſeruare pacem, fidem non contentioſis diſputationibus, ſed bonis operibus demonſtrare.

Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe &c. Doce & admone illos. Quos? Omnes Cretenſes tuos, iis parere qui in ſublimitate conſtituti ſunt, qui poteſtate ſunt præditi, iuſſis mandatiſ-ve obedire promptè & expeditè ; vbi quod præcipitur, ſuperiori legi non opponitur. Vbique ſtatuit vt ſe Principibus ſubdant, oſtenditque & qui debeat in eâ ſubiectione haberi modus : hic ſcilicet, vt ad opus bonum quodcumque ſeipſos ſubiicere

A paratiores ſint. Ita Commentator Athanaſianus. Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines &c. Nemini maledicere, nulli probrum inferre vel conuitium, alienos à pugnis eſſe, verbis factiſque moderatos, vt omnes erga omnes homines profeſſos humanitatem. Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitiâ & inuidiâ agentes, odibiles, odientes inuicem &c. Quidni erga omnes, etiam infideles? Cum & nos omnes non Græci ſolùm ſed & Iudæi, antè fidem ſeu conuerſionem, fuerimus verâ deſtituti ſapientiâ aberrantes & vitâ, deſideriis addicti variiſque concupiſcentiis : nequitiam & inuidiam exercentes : odioſi, atque inuicem odientes. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei : non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit &c. Et hoc

Comment. Athanaſ.

Qui Chriſtiani non ſunt verâ deſtituti ſunt ſapientiâ.

aliud lucrata fueris, neque virum ad consortium fidei, rectorumque dogmatum traxeris, illius tamen ora obstruxisti, neque blasphemare permisisti Christianæ religionis honorem. Hoc autem non minimum est, sed maximum atque omninò mirabile, si conuersationis vestræ gratiâ, religio quoque admirationi infidelibus sit. Quid de seruis? Dominis suis subditos esse. Etiam ethnicis etiam dyscolis. Cur ita? Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Fraudem damnat in seruis, commendat fidelitatem in omnibus, fidem in omnibus bonam & integram: cum bona omnia dominorum sint seruis commissa. Sed quo fine, ait Aquinas, sunt hæc fienda? Non quidem propter terrenum fauorem, sed propter gloriam Dei. Ornamentum enim doctoris, est honesta vita discipuli: sicut sanitas infirmi, est laus medici. Scit Paulus Euangelium Christo humiliato & exinanito subnixum: scit patientiâ ac modestiâ crescere, peruicaciâ ac contumaciâ deficere. Nihil quippe, vti dixit Chrysostomus, virtute suauius, nihil probis actibus dulcius, nihil iucundius mansuetudine, atque modestiâ, & obedientiâ. Omnibus vtilis est, omnibus aptus, qui eiusmodi fuerit. Omnia namque superat virtus, omnia obtinet. Quod si in conditione seruili ea res tantum virium habet, quanto magis in hominibus liberis? Ad hanc igitur omnes exerceamur, & serui & liberi, & mulieres & viri: ita enim erimus & Deo & hominibus chari; non modo probis ac virtute præclaris, sed etiam ipsis pessimis, imò illis maximè: hi quippe sunt qui virtutem velint nolint, honorare, reuererique coguntur.

Euangelium patientiâ fundatum ac modestiâ.

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom. 4.

Iam ergo & ad omnes Paulus: Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire. Græcè πειθαρχεῖν promptos esse ad obediendum, nusquam ad resistendum aut contradicendum paratos. Apud Chrysostomum. Nemo te contemnat. Sed admone eos Principibus ac Potestatibus subiici. Quasi dicat, iuxtà sensum Ambrosianum. Nemo iussa tua spernat & imperia, sed quiuis, te docente dicat, omnem animam, nedum creaturam omnem sublimiori subditam esse potestati. Quæ enim spes credentium sit, admonet, vt manifestet, cum arguuntur, vt sciant cui bono præparantur, vt non asperè accipiant: certi quia pro salute suâ corripiuntur: & vt ad malum tardi sint, ad bonum verò parati, non nescij quid singulis persolui oporteat. Non solùm fidelibus, sed & infidelibus: nec spirituali duntaxat potestati, sed & seculari. Quâ de causâ? non terrenâ ratione, aut consideratione humanâ; non vt gratiam enundineris apud Principes, aut famam apud homines aucuperis: sed vt Dei gloriam promoueas, doctrinamque Christi, non tam accuratâ eruditione, quàm modestâ conuersatione, & subiectione morigerâ testatam reddere, probatamque valeas efficere. Christianos, ait ille, omnibus humiles vult videri: sic enim possunt perfidi ad futuram spem vocari. Omnibus quidẽ, etiam infidelibus: & si infidelibus, certè, imò maximè fidelibus. Sed hæc admonitio sic ad fideles omnes dirigitur, vt ad infideles terminetur. Supra quippe Apostolus, vt aduertit Aquin. posuit particulares admonitiones pertinẽtes ad singulos status: hic ponit generales ad omnes. Dicit ergo: Dixi de quo moneas prædictos, sed, Admone illos, id est omnes; Principibus, id est maioribus, scilicet Regibus & huiusmodi; Et Potestatibus, id est aliis officialibus, Subditos esse. Ita Petrus 1. cap. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, tamquam præcellenti, siue Ducibus, tamquam ab eo missis. Dicto obedire: id est, ad solum verbum Præsidis: quia tenentur ad obedientiam iussionis. Obediendum esse definit mandatis hominum, iussis-ve Principum; modumque iniungit, vt promptè, vt expeditè; vt dicto citius obediant, nec curiosiùs legitima animo discutiant imperia.

Ambros. in Paulum.

Omnis anima potestati sublimiori est subdita.

Ambros. Ibidem.

Aquin. lect. 1.

Potest fieri triplex exceptio, prima, regionis, secunda, temporis; tertia, potestatis. Prima est, admonitionem non tam fideles tangere, quam Cretenses. Admone illos. Quos? Cretenses, suo genio pugnaces, immorigeros, malas bestias, semper ad lædendum potius paratos, quàm ad parendum. Admone igitur illos, Principibus & Potestatibus subditos esse. Omnem spernunt dominationem, potestatem omnem despuunt. Nisi illos monueris, imò & argueris cum omni imperio; scito illos breui contempturos, nec secularem duntaxat temporalemve, sed & spiritalem excussuros potestatem. Itane? Dico ego admonitionem nõ tam Cretenses tangere, quàm fideles; non solùm Admonitiones, vt Aquinas dixit, Apostolus ponit generales, &, Ad omnes. Sed & quia eos instruit quos efficaciter redemptos dixit, id est Christianos, maximè verò probos electos-ve. Vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hos alloquor, hos adhortor. Et tu, Admone illos. Quos? Eos nimirum, qui fratres sunt nostri, fideles Christiani, non quà Cretæ affixi, sed quà curæ tuæ sunt commissi. Altera exceptio, temporis est. Id enim exigebat seculum & imperium Romanum, ne qua remora nascenti fieret religioni, ne inobedientia offendiculum doctrinæ poneret Euangelicæ: quasi stabilitâ religione, & dominatione mutatâ, aliter sentiendum sit, aut aliter faciendum. Ego vero dico, admonitionem non temporis esse, sed ordinis inuiolabilis, cui nec secula præscribant, nec contradicant priuilegia. Non enim Paulus distinxit Reges aut Principes per fidẽ, sed per auctoritatem. Admone illos, principibus, & Potestatibus subditos esse. Iussitque & Potestatibus & Principibus, id est, omnibus regnantibus & imperantibus esse subditos. Ergone potestatem amiserunt Reges, quia receperunt fidem? Auctoritatem ergo destruimus per fidem? imò statuimus. Quàm parum Christiani sunt illi, qui Apostolos nolunt, nisi politicos; qui religionem admittunt, sed temporalem. Quid erramus? Nusquam Christianus aliud est. (ait Tertullianus) vnum Euangelium, & idem Iesus. Hoc idem ædificium, quod subiectione fundatum est, eodem fulcro sustendandum, aut corruit: hoc idem Euangelium, quod submissione propagatum est, eodem conseruandum artificio: hæc ipsa doctrina, quæ obediendo vicit, quæ patiendo adoleuit, eodem alimento nutrienda, aut languescit. Talis enim Apostolorum doctrina, quæ inuariabilis, talis Christianorum disciplina, quæ inuiolabilis. Tertia denique exceptio,

Aquin. Ibidem.

Reges non per fidem amittunt potestatem, sed statuunt.

Tertullian. lib. de corona mil. cap. 11.

potestatis est. Quidam enim obedire volét Regi ac Principi, sed renuent obedire Potestati, seu ministris vel commissis. Excipiunt enim, aiuntque, se Regis aut Principis seruos esse humillimos, sed Ducum, aut Præsidum iussa non agnoscere, tanquam ab ingenio iniquo, non à publico seu legitimo profecta imperio. Quis hæreticorum se vnquam negauit Christianum, idcircò quis non saltem ore tenus Christum tenuit, quis non ipsum specie tenus coluit? Sed quis regnum eius non euertit, dum aut Pontificis mandatum respuit, aut religionis euertit fundamentum? Quid peius faceret inimicus, vel quid indignius adinueniret ille, si iam esse seruus vel ore desineret? Sed vide quomodo noceat auctoritatis species, vel potius quomodo sedes iniquitatis adhæreat. Si ex ministri gratiâ, vel beneuolentiâ ministri, postulatam adière prouinciam, Rex votis annuit, forsan inauditis; meritis detulit, forsitan ignotis: si repulsam tulêre, licèt iustam, nulla iam Regis mentio, sed probrosa vel negantis, vel etiam otiantis maledictio. Igitur, Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse. Id est, non solùm, Regibus. Vt exposuit Aquinas. Sed & ministris, seu Aliis officialibus.

Aquin. lect. 1.

Vna tamen Apostoli exceptio est, tam iusta quàm & peremptoria. Nimirum si quid non solùm præsides aut præfecti, sed & Reges ipsi vel Principes, aliquid statueret vel iuberet, quod diuinam maiestatem læderet, aut Christianam concuteret pietatem. Tunc enim respondendum est. Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, iudicate. Et, obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Vult ergo Paulus Christianos subiectos quidem in totum, non tamen & in malum. Ad omne opus bonum paratos esse. Parêre, sed in bonis; obedire, sed in licitis. Cæterùm, Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Gentiles, vt exponit Chrysostomus, Iudæos, malos atque nequissimos. Tales enim ad omnes esse oportet, & mansuetudinem modestiamque seruare. Quicumque ille fuerit, neminem omninò insectemur maledictis. Audiamus quid nos salubriter moneat. Neminem, inquit, blasphemare. Oportet os nostrum seruare mundum à maledictis atque conuiciis. Siue enim vera maledicta sunt, ea non nostra interest dicere, sed iudici examinanda permittere. Siue illa vera non sunt, cernis profectò ingens imminere periculum. Christiani ad ferendas iniurias, non ad inferendas nati. Iidem sumus imperatoribus, ait Tertullianus, qui & vicinis nostris. Malè enim velle, malè facere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcumque non licet in imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Homo tamen: magnus, sed cœlo minor, licet mundo excelsior. Si homo sit, ait ille, interest homini Deo cedere. O religio tã digna Deo, quàm cœlo proxima; quæ coæqualibus omnibus fidelem beneuolentiam, superioribus inuiolabilem promittit obedientiam; quæ nulli iniuriam facit, nemini non obtendit gratiam! Religio omnibus officiosa, nulli ingrata; benigna omnibus, molesta nulli: nusquam rebellis, quia nusquam infidelis; nusquam onerosa, quia nusquam litigiosa, sed facilis, commoda; cedens omnibus, aut amicitiam omnibus exhibens aut reuerentiam. O religio innocens moribus, sed prudens actibus; quæ bonum Principem, Regem iustum amat, indignum tolerat, nullum reprobat; quæ sic temperat inter potestatem Cæsaris, & Creatoris maiestatem, vt quæ sunt Cæsaris reddat Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: quæ ad omne opus bonum semper parata sit, ad malum seu illicitum opus inidonea: quæ hoc tantùm possit quod æquum, quod hoc tantùm velit quod sanctum est; cætera negligat, aut ea virtutis vsui, fructui salutis impendat.

Actuum cap. 4.
Actuum c. 5.
Chrysost. Hom. 5.
Nec vera nec falsa ingerenda sunt conuicia.
Tertullian. cap. 36. Apolog.
Tertullian. cap. 33. Apolog.

ADMONITIO II.

De Saluatione.

AVdistis quale sit corruptionis contagium, nondum scitis quale sit perfectionis fastigium. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Processus iste tribus verbis, expressus, quasi tribus exstructus circumstantiis. Quid, quando & quomodo.

Quoad primum. Adamus nos genuit miseros, Christus. [Saluos nos fecit.] Quid est, saluos nos fecit? Gratiam nobis contulit & gloriam. Quam gratiam? (ait Augustinus) nisi de quâ Paulus dixit: gratiâ Dei sum id quod sum. Quam gloriam? nisi de quâ ipse dixit. Superest mihi corona iustiæ. Adamus nobis intulit duo mala; culpam scilicet, & miseriam: Christus nobis duo bona attulit; nam per gratiam diluit culpam, per gloriam depellit miseriam. Beati qui habitant in domo tuâ, Domine. Huic vitæ suspiramus. Sed quomodo illuc veniemus? Beatus vir cuius est susceptio eius abs te Domine. Intellexit Propheta vbi esset, quia per fragilitatem carnis suæ ad illam beatitudinem volare non posset. Circumspexit pondera sua, quia dicitur alio loco: Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Spiritus sursum vocat, pondus carnis deorsum reuocat. Inter duos conatus suspensionis & ponderis colluctatio quædam est. Audi ipsam luctam ab Apostolo expressam, quia & ipse conterebatur, ipse premebatur. Condelector, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Magna lucta, & euadendi magna desperatio, nisi subueniatur de consequenti: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quid faciam de carnis pondere? quomodo volabo? quomodo perueniam? Sicut ergo in verbis Apostoli, illi difficultati, & quasi inextricabili luctæ subuenit quod subiecit; gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum: sic & Propheta cum suspiraret flammante desiderio in domum Dei, considerata

Augustin. Enarrat. in Psalm. 83. sub. fin.
Augustin. eadem Enarrat. vlt. med.
Spiritus sursum vocat pōdus deorsum reuocat

deratâ grauedine corporis sui, & mole carnis suæ, & desperatione quadam subortâ; rursus in spem euigilauit, & ait: Beatus vir cuius est susceptio eius abs te Domine. Quid ergo præstat Deus in hac gratiâ ei quem suscipit perducendum? Sequitur, & dicit: Ascensus in corde eius. Facit illi gradus quibus ascendat. Quia enim per se non potest, opus est vt gratia tua suscipiat. Et quid facit gratia tua? Disponit ascendit. Vbi disponit ascensus? In corde. Quanto plus amaueris, tanto plus ascendes. Illa est ergo gratia, perquam procuratur salus, per quam adiuuatur infirmus nedum sanatur; per quam in peruersa & aduersa dirigitur, & in æterna perducitur tabernacula. In hoc quippe gratia tribuitur, & in futuro promittitur gloria. Quia misericordiam & veritatem diligit Deus. Dominus misericordiam diligit, (ita exponit Augustinus) quia mihi primò subuenit: veritatem diligit, vt credenti det quod promisit. Saluos nos, qui liberat; qui abluit à peccatis, qui de periculis eripit; & qui inter tot perturbationum motus, inter tot fluctus tentationum, in portum salutis transmittit, felicitatisque gremium. Tunc enim tota cupiditas ruit, & perfecta consistit charitas.

Augustin. vlt. fin.

Quoad secundum. Semper parata est salus, semper gratia suum opus modulata: sed latebat illa, nondum apparebat. Benignitas autem & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei. Causa quippe nostræ salutis, vt exponit Aquinas, & charitas Dei. Ephes. 2. Deus autem, qui diues est in misericordiâ propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratiâ estis saluati, & conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Hanc charitatem describit Apostolus primò quantum ad affectum; secundò, quantum ad effectum. Interior charitatis affectus designatur in benignitate, quæ dicitur bona igneitas. Ignis autem significat amorem. Cant. 8. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Benignitas ergo est amor interior, profundens bona ad exteriora. Hæc ab æterno fuit in Deo, quia amor eius est causa omnium. Ioël. 2. Benignus & misericors est. Sed hoc quandoque non apparebat. Esa. 63. Vbi nunc zelus tuus, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se. Sed per effectum apparuit, quod designatur, cum dicit, Apparuit humanitas: vel quando Deus ex benignitate est homo factus: vel secundùm quod designat virtutem quæ consistit in exteriori subuentione in defectibus aliorum. Vnde humanum esse, est condescendere. Sic Deus condescendit nostris defectibus. Humanitas Saluatoris: quia vt dicitur Psal. 36. Salus autem iustorum à Domino. Ita idem saluator, qui & creator; cuius benignitas in studio promerendi, cuius humanitas in benefaciendi artificio. Vos, ait Bernardus, qui non ignoratis exilium, audite quia de cœlo venit auxilium. Apparuit enim benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei priusquam appareret humanitas, latebat benignitas. Siquidem & prius erat: nam & misericordia Domini ab æterno est. Sed vnde tanta agnosci poterat? Promittebatur, sed non sentiebatur: vnde à multis non credebatur. Et benè quidem benignitas & humanitas. Nam, vt ait ille: Apparuerat antè potentia in rerum creatione: apparuerat sapientia, in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ tunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Iudæis Potestas in signis atque portentis, vnde in lege sæpiùs inuenies, Ego Dominus, Ego Deus Philosophis quoque abundantiùs in sensu suo maiestas innotuit, quando iuxtà Apostoli verba, Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Veruntamen & Iudæi potestate ipsâ premebantur, & Philosophi scrutatores maiestatis opprimebantur à gloriâ. Potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas, cui possit homo qui ad imaginem tuam factus est, conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit æmulari. A principio igitur, maiestas intonuit & potestas; sed tandem apparuit in mundo benignitas & humanitas per Christi præsentiam, & tubam Euangelij; quando non solùm per incarnationem, sed & prædicationem, bonitas Creatoris, Saluatoris humanitas in vniuerso apparuit.

Aquin. lect. 1.

Humanum esse est infirmitati condescendere.

Bernard. ser. 1. in Epiphan. init.

Bernard. ser. 1. in nat. Dom. post. init.

Quoad tertium. Si placet salus, modus non displicet. Quando enim manifestata sit, non tantum interest: agitur enim de tempore. Quomodo autem collata sit, quomodo præparata ac disposita, refert plurimum, agitur enim de æternitate. Quomodo ergo parta salus ac parata? Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Dicis quomodo non parta, nondum dicis, quomodo parata. Coniicis sanè, si non audis: si enim negat id fieri ex vllo operum iustorum quæ fecissimus nos, merito; quid restat, nisi id ex gratuito fieri diuinæ misericordiæ beneficio. Sed audi clarè dicentem, & apertè definientem. Sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Vnde nostri misertus est Deus? an ex iustitiâ nostrâ? Sed erâmus insipientes, increduli, errantes, vani, vanisque ac malis seruientes desideriis. Imò si misertus est Deus, non ex iustitiâ nostrâ, sed ex nostrâ miseriâ. Nulla in nobis iustitia erat, nisi vana, sed vera & miseranda in nobis erat miseria. Tantùm ergo abest vt nos propter opera iusta nos fecerit saluos, vt etiam nos tam miseros inuenerit quàm iniustos; tantamque in nobis iniustiam reperit, quantam miseriam. An igitur secundùm iustitiam nostram? imò verò secundùm suam misericordiam. Cum ergo dicit, non ex operibus: ponit rationem saluandi: & primò, excluditur ratio præsumpta; secundò, ostenditur ratio vera. Ratio præsumpta, est quòd propter merita nostra simus saluati; quod excludit, cum dicit, Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Sed vera ratio, est sola misericordia Dei. Vnde dicit, Sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, id est, saluati sumus. Ita Aquinas. Reuera, videbatur diuina misericordia cœlo conclusa, nec infirmi miserebatur, nec miseri. Vnde Bernardus ad Deum: Quousque Domine angustata est misericordia tua in solâ Angelorum parte, reliquam occupat iudicium cum toto pariter humano genere? Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes, terram vniuersam condemnans;

Aquin. lect. 1.

Bernard. ser. 1. Nat. Dom. cit. med.

Misericordi olim cœlo conclusa, nunc mundo indulta.

demnans, & aëreas potestates. Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat à fine vsque ad finem fortiter, disponens omnia suauiter. Restrictus est Domine iudicio sinus tuus, solue cingulum tuum, & veni miserationibus affluens,& superfluens charitate. Peccauit Angelus, peccauit homo; sed super illum manifestata iustitia, super istum misericordia: nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ: ideò sicut in illis, de nullo sperandum est; sic & in istis,de nullo desperandum: ne fortè det Deus pœnitentiam, ac per eandem saluet misericordiam. Diligit enim animas, sed quas, (vt decernit Augustinus) à cæteris non meritis earum, sed suæ gratiæ largitate discernit: cum eas non discernant vlla merita voluntatum, nec sit apud Deum acceptio personarum. Non enim res est iustitiæ, sed misericordiæ; nec humanis merces redditur operibus, sed diuinis muneribus impenditur,nos enim per gratiam elegit, licèt impios, iustósque ac saluos fecit per misericordiam.

Augustin. l.4 op. inch. num. 124.

ADMONITIO III.

De regeneratione.

Saluos nos fecit, quia nos voluit: hoc quidem generale:sed & hoc singulare:Saluum me fecit, quoniam voluit me.Verùm & adhuc tria exponenda sunt, forma, copia, vita. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritûs sancti. En quoad formam. Quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum. En quoad copiam.Vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. En quoad vitam.

Quoad primum. Mortui eramus, ideo suscitandi; sordidi eramus, ideò mundandi: defectuosa erat generatio, idcircò opus erat regeneratione; corrupta imago, & idcircò opus renouatione. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritûs sancti.Vides,ait Chrysostomus, vt ipsi malis immersi eramus, adeò vt non purgatione, sed renouatione opus esset: id quippe regeneratio signat. Quemadmodum in domo vetere putredine carieque consumpta nemo fulcra supponit, neque antiquis structuris connectit: verùm à fundamentis euersam, domum illam de nouo erigere, atque renouare contendit: ita & ipse fecit in nobis.Non ille superædificauit nos,sed priùs euertit,quod pessimè steterat:hoc enim est quod ait, per renouationem Spiritûs sancti nouos iterum fecit. Pulchrè dixit, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: vnde apud Augustinum. Optimè punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem vocant. Vnde nisi ex antiquâ & Apostolicâ traditione, quâ Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominum peruenire. Nam quid aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: & quod Petrus ait, Sic & vos simili formâ baptisma saluos facit. Omnes homines in vno & ex vno incurrerant damnationem; idcircò baptismo saluandi, seu lauandi erant in sanctificationem. Vbi error est, ait Ambrosius, culpa signatur. Sed vide quid interpretetur.Errauit, inquit, non errat.Errasse, præteriti est temporis: errare, præsentis. Qui errauit, desiuit errare, & veterem condemnat errorem. De eo enim dicitur, errauit,quia in eo errore iam non sit. Nam is qui adhuc in errore permanet, non erasse dicitur, sed errare. Errare enim, permanentis in vitio est; errasse, corrigentis est lapsus. Denique emendator morum ait: Eramus enim aliquando insipientes, increduli, errantes in desideriis & voluptatibus. Non dixisset vtique, Eramus aliquando insipientes, nisi qui adeptus esset postea sapientiæ disciplinam. Neque dixisset, Eramus errantes, nisi superiorem deposuisset errorem. Denique vt abolitum lapsum doceret, nec vllum offensionis resedisse vestigium, ait: Cum autem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritûs sancti. Veteri ergo errore deposito, & spiritu, atque omni morum emendatione renouatus dicit. Eramus enim aliquando errantes. Vides ergo quia errori renuntiasse, non vitij, sed profectûs est. Veterem exuit malitiam, & cœlestem induit sapientiam: carnalem reliquit natiuitatem, spiritalem iniit: nouus iam homo factus est in baptismo: si enim regeneratus, nouam assumpsit naturam:si renouatus, veterem abiecit corruptionem: iam alius est, non iam de cœno, sed de cœlo renatus.

Chrysost. Hom. 5.

Augustin. lib. 1. de pec. mer. & rem. cap. 24.

Ambros. octon. 22. in Psalm. 118.

Errare, lapsûs est; errasse, profectûs.

Quoad secundum. Salus per baptismum, baptismus per Spiritum sanctum, à quouis omnis gratia omnis & efficacia. Illa quippe natiuitas iam non carnalis est, sed spiritalis, sicut nec nouitas terrestris, sed cœlestis: nec quicquam prodest aqua, si Spiritu sancto non est animata. Tamen sicut fluit aqua, effluitque liberalissimè; sic & per aquam Spiritus sanctus non alluit solùm, sed & gratiam effundit copiosissimè. Per lauarum regenerationis & renouationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè. Tanta gratiæ copia, post tanta culpæ ac malæ vitæ merita. Ita, vt aduertit Augustinus: Merita sua Paulus, sed mala commemorans dicit, Fuimus enim stulti & nos aliquando & increduli: abominabiles, inuicem odio habentes. Quid istis tam malis meritis nisi pœna vtique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quæ non secundùm merita nostra datur, factum est quod deinde subiunxit, & dicit: Cùm autem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritûs sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Iesum Christum Saluatorem nostrum. Effudit in nos,sed abundanter,Græcè πλουσίως, opulenter. Vt designet copiam gratiæ in baptismo,(vt exponit Aquinas) vnde fit plena peccatorum remissio. Sicut enim copiosa redemptio,

Augustin. lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.

Aquin. lect. 1.

Tres personæ in Christi baptismo conspicuæ.

ptio est, sic & plena remissio: vbique copia, vbique abundantia. Sed sicut Christo baptizato, pater apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columbæ specie; sic & in baptismo nostro, virtus trium sese exerit personarum. Quis effudit? Deus pater cuius bonitas apparuit. Quem effudit? Spiritum sanctum, cuius sanctitas nos reddidit mundos. Per quem effudit? per Filium suum. Sufficit, ait Tertullianus, ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum diuinorum. Plus capit quàm exprimit: non enim ibi sola sufficientia est, sed & abundantia; quâ non solùm culpæ exsortes ingenitæ fecit Deus vnus & trinus sed & suæ consortes naturæ reddidit. Cum tanta esset in terrâ Dei indignatio, (verba sunt Augustini) qualis subitò facta est dignatio? Veritas de terrâ orta est. Creauit omnia: creatus est inter omnia. Fecit idem: venit in diem. Dominus Christus in æternum sine initio apud patrem: habet & natalem in principio Verbum. Qui nisi haberet humanam generationem, nos ad diuinam non perueniremus regenerationem. Natus est, vt renasceremur: generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erat generatio, nisi cuius damnata est generatio? Quanta copia, vbi gratia in nobis facta est natura diuina? vbi Spiritus sanctus non solum tribuitur nobis, sed & opulenter abundanterque diffunditur?

Tertullian. lib. de baptis. cap. 6.

Augustin. serm. 55. de diuersis. cap. 3.

Quoad tertium. Regenerauit nos, sed in spem viuam, in cœlestem vitam, dum in æternam adoptauit hæreditatem. Vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Vita æterna, sola est, quæ dicenda est vita: sed ad illam peruenimus triplici ratione: nimirùm, munere gratuito, & bono opere: id est, gradu triplici, ad supremum assurgimus æternæ gloriæ fastigium. Sicut enim baptizamur in nomine patris & filii & Spiritus sancti; sic & virtute patris & filij & Spiritus sancti vitam inauguramur æternam. Habemus enim per benedictionem eosdem arbitros fidei, vt loquitur Tertullianus, quos & sponsores salutis. Iustificamur gratiâ Christi: en munus gratuitum. Adoptamur patris misericordiâ: en ius hæreditarium: iuuamur agendo vincendoque Spiritûs sancti beneficentia: en opus bonum ac perfectum. Per primum, nouam inimus natiuitatem; per alterum, paternam præsumimus hæreditatem; per tertium, certam spem æternæ vitæ nobis asserimus. Ita propheta: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Id est, (vt exponit Augustinus) Rectè viuite, & sperate donum Spiritûs sancti. Sperantur enim quæ? nisi bona. Ad vitam illam aspirant fideles omnes, dum sperant gloriam. Vt iustificati, inquit, ipsius gratiâ. Rursus gratiâ, ait Chrysostomus, non debito. Hæredes simus, secundùm spem vitæ æternæ. Ex his profectò verbis & humilitatis studium, & futurorum spem elicere possumus. Si enim adeò desperatos, vt denuò oporteret nasci, & saluari gratiâ necesse erat, cum nihil boni haberemus, saluare dignatus est; multò magis hoc in futuro faciet. Quid est enim, Secundùm spem? Quemadmodum, inquit, sperauimus, ita perfruemur. Qui enim nos tantâ iniquitate, tantisque malis eripuit; liquet profectò quòd futura quoque nobis bona omnia largietur, in eâ, quam præstitit gratiâ, permanentibus. Arripiamus igitur, & teneamus illam spem, salutisque nostræ curam habeamus. Nam & nunc audimus plurimos admonentes, plurimosque consulentes quæ agenda sunt, & vel quæ vitanda dictantes. Sed in omnibus precemur Deum, vt manum porrigat conatibus nostris. Duo nobis apprimè fugienda sunt: socordia scilicet ac superbia. Ille enim dicet se iustificatum esse, se filium, & hæredem institutum à patre; sicque se tam de hæreditate regni, quàm de Dei fidelitate Domini certissimum: inde timenda socordia, quâ adiiciet, nihil sibi curandum adlaborandum-ve; cum æterna vita tam certò expectanda sit, quàm in tuto reposita. Iste verò præsumet gratiam acquiri per industriam, aut vitam non tam credentibus reddi, quàm operantibus: inde cauenda superbia. Laborandum est equidem, imò certandum conandumque, quia, Hæredes sumus secundùm spem vitæ æternæ. Sed hoc ipsum quod laboramus, quod certamus, ex gratiâ est. Iustificati gratiâ ipsius. Enimuerò, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Statuit nobis salutem dare, voluit & nos ad salutem peruenire per laborem: sed qui prœmium præstitit, supposuit & meritum: qui gloriam proposuit, dedit & gratiam; sicque vitam acquiri placuit per obseruantiam: sed qui hunc ordinem constituit, vtrumque nobis præstitit; nec aliter ad æternam vitam, quàm per suam perueniri voluit misericordiam.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 6.

Augustin. Enarrat. in Psal. 4. vlt. med.

Chrysost. Hom. 5.

Duo nobis fugienda: superbia ac socordia.

ADMONITIO IV.

De prædicatione.

HÆc verba fidelissima sunt, tamque certa quàm vera. Quia enim, vti Chrysostomus dixit, de futuris, non de præsentibus loquitur; ideò intulit, Fidelis sermo: quod scilicet hæc vera sint, etiam ex præteritis constat. Agamus igitur gratias Deo: & omnes exhortemur, ac pro illis magis oremus, consulamus, moneamus, hortemur; etiamsi illi in nos contumeliosi fuerint, etiamsi calcitrarint: tales enim insanos manifestum est. Quid ergo Paulus ad Titum? Et de his volo te confirmare. Seu, vt ex Græco Chrysostomus noster: Et de his volo te afirmare. Id est, prædicare, constanter & incunctanter asseuerare. In quo igitur prædicatio Christiana, seu Apostolica admonitio? In tribus: quorum primum est vt semper extollatur diuina gratia, semper misericordia præferatur. Alterum, vt commendetur bonorum operum cura: tertium, vt inutilium quæstionum materia resecetur.

Chrysost. Hom. 5.

Quoad primum. Quid prædicet Christianus, nisi gratiam illam per quam purgatus est, id est, per quam factus est Christianus? omnes mundati sunt: cur non vel vnus inueniatur, qui regrediatur, magnâ voce magnificans Deum, gratiam exaltans & misericordiam? vtramque coniunge

coniungo, quia culpam agnosco & miseriam: A sed idem omnes dicere debent & agnoscere, quia nullus non per eandem gratiam mundatus est, non per eandem misericordiam de insolitâ liberatus est miseriâ. Et ipsos antiquos iustos eadem gratia liberauit, quamuis diuersis vsi fuerint pro tempore Sacramentis: quoniam quod de Christo credimus, hoc credebant. Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: cuius illis prænuntiatus est, nobis autem annuntiatus est humilitatis aduentus, claritatis verò qui in fine futurus est, & illis est prænuntiatus & nobis: & illorum ergo & nostra in isto mediatore vna fides est, idem spiritus fidei, secundùm quod scriptum est, Credidi propter quod locutus sum. Vnde autem sit hæc fides, ne ita gloriemur tanquam ex nobis sit, eundem audiamus Apostolum, gratiâ, inquit, salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Et nos credimus, propter quod & loquimur. Quid nos? Non Apostoli tantùm, sed & Apostolici viri: omnes enim hoc credere debent, omnes idem debent prædicare: cur enim gratiæ diuinæ ingrati sint Christiani, gloriam Deo dantibus alienigenis, seu Iudæis ipsis diuinam annuntiantibus exaltantibusque misericordiam? gratia Dei sum id quod sum sed gratia eius in me vacua non fuit.

Augustin. lib. 1. cont. Julianum. 144.

Vna gratia antiquis & nobis indulta.

Quoad secundum. Paulus amicus est gratiæ, sed inimicus negligentiæ. Postquam enim de Dei benignitate, (ita loquitur Chrysostomus) atque ineffabili eius erga nos disseruit prouidentiâ, docuitque nos quales antè fuerimus, qualesque ipsius effecerit gratia, subiunxit, & ait: Et de his volo te affirmare, vt curent bonis operibus præesse hi, qui crediderunt Deo. Non enim ea quæ dicta sunt, ad id tantùm pertinent, siue id solum admonent, vt humiles simus, neque extollamur, aut aliis exprobremus: verùm & vt ad omnem virtutis speciem indefesso studio, & labore exerceamur. Pulchrè autem dixit: Curent bonis operibus præesse. Quibus non solùm iniungit studium, sed & pensum exigit. Sic & in fine: Discant autem & nostri bonis operibus præesse. Aquinas legit, Discant vestri, & exponit, subditi. Ita scribit & Chrysostomus. Sed non tam de lectione interest, quam de expositione. Præsunt igitur illi, qui præpositi sunt hominum, aut operum præfecti. Ita in Exodo cap. 3. Audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. Et cap. 5. Flagellati sunt qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis. Potest autem aliquis aut plebi præesse, aut domui, aut sibi. De primo. 1. ad Timoth. cap. 5. Qui benè præsunt presbyteri. De secundo. 1. ad Timoth. cap. 3. Si quis autem domui suæ præesse nescit. De tertio, hic, curent bonis operibus præesse. Quid verò aut domui præesse? Est curam subditorum vel domesticorum suscipere, eos ad quotidianam impellere diligentiam, ordinem agendorum præscribere, operum exigere rationem. Quid ergo præesse sibi? non solùm sibi attendere, sed & pietatis sibi impendere tributum, charitatis officium à se tam exactè quàm & solicitè repetere. Sit sui ipsius medicus, sui ipsius Episcopus. Cæterum, ait Chrysostomus, hi, quibus aliorum sanitas curæ est, omnia ferunt, omnia faciunt, vt illi salute potiantur; etiamsi nihil fortè proficiant, certè illis negligentiæ crimen impingi non poterit. Num ignoratis quòd sæpè medicus postquam desperauit infirmum, alius quispiam ex coniunctis ita illum hortatur: Rursum curam adhibe, ac nihil omittas; vt nullus contra me detur crimini locus, vt nemo quæratur, atque ipse culpæ non pateam. Non videtis quanta sit hominibus seculi, necessarij cuiuslibet cura, quanta prouidentia, B quàm multa quotidie gerant? orant medicos, pecunias impendunt, assident semper infirmis; atque in eâ diligentia perseuerant. Nos, vel eos, qui sunt huiusmodi, imitemur; quanquam non pro eisdem rebus est cura, multum enim inuicem differunt. Consideremus quantum gratiæ saluandis nobis ostendit: dignum studium ostendamus: imò dignum equidem possibile non esset ostendere, vel minus saltem præferre conemur. Post abundantem spiritûs effusioné, post inenarrabilem affectûs ostensionem; quis insensibilis persistat, quis infidelis euadat? Quis curam non suscipiat salutis, virtutis non accipiat disciplinam? Quis non à se debitum exigat, imò quis sibi non imponat indebitum?

Chrysost. Hom. 6.

Triplex præfectura, Ecclesiæ, familiæ, animæ.

Aquin. lect. 2.

Chrysost. Hom. 5.

C Quoad tertium. Imperat Apostolus prædicari bona & vtilia hominibus, inde vetat prædicari vana & inutilia fidelibus. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Quid artes illæ, & contortæ difficultates, quibus aut prœla sudant, aut pulpita reboant Christiana: quibus tamen nihil Christianum inest, nihil pium; quibus imò facilitas garriendi potius quæritur, quàm dicendi, multò minùs docendi facultas acquiritur? Si proponuntur quæstiones, si quæruntur rationes, tales sint, quæ sanam muniant doctrinam, D veramque concipiant sapientiam: alioquin inutiles sunt & vanæ, quia insipientes & infructuosæ. Doctor enim, vt dixit Aquinas, ad duo intendere debet: scilicet ad vtilitatem, & ad veritatem. Non est ergo intromittendum se de inutilibus, & quæ non habent solidam veritatem. Prædica, sed verbum, diuinum scilicet: quia sicut illud eminenter dicitur verbum, sic & à prædicatore seu verbi diuini singulariter requiritur. Nihil exeat à prædicante, nisi quod Christianum informet aut reformet; nihil prodeat à disputante, nisi quod arcanum illustret; quod sic commendet gratiam, vt stimulet & diligentiam. Propone, E expone, sicque cum Augustino ipso concludе. Ergo ipsa vasa ita se præparant, vt frustra de Deo dictum sit, Quæ præparauit in gloriam? Hoc enim apertissimè dicis, nec intelligis ita dictum esse, Si quis emundauerit semetipsum, vt ostenderetur & opus hominis per voluntatem. Sed homo ingrate: Præparatur voluntas à Domino: ideò vtrumque verum est, & quia Deus præparauit vasa in gloriam, & quia ipsa se præparant: vt enim faciat homo, Deus facit; quia vt diligat homo, Deus prior diligit, lege diligenter Ezechielem prophetam, vbi ista etiam verba reperies, id est, Deum facere, vt præcepta eius homines faciant, quorum

Aquin. lect. 2.

Augustin. lib. 1. op. inch. n. 134.

Prædicator commendet gratiam, & stimulet diligentiam.

quorum miseretur non propter merita eorum quæ mala ibi esse commemorat, sed propter nomen suum: vt Deo sine meritis eorum faciente, vt faciant præcepta eius, incipiant merita bonorum habere factorum: hæc est gratia, non ex operibus quæ fiunt, sed vt fiant. Hic est fidelis sermo, ex quo laudabilis concio. Hæc enim sunt quæ à Christianis affirmanda sunt & confirmanda, tractanda, inculcanda.

ADMONITIO VI.

De correptione.

ADMONVIT fugiendas esse contentiones: nunquid & censuit fugiendas esse disputationes: maximè verò cum hæreticis qui quæstiones suscitant, côtentiones amant; cedere nesciunt, aut silere, faciliusque suffundi possunt quàm suaderi? Et ipsæ contentiones, seu disputationes fugiendæ sunt, quando inanes sunt & infructuosæ. Contentiones aduersùs hæreticos, ait Chrysostomus, dixit esse vitandas, quando nullum fuerit lucrum. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quoniam peruersus est qui huiusmodi est, & peccat, cum sit à seipso damnatus. Sed exquirendum est primò, Quis sit hæreticus: secundò, Quoties corripiendus: tertiò, Quomodo vitandus: quartò denique, vnde proprio damnatus iudicio.

Chrysost. Hom. 6.

PVNCTVM I.

Quis hæreticus?

NOn omnes qui errant in fide, hæretici censendi sunt; multo minus ij qui detrahunt de fide, disputant aut dubitant. Non enim, vti dixit Augustinus, omnis error, hæresis est, quamuis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut existimo, aut omninò non potest, aut difficillimè potest. Nec illi temerè crimen hæresis statim impingunt in faciem eorum, qui diuersa à se, imò & aduersa sentiunt; quamuis fortasse fideliores sint, & meliores Catholici: sed sicut sine vllo negotio, & ad placitum statim definiunt quodnam sit mortale peccatum, quodnam veniale, licet, Augustini iudicio, sit id omnium operosissimum; sic & ad arbitrium, imò ad libitum, statim decernunt quis hæreticus sit, imò & dicunt, quamuis sano etiam iudicio, difficillimum sit discernere, periculosum dicere. Quid enim si regeratur, dicaturque ipsos qui aliis tam odiosè succensent, dum eos obstinatè censent hæreticos esse, parum Catholicos esse, vixque Christianos? Ita Augustinus, enumeratis nonnullis hæresibus, absoluit, concluditque. Omnis itaque Christianus Catholicus ista non debet credere: sed non omnis qui ista non credit, consequenter debet se Christianum Catholicum iam putare, vel dicere. Possunt enim & hæreses aliæ, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri; quarum aliquam quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum, requirendum est: vt cum hoc Domino adiuuante vitamus; non solùm ea quæ scimus, verùm etiam quæ nescimus; siue quæ iam orta sunt, siue quæ adhuc oriri poterunt, hæretica venena vitemus. Putamus enim nonnunquàm hæretica venena esse, quæ dogmata sunt Catholica: eos nonnunquam vitamus vt hæreticos, quos audire debemus & credere, tanquam sanæ doctrinæ præceptores, auitæ disciplinæ vindices: non enim nostrûm est absoluere, aut damnare, sed damnationi stare vel absolutioni: id est, non debemus ex sententiæ episcynio, sed ex Ecclesiæ iudicio pronuntiare, quis hæreticus dicendus sit, aut quis non censendus: cum non amoris aut odij, sed veritatis seu fidei, sequenda sit regula.

Augustin. lib. de hær.

Augustin. in fine.

Hæreticus errat sed non omnis qui errat est hæreticus.

Sanè hæretici non solùm admonendi sunt, sed & corripiendi, imò si inobsequentes sunt ac contumaces, etiam eiiciendi. Non enim possunt indifferenter, vt Augustinus loquitur, sine vllâ correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis indifferenter habuit philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes. Denique magnæ consolationes fiunt etiam de correctionibus eorum; quæ piorum animas tantâ iucunditate perfundunt, quantis doloribus de suâ perditione cruciauerant. Qui ergo in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid, prauumque sapiunt, si correpti vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter: suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. En quomodo errantes euadant hæretici, non enim ignorantia hæreticos facit, sed pertinacia; ideoque monendi sunt illi & corripiendi, vt agnoscant errare se, & ab errore resipiscant. Constituamus ergo, ait ille, duos aliquos isto modo, vnum eorum, verbi gratiâ, id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extrà Ecclesiæ Catholicæ communionem: aliud verò hoc idem sentire, sed in Catholicâ baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit. Benè, hæresim apertam protulit in exemplum, & inde certum manifestumqe erroris intulit præiudicium. Sunt enim hæretici, quod fatendum est, (vt aduertit) qui singulis vel non multo amplius dogmatibus oppugnant regulam veritatis: sicut Macedoniani, vel Photiniani, atque alij quicumque ita sese habent. Illi autem, vt ita dixerim, fabulones, id est qui fabulas vanas easdemque longas perplexasque contexuerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, vt ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillimè possint.

Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 51.

Non ignorantia hæreticum facit; sed pertinacia.

Augustin. lib. 4. de bapt. cont. Don. cap. 16.

Augustin. lib de hæres.

Sed quando dixit Paulus hæreticum hominem; non solùm errantem ostendit, sed & peruicacem

peruicacem ; nec nutabundum duntaxat , sed & obfirmatum; vt qui veritatem manifestatam despuat, & cogitatam præferat vanitatem. Nec diutius de isto , ait Tertullianus , si idem est Paulus , qui in omni penè epistolâ de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans , hæreses taxat , quarum opera sunt adulteræ doctrinæ: hæreses dictæ Græcâ voce ex interpretatione electionis , quâ quis siue ad instruendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Ideò & sibi damnatum dixit hæreticum , quia & in quo damnatur , sibi elegit. Igitur , dixit quidem Apostolus Paulus , Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita , sciens quia subuersus est eiusmodi , & peccat , & est à semetipso damnatus. Sed qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nullâ pertinaci animositate defendunt , (verba sunt Augustini) præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt , sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt , quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem , corrigi parati , cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Porrò quicumque illi sint , seu auctores , seu assertores ; seu principatûs cupiditate ducti, seu vanitate sensus corrupti , nisi fidem Christianam Catholicam ve ex destinato , seu ex proposito concusserint , nisi propositam expositamque respuerint veritatem , & ad hostium castra transierint , defenderintque dogmata hæreticorum : non sunt in eorum recensendi numero , nec eorum inscribendi laterculo. Viam tutissimam , ait Augustinus, quæ ducit ad æternam vitam non dimittamus. Quæ est via? Christus ex toto, ex capite, ex corpore. Caput & corpus, Christus & Ecclesia. Nec ab illo separemur , aliquid aliud de illo , sicut hæretici , credendo : nec ab istâ , prauis nostris motibus declinando. Apud Catholicam, dilectissimi , noueritis tantùm esse veram fidem , germanam pacem , perpetuam salutem. Non enim in angulo est , sed vbique tota est. Si quis ab eâ discesserit atque in hæreticorum errorem se tradiderit, vt fugitiuus seruus iudicabitur, non vt filius adoptiuus.

Tertullian. lib. de præscript. c. 6.

Augustin. epist. 162. à limine.

Quinam vere inter hæreticos deputandi.

Augustin. orat. cont. Iud. pag. Arian. c. 21. & cap. 20.

PVNCTVM II.

Quoties corripiendus?

NOn solùm quæstio potest esse de numero, sed & de modo : cum correptio illa, non à quouis facienda sit, sed ab Episcopo. Denique , cur & certo numero ac modo sit comprehensa.

Quoad primum. Iam audiuimus Augustinum , vnâ correptione contentum : sed non ille solus : Tertullianus enim Latinorum omnium antiquissimus , vnicam exigit , dum post primam definit. Idem est Paulus , inquit , qui Tito suggerit , Hæreticum hominem post primam correptionem recusandum , quod peruersus sit eiusmodi & delinquat , vt à semetipso damnatus. Et ne illum sibi excidisse putes, id ipsum adstruit. Fides nostra , inquit, obsequium Apostolo debet , prohibenti quæ- A stiones inire , nouis vocibus aures accommodare , hæreticum post vnam correptionem conuenire , non post disputationem. Adeò interdixit disputationem , correptionem designans causam hæretici conueniendi : & hoc vnam , scilicet , quia non est Christianus: ne more Christiani , semel & iterum , & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur ; cum ob hoc sit castigandus , propter quod non sit cum illo disputandum. Nihil dico de Cypriano , lectionem magistri sectato & expositionem. Sed & Irenæus ipse à Tertulliano laudatus , ita legit , & ita intelligit. B Tantum , inquit , Apostoli , & horum discipuli habuerunt timorem , ne verbo tenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem , quemadmodum & Paulus ait, Hæreticum autem hominem post vnam correptionem deuita , sciens quoniam peruersus est qui est talis, & à semetipso damnatus. Adeò vt Ambrosius non solùm eundem reponat textum , sed & in eundem sensum exigat. Hæreticum hominem post primam correptionem deuita. Hæretici hi sunt , inquit , qui per verba legis , legem impugnant. Proprium enim sensum verbis adstruunt legis , vt prauitatem mentis suæ , legis auctoritate commendent. C Idcircò huiusmodi homines vt inexcusabiles sint , semel corripi oportere dicit. Frequentiùs enim correpti , exercitatiores fient in malo. Et ne causeris pseudepigraphum esse Ambrosium : non semel germanus Ambrosius eandem retulit lectionem : sed & cum aliam non solùm vsurpauerit , sed & probauerit vt scripturam legitimam : vltrò non vnam fuisse lectionem , tam apud Latinos , quàm & apud Græcos. Sed addamus , nostram communiorem , & sine vllo dubio retinendam. Et ideò, (ita Leo) fraternâ vos & paternâ solicitudine commonemus , vt inimicos Catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ , in nullam recipiatis consen- D sionis affectum , dicente Apostolo : Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita , sciens quia qui huiusmodi est , subuersus est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Propria enim pertinacia perit, & suâ à Christo discedit insania , qui religiosum sibi atque catholicum putat , id quod sanctorum patrum iudicio constat esse damnatum.

Tertullian. lib. de præsc. cap 6.

Tertullian. cap. 16.

Iren. lib 3. aduers. hæres. cap. 3.

Ambros. in Paulum.

Multiplicitas correctionum non semper meliores facit, sed aliquãdo acutiores.

Leo serm. cont. hær. Eutych. post init.

Quoad secundum. Varietas lectionum , & expositionum conformitas satis ostendunt, vim correptionis non tam in numero ponendam esse, quàm in modo: nec de Euangelij præcepto E quæstionem instituendam esse, sed de imperio Episcopi. Aliud est enim infirmũ monere peccatorem, aliud impudentem hæreticum reprimere. Vnde & Apostolus, (vt Ambros. aduertit) Corripite, inquit, fratrem, vt erubescat. Infirmus enim custos diuturnæ bonitatis est timor: pudor autẽ, bonus magister officij. Qui enim metuit, reprimitur, non emendatur: quem pudet facere, in naturam vertit. Denique Apostolus , qui diuini est verus interpres oraculi. Hæreticum, inquit , post vnam aut secundam correptionem deuita : quia non est æquè perfidia vt culpa veniabilis. Et quoniam , plerumque per imperitiam error obrepit , corripiendum præcipit: vt aut pertinacia vitetur, aut prolapsio corrigatur.

Ambros. in cap. 17. Luc. post. init.

corrigatur. Discenda sunt igitur peccata, seu potius peccantium genera. Nam sunt, quibus proficit correctio, sunt & quibus officit: dum per correptionem emendantur illi; isti deprauãtur; dum occasionem sumunt altercandi, cõrestandique; nec iam audiunt Ecclesiæ vocem, sed insaniæ rabiem euomunt. Cogere enim illos videtur, ait Commentator Ambros. qui sæpè corripit vt sollicitiores fiant ad perditionem multorum: ideò dimittendos, vt negligentiores effecti vel soli fortè depereant. Sunt igitur aliqui, quibus non tantùm secunda, sed & tertia adhibenda est correptio: & sunt alij, quibus subtrahenda est; maximè si peccatum sit publicum manifestumque; nec scandalo solùm, sed & periculo; cum non tantùm firmos inficiat contagio, sed & infirmos medios que exemplo pelliciat: serpatque corruptio. Itaq; tria obseruanda sunt. Primum est, vt correptio publicè fiat, in cœtu scilic. seu conuentu ac communi societate. Alterum, vt fiat iuridicè, id est, ex Episcopali auctoritate. Tertium, vt non minùs pertinacia pateat quàm culpa, & peruicacia non amplius sub ignorantiæ vel incuriæ laruâ lateat. Si enim Antistitem publicè, ac iuridicè loquentem non audit, imò & contemnit; iam velut ethnicus ac publicanus habendus est, nec ad alloquium, vel ad vllum collationis ac conuersationis commercium admittendus.

Comment. Athanas.

Aliquando protrahenda correptio, aliquando subtrahenda.

Quoad tertium. Correptio est propter correctionem, sicut curatio propter sanitatem sanationem-ve. Cum errante agendum ait Aquin. vt corrigatur. Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Et ideò non est dimittendum quousque videatur si curari poterit, sed si non potest sanari, tunc est dimittendus. Ita aliquando indulgentior Paulus, aliquando seuerior. Quomodo enim alio in loco ait: Ne forte Deus det illis pœnitentiam, cum hîc dicat, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita? Nempe, vt resoluit Chrysost. illic de his loquebatur, de quibus corrigendis supererat spes, ac de his qui simpliciter reluctabantur, non aduersandi affectu, sed studio discẽdę veritatis. Vbi verò manifestus fuerit omnibus atque conspicuus aduersarius veritatis, cur obsecro pugnas in cassum? cur aërem cędis? Quoties ergo quisq; peruersus fuerit, ac decreuerit animo, quodcumq; contigerit, non mutare sententiam, cur eius gratiâ frustrà laboras, atque inter saxa seminare contendis? Quanto vtilius laborem hunc docẽdi tuis membris impenderes, eis de eleemosynâ, cæterisq; virtutibus disserendo? Et quidem semel saltem hæreticus corripiendus est, ne dissimulet, aut exprobret, neminem admonuisse, neminem corripuisse: nec vlterius procedendum esset, aut amplius corripiendum; si aut emendata esset culpa, aut plaga desperata: sed post vnam & alteram correctionem solemnem, cessandum est, quia in hac causâ nihil vltra sperandum. Quemadmodum enim ait ille, magnæ desidiæ, magnæque socordiæ est, eos despicere, quos immutandos in melius non desperamus: ita eos qui desperabiliter languent curare contendere, stultitiæ ingentis est, atque extremæ dementiæ. Quippe ex hoc plus illis audaciæ, ac temeritatis adiicitur. Vanè enim in correptionibus & contentionibus hæreticorum tempus conteritur, cum fructuosè in fidelium exhortationibus impenditur.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. 6.

Nulla est cura, vbi desperata est plaga.

Chrysost. Ibidem.

PVNCTVM III.

Quomodo vitandus?

QVid ergo, cura Pastoris negligenda est, & abiicienda præsulis vigilantia? Minimè. Sed abrumpenda familiaritas, intercidenda societas, oratio non intermittenda.

Quoad primum. Sicut appetenda & requirenda piorum consortia, sic & fugienda impiorum, hæreticorumq; alloquia. Omnes, ait Leo, diaboli cauete versutias, qui non solùm per carnis concupiscentias, & per corporeas tantùm insidiatur illecebras: sed inter ipsa quoque semina fidei, spargens zizanias falsitatum, veritatis studet violare culturam; vt quos non potuerit corrumpere malis actibus, impiis subuertat erroribus. Fugite ergo mundanæ argumenta doctrinæ, & vipera hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis, qui Catholicæ aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. Non enim templum spiritûs Dei, nec membra sunt Christi, sed falsis opinionibus implicati, tot species habent diaboli quot simulachra diaboli. Sicut enim ethnici manu fabricantur idola, sic & hæretici sensu falsa dogmata meditantur, nec tam Dei simulachra machinantur, quàm diaboli: ideoque pariter detestandi, pariterque vitandi. Nec id simplici duntaxat plebi iniunctum est, sed & ab Apostolis ipsis obseruatum, & viris Apostolicis; qui quod præcipiebant verbo, docebant exemplo. Ita Irenæus de Polycarpo. Id est, inquit, qui sub Aniceto cum aduenisset in vrbem, multos hæreticos conuertit in Ecclesiam Dei: vnam & solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesiæ tradidit. Et sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Ioannes Domini discipulus in Epheso iens lauari, cum vidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti, Cognoscis nos, respondit, Cognosco te primogenitum Satanæ. Ita non maiorem cum hæretico familiaritatem contrahebant, quam cum diabolo; nec minus sobolem fugiebant quàm parentem. Non enim hæretici minus quàm ethnici eodem patre sati, non minus à dæmone subornati. Videt eos adoratores falsorum deorum (ita loquitur Augustinus) videt eos seruos, & seruos dæmoniorum. Et vnum quamuis falsum & vanum sentientes, sibique consentientes, sic eos possidet. At verò cum desereretur, & multi ad vnum Deum concurrerent, eius sacramenta sacrilega desererent, idola frangerent, sacrificia prohiberent: vidit se perdidisse quos tenebat, vidit à suâ familiâ recessisse, verum

Leo serm. 18. de pas. Dom. vers. fin.

Tam hæretici quàm ethnici falsorum, sunt deorum architecti.

Iren. lib 3. aduers. hæres. cap. 3.

Augustin. Tract. de vtilit. ieiun. cap 8.

Deum cognouisse. Quid faceret? quomodo insidiaretur? Vnum Deum nobis diuidere non potest, falsos deos nobis supponere non potest. Quia multos deos non potuit fabricare Christianis, sectas multiplicauit, errores seminauit, hæreses instituit.

Quoad secundum. Aliud communicatio Ecclesiasticæ pacis, aliud humanæ necessitatis exhibitio: aliud enim quod indictum fraternitati: & aliud quod humanitati indultum. Non solùm ergo familiaritas abrumpenda cum hæreticis, sed & omnis societas; nec Ecclesiastica tantùm, sed & ciuilis: nihilque credendum aut deferendum, nisi humilitati, seu necessitati. Nihil, ait Leo, cum huiusmodi hominibus commercium sit cuiquam Christiano, nulla cum talibus habeatur societas, nullúmque consortium. Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus. Non sunt casta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuserint imperitis, posthoc nullius excusabilis erit lapsus: nec iam simplex habẽdus est, sed valdè nequam ac peruersus, qui deinceps repertus fuerit nefando obstrictus errore. Et id quidem omnibus iniunctum est fidelibus, sed maximè mulieribus; vtpote simplicioribus, errorique proximioribus & lapsui. Hos homines, ait ille, per omnia execrabiles atque pestiferos, ab amicitiâ vestrâ penitus abdicate: vosque præcipuè mulieres à talium notitiâ & colloquiis abstinete: ne dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis. Qui sciens, quòd primum virum mulieris ore seduxerit, & per fœmineam credulitatem omnes homines à Paradisi felicitate deiecerit, vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutiâ, vt eas, quas sibi potuerit, per Ministros suæ falsitatis illicere, & fide spoliet & pudore. Illud quoque vos, (dilectissimi) obsecrans moneo, vt si cui vestrûm innotuerit, vbi habitent, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostri sollicitudini fideliter indicetis. Quia parum prodest vnicuique, quòd protegente Spiritu sancto ab istis ipse non capitur, si cum alios capi intelligit, non mouetur. Contra communes hostes pro salute communi, vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi. Porrò, si id indictum plebi, quanto magis Antistiti, cui plebis cura commissa est, & iniuncta vigilantia? Quamuis enim abesse periculum possit, nusquam tamen deesse debet exemplum; quo non solùm priuata familiaritas auferatur, sed & publica rescindatur societas. Rectè à vobis, ait Augustinus, quæritur vox Christi, vox Pastoris, quam omnes audiant & sequantur. Audite & sequimini. Dimittite vocem lupi, sequimini vocem Pastoris. Hoc clamat Episcopus, sed magis exemplo quàm verbo demonstrat.

Leo serm. 4. de Epiph. vers. fin.

Leo serm. 5. de ieiun. decimi mens. vers. fin.

Vitanda omnibus, maximè mulieribus, hæreticorum commercia.

Augustin. lib. de Past. cap. 14.

Quoad tertium. Neganda quidem hæreticis communicatio societatis Ecclesiasticæ Cum inimicis crucis Christi, ait Leo, nul-

A lâ consensione iungamur, ne impiorum consortio sanctitas fidelium polluatur. Lux separetur à tenebris, & fugiant filios diaboli filij veritatis. In templum enim Domini, quod est Ecclesia Christi, nil contaminatum inferri, nil profanum debet admitti. Sed si adempta est communicatio societatis, non tamen orationis participatio: licèt enim abrupta sit familiaritas, non tamen charitas intercepta. Idcircò cum nondum salus proclamata sit hæreticorum, sicut desperata est dæmonum: non solùm inuitandi sunt illi, sed & precibus, si non iam sermonibus, adiuuandi. Quamuis enim absumpta sit Pastoris industria, nondum tamen fortassis exhausta B illius misericordia, qui flectere voluntatem potest, & veritatem aperire. Dicimus enim, (cum Augustino & ex Augustino) & ipsam pœnitentiam Deum dare: quia licèt voluntate quisque agat pœnitentiam, præparatur etiam voluntas à Domino: & hæc est mutatio dexteræ excelsi, quam sacer insonat Psalmus: quia vt fleret Petrus, eum respexit Dominus; vnde ait de quibusdam coapostolus eius, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Nam quod immutabilis malitia dicitur, homini est immutabilis, qui eam mutare non potest; non Deo, qui omnia potest. Equidem nomina hæreticorum non sunt ad altare C recitanda. Nam iniquum nimis est, vt scribit Leo, atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos suâ persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri; cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se suâ prauitate condemnent, quos conuenit aut percelli pro perfidiâ, aut laborare pro veniâ. Tamen quamdiu viuunt, iuuari possunt orationibus fidelium: nec Antistites obstare debent, sed potius adhortationibus; nec verbis solùm, sed & exemplis compellere. Ecclesiasticum sanè, ait ille, atque diuinum institutum non solùm non inhibemus, sed etiam incitamus affectum, vt D etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis; quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mœrore miseramur, exequentes Apostolicæ pietatis exemplum, vt cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus. Speramus enim exorandam misericordiam multis lacrymis, & legitimâ satisfactione lapsorum; quia dum hoc in corpore viuitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio; auxiliante Domino, qui erigit elisos, soluit compeditos, & illuminat cæcos, cui est honor & gloria in secula seculorum, E Amen.

Leo serm. 4. de Quadrag. vers. fin.

Augustin. lib. 4. op. inch. num. 125.

Leo epist. 40. cap. 3.

Nomina hæreticorum ad altare non recitata.

Leo serm. 4. de Epiphan. in fine.

PVNCTVM. IV.

Vnde proprio damnatus iudicio.

ADmonet abrumpi filum disputationis, contentionis absolui terminum. Iam hæc vana docet & inutilia: iubetque non deinceps

ceps audiri vel admitti hæreticum, sed abiici vt membrum putridum. Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est; & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Antequam scilicet censura fulguret, & Ecclesiastica intonet sententia. Vltrò enim ipse segregat se, & doctrinâ à fratribus seu fidelibus dissonâ separat. Itaque sicut manifestum separationis argumentum, sic & paratum damnationis iudicium: nam sicut ille suapte separatus est sententiâ, sic & diuino condemnandus iudicio. Cur eum non fugias, quem scias aut certè coniicias haud temerariè à semetipso prędamnandum, & à Deo reprobandum, Vt discedamus ab eis cum quibus nobis conuenire non potest, (verba sunt Ambrosij) habes additum ab Apostolo, cum præcepit Tito vt loquatur quæ decent sanam doctrinam, deinde pugnas legis declinet; hoc est, primùm gratiam seminet, deinde nullum litigando auertat: tertium est, vt hæreticum hominem post vnam correptionem deuitet, quia subuersus est qui huiusmodi est, & delinquit, cùm sit à semetipso damnatus. Quàm arguit suo iudicio damnatum, nostræ vltioni subtrahit, quasi indignum in quem vindicetur. Sic vt & ille disserit. Suâ sententiâ Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè fit vobis quòd non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium: omnium enim supergreditur sententias, qui à suâ conscientiâ, suâ sententiâ condemnatur. Hoc, inquam sacrilegi solet esse iudicium, vt conscius facti ipse se damnet, sicut aït Apostolus Paulus de hæretico, dicens: Hæreticum hominem post primam correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Ipse enim se damnat hæreticus, cum de Ecclesiâ ipse se proiicit, & de cœtu sanctorum nullo repellente recedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi, Episcopi sententiâ proiiciantur de consortio Christiano, hæreticus cunctorum vota præueniens, sententiâ suæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus, quali & Iudas pœnâ damnatur: nec immeritò, quia Dominum quem ille vendidit, iste blasphemat: quem ille persecutoribus tradidit, quotidie iste persequitur.

Ambrof. lib. 1. de Abrah. cap. 6.

Ambrof. serm. 2. in cap. 13. Daniel.

Hæreticus, vt Iudas, & reus sceleris, & iudex vltionis.

Probè autem dixit Apostolus, vitandum hominem hæreticum; omnem equidem eliminando, sed nullum indicando. Instruenda enim, vt Augustinus monuit, & animanda est infirmitas hominis aduersùs tentationes & scandala, siue foris, siue in ipsâ intus Ecclesiâ. Foris aduersùs gentiles, vel Iudæos, vel hæreticos: intus autem aduersùs areæ Dominicæ paleam. Non vt contra singula peruersorum genera disputetur, omnesque prauæ illorum opiniones propositis quæstionibus refellantur: sed pro tempore breui demonstrandum est, ita esse prædictum, & quæ sit vtilitas tentationum erudiendis fidelibus, & quæ medicina in exemplo patientiæ Dei, qui statuit vsque in finem ista permittere. Sunt enim nonnulli, zelo ducti, sed amaro; qui nouos affingunt titulos, & cæteris omissis, quæ mo-

Augustin. lib. de catech. rud. cap. 7.

A res instruunt, aut destruunt infideles, hoc vnum obtinniunt; nec tam de diuinâ auctoritate pacti quàm de propriâ vtilitate, non aperiunt veritatem, sed animositatem effundunt: quasi illis melior esset aut doctior, non qui iustiorem tenet fidem, sed qui acriorem exercet bilem; non qui euidentiores sententias adducit, sed qui atrociores euomit iniurias. Digito signant, & eos arbitrio suo denotant vt hæreticos, quos eruditiores pudet, tædet esse sanctiores. Laborant, desudant, non vt eos qui sunt extrà Ecclesiam, in sinum eius reducant; sed vt eos, qui non solùm sunt in B Ecclesiâ, sed & in eâ docent cum fide & cum laude florent, extra regnum eius deiiciant, sicque Ecclesiam non iuuent, sed contristent; cum illa neminem propellat suorum, imò & perditorum quemuis, & renitentem trahat, & adducat inuitum. Si posses videre dolorem cordis mei, (ita Augustinus) & sollicitudinem pro salute tuâ, fortassis misereris animæ tuæ; placens Deo in audiendo verbo, non nostro, sed ipsius. Displicet tibi quia traheris ad salutem, cum tam multos nostros ad perniciem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi & præsentari & seruari ne pereas. Vide quemadmodum de his qui priùs venerant, dictum est, Compelle. Tanto enim C maiore vtitur Ecclesia potestate, vt non solùm inuitet, sed etiam cogat ad bonum. Qui compellitur, quò non vult cogitur; sed cum intrauerit, iam volens pascitur. O Magistrum veritatis, ô amicum charitatis; qui omnes prosequatur, omnes complectatur; sed bonos, vt seruet; malos, vt emendet.

Ecclesia neminem depellit, sed errantem reducit.

Augustin. epist. 204. à limine.

HYPOGRAPHE.

IN fine Epistolæ, de tribus esse potest quæstio, de scriptione, de salutatione, de apprecatione: non inutilis quidem, sed breuis solutio, nec tam verbis protrahenda, quàm clausulis coercenda.

D Quoad primum. Paulum adiisse Cretam, certissimum est, alioquin non ibi reliquisset Titum Episcopum, si nec ibi ipsemet affuisset. Reliqui te Cretæ, vt ea quod desunt corrigas. Seu, vt ex Græco, Supercorrigas. Vt pergas corrigere, & quæ sunt reliqua quæ à me iam correcta, vel corrigenda in iustiorem redigas ordinem. Audi nempe, ait Chrysostomus, quid beatus hîc dicat: Huius rei gratiâ, inquit, reliqui te Cretæ. Veluti domum vnam, orbem totum inter se distribuentes, ita vniuersa officia peragebant, vt omnium qui essent vbique terrarum, curam gererent: dum hîc quidem hanc orbis partem, ille aliam E acciperet disponendam. Quando autem insulam adierit, non æquè certum: sed verùm quod si non accurrit, certè regioni succurrit turpi ingluuie, & infami libidine laboranti. Quid enim pueros non solum impunè rapi, sed & inter cæteros honorificè constitui? Verùm Cretensis Ecclesia; non minùs illustris fuit pietate, quàm fide nobilis: & quæ à Paulo instituta, à Tito exculta, diu virgo permansit, & illibata. Nondum erat in vinculis Paulus cum hanc scriberet Epistolam; cum libertate potiretur, moraretturque pro voluntate.

Chrysost. Hom. 2.

tate. Feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare. An ibi ergo ſcripta eſt Epiſtola? Sed cum ſtatuat ibidem hyemare, ſatis indicat ſe nondum adeſſe, ſed tantùm proponere. Ex Græcia igitur, ſeu ex Achaiâ, miſſa eſt Epiſtola: Nicopolis enim, quæ ab Auguſti victoria hoc nomen ſortita eſt, Græciæ eſt contermina. Tria autem adnotanda ſunt. Primum eſt, Paulum vocaſſe quidem Titum ad ſe, ſed priùs aliquos deſtinaſſe, qui locum ſupplerent, & regerent populum. Cum miſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtina ad me venire. Alterum, neceſſitati per alios prouidiſſe, & quantum fas fuit, Epiſcopali pepercisſe ſedulitati. Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicitè præmitte, &, Ratio quare iſtos vult præmitti, ait Aquinas, & non Titum, eſt, quia Titus neceſſarius erat apud Cretam propter epiſcopatum: iſti autem non habebant aliquam curam. Tertium, miniſtris conſuluiſſe, debito proſequendis viatico. Præmitte. Seu, ex Græco, Deducito. Vt viros honorabiles, & vtiles miniſtros. Vt nihil illis deſit. Ad ſumptus neceſſarios. Victum videlicet (ait Athanaſius) & amictum. Poſſem equidem vel aliter prouidere, vt nullâ hi re indigerent, velim tamen vt noſtri, id eſt, qui circa te ſunt, diſcant ex huiuſmodi neceſſariis rebus Zenæ νομικῷ & Apollo ſuppeditatis, bonis operibus præeſſe. Neque adeò, vt illi ex his aliquid lucrifaciant, ſed vt ipſi fructum accipiant ex ea clementiâ, quâ ſunt in proximos vſi. Nam nobis & erratorum veniam, & apud Deum fiduciam pariunt inopes.

Vnde & quãdo ſcripta ad Titum Epiſtola.

Aquin. lect. 4.

Athanaſ. in Paulum.

Quoad ſecundum. Salutatio & aliorum & ſua, & beneuolentiam fouet, & adauget gratiam. Salutant te qui mecum ſunt, omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. In quibus tria ſunt obſeruanda: quorum primum eſt, Paulum non ſolùm ſectam inſtituiſſe caſtitatis, vt obſeruat Tertullianus, ſed & ſcholam tenuiſſe pietatis, in quâ diſcipulos erudiret, & inde eos in officium mitteret, aut committeret in miniſterium. Ita in Actibus: Impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli. Duo igitur genera diſcipulorum: vnum eorum quos Paulus inſtitueret quaſi per transſennam, alterum eorum quos edoceret per frequentiam; ideoque circumducebat, habebatque vt diſcipulos fideles, ſocios ac comites. Ita de Tito Chryſoſtomus ad Paulum. Quid ſibi hoc vult, cum iam eum præfeceras inſulæ, & rurſus ad teipſum vocas? Non, inquit, hoc ago, vt illum à ſuo remoueam ſtudio atque miniſterio, ſed vt à me inſtructior doctiorque diſcedat. Nam quòd illum non idcircò ad ſe vocet, vt ſecum circumducat, & vbique comitem habeat, audi quid ſequitur. Illic enim hyemare decreui. Quid eſt igitur, Qui mecum ſunt? Id eſt, comites mei, fideles viri, familiares diſcipuli. Alterum, tantam apud illos fuiſſe concordiam animorum, quantam & ſtudiorum curam. Salutant te. Quinam? Omnes. Alibi enim diſtinguit, & ſecernit nominatim, hîc nihil ſpeciatim exprimit. Sicut enim erat illis anima vna, & cor vnum; ſic

Actuum cap. 19.

Chryſoſt. Hom 6.

Schola Apoſtolica, in quâ ſumma concordia.

A & vna ſententia, & os vnum. Tertium, ſalutationes illas, non tam ciuiles fuiſſe quàm Chriſtianas, nec tam more ac conſuetudine, quàm fide ac charitate ſubnixas. Saluta eos qui nos amant in fide. Certè nulli alij Paulum amabant, aut optabant ſaluum, niſi Chriſtiani. Cur ergo dicit, Saluta eos qui nos amant in fide? An aliquis eum amat, niſi qui eſt in fide? At multi amant, qui ſunt in fide, nec tamen amant in fide, ſeu ex fide, quia amant vt ciues, vel vt familiares, non vt fideles. Non ſunt amici charitatis, ſed cupidi-B tatis ſocij. Non recuſat amari Paulus, ſed optat amari in fide, id eſt, ex charitate. Eos dicit ſalutem huic impartiri, qui purâ erga ſe charitate afficerentur. Ita exponit Athanaſius, & per puram charitatem, cupiditatem mundanam abigit vult id fieri animo fideli, non ciuili officio: omnia ſanctè ſanctis, Chriſtianis Chriſtianè: non ſolùm affectu fideli, ſed & ſpiritali inſtinctu.

Athanaſ. in Paulum.

Quoad tertium. Poſt ſalutationem apprecatio. Gratia Dei cum omnibus vobis. In quo etiam tria connotanda ſunt. Primum eſt, Paulum per gratiam inchoare Epiſtolam per gratiam Dei, & per gratiam conſummare. C Quomodo incipit? Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Saluatore noſtro. Quomodo abſoluit? Gratia Dei cum omnibus vobis. Gratia enim diuina, non ſolùm incipit, ſed & perficit, non ſolùm præuenit, ſed & abſoluit: cum ſine gratia Dei, nulla ſit cupiditas boni, aut caſſa ſit voluntas. Si enim non præuenit vt operetur eam, (ita Auguſtinus, ſed priùs exiſtenti voluntati gratia cooperatur; quomodo verum eſt, Deus in nobis operatur & velle? Cum diſplicet tibi, hominem non poſſe bonum velle, niſi adiuuetur ab eo qui malum non poteſt velle, D nonne reſpicis ei te contradicere, qui dixit, Sine me nihil poteſtis facere. Vbi nihil miror niſi vnde te Chriſtianum dicas, cum his diuinis tot, & tam claris vocibus contradicas. Cum autem dixit Chriſtus, Nihil; certè, nihil etiam excipit, ſiue paruum ſiue magnum. Vnde Paulus adiicit, Et perficere; vt intelligatur omnia eſſe à gratiâ diuinâ, tam finem quàm principium, tam perfectionem quàm & initium, omnia ab ipsâ profluere. Alterum eſt Apoſtolum non ſolum Tito dilecto, ſed & omnibus fidelibus gratiam apprecari, eandemque conteſtari beneuolentiam. Gratia Dei. Quibuſcum? Cum omnibus vobis. Vt ſcia-E tur, illam Dei gratiam apprimè neceſſariam eſſe, quæ non ſolùm operatur omnia, ſed & in omnibus operatur: tam in diſcipulis, quàm in magiſtris; tam in Tito, quàm & in ipſo Paulo. Tu, inquit Auguſtinus Iuliano, nega dixiſſe Apoſtolum, Cum eſſetis ſerui peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Aut ſi hoc ab eo dictum eſſe non negas, non eum rectè dixiſſe redargue. Si autem dicis à reatu præteritorum malorum, non à dominatu peccati, quo quiſque iuſtus eſſe non ſinitur, eos fuiſſe Dei gratiâ liberatos: vt autem eis non dominaretur peccatum, ipſos facere potuiſſe ſi vellent, neque ad hoc indiguiſſe gratiâ Saluatoris; vbi ponis eum qui dicit, Non quod volo facio bonum,

Auguſtin. lib. 1. op. inch. nu. 95. & num. 97.

Gratia Dei omnibus & in omnibus neceſſaria.

Auguſtin. lib. 1. op. inch. nu. 99.

bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Tertium denique, Paulum nihil aliud seu Tito discipulo, seu fidelibus omnibus, quàm Dei gratiam apprecatum. Gratia Dei. Scilicet, vt exponit Aquinas, quæ est principium omnium bonorum. Qui enim habet gratiam Dei, causam in se boni omnis salutaris ac beatifici continet. Homo Pelagiane, ait Augustinus, charitas vult bonum, & charitas ex

Aquin. lect. 1.


A Deo est, & non per legis literam, sed per spiritum gratiæ. In hoc est prædestinatis adiutorium litera, quia iubendo & non iuuando admonet infirmum confugere ad spiritum gratiæ, si lege legitimè vtantur, quibus bona est, id est vtilis: alioquin per se ipsa litera occidit quia iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos præuaricationis facit.

Augustin. lib. 1. op. inch. num. 94.



IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGVMENTVM.



PHILEMON nullâ quidem ordinationis Ecclesiasticæ dignitate sublimis, sed pietate nobilis, & singularis Epistolæ inscriptione notabilis. Ciuis erat Colossensis, cuius seruus nomine Onesimus, furto facto, fugam arripuerat, Romamque contenderat. Subiit animum inuisendi Paulum, quem sciret captiuum, sed hero suo pernecessarium. Succepit eum Paulus captiuus seruum, & fecit liberum: sed aliquandiu detentum, & probè de fide instructum, ad dominum remisit cum literis commendatitiis. Causâ Onesimi, ait Ambrosius, literas facit, vt non solùm ignoscat ei Philemon; sed & Deo gratias agat, quia talem illum recepit, vt non seruum æstimet, sed fratrem dilectissimum.

Ambros. in proœm.

CAPVT VNICVM.

Epigraphe.

LAudatione prætiâ Philemonis animum occupat: tum seruum commendat, amicâ interpellatione, rogatque vt eum recipiat, non vt reum, sed vt semetipsum.

TEXTVS.



PAVLVS vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tuâ est. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino

Iesu, & in omnes sanctos: vt communicatio fidei tuæ euidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu. Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tuâ: quia viscera sanctorum requieuerunt per te, frater. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi: Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, vt mea viscera, suscipe: quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij: sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes: iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi; quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino? Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, vt non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes: ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino. Confidẽs in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies. Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

POTVIT Paulus imperare, sed obsecrare maluit. Quis autem non annuat tantâ gratiâ roganti, aut quis resistat tantâ supplicanti instantiâ?

Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adiutori nostro &c. Scribit, salutem-ve dicit. Paulus ergo vinctus, Græcè δέσμιος, captiuus. Et Timotheus frater, par quidem societate, sed impar dignitate. Philemoni dilecto. Græcè, ἀγαπητῷ, mihi charo. Et adiutori nostro, mihi operam suam nauanti, in Euangelio Christi promouendo. Si dilectus Philemon, & gratiam faciet postulanti. Si adiutor, nequaquam seruum cum ad se venerit, coërcebit. Ita Commentator Athanasianus. (Athanas. Comment.) Et Appiæ sorori, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tuâ est &c. Et Appiæ, agapetæ, seu dilectæ. Et Archippo, comministro, & eandem nobiscum sortito militiam. Et domesticæ Philemonis Ecclesiæ. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo &c. Det vobis Deus Pater gratiam & pacem per Dominum nostrum Iesum Christum, salutaria dona, & optata bona per ipsius meritum communicet. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos &c. Cum effundo in conspectu Dei orationem meam, semper illi salutem tuam commendo, gratias agens de collatis benefi-

A ciis, & noua subinde vouens tibi ac petens. Audio enim charitatem quam exerces in fideles omnes, ex fide scilicet quam habes in Dominum Iesum. Ita accepi, ita credidi. Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu &c. (Fides manifesta, cum bonis operibus declarata.) Latere non potest beneficentia tua ex fide profecta, sed adeò manifesta facta est, vt omnes opera bona quæ propter Christum, facis, & in cœtum effundis, notent ac celebrẽt. Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tuâ: quia viscera sanctorum requieuerunt per te, frater &c. Eximiam accepi in vinculis meis lætitiam, ingentemque ego vinctus & afflictus sensi consolationem, quod per assiduum humanitatis ac pietatis tuæ studium, refocillata sint ac refrigerata Christianorum esurientium sitientiumque corpora.

B Inde certè & tu mihi charus, tu mihi acceptissimus. Manifestum est, ait Ambrosius, quia idcircò se significat lætum esse, quia sanctorum necessitatibus vtensilia ministrabat; vnde plus gaudet, certus ex hoc quia obsequeretur & mandatis eius quem constat esse potiorem. (Ambros. in Paulum.)

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi &c. Quapropter, licet possem liberè tibi in Christo, id quod decens est conueniensque, iniungere, malo tamen rogare: & cum sim Apostolus, iamque ætate prouectus, & insuper captiuitate pro Christo detentus & Euangelio: melius tamen duco fraternam charitatem petendo, quàm iubendo, paternam auctori

auctoritatem impendere. Ita leges, Cum sim talis. Sin autem dices & senem fuisse Philemonem, ideoque benignè tractandum, fraterneque obsecrandum. Redeo ad textum alium, qui Chysostomi, qui Athanasij, seu vulgarij, vtpote Græcæ literæ consonum. Cum talis, inquit, sim nuntius & intercessor, vt exaudiri videar non indignus. Ita ex præfato Athanasio. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remisi tibi &c. Accedit ad negotium, propter quod & beneuolentiæ, & modestiæ præmisit officium. Ego igitur obsecro te. Pro quo? non iam pro seruo tuo, sed pro meo filio, quem detentus & in carcere positus, fide imbui, quem per Euangelium seu ministerium Apostolicum genui. Et ille quidem aliquando tibi inutilis fuit, ne dicam infidelis; nunc autem cum fidelis sit, erit & tibi vtilis: & mihi iam quidem fuit, dum in vinculis meis affuit: nolui tamen eum detinenere, sed malui ad herum suum remittere. Tu autem illum, vt mea viscera, suscipe: quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij: sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium &c. Tu verò suscipe illum sic remissum, excipe, inquam, velut meipsum, seu filium ex visceribus meis genitum: quem equidem cupiebam retinere apud me, vt vicem tuam suppleret, & charitatem debitam homini pro Christo & Euangelio patienti impenderet. Te tamen inscio & inconsulto, nolui meo satisfacere desiderio, aut aliquid arbitrio tuo detrahere, ne videretur bonum istud opus ex aliqua necessitate, aut non liberâ conferetur voluntate profectum. Sciebam enim, inquit, (apud Chrysostomum) quòd si non fuisses præmonitus, sed repentè factum cognouisses, ne sic quidem ægrè, aut indignè ferres: verùm te malui ex abundanti commonere, vti ne veluti ex necessitate bonum tuum esset.

Athanas. in Paulum.

Bonum opus esse debet plenè voluntarium.

Chrysost. Hom. 2.

Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes: iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi; quanto magis tibi, & in carne, & in Domino? &c. Forsitan enim ideò ad breue tempus secessit, & hoc diuinâ successit prouidentiâ, vt iam non amplius haberes temporalem seruum, sed æternum reciperes fratrem, mihi quidem maximè dilectum, quanto autem magis tibi, vtpote iam in temporalibus ac spiritualibus affinem coniunctumque, seu vtilem ac commodum? Dicit autem forsitan, ait Aquinas, quia incomprehensibilia sunt Dei iudicia. Malum permittit, sed inde malum elicit. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa &c. Si ergo me amas, & nostram æstimas amicitiam, illum amplectere, velut alterum me, nec iam seruum, sed socium. Si autem aliquam in te commisit iniuriam, damnum in me refunde, debitum à me repete. Textus Ambrosianus: Si ergo habes me participem, assume illum sicut me. Si autem aliquid læsit te, aut debitor est: hoc mihi imputa. Et Commentarius. Excusationem iracundiæ conuellit, ne fortè sic læsum se esse ab eo quereretur, vt illi ignoscendum minimè videretur. Furtum quidem indicat, sed damnum reparat. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, vt non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes: ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino &c. Vis cautionem, vis scriptionem? Ego Paulus has literas manu propriâ scripsi, quibus & me sponsorem præstiti, & meam obstrinxi personam, ego fidem dedi. Reddam, si exigis: si tamen exigis, quod reddam: plus enim mihi debes, nempe salutem tuam, seu fidem ab Epaphra discipulo meo acceptam. Profectò, frater: tu mihi te debes: sine ergo vt illum à te fructum percipiam Christo Domino debitum; & in illo virum mihi charum in gratiam tuam recipe. Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies &c. Nihil dubito de tuâ obedientiâ: idcircò scripsi confidenter, audenter petij. Imò scio non solùm te dictis, votisve assensurum, sed & aliquid amplius præstiturum. Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis &c. Propediem apud vos ero, & apud te manebo: cogita me proximum, & mihi hospitium præpara. Spero enim Deum precibus vestris exoratum, libertatem mihi redditurum, & præsentem Colossis exhibiturum. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marchus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei &c. Salutant te isti, simul & obsecrant. Primò quidem Epaphras Apostolus tuus, meus concaptiuus, vt iisdem detentus vinculis: cæterique, mei in Euangelico ministerio cooperarij. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Salutauerat Appiam, & domesticam Ecclesiam; nunc & gratiam illis optat: epistolamque & consueto more, & diuino obsignat munere.

Aquin. lect. 2.

Comment. Ambros.

Fideiussor qui alicui sponsor est debiti.



QVÆSTIONES miscellaneæ.

BREVIS Epistola, sed non minus vtilis ac proficua. Soli huic Epistolæ ait Tertullianus, breuitas sua profuit, vt falsarias manus Marcionis euaderet. Miror tamen, quum ad vnum hominem literas factas receperit, quid ad Timotheum duas, & vnam ad Titum, de Ecclesiastico statu compositas recusauerit. Hoc igitur primò omnium requirendum, cuiusnam vtilitatis sit, cum sciant omnes cuiusnam sit breuitatis. Tum & alia tam ex tropologicis, quàm ex anagogis disquirenda.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. c. 21.

QVÆSTIO PRIMA.

Quàm sit vtilis.

Chrysost. in argum.

ID necessariò requirendum, & liquidò resoluendum. Quia, vt obseruat Chrysostomus, non desunt, qui hanc Epistolam superfluo adiectam putent: quandoquidem pro re adeò paruâ, pro viro vno scilicet sit conscripta. Non tamen superfluò adiecta, in quâ tot tituli pietatis, charitatis, & humilitatis simul congesti.

Chrysost. Hom. 12. in epist. 1. ad Corinth.

Prima igitur vtilitas, pietatis est, quæ & ipsa ad omnia est vtilis. Sed, vt dixit Chrysostomus: Insatiabilis res est pietas: & mentis est puerilis arbitrari se totum accepisse: & cum ne sit quidem in prooemiis, se efferre & magnificè de se sentire, tanquam finem apprehenderit. Quamobrem Paulus Corinthios irridens, dicebat: Iam satiati estis, iam diuites facti estis? Hoc est, Tam citò ad finem peruenistis? Paucis enim saturari, est animi imbecilli: paucis existimare se ditari, est nauseantis & miseri. Vide pietatem Apostoli Pauli insatiabilem. Quotidie, ait ille, curæ ei erat, quid Corinthij, quid Macedones, quid Philippenses: quomodo Cappadoces, quomodo Galatæ, quomodo incolentes Pontum, quomodo omnes valerent. Et licèt totius orbis curam suscepisset, nihilominùs tamen non solùm pro gentibus integris, sed & pro vno homine sollicitus erat. Et nunc quidem propter Onesimum Epistolam mittebat, & propter eum qui apud Corinthios stuprum commiserat. Non enim hoc considerabat, quòd vnus esset qui peccauerat, & præsidio egeret, sed quòd homo esset. Homo dignissimum Dei animal, & propter quem nec vnigenito suo Pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quod sit fugitiuus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus; vel quòd sit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis: sed cogites, quòd & pro ipso mortuus est Christus, sufficiatque tibi, vtpote idonea sollicitudinis causa. Cogita, quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus appreciatus est, vt nec sanguini suo pepercerit. Neque enim opinor, si Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem Rex tanti facit. Itaque, Quàm necessariò hæc Epistola missa sit, (ita rursum Chrysostomus) hinc iam animaduerte. Primùm enim nihil negligere hoc monemur exemplo. Si enim Paulus pro fugitiuo fure, pro seruo tantum prouidentiæ ostendit, nec dubitat illum cumulatum tot laudibus mittere, nihilque veretur: quanto magis nos conuenit in huiusmodi quoque non esse negligentes. Vides quòd hæc Epistola nimium necessariò conscripta sit, quantumque in se habeat vtilitatis? Hoc habet vera sanctitas, seu pietas Christiana, quod neminem, licèt despicabilem,

Chrysost. Hom. de prof. Euang.

Pietas Christiana, res est, insatiabilis.

Chrysost. in argum.

A seruilis licèt conditionis à curâ suâ eliminet; quòd misero cuique subuenire semper parata sit, & quòd propriarum oblita miseriarum, & quasi vinculorum suorum nescio, seruo malit libertatem, infelicique felicitatem, quàm sibi procurare.

Altera vtilitas, charitatis est, amoris, inquam, sed spiritalis. Venit enim Christus mutare amorem, vt loquitur Augustinus, & de terreno facere vitæ cælestis amatorem. Huius pij & sancti amoris flammâ ardentes martyres, fœnum quidem carnis B robore mentis arserunt: ipsi autem interim in spiritu ad eum quo accensi sunt, peruenerunt. Laudanda charitas non quia reperiatur in martyribus, sed quia ipsa martyres faciat, & in ipsis martyribus ipsa extollatur vincatque martyrium, & tollat prooemium. Si enim ô Petre, inquit Christus, (apud Chrysostomum) me plus his diligis, pasce oues meas. Vides quomodo tacitè significarit hoc esse maius martyrio. Charitas muro est fortior, ea est adamante firmior ac durior: eam non vincunt diuitiæ, non paupertas: imò verò non esset paupertas, non immodica diuitiarum copia, si esset C charitas: sed ea sola quæ ex vtriusque sunt bona. Considera autem. Impendere videtur esse molestum: ipsa autem id facit iucundum: accedit habens omnia bona in manibus, quauis matre mitior, quauis reginâ locupletior. Sed amare, inquis, inhonestam habet voluptatem: absit, bona verba loquere ô homo. Nihil enim ab eiusmodi voluptate tam est purum quàm germana charitas ac dilectio. Ne mihi enim dixeris plebeium & forensem, & qui est potius morbus quàm amor & charitas: & videbis eos esse amantiores & beneuolentiores quàm patres: & quomodo qui amant pecunias, D illas expendere suâ sponte non elegerint, sed maluerint cogi in angustias, quàm videre illas minui: ita is cui est aliquis iucundus, maluerit pati mala plurima quàm videre eam lædi quem diligit. Quomodo ergo Ægyptia mulier amans Ioseph, cum voluit probro & iniuriâ afficere? Quoniam diabolico amore eum amabat. Ioseph autem, non eo, sed illo quem quærit Paulus. Duplex igitur amor: vnus ex diabolo, alter ex Deo: ille infernalis, nedum terrestris, propellitque in immunditiam; iste cælestis, & ad sanctimoniam prouehit: ille vilitatis est, cum infamem E reddat animam; iste charitatis, cum spiritalem afferat medicinam. Quis enim, vt Augustinus dixit, ab eo continet vnde turpatur, nisi diligat vnde honestatur? Quid Onesimus, nisi vile mancipium? nihil tamen vile dilexit Paulus, cum Deum solum in illo, seu illum in Deo dilexit. Fur iste, ait Chrysostomus, atque fugitiuus adeò virtutibus claruit, vt illum voluerit habere socium. Diligit Paulus Onesimum, diligit vt filium, vt propria viscera. Quid ita? quia illum Christo peperit, non ergo suum in Onesimo, sed Onesimum in Christo diligit. Sic charum habet Paulus Onesimum,

Augustin. serm. 31. ex nouis init.

Chrysost. Hom. 32. in epist. 1. ad Corinth.

Duplex amor: vnus ex diabolo, alter ex Deo.

Augustin. Tract. 87. in Ioan.

Chrysost. in argum.

simum, vt habere optet socium, & apud se retinere. Quid ita? quia ministrat in vinculis Euangelij, quia præclaris virtutibus emicat; non ergo Onesimum iam Paulus amat, sed Euangelium.

Tertia denique vtilitas, humilitatis est Quid est; ait Gregorius, quòd Regulus Dominum rogat, vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter recusat: ad seruum verò Centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur? Redemptor verò noster vt ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filium Reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit. Quid est ergo quòd Paulus pro seruo, & pro seruo fugitiuo, quo nihil vilius, nihil improbius, precator accedit? quòd pro illo non solùm amicè scribit, sed & honorificè, quasi non tam mediator sit quàm laudator; nec tam erratum eleuet, quàm commendet meritum? Increpata est superbia nostra, quæ in hominibus non tam artem aspicit quàm vestem, quæ pompam expendit non animam, quæ honorem quærit non salutem: semper eorum quæ in hominibus circunstant, auida, & eorum quæ commendant, nescia. Humilitas verò Christiana, non in homine quod potest, pensat, sed quod est; nec quod habet, sed cuius imaginem & similitudinem exhibet, considerat: sicut enim vera pietas nullum negligit, charitas nullum non diligit, sic & humilitas nullum despicit. Ecce, ait ille, de cœlo venit, qui seruo in terrâ occurrere non despicit: & tamen humilari in terrâ contemnimus, qui de terrâ sumus. Nihil quidem seruo vilius, nihil improbius seruo fugitiuo. Tamen, si non contemnatur, potest corrigi, potest ad meliorem frugem adduci. Disce, inquit Chrysostomus, Seruilem conditionem desperandam non esse etiamsi vitiis omnibus dederit manus. Addam igitur & aliam huius epistolæ vtilitatem. Docet enim nos, seruos non erubescere, si probi sint. Nam si Paulus excelsior, atque excellentior omnibus tanta de seruulo loquitur, multò sanè magis nos de nostris id facere conuenit. Cum ergo tam multa nobis commoda largiatur epistola, & certè necdum omnia diximus, audet quis adhuc superfluam dicere? Quantæ istud, quæso, temeritatis est? Intentè igitur audiamus, obsecro, quæ Paulus scribit. Si enim tanta in ipso vestibulo lucrati sumus, plura profectò ex ipsâ lectionis lucrabimur serie.

Greg. Hom. 28. in Euan.

Homines in hominibus pompam spectant non animam.

Gregor. ibidem.

Chrysost. in argu.

QVÆSTIO II.

Quibus scribat Paulus.

DIco quibus: quia non vni scribit Philemoni; sed pluribus. Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni di-A lecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ in domo tuâ est. Pluribus ergo scribit Paulus, sed plures, ne dicam & omnes in vnum colligit, dum ad caput redit: cætera quippe in gratiam Philemonis adiecta sunt, & quamuis diuersa, in domesticam Philemonis desinunt Ecclesiam. Alios enim superinducit, (obseruante Aquinate) vt moueant eum ad exaudiendum. Vni quidem speciatim scribit, sed turbam generatim inducit, Christianam scilicet familiam, quam domesticam dicit Ecclesiam. Veniat tibi in mentem Abraham, ait Chrysostomus, Sarra, Isaac, trecenti decem & octo vernæ: quomodo tota domus constituta B fuerit & composita, quomodo tota fuerit plena pietate & reuerentiâ, & præceptum impleuerit Apostolicum. Audi enim ipsam dicentem: Nondum mihi factum est huc vsque: Dominus autem meus est senior. Et ille ipsam sic diligebat, vt iubenti omnia pareret: & puer erat virtute præditus, & vernæ quoque ipsi erant admirabiles, qui quidem non dubitarunt etiam periculum adire cum Domino, non distulerunt neque causam inquisierunt. Sed vnus ex iis qui præerat, adeò erat admirandus vt eius fidei sit commissum vnici filij matrimonium, & extra fines regionis peregrinatio. Quomodo enim quando sub duce belli rectè constitutus & compositus fuerit exercitus, bellum nullâ ex C parte ingruit: ita hic quoque quando maritus & vxor filij & famuli eadem curant, magna est domûs concordia. Hoc est maxima salus domûs. Nam illud quidem quod est Christi accepit, non ad id solum quòd oportet diligere, sed etiam ad moderandū & componendum. Si domos nostras sic administremus, apti etiam erimus ad Ecclesiæ præfecturam: etenim domus est parua Ecclesia. Principatus est, exercitus est, sed ordinatus, non enim confusâ debet esse Ecclesia: in quâ omnes præsint, omnes prouidere velint ac regere: sed Domini est præesse, aliorum verò, maximè seruorum, subesse. Per domesticam igitur Ecclesiam, intelli-D gendi sunt serui. Sed vide, inquit ille, quantâ Paulus sit vsus prouidentiâ, vt illos memorando ita honoraret, vt Dominus nihil haberet, quod succensere posset. Namque non finit Ecclesiæ nomen indignari Dominos, si seruis connumerantur. Non enim nouit Ecclesia, Domini & serui differentiam: cæterùm ex probis & improbis actibus vtrumque discernit. In Christo enim Iesu non est seruus, neque liber.

Iam ergo quoad Philemonem: ille est ad quem Paulus principaliter scribit, ideoque totam ad ipsummet dirigit epistolam. Copiosam E ille habebat familiam, totamque Christianam; in quâ præsidebat ipse, non tanquam Iudex, sed tanquam Episcopus; vnde & coadiutor à Paulo dictus est: Philemoni dilecto, & adiutori nostro. Qui enim rectè familiam suam administrat, iuuat Episcopum ad regendam, iuuat Apostolum ad componendam Ecclesiam. Porrò si mulieres Paulus adiutrices suas dixit, & cooperatrices in promouendo Euangelio: non mirum, si virum honoret hoc titulo, sibique societ, quamuis nullo obstrictum ministerio. Quamuis enim clericus non fuerit Philemon,

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 20. in epist. ad Ephes.

Quæque Christiana domus parua est Ecclesia.

Chrysost. Hom. 1.

Ambros. in Paulum.

ait Ambros. tamen interrerat Ecclesiasticis necessitatibus causâ deuotionis, vnde participem hunc dicit laborum. Sunt enim multi, qui cum sint digni, excusant tamen infirmos semetipsos iudicantes tanti ministerij: vnde verè digni apparent. Vocabant viros Ecclesiasticos, non solum clericos, sed & laicos, viros fidei integræ, ac probatos, velut rerum Ecclesiasticarum curatores, seu curarum Apostolicarum consortes, auitæ vindices disciplinæ. Nemo, ait Hieronymus, magis Ecclesiasticus, quàm qui nunquam hæreticus. Adiutor igitur Pauli Philemon quia cooperator Euangelij. Sed & hospitalitatis iura nosset, & opera charitatis in fideles omnes, maximè Colossenses effunderet; plus ille pietate publicâ notus, quàm priuatâ dignitate conspicuus. Gratias ago Deo semper, memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam. Non vulgaris hæc laus est, ait Chrysostomus, sed insignis planè, maiorque quàm si coràm vidisset. Constat enim hanc virtutem, nisi in eo fuisset eximia, non adeò potuisse innotescere, vt ad eius quoque aures perueniret, cum tanta vtrumque terræ marisque intercapedo dirimeret. Nam hic, vt mihi quidem videtur, in Phrygiâ fuit cuius rei indicium Archippus est, de quo scribit Colossensibus. Gaudium, inquit, habemus, & multam consolationem in charitate tuâ: quoniam viscera sanctorum requieuerunt per te frater. Ac si enim paruulus charus nimium, atque amabilis parentibus sit: ita charitas & affectio, & indulgentia liberalis, eum indicat à sanctis nimium fuisse dilectum.

Ecclesiasticus, qui verè est Catholicus.

Hieronym. ad Theoph.

Chrysost. Hom. 2.

Quoad Appiam. Mirum præponi Archippo, Ecclesiæ præposito; cum indignum sit præponi viro, familiæ Episcopo. Sed cum epistola directa sit ad Philemonem, coniugem etiam inserit, simulque iungit, velut & consilij consortem, & participem negotij: non enim de re Ecclesiasticâ agitur, sed de re domesticâ; nec de mysteriis, sed de seruis scribitur. Vxor Philemonis, quantum ego arbitror, hæc fuit: (ita Chrysostomus) Intuere ergo diligentius humilitatem Pauli. Non modò virum deprecatur, sed etiam vxorem. Et Appiæ dilectissimæ. Græcè ἀγαπητῇ. Nec addit ἀδελφῇ. Qui enim agapetem dicit, sororem dicit, sed spiritalem. Nomen ἀπὸ τῆς ἀγάπης, à charitate seu dilectione: sed excreuit tandè dilectio, & obrepsit corruptio. Pudet dicere, ait Hieronymus, pro nefas: triste, sed verum est. Vnde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? vnde sine nuptiis aliud nomen vxorum? immò vnde nouum concubinarum genus? plus inferam? Vnde meretrices vniviræ: eadem domo, vno cubiculo, sæpè vno tenentur & lectulo: & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus. Frater sororem virginem deserit, cœlibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum; & cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, vt domi habeant carnale commercium. Sed præclara Agapeta, Appia nostra, quæ virum haberet, nec tamen agnosceret; cum aliæ non haberent, & tamen cognoscerent. Laudanda, quæ sororem ageret non vxorem, & ad charitatem iungeret castitatem. Vnde & illa quæ nunquam vitij fomes fuit in lecto, viri comes fuit in martyrio. Ambo

Chrysost. Hom. 1.

Hieronym. epist. 22. cit. med.

Quàm corrupta tandem Agapetarum familia.

A enim Colossis sub Nerone, lapidibus obrupti sunt; & quomodo in vitâ suâ dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Quoad Archippum. Iam vidimus in ministerio Ecclesiastico, Græcè διακονία, constitutum: nec tamen sentimus diaconum duntaxat fuisse, sed proëpiscopum, cum partes expleret principales, & vices suppleret conceptiui Episcopi. Vnde & commilitonem vocat communem. Et Archippo commilitoni nostro. Qui nimirum eandè militiã exerceat, seu vnum cum Paulo & Timotheo Episcopo Ephesino impleat ministerium. Omnes enim in Ecclesiis, velut in excubiis positi, tanquam vigiles, omnes milites, licet & duces; omnes ministri, licet præpositi, licet Episcopi. Quis enim nescit, (Augustino teste) Apostolatûs principatum cuilibet Episcopatui præferendum? vocat ergo Archippum Paulus commilitonem suum, seu fidelem ministrum, quia in eodem aduigilat ministerio. Idcircò ait: Et Archippo commilitoni nostro. Si militiæ socius es, (ita apud Chrysostomum) in his quoque te socium exhibeas necesse est. Non enim ista imperio & auctoritate impetrare vult, & quidem cum iure suo posset: neque dedignatur, si non continuò sibi pareatur; verùm ac si ignotus ignoto scriberet, & alios item rogat, vt se pro seruulo rogantem iuuent. Non modò enim à plurimis rogari, verùm & ad plurimos offerri preces multum habet virium ad impetrandum. Archippus autem iste est, de quo scribit Colossensibus, Dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas. Videtur autem mihi inter cæteros Ecclesiastici ordinis viros fuisse numeratus: hunc itaque assumpserat secum, & commilitonem vocat, vt opem pro viribus ferat. Duo quippe hominum genera ad postulandum impetrandumque non idonea solùm, sed & efficacissima; quorum vnum dulcius premit, alterum petit grauius: instat tamen vtrumque ac reportat: quia cedimus amori, aut honori deferimus. In primo ordine, vxor; in altero, præsul: illi per beneuolentiam; isti, per reuerentiam. Ita igitur Paulus: Et Appiæ. Coniugi scilicet. Et Archippo. Nimirum, vt ministro seu præsuli.

Augustin. lib. 2. de bapt. cont. Don. cap. 1.

Chrysost. Hom. 1.

Duo hominum genera ad impetrãdum idonea.

QVÆSTIO III.

Pro quo scribat.

EPistolæ Pauli, quæ dogmaticæ non sunt, aut adhortatoriæ sunt, aut increpatoriæ, aut obsecratoriæ. Qualis ista sit patet ex his verbis: Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo. Te herum obsecro, pro Onesimo seruo tuo, sed meo filio, quem Christo acquisiui, quem in his vinculis genui. Egregius sanè imitator Christi, qui, vt dixit Ambrosius: Iniuriam cœcitatis auertit, ad vulnera nostra descendit. Nam, vt & ille dixit, si tamen & ille: Non magnum est humilem inclinare se, laudabile verò, sublimem virum humiliare se. Ideò Apostolus rogat eum cui imperandi habet potestatem, vt in omnibus forma sit ad profectum meritorum. Onesimum ergo profugum

Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 6.

Ambros. in Paulum.

i..ym recurrentem ad diuinum auxilium, cum esset in custodiâ vrbis Romæ, Baptizauit Apostolus, videns in illo vtilitatis spem. Quem sic commendat vt suum animum in illo significet idoneum ex inutili factum tam secularibus quàm diuinis obsequiis. Eo igitur sensu dicebat, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hoc enim, vti monuit Chrysostomus, est regula perfectissimi Christianismi: hoc est decretum exactissimum & accuratissimum: hoc est summum fastigium, ea quærere quæ in commune conferunt. Quod quidem ipse significans, subiunxit, Sicut ego Christi. Nihil enim æquè potest facere imitatorem Christi, atque curam gerere proximorum. Quinetiam si ieiunaueris, si humi cubueris, si te cinere consperseris, proximi autem tui curam non geras, nihil magni fecisti: sed adhuc longè abes ab hac imagine hæc faciens. Sed etsi summâ exerceas philosophiam, cæterorum autem qui pereunt nullam curam geras, apud Deum nullam habebis fiduciam. Vnde hoc constat? Ex iis quæ pronuntiauit beatus Paulus: Si enim omnes meas facultates distribuero in cibos pauperum, & si corpus meum tradidero vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, inquit. Vides quantùm à nobis requirit Paulus? Atqui qui bona sua pauperibus distribuit, non quærit quod est suum, sed quod proximi. Sed hoc non sufficit. Nam ingenuè & sincerè hoc vult fieri, & cum magnâ commiseratione. Hoc igitur Paulus agit quod alios docuit, hoc tradit quod accepit à Christo Domino. Sed in illâ imitatione, tria connotanda sunt. Primum, sublimem inclinare se: alterum, ad humilem descendere: tertium, supplicem agere.

Chrysost. orat. 15. in 1. ad Corinth.

In quo sita sit perfecti Christianismi regula.

Quoad primum. Magnus Saulus, sed factus est Paulus: id est, paruus ac modicus. Conuersus est Paulus, ait Bernardus, imò Saulus conuersus, versus est in Paulum. Siquidem factus est tanquam Euangelicus ille paruulus, de quo Dominus, ait: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Fortè enim seipsum dicebat, Nimirum ipse magnus Dominus & laudabilis nimis, ipse paruulus qui datus est nobis, nec tamen magnus interim, sed paruulus exhibetur, vt seipsum faciat gratum & efficax necessariæ paruitatis exemplum. Ad paruulum ergo sit conuersio tua, vt discas paruulus esse: tu quoque cum conuerteris, paruulus fias. Enimverò audi quàm euidenter ipsum tibi (in quo constituit formam conuersionis) paruulum manifestat, signanter ea quæ sunt paruuli in seipso imitanda proponens: Discite à me, inquit, quia mitis sum & humilis corde. Gemina paruitas, humilitas & mansuetudo. Et illa interior, ista exterior paruitas: vtraque tamen non parua virtus est: nempe quàm paruulus ille tam magnus vnicum magisterium profitetur. Conuersus est ergo Paulus, & desiit esse Saulus: factus est humilis, & mitis corde. Qualis Paulus & quantus, quàm sublimis, quàm excelsus quàm mirabilis. Moyses quidem, ait Chrysostomus, tabulas gestabat lapideas: ipse autem intrinsecùs habebat ipsum Christum: ipsam regiam ferebat imaginem, & propitiatorij. Propterea ipsis Cherubim erat præclarior & magnificentior. Non enim inde talis vox edebatur, qualis hinc. Sed illic quidem plura disserebat de sensibilibus: ex linguâ autem Pauli prodibant res quæ cœlos superant. Et ex propitiatorio quidem, solis dabantur responsa Iudæis: hinc autem vniuerso orbi terrarum. Et illic quidem per inanima: hîc autem per animam virtute præditam. Hoc denique propitiatorium erat vel cœlo clariùs, non resplendens astrorum varietate, neque radiis solaribus; sed habens ipsum cœlum iustitiæ, illinc emittens radios. Et hoc quidem cœlum nubes subtercurrens reddit tristius. Illud autem pectus nulla eiusmodi nubes subtercurrebat. Ille ergo Paulus adeò sublimis, adeò prouectus, adeò illustris, lucidior cœlis, Angelis ipsis, nedum Moyse legislatore splendidior: ille, inquam, de solio descendit magnitudinis, de throno exilit celsitudinis: non iam Saulus, sed Paulus, exemplum assecutus Christi, & ad miseri, deiecti abiectique inclinatus auxilium.

Bernard. ser. 1. de conuers. Pauli.

Chrysost. orat. 13. in 1. ad Corinth.

Paulus cœlis lucidior Angelis splendidior.

Quoad secundum. Cum humilem dico, vilem, reprobum, infelicem, & indignum intelligo. Scribit Paulus, pro quo? pro seruo omnium pessimo. Descendit sublimis ad humilem, nobilis ad contemptibilem: qui enutritus inter sanctos & Dei seruos, organum euaserat diaboli; qui optimum nactus Dominum, in ingratissimum exierat mancipium. Philemon certè, vir fidelis ac nobilis (verba sunt Chrysostomi) Quòd enim fuerit virtute mirabilis, ex eo in primis constat, quòd domus quoque eius omnis fidelis erat, atque adeò fidelis, vt Ecclesia etiam appellaretur. Attestatur & illi singularis obedientiæ meritum, & quòd in eo viscera sanctorum quieuerunt: ipse quoque Paulus in hac epistolâ admonet, vt sibi hospitium paret. Ideò mihi videtur illius domus, sanctorum fuisse diuersorium. Huic igitur viro virtute præstanti seruus erat Onesimus, qui fugerat Dominum, quibusdam rebus domesticæ compilatis. Nam quòd furatus quædam sit, audias Apostolum sic dicentem: Si quid autem te læsit, aut debet, ego persoluam. Duo promittebat, cauebatque, qui seruum vendebat: nempe, nec furem esse, nec fugitiuum: hæc enim metuenda, cauendaque vænalium seruorum vitia. Iste optimi Domini seruus pessimus: qui non solùm è domo effugit Domini, sed & res eius abstulit: parum sit quòd proripiat sese, quid verò quòd & aliena surripiat; vt auro suffarcinatus, simul & furto infamis sit, & infidelis obsequio? Sed & qui infidelis erat, factus est fidelis: qui infamis erat seruus, factus est laudabilis Episcopus. Quoniam, (ita Ignatius Ephesiis) suscepi multitudinem in nomine Domini Christi in Onesimo dilecto scriptore nostro, vestro autem Episcopo, obsecro eum secundùm Iesum Christum diligere vos, & vos omnes in concordia eius esse. Benedictus enim Deus qui vobis talibus talem dedit Episcopum habere in Christo. Ipse autem Onesimus laudat vestram dispensationem, quia omnes secundùm Deum viuitis. Dignus Pauli discipulus, qui Ignatij scriptor, successor Timothei: seruus Domino non impar meritis, nam & ipse Romæ pro Christi nomine lapidibus obruptus est; sed qui humilior cõditionis titulo, factus est sublimior dignitatis fastigio: & qui furtũ fecerat in domo, regnũ in cœlo præripuit.

Chrysost. in argum.

Decenda cauendaque seruorum vitia.

Ig... 14. quæ est ad Ephes.

Quoad

Quoad tertium. Descendit sublimis ad humilem. Parùm sit. Supplicem agit: mirum. Molestum enim verbum est, ait Seneca, onerosum, & demisso vultu dicendum: Rogo. Properet licet: serò beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium iucundum, victurumque in animo scias, quod obuiam venit. Si non contingit præuenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur. Diuinanda est cuiusque voluntas, & cum intellecta est, necessitate grauissimâ rogandi liberanda est. Tam imperare dulce est, quàm rogare graue: sed iis maximè, qui cum imperandi auctoritate præditi sint, obsecrandum tamen iudicant rogandumque, tamque se supplicandi onerant grauitate, quàm alios licet subditos, liberant difficultate parendi præstandique. Inspice, quæso, (ait Chrysostomus) quàm cautus incedat Apostolus. Idcircò, inquit, magnam habens in Christo fiduciam. Ne quid enim, maximâ licet vi charitatis expressum, auditorem fortè feriret, atque adeo grauiter ferret: ideo antequam diceret, Imperandi tibi, quia id graue videbatur, ac licet ex charitate prolatum curari potius posset, ex abundantiâ tamen magis securâ præmunit, dicens, Fiduciam habens: quod profectò Philemonem magni esse meriti iudicantis est, ac si dicat: fiduciam tu nobis dedisti, neque hoc solum, sed in Christo. Non ideò quòd sis in seculo clarior atque potentior, de te ista præsumimus: sed propter fidem, quam habes in Christum. Sicque demum addidit, Imperandi tibi: etiam ne id quidem solùm, sed etiam quod expedit: hoc est, rationabilem rem. Propter charitatem magis obsecro. Ac si dicat: Scio quidem quòd etiam imperans facilè efficiam quod intendo, quod ex præcedentibus tuis operibus colligo: sed quia huius rei magnum mihi studium est, obsecro. Vtrumque simul ostendit: quòd & ipsi confideret, quia imperauit: & quòd ea cura vehementer sibi cordi esset, obsecrat enim. O præclarus sectator Christi Domini, ô dignus imitator; exempla colligit, & iisdem viis insistit. Non solùm prodigi eramus cœlestis thesauri nobis crediti, sed & è domo patris profugi; nec profugi tantùm, sed & fures, & impermissi honoris sacrilegio, nedum furto damnabiles: venit Christus ad seruos, non vt puniret, sed vt redimeret; venit ad fugitiuos, non vt plecteret, sed vt reduceret: cumque non merito solùm sed & imperio posset agere, vtpote virtute fretus & auctoritate; maluit tamen obsecrare, rem precibus perficere, redemptionem orationibus absoluere. In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad illum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentiâ. Poterat imperium exercere, sed maluit exemplum relinquere. Orat enim Dominus, vt Ambrosius dixit, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit pater in potestate filij: filius tamen vt hominis formam impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Species igitur tibi Christiane datur, forma præscribitur quam debeas æmulari. Ita redemptorem egit, vt meminerit se nostrum esse doctorem: ita temperauit potestatem, vt humilitatem prætulerit.

Seneca lib. de benef. cap. 1.

Chrysost. Hom. 2.

Durum obsecrare, cum possis imperare.

Heb. cap. 5.

Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 6.

QVÆSTIO IV.

Quibus procedat artibus.

PArùm sit preces descendere in omnes, quid verò & artes omnes inducere? Non statim ab exordio, vt loquitur Chrysostomus, ipsisque principiis gratiam flagitauit, sed antea vitam admiratus, eiusque virtutes dignis prosecutus laudibus, cum charitatis & in eum suæ non paruum addidisset argumentum: quòd semper in orationibus suis eius meminisset dixissetque, quòd multi in eo requiescerent, quodque in omnibus obtemperaret & cederet: tunc & ipsam postremò postulat gratiam eo ipso sibi aditum parans. Nam si alij ex illo, quæ postulant, consequuntur: longè id magis debuit Paulus. Si ante alios veniens audiri meruerat: multò sanè magis cum aliis, & post alios pergens; cum in primis non pro se rogaret, sed pro alio. Inspice ergo, obsecro, quàm multis ex locis sibi ad cor eius aditum parat. Alios, inquit, & meipsum beneficiis foues, & propter Christum. Deinde, ne videretur huius tantùm gratiâ scribere, quasi non aliàs scripturus, nisi Onesimus impelleret: vide quàm prudenter & alias epistolæ adiecit causas. Primum quidem ipsius charitatem insinuat, deinde parari sibi etiam iubet hospitium. Optat & ipse Paulus attendi prudentiam suam & expendi, imò & prouocat. Notum mihi factum est Sacramentum, sicut supra scripsi in breui: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. Quibus verbis tria simul indicata sunt. Primum est: prudentiam istam maximè in scriptis spectandam, non enim audiendo intelligitur, sed legendo. Prout potestis legentes intelligere. Alterum, magis in breuioribus mirandam epistolis, quàm in prolixioribus. Sicut suprà scripsi in breui. Paucis enim constringitur lineis, & per infinitos tamen cuniculos diffunditur. Tertium, Apostolicam prudentiam, non tam artis esse humanæ, quàm diuinæ virtutis, nec tam in ingenio positam quàm in mysterio. [In mysterio Christi.] Non enim vulgaribus scholæ regulis dirigitur, sed singularibus gratiæ eruditur institutis. Legimus epistolam ad Philemonem, breuem quidem & accisam, & intelligimus prudentiam paulinam: sed prudentiam non vulgarem ac tritam, sed prudentiam quæ est in mysterio: prudentia quippe ista ænigmatica est, & humano si non æmula, certè ignota artificio.

Quid enim primò: Paulus vinctus Christi Iesu. Nulla epistolarum adeò tenuibus verbis exorsa est, sed illustrioribus quæuis instructa titulis, qui & auctoritatem commendent, & intiment dignitatem. Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei. Seu Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu [Et.] Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem. Quanto grandia sunt illa, tanto sunt ista humilia. Paulus vinctus Christi Iesu. Quomodo

Chrysost. Hom. 2.

Mira Pauli in scribendo prudentia.

Ephes. cap. 3.

1. & 2. Corinth.

1. ad Timoth.

Galat. cap. 1.

modò vinctus auctoritatem conciliet, aut impetret alteri libertatem, quam sibi detrahit; quomodo reportet gratiam, qui prodit miseriam? Scio antiquos olim supplices vocasse αἰδοίους, venerabiles ac reuerendos, quòd supplicem inuidiam obiicerent, & vel renitentem extorquerent misericordiam. Sed ius illud aculeus miseriæ est, non virtus potentiæ; contemplatio infirmitatis, non auctoritatis probatio.

Vnde olim supplices dicti venerabiles.

Non infirmatur Paulus deprecando, sed gloriatur sua quassando vincula, seque proclamando vinctum, sed pro Christo suo vinctum constrictumque. Paulus vinctus Christi Iesu. Pro seruo hæc, ait Chrysostomus ad Dominum scribit, in quibus ab ipso statim exordio prudentiam suscipit, nec finit erubescere: extinguit iram, vinctumque seipsum vocans, compungit & contrahit, atque ad cognitionem sui penitus reuocat, præsentiaque omnia nihil æstimare persuadet. Si enim iniecta pro Christo vincula, non pudori, sed gloriæ sunt: quanto minus seruitus probro erit? Ostendit dignitatem suam, non sui gratiâ, sed vt gratiam facilius referat. Ac si dicat: propter vos hæc vincula tolero, quemadmodum & alio in loco dixit. Verùm illic prouidentiam, curamque monstrauit: hîc autem dignum se, cui fides habeatur, ostendit. Nihil eâ gloriatione sublimius. Ego enim, inquit, Christi stigmata porto. Vincula ista, virtutis merita sunt; stigmata, validissima dignitatis & auctoritatis argumenta. Paulus vinctus Iesu Christi. Quis iam, ait ille, non reuereatur? Quis non exhorreat, Christi audiens vincula? Horror iste, honor est, sed qui insideat animo, & qui legentem suspiciẽtemque in attonito detineat. [Vinctus.] Miseriæ est. Christi Iesu. Gloriæ Vinctus Infirmitatis est. Christi Iesu. Dignitatis. Paulus. Nomen equidem omnibus fidelibus venerabile. Sed, vinctus Christi Iesu. Agmen virtutum meritorumque mirabile. Laudabile enim valde, est vti dixit Aquinas, vinctum esse propter Christum, in hoc enim est beatificandus. Paulus, modicum sonat: sed, vinctus Christi Iesu, virum beatificat, & exaltat in cœlum. Idcircò non solùm vinctum se dicit, sed & vinculorum suorum, paucis quinquies lineis meminit.

Chrysost. Hom. 1.

Chrysost. Ibidem.

Aquin. lect. 1.

Quid secundò [Paulus senex.] Græcè πρεσβύτης, non πρεσβευτής. Non enim dignitatis titulus est, sed defectus ætatis. Quem ergo potest effectum habere defectus, quem mouere potest & impellere captiuus, non solùm attritus vinculis, sed & fractus incommodis, annis denique absumptus. Quid senio & imperio, quid labenti ætati, & trahenti potestati, quid inclinatæ senectuti & actuosæ virtuti? Sed & tria connotanda sunt: quorum primum, nusquam alibi Paulum se senem dixisse, licet enim epistola ad Colossenses eodem tempore, & eodem loco scripta sit, & per eosdem missa: licet epistola ad Philippenses, ad Ephesios, & aliæ nonnullæ, ibidem, & eodem ferè anno sint conscriptæ; nulla tamen Paulum repræsentat vt senem, nulla ex ætate seu senectute dignitatem aduocat, auctoritatem-ve. Alterum, Paulum, nondum effœtam tunc senectutem contraxisse, aut ætatem extremam attigisset: Triplicem quippe senectutem agno-

A scunt medici ex Galeno suo: primam, crudam adhuc, viridemque, nec ab annis iuuentutis longè recedentem: inest enim adhuc impetus iuuenilis, nec adhuc subest senilis defectus. Alteram, mediam, deficientem quidem cadentem-ve, sed nondum lapsam: vegetam adhuc, sed mente potius virentem quàm corpore, & animo potius nitentem quàm exercito. Tertiam, profundam, inualidam, decrepitam, nec mente valentem nec corpore. In primâ enim, adhuc valent vires corporis, in secunda vires mentis præualent: in tertiâ, mens ex arce deiecta, caro destituta virtute, vtraque confecta,

Galen. lib. de conser. val. cap. 12.

Triplex gradus senectutis distinguendus.

B tam negotio inepta quàm & consilio. Iam quidem adolescens erat Saulus, imò iam vir euaserat, quando voce prostratus, ac fide donatus est. Ita Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem. A conuersione autem, quæ contigit anno Domini trigesimo quinto, Pauli verò trigesimo quarto, ad scriptionem præsentis epistolæ, quæ facta est anno Christi sexagesimo, fluxerunt anni viginti quinque relinquuntque Paulo annos nouem duntaxat completos supra quinquaginta. Atquin vixit adhuc Paulus annis octo, cum non nisi annô Christi sexagesimo octauo, Neronis

Actuum cap. 9.

C duodecimo martyrium fecerit, & annum attigerit octauum supra sexagesimum. Senex ergo Paulus, sed vix sexagenarius, adhuc profectiones nouas, longas peregrinationes non meditatus tantùm, sed & pollicitus. Senex, sed & qui in vltimâ ætate, in extremâ senectute virtutem tenuit, nec imbecillitatem ætatis sensit, nec mentis hebetudinem: semper vigens, semper agens: vt de illo dici possit quod de Augustino. Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremam ætatem imprætermisse, alacriter & fortiter, sanâ mente, sanoque consilio in Ecclesiâ prædicauit. Membris omnibus sui

D corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, obdormiuit in pace. Tertium denique, sic Paulum temperasse stylum, vt senectus tam Philemoni tribui posset quàm sibi, sic tamen ordinasse contextum, vt sibi potius relinqui posset quàm Philemoni. Obsecro, cum sim talis, vt Paulus senex. Græcè τοιοῦτος ὤν. Quod ex literâ verti potest. Cum sis talis. Sed ex consonantia. Cum sim talis, vt Paulus senex nunc autem vinctus Iesu Christi. Quod sibi conuenit soli, non Philemoni. Licet enim posset senectus Phi-

Possid. in vitâ August. cap. 31.

E lemonem tangere, ideoque & misericordem efficere; se tamen solum senem voluit, sicut & vinctum asserere.

Quid porrò, Paulus senex? Triplicem ob rationem: quarum prima est, quia tritum illud prouerbium; εὐχαὶ γερόντων, preces senum. Multum quippe pollent ob grauitatem, nec tam supplicis humilitatem redolent, quàm auctoritatem iudicis. Inde senatores quasi senes, vt qui patres patriæ, reipublicæ tutores ac vindices, virtute non minùs quàm ætate præstantes. Altera ratio, quia licet non omnes senes tam meritis quàm annis sint spectabiles: in sanctis tamen senectutis progressus, virtutis triumphus est; vt qui senior, sit & sanctior; vt qui canitie notabilior, sit & perfectione

perfectione prouectior. Talem enim volunt senectutem, nec tam annis grauem describunt quàm factis: vtpote, virtutis præstantiâ prominentem, (ita Cyrillus Alexandrinus) ac progressam, & quasi illustribus factis canam, atque absolutissimâ prudentiâ eximiam, & admirandam. Idcircò Paulus non se solummodò dicit senem, sed & vinctum Christi Iesu, veteranum militem, non tam annis onustum quàm spoliis. Talis, inquit, existens vt Paulus senex. O ineffabilem bonitatem! (exclamat Chrysostomus) Quamuis hunc modis aggreditur, quot ex partibus exorare pergit? Ex personæ qualitate, Paulus enim: ex ætate, quia senex: ex eo quod omnibus iustius, potentiusque persuadet, Quoniam vinctus Iesu Christi. Quis, oro, huiusmodi athletam innumeris victoriis clarum non obuiis exciperet manibus. Quis intuens vinctum pro Christo, non ei innumeras deferret gratias? Tertia ratio, se senem dixit, si non morientem, certè morti proximum, & quasi cœli candidatum. Sicut enim iussit sibi parari hospitium, non quod apparatum quæreret aut sumptum, sed quòd præsentiæ suæ respectum præmitteret, metumque incuteret. Sic enim & illi tacitè comminatur, ait Athanas. vt nisi Onesimum benignè susceperit, fore ab se, cum venerit, vt inclementiæ arguatur. Ita se senem dicit, & quasi limen cœli tangentem, vt vereatur martyrem, vel Apostolum, in regno Christi potentem, nec iam humanâ infirmitate circumdatum, sed diuinâ donatum potestate. Paulus senex, ideo vicinus morti. Nunc autem & vinctus Iesu Christi, ideò candidatus martyrij, non ob simplex ac breue carceris tædium, sed ob certum & & infallibile passionis præiudicium. Vincula ista, nuntia sunt futuræ gloriæ fidelissima. Nunc contemne, sodes, martyrem iam propè in regno patris sui præualentem, & cum Christo suo regnantem, rogantem sperne, supplicantem abiice. Certè non voles.

Cyrill. Alexand. In Ioel Proph.

Chrysost. Hom. 2.

Athanas. in Paulum.

Vincula sunt gloriæ futuræ prænūtia.

Quid tertiò, quòd non solùm Appiam interpellet, Philemonis vxorem, non solùm Archippum Philemonis Antistitē, sed & seruulos ipsos computet inter aduocatos? Et Ecclesiæ, quæ in domo tua est. Sicut enim Timotheum adsciuit sibi socium, licet fratrem aut filium, id est, inferiorem se, tanquam idoneum comprecatorem; sic & seruos adhibuit, tanquam agendi negotij cooperarios. Sed quid post coniugem, & antistitem confugere ad mancipia, & ea constituere velut efficacia obtinendæ veniæ organa. Quod ius obsecrandi in seruis, quæ virtus in iis impetrandi? Triplex. Prima, dum conceditur interdum numero, quod merito non tribuitur; dum multitudine datur, quod virtuti denegatur. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quid ergo Christianus singularis? Non petet, aut non refert; licet probus, licet fidelis? Non hoc dicit, sed asserit plus esse virtutis in multis quàm in vno; idcircò & numerum semper adauget, vt amplíet subsidium. Assistat & turba, ait Ambrosius, nec solùm turba, sed etiam multa. Iuuat enim multitudo precantium, & vi quadam impetrat. Altera

Datur multitudini quod virtuti denegatur.

Matth. c. 18.

Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 7.

A ratio, quia de seruo agebatur reconciliando, idcircò & seruorum aduocatur comprecatio. Nec seruos quidem, ait Chrysostomus, hîc omittere voluit. Sciebat enim sæpè fieri vt seruorum verba Domini sententiam immutarent, idque tunc maximè, cum pro seruo rogatur, cum illi fortassis in primis eum irritauerint Dominum. Tertia, quia non vt tam seruos adhibuit, quàm vt Christianos, ideo nec familiam dicere voluit, in quâ quidem serui sunt, sed esse possunt & filij: verùm, dixit Ecclesiam. Et Ecclesiæ, quæ in domo tuâ est. Quasi omnes domestici, Ecclesiastici essent, quà fideles, quà Christiani: nec herum distinxit aut seruum, sed vtrumque vno nomine comprehendit, vno inuoluit nomine. Ita, ait ille, non permittit eos dare inuidiæ manus, dum eadem appellatione, quâ Dominos honorat: sed ne Dominum quidem indignari sinit, dum illos nominatim appellare omisit. Nam si seruos quoque notasset ex nomine, fortè indignationis causa Domino non defuisset. Ars igitur eximia, quâ processit Paulus: sic processit & Christus, ars vt artem vinceret; sed ars diuina, fraudem depelleret, seruumque fugitiuum in domum patris reduceret.

Chrysost. Hom. 2.

B

Chrysost. Ibidem.

C

QVÆSTIO V.

Quomodo sibi seruum asserat.

LVdit Tertullianus, sed & simul alludit. Fabulæ tales, vtiles, inquit, vt Marcus, vt Caius in hanc carnem barbatus, & hæc omnia; seuerus maritus, pater, auus, proauus, certè, quod sufficit, masculus, in Nymphone Pleromatis ab Angelo, tacendo iam dixi, & forsitan parias aliquem Onesimum Æonem. Sed næ ego temerarius, qui tantum Sacramentum etiam in ludendo prodiderim. Fabulas vocat Valentinianorum seu seculorum seu deastrorum genealogias, reprobatque vt mera commenta, seu hæretica mysteria. Quid enim quod Marcus, aut Caius, nihil interest, dummodo masculus, & vtique barbatus, introducatur in Pleroma, & tanquam sponsa tradatur Angelo subigenda fœtandaque coniugio. Quis inde fructus, quis partus. Fortè nouus Onesimus? Quid enim aliud speres ex furtiuo complexu, quid aliud ex arcano coitu expectes? quidni cuniculis faciant pariant-ve alterum Onesimum, cum Paulinis in vinculis sit editus? Quid si spectet nomenclationem Onesimi, & inde confusionem improperet Sacramenti? Onesimus enim idem qui vtilis seu fructuosus. Fabulæ tales vtiles. Quæ nobis scilicet pariant Onesimum. Imò in totum inutiles, nec vanæ solùm, sed & noxiæ, quæ monstrum repromittant; nedum mancipium nec cœlo inferant, sed tradant diabolo. Sed agendum seriò, dicendumque ex Chrysostomo: Quod Onesimus Romam profectus, cum Paulum carcere inclusum inuenisset, doctrinâ firmatus Apostoli, baptismatis quoque promeruit gratiam. Quòd enim baptisma ibi susceperit, & ex eo liquet quod ait: Quem genui in

Tertul. lib. aduers. Valent. c. 32.

D

E

Chrysost. in argum.

in vinculis meis. Scribit itaque Paulus, commendans illum Domino, vt omnium gratiâ, quæ in se fuerant admissa, dimitteret, eumque vt nuperrimè regeneratum gratè susciperet. Non modò igitur tam paruas Epistolas, & pro rebus adeo necessariis oportuit scribi: sed vtinam non defuisset, qui nobis Apostolorum historiam diligentissimè traderet: non tantùm quid scripserint, quidve locuti sint; sed vt sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quando sederint, quò ierint, quid diebus singulis gesserint & in quibus partibus vixerint, quam introierint domum, quò migrauerint, vbinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret, adeò illorum omnia eximiâ vtilitate referta sunt. Si enim cum loca tantùm cernimus vbi sederunt, vbi vincti sunt, loca inquam inanima, illuc sæpè dirigamus animum, virtutesque illorum conspiciamus, & expergiscimur, & promptiores euadimus: multò id profectò magis fieret, si verba illorum, & reliqua gesta audire contigisset. Certè de amico perlibenter quis interrogat, vbinam degit, quid facit, quò procedit? Non longè dignius de communibus orbis magistris id fieri decuit?

Benè est. Et idcircò multa de Paulo interrogamus tanquam de amico, & quæ scripta non sunt, scribenda cogitamus. Primò igitur, quònam ius habuerit Paulus in seruum alienum, licèt baptizatum, an & manumittere potuerit, tamque à domino quàm à peccato absoluere. Innuit ita esse, cum ait: Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Si voluerat, vtique potuerat retinere, vt suum: non enim voluisset admittere illicitum, aut alienum contrectare. Prius dixit, Multam habens fiduciam in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem attinet. Quid est quod ad rem attinet? Seu, vt habes apud Chrysostomum, Quod expedit. Hoc est rationabilem rem. Quod facere conuenit, & est officij legitimi; cedendo scilicet, aut non repetendo seruum; iam non suum, vtpote alteri ac meliori domino, Paulo scilicet, vel Christo deditum. Postremò adiicit: Et te ipsum mihi debes. Ita frater. Si teipsum mihi debes, nihil tuum est, quod mei non sit arbitrij: & si reclamas, aliquid te inuito subtrahi, irrationabiliter reclamas: cum nihil iam veraciter ex teipso, sed ex meo tollas imperio. Inde est igitur quod Onesimum tibi subtraham, & illum mihi, tam iustè quàm & legitimè mihi asseram. Nihilominus requiret Philemon seruum fugitiuum, furtumque, non solùm ordinante lege, sed & fide probante, reperet. Non enim eripit mortalia, qui regna dat cœlestia; nec vincula dissoluit, qui donat peccata; nec ære alieno releuat, qui proprio imbuit munere. Dicit ergo Paulus, (Aquinate interprete) Propter quod, id est, quia sic abundas charitate. Multam fiduciam habeo in Christo Iesu. Quasi dicat, Non ex me, sed ex auctoritate Iesu Christi, in cuius fide te genui. Et ideo possum tibi imponere, vt pater. Sed, Quoad ad rem, scilicet tuam, Pertinet: Propter charitatem magis obsecro. Prouerb. 18. Cum obsecrationibus loquitur pauper. Res ergo charitatis est, non ciuilis potestatis; patris spiritalis, non iudicis temporalis; quæ postulatio-

Chrysost. Hom. 2.

Aquin. lect. 1.

nem admittat, possessionem non afferat. Si quid enim acquisiuit Paulus, non sibi acquisiuit, sed fidei; non enim Paulinianum fecit, sed Christianum; & ita in ius quidem, transmisit Christi, sed ius Domini non remisit. Nunc autem, inquit, obsecro te pro filio, quem genui in vinculis Filium dicit, non seruum; & in vinculis, non è lumbis editum. Res enim pietatis est, non carnis: & si Onesimum ministerio suo induxit ad fidem, non eum baptismo indulto obstrinxit ad infidelitatem. Potest quidem piè & honestè peti, sed semper potest iustè repeti. Idcircò addit. Sine consilio autem tuo nihil volui facere. Id est, sine tuo arbitrio, non expectatâ suâ sententiâ; quæ sane expectanda non fuisset, si iam res vindicata fuisset, & adiudicata. Postremò, non solum remittit seruum, sed & promittit damno satisfacturum, tanquam debito. Ego Paulus scripsi meâ manu. Ego reddam. Si pro furto, voluit cauere etiam scripto, an fugitiuo fauere potuit, etiam ex arbitrio?

Aliud ius patris spiritalis, aliud ius ciuilis iudicis.

Nec illi tam insulsi, quam & iniqui qui in ius fidei, ius omne transferunt, sicque fas omne ac ius euertunt, dum de rebus omnibus disponunt pro animi libidine, non pro fide Euangelij. Ita Donatistæ, apud Augustinum. Multa egerunt per furiosos ebriosorum iuuenum greges, quibus Principes constituunt, qui primum tantummodo fustibus, tum etiam ferro se armare cœperunt, & sæua contra omnem ordinem legum potestatumque commiserunt. Isti sunt iuuenes desperati, circumcelliones dicti. Solent enim ire hac atque illac, ait ille, nusquam habentes sedes, & facere quæ nostis, & quæ illi norunt, velint nolint. Sed si non nostis, seruos vocabant ad pileum, imo inuitabant ad dissidium, non enim ipsos fidei comparabant, sed schismati: absoluebant tamen à Domino, manumittebant pro libito. Quidni? cum & debita contracta dissoluerent, nec seruos tantùm, sed & liberos abducebant. Restat vt alienas ducant vxores, aut res alienas distrahant. Videte, ait Tobias senior, ne forte furtiuus sit reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. An minus castæ sunt Christianorum manus, vel à furto minus alienæ quàm Iudæorum? Imò vero, non solùm restituent alienum, si Dominum agnoscunt; sed & quærent Dominum, si quid perditum inueniunt. Si quisquam, verbi gratiâ, (ita Augustinus) in viâ inuenerit alienum sacculum solidorum deberet reddere. Sed nescit cui. Non te excusat ignorantia: sed non dominetur auaritia. Ne pigeat historiam accipere, sed pigeat excipere sententiam. Dicam vestræ charitati, (ita ille) quoniam dona Dei sunt: & sunt in populo Dei, qui non frustra audiunt verbum Dei. Dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis: tam pauper vt proscolos esset grammatici, sed planè Christianus, quamuis ille esset paganus grammaticus, melior ad velum quàm ad cathedram. Inuenit sacculum, nisi fortè me numerus fallir, cum solidis fermè ducentis;

Augustin. lib. 1. Cont. Ep Parm. cap. 11.

Augustin. in Psal. 132.

Baron. Tom. 4.

Ann. 321.

Tob. cap 2.

Augustin. serm 19. de verb. Apost. cap. 6. & 7.

ducentis: memor legis proposuit pitacium publicè: reddendum enim sciebat; sed cui redderet, ignorabat: ideò proposuit pitacium publicè. Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento, & lecto pitacio, venit ad hominem: & ne fortè quæreret alienum, quæsiuit signa, interrogauit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cum omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio, quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit solidos viginti, qui noluit accipere. Obtulit vel decem, noluit accipere. Saltem rogauit vel quinque accipere, noluit ille. Stomachabundus homo, proiecit sacculum: Nihil perdidi, ait. Si non vis aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille quod offerebatur, accepit. Continuò totum pauperibus erogauit, vnum solidum in domum suam non dimisit. O pauperem æternâ laude dignum, ô hominem bona fide Christianum.

Mira inuenti sacculi ac redditi historia.

Sed redeo ad Paulum, Apostolum Christi, fidei magistrum. Quid nos docebit, quid verbo iubebit & exemplo? Seruos, ait Chrysostomus, à Dominis non oportere abstrahi. Nam si ille, qui ita Philemoni confidebat, Onesimum sibi adeò vtilem & necessarium ad ministerium tenere noluit præter sententiam Domini: multò sanè magis id nobis quoque seruandum est. At verò domi seruile munus à maioribus illum, à dignioribus fortassis abducet. Audiat beatissimum Paulum optimè sibi consulentem, cum dicit: Seruus vocatus es, noli curare: si autem etiam potes liber fieri, magis vtere, hoc est, in seruitute persiste. Quomodo ergo Paulus seruos sibi assereret alienos, qui nec vellet liberos; quomodo vinculum solueret seruitutis, qui seruilem conditionem produceret ad virtutis augmentum? Vetat vxores fideles, ab ethnicis viris discedere, probat seruos propè sui Dominos, vel arbitros dominij, sub iugo & & imperio dominorum infidelium persistere: nihil magis commendat, quàm reuerentiam filiorum erga parentes licet ethnicos, quàm obedientiam subditorum erga Reges etiam impios; & ipse exemplo destruet, quod verbo prædicat; alienum sibi seruum asseret, quem nec ignorat alteri, adde & fideli, obnoxium? Equidem cogitauerat Paulus, ex amicâ confidentiâ, retinere Onesimum, tanquam necessarium ad ministerium non Apostoli tantùm, sed & Euangelij. Quem ego volebam pro te retinere, vt ministraret mihi in vinculis Euangelij. Ita manus Chrysostomi, ita & textus Pauli. Volebat quidem, seu cupiebat; tanquam rem vtilem: noluit tamen, quin & tandem remisit, vt hominem non suum, sed alteri, Philemoni scilicet debitum. Potuit etiam Paulus exercere imperium suum in Philemonem iam fidelem, non quidem vt seruum donaret libertate immerita, sed vt eum ex Christianâ charitate susciperet: sed maluit petere, maluit tam humiliter quàm suppli-

Chrysost. in argum.

Seruus non est à Domino suo abstrahendus.

A citer exorare. Obsecro te, inquit, pro filio meo, quem ego genui in vinculis meis. Onesimo. Rursus vincula, ait Chrysostomus, quæ placandi ac exorandi vim habent, & tum demum nomen apponitur. Cum enim tam multis modis Philemonis præparasset, ac mitigasset animum, non continuò adiecit nomen: sed post huiusmodi adeò insignem admonitionem differt adhuc. Nostis quippe dominorum aduersùs fugitiuos seruos indignationem, & maximè si re familiari expilatâ diffugerint: quamlibet illi mites fuerint, ex accepto detrimento ira succrescit. Denique, debebat Philemon salutem suam, seu B Christianam fidem Paulo, tanquam ministro Euangelij, seu Christi Apostolo: sed dona Dei venalia non sunt, & si acquirunt thesauros inenarrabiles, nec seruos tamen conferunt, nec opes congerunt: non enim emuntur, aut venduntur; sed liberalitati relinquuntur ac gratitudini.

Chrysost. Hom. 2.

QVÆSTIO VI.

Cur adeò diligat Onesimum.

C Tria sunt in istâ epistolâ, quæ maximam Apostoli Pauli ostendunt erga Onesimum suum beneuolentiam, nulli alteri præstitam. Quod enim fratrem eum dicat, socium, filium, quòd viscera sua: id quidem intimum indicat affectum, sed communem ac passiuum, vtpote alteri fideli, seu discipulo, seu ministro communicabilem. Quod autem eius solius gratiâ, totam scribat epistolam; quod non alienâ manu, sed propriâ, describat integram; quòd in se culpam transferat alienam, promittatque redditurum se ac satisfacturum: nihil quidem citra debuit, sed D nihil vltra potuit. Primum ergo in illis verbis. Nunc autem obsecro te pro meo filio. Alterum in istis. Ego Paulus scripsi meâ manu. Tertium in iis. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego reddam. Et vide, ait Chrysostomus, quàm cautè postremò addidit culpam. Quia enim maximè rei pecuniariæ iacturâ angi homines solent, ne quid huiusmodi obiiceretur, consumpta quippe fortè erat pecunia, furto sublata: non ait, Si quid furatus est: sed, si quid te læsit. Simul & peccatum confitetur, & non veluti serui peccatum, sed quasi amici ad amicum, E iniuriæ magis vsus, quàm furti nomine. Hoc inquit, mihi imputa: id est, à me debitum exige. Nihil certè tantam impetrandi vim habere solet, quantam non simul omnia petere. Vide enim post quantas laudes, post quantum apparatum, magnum quid posuit. Cum dixisset illum filium suum & Euangelij socium, cum sua eum appellasset viscera, & dixisset, vt fratrem illum habe: tunc addidit sicut & me. Nec istud erubuit Paulus, quia enim fidelium seruus non erubescit appellari; nec modo erubescit, verùm id & liberè, & gratis confitetur: multò minus ita profiteri de se renuit. Quanta societas, quanta communitas; vt Onesimus

Chrysost. Hom. 3.

Onesimus sit alter Paulus, vel Paulus sit alter Onesimus. Debita facta sunt communia; quæ commissa ab Onesimo, à Paulo rependenda. Vnde illa communitas, seu tanta societas? Ex spirituali communicatione, imo ex dilectione singulari. Ita Ambrosius de fratre suo Satyro. Omnia, inquit, nobis erant nostra communia, indiuiduus spiritus, indiuiduus affectus. Omnia quippe inter veros amicos communia sunt, præter secretum amicorum. Nam, vt ille ibidem dixit. Semper commune consilium, non semper commune secretum. Est enim fidele indicium, & extraneo non esse proditum, quod non sit cum fratre collatum. Sed vnde tanta, & tanti Apostoli in seruum Onesimum amicitia? Ex triplici causâ.

Ambros. lib. de obitu frat. Saty.

Quomodo omnia sint amicorum communia.

Primo est. Quia in senectute suâ illum genuit. Acquirens enim filium tempore defectus, vt Aquinas loquitur, magis eum diligit, vt senex filios in senectute genitos. Adde quòd sera voluptas semper magis grata. Idcircò, vt dixit Homeri interpres: Videntur plus diligi, qui gignuntur desperatâ iam ætate. Sed habemus firmiorem propheticum sermonem. Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum. Seu, vt legit Ambrosius: Quia filius senectutis erat ei. Idcircò moderatione indiget iste amor, &, nisi frænetur, aut dissimuletur, multis subiacet periculis. Amare liberos, dulce; (ait ille) & impensiùs amare, prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis. Non potest affectus supprimi, sed excessus debet reprimi, fastus comprimi, ne inuidiam faciat, aut pariat arrogantiam. Verus amor ille est, non qui exprimitur verbis, sed qui animis imprimitur; non qui sermonum iunutritur lenocinio, sed qui cordium fruitur commercio. Ita Ambrosius de fratre suo; ac de seipso. Ita, inquit, mutuus semper vtrique nostrûm insederat amor, vt interiore potius foueretur affectu, quàm forensi blandiciâ diuulgaretur. Neque aliorum quærebamus testimonium, qui tantum nostri gratiam tenebamus? Ita virilis se vtrique nostrûm germanitatis succus infuderat, vt non blandiciis probare amorem, sed consciâ mente pietatis interno amore contenti, fucum blandiciarum non requirere videremur, quos & ipsa in amorem mutuum, imago formaret. Paulus diligit Onesimum, & ardenter diligit, nec minus prudenter. Sed cur adeo ardenter. Vt Paulus senex. Quia in senili ætate ipsum genuit, quia spiritali voluptate, serâ quidem, sed inde grata, ipsum edidit. Filius ille senectutis est, fœtusque virtutis, si non deficientis, certè decrescentis.

Aquin. lect. 1.

Genes. cap. 37.

Ambros. lib. de Ioseph cap. 2.

Ambros. de obit. Sat.

Amor ita sit ardens vt sit & prudens.

Secunda ratio. Quia in angustiis seu vinculis eum sustulit protulitque. Vbi enim, vt obseruat Chrysostomus, plurimis in locis suum declarasset affectum, ex partûs quoque tempore sui reuerentiam indicit. Vinctus, inquit, illum genui: vt ex hoc amore, dignior honore censeatur, quòd esset inter ipsa certamina, & in ipsis pro Christo tentationibus editus. Ex eo omnibus iustius, potentiusque persuadet, Quoniam vinctus Iesu Christi. Cumque iam animum Philemonis ad omnem parasset obedientiam, tunc iam quid velit, adiungit, & dicit, Obsecro te pro filio meo, quem ego genui

Chrysost. Hom. 2.

A in vinculis meis. Tu autem illum suscipe: hoc est, viscera mea. Non simpliciter posuit nomen, sed vocem adhortantis adiecit, quæ longè plus habet virium, quàm si filium diceret. Dixerat filium: dixerat, quem in vinculis genui, vt ex eo maximè videretur amabilis, quòd esset in pressuris & in tentationibus genitus. Quod enim illis maximè filiis afficiamur, quos inter pericula, vel etiam post euitata pericula gignimus, testimonio scripturæ comprobatur, quæ Beniamin delicatum patri Iacob filium ex eo manifestat, quòd hunc moriens mater ediderit. Tu autem ipsum, inquit, hoc est, viscera

Chariora quæ in angustiis & pressuris edita.

B mea suscipe. Et ex his verbis magnitudinem charitatis ostendit. Non ait, recipe: non dixit ne irascaris: sed, suscipe: hoc est, non modò veniam, sed honorem quoque promeretur. Non iam dico, vt illum suscipias tanquam alterum me, tanquam meipsum: & hoc quidem hoc mihi gratum acceptumque: sed ipsa viscera mea: nihil tenerius, nihil delicatius. Illum quippe genui in vinculis meis, ipsum in angustiis & pressuris edidi. Idcircò mihi ille chario, mihi amabilior. Ille meus Ioseph, ille meus Beniamin, ille mihi cordi, imò cor, & mea viscera. Quidni? Rachel enim cum pareret Beniamin, vocauit nomen eius, Filius doloris mei: futurum Prophetans ex eâ tribu Paulum,

Ambros. lib. de bened. Pat. cap. 12.

C qui affligeret filios Ecclesiæ persecutionis suæ tempore, & graui matrem dolore vexaret. Sed tamen idem postea escam posteriore diuisit tempore, euangelizans Dei verbum gentibus, & plurimos ad fidem prouocans. Dilectus à Domino, quia etiam vas electionis est factus. Neque enim aliter nisi Domini est miseratione & amore conuersus.

Tertia denique. Quia licèt aliquando ἄχρηστος, inofficiosus: tunc tamen εὔχρηστος, commodus. Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis. Seu, vt ex Græcis. Et tibi, & mihi vtilis. Non solùm inutilis fuit, sed & grauis, importunus, tam veniâ indignus quàm & gratiâ: nunc autem, non solùm vtilis,

D sed & spectabilis, tam gratiâ dignus quàm & beneuolentiâ. Personam ergo Paulus describendo, (ita Aquinas) ostendit eam sibi acceptam ex spirituali generatione, tum ex morum mutatione. Dicit ergo verè sum exaudiendus, quia petitio continet honestatem & pietatem pro meo filio Onesimo, de quo est præsens mea solicitudo. Si enim in peccatis perseuerasset, non fuisset dignus veniâ. Nota ergo quòd minus dicit, & plus significat. Docet enim Tullius, quod quis factum suum debet attenuare, quantum potest. Sic Apostolus leuiter de culpâ huius loquitur, dicens, Qui tibi aliquando inutilis fuit; id est, nociuus in sub-

Aquin. lect. 2.

E trahendo res tuas: nunc autem conuersus à malo ad statum virtutis, vtilis est ad seruitium Dei & hominum. Dicit ergo, Tu illum vt mea viscera suscipe: & hoc ideò, quia vidi eum emendatum; cuius signum est, quia eum remisi tibi. Spectanda quidem beneuolentia Pauli, sed miranda prudentia. Vide, ait Chrysostomus, quàm prudenter ipsius delictum confitetur, vt eo ipso extinguat iracundiam domini. Scio, inquit, quod inutilis fuerit, Nunc autem & tibi & mihi vtilis erit. Non ait, nunc autem tibi vtilis erit, ne ille non crederet: sed personam

Chrysost. Hom. 2.

quoque introduxit suam, vt ex hoc ille dignius sperare meliora potuisset. Nunc autem, inquit, & tibi & mihi vtilis. Si enim Paulo futurus est vtilis, qui tantam virtutis & perfectionis diligentiam exigit, quanto amplius domino? Obsecro te pro filio meo. Quonam? Onesimo. Quis ille? Qui tibi & mihi est vtilis: ὀνήσιμος enim Græcè, Vtilem Latinè sonat, seu vtilitatem importat. Cur adeo ipsum diligis? Quia multum vtilis. Cuinam? & mihi & tibi. Idcircò & illum remisi ad te. Accepi inutilem, reddo vtilem: remitto Onesimum, verè nunc Onesimum, vtpote fructuosum: & inde ipsum diligo. In tantum enim Paulus aliquem amat, in quantum Christo, & Euangelio vtilem reputat. Illi quis eo charior est, quo fidei vtilior; non enim sua quærit, sed quæ multis vtilia; idcircò non sibi asserit, sed remittit Philemoni.

Eo quis Paulo charior quo vtilior Euangelio.

QVÆSTIO VII.

Quid de ipso portendat?

PAulus non solùm patrocinatus est Onesimo, sed & de ipso vaticinatus est. Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes: iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi, quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino?

Primò ergo dicit, Forsitan enim ideò discessit ad horam à te Seu, vt ex Græcis: Forsitan enim ideò secessit ad tempus. Sed illud tempus breue, dum labile; & quasi momentum, stabili comparatum æternitati. Cum autem dicit, Forsitan, (ita Aquinas) ponit rationem, quare debeat eum recipere benignè: & id quidem ex parte Dei: quia sæpè Dei prouidentia, id quod videtur malum permittit fieri, vt exinde sequatur bonum. Dicit ergo, forsitan, quia incomprehensibilia sunt Dei iudicia. Multa quippe Deus facit iustè, quæ si facit homo, facit iniustè. Quid est quod dicis, homo, (ait Augustinus Iuliano) qui multum desipis? Quanto excelsior, tanto inscrutabilior diuina quàm humana iustitia, tantoque ab hac illa distantior. Facit Deus aliquando contra quàm facienda mandauit. Nec opus est vt multa commemorem, ne sit longum. Ecce quod notum est omnibus dico. Mandauit homini scriptura diuina dicens, Non te laudet os tuum: nec tamen Deus dicendus est arrogans aut superbus, cum se innumerabiliter laudare non desinit. Quædam Deus iustè facit, quæ si homo facit, iniustè facit. Nam & iniurias suas Deus vlciscitur iustè, hominibus autem dicitur, Non vos ipsos vindicantes, sed date locum iræ, scriptum est enim, Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus. Sine vllâ iniquitate pro peccatis parentum simul cum eis interimit paruulos, quamuis mandauerit homini, ne filios pro peccatis patrũ cũ iudicat, damnet. Non est legis suę pręuaricator, quando aliud facit Deus vt Deus, aliud imperat homini vt homini. Dicit Dominus, Vię meę, nõ sũt viæ vestræ; &, cogitationes meę, nõ sũt cogitationes vestræ: quãtũ exaltatur cœlum à terrâ, tantum exaltantur cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Quid putas, quid

Aquin. lect. 2.

Multa Deus facit iustè, quæ homo facit iniustè.

Augustin. lib. 3. oper. inch. num. 21.23. &c.

A cogitas de isto Onesimo? Fugam arripuisse? imò, alteram iniisse viam. Discessisse? imò secessisse. Dicit Paulus, Forsitan: neque ait, ideò fugit: (ita Chrysostomus) sed, ideò separatus est, honestiori vsus vocabulo. Neque seipsum separauit, dixit: non enim hoc ille molitus est, vt huius rei gratiâ discederet. Quod & Ioseph cum fratres alloqueretur, eorumque causam ageret, ait, Deus huc me misit: hoc est, malitiâ vestrâ benè vsus, atque vtiliter: ideo, inquit, ad horam separatus est. Et tempus contrahit, & peccatum confitetur, illudque in dispensationem vertit. Non tam fugit à te seruus tuus, quàm B ad Deum & Dominum suum confugit: non probo fugam, sed diuinam suspicio prouidentiam.

Chrysost. Hom. 2.

Secundo, cum addit, Vt æternum illum reciperes: iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem. Seu, vt ex Græcis: Non amplius vt seruum, sed supra seruum, fratrem dilectum. Prædicit gloriam futuram tam seruo reddendam, quàm domino: imò nec seruum tunc futurum nec dominum: vbi enim cœlestis erit beatitudo, seruilis non remanebit conditio: omnes pariter beati: & in hoc omnes superiores, quod Deo ac Domino similes. Nec maior C forsan erit gloria domini, quàm serui: quia gloria æterna nec seruo debita nec domino, sed pro ipsâ Dei & Christi misericordia erit simul & pro meritis dispensanda. Quomodo libet, ait Augustinus, dicas Deum facere quod debet, gratiam nemini debet, multisque non reddit supplicium, quod malis etiam operibus debet, & largitur gratiam quam nullis eorum operibus debet. Facere se ergo dicit bona eorum in ipsis, sed propter nomen suum quod profanauerunt, non propter ipsos qui profanauerunt: nam si propter ipsos facere vellet, supplicium illis debitum redderet, non gratiam donaret indebitam. Fur quidem Onesimus, nedum fugi- D tiuus: sed si rapuit aliquando per auaritiam, modò rapit per gratiam. Est enim bona rapina, vti dixit Chrysostomus, rapina cœlorum quæ nihil lædit. Nam in pecuniis quidem nequit fieri vt quispiam euadat diues, nisi alius priùs factus sit pauper. In spiritualibus autem non ita est, sed totum contrarium, fieri non potest vt quispiam fiat diues, nisi alterum fecerit opulentum. Nam in corporalibus quidem impertitio efficit diminutionem: in spiritualibus autem impertitio operatur abundantiam. Si enim sapientia sensilis non consumitur innumerabilibus rapientibus, neque artifex multos efficiens artifices, perdit artem; multo magis qui regnum E rapit, minus non efficiet. Euigilate iustè. Quid est iustè? Ad id quod conducit & est vtile. Rapiamus ea quæ non consumuntur, sed dum rapiuntur magis abundant. Rapiamus ea quæ nullum habent calumniatorem, nullum qui inuideat. Si enim auri locus esset perennem habens fontem scaturientem, & eo magis effluerent, quo magis exhauriretur: alius autem esset locus habens thesaurum infossum, ex vtro velles ditescere: an nõ ex illo? Est perspicuum. Hæc est gloria, quæ affluit, & nunquam effluit; quæ nulli non sufficit, & nulli deficit; cum tam copiosa sit, quàm & æterna. Forsitan ergo reliquit dominum seruus ad tempus, vt in æternum dominus seruum reciperet,

Augustin. lib. 1. op. inch. num. 133.

Chrysost. orat. 40. in epist. 1. ad Corinth.

Rapina regni æterni est optima.

reciperet, non iam seruum, sed fratrem, sed coæqualem, vtpote commartyrem.

Tertiò, cum subiicit, Maximè mihi, quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino. Non solùm prædicit gloriam, sed & rependit gratiam. Accepi seruum inutilem in omnibus. Reddo virum vtilem in omnibus. Remitto non iam seruum vilem & contemptibilem, sed fratrem dilectum ac charissimum: & si mihi, quanto magis tibi? Non enim in spiritualibus tantummodo dico preriosum, sed etiam in temporalibus seu carnalibus secularibusve. Innuit nimirum quantum conferat domino seruus, si pius; quantum benedictionis & vtilitatis domum inferat. Ita Laban Iacobo: Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. Et Iacobus Labano. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Et de filio: Gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægypti propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam. Quid putas, quid existimas, imperium domini, an serui obsequium? Nonne, ait Ambrosius, videtur tibi iste in seruitute dominari, ille autem in libertate seruire? Habent igitur vnde se consolentur, qui ex libertate in seruitutem aliquâ necessitate venerunt. Habent quod imitentur, vt discant conditionom se mutare posse, non mores esse & in vernalis libertatem, & in seruitute constantiam. Habent quòd etiam domini per seruulos bonos sperent. Abraham filio per vernaculum inuenit vxorem. Benedixit Dominus domum Ægyptij propter Ioseph, & facta est benedictio Domini in toto censu eius, & in domo, & in agris. Vtraque parata est benedictio, & temporalis seu carnalis, & spiritalis, vtraque à Deo concessa. Dicit ergo Paulus Onesimum sibi maximè charum, quia benedictiones præcipuè spectabat spiritales sibi, sed & temporales domui benedictiones, & gratias sperabat affuturas? Non ergo spectare debet, quòd olim seruus indignus, & malè meritus; sed expectare debet & dilectionem tanquam à fratre spiritali, & tanquam à seruo fideli ac prudente, vtramque benedictionem, inferiorem scilicet ac superiorem.

Genes. c. 30.

Genes. c. 39.

Ambros. lib. de Ioseph Pat. cap. 4.

Pius seruus quantum domino suo proficuus.

QVÆSTIO VIII.

Vnde confidat de obsequio.

APerit Paulus ipse, cum ait. Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam & super id quod dico facies. Simul & para mihi hospitium. O quantum in Philemonis obedientiâ confidit, qui tam confidenter scribit; nec iam supplicis rogat more, sed regis iure, seruata tamen modestiâ, imperat. Quem lapidem, ait Chrysostomus, ista non flecterent, non emollirent? Quam immanem licet belluam hæc non in mansuetudinem ver-

Chrysost. Hom. 3.

A terent, ipsumque humanissimè suscipere persuaderent? Neque verò imperio vsus, inquit, atque auctoritate hæc scribo, sed confidens de obedientiâ tuâ scripsi tibi: quod etiam in principio dixerat, fiduciam habere: hoc & modo, cum signaret Epistolam. Sciens quoniam & super id quod dico, facies. Habent ista magnum hortandi atque exorandi vim. Erubesceret enim profectò, & si ob nihil aliud non id faceret quòd admonet, vel ex eo certè, quòd hanc ille de se habet opinionem, super quam diceret ipse esse facturum. Simul autem & para mihi hospitium. Et hoc vehementer confidentis erat indicium: imò
B & pro Onesimo in primis faciebat, ne illi negligerent: sed scientes illum omninò venturum atque auditurum, vt sese habuerint aduersùs eum, omnem iniuriæ memoriam deponerent, & promptiores ad gratiam essent. Grandis enim erat præsentis Pauli honor: Pauli, inquam, post ætatem senectutis expressam, post commendata sæpiùs vincula. Fiduciam quidem ostendit Paulus, sed dum fiduciam constituit in obedientiâ Philemonis; palam facit & se non carere Apostoli potentiâ, sed malle amici tenere modestiam. Ta-
C men & cum imperat parari sibi hospitium, demonstrat quidem imperium; sed eo temperat modo, quo & auctoritatem insinuet, & seruet familiaritatem. Iucundum verbum (ait ille apud Aquinatem) vt homo pauper diuiti mandet vltra tot terrarum spatia per Epistolam præparationem hospitij. Quid enim pro eo parandum erat, qui pane & vili pulmento contentus erat? Dicendum ergo quòd non propter hospitij præparationem, sed ad insinuandum familiaritatem, & dilectionem hæc dicit; & magis per hoc prouocat eum ad obediendum. Confidit ergo Paulus præsumitque
D de certissimo Philemonis obsequio; quia nouit eum non solùm fidelem mandatorum obseruatorem, sed & factorum supererogatorem. Tria autem ab eo sperare potuit.

Fiducia Pauli in obedientiâ Christiani constituta.

Aquin. lect. 2.

Primum est, quod præcipuum, ideò & expressum, vt dominus reciperet seruum, & peccatum ignosceret. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Id autem est, (vt exponit Chrysostomus.) Si mecum eadem sentis, si eandem curris viam, si amicum arbitraris, suscipe illum, quem & ego meum suscepi. Si Paulus te læsisset, nonne fatenti culpam, & veniam petenti libenter ignosceres, nonne hilariter occurreres accedenti? At Onesimus socius meus est, ideoque non potes habere me socium nisi & ipsum cóputes. Si ergo tibi curæ est societas nostra, si tibi gratię nostra est fraternitas: per illam hortor, per il-
E lam obtestor, ipsum suscipe sicut meipsum: rem enim mihi gratissimam feceris, si redeuntem receperis in gratiam. In hoc ergo tota causa est, vel certè præcipua, vt pro seruo indulgentiam postulet, exoret veniam. Ad hoc scribit, ad hoc remittit, vt fugitiuum in domo collocet, iniuriosum suo reconciliet domino. Ita; vt obseruat Hieronymus, Præcepit Dominus Petro sub comparatione domini & serui, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetraue-

Chrysost. Hom. 3.

Hieronym. lib. 3. Comment. in Matth.

rat,

rat, vt ipse quoque dimittat conseruis suis minora peccantibus. Si enim ille Rex & dominus seruo debitori decem millia talentorum tam facile dimisit: quanto magis serui conseruis suis debent minora dimittere? Et quia potest vnusquisque dicere: Nihil habeo contra eum, ego ignoui ei: confirmat sententiam suam, & omnem simulationem fictæ pacis euertit, dicens: Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Itaque, Ista, (vt demonstrat Chrysostomus) non sine certâ ratione scripta sunt, sed vti ne seruos peccantes despiceremus, neque illis domini minis immineant: sed crimina discamus ignoscere eis, qui sunt huiusmodi, ne semper seueri, semper asperrimi simus, Si enim Deo tam multa debemus, dignum est vt totâ animi alacritate his, qui nos læserint, peccata donemus, vt maiorem inde gratiam referamus. Pellatur ex animo rancor omnis malorumque memoria perpetuâ obliuione deleatur. Tu qui tam multa Deo debes, dimittere iuberis, vt plura recipias, & detrectas? Me miserum! quanta est in nos benignitas Dei? quanta nos ingratitudinis signa præferimus, quàm tepidi, quàm segnes sumus? Facillima profectò virtus est: non hîc viribus corporis, non opibus, non pecuniis, non potentiâ, non amicitiâ, non aliâ quauis re opus est, solum velle sufficit, resque tam vtilis, tamque necessaria protinus mandatur effectui. Contristauit te quispiam, & probris ac iurgiis affecit, cogita quàm multa tu in alios, atque in ipsum Dominum admiseris: sicque eris ad veniam pronior. Considera quid orans loqueris: Dimitte, inquis, debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Animaduerte quo te pacto constringas. Nisi dimittas, dicere hoc tutè non præuales. Cuncta igitur huius causâ faciamus, neque modò in amicos & proximos, verùm & in famulos quoque misericordes simus.

Chrysost. Hom. 1. & 2.

Venia facilè seruis peccantibus indulgenda.

Alterum, quod succedaneum, & ideò insinuatum potius quàm postulatum, vt dominus non solùm susciperet seruum, sed & liberum dimitteret. Ad hoc aspirant serui, vt libertatem redimant, exuant seruitutem; idcircò & ventrem fraudant, vel conflato comparant peculio. Numquid dubium est, ait Seneca, quin seruus cum peculio, domini sit? dat tamen domino suo munus. Non enim ideò non est munus, cum volens dedit; quia potuit eripi, etiamsi noluisset. Nihil charius libertate, nihil seruitute grauius: idcircò nihil non facit seruus, vel ex conspersο diario, vel ex dono accepto, vt quomodo possit, statum vertat, seseque restituat in integrum. Sed fastus ac superbia, innumeros congregant seruorum exercitus, & mancipiorum agmina, quibus dum pompam ostentant, naturam dedecorant. Cur enim, ait Chrysostomus, multos habent Ministros? Quomodo enim in vestibus & in mensâ solus vsus est attendendus, ita etiam in Ministris. Quis est ergo vsus? Nullus penitus. Si autem non credis, audi Paulum dicentem, Necessitatibus meis, & iis qui mecum sunt, ministrarunt hæ manus. Totius quidem orbis doctor, & dignus cœlis, non erubescebat ministrare innumerabilibus. Tu autem turpe esse ducis si non circumferas multos greges mancipiorum: nesciens quidem hoc esse quod te maximo afficit dedecore. Propterea enim dedit nobis Deus & manus & pedes, ne opus haberemus famulis. Neque enim propterea quòd esset opus, introductum fuit genus famulorum: Nam alioqui cum Adamo creatus fuisset famulus: sed est pœna peccati, & pœna inobedientiæ. Christus autem cum aduenisset, hoc quoque soluit. Nam in Christo Iesu non est seruus, neque liber. Quid ergo sibi volunt examina Ministrorum? Nam sicut qui vendunt oues, & corpora cauponantur, ita balneo, ita in foro procedunt & obeunt diuites. Scio quidem me esse molestum auditoribus. Sed quid agam? In hoc sum: neque cessabo hæc dicere, siue quid profecero, siue non. Quid enim sibi vult in foro superbè incedere? Num enim inter feras ambulas, quòd obuios expellis? Ne timeas, nullus te mordet eorum qui accedunt, & propè te ingrediuntur. An iniuriam existimas simul ingredi cum omnibus? Et quàm est hoc insanum, quàm prodigiosum, equum quidem propè sequentem non existimare afferre iniuriam: hominem autem, nisi multis abigatur stadiis, putare dedecore afficere. Quid verò & famulos habens lictores? liberis vtens tanquam seruis, imò verò ipse quouis seruo viuens ignominiosius. Est enim quouis seruo vilior & ignominiosior qui tantum circumfert fastum. Si enim multos congregas, non hoc facis benignitatis & humanitatis causâ, sed tuis seruiens deliciis. Si autem hoc facis eorum auram gerens, in tuo Ministerio neminem occupes, sed cum emeris & artes docueris vt sibi sufficiant ad victum parandum, eos manumitte.

Sen. lib. 7. de benef. cap. 4.

Chrysost. orat. 40. in ep. 1. ad Corinth.

Quàm inania sint famulorum agmina.

Tertium, quod arbitrarium, & idcircò expectatum quidem, sed non indicatum, vt dominus in facultates seruum admitteret, si non æquales, saltem similes, nec humanitatem tantum, sed & liberalitatem in ipsum effunderet. Seneca amico suo. Libenter ex his qui à te veniunt, cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet: Serui sunt? imò conserui. Itaque rideo istos qui turpe existimant cum seruo suo cœnare. Quare? nisi quia superbissima consuetudo cœnanti domino stantium seruorum turbam circumdedit. Eiusdem arrogantiæ prouerbium iactatur: Totidem esse hostes, quot seruos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Nolo in ingentem me locum immittere, & de vsu seruorum disputare. Hæc tamen præcepti mei summa est: Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quid ergo? Omnes seruos admouebo mensæ meæ? non magis quàm omnes liberos. Erras, si existimas me quosdam quasi sordidioris operæ reiecturum non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Quemadmodum, stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frænos: sic stultissimus est qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, æstimat.

Seneca epist. 47.

æstimat. Si id de seruis, quid de ingenuis: & si iis vt mancipiis vti non licet, licet abuti vt iumentis? Ne ergo seruitutis prætextu, (vti edisserit Chrysostomus) si boni fuerint, socios illos in omnibus assumere erubescamus. Si enim Paulus Onesimum non erubuit appellare filium, & viscera, & fratrem, atque charissimum: cur, obsecro, nos erubescamus? Et quid dicam Paulus? Pauli ipse dominus non erubescit seruos nostros fratres suos appellare, & nos erubescimus? Vide quanto honore nos prosequitur. Seruos nostros vocat seruos suos, & amicos, & cohæredes. Ecce, vbinam res deducta est. Et dubitamus adhuc cohæredem Christi, fratrem Pauli, socium filium, in partem admittere; imò non tam in partem, quàm in sollicitudinem inducere. In quo enim, ait ille, differt diues à paupere? Non vnum induit corpus, non vnum alit ventrem? In quo ergo plus abundat? In sollicitudinibus, in consumendo. Hæc sunt in quibus plus habet diues quàm pauper. Et Paulus quidem veniam tantùm exorat seruo fugitiuo, sed & ampliorem beneuolentiam à domino sperat, & vberiorem gratiam. Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam & super illud quod dico, facies. Quid est quod dicit Paulus? Ignosce, dimitte. Sed scit dominum super id facturum; nec veniam duntaxat, sed & gratiam concessurum. De veniâ confidit, ex obedientiâ; de gratiâ confidit, ex beneuolentiâ; quâ non solùm remittat liberum, sed nec vacuum relinquat ac miserum.

Chrysost. Hom. 2.

Omnes conserui sumus, etsi non pares, certè socij.

Chrysost. Hom. 40 in epist. ad Corinth.

QVÆSTIO IX.

Quem inde fructum capiat?

SI teipsum mihi debes, non est quòd mihi tua deneges. Ita frater: ego te fruar in Domino. Refice viscera mea in Domino. Nolebam hoc dicere: sed quidni dicam; cum id verum sit, nec sit honestum, vt ille qui plus debet, minus repetat; aut ille minus repromittat, qui nihil debet. Ego Paulus scripsi meâ manu, ego reddam. Quasi dicat, inquit Aquinas, Ego satisfaciam. Sed hoc non est necessitas, quia tu debes mihi teipsum, quem erui à morte æternâ. Et talis debet se liberatori. Quod ergo dixerat quasi timidè, ne dicam & verecundè: nunc exertè affirmat. Ita frater. Græcè ναί. Ita profectò nihil mihi non debes, qui mihi teipsum debes: quamuis enim nihil exigam, quamuis & parcam; semper tamen inferior es, semper remanes debitor. Fac ergo, vt ex tanto debito fructum aliquem decerpam, fac vt commodum & aliqualem referam vtilitatem. Ego te fruar in Domino. Hoc totum est quod postulo, totum quod opto. Græcè ὀναίμην. Hanc habeam voluptatem, hanc ex te vtilitatem mihi spondeam. Quam pote? Refice viscera mea in Domino. Dixi Onesimum non solùm esse filium meum, sed & viscera mea:

Aquin. lect. 2.

Qui à morte erutus liberatori obnoxius est.

A illum recrea, illum exhilara, veniam largiendo, recipiendo in gratiam. Sed sicut illud beneficiū postulo in Domino, sic & tu suscipe & indulge in Domino: nolo enim veniam propter Paulum conferri, sed propter Christum; & si impetro quod postulo, gratiam volo in Christum referri. Remitte ergo ei qui te læsit: egeno miserere. Quamlibet enim magnus peccator sis, audeo dicere, cœlesti regno donaberis, cum per huiusmodi opera & ipsa expies crimina, & omnium scelerum maculam diluas. Contingat vtinam nos omnes, enudatâ per confessionem conscientiâ, omB nique detersâ criminum labe, repromissis illic perfrui bonis, benignitate Domini nostri Iesu Christi. Ita Chrysostomus. Sicut enim opera in nomine Christi Domini facta sunt, sic & præmia virtute promissi diuini suffulta: in hoc seculo, fungimur virtute; in altero, mercede perfruimur.

Chrysost. in argum.

Est igitur duplex fruitionis genus: vnum quod notum grammaticis, alterum quod à theologis vsurpatum est. Primum nihil aliud importat, quàm fructum, commodum ex re aliquâ vel personâ decerpere: alterum, imC perat, finem quærere vlteriorem, & intentionem in Deum ipsum dirigere. Voluntas enim adest, vt loquitur Augustinus, per quam fruamur, vel vtamur. Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit: vtimur verò eis quæ ad illud referimus quo fruendum est. Nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quàm malè vtens & malè fruens. Licet enim fructum necessarium, vtilitatem, commoditatem ex creaturis ipsis percipere, non licet finem in alio quàm in Deo figere: non enim vtendis frui licet, nec fruendis vti. Res quippe aliæ sunt, ait ille, quibus fruendum est, D aliæ quibus vtendum. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus vtendum est adiuuamur, vt ad illas quæ nos beatos faciunt, peruenire, atque his inhærere possimus. Frui enim, est amore alicui rei inhærere propter seipsum. Vti autem quod in vsum venerit ad id quod amas obtinendum referre. Itaque creaturis omnibus, seu bonis omnibus, ad supremum bonum consequendum vti possumus, nullis debemus abuti: summo autem bono fruendum est & in ipso conquiescendum. Hæc enim merces summa est, vti dixit Augustinus, vt eo perfruamur; & omnes qui eo fruimur, nobis etiam inuicem in ipso perfruamur.

Augustin. lib. 10. de Trinit. c. 10.

Vita vitiosa, malè vtens & malè fruens.

Augustin. li. 1. de doct. Christ. cap. 3. & 4.

Augustin. eodem lib. cap. 32.

Vtrumque nos edocuit Apostolus, cum dixit: Ego te fruar. Addiditque: [In Domino] E Quid est enim Ego te fruar? Aliquem ex te fructum delibem, hoc reportem beneficium. Nam, vt obseruat Aquinas, frui, est vti fructu, & sicut est vti ad vtile, sic frui ad fructum. Importat autem finem, quia vltimum de arbore est fructus: & ideò propriè est habere vt finale & delectabile, quia fructus importat dulcedinem. Cautè ergo & sobriè Paulus: nam beneficium expectatum cum gaudio messuit, sed & gaudium in Deo constituit. Cum enim homine, ait Augustinus, homine in Deo frueris, Deo potius quam homine

Aquin. lect. 2.

Augustin. li. 1 de doct. Christ. c. 33.

 frueris,

frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, A & ad eum te peruenisse lætaberis, in quo spem ponis vt venias. Inde ad Philemonem Paulus: Ita frater, inquit, ego te fruar in Domino. Quòd si non addidisset, In Domino, & te fruar, tantùm dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. Non tamen scrupulosè verbis insistendum est, aut morosè de terminis contendendum. Quamuis enim propriè fructus fruentis, vsus verò vtentis sit: atque hoc interesse videatur, quòd eâ re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per seipsam delectat: vti verò eâ re, quam propter aliud quærimus: vnde temporalibus magis vtendum est, quàm fruendum, vt frui mereamur æternis. Verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, & fructibus vtimur, & vsibus fruimur. Nam & fructus iam propriè dicuntur agrorum, quibus vtique omnes temporaliter vtimur. Non tamen sicut peruersi, qui frui volunt nummo, vti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Pacatâ controuersiâ verbi, clara est rei sententia. Interest enim non quid proferatur, sed quid referatur; nec quo exprimatur verbo, sed quo animo sentiatur.

Augustin. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 25.

Impij Deum colunt propter nummū, pij nummum propter Deū impendunt.



AD



IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

PROLEGOMENA.



IERONYMVS Epistolas enarrans Pauli, & vltimam illam computans, quæ ad Philemonem est, absoluit, aitque. Super quo meliùs tacere puto, quàm pauca scribere. Nos multa scribere satius duximus, quàm tacere, vel paucis coactisque expedire, quia nimirum, vt ille ait in Lucam: Animaduertimus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam. Porro si tantùm pro seruo fugitiuo, quantùm de Christo Domino: cuius diuinitatem Paulus ad Hebræos describit, exponitque maiestatem? Sed quia priùs vindicando est Epistola, quàm declaranda doctrina, paucis præludendum est, tum & multis asserendum. Hieronym. Paul.



ARTICVLVS PRIMVS.

Cuius sit auctoritatis?



VLLVS omninò, nec hæreticos ipsos excipio, dubitaret esse indubitatæ auctoritatis, si iudicaret eam esse Pauli Apostoli, non enim minùs canonicam probaret, quàm Apostolicam. Sed ista vnica est ex quatuordecim, quæ non solùm ab hæreticis, sed & ab Orthodoxis reiecta sit quasi spuria. Vnde Hieronymus. Paulus, (inquit) Apostolus ad septem, scribit Ecclesias: octaua enim ad Hebræos, à plerisque extra numerum ponitur. Epistolarum scilicet Pauli Apostoli. Sed sepositâ quæstione de auctore, adhuc tamen requirendum est de auctoritate: cum multi sint libri, quorum scriptores ignorantur, res tamen probantur. Ita Gregorius: Inter multos, ait, sæpè quæritur, quis libri beati Iob scriptor habeatur. Et alij quidem Moysen, alij vnum quemlibet ex Prophetis scriptorem huius operis fuisse suspicantur. Suspicio passiua de auctore, nedum opinio humana: de auctoritate verò, certa diuinaque traditio. Quod autem de primo diuinorum libro, hoc & de vltimo. Ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentauimus nos vno volumine breuiare. Quis ille breuiator Iasonis Cyrenæi? Nescitur. Sic se res ha-

Hieronym. Ibidem.

Gregor. in præf. cap. 1.

2. Machab. cap. 2.

A bet in libris Machabæorum, ac in libris Esdræ; quorum primus certi auctoris est, secundus incerti. Quin & nonnulli libri tribuuntur auctoribus, quorum non sunt; & quorum sunt, non tribuuntur. Pentateuchus à Moyse scriptus est integer; dempto vno & altero capite, nec tamen illius nomine inscriptus est. Liber Iudith, Liber Esther, nec ab illâ, nec ab istâ conscriptus est. Liber Ecclesiastici imputatur Salomoni, sed alteri vindicatur. Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita, qui renouauit sapientiam in corde suo. An & idem dicendum de Libro Sapientiæ? Quid ergo istud? Tu elegisti me regem populo tuo. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare. Adeo B incerta auctorum nomina. Quod enim Salomoni demitur, redditur Philoni: nisi quod Philonem excludunt laudata verba, Salomonemq; vel scribentem, vel certè dicentem restituunt.

Incerta sacrorum auctorum nomina.

Ecclesi. c. 5.

Sapient. c. 9.

Nec ij tamen qui de auctore libri alicuius disputant, de auctoritate dubitant: alij dissimulant scriptorem, remque ad suum reuocant principium: sicut enim variis amanuensibus, nonnunquam certis, nonnunquam incertis vsus est Paulus in Epistolis conscribendis, nec tamen inæqualis est scriptorum auctoritas ex varietate scribentium; sic & Deus variis scriptoribus vsus est in describendis historiis, aut digerendis sententiis, nec tamen minor aut inferior

Sen. epist. 71.

rior auctoritas illius libri, quàm istius, quia A eadem vbique veritas, prima scilicet seu summa. Quod autem summum est, (vt dicam ex Seneca) supra se gradum non habet. Quinimò non solum puris ac castis manibus vti voluit Deus in scribendo, sed & impuris; improbis, ne dicam reprobis, certè dubiis hominibus, vt omnibus notum esset auctoritatem seu dignitatem libri non pendere à ministrante, sed à dictante: non enim quæ concipiebant scribebant illi, sed quæ audiebant referebant. In scripturis quippe diuinis, virtus Domini est, non ministri. Vnde Christus ad Sadducæos Erratis nescientes scripturas, neq; virtutem Dei. Nam, vt dixit Petrus, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et in hoc sancti, ministerio scilicet, licèt non officio, quod Spiritu sancto inspirati. Græcè φερόμενοι, acti & impulsi: non enim ipsi sunt qui locuti sunt, sed Spiritus sanctus qui in illis locutus est; id est, diuinitùs, & supra modulum afflati, non ad arbitrium Prophetico lumine, seu diuino numine subleuati. Siue enim os præstent ad loquendum, siue manum ad scribendum accommodent: instrumenta sunt aptata ad institutum, & ad arbitrium dictantis imperantis-ve temperata. Vnde Balaam. Num aliud, inquit, possum loqui, nisi quod iusserit Dominus? Non enim iuxtà placitum affectûs humani, sed iuxtà diuini spiritûs impetum. Inde mirum est, nec tamen minùs verum, quòd de seipsis testimonium dicant, nec minus tamen certum proferant iudicium: non enim postulantur ab ipsis exempla virtutum, sed sermonum expectantur oracula. Itaque, ait Gregorius, scriptores sacri eloquij, quia repleti Spiritu sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt: & sic de se sententias quasi de aliis proferunt. Iudicium Dei est, verbum Dei est, scriptura diuina, non humana: vnde sicut lector, quicumque sit ille, scripturam recitans eandem facit fidem, sic & scriptor quicumque sit, Deo ministrans ad prophetiam, eandem auctoritatem imprimit: sicut enim ille non suam sed Dei profert scripturam, sic & iste non suam sed Dei refert sententiam.

Matth. c. 22.

2. Pet. cap. 1.

Num. c. 23.

Scriptores sacri, sunt amanuenses Dei.

Greg. in præfat. Moral. cap. 1.

Scio distingui ab Hieronymo in iis quæ apocrypha non sunt & secerni, quasi non sint omnia canonica. Quomodo, inquit, viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis, in Dei doctrinâ, tenera adhuc & lactens viri iusti eruditur infantia. Primus autem apud Hebræos ordo in quinque libris Moysi, quos Legem appellant. Secundum Prophetarum ordinem faciunt, & incipiunt à Iesu filio Naue. Tertius ordo, Hagiographa possidet. Sed respondendum est primò, diuisionem illarum, Iudæorum esse, non Christianorum. Librum Tobiæ, ait ille, Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ agiographa memorant, mancipârunt. Arguunt & nos Hebræorum studia: & imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse iudicari Pharisæorum displicere indicio, & Episcoporum iussionibus deseruire. Secundò, qui ordinem instruit, non minuit auctoritatem. Itaque canonem condant suum Hebræi, & placitum ordinem constituant; libros diuinos distinguant, distribuant: sed si diuinos agnoscunt, sicut de veritate nihil demere possunt, ita nihil de auctoritate possunt detrahere. In arcâ non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb. An ergo dignitas minor cæterorum Moysi scriptorum, vel inferior auctoritas? Non credo. Sit aliqua distinctio quoad principalitatem; dummodo nulla sit quoad veritatem diuisio. Tertiò, inter hagiographa reponunt Dauid: Quem quinque incisionibus & vno Psalmorum volumine comprehendunt. An & leuiùs appendunt, vel minus expendunt? Imò apud illos excedunt hagiographa. Fiunt enim pariter veteris legis libri viginti duo: id est Moysi quinque: & Prophetarum octo: hagiagraphorum nouem. Ita numero excedunt, nec cedunt merito. Dauid, ille, Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum Lyrâ personat, & in dechachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem. Sit inter hagiographa, sed quidni sit & inter Prophetica; cum tanta scripserit de Christo, nomenque Prophetæ publico tandem omnium obtinuerit suffragio?

Hieronym. in prol. Gal. post init.

Hieronym. præf. in lib. Tob.

Ordinē constituere, non est auctoritatem minuere.

3. Reg. c. 8.

Hieronym. in prol.

Hieronym. ad Paul.

Quicquid sit de Hebræis, certum & indubitatum de Christianis; qui diuinam in libris canonicis suspiciunt veritatem, idcirco & parem iis auctoritatem deferunt. De scriptore litem non faciunt, nec de nomine instituunt inquisitionem: non enim vt symbolum humanę nomenclationis, sed vt supernæ donum reuelationis accipiunt. Fertur, ait Hieronymus, & Panaretus Iesu filij Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Et ille tamen pseudepigraphus, non minorem apud nos auctoritatem vindicat: apud Hebræos, Panaretus cum nomine proprio, exulat à canone Iudaico. Sapientia, ait Hieronymus, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, non sunt in canone. In quo magna differentia est humanorum librorum ac diuinorum: nam in illis quæritur quis scripsit, quia sicut alius alio dicit elegantiùs, sic & alius alio melius scribit comptiusque: sed in istis dicitur, Ait Dominus omnipotens, & satis est: cæteri enim pueri sunt elementarij, calamum gestantes, suumque Domino vt magistro præstantes ministerium. Sed iam ad Paulum: licèt enim non esset illius Epistola ista ad Hebræos: tamen sicut non minor est auctoritas Euangelij referentis, quàm Christi dicentis; sic & tanta potest esse Paulini discipuli concinentis, quanta & magistri præcinentis. Volo, ait Tertullianus, alicuius etiam comitis Apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo iure disciplinam magistrorum. Extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos. Adeò satis auctoritatis viro, vt quem Paulus iuxta se constituerit in abstinentiæ tenore. Aut ego solus & Barnabas non habemus hoc operandi potestatem? Quamuis ergo nutauerit titulum epistolæ, dignitatem nihilominùs Scripturæ seruauit & auctoritatem. Quid si esset

Hieronym. præfat. in lib. Salomon.

Hieronym. in Prol.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 20.

Epistola Barnabæ vel Clementi imputata.

esset alterius? Dummodo enim esset alicuius scriptoris diuini, seu auctoris sacri; non minùs canonica esset, quàm diuina, licet adhuc cuius esset dubitaretur, vel etiam ignoraretur. Epistola quæ fertur ad Hebræos, ait Hieronymus, vel Barnabæ creditur, vel Clementis, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse, & ornasse sermone. Sed iam ad rem propiùs.

Hieronym. lib. de scrip. Eccles.

ARTICVLVS II.

Cuius tandem sit auctoris?

QVidquid dicatur de æqualitate veritatis in Scripturâ relucentis, tamen sicut sunt Prophetæ minores ac maiores, & in corpore nostro partes minùs aut magis nobiles, licet non solùm vnitæ, sed & eadem animâ informatæ: imo in iisdem Prophetis licet maioribus & insignioribus nonnulla sint, quæ sunt magis principalia: sic & in Scripturis noui testamenti, quidam sunt illustriores scriptores: vt sicut Ioannes Euangelista tantùm aliis præstat, quantum aquila boui præstat, & leoni, ita Paulus per eminentiam dicatur Apostolus, id est, cæteris Apostolis emineat scribendo docendoque. Ille, ait Hieronymus, Hebræis literis eruditus, & ad pedes doctus Gamalielis, quem non erubescit, iam Apostolicæ dignitatis, magistrum dicere, Græcam facundiam contemnebat; vel certè, quod erat humilitatis, dissimulabat: vt prædicatio eius non in persuasione verborum, sed in signorum virtute consisteret: spernens alienas opes, qui in suis diues erat. Idcircò quamuis posset esse epistola catholica, licet non esset Apostolica; imò posse Apostolica, licet non esset Paulina: tamen sicut maioris erit ponderis, si Apostolica sit; sic & amplioris honoris erit, si sit Paulina. Paulus tantæ constantiæ vir, ne dicam Spiritus sanctus. Ita loquitur Tertullianus. Tantæ maiestatis, tantæque dignitatis, ne dicam & diuinitatis. Idcircò non solùm dicemus indubitatæ esse veritatis, si definierimus eam esse Apostolicam; sed & concludemus esse præcipuæ dignitatis, si addiderimus esse Pauli Apostoli. Illud ergo nostris dicendum est, (ita Hieronymus,) hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi: licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur; & nihil interesse cuius sit, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. In his, tria dicit Hieronymus. Primum est, illam à nonnullis seu plerisque Barnabæ vel Clementi attributam fuisse. Alterum, nihil interesse cuius sit, cum sit viri Ecclesiastici, publico Ecclesiarum probati suffragio. Tertium denique, ab omnibus retrò Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, eam, vt Pauli Apostoli susceptam, quotidianaque lectione celebratam.

Quanta Pauli doctrina & eloquentia.

Hieronym. Apol. aduers. Ruffin.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. c. 6.

Hieronym. epist. 129. circa med.

Hieronym. Ibidem.

Hoc vltimum rursus affirmandum est, quia minus firmatum. Primò, quia minuit Hie-

A ronymus, dum ait, Quasi Pauli Apostoli. Quod videtur potius dubitantis esse, quàm affirmantis. Secundò, ex eo quod addit. Quid si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt. Quasi consuetudinem opponat consuetudini, auctoritatem auctoritati, sicque causam non definiat, sed potiùs vertat in controuersiam. Tertiò, quomodo ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, epistola quasi Pauli Apostoli suscepta est, cum quidam suspiciant, quidam despiciant? quasi liberum sit & arbi-
B trarium respuere, seu non recipere inter scripturas canonicas. Vnde & ille subdubitans, semperque hæsitans. Si quis tamen, inquit, epistolam suscipit. Non tamen hæsitat, dum sic determinat. Nos vtraque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque vtriusque abutuntur testimoniis, non vt interdum de apocryphis facere solent: quippe qui & gentilium literarum rarò vtantur exemplis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Ex quibus patet responsio ad primam altercandi causam: nam quando ait,
C Quasi canonicis & ecclesiasticis. Verè canonicas intelligit & ecclesiasticas: opponit enim non solùm literis gentilitiis, sed & apocryphis, id est, quoad nomen quidem aut speciem, non tamen quoad veritatem ecclesiasticis. Ideo cum dicit, Quasi Pauli Apostoli. Verè illam esse Pauli Apostoli decernit epistolam. Ad causam secundam, respondeo, quòd vnus & alter consuetudinem non faciat, nec legem Latinæ ponat Ecclesiæ. Gaius, ait ille, epistolas Pauli tredecim tantùm enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non eius esse. Sed & apud Romanos vsque hodie quasi Pauli Apostoli
D non habetur. Accepit ab Eusebio, à quo texitur catalogus scriptorum, numerusque epistolarum intercipitur. Pauli, inquit, manifestè quatuordecim sunt epistolæ, quæ in auctoritate habentur: licet sciam apud Latinos de epistolâ quæ ad Hebræos scribitur, haberi dubitationem. Ad tertiam, respondeo non hæsitare in propriâ sententiâ, sed dubitare de alienâ: ideoque in scriptis, maximè verò in Commentariis, in quibus & sua congerit & aliena, nusquam reiicere illam, sed addere nonnunquam. Si quis epistolam suscipit. &, Si quis eam recipit. Quasi scilicet Pauli Apostoli.

Hieronym. in cap. 28. Ezechiel.

Hier. epist. 129.

Scriptores ecclesiastici, scriptis vsi ecclesiasticis

Hieronym. Catal. script. Eccles.

Euseb. lib. 3 cap. 3. Eccles. histo.

E Non potest tamen dubitari à nonnullis aliquando dubitatum, nec negari debet negatum. Alioquin si non dubitasset Tertullianus, imò si exertè non negasset; haud dubiè confirmasset dignitatem epistolæ, nec inferiorem emendicasset Barnabæ auctoritatem. Primò, quia conquisitis Apostolorum testimoniis, concludit: Disciplina igitur Apostolorum propriè quidem instruit ac determinat principaliter sanctitatem omnis ergà templum Dei antistitem, & vbique de Ecclesiâ eradicantem omne sacrilegium pudicitiæ, sine vllâ restitutionis mentione. Tum exhaustis Apostolorum testimoniis, ad eos se conuertit, qui sunt

Tertullian. lib. de pudicit. c. 20.

sunt inferioris notæ, quod vtique non fecisset, si testimonium superductum, quasi paris sententiæ potuisset inducere. Secundò, quia non tam profert vt canonicam, quam non vt apocrypham. Et vtique, inquit, receptior apud Ecclesias epistola Barnabæ illo apocrypho pastore mœchorum. At quantum auxisset, si credidisset ipse, aut persuadere præsumpsisset, eam esse Paulinam. Tertiò, quia in tantùm doctrinam admittit in quantum remittit ad disciplinam. Hoc, ait, qui ab Apostolis didicit, & cum Apostolis docuit, nunquam mœcho & fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat. Quantum ergo roboris addidisset, quantum prætulisset virtutis, si non desperasset probari posse, esse Pauli Apostoli, maluissetque certum discipuli, quàm incertum, imò & nullum, ideoque intutum magistri proferre testimonium? Vnde nec Cyprianus Tertulliani discipulus, non tam tempore, quàm institutione, in testimoniis suis tot ac tantis, nusquam eâ vsus est Epistolâ, Paulinam non esse ratus, imò nec canonicam. De Gaio, iam dictum est, sed addendum, illum sententiam suam Romanis imposuisse, non tamen iis persuasisse, sed aliis mouisse controuersiam. Inde Eusebius germanus, (alter enim, Ruffinus est, seu illegitimus Eusebius: Pauli, ait, quanquam quatuordecim testatæ & notæ dicuntur Epistolæ, tamen quod quidam illi Epistolæ quod ab eo ad Hebræos scripta, perinde ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerint, affirmauerintque eidem ab Ecclesiâ Romanâ contradici, in obscuro relinquere, neutiquam consentaneum existimaui. Studuerunt quidem abrogare fidem, sed non ademerunt auctoritatem.

Tertullian. Ibidem.

Cyprianus discipulus Tertulliani institutione non tempore.

Euseb. lib. 3. cap. 3.

ARTICVLVS III.

Quæ causa dubitationis.

NOluisset dubitare, si probare potuisset Tertullianus meus. Meum dico, & vt dicam ex Hieronymo: Meum, inquam, meum. Quidquid enim crebriùs vertendo, & emendando solicitiùs & didicimus & tenemus, nostrum est. Itaque non inter illos recensendus est, qui studuerint abrogare fidem Epistolæ, sed potius inter eos qui neglectam auctoritatem scripturæ restituere noluerint. Illam quippe producit vt veram receptamque, sed quia perspexit aliquam inesse dubitationis causam ac negationis, maluit noto discipulo, quàm incerto magistro tribuere. Nec vna sanè dubitandi causa est, licèt nulla pernegandi. Prima est, quod nec nomen præponat scriptor aut dignitatem. In cæteris enim Epistolis, Paulus, & Paulus Apostolus personat, in hac solâ, & à capite & à fine exulat: vbique tacitus, nullibi notus. Altera, quod styli diuersitas auctorem ostẽdat diuersum, quod loquela viri, scriptorem alium prodat faciatque manifestum. Sciendum est, ait Aquinas, quòd ante Synodum Nicænam, quidam dubitauerunt, an ista Epistola esset Pauli. Et quod non, probant duobus argumentis. Vnum est, quia non tenet hunc modum quem in aliis Epistolis. Non enim præmittit hic salutationem, nec nomen suum. Aliud est, quia non sapit stylum aliarum, immò habet elegantiorem, nec est aliqua scriptura, quæ sic ordinatè procedat in ordine verborum & in sententiis sicut ista. Præfuit Hieronymus, dum ait. Scripsit nouem ad septem Ecclesias Epistolas, ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Thessalonicenses duas: præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam. Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur propter styli sermonisque dissonantiam: sed vel Barnabas, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangelistæ: vel Clementis, Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi. Adde & tertiam causam, quod Paulus Ierosolymis proditus sit, & ab ipsis Hebræis. Hi qui de Asiâ erant Iudæi, concitauerunt omnem populum. An ergo ille Paulus apud ipsos sese recipiet Hebræos, ne dum ad ipsos scribet, dicetque: Amplius autem deprecor vos, quo celeriùs restituar vobis. An ille Paulus hoc scribet, qui ad Romanos scribens, asserit se velle in Hispaniam contendere, seu occidentem visitare, non Orientem, aut Hierosolymam repetere? Sciendum est, ait Hieronymus, in primâ satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt Euangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicaret. Romanis primo, dein & cæteris.

Hieronym. Paul.

Tres dubitandi rationes apparentes.

Aquin. in prol.

Hieronym. in Paul.

Actuum cap. 21.

Hieronym. in Catal.

Nulla tamen inficiandi causa probanda est, cum & probandi noua sit conquirenda, & inducta iam sit euertẽda. Ita origenes apud Ruffinum, agens de literis Apostolicis. Is verò, inquit, qui idoneus factus est Minister Noui Testamenti, non literæ, sed spiritûs. Paulum dico, qui repleuit Euangelium ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum, neque ad omnes Ecclesias quas docuerat scripsit, sed quatuordecim solas Epistolas, & in ipsis plures breuissimas scribit. Quamuis & nonnulli de ea quæ ad Hebræos scripta est dubitauerint, pro eo quòd non videatur in eâ seruari eius illa sententia, quam de se ipse pronuntiat, dicens, se imperitum esse sermone. Sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est, & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam, vt Pauli Epistolam susceperunt. Si verò requiras à me, per quem sit eius sermo compositus, pro certo quidẽ Deus viderit. Audis non Origenem, traditionemq; accipis non obscuram, sed manifestissimam. Quanquã enim de stylo possit aliquo modo disputari, certum tamẽ & indubitatũ, quod nullo possit de Paulo Apostolo dubitari. Ita de Arianis Hilarius: Memorant, inquit, filium Dei neque ex aliquâ subiacente materiâ genitum esse, quia per eum creata sunt omnia: neque ex Deo esse, quia decedere ex Deo nihil possit: sed esse ex iis, quæ non erant; id est, creaturam Dei perfectam, verumtamen non similem cæteris creaturis. Esse autem creaturam, quia scriptum sit: Dominus creauit me initium viarum suarum. Esse autem facturam perfectam, sed non similem cæteris facturis: per id quod Paulus ad Hebræos dixerit: Tanto melior factus Angelis,

Ruffin. c. 11. lib. 6.

Hilarius lib. 4. de Trinit. cit. med.

Angelis, quanto excellentius ab his possidet nomen. In quibus tria sunt adnotanda. Primum est, aliquos quidem Arianos, sicut & Catholicos nonnullos, epistolam reiecisse, non tamen ex publicâ id professione, sed opinione priuatâ fecisse: nam & ipsi desumebant inde testimonia, & aduersùs diuinitatem Christi, seu filij consubstantialitatem tela intorquebant validissima. Secundum, Hilarium indubitatam veritatem opponere aduersùs præsumptionem temerariam. Apostolicus, ait, sermo secundùm Dei potestatem pro factis iam, futura significat. Quæ enim per adimpletionem temporum sunt gerenda, ea iam in Christo, in quo est omnis plenitudo diuinitatis, constituit: quæ cum futura erunt, dispensationis potius in his est ordo, quàm nouitas. Subiecit enim omnia sub pedibus eius, licet adhuc subiicienda sint. Tertium, passim epistolam producere vt indubitatam, nec vnquam de parte excipere vel de difficultate, sed tanquam àb omnibus admissam inducere. Meminimus, ait ille, esse plures spirituales virtutes quibus Angelorum est nomen, Ecclesiis præsidentes. Hoc ideò commemoratum est, vt habeamus non improbabilis intelligentiæ auctoritatem, maximè cum scriptum sit: Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem.

Ariani etiam Paulinis vsi sunt testimoniis.

Hilarius lib. 11. de Trinit. vlt. med.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 129. vlt. med.

Ad primam ergo dubitandi causam, respondeo tantum abesse vt infirmet, quin & confirmet. Quæ enim ratio nomen supprimendi & dignitatem in alio? In paulo verò tam prudens quàm & euidens. Cum enim Paulus crederetur à Iudæis circumcisionem ac legem euertere, cum & ipse profiteretur Apostolatum suum præcipuè esse ad gentes; nec Paulum se dixit nec Apostolum, quia vtrumque sensit tam impedimento fore, quàm & apud ipsos Hebræos odio. Ita Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων apud Eusebium. Vbi, De epistolâ ad Hebræos ita disserit, quòd manifestè Pauli sit Apostoli. Quod autem subscriptionem solitam inibi non habet, id est, Paulus Apostolus, hoc esse rationis ostendit, quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne eius dicta susciperent, & idcircò prudenter declinasse, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, lectio eius repudiaretur. Alteram causam differo, sed nouam ingero vt extemporaneam. Ipse quippe scriptor inter eos se recenset, qui ab aliis instructi sunt, aut certè confirmati, cum clamet Paulus nihil sibi àb aliis collatum, seque nec ab homine nec per hominem instructum, sed per solum Christum. Sic ergo de salutiferâ Euangelij doctrinâ per Christum Dominum promulgati: Quæ cum initium accipisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Commendat Paulus gratiam Euangelicam, confirmatque tribus argumentis, seu tribus exaltat titulis. Pulchrè enim, ait Chrysostomus, addidit, Tantam. Non enim, inquit, nos nunc seruabit à bellis, neque præbebit terram, sed regnum cœlorum. Deinde subiungit id quod efficiet vt sit credibile, & fide dignum. Per Dominum: hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Quomodo ergo fuit confirmata? Contestante Deo. Non si finxissent, Deus eis tulisset testimonium. Lex ergo vetus per seruum, noua per Dominum; illa vni audienti credita, ista multis audientibus tanquam testibus præordinatis: illa paucioribus signis, ista variis virtutibus; fidem & auctoritatem obtinuit, firmitatem inuenit apud nos, Hebræos scilicet. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Nos scilicet, ad quos missus Christus Dominus, quibus tot prædicarunt testes, quibus tot virtutes subsignarunt? Itaque de se non agit, sed de gente, cui se non tanquam vnum ex Apostolis, sed tanquam Hebræum ex Hebræis interserit. Ad tertiam, dico nec obesse, sed potius prodesse. Primò enim: Nonne sunt duodecim horæ diei. Secundò, ad Ecclesiam scribit Hierosolymitanam, in quâ multi probi, multi piè ac benignè affecti. Terriò, idem iam Paulus pollicitus erat Philippensibus. Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos. Iam ergo & ille expleuit quod promisit. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum. An autem in orientem redierit, aut inuiserit occidentem: non adeò certum, nec hoc loco dissoluendum.

Clemens Alexand. lib. dispositon.

Euangelium tribus titulis illustratum

Chrysost. hom. 3.

Ioan. cap. 11.

Philipp. c. 2.

ARTICVLVS IV.

Quando nam id definitum sit?

CVm ait Aquinas à quibusdam ante Nicænam synodum de hac dubitatum epistolâ, innuit post hoc nulli dubitandum, quasi aliquid in tanto concilio circa id determinatum sit. Ita Hieronymus quid simile testatur de altero libro. Apud Hebræos, inquit, liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicantur. Chaldæo autem sermone conscriptus inter historias computatur. Sed hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse. Quidni dicamus idem de epistolâ ad Hebræos ob triplicem rationem? prima est, quia illam Arius improbabat vocabatque adulterinam. Qui enim aduersùs Deum, vt loquitur Theodoretus, & Saluatorem nostrum linguam mouerit, quid non ausus fuerit? Sic ergo improbata ac diffamata ab Ario, comprobanda ac vindicanda erat à Concilio. Secunda, quia illa ab Athanasio, Nicænorum decretorum maximè conscio, in synopsim redacta est, id est, inter scripturas diuinas, imò inter paulinas epistolas computata. Tertia, quia id palam affirmat Liranus in suo prœmio, determinatque epistolam à synodo receptam. Sed si certum est id à Concilio plenario definitum: quomodo id ab Hieronymo, Augustino, aliisque coæuis positum sub dubio, relictumque sub cuiusque arbitrio? Epistolam ad Hebræos, ait ille, omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum. Non igitur omnes, quid si nec plurimi? Et iste, Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant. De orthodoxis vterque loquitur, non de hæreticis. Quamquam & quæ ab hæreticis prolata sunt, non sint omnia hæretica, sed

Hieronym. præfat. in lib. Iudith.

Theodoret. in argum. epist.

An aliquid definitum de epistolâ in Nicæno Concilio.

Hieronym. ep. 26.

Augustin. lib. 16 de Ciuit. Dei cap. 22.

ſed temeraria nonnulla, plura etiam ſana, ſeu doctrinæ ſanæ conſona. Quis autem orthodoxorum in dubium vocaſſet, vel etiam abnegaſſet quod tantum, tamque omnibus non orientalibus duntaxat, ſed & occidentalibus determinaſſet concilium; maximè verò Hieronymus, vel etiam Auguſtinus? Locus ergo coniecturæ, ſed incertæ relictus.

Sed ſi id non definitum à concilio, forſitan à Petro declaratum. In quo tria ſunt obſeruanda. Primum eſt, Petrum & ad ipſos ſcripſiſſe Iudæos ſeu Hebræos, id eſt, ad ſuos vnam & alteram direxiſſe epiſtolam. Et quidem de primâ, patet ex inſcriptione. Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, Electis aduenis diſperſionis. Sed iam nimirum Chriſtianis, ſeu Iudæis diſperſis, ideoque aduenis; ſed à lege ad Chriſtum conuerſis, à Moyſe ad Euangelium. In quibus ipſe Petrus prouinciis his qui ex circumciſione ſunt prædicauerit Chriſtum, propriis vocibus in eâ epiſtolâ, quam ipſius abſque ambiguitate claruit eſſe, deſignat, in quâ ad eos qui in diſperſione ſunt, ſcribit, ſine dubio Hebræos. Ipſi etenim diſperſi dicuntur, tanquam propriis è ſedibus pulſi, & poſiti in diſperſione. Ita Euſebius. De alterâ verò ipſe Petrus. Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo epiſtolam. Iiſdem nimirum, ſeu Hebræis. Secundum, & hanc ſecundam non minùs Catholicam quàm primam; quamuis enim aliquando de ipsâ dubitatum ſit, nunc tamen non eſt vllo modo dubitandum. Tertium denique apertum eſſe in eâ epiſtolâ teſtimonium. Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis. Iudæis ergo ſeu Hebræis. Sicut & in omnibus epiſtolis. Ergo ſpecialem ſcripſit epiſtolam, Hebræorum titulo prænotatam. Loquens in eis de his. De fide ſcilicet, de ſpe, & vtriuſque firmitate: quod maximè in epiſtolâ ad Hebræos factitatum; in iſtâ nimirum, nec enim alia, Hebræorum titulo prænotata. Equidem habemus à petro præclariſſimum, de notitiâ myſteriorum diuinorum paulo collatâ teſtimonium, ſed nondum declarationem cauſæ tenemus circa fidem epiſtolæ. Quid enim ſi ad gentes ſcribat Petrus, ſicut & Paulus, & vterque res eaſdem & iiſdem imprimat? Quod enim de gentibus prophetatum Paulus oſtendit: hoc & Petrus ſcribens ad gentes, Propheta quidem ipſo non nominato, prophetiam tamen eius verbis ſuis inſerit. Ita Auguſtinus. Si Petrus ſcribit ad gentes, quando dicit, Vobis. Non Iudæos ipſos, ſed Græcos intelligit. Certum quippe multa in illis epiſtolis, potius ethnicis conuenire quàm Hebræis, nec improbandum, omnibus credentibus Petrum ipſum ſcribere.

Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 4.

Iudæi cur dicti ſint vbique diſperſi.

2. Pet. cap. 3.

Auguſtin. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 89

Rem aperiet Paulus, & litem ſuo comprimet iudicio. Sic enim ille more ſolito, & hanc abſoluit epiſtolam. Gratia cum omnibus vobis. Amen. Dumque ſit abſoluit, definit controuerſiam. Quod eſt ſignum in omni epiſtolâ. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. Sigillum paulinis appoſitum epiſtolis, ad diſcernendas legitimas à ſpuriis, veras à falſis. Quid ergo adhuc quæritur, ſi lis ipſa Paulino dirimitur iudicio? Res quidem certa, ſed nondum definita: quamuis

2. Theſſal. cap. 3.

A uis enim epiſtola quæuis, hoc ſigillo deſtituta, non ſit Pauli Apoſtoli; non tamen omnis epiſtola hoc munita ſigillo ſtatim erit Pauli, cum poſſit eſſe Petri coapoſtoli. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Ieſu. Amen. Poſſet eſſe & pſeudapoſtoli, qui ſe ſimulaſſet Apoſtolum, & ſignum interpellaſſet. Nihil igitur adhuc definitum, nihil publico comprobatum ſuffragio vſque ad tempora Hieronymi & Auguſtini, nec Eccleſiaſtico declaratum iudicio, illam eſſe Pauli Apoſtoli epiſtolam: licet ſemper in honore ſit habita, & pro fide ſit producta, non ſolum poſt, ſed & ante Hieronymi &
B Auguſtini tempora: vt patet ex vtroque Dionyſio, Areopagita & Alexandrino: ex vtroque Clemente, Romano & Alexandrino ſeu Athenienſi: Athanaſio, Gregorio Nazianzeno: Optato, Hilario: id eſt, Græcis & Latinis. Vnde & ipſe Hieronymus in vno aduersùs Iouinianum libro: bis terve, & teſtimonium producit, & ipſum agnoſcit Apoſtolum. Scimus, inquit, in domo magnâ non ſolùm vaſa eſſe aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & ſuper fundamentum Chriſti, quod Paulus architectus poſuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos; alios è contra
C fenum, ligna, ſtipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Et, Audiant Paulum loquentem: Adoleſcentiores viduas volo nubere, filios procreare, & honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum. Denique. Si transfertur Enoch: non reor idcircò tranſlatum, quòd vxorem habuerit, ſed quòd primus inuocauerit Deum, & crediderit in Saluatorem: de quo Paulus Apoſtolus in epiſtolâ ad Hebræos pleniſſimè docet.

Epiſtolæ Pauli ſuo munitæ ſigillo.

1. Pet. cap. 5

Hieronym. lib. 1. aduerſ. Iouinian. poſt initium & cir. med.

ARTICVLVS V.

D *Quomodo non ſolùm catholica ſit, ſed & canonica.*

NOn omnis quidem catholica epiſtola, canonica eſt; nec omnis canonica, eſt catholica: iſta verò quæ eſt ad Hebræos, vtrumque poſſidet, in quo cæteris Paulinis præeminet. Priùs autem eſt epiſtolam eſſe catholicam, quàm eſſe canonicam: ſicut priùs eſt ſcribi, quàm inſcribi, & in aliquem redigi ordinem. Porrò epiſtola aliqua dicitur Catholica, non ex conditione dogmatum, ſed ratione perſonarum: id eſt, non quia doctrinam complectitur catholicam, ſed quia ad fideles omnes
E dirigitur. Ita apud Hieronymum: Scripſit Petrus duas epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur. Et Euſebius de Iacobo. Eius, inquit, illa habetur epiſtola, quæ prima ſcribitur inter eas quæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen eſt, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit eius. Sicut ne illius quidem quæ dicitur Iudæ, quæ & ipſa eſt vna de ſeptem. Nos tamen ſcimus etiam iſtas cum cæteris ab omnibus penè Eccleſiis recipi. Vbi, vna de ſeptem. Eſt vna de iis quæ dicuntur Catholicæ. Sed ſciendum eſt quaſdam paſſim dici Catholicas, quæ verè non ſunt; ali-

Hieronym. in Pet.

Euſeb. lib. 2 cap. 22.

alias verè esse, quæ tamen non passim dicuntur; & in iis melius & dignius esse, quàm dici. In illis septem, secunda, & tertia Ioannis, non ad omnes; sed secunda Electæ, tertia Gaio missa est, & ideò neutra est Catholica. Epistola verò ad Hebræos non vocatur passim Catholica, ne ab aliis quibuscum numeranda est illa, diuellatur: verè tamen Catholica est, vt ad omnes directa. Sicut enim prima Ioannis ad parthos directa, verè catholica est; sic ista ad Hebræos, verè Catholica censenda est; licet enim vtraque ad principales aut parthorum aut Hebræorum vrbes missa sit, omnibus tamen fidelibus, maximè orientalibus seu Parthis seu aliis, licet ex Hebræis seu Iudæis est data. Illa enim Pauli Apostoli, vel Romanis solis, vel solis Corinthiis; vel vni Tito, seu soli Timotheo consignata est: nostra verò: His qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis. Quamuis enim & aliæ catenus dici queant catholicæ, quatenus catholicam circumferunt doctrinam; non tamen quatenus fideles omnes conueniunt: cæteræ namque vel ad speciales Ecclesias, vel ad singulares personas sunt destinatæ.

Epistola ad Hebræos verè Catholica.

Iud. epist

Iam verò & ipsa canonica est, id est in canonem relata, publicamque auctoritatem in fidem Christianam; cui scilicet legem struat, & ordinem præstituat. Erit diuinarum scripturarum solertissimus indagator, (ita Augustinus) qui primò totas legerit, notasque habuerit; & si nondum intellectu, iam tamen lectione duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. In canonicis autem scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurimùm auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Sed duplex canon: vnus veteris testamenti, alter noui. Ita Origenes apud Eusebium: Exponens primum Psalmum designat etiam ipse qui sit canon veteris testamenti, sicut Hebræi tradunt, secundùm numerum scilicet elementorum quæ apud ipsos habentur. De noui autem testamenti canone in libro primo Commentariorum secundùm Matthæum, hoc modo scribit: Ex traditione, inquit, didici de quatuor Euangeliis, quia hæc sola absque vllâ contradictione suscipi debent ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, Ecclesiis Dei. Super omnia verò Euangelium esse Ioannis. De literis quoque dicit Apostolicis. Sed triplex discrimen inter vtrumque canonem. Primum est, quod antiquus canon vnius esset linguæ; nouus verò, non solùm tot linguarum quot nationum, sed & tot versionum quot capitum. Maximè, ait Hieronymus, cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices: & vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Euseb. lib. 6. cap. 18.

Triplex discrimen inter veterem & nouum canonem.

Hieronym. præf. in lib. Iosue.

Et præf. in Tobiam.

A Vnde, Arguunt nos Hebræorum studia, ait ille, & imputant nobis: contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Alterum, quòd antiquus eos contineret libros, qui Deum prænuntiarent incarnandum; nouus eos continet, qui Deum annuntiant incarnatum. Nouissimè locutus est nobis in filio. Ita vetus, solius erat figuræ; nouus verò, veritatis & gratiæ. Tertium discrimen, quod antiquus, vnius esset regulæ, vno nimirum conclusæ armario: nouus, tot redderet normas, quot inueniret Ecclesias. Inde Augustinus. Si quis, ait, alias inuenerit scripturas B à pluribus Ecclesiis, alias à grauioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto. Hinc enim pondus, inde numerus.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Primum quod sciam, concilium, in quo libri sacri in canonem redacti sint, habitum est Laodiceæ, Phrygiæ, non Syriæ, vt probat Baronius, & ipsum antiquum, ante Nicænum scilicet celebratum, vt & ipse confirmat, anno Domini trecentesimo decimo quarto. In illo autem concilio canon quinquagesimus nonus seriem sacrorum librorum digerit, & in eum nostram admittit epistolam. De concilio Nicæno iam dictum est. Secutum est concilium C Carthaginiense tertium, in quo de Paulinis epistolis sic legitur canone quadragesimo septimo [Pauli epistolæ tredecim. Eiusdem ad Hebræos vna.] In quo tria notanda sunt. Primum est, vnum quidem hucvsque creditum, nempe epistolam esse diuinam: alterum verò, nimirum eam esse Paulinam, non æquè certum, nec exertè definitum. Secundum, non multum curasse antiquos cuius essent scripturæ auctoris, sed plurimum determinasse, cuius essent illæ auctoritatis. Ita non solùm in illo concilio sed & postea in concilio Romano habito sub Ge- D lasio, ponuntur. Salomonis libri quinque. Tamen vt apud Augustinum est. Salomonis libri tres, prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Tertium, inde & Augustinum passim epistolam istam laudare sine nomine: quan- E quam enim recenseat quatuordecim epistolas Pauli Apostoli, quas inter illam quæ ad Hebræos est, collocat: tamen vbi ipsam laudat, auctorem non memorat. In epistolâ, inquit, quæ inscribitur ad Hebræos: Benefacere & communicatores esse nolite obliuisci. Talibus enim sacrificiis placatur Deus. Licet enim de auctoritate certum esset, de auctore tamen nondum clarè & apertè definitum. Equidem id apertè declaratum est in concilio Florentino, & nouissimè in Tridentino, in quo Quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli. Sed & cum recenset psalterium Dauidicum centum

Baron. Tom. 4. An. 314.

Cō. Carth. 3.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5.

Concil. Tri. sess 4.

quinquaginta Psalmorum. Non docet fidem A in numero esse, sed auctoritatem in testimonio. Concludendum nihilominus, epistolam quæ est ad Hebræos non solùm catholicam esse, sed & canonicam; id est, non solùm ex numine sacram ac diuinam, sed & sub nomine Pauli Apostoli, vniuersalis Ecclesiæ suffragio, & inuiolabilis sententiæ receptam iudicio; quod si quis inficiaretur, si non in totum hæreticus, saltem admodum temerarius probaretur.

Fides in numero non est, sed in testimonio.

ARTICVLVS VI. B

Cuius sit idiomatis?

HVc vsque distulimus, quia grauioris est difficultatis: & interim diximus canonem veteris testamenti fuisse vnius & eiusdem linguæ. Sed linguam strictiùs accipimus, prout lingua purè Hebraica, nondum corrupta vel permixta. Nam populus Dei ante captiuitatem Babylonicam vsus est linguâ purè Hebraicâ: in captiuitate positus, linguam quam non nouerat, conatus est: post captiuitatem, tertiam conflauit linguam ex Chaldaica & Hebraicâ primitiuâ commixtam, quæ propriè Syriaca, corruptè Hebraica, & eam non in profanis tantum, sed & in sacris vsurpauit. Cum igitur canon vetus antè captiuitatem conditus sit, fuit vtique vnius linguæ primitiuæ nondum interpolatæ. Licet enim Esdras libros sacros post captiuitatem reparauerit, non tamen nouos excudit, sed antiquos recognouit. Narratur enim & hoc de Esdra. (verba sunt Athanasij) Cum libri sacri per incuriam populi, & diuturnam captiuitatem perirent, ipsum, cum esset vir industrius, & lector perdiligens, verique ac recti studiosissimus, eos omnes libros apud se custodiuisse, & postea eos in commune protulisse, atque ita ab interitu quodammodo vindicatos conseruasse. Si quid exinde additum vel editum, iam Syriaco sermone, vel etiam Græco digestum est idiomate. Paulo post enim visa est versio septuaginta interpretum, tandemque fœda ac flenda exscribentium corruptio. Cum pro varietate regionum, vti dixit Hieronymus, diuersa ferrentur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta esset atque violata. Et alibi: Quia, inquit, volo antiquam diuinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi infligitur. Tanta est enim vetustatis consuetudo, vt etiam confessa plerisque vitia placeant: dum magis pulchros habere volunt codices, quàm emendatos. Quicquid sit, tota scriptura noui testamenti Græcè vel Hebraicè conscripta est, dummodo Hebraica lingua latius sumatur, & eadem deinceps intelligatur quæ Syriaca, quâ passim vsus est tunc populus, quâ locutus est & Christus; quâ scripsit Matthæus, quâ & Paulus scripsit, si quid scripsit linguâ patriâ.

Athanas. in Synop.

Esdras non tam scripturæ conditor quàm restitutor.

Hieronym. præf. 1. in lib. paralipom.

Hieronym. alt. præf.

Videtur sanè Paulus eâ linguâ scripsisse ad Hebræos suos: tum vt maiestatem conseruaret linguæ, cum vt auctoritatem daret sententiæ. Ita in Actibus: Cum audissent autem quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. Inde ergo coniici potest styli diuersitas, & sermonis seu phrasis maiestas in natiuam Pauli linguam coniici. Ita Hieronymus: Scripserat, inquit, Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, vt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum: & hanc causam esse, quod à cæteris Pauli epistolis discrepare videatur. [Quid,] & hanc esse causam quòd à cæteris discrepare videatur. Addendum est, aut supplendum, dicunt quidam referuntve. Non ergo à semetipso hoc dicit, sed alieno retulit iudicio. Dicit quidem, & tamen alibi contradicit, id est, scribit, sed non subscribit: hoc enim reddidit, quod accepit ab Eusebio. Si verò interrogetur de nouo testamento, quid ipse sentiat, & quo totum eloquio sit exaratum: Græcum esse non dubium est, inquit, excepto Apostolo Matthæo. Videtur ergo, non illi tamen, sed alteri: nam nec ratio probat, nec consonat Hieronymo. Nam ille in Petro: Scri- C psit, inquit, duas epistolas: quarum secunda à plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed licet aliqua diaphonia, nullus tamen negat eandem esse linguam, nec dubitat Hieronymus, aut aliam appellat linguam, cum sciat, imò nullus nesciat, vtramque Græcâ linguâ conscriptam; ideoque dissonantiam non ex idiomatis diuersitate petendam, sed ex auctoris voluntate, vel exscriptoris varietate. A quibusdam dicebatur, ait Origenes apud Eusebium, quòd Clemens Apostolorum discipulus, & episcopus vrbis Romæ, Græco eam sermone, D non tamen sensibus expoliuerit. Alij quod Lucas, qui Euangelium scripserit, & Actus Apostolorum. Sanè, vt & ipse dixit Eusebius: Clemens in epistolâ quam Corinthiis scribit, meminit epistolæ Pauli ad Hebræos, & vtitur eius testimoniis. Ideoque si exscriptor, non tamen & auctor. De Luca verò Clemens Alexandrinus: Epistola, inquit, ad Hebræos, manifestè Pauli est Apostoli, à Luca, qui erat Pauli discipulus, interpretata in Græcum: vnde & stylus eius magis similis videatur libello illi, quem Lucas de Apostolorum Actibus scri- E psit. Non igitur auctorem egit, sed interpretem; id est, magistri sui mentem, suo, id est, Græcanico expressit eloquio.

Actuum cap. 22.

Hieronym. in Paulo.

Hieronym. multa alieno commentatus iudicio.

Hieronym. præfat. in quat. Euang.

Origen. apud Eus. lib. 6. cap. 18.

Euseb. lib. 3. cap. 38.

Clem. Alex. lib. infor.

Concludo eam non Hebraicè sed Græcè à Paulo dictatam, & ab alio, sed eadem linguâ, id est, Græcanicâ, exaratam. Primò, quia cæteri Apostoli, Iacobus, Petrus, Ioannes, etiam suis scribentes Hebræis, non Hebraicè, seu Syriacè, sed Græcè scripserunt omnes, scientes linguam istam non minus tunc suis notam quam propriam, vtpote Græcorum oppressis iugo, vixque tunc releuatis, ideoque ipsorum instructis eloquio.

eloquio. Secundò, quia nec Paulus Romanis scribens, Latinè scripsit, sed Græcè, sciens linguam esse vulgatissimam, nec exteris tantùm, sed & Romanis ipsis, Græciæ tunc & Asiæ Dominis cognitam. Imò cum ad Romanos scribit, & Iudæos pungit & Latinos, quos tamen vt Græcos, id est eadem linguâ conuenit. Tertiò, quia testimonia scripturarum diuinarum producit ex Græco, non autem ex Hebræo, vt alibi non semel facit, totusque contextus Græcaniam potius quàm Hebraicam redolet eloquentiam, docetque epistolam integram non aliâ quàm Græcâ linguâ conscriptam. Idcircò dicendum de Paulo, quod ab Hieronymo dictum est de Petro. Pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus. Quod non intelligendum de iis qui in aliam vertunt linguam, si enim aliter vertunt, non iam simpliciter transferunt aut referunt, sed audacter subertunt sententiam. Intelligendum igitur de iis qui dictantem audiunt, sed mentem dum excipiunt, non tam secundùm verba, quàm secundum sensa exprimunt. Imò quis ignorat eundem auctorem non sibi semper similem, sed secundùm rerum aut personarum circunstantias nonnunquam grauiorem, nonnunquam faciliorem? Denique nihil diuersitat is animaduertit Chrysostomus, imò pares sensit omnes, etiam quæ senectutis; sed pro necessitate gentis, aut pro voluntate dictantis, aliâs spectantis circunstantias, potuit stylus variari, sed non debuit alius auctor declarari; cum vnius auctoris possit stylus varius connotari.

Hieronym. epist. 150.

Interpretis vetere est, 10 excitere.

ARTICVLVS VII.

Quanta huius epistolæ præstantia?

IAm quædam prælibauimus, sed quanta restant adhuc dicenda; quæ epistolam commendant, & demonstrant præcellentiam? In epistolâ quippe quæ inscribitur ad Hebræos, vti dixit Augustinus, multa & magna conscripta sunt. Ibi namque primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. In istâ epistolâ, præcipua reuelantur mysteria fidei, principalia declarantur Christi opera. Vbi sciendum est, (ex Aquinate) quòd triplex est excellens Christi. Vnum quòd se extendit ad totam creaturam, scilicet opus creationis. Ioan. 1. omnia per ipsum facta sunt. Aliud quidem tantùm ad creaturam rationalem quæ per Christum illuminatur, & est opus illuminationis. Ioan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertium est iustificationis, quod pertinet tantùm ad sanctos, qui per ipsum per gratiam viuificantem viuificantur & iustificantur. Ioan. 1. Et vita erat lux hominum. Et hæc est materia huius epistolæ ad Hebræos: quæ ab aliis distinguitur, quia in quibusdam epistolis agitur de gratia noui testamenti, quantum ad totum corpus mysticum Ecclesiæ, & hoc in omnibus epistolis quas mittit Ecclesiis: in ea scilicet quæ est ad Romanos, ad Corinthios, & ad Galatas, & vsque ad primam ad Timotheum. In quibusdam verò quantum ad membra principalia, sicut in his quas mittit singularibus personis, scilicet ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem. In istâ verò commendat ipsam gratiam quantum ad caput, scilicet Christum. In corpore enim Ecclesiæ ista tria reperiuntur, sicut & in corpore naturali, scilicet ipsum corpus mysticum, membra principalia, scilicet prælati & maiores: & caput à quo vita fluit in totum corpus, scilicet Christus. Sicut ergo caput præstat omnibus membris, non solùm infimis, sed & nobilioribus; sic & hæc epistola quæ de capite Christo tractat, & præcipuo eius opere, omnibus antistat epistolis, non tantùm priuatis, sed & publicis, illustrioribus, insigniotibus.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 22.

Aquin. in prol.

Vnde desumenda sit huius epistolæ præstãtia.

Certè vim omnem collegit Apostolus, sciens Hebræos in scripturis peritiores, sed animis commotiores. Hunc enim, vt loquitur Athanas. ex animo impugnabant Iudæi, & ita, vt neque loquentem æquo animo ferrent. Siquidem nec ipsimet qui ex Iudæis crediderant, Paulo intendebant, vt qui & legem & circumcisionem dissolueret. Idcircò voluit quidem sublimiorem esse sermonem, sed non tam verbis attendit quàm sententiis. Hoc enim, vt obseruat Aquinas, est in hac epistolâ singulare, quòd singula verba habent singulas sententias, & seruant ordinem suum. Vnde iam à limine, non solùm exorditur profundè, sed & altè ingreditur. Lux nempe, vt loquitur Ambrosius, splendorem generat, nec comprehendi potest quòd splendor luce posterior sit; aut lux splendore antiquior; quia vbi lumen, & splendor est: & vbi splendor, & lumen est. Vnde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ filium dicit, quia splendor paternæ lucis est filius: coæternus, propter virtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis virtutem. Ab ipso orationis exordio auditorem excitat, mentemque ad grandia prouocat capienda. Licet enim aliqui adhuc imbecilles essent ad audiendum, quibus ideo lacte opus esset & patientiâ; nonnulli tamen difficiles erant ad credendum, quibus arte opus esset & doctrinâ. Idcircò cum in aliis epistolis nonnulla de morali lege delibauerit, vt in epistolâ ad Romanos; nonnulla de veteri circumcisione, & Mosaicis ceremoniis, vt in epistolâ ad Galatas, in istâ Moysem ipsum aggreditur, ritum Sacramentorum; sacrificiorum apparatum; id est, totum ipsum legis statum, & Moysis imperium molitur ostendere infirmum, caducum, nobiliorique mediatori & Sacerdoti sanctiorij obnoxium: adeo vt pro infirmis epistola ista sit tanquam [Verbum solatij.] Doctis autem, tanquam veneni à malignis inuidisque inspersi antidotum: idcircò rogat illos vt sufferant, istos verò aduersus obtrectantes armat, vt & sermones obducant altercantium, & persecutiones vincant vexantium.

Athanas. in prol.

Aquin. lect. 1.

Ambros. lib. 4. de fide cap. 4.

Quàm altum sit epistolæ huius exordium.

Cæterùm spirat adhuc aliquid generosum de carcere, eundemque de lectione inspirat animum. Romã, ait Chrysostomus, ad Hebræos scripsit: ob quod ait, eos omnes

Chrysost. in proæm.

omnes salutari ab iis qui in Italiâ essent. Et ad Timotheum epistolam & ipsam de vinculis scriptam Româ misit. Ambæ in vinculis scriptæ, ambæ de vinculis missæ. Sicut enim alij, maximè verò Philippenses, Colossenses, aliquos destinauerant ad Paulum vinctum; illi Epaphroditum, isti Epaphram suum Apostolum, vt compaterentur, niterenturque & miseriam carceris subleuare, & egentis iuuare inopiam: sic & fideliores religiosioresque inter Hebræos ipsos, aliquem è suis misserant, vt per illum, Paulum inuiserent patientem, animum illi suum testatum facerent. Qui porrò sint Hebræi, paucis dicendum est, vt scias non solùm vnde missa sit epistola, sed & ad quos missa. Primus omnium, qui Hebræus dictus est, ipse Abraham fuit.
Genes. c. 14. Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo. Atque adeo Hebræi dicti non sunt ab Abram, quasi Abræi, cum & ipse Abram Hebræus aliunde vocatus sit. Nec ab Heber etiam ita nuncupati sunt, quasi Heberæi; quamuis enim conueniat aspiratio literarum,
Hebræi dicti sunt quasi peregrini. obstat tamen personarum nomenclatio. Si enim ab Heber appellati sunt Hebræi, cur non omnes posteri & descendentes ab Heber ita dicti sunt, sed ij soli, nec omnes, qui ex Abraham sunt exorti? Nondum dictus Abram Hebræus, quandiu in Chaldeâ commoratus; sed quando egressus de domo patris sui, venit in terram Chanaam, & Eufratem fluuium transiit, tunc demum ab incolis loci dictus est Hebræus, quasi de trans veniens, seu vltrà transiens. Sicut enim Heber, pervain, idem est ac transitus; sic & Hebræus, idem ac transiens. Idcircò & apud septuaginta interpretes pro Hebræo ponitur περάτης, quasi transitor. Trigesima prima mansio, inquit,
Hieronym. epist. 127. Mans. 31. Hieronymus, interpretatur περάσεως, id est transitus siue transitio. Ad hanc venit verus Hebræus, id est περάτης siue transitor, qui dicere potest: Transiens videbo visionem
Ios. cap. 24. hanc magnam. Ita, Dicit Dominus Deus Israël. Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio. Tuli ego patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus: adduxi eum in terram Chanaam. Quasi peregrinum & aduenam. Vnde & illi ad Lot: Ingressus est, in-
Genes. c. 19. quiunt, vt aduena: numquid vt iudices? omnes enim ex illis exorti, dicti sunt Hebræi, tanquam peregrini. Ita ille de Iosepho. Ingressus est ad me seruus Hebræus. Paulatim
Genes. c. 39. nominis possessio, cum priuilegio idiomatis, transiit ad filios Israël, tandemque permansit in terræ sanctæ accolis, tanquam auitæ linguæ retinentissimis; vt licet Cretes, & Cappadoces ex eadem stirpe exorti essent, & eadem religione obstricti, ideoque professione Iudæi,

A facilius tamen inter Græcos venirent quam Hebræos, id est, non eandem inirent nomenclationem. Itaque dirigit Apostolus epistolam suam ad Hebræos, id est palestinæ, seu terræ sanctæ populos, sed per ipsos cæteris Iudæis, eandem subeuntibus sortem, sicut & eandem profitentibus fidem, communicandam committit: vt qui essent dispersi, in eandem conuenirent sententiam. Quod enim Hebræis dixit & Iudæis.

ARGVMENTVM.

B QVo tandem consilio Paulus scripserit genti suæ facilè elicitur ex dictis, &, vt Ambros. in proœm.
monuit Ambrosius, (si tamen idem ipse est) ex illius verbis deprehenditur. Timuit eis, inquit, ne superati tentationibus, ad infidelitatem relaberentur. Nulla enim gens obstinatioribus animis repugnabat Euangelio Christi quàm Iudæorum qui beato Paulo erant infensissimi, quòd se gentium Apostolum profiteretur, quas Iudæi vt profanas & impias abominabantur: quódque legem Mosaicam, quam illi sacrosanctam habebant, & Euangelij vice per vniuersum orbem spargi cupiebant, antiquare videretur; adeò vt essent
C inter hos quoque, qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis obseruationem cum Euangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant, variis calamitatibus afficiebantur ab iis qui resistebant Euangelio. Hos itaque consolatur Paulus partim exemplo veterum sanctorum, ac præcipuè exemplo Christi. Sed & cum populus Hebræorum, inuidiam ac sæuitiam intra fines patrios non contineret, sed & latius siue per auctoritatem, Epistola parænetica simul & dogmatica.
siue per fraudem spargeret, epistola est ad omnes Iudæos encyclica; quâ per Christi dignitatem, agnoscant fidei maiestatem; & per acceptam religionis Christianæ notitiam, non
D solùm constanter, sed & hilariter publicam intentatæ perferant persecutionis duritiam. Denique non se seduci sinant, aut ab iis abduci, qui desperantes Euangelium euertere, legem interserebant; seu non valentes totum obtinere, partem petebant, totam subneruantes Christiani efficaciam Sacramenti. Nolite ita- Heb. cap. 10.
que amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Ita, vt absoluam ex Hieronymo. Vera sapientia perdidit fal- Hieronym. Paulino.
sam sapientiam: & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos. Dei quippe sapientia Christus est: Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Summa.

CHristum asserit esse verum propriumque Dei Filium, quem ostendit Angelis supremis digniorem esse sublimioremque.

TEXTVS.

MVLTIFARIAM, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomẽ hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationibus præ participibus tuis. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

EXEGESIS LITERALIS.

NEMINEM salutat Paulus, quia salutario necessaria non est, vbi de Saluatore clara est annuntiatio, & spem erigens, & salutem promittens. Ita Ioannes: [Quod fuit ab initio, quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis.] Ita igitur precatur Paulus, dum ita præfatur.

1. Ioan. c. 1.

B Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio &c. Ad salutem scilicet humanam ac spem publicam incarnato. Sicut ergo, referente Eusebio ex Clemente Alexandrino: Quia Dominus Apostolus omnipotentis dicitur missus ad Hebræos, ideo Paulus, qui ad Gentes fuerat destinatus, non scripsit semetipsum Hebræorum Apostolum. Ita, quia Saluatorem prætulit ab initio,

Clem. Alex apud Euseb. lib. 6. cap. 11.

A idcircò salutationem non præmisit. Quomodo enim auctoritatem declarabit, qui nec nomen indicauit; aut quomodo suo nomine salutabit, qui præsente Christo, omnem effudit benedictionem? Multifariam igitur, multisque modis: Græcè πολυμερῶς ϗ πολυτρόπως, multipartitè ac multimodè. Partita enim prophetia, & forma diuersa: vt id, vni reuelatum sit, aliud alteri demonstratum: illi per allocutionẽ, isti per visionẽ. Multipliciter igitur Deus multiformiterque Deus olim locutus est patribus nostris in Prophetis: sed in istis diebus nouissimis, locutus est nobis, Hebræis scilicet, in filio,

Deus obscurè in aliis, in filio clarè locutus est.

B vero scilicet ac proprio, Prophetarum, ac Patriarchatum Domino; in quo tanquam in Verbo suo, non iam obscurè ac multipliciter, sed apertè ac simpliciter locutus est. Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula &c. Qui cum sit Filius Dei tam vnicus quàm & verus, creaturarum omnium Dominus in assumptâ naturâ à Patre constitutus est: quippe per ipsum, velut per æternum

rior auctoritas illius libri, quàm istius, quia eadem vbique veritas, prima scilicet seu summa. Quod autem summum est, (vt dicam ex Seneca) supra se gradum non habet. Quinimò non solum puris ac castis manibus vti voluit Deus in scribendo, sed & impuris; improbis, ne dicam reprobis, certè dubiis hominibus, vt omnibus notum esset auctoritatem seu dignitatem libri non pendere à ministrante, sed à dictante: non enim quæ concipiebant scribebant illi, sed quæ audiebant referebant. In scripturis quippe diuinis, virtus Domini est, non ministri. Vnde Christus ad Sadducæos Erratis nescientes scripturas, neq; virtutem Dei. Nam, vt dixit Petrus, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et in hoc sancti, ministerio scilicet, licèt non officio, quod Spiritu sancto inspirati. Græcè φερόμενοι, acti & impulsi: non enim ipsi sunt qui locuti sunt, sed Spiritus sanctus qui in illis locutus est; id est, diuinitùs, & supra modulum afflati, non ad arbitrium Prophetico lumine, seu diuino numine subleuati. Siue enim os præstent ad loquendum, siue manum ad scribendum accommodent: instrumenta sunt aptata ad institutum, & ad arbitrium dictantis imperantis-ve temperata. Vnde Balaam. Num aliud, inquit, possum loqui, nisi quod iusserit Dominus? Non enim iuxtà placitum affectûs humani, sed iuxtà diuini spiritûs impetum. Inde mirum est, nec tamen minùs verum, quòd de seipsis testimonium dicant, nec minus tamen certum proferant iudicium: non enim postulantur ab ipsis exempla virtutum, sed sermonum expectantur oracula. Itaque, ait Gregorius, scriptores sacri eloquij, quia repleti Spiritu sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt: & sic de se sententias quasi de aliis proferunt. Iudicium Dei est, verbum Dei est, scriptura diuina, non humana: vnde sicut lector, quicumque sit ille, scripturam recitans eandem facit fidem, sic & scriptor quicumque sit, Deo ministrans ad prophetiam, eandem auctoritatem imprimit: sicut enim ille non suam sed Dei profert scripturam, sic & iste non suam sed Dei refert sententiam.

Math. c. 22.

2. Pet. cap. 1.

Num. c. 23.

Scriptores sacri, sunt amanuenses Dei.

Greg. in præfat. Moral. cap. 1.

Scio distingui ab Hieronymo in iis quæ apocrypha non sunt & secerni, quasi non sint omnia canonica. Quomodo, inquit, viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis, in Dei doctrinâ, tenera adhuc & lactens viri iusti eruditur infantia. Primus autem apud Hebræos ordo in quinque libris Moysi, quos Legem appellant. Secundum Prophetarum ordinem faciunt, & incipiunt à Iesu filio Naue. Tertius ordo, Hagiographa possidet. Sed respondendum est primò, diuisionem illarum, Iudæorum esse, non Christianorum. Librum Tobiæ, ait ille, Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ agiographa memorant, mancipârunt. Arguunt & nos Hebræorum studia: & imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse iudicari Pharisæorum displicere iudicio, & Episcoporum iussionibus deseruire. Secundò,

Hieronym. in prol. Gal. post init.

Hieronym. præf. in lib. Tob.

Ordinē construere, non est auctoritatem minuere.

A qui ordinem instruit, non minuit auctoritatem. Itaque canonem condant suum Hebræi, & placitum ordinem constituant; libros diuinos distinguant, distribuant: sed si diuinos agnoscunt, sicut de veritate nihil demere possunt, ita nihil de auctoritate possunt detrahere. In arcâ non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb. An ergo dignitas minor cæterorum Moysi scriptorum, vel inferior auctoritas? Non credo. Sit aliqua distinctio quoad principalitatem; dummodo nulla sit quoad veritatem diuisio. Tertiò, inter hagiographa reponunt Dauid: Quem quinque incisionibus & vno Psalmorum volumine comprahendunt. An & leuiùs appendunt, vel minus expendunt? Imò apud illos excedunt hagiographa. Fiunt enim pariter veteris legis libri viginti duo: id est Moysi quinque: & Prophetarum octo: hagiagraphorum nouem. Ita numero excedunt, nec cedunt merito. Dauid, ille, Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum Lyrâ personat, & in dechachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem. Sit inter hagiographa, sed quidni sit & inter Prophetica; cum tanta scripserit de Christo, nomenque Prophetæ publico tandem omnium obtinuerit suffragio?

3. Reg. c. 8.

Hieronym. in prol.

Hieronym. ad Paul.

Quicquid sit de Hebræis, certum & indubitatum de Christianis; qui diuinam in libris canonicis suspiciunt veritatem, idcirco & parem iis auctoritatem deferunt. De scriptore litem non faciunt, nec de nomine instituunt inquisitionem: non enim vt symbolum humanę nomenclationis, sed vt supernæ donum reuelationis accipiunt. Fertur, ait Hieronymus, & Paræneticus Iesu filij Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Et ille tamen pseudepigraphus, non minorem apud nos auctoritatem vindicat: apud Hebræos, Paræneticus cum nomine proprio, exulat à canone Iudaico. Sapientia, ait Hieronymus, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, non sunt in canone. In quo magna differentia est humanorum librorum ac diuinorum: nam in illis quæritur quis scripsit, quia sicut alius alio dicit elegantiùs, sic & alius alio melius scribit comptiusque: sed in istis dicitur, Ait Dominus omnipotens, & satis est: cæteri enim pueri sunt elementarij, calamum gestantes, suumque Domino vt magistro præstantes ministerium. Sed iam ad Paulum: licèt enim non esset illius Epistola ista ad Hebræos: tamen sicut non minor est auctoritas Euangelij referentis, quàm Christi dicentis; sic & tanta potest esse Paulini discipuli concinentis, quanta & magistri præcinentis. Volo, ait Tertullianus, alicuius etiam comitis Apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo iure disciplinam magistrorum. Extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos. Adeò satis auctoritatis viro, vt quem Paulus iuxta se constituerit in abstinentiæ tenore. Aut ego solus & Barnabas non habemus hoc operandi potestatem? Quamuis ergo nutauerit titulum epistolæ, dignitatem nihilominùs Scripturæ seruauit & auctoritatem. Quid si esset

Hieronym. præfat. in lib. Salomon.

Hieronym. in Prol.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 20.

Epistola Barnabæ vel Clementi imputata.

eſſet alterius? Dummodo enim eſſet alicuius ſcriptoris diuini, ſeu auctoris ſacri; non minùs canonica eſſet, quàm diuina, licet adhuc cuius eſſet dubitaretur, vel etiam ignoraretur. Epiſtola quæ fertur ad Hebræos, ait Hieronymus, vel Barnabæ creditur, vel Clementis, quem aiunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe, & ornaſſe ſermone. Sed iam ad rem propiùs.

Hieronym. lib. de ſcrip. Eccleſ.

ARTCVLVS II.

Cuius tandem ſit auctoris?

QVidquid dicatur de æqualitate veritatis in Scripturâ relucentis, tamen ſicut ſunt Prophetæ minores ac maiores, & in corpore noſtro partes minùs aut magis nobiles, licet non ſolùm vnitæ, ſed & eadem animâ informatæ: imo in iiſdem Prophetis licet maioribus & inſignioribus nonnulla ſunt, quæ ſunt magis principalia: ſic & in Scripturis noui teſtamenti, quidam ſunt illuſtriores ſcriptores: vt ſicut Ioannes Euangeliſta tantùm aliis præſtat, quantum aquila boui præſtat, & leoni, ita Paulus per eminentiam dicatur Apoſtolus, id eſt, cæteris Apoſtolis emineat ſcribendo docendoque. Ille, ait Hieronymus, Hebræis literis eruditus, & ad pedes doctus Gamalielis, quem non erubeſcit, iam Apoſtolicæ dignitatis, magiſtrum dicere, Græcam facundiam contemnebat; vel certè, quod erat humilitatis, diſſimulabat: vt prædicatio eius non in perſuaſione verborum, ſed in ſignorum virtute conſiſteret: ſpernens alienas opes, qui in ſuis diues erat. Idcircò quamuis poſſet eſſe epiſtola catholica, licet non eſſet Apoſtolica; imò poſſe Apoſtolica, licet non eſſet Paulina: tamen ſicut maioris erit ponderis, ſi Apoſtolica ſit; ſic & amplioris honoris erit, ſi ſit Paulina. Paulus tantæ conſtantiæ vir, ne dicam Spiritus ſanctus. Ita loquitur Tertullianus. Tantæ maieſtatis, tantæque dignitatis, ne dicam & diuinitatis. Idcircò non ſolùm dicemus indubitatæ eſſe veritatis, ſi definierimus eam eſſe Apoſtolicam; ſed & concludemus eſſe præcipuæ dignitatis, ſi addiderimus eſſe Pauli Apoſtoli. Illud ergo noſtris dicendum eſt, (ita Hieronymus,) hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſiis orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi: licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur; & nihil intereſſe cuius ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. In his, tria dicit Hieronymus. Primum eſt, illam à nonnullis ſeu pleriſque Barnabæ vel Clementi attributam fuiſſe. Alterum, nihil intereſſe cuius ſit, cum ſit viri Eccleſiaſtici, publico Eccleſiarum probari ſuffragio. Tertium denique, ab omnibus retrò Eccleſiis, & Græci ſermonis ſcriptoribus, eam, vt Pauli Apoſtoli ſuſceptam, quotidianaque lectione celebratam.

Quanta Pauli doctrina & eloquentia

Hieronym. Apol. aduerſ. Ruffin.

Tertullian. lib. 5. aduerſ. Mar. c. 6.

Hieronym. epiſt. 129. circa med.

Hieronym. Ibidem.

Hoc vltimum ruſus affirmandum eſt, quia minus firmatum. Primò, quia minuit Hieronymus, dum ait, Quaſi Pauli Apoſtoli. Quod videtur potius dubitantis eſſe, quàm affirmantis. Secundò, ex eo quod addit. Quid ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas canonicas: nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt. Quaſi conſuetudinem opponat conſuetudini, auctoritatem auctoritati, ſicque cauſam non definiat, ſed potiùs vertat in controuerſiam. Tertiò, quomodo ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis ſcriptoribus, epiſtola quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcepta eſt, cum quidam ſuſpiciant, quidam deſpiciant? quaſi liberum ſit & arbitrarium reſpuere, ſeu non recipere inter ſcripturas canonicas. Vnde & ille ſubdubitans, ſemperque hæſitans. Si quis tamen, inquit, epiſtolam ſuſcipit. Non tamen hæſitat, dum ſic determinat. Nos vtraque ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerumque vtriuſque abutuntur teſtimoniis, non vt interdum de apocryphis facere ſolent: quippe qui & gentilium literarum rarò vtantur exemplis, ſed quaſi canonicis & eccleſiaſticis. Ex quibus patet reſponſio ad primam altercandi cauſam: nam quando ait, Quaſi canonicis & eccleſiaſticis. Verè canonicas intelligit & eccleſiaſticas: opponit enim non ſolùm literis gentilitiis, ſed & apocryphis, id eſt, quoad nomen quidem aut ſpeciem, non tamen quoad veritatem eccleſiaſticis. Ideo cum dicit, Quaſi Pauli Apoſtoli. Verè illam eſſe Pauli Apoſtoli decernit epiſtolam. Ad cauſam ſecundam, reſpondeo, quòd vnus & alter conſuetudinem non faciat, nec legem Latinæ ponat Eccleſiæ. Gaius, ait ille, epiſtolas Pauli tredecim tantùm enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non eius eſſe. Sed & apud Romanos vſque hodie quaſi Pauli Apoſtoli non habetur. Accepit ab Euſebio, à quo texitur catalogus ſcriptorum, numeruſque epiſtolarum intercipitur. Pauli, inquit, manifeſtè quatuordecim ſunt epiſtolæ, quæ in auctoritatè habentur: licet ſciam apud Latinos de epiſtolâ quæ ad Hebræos ſcribitur, haberi dubitationem. Ad tertiam, reſpondeo non hæſitare in propriâ ſententiâ, ſed dubitare de alienâ: ideoque in ſcriptis, maximè verò in Commentariis, in quibus & ſua congerit & aliena, nuſquam reiicere illam, ſed addere nonnunquam. Si quis epiſtolam ſuſcipit. &, Si quis eam recipit. Quaſi ſcilicet Pauli Apoſtoli.

Hieronym. in cap. 28. Ezechiel.

Hier epiſt. 129.

Scriptores eccleſiaſtici, ſcriptis vſi eccleſiaſticis

Hieronym. Catal. ſcript. Eccleſ.

Euſeb. lib. 3 cap. 3. Eccleſ. hiſtor.

Non poteſt tamen dubitari à nonnullis aliquando dubitatum, nec negari debet negatum. Alioquin ſi non dubitaſſet Tertullianus, imò ſi exertè non negaſſet; haud dubiè confirmaſſet dignitatem epiſtolæ, nec inferiorem emendicaſſet Barnabæ auctoritatem. Primò, quia conquiſitis Apoſtolorum teſtimoniis, concludit: Diſciplina igitur Apoſtolorum propriè quidem inſtruit ac determinat principaliter ſanctitatem omnis ergà templum Dei antiſtitem, & vbique de Eccleſiâ eradicantem omne ſacrilegium pudicitiæ, ſine vllâ reſtitutionis mentione. Tum exhauſtis Apoſtolorum teſtimoniis, ad eos ſe conuertit, qui

Tertullian. lib. de pudicit. c. 20.

sunt inferioris notæ, quod vtique non fecisset, si testimonium superductum, quasi paris sententiæ potuisset inducere. Secundò, quia non tam profert vt canonicam, quam non vt apocrypham. Et vtique, inquit, receptior apud Ecclesias epistola Barnabæ illo apocrypho pastore mœchorum. At quantum auxisset, si credidisset ipse, aut persuadere præsumpsisset, eam esse Paulinam. Tertiò, quia in tantùm doctrinam admittit in quantum remittit ad disciplinam. Hoc, ait, qui ab Apostolis didicit, & cum Apostolis docuit, nunquam mœcho & fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat. Quantum ergo roboris addidisset, quantum prætulisset virtutis, si non desperasset probari posse, esse Pauli Apostoli, maluissetque certum discipuli, quàm incertum, imò & nullum, ideoque intutum magistri proferre testimonium? Vnde nec Cyprianus Tertulliani discipulus, non tam tempore, quàm institutione, in testimoniis suis tot ac tantis, nusquam eâ vsus est Epistolâ, Paulinam non esse ratus, imò nec canonicam. De Gaio, iam dictum est, sed addendum, illum sententiam suam Romanis imposuisse, non tamen iis persuasisse, sed aliis mouisse controuersiam. Inde Eusebius germanus, (alter enim, Ruffinus est, seu illegitimus Eusebius: Pauli, ait, quanquam quatuordecim testatæ & notæ dicuntur Epistolæ, tamen quod quidam illi Epistolæ quod ab eo ad Hebræos scripta, perinde ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerint, affirmauerintque eidem ab Ecclesiâ Romanâ contradici, in obscuro relinquere, neutiquam consentaneum existimaui. Studuerunt quidem abrogare fidem, sed non ademerunt auctoritatem.

Tertullian. Ibidem.

Cyprianus discipulus Tertulliani institutione non tempore.

Euseb. lib. 3. cap. 3.

ARTICVLVS III.

Quæ causa dubitationis.

NOluisset dubitare, si probare potuisset Tertullianus meus. Meum dico, & vt dicam ex Hieronymo: Meum, inquam, meum. Quidquid enim crebriùs vertendo, & emendando sollicitiùs & didicimus & tenemus, nostrum est. Itaque non inter illos recensendus est, qui studuerint abrogare fidem Epistolæ, sed potius inter eos qui neglectam auctoritatem scripturæ restituere noluerint. Illam quippe producit vt veram receptamque, sed quia perspexit aliquam inesse dubitationis causam ac negationis, maluit noto discipulo, quàm incerto magistro tribuere. Nec vna sanè dubitandi causa est, licèt nulla pernegandi. Prima est, quod nec nomen præponat scriptor aut dignitatem. In cæteris enim Epistolis, Paulus, & Paulus Apostolus personat, in hac solâ, & à capite & à fine exulat: vbique tacitus, nullibi notus. Altera, quod styli diuersitas auctorem ostêdat diuersum, quod loquela viri, scriptorem alium prodat faciatque manifestum. Sciendum est, ait Aquinas, quòd ante Synodum Nicænam, quidam dubitauerunt, an ista Epistola esset Pauli. Et quod non, probant duobus argumentis. Vnum est, quia non tenet hunc modum quem in aliis Epistolis. Non enim præmittit hic salutationem, nec nomen suum. Aliud est, quia non sapit stylum aliarum, immò habet elegantiorem, nec est aliqua scriptura, quæ sic ordinatè procedat in ordine verborum & in sententiis sicut ista. Præfuit Hieronymus, dum ait. Scripsit nouem ad septem Ecclesias Epistolas, ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Thessalonicenses duas: præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam. Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur propter styli sermonisque dissonantiam: sed vel Barnabas, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangelistę: vel Clementis, Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi. Adde & tertiam causam, quod Paulus Ierosolymis proditus sit, & ab ipsis Hebræis. Hi qui de Asia erant Iudæi, concitauerunt omnem populum. An ergo ille Paulus apud ipsos sese recipiet Hebræos, ne dum ad ipsos scribet, dicetque: Amplius autem deprecor vos, quo celeriùs restituar vobis. An ille Paulus hoc scribet, qui ad Romanos scribens, asserit se velle in Hispaniam contendere, seu occidentem visitare, non Orientem, aut Hierosolymam repetere? Sciendum est, ait Hieronymus, in primâ satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt Euangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicaret. Romanis primo, dein & cæteris.

Hieronym. Paul.

Tres dubitandi rationes apparentes.

Aquin. in prol.

Hieronym. in Paul.

Actuum cap. 21.

Hieronym. in Catal.

Nulla tamen inficiandi causa probanda est, cum & probandi noua sit conquirenda, & inducta iam sit euertêda. Ita origenes apud Ruffinum, agens de literis Apostolicis. Is verò, inquit, qui idoneus factus est Minister Noui Testamenti, non literæ, sed spiritûs. Paulum dico, qui repleuit Euangelium ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum, neque ad omnes Ecclesias quas docuerat scripsit, sed quatuordecim solas Epistolas, & in ipsis plures breuissimas scribit. Quamuis & nonnulli de ea quæ ad Hebræos scripta est dubitauerint, pro eo quòd non videatur in eâ seruari eius illa sententia, quam de se ipse pronuntiat, dicens, se imperitum esse sermone. Sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est, & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam, vt Pauli Epistolam susceperunt. Si verò requiras à me, per quem sit eius sermo compositus, pro certo quidê Deus viderit. Audis non Origenem, traditionemq; accipis non obscuram, sed manifestissimam. Quanquã enim de stylo possit aliquo modo disputari, certum tamê & indubitatũ, quod nullo possit de Paulo Apostolo dubitari. Ita de Arianis Hilarius: Memorant, inquit, filium Dei neque ex aliquâ subiacente materiâ genitum esse, quia per eum creata sunt omnia: neque ex Deo esse, quia decedere ex Deo nihil possit: sed esse ex iis, quæ non erant; id est, creaturam Dei perfectam, verumtamen non similem cæteris creaturis. Esse autem creaturam, quia scriptum sit: Dominus creauit me initium viarum suarum. Esse autem facturam perfectam, sed non similem cæteris facturis: per id quod Paulus ad Hebræos dixerit: Tanto melior factus Angelis,

Ruffin. c. 18. lib. 6.

Hilarius lib. 4. de Trinit. cir. med.

Angelis, quanto excellentius ab his possidet A nomen. In quibus tria sunt adnotanda. Primum est, aliquos quidem Arianos, sicut & Catholicos nonnullos, epistolam reiecisse, non tamen ex publicâ id professione, sed opinione priuatâ fecisse: nam & ipsi desumebant inde testimonia, & aduersùs diuinitatem Christi, seu filij consubstantialitatem tela intorquebant validissima. Secundum, Hilarium indubitatam veritatem opponere aduersùs præsumptionem temerariam. Apostolicus, ait, sermo secundùm Dei potestatem pro factis iam, futura significat. Quæ enim per adimpletionem temporum sunt gerenda, ea iam in Christo, in quo est omnis plenitudo diuinitatis, constituit: quæ cum futura erunt, dispensationis potius in his est ordo, quàm nouitas. Subiecit enim omnia sub pedibus eius, licet adhuc subiicienda sint. Tertium, passim epistolam producere vt indubitatam, nec vnquam de parte excipere vel de difficultate, sed tanquam âb omnibus admissam inducere. Meminimus, ait ille, esse plures spirituales virtutes quibus Angelorum est nomen, Ecclesiis præsidentes. Hoc ideò commemoratum est, vt habeamus non improbabilis intelligentiæ auctoritatem, maximè cum scriptum sit: Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem.

Ariani etiam Paulinis vsi sunt testimoniis.

Hilarius lib. 11. de Trinit. vlt. med.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 119. vlt. med.

Ad primam ergo dubitandi causam, respondeo tantum abesse vt infirmet, quin & confirmet. Quæ enim ratio nomen supprimendi & dignitatem in alio? In paulo verò tam prudens quàm & euidens. Cum enim Paulus crederetur à Iudæis circumcisionem ac legem euertere, cum & ipse profiteretur Apostolatum suum præcipuè esse ad gentes; nec Paulum se dixit nec Apostolum, quia vtrumque sensit tam impedimento fore, quàm & apud ipsos Hebræos odio. Ita Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων apud Eusebium. Vbi, De epistolâ ad Hebræos ita disserit, quòd manifestè Pauli sit Apostoli. Quod autem subscriptionem solitam inibi non habet, id est, Paulus Apostolus, hoc esse rationis ostendit, quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne eius dicta susciperent, & idcircò prudenter declinasse, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, lectio eius repudiaretur. Alteram causam differo, sed nouam ingero vt extemporaneam. Ipse quippe scriptor inter eos se recenset, qui ab aliis instructi sunt, aut certè confirmati, cum clamet Paulus nihil sibi ab aliis collatum, seque nec ab homine nec per hominem instructum, sed per solum Christum. Sic ergo de salutiferâ Euangelij doctrinâ per Christum Dominum promulgati: Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Commendat Paulus gratiam Euangelicam, confirmatque tribus argumentis, seu tribus exaltat titulis. Pulchrè enim, ait Chrysostomus, addidit, Tantam. Non enim, inquit, nos nunc seruabit à bellis, neque præbebit terram, sed regnum cœlorum. Deinde subiungit id quod efficiet vt sit credibile; & fide dignum. Per Dominum: hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Quomodo ergo fuit confirmata? Contestante Deo. Non si finxissent; Deus eis tulisset testimonium. Lex ergo vetus per seruum, noua per Dominum; illa vni audienti credita, ista multis audientibus tanquam testibus præordinatis: illa paucioribus signis, ista variis virtutibus; fidem & auctoritatem obtinuit, firmitatem inuenit apud nos, Hebræos scilicet. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Nos scilicet, ad quos missus Christus Dominus, quibus tot prædicarunt testes, quibus tot virtutes subsignarunt: Itaque de se non agit, sed de gente, cui se non tanquam vnum ex Apostolis, sed tanquam Hebræum ex Hebræis interserit. Ad tertiam, dico nec obesse, sed potius prodesse. Primò enim: Nonne sunt duodecim horæ diei. Secundò, ad Ecclesiam scribit Hierosolymitanam, in quâ multi probi, multi piè ac benignè affecti. Tertiò, idem iam Paulus pollicitus erat Philippensibus. Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos. Iam ergo & ille expleuit quod promisit. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum. An autem in orientem redierit, aut inuiserit occidentem: non adeò certum, nec hoc loco dissoluendum.

Clemens Alexand. lib. dispositionum.

Euangelium tribus titulis illustratum

Chrysost. orat. 3.

Ioan. cap. 11.

Philipp. c. 2.

ARTICVLVS IV.

Quando nam id definitum sit?

CVm ait Aquinas à quibusdam ante Nicænam synodum de hac dubitatum epistolâ, innuit post hoc nulli dubitandum, quasi aliquid in tanto concilio circa id determinatum sit. Ita Hieronymus quid simile testatur de altero libro. Apud Hebræos, inquit, liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicantur. Chaldæo autem sermone conscriptus inter historias computatur. Sed hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse. Quidni dicamus idem de epistolâ ad Hebræos ob triplicem rationem? prima est, quia illam Arius improbabat vocabatque adulterinam. Qui enim aduersùs Deum, vt loquitur Theodoretus, & Saluatorem nostrum linguam mouerit, quid non ausus fuerit? Sic ergo improbata ac diffamata ab Ario, comprobanda ac vindicanda erat à Concilio. Secunda, quia illa ab Athanasio, Nicænorum decretorum maximè conscio, in synopsim redacta est, id est, inter scripturas diuinas, imò inter paulinas epistolas computata. Tertia, quia id palam affirmat Liranus in suo prœmio, determinatque epistolam à synodo receptam. Sed si certum est id à Concilio plenario definitum: quomodo id ab Hieronymo, Augustino, aliisque coæuis positum sub dubio, relictumque sub cuiusque arbitrio? Epistolam ad Hebræos, ait ille, omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum. Non igitur omnes, quid si nec plurimi? Et iste, Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant. De orthodoxis vterque loquitur, non de hæreticis. Quamquam & quæ ab hæreticis prolata sunt, non sint omnia hæretica, sed

Hieronym. præfat. in lib. Iudith.

Theodoret. in argum. epist.

An aliquid definitum de epistolâ in Nicæno Concilio.

Hieronym. ep. 16.

Augustin. lib. 16 de Ciuit. Dei cap. 22.

sed temeraria nonnulla, plura etiam sana, seu doctrinæ sanæ consona. Quis autem orthodoxorum in dubium vocasset, vel etiam abnegasset quod tantum, tamque omnibus non orientalibus duntaxat, sed & occidentalibus determinasset concilium; maximè verò Hieronymus, vel etiam Augustinus? Locus ergo coniecturæ, sed incertæ relictus.

Sed si id non definitum à concilio, forsitan à Petro declaratum. In quo tria sunt obseruanda. Primum est, Petrum & ad ipsos scripsisse Iudæos seu Hebræos, id est, ad suos vnam & alteram direxisse epistolam. Et quidem de primâ, patet ex inscriptione. Petrus Apostolus Iesu Christi, Electis aduenis dispersionis. Sed iam nimirum Christianis, seu Iudæis dispersis, ideoque aduenis; sed à lege ad Christum conuersis, à Moyse ad Euangelium. In quibus ipse Petrus prouinciis his qui ex circumcisione sunt prædicauerit Christum, propriis vocibus in eâ epistolâ, quam ipsius absque ambiguitate claruit esse, designat, in quâ ad eos qui in dispersione sunt, scribit, sine dubio Hebræos. Ipsi etenim dispersi dicuntur, tanquam propriis è sedibus pulsi, & positi in dispersione. Ita Eusebius. De alterâ verò ipse Petrus. Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam. Iisdem nimirum, seu Hebræis. Secundum, & hanc secundam non minùs Catholicam quàm primam; quamuis enim aliquando de ipsâ dubitatum sit, nunc tamen non est vllo modo dubitandum. Tertium denique apertum esse in eâ epistolâ testimonium. Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam, scripsit vobis. Iudæis ergo seu Hebræis. Sicut & in omnibus epistolis. Ergo specialem scripsit epistolam, Hebræorum titulo prænotatam. Loquens in eis de his. De fide scilicet, de spe, & vtriusque firmitate: quod maximè in epistolâ ad Hebræos factitatum; in istâ nimirum, nec enim alia, Hebræorum titulo prænotata. Equidem habemus à petro præclarissimum, de notitiâ mysteriorum diuinorum paulo collatâ testimonium, sed nondum declarationem causæ tenemus circa fidem epistolæ. Quid enim si ad gentes scribat Petrus, sicut & Paulus, & vterque res easdem & iisdem imprimat? Quod enim de gentibus prophetatum Paulus ostendit: hoc & Petrus scribens ad gentes, Propheta quidem ipso non nominato, prophetiam tamen eius verbis suis inserit. Ita Augustinus. Si Petrus scribit ad gentes, quando dicit, Vobis. Non Iudæos ipsos, sed Græcos intelligit. Certum quippe multa in illis epistolis, potius ethnicis conuenire quàm Hebræis, nec improbandum, omnibus credentibus Petrum ipsum scribere.

Eusebi. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 4.

Iudæi cur dicti sint vbique dispersi.

2. Pet. cap. 3.

Augustin. lib. 22. cont. Faust. cap. 89

Rem aperiet Paulus, & litem suo comprimet iudicio. Sic enim ille more solito, & hanc absoluit epistolam. Gratia cum omnibus vobis. Amen. Dumque sit absoluit, definit controuersiam. Quod est signum in omni epistolâ. Ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Sigillum paulinis appositum epistolis, ad discernendas legitimas à spuriis, veras à falsis. Quid ergo adhuc quæritur, si lis ipsa Paulino dirimitur iudicio? Res quidem certa, sed nondum definita: quamuis enim epistola quæuis, hoc sigillo destituta, non sit Pauli Apostoli; non tamen omnis epistola hoc munita sigillo statim erit Pauli, cum possit esse Petri coapostoli. Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen. Posset esse & pseudapostoli, qui se simulasset Apostolum, & signum interpellasset. Nihil igitur adhuc definitum, nihil publico comprobatum suffragio vsque ad tempora Hieronymi & Augustini, nec Ecclesiastico declaratum iudicio, illam esse Pauli Apostoli epistolam: licet semper in honore sit habita, & pro fide sit producta, non solum post, sed & ante Hieronymi & Augustini tempora: vt patet ex vtroque Dionysio, Areopagita & Alexandrino; ex vtroque Clemente, Romano & Alexandrino seu Atheniensi: Athanasio, Gregorio Nazianzeno: Optato, Hilario: id est, Græcis & Latinis. Vnde & ipse Hieronymus in vno aduersùs Iouinianum libro: bis terve, & testimonium producit, & ipsum agnoscit Apostolum. Scimus, inquit, in domo magnâ non solùm vasa esse aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & super fundamentum Christi, quod Paulus architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos; alios è contra fenum, ligna, stipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Et, Audiant Paulum loquentem: Adolescentiores viduas volo nubere, filios procreare, & honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum. Denique. Si transfertur Enoch: non reor idcircò translatum, quòd vxorem habuerit, sed quòd primus inuocauerit Deum, & crediderit in Saluatorem: de quo Paulus Apostolus in epistolâ ad Hebræos plenissimè docet.

2. Thessal. cap. 3.

Epistolæ Pauli suo munitæ sigillo.

1. Pet. cap. 5

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. post initium & circ. med.

ARTICVLVS V.

Quomodo non solùm catholica sit, sed & canonica.

NOn omnis quidem catholica epistola, canonica est; nec omnis canonica, est catholica: ista verò quæ est ad Hebræos, vtrumque possidet, in quo cæteris Paulinis præeminet. Priùs autem est epistolam esse catholicam, quàm esse canonicam: sicut priùs est scribi, quàm inscribi, & in aliquem redigi ordinem. Porrò epistola aliqua dicitur Catholica, non ex conditione dogmatum, sed ratione personarum: id est, non quia doctrinam complectitur catholicam, sed quia ad fideles omnes dirigitur. Ita apud Hieronymum: Scripsit Petrus duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Et Eusebius de Iacobo. Eius, inquit, illa habetur epistola, quæ prima scribitur inter eas quæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit eius. Sicut ne illius quidem quæ dicitur Iudæ, quæ & ipsa est vna de septem. Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Ecclesiis recipi. Vbi, vna de septem. Est vna de iis quæ dicuntur Catholicæ. Sed sciendum est quasdam passim dici Catholicas, quæ verè non sunt; ali-

Hieronym. in Pet.

Eusebi. lib. 2 cap. 22.

alias verè esse, quæ tamen non passim dicuntur; & in iis melius & dignius esse, quàm dici. In illis septem, secunda, & tertia Ioannis, non ad omnes; sed secunda Electæ, tertia Gaio missa est, & ideò neutra est Catholica. Epistola verò ad Hebræos non vocatur passim Catholica, ne ab aliis quibuscum numeranda est illa, diuellatur: verè tamen Catholica est, vt ad omnes directa. Sicut enim prima Ioannis ad parthos directa, verè catholica est; sic ista ad Hebræos, verè Catholica censenda est; licet enim vtraque ad principales aut parthorum aut Hebræorum vrbes missa sit, omnibus tamen fidelibus, maximè orientalibus seu Parthis seu aliis, licet ex Hebræis seu Iudæis est data. Illa enim Pauli Apostoli, vel Romanis solis, vel solis Corinthiis; vel vni Tito, seu soli Timotheo consignata est: nostra verò: His qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis. Quamuis enim & aliæ eatenus dici queant catholicæ, quatenus catholicam circumferunt doctrinam; non tamen quatenus fideles omnes conueniunt: cæteræ namque vel ad speciales Ecclesias, vel ad singulares personas sunt destinatæ.

Epistola ad Hebræos verè Catholica.

Iud. epist

Iam verò & ipsa canonica est, id est in canonem relata, publicamque auctoritatem in fidem Christianam; cui scilicet legem struat, & ordinem præstituat. Erit diuinarum scripturarum solertissimus indagator, (ita Augustinus) qui primò totas legerit, notasque habuerit; & si nondum intellectu, iam tamen lectione duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. In canonicis autem scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurimùm auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Sed duplex canon: vnus veteris testamenti, alter noui. Ita Origenes apud Eusebium: Exponens primum Psalmum designat etiam ipse qui sit canon veteris testamenti, sicut Hebræi tradunt, secundùm numerum scilicet elementorum quæ apud ipsos habentur. De noui autem testamenti canone in libro primo Commentariorum secundùm Matthæum, hoc modo scribit: Ex traditione, inquit, didici de quatuor Euangeliis, quia hæc sola absque vllâ contradictione suscipi debent ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, Ecclesiis Dei. Super omnia verò Euangelium esse Ioannis. De literis quoque dicit Apostolicis. Sed triplex discrimen inter vtrumque canonem. Primum est, quod antiquus canon vnius esset linguæ; nouus verò, non solùm tot linguarum quot nationum, sed & tot versionum quot capitum. Maximè, ait Hieronymus, cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices: & vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Euseb. lib. 6. cap. 18.

Triplex discrimen inter veterem & nouum canonem.

Hieronym. præfat. in lib. Iosue.

Et præf. in Tobiam.

A Vnde, Arguunt nos Hebræorum studia, ait ille, & imputant nobis: contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Alterum, quòd antiquus eos contineret libros, qui Deum prænuntiarent incarnandum; nouus eos continet, qui Deum annuntiant incarnatum. Nouissimè locutus est nobis in filio. Ita vetus, solius erat figuræ; nouus verò, veritatis & gratiæ. Tertium discrimen, quod antiquus, vnius esset regulæ, vno nimirum conclusæ armario: nouus, tot redderet normas, quot inueniret Ecclesias. Inde Augustinus. Si quis, ait, alias inuenerit scripturas B à pluribus Ecclesiis, alias à grauioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto. Hinc enim pondus, inde numerus.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Primum quod sciam, concilium, in quo libri sacri in canonem redacti sint, habitum est Laodiceæ, Phrygiæ, non Syriæ, vt probat Baronius, & ipsum antiquum, ante Nicænum scilicet celebratum, vt & ipse confirmat, anno Domini trecentesimo decimo quarto. In illo autem concilio canon quinquagesimus nonus seriem sacrorum librorum digerit, & in eum nostram admittit epistolam. De concilio Nicæno iam dictum est. Secutum est concilium C Carthaginiense tertium, in quo de Paulinis epistolis sic legitur canone quadragesimo septimo [Pauli epistolæ tredecim. Eiusdem ad Hebræos vna.] In quo tria notanda sunt. Primum est, vnum quidem hucvsque creditum, nempe epistolam esse diuinam: alterum verò, nimirum eam esse Paulinam, non æquè certum, nec exertè definitum. Secundum, non multum curasse antiquos cuius essent scripturæ auctoris, sed plurimum determinasse, cuius essent illæ auctoritatis. Ita non solùm in illo concilio sed & postea in concilio Romano habito sub Ge- D lasio, ponuntur. Salomonis libri quinque. Tamen vt apud Augustinum est. Salomonis libri tres, prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Tertium, inde & Augustinum passim epistolam istam laudare sine nomine: quan- E quam enim recenseat quatuordecim epistolas Pauli Apostoli, quas inter illam quæ ad Hebræos est, collocat: tamen vbi ipsam laudat, auctorem non memorat. In epistolâ, inquit, quæ inscribitur ad Hebræos: Benefacere & communicatores esse nolite obliuisci. Talibus enim sacrificiis placatur Deus. Licet enim de auctoritate certum esset, de auctore tamen nondum clarè & apertè definitum. Equidem id apertè declaratum est in concilio Florentino, & nouissimè in Tridentino, in quo Quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli. Sed & cum recenset psalterium Dauidicum centum

Baron. Tom. 4. An. 314.

Cõ. Carth. 3.

Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5.

Concil. Tri. sess 4.

Fides in numero non est, sed in testimonio.

quinquaginta Psalmorum. Non docet fidem in numero esse, sed auctoritatem in testimonio. Concludendum nihilominus, epistolam quæ est ad Hebræos non solùm catholicam esse, sed & canonicam; id est, non solùm ex numine sacram ac diuinam, sed & sub nomine Pauli Apostoli, vniuersalis Ecclesiæ suffragio, & inuiolabilis sententiæ receptam iudicio; quod si quis inficiaretur, si non in totum hæreticus, saltem admodum temerarius probaretur.

A

ARTICVLVS VI.

B

Cuius sit idiomatis?

HVc vsque distulimus, quia grauioris est difficultatis: & interim diximus canonem veteris testamenti fuisse vnius & eiusdem linguæ. Sed linguam strictiùs accipimus, prout lingua purè Hebraica, nondum corrupta vel permixta. Nam populus Dei ante captiuitatem Babylonicam vsus est linguâ purè Hebraicâ: in captiuitate positus, linguam quam non nouerat, conatus est: post captiuitatem, tertiam conflauit linguam ex Chaldaica & Hebraicâ primitiuâ commixtam, quæ propriè Syriaca, corruptè Hebraica, & eam non in profanis tantum, sed & in sacris vsurpauit. Cum igitur canon vetus antè captiuitatem conditus sit, fuit vtique vnius linguæ primitiuæ nondum interpolatæ. Licet enim Esdras libros sacros post captiuitatem reparauerit, non tamen nouos excudit, sed antiquos recognouit. Narratur enim & hoc de Esdra. (verba sunt Athanasij) Cum libri sacri per incuriam populi, & diuturnam captiuitatem perirent, ipsum, cum esset vir industrius, & lector perdiligens, verique ac recti studiosissimus, eos omnes libros apud se custodiuisse, & postea eos in commune protulisse, atque ita ab interitu quodammodo vindicatos conseruasse. Si quid exinde additum vel editum, iam Syriaco sermone, vel etiam Græco digestum est idiomate. Paulo post enim visa est versio septuaginta interpretum, tandemque fœda ac flenda exscribentium corruptio. Cum pro varietate regionum, vti dixit Hieronymus, diuersa ferrentur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta esset atque violata. Et alibi: Quia, inquit, volo antiquam diuinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi infligitur. Tanta est enim vetustatis consuetudo, vt etiam confessa plerisque vitia placeant: dum magis pulchros habere volunt codices, quàm emendatos. Quicquid sit, tota scriptura noui testamenti Græcè vel Hebraicè conscripta est, dummodo Hebraica lingua latius sumatur, & eadem deinceps intelligatur quæ Syriaca, quâ passim vsus est tunc populus, quâ locutus est & Christus; quâ scripsit Matthæus, quâ & Paulus scripsit, si quid scripsit linguâ patriâ.

Athanas. in Synop.

Esdras non tam scripturæ conditor quàm restitutor.

Hieronym. præf. 1. in lib. paralipom.

Hieronym. alt. præf.

C

D

Videtur sanè Paulus eâ linguâ scripsisse ad Hebræos suos: tum vt maiestatem conseruaret linguæ, cum vt auctoritatem daret sententiæ. Ita in Actibus: Cum audissent autem quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. Inde ergo coniici potest styli diuersitas, & sermonis seu phrasis maiestas in natiuam Pauli linguam coniici. Ita Hieronymus: Scripserat, inquit, Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, vt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum: & hanc causam esse, quod à cæteris Pauli epistolis discrepare videatur. [Quid,] & hanc esse causam quòd à cæteris discrepare videatur. Addendum est, aut supplendum, dicunt quidam referuntve. Non ergo à semetipso hoc dicit, sed alieno retulit iudicio. Dicit quidem, & tamen alibi contradicit, id est, scribit, sed non subscribit: hoc enim reddidit, quod accepit ab Eusebio. Si verò interrogetur de nouo testamento, quid ipse sentiat, & quo totum eloquio sit exaratum: Græcum esse non dubium est, inquit, excepto Apostolo Matthæo. Videtur ergo, non illi tamen, sed alteri: nam nec ratio probat, nec consonat Hieronymo. Nam ille in Petro: Scripsit, inquit, duas epistolas: quarum secunda à plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed licet aliqua diaphonia, nullus tamen negat eandem esse linguam, nec dubitat Hieronymus, aut aliam appellat linguam, cum sciat, imò nullus nesciat, vtramque Græcâ linguâ conscriptam; ideoque dissonantiam non ex idiomatis diuersitate petendam, sed ex auctoris voluntate, vel exscriptoris varietate. A quibusdam dicebatur, ait Origenes apud Eusebium, quòd Clemens Apostolorum discipulus, & episcopus vrbis Romæ, Græco eam sermone, non tamen sensibus expoliuerit. Alij quod Lucas, qui Euangelium scripserit, & Actus Apostolorum. Sanè, vt & ipse dixit Eusebius: Clemens in epistolâ quam Corinthiis scribit, meminit epistolæ Pauli ad Hebræos, & vtitur eius testimoniis. Ideoque si exscriptor, non tamen & auctor. De Luca verò Clemens Alexandrinus: Epistola, inquit, ad Hebræos, manifestè Pauli est Apostoli, à Luca, qui erat Pauli discipulus, interpretata in Græcum: vnde & stylus eius magis similis videatur libello illi, quem Lucas de Apostolorum Actibus scripsit. Non igitur auctorem egit, sed interpretem; id est, magistri sui mentem, suo, id est, Græcanico expressit eloquio.

E

Actuum cap. 22.

Hieronym. in Paulo.

Hieronym. multa alieno commentatus iudicio.

Hieronym. præfat. in quat. Euang.

Origen. apud Eus. lib. 6. cap. 18.

Euseb. lib. 3. cap. 38.

Clem. Alex. lib. infor.

Concludo eam non Hebraicè sed Græcè à Paulo dictatam, & ab alio, sed eadem linguâ, id est, Græcanicâ, exaratam. Primò, quia cæteri Apostoli, Iacobus, Petrus, Ioannes, etiam suis scribentes Hebræis, non Hebraicè, seu Syriacè, sed Græcè scripserunt omnes, scientes linguam istam non minus tunc suis notam quam propriam, vtpote Græcorum oppressis iugo, vixque tunc releuatis, ideoque ipsorum instructis eloquio.

eloquio. Secundò, quia nec Paulus Romanis scribens, Latinè scripsit, sed Græcè, sciens linguam esse vulgatissimam, nec exteris tantùm, sed & Romanis ipsis, Græciæ tunc & Asiæ Dominis cognitam. Imò cum ad Romanos scribit, & Iudæos pungit & Latinos, quos tamen vt Græcos, id est eadem linguâ conuenit. Tertiò, quia testimonia scripturarum diuinarum producit ex Græco, non autem ex Hebræo, vt alibi non semel facit, totusque contextus Græcaniam potius quàm Hebraicam redolet eloquentiam, docetque epistolam integram non aliâ quàm Græcâ linguâ conscriptam. Idcircò dicendum de Paulo, quod ab Hieronymo dictum est de Petro. Pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus. Quod non intelligendum de iis qui in aliam vertunt linguam, si enim aliter vertunt, non iam simpliciter transferunt aut referunt, sed audacter subertunt sententiam. Intelligendum igitur de iis qui dictantem audiunt, sed mentem dum excipiunt, non tam secundùm verba, quàm secundum sensa exprimunt. Imò quis ignorat eundem auctorem non sibi semper similem, sed secundùm rerum aut personarum circunstantias nonnunquam grauiorem, nonnunquam faciliorem? Denique nihil diuersitatis animaduertit Chrysostomus, imò pares sensit omnes, etiam quæ senectutis; sed pro necessitate gentis, aut pro voluntate dictantis, alias spectantis circunstantias, potuit stylus variari, sed non debuit alius auctor declarari; cum vnius auctoris possit stylus varius connotari.

Hieronym. epist. 150.

Interpretis vtitur est, tò caetere.

ARTICVLVS VII.

Quanta huius epistolæ præstantia?

IAm quædam prælibauimus, sed quanta restant adhuc dicenda; quæ epistolam commendant, & demonstrant præcellentiam? In epistolâ quippe quæ inscribitur ad Hebræos, vti dixit Augustinus, multa & magna conscripta sunt. Ibi namque primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. In istâ epistolâ, præcipua reuelantur mysteria fidei, principalia declarantur Christi opera. Vbi sciendum est, (ex Aquinate) quòd triplex est excellens Christi. Vnum quòd se extendit ad totam creaturam, scilicet opus creationis. Ioan. 1. omnia per ipsum facta sunt. Aliud quidem tantùm ad creaturam rationalem quæ per Christum illuminatur, & est opus illuminationis. Ioan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertium est iustificationis, quod pertinet tantùm ad sanctos, qui per ipsum per gratiam viuificantem viuificantur & iustificantur. Ioan. 1. Et vita erat lux hominum. Et hæc est materia huius epistolæ ad Hebræos: quæ ab aliis distinguitur, quia in quibusdam epistolis agitur de gratia noui testamenti, quantum ad totum corpus mysticum Ecclesiæ, & hoc in omnibus epistolis quas mittit Ecclesiis: in ea scilicet quæ est ad Romanos, ad Corinthios, & ad Galatas, & vsque ad primam ad Timotheum. In quibusdam verò quantum ad membra principalia, sicut in his quas mittit singularibus personis, scilicet ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem. In istâ verò commendat ipsam gratiam quantum ad caput, scilicet Christum. In corpore enim Ecclesiæ ista tria reperiuntur, sicut & in corpore naturali, scilicet ipsum corpus mysticum, membra principalia, scilicet prælati & maiores: & caput à quo vita fluit in totum corpus, scilicet Christus. Sicut ergo caput præstat omnibus membris, non solùm infimis, sed & nobilioribus; sic & hæc epistola quæ de capite Christo tractat, & præcipuo eius opere, omnibus antistat epistolis, non tantùm priuatis, sed & publicis, illustrioribus, insignioribus.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 22.

Aquin. in prol.

Vnde desumenda sit huius epistolæ præstãtia

Certè vim omnem collegit Apostolus, sciens Hebræos in scripturis peritiores, sed animis commotiores. Hunc enim, vt loquitur Athanas. ex animo impugnabant Iudæi, & ita, vt neque loquentem æquo animo ferrent. Siquidem nec ipsimet qui ex Iudæis crediderant, Paulo intendebant, vt qui & legem & circumcisionem dissolueret. Idcircò voluit quidem sublimiorem esse sermonem, sed non tam verbis attendit quàm sententiis. Hoc enim, vt obseruat Aquinas, est in hac epistolâ singulare, quòd singula verba habent singulas sententias, & seruant ordinem suum. Vnde iam à limine, non solùm exorditur profundè, sed & altè ingreditur. Lux nempe, vt loquitur Ambrosius, splendorem generat, nec comprehendi potest quòd splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior; quia vbi lumen, & splendor est: & vbi splendor, & lumen est. Vnde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ filium dicit, quia splendor paternæ lucis est filius: coæternus, propter virtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis virtutem. Ab ipso orationis exordio auditorem excitat, mentemque ad grandia prouocat capienda. Licet enim aliqui adhuc imbecilles essent ad audiendum, quibus ideo lacte opus esset & patientiâ; nonnulli tamen difficiles erant ad credendum, quibus arte opus esset & doctrinâ. Idcircò cum in aliis epistolis nonnulla de morali lege delibauerit, vt in epistolâ ad Romanos; nonnulla de veteri circumcisione, & Mosaicis ceremoniis, vt in epistolâ ad Galatas, in istâ Moysem ipsum aggreditur, ritum Sacramentorum; sacrificiorum apparatum; id est, totum ipsum legis statum, & Moysis imperium molitur ostendere infirmum, caducum, nobiliorique mediatori & Sacerdoti sanctiorij obnoxium: adeo vt pro infirmis epistola ista sit tanquam [Verbum solatij.] Doctis autem, tanquam veneni à malignis inuidisque inspersi antidotum: idcircò rogat illos vt sufferant, istos verò aduersus obtrectantes armat, vt & sermones obducant altercantium, & persecutiones vincant v. xantium.

Athanas. in prol.

Aquin. lect. 1.

Ambros. lib. 4. de fide cap. 4.

Quàm altum sit epistolæ huius exordium.

Cæterùm spirat adhuc aliquid generosum de carcere, eundemque de lectione inspirat animum. Româ, ait Chrysostomus, ad Hebræos scripsit: ob quod ait, eos omnes

Chrysost. in prœm.

omnes salutari ab iis qui in Italiâ essent. Et ad Timotheum epistolam & ipsam de vinculis scriptam Româ misit. Ambæ in vinculis scriptæ, ambæ de vinculis missæ. Sicut enim alij, maximè verò Philippenses, Colossenses, aliquos destinauerant ad Paulum vinctum; illi Epaphroditum, isti Epaphram suum Apostolum, vt compaterentur, niterenturque & miseriam carceris subleuare, & egentis iuuare inopiam: sic & fideliores religiosioresque inter Hebræos ipsos, aliquem è suis miserant, vt per illum, Paulum inuiserent patientem, animum illi suum testatum facerent. Qui porrò sint Hebræi, paucis dicendum est, vt scias non solùm vnde missa sit epistola, sed & ad quos missa. Primus omnium, qui Hebræus dictus est, ipse Abraham fuit.

Genes. c. 14.

Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo. Atque adeo Hebræi dicti non sunt ab Abram, quasi Abræi, cum & ipse Abram Hebræus aliunde vocatus sit. Nec ab Heber etiam ita nuncupati sunt, quasi Heberæi; quamuis enim conueniat aspiratio literarum, obstat tamen personarum nomenclatio. Si enim ab Heber appellati sunt Hebræi, cur non omnes posteri & descendentes ab Heber ita dicti sunt, sed ij soli, nec omnes, qui ex Abraham sunt exorti? Nondum dictus Abram Hebræus, quandiu in Chaldeâ commoratus; sed quando egressus de domo patris sui, venit in terram Chanaam, & Eufratem fluuium transiit, tunc demum ab incolis loci dictus est Hebræus, quasi de trans veniens, seu vltrà transiens. Sicut enim Heber, pervain, idem est ac transitus; sic & Hebræus, idem ac transiens. Idcircò & apud septuaginta interpretes pro Hebræo ponitur περάτης, quasi transitor. Trigesima prima mansio, inquit, Hieronymus, interpretatur περάσεις, id est transitus siue transitio. Ad hanc venit verus Hebræus, id est περάτης siue transitor, qui dicere potest: Transiens videbo visionem hanc magnam. Ita, Dicit Dominus Deus Israël. Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio. Tuli ego patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus: adduxi eum in terram Chanaam. Quasi peregrinum & aduenam. Vnde & illi ad Lot: Ingressus est, inquiunt, vt aduena: numquid vt iudices? omnes enim ex illis exorti, dicti sunt Hebræi, tanquam peregrini. Ita ille de Iosepho. Ingressus est ad me seruus Hebræus. Paulatim nominis possessio, cum priuilegio idiomatis, transiit ad filios Israël, tandemque permansit in terræ sanctæ accolis, tanquam auitæ linguæ retinentissimis; vt licet Cretes, & Cappadoces ex eadem stirpe exorti essent, & eadem religione obstricti, ideoque professione Iudæi,

Hebræi dicti sunt quasi peregrini.

Hieronym. epist. 127. Mans. 31.

Iosue cap. 24.

Genes. c. 19.

Genes. c. 39.

A facilius tamen inter Græcos venirent quam Hebræos, id est, non eandem inirent nomenclationem. Itaque dirigit Apostolus epistolam suam ad Hebræos, id est palestinæ, seu terræ sanctæ populos, sed per ipsos cæteris Iudæis, eandem subeuntibus sortem, sicut & eandem profitentibus fidem, communicandam committit: vt qui essent dispersi, in eandem conuenirent sententiam. Quod enim Hebræis dixit & Iudæis.

ARGVMENTVM.

B QVo tandem consilio Paulus scripserit genti suæ facilè elicitur ex dictis, &, vt monuit Ambrosius, (si tamen idem ipse est) ex illius verbis deprehenditur. Timuit eis, inquit, ne superati tentationibus, ad infidelitatem relaberentur. Nulla enim gens obstinatioribus animis repugnabat Euangelio Christi quàm Iudæorum qui beato Paulo erant infensissimi, quòd se gentium Apostolum profiteretur, quas Iudæi vt profanas & impias abominabantur: quódque legem Mosaicam, quam illi sacrosanctam habebant, & Euangelij vice per vniuersum orbem spargi cupiebant, antiquare videretur; adeò vt essent C inter hos quoque, qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis obseruationem cum Euangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant, variis calamitatibus afficiebantur ab iis qui resistebant Euangelio. Hos itaque consolatur Paulus partim exemplo veterum sanctorum, ac præcipuè exemplo Christi. Sed & cum populus Hebræorum, inuidiam ac sæuitiam intra fines patrios non contineret, sed & latius siue per auctoritatem, siue per fraudem spargeret, epistola est ad omnes Iudæos encyclica; quâ per Christi dignitatem, agnoscant fidei maiestatem; & per acceptam religionis Christianæ notitiam, non D solùm constanter, sed & hilariter publicam intentatæ perferant persecutionis duritiam. Denique non se seduci sinant, aut ab iis abduci, qui desperantes Euangelium euertere, legem interserebant; seu non valentes totum obtinere, partem petebant, totam subneruantes Christiani efficaciam Sacramenti. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Ita, vt absoluam ex Hieronymo. Vera sapientia perdidit falsam sapientiam: & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos. Dei quippe sapientia Christus est: Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia.

Ambros. in proœm.

Epistola parænetica simul & dogmatica.

Heb. cap. 10.

Hieronym. Paulino.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Summa.

CHristum asserit esse verum propriumque Dei Filium, quem ostendit Angelis supremis digniorem esse sublimioremque.

TEXTVS.

MVLTIFARIAM, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomē hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationibus præ participibus tuis. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

A

EXEGESIS LITERALIS.

NEMINEM salutat Paulus, quia salutario necessaria non est, vbi de Saluatore clara est annuntiatio, & spem erigens, & salutem promittens. Ita Ioannes: [Quod fuit ab initio, quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis.] Ita igitur precatur Paulus, dum ita præfatur. *1. Ioan. c. 1.*

B

Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio &c. Ad salutem scilicet humanam ac spem publicam incarnato. Sicut ergo, referente Eusebio ex Clemente Alexandrino: Quia Dominus Apostolus omnipotentis dicitur missus ad Hebræos, ideo Paulus, qui ad Gentes fuerat destinatus, non scripsit semetipsum Hebræorum Apostolum. Ita, quia Saluatorem prætulit ab initio, *Clem. Alex apud Euseb. lib. 6. cap. 11.*

idcircò salutationem non præmisit. Quomodo enim auctoritatem declarabit, qui nec nomen indicauit; aut quomodo suo nomine salutabit, qui præsente Christo, omnem effudit benedictionem? Multifariam igitur, multisque modis: Græcè πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, multipartitè ac multimodè. Partita enim prophetia, & forma diuersa: vt id, vni reuelatum sit, aliud alteri demonstratum: illi per allocutionē, isti per visionē. Multipliciter igitur Deus multiformiterque Deus olim locutus est patribus nostris in Prophetis: sed in istis diebus nouissimis, locutus est nobis, Hebræis scilicet, in filio, vero scilicet ac proprio, Prophetarum, ac Patriarcharum Domino; in quo tanquam in Verbo suo, non iam obscurè ac multipliciter, sed apertè ac simpliciter locutus est. Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula &c. Qui cum sit Filius Dei tam vnicus quàm & verus, creaturarum omnium Dominus in assumptâ naturâ à Patre constitutus est: quipp per ipsum, velut per æternum *Deus obscurè in aliis, in filio clarè locutus est.*

dicentis disponentisque Verbum, facta sunt omnia. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis &c. Qui quidem filius cum sit naturalis ac substantialis refulgentia, Græcè ἀπαύγασμα, paternæ claritatis & æternæ lucis, & figura χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, & expressa perfectaque essentiæ paternæ forma, ferensque ac sustinens omnia imperio potestatis suæ, & omnipotentissimæ voluntatis efficacissimo, nosque purgans & emundans à peccatis nostris; sedem obtinet in cœlo præcipuam summamque à throno exercet potestatem. Cum crucis mentionem fecisset, ait Athanas. de resurrectione nunc meminit. Ad paternum enim thronum peruenit, & vt pater sedet sublimis, sic & filius excelsa conscendit.

Athanas. in Paulum.

Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum. Filius meus es tu, ego hodie genui te? &c. Non dico solùm, Christum esse Prophetis omnibus præstantiorem, addo & sublimioribus Angelis esse digniorem: possessionem enim nominis Filij Dei, tanquam per originem naturalem debiti sibi asseruit, supremamque honoris & dignitatis prærogatiuam præ principatibus ac potestatibus habere se ac tenere ostendit. Cui enim Angelorum legitur Deus aliquando dixisse: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Tanto melior Angelis, id est sanctior, & ideò propinquior, in quo proponit excellentiam Christi ad Angelos. Ita Aquinas. Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum Angeli Dei &c. Et de quonam Angelorum inuenitur dixisse, Ego ero illi pater, & ille erit mihi filius? Et cum secundum manifestat aduentum suum primogeniti in orbe terrarum; iubet omnes Angelos eum adorare, omnes tam bonos quàm & malos agnoscere, & genu flectere, quia omnibus spiritibus excellentiâ præeminet ac potentia: Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos flammam ignis &c. Et de ipsis quidem Angelis diuina dicit scriptura, Qui spiritus ipsos mittit, & nuntios facit suos: & subtiliores substantias viuacioresque naturas destinat delegatque ad imperia miserationis aut indignationis exequenda. Non solos Angelos hoc sermone significat, ait Comment. Ambros. sed omnes virtutes ministeriis supernis fungentes. Qui ergo erant iam spiritus conditi à Creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quod iusserit. Habiles cursores, vehementesque.

Aquin. lect. 3.

Quāta Christi præ Angelis excellentia.

Comment. Ambrof.

Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis &c. De filio vero, ita pronuntiat diuina scriptura proclamatque: O Deus, qui es & Dei filius, potestas tua æterna, sicut & maiestas tua infinita: & sicut auctoritas interminabilis, sic & æquitas inuiolabilis. Diligis quod iustum est & præmio afficis, reiicis quod est iniquum, meritoque plectis

A supplicio: & ideo tantâ inter participes ac consortes à Deo tuo donatus gloriâ sublimatusque. Non enim parcè, vt loquitur Athanas. & ad mensuram aliquam præfinitum, sed effusè & abundè Christus vnctus est. Cuius spiritales omnes participes sunt, vt qui participatione hac sancti sint effecti. Beati, gloriosi. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient &c. Rursum sermo diuinus, Et tu Domine, inquit, primò omnium terram in

Athanas. in Paulum.

B fundamentum locasti, & firmamentum insuper præstanti virtute, ac sublimi potestate sociasti Ipsi etiam cœli immutandi sunt renouandique. Tu autem tam stabilis in æternum, quàm in totum immutabilis. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Denique, nulli Angelorum dixisse vnquam reperitur, sicut dixit Christo, Sede à dextris meis, donec hostes prostracti, & omnes inimici tui, rebel-

Christus non parcè sed effusè vnctus est.

C lesque tibi sint subditi. Ipse enim filius vnicus est: Angeli autem omnes ministri sunt, diuinæ voluntatis interpretes, & humanæ procuratores salutis. Quid miraris si filio ministerium exhibent Angeli, (ita apud Ambrosium) cum etiam nostræ salutis ministros eos constet effectos? Filius enim sicut Dominus saluat: isti verò sicut serui saluti prædestinatorum deseruiunt. Cuius rei pleni sunt veteris testamenti vel noui vbique libri.

Ambros. in Paulum.



D *ELVCIDATIONES*

in caput primum.



THEOLOGIA, sicut & philosophia Hebraica, vt scribit Clemens Alexandrinus: Tota est ænigmatica quæ per figuras incedat, præclaras, non tamen claras; doctis, sed obscuris sermonibus inuoluat sententias. Theologiam dico, sicut & philosophiam: ita namque Origenes apud Eusebium: Dicebat, hanc nostram veram esse philosophiam. Nostram, sanctam scilicet ac diuinam, seu Hebraicam seu Christia-

Clemens Alex. lib. 1. Stro.

Origen. apud Euseb. lib. 6. c. 15.

E nam: non Græcanicam, mundanam-ve seu externam. Idcircò igitur scribens Paulus populo Hebræorum, etsi stylum elegit Græcum, modum tamen suæ, seu philosophiæ seu theologiæ voluit esse Hebraicum; ex quo nunc tropologicus extunderetur sensus, nunc exprimeretur anagogicus. In singulis verbis, vt iam dixit Aquinas, singulæ latent sententiæ; sed quælibet, vt & ipse addidit, non solùm tenorem habent, sed & suum ordinem. Singula igitur pene verba discutienda sunt, sed & in tenorem ordinemq; id est, in illustrè quandã ac notabilem sententiam non digerenda tantùm, sed & congerenda. Sit ergo.

Eluci

ELVCIDATIO PRIMA.

De locutione Dei.

LOqui nihil aliud est quàm conceptum suum pandere, verbum internum notum reddere: sicque trifariam locutus est Deus: primò quidem ab æterno, cum Verbum protulit suum, seu filium genuit: secundò, ab initio rerũ seu exordio temporũ, cum notas fecit Angelis voluntates suas, ideoque & species ipsis innatas indidit. Nec de illa, nec de istâ sermo nunc est Apostolo: sed de tertiâ locutione, quâ Deus iudicia sua manifestat hominibus, quibus & abscondita à constitutione mundi reuelat mysteria. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Incarnato scilicet seu homine facto. Tria igitur facit Apostolus. Primò enim prophetiam diuidit per partes: secundò, distribuit per species: tertiò, totam ac puram in vnum Christum colligit. Præclariores veritates, sublimiora mysteria.

Quoad primum. Semel quidem locutus est Deus in se, seu quoad Verbum internum; sed pluries locutus est hominibus, seu quoad verbum externum. Vnde Dauid ex vno verbo, duo audiuit, quia ab æterno Verbo, multa verba, imò omnia Dei verba, seu arcana fidei sunt & in Angelos & in nos transfusa. Multifariam πολυμερῶς, per multas partes, per varias operationum reuelationumque diuisiones. Neque enim, quamuis eximius Propheta, audiuit omnia, sed tantùm duo. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui. (Psalm. 61.) Nec Daniel, quamuis vir desideriorum, accepit omnia: sed sermonem aut visionem. (Dan. cap. 9.) Vir desideriorum es: tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Per partes enim, per sermones singulares, seu speciales visiones prophetia diuisa est, & cuique prophetarum, iuxta meritum fidei, seu Dei beneplacitum distributa. (Iren. lib. 4. aduers. hæres. cap. 66.) Ita, vt obseruat Irenæus partim illum, partim per istum Christus prædictus est. Cum enim, inquit, & ipsi membra essent Christi, vnusquisque eorum secundùm quod erat membrum, secundùm hoc & prophetationem manifestabat, omnes & multi vnum præformantes, & ea quæ sunt vnius annuntiantes. Quomodo enim per nostra membra operatio quidem vniuersi corporis ostenditur, figura autem totius hominis per vnum membrum non ostenditur, sed per omnia: sic & Prophetæ omnes quidem vnum præfigurabant, vnusquisque autem eorum secundùm quod erat membrum, secundùm hoc & dispositionem adimplebat, & eam quæ secundùm illud membrum erat operationem Christi prophetabat. (Vni vati vnum, alteri alterum reuelatum est mysterium.) Quidam enim in gloriâ videntes eum, gloriosam eius apud Patrem à dextris conuersationem videbant, alij super nubes quemadmodum filium hominis venientem, & dicentes de eo, Videbunt in quem compunxerunt, aduentum eius significabant, de quo ipse ait, Putas, cum filius hominis venerit, inueniet fidem super terram? Quidnam autem hominem infirmum & ingloriosum, & scientem ferre infirmitatem, & sedentem super pullum asini, venturum Hierosolymam, & dorsum suum ponentem ad flagella, & maxillas suas ad palmas, & omnia talia: cum qui secundùm hominem est, aduentum eius, prophetabant Sicut enim diuersa membrorum operatio est, sed & multifaria vatum prædictio: sed sicut omnia membra corpus vnam compingunt, sic & Prophetæ omnes vnum præfati sunt Christum: & illi quidem aduentum primum vaticinati sunt, secundum isti: ille humiliationem, iste exaltationem: vnus passionem, alius resurrectionem: vni vnum, alteri alterum reuelatum est mysterium fidei. Cum enim Verbum Dei infinitum sit, ideoque vnicum, multis verbis exprimendum fuit: sed cum mysteria sint nonnunquam opposita, variis etiam personis decuit ea reuelari, & singula accommodari singulis, nec omnia in vnum coaceruari oportuit.

Quoad secundum, non solùm multifariam, sed & multis modis olim Deus locutus est. In quo iam non multiplices rerum partes prædictarum, sed multiformes prædictionum species. (Aquin. lect. 1.) Id autem, vt Aquinas docet, refertur ad tria diuersa genera visionum: scilicet ad visionem corporalem sicut Dan. 5. Apparuerunt digiti quasi manus scribentis in pariete. Aliquando aliquibus per visionem imaginariam: Esa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Aliquibus verò apparebat per visionem intellectualem: sicut Dauid Psalm. 118. Super senes intellexi. (Tria diuersa visionum sunt genera.) Vnde de istis dicitur Osee duodecimo, Ego visionem multiplicaui eis. Nec Moysem igitur excipit Apostolus, cui per corporalem visionem loquebatur Deus, quasi facie ad faciem, cum aliis obscuriùs reuelaretur & ignotiùs, siue per somnia, siue per ænigmata. Sed simul in vnum tria Paulus congerit. Primum, olim. Alterum, Patribus, Tertium, In Prophetis. Per primum, designauit totum tempus præteritum. Tantæ enim erant futurorum bonorum promissiones, tantæ mysteriorum prædictiones, vt vix totum illud tempus sufficiens fuerit, nec minùs varias temporum circumstantias, quàm diuersas prophetantium, & ad rem exponendam & ad faciendam fidem exegerit. Per secundum, munus eximium demonstrauit, quod tam speciale, quàm commune, vtpote tam nobis quàm & illis familiare: à patribus hæreditario iure in filios transfusum, à prioribus in posteros deriuatum. Non enim taliter fecit omni nationi, nec illis sua familiariter manifestauit iudicia. Per vltimum, opus declarauit propheticum: non enim per quasuis personas, sed per Prophetas, viros Deo plenos, præcellentes fidei Ministros, fideles Christi prænuntios; qui nunc per rerum parabolas, nunc per corporalium figuras fidem munirent, sermonemque facerent credibilem. (Ambrof. in Paulum.) Tota enim intentio beati Pauli Apostoli fuit in hac epistolâ, vt admonet Ambrosius, Hebræos, id est gentem suam, ad Christi conuocare fidem, eminentiamque gratiæ, quæ per filium data est à legalibus vmbris discernere. Idcirco primò posuit Prophetas diuersis modis patribus locutos esse, dicens, Multifariam multisque modis olim Deus locutus est in Prophetis: significans quod alibi dictum est, In manibus Prophetarum adsimulatus sum.

Quoad

Quoad tertium, ille qui Patriarchis tamdiu locutus est verbis ac figuris propheticis, tandem, aperte & clarè nobis locutus est in filio suo seu per filium suum: Christum scilicet: sed mentem priùs occupat, vt & nomen & functionem aperiat. Quid magnum est, ait apud Chrysostomum, quòd Prophetas misit ad patres nostros? Ad nos enim misit filium suum vnigenitum. Pulchrè igitur sic incepit, Multifariam multisque modis: hoc est, diuersè & variè. Quamobrem non in hoc solùm est exuperatio, quod ad illos quidem missi sunt Prophetæ, ad nos autem filius: sed etiam quòd illorum nullus vidit Deum, vidit autem filius vnigenitus. Pulchrè autem dicit, In nouissimis diebus. Nam hoc quoque ipsos excitat, & consolatur iam deffessos. Vide autem quàm prudenter hoc dixerit. Non enim dixit, Deus locutus est, quamquam ipse erat qui fuit locutus. Sed quoniam imbecilli erant eorum animi, nec quę de Christo dicenda erant adhuc audire poterant, dicit, per ipsum locutus est. Diuersa diuersis Prophetis collata sunt charismata, summa verò in filium vnicum collecta: per varias illi formas prophetarunt, quia Deum ipsum non viderunt; filius qui exiuit à Patre, nihil non hausit ex fonte: idcircò tam simpliciter edocet omnia, quàm vniformiter videt diuina mysteria. Denique polliciti sunt illi salutem felicitatemque: filius qui non solùm mediator, sed & saluificator illam affert, & illam omnibus offert hominibus. Describit igitur doctrinam Noui Testamenti: (ita Aquinas) nam quod dixerat, Multifariè multisq; modis, ostendit quia omnis multitudo ordinata ad vnum debet referri. Ideò dicit quòd licet sit modus multiplex, tamen totum ordinatum est ad istud nouissimum. In diebus istis, id est, in tempore gratiæ? Vbi notandum est, quod ibi dicit loquens, hìc autem dicit locutus est, vt designet locutionem Noui Testamenti perfectiorem illâ, quæ fuit in veteri. Tantum quippe interest inter antiquum ac nouum, quantum inter seruum, Dei ac Domini nuntium; & filium vnigenitum, omnium consiliorum paternorum conscium.

Chrysost. orat. 1.

Summa charismatum in vnum collecta.

Christus omnibus offert salutẽ.

Augustin. lect. 1.

ELVCIDATIO II.

De hæreditate filij.

QVantus ille, Quem constituit Deus hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula? Licet enim Deus, tamen de Deo, & ab innato exortus principio. Sed tria sunt elucidanda.

Primum est, filium à Patre & per Patrem, hæredem esse constitutum. Si constitutus à Patre, non aditur hæreditas ista per successionem, sed per possessionem, sed à Patre acceptam, iure præsumptam; cum Christus etiam in assumptâ naturâ filius sit naturalis; si filius, & hæres indissimulabilis; sed instituendus à Patre cuius res est quoad auctoritatem seu principalem potestatem. Ita in Psalmo secundo. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. En quoad naturam diuinam, in quâ, natus est filius. Quanquam enim, vt dixit Augustinus,

Augustin. Enarrat. in Psalm. 2. cit. med.

A possit ille dies in prophetiâ dictus videri, quo Iesus Christus secundum hominem natus est: tamen hodie quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit; sed præsens tantùm, quia quicquid æternum est, semper est: diuinitùs accipitur secundùm id dictum, Ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est vnigenitus filius, fides sincerissima & catholica prædicat. Tum quoad humanam naturam: Postula, à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

B Hoc enim iam ait ille, temporaliter secundùm susceptum hominem: vt ad totam ipsam dispensationem temporalem, quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictum est, Postulà à me, vt scilicet gentes possideantur à Deo. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, quas possideas ad earum salutem. Sicut ergo per gentes intelligit terminos terræ; sic & per hæreditatem, possessionem concipit: est enim repetitio, in scripturis, maximè in Psalmis frequentissima; & ad imprimendum infigendumque vtilissima. Non igitur aliud est hæreditas, quàm potestas, quàm possessio, quàm dominatio, sed à Patre data, seu ab origine deriuata. Hæredis enim vtitur nomine, vt duo quędam per hoc adstruat & ostendat: (ita Ambrosius) & quòd proprius sit filius, & quòd dominationis ibi nulla contingat amissio. Tria ergo ad istam hæreditatem, seu concessam potestatem sunt necessaria. Primum, vt sit à Patre in filium: alterum, vt dominationis sit ac potestatis: tertium, vt liberalitas sit à Patre, dignitas sit penes filium. Nam secundum diuinitatem, sic natus est, non factus: secundùm humanitatem verò, institutus quidem constitutus-ve, sed merito natiuitatis, dignitatisque suffragio.

Aquin. in med.

C

Ambros. in Paulum.

Tria sunt ad hæreditatem Christi necessaria.

Secundum est, filium esse hæredem vniuersorum. Hæredem autem vniuersorum, vti dixit Chrysostomus, hoc est totius mundi vniuersale accepit dominium in omnes creaturas, imperium generale in omnes personas. Nam, vt ostendit Aquinas: Secundùm naturam humanam competit etiam Christo, quòd sit constitutus hæres, & dominus vniuersorum. Primò quidem ratione vnionis, ex hoc scilicet ipso, quòd assumptus est homo ille in personâ Filij Dei Act. 3. Hunc Deus, Dominum Saluatorem constituit. Secundò, ratione potestatis, quia omnia obediunt ei, & seruiunt. Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Tertiò, ratione subiectionis. Philipp. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur. Dicit ergo, Vniuersorum, quod refertur ad totius naturæ vniuersitatem, in quam accepit dominium, secundum illud Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Refertur etiam ad omne genus hominum: vt sit sensus, Vniuersorum, id est, tam Iudæorum, quàm etiam omnium aliorum hominum. Imperium illud latissimum est, dominium, amplissimum. Quamquam enim nondum hostes in ordinem redegerit, nondum ad deditionem rebelles compulerit, adest tamen auctoritas quâ valeat, nec potestas deest quâ præualeat. Dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt scilicet, ait ille, ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant sicut Deo: & hoc

Chrysost. orat. 1.

D

Aquin. lect. 1.

E

Quam latũ sit Christi dominiũ.

Aquin. 3. p. q. 49. art 6. in fin. cap.

hoc est quod subditur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Seruata quidem iudiciaria potestas, quà palàm in omnes non solùm bonos, sed & malos supremum exercet imperium, quà cœlum ac terram subiget, & extrema cuique pro meritis aut prœmia distribuet aut supplicia. Sed interim delibata est auctoritas regia, non solùm vitæ legem ponens, sed & naturæ mutans ordinem. Ventis imperat & mari, & obediunt ei, panes multiplicat, pisces conuocat, & occurrunt simul; coagmentati illi, isti conglobati. Mortuos suscitat, sentiunt imperantem etiam omnes creaturæ insensibiles & irrationales; quomodo non sentient & obedient quæ sensus capaces sunt & motus? Ita cœci vident, surdi audiunt, claudi ambulant: dæmones expellit, nubes discutit, solem obscurat, cælum reserat, vbique & in omnes summum demonstrat imperium: hic est enim qui non solùm constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, sed & vniuersorum hæres & Dominus.

Quoad tertium, facta per eum esse secula: quomodo enim non essent omnia ei subiecta, cum secula sint per eum condita? Hæredem omnium dicit, idest (vt & Ambrosius exponit) mundi totius: deinde ad altiora sermonem conuertit dicens, per quem fecit & secula. Et ostenderet eundem nouissimis diebus venisse in mundum, per quem fecit & mundum: magnitudinem eius ostendens qui fuit, noui testamenti lator & auctor. Tuus quidem vnus est, qui vtrumque condidit testamentum: Sed vnum per seruum, alterum per filium. Nouissimè nobis locutus est in filio, per quem fecit & secula. Illum tandem misit in mundum, per quem fecit mundum. Sed in tribus verbis, tres latent difficultates enodandæ & elucidandæ. Prima est, per quem communis quidem operatio patris & filij, imò vna est virtus tam indiuisa, quàm & indiuisibilis: quomodo ergo pater facit per filium cum vnus sit creator; sicut & vnus est Deus omnium conditor? Si enim per filium facit pater quia communis est virtus, quidni per patrem filius facit, quia virtus communis? Imò si communitas indicatur, cur dicatur per quem. Et non potius. [Cum quo]: Nisi quia proprietas connotatur? Altera, [Fecit.] Nam facere, rudimentum duntaxat; sicut & perficere complementum significat. Quòd enim minùs factum est, ait Tert. imperfectum est. Aliud quippe quod factum aliud quod perfectum est. Tertia denique, Et secula. Quid enim secula, nisi tempora? Quid verò tempora, nisi fluxa & caduca entia, si tamen entia? Quid ergo mirum, Deum fecisse & secula per filium, si per illum fecit omnia? Audi Tertullianum. Prædicarunt Prophetæ Deum vnicum esse, qui vniuersa condiderit, qui seculum certis temporum dispositionibus & exitibus ordinauerit. Quasi dicat: eà virtute, & eà potestate quà cuncta creat, etiam administrat & gubernat. Vices enim dominationum, vt & ille ait, ipsis temporibus in seculo ordinauit, qui ante omne tempus fuit, & seculum corpus temporum fecit. Ille ergo qui aptat secula, qui in perpetuis rerum vicissitudinibus, continuis temporum rerum reuolutionibus, imperia dispensat, ordinat omnia. Sicut ergo Pater per filium suum velut per ideam suam omnia creat, sic & per illum tanquam per sapientiam suam gubernat omnia: facit, dum disponit, regit, digerit. Omne, ait Augustinus, per illud Verbum regitur, quod per illud creatum est. Attende fabricam istam mundi: vide quæ facta sunt per Verbum, & tunc cognosces quale sit Verbum. Dixit Deus, Fiat, & factum est. Si dixit, quis dixit? Vtique Deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam quid est per quod factum est, nisi Verbum? Hoc Verbum incommutabile, quamuis mutabilia per Verbum fiant, ipsum incommutabile est.

Ambros. in Paulum.

Tertullian. lib. aduers. Hermog. c. 18.

Tertullian. c. 18. Apol.

Tertullian. cap 26.

Sicut patet creat per filium, sic & per ipsum gubernat.

Augustin. Tract. 1. in Ioan. circa med.

ELVCIDATIO III.

De splendore diuinitatis.

DVcit nos in altum Apostolus, sed si altiùs insonuerit, totus mundus capere non poterit. Qualis namque tanti patris ille filius: Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Sublimitatem vides & celsitudinem. Sed & hoc spectes quod proponit Aquin. & exponit. Tria sunt, inquit, quæ faciunt hominem idoneum, vt magnam dignitatem assequatur. Primum est, sapientiæ claritas: & ideo ostendit Paulus Christi sapientiam, dicens; Qui cum sit splendor gloriæ. Secundum, est generis nobilitas: & hoc ostendit esse in Christo, quia dicit quod est figura substantiæ eius. Decet enim cum sapientiâ esse nobilitatem in principe. Deuteronom. 1. Tulique de tribus vestris, sapientes, & nobiles, & constitui eos principes. Tertium est virtus & potestas: & ideò ostendit virtutem, cum dicit, portansque omnia verbo virtutis suæ. Proprium enim, principum, & potentum est portare. Iob. 9. Sub quo curuantur, qui portant orbem.

Quoad primum. Christus splendor paternæ gloriæ, candor æternæ lucis, seu diuinæ claritatis. Deus enim est, sed de Deo; lumen est, sed de lumine: totam possidet plenitudinem dignitatis, sed à patre habet, tanquam riuus à fonte, tanquam radius à Sole: si enim patrem habet, habet & originem. Hunc, ait Tertullianus, ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcircò filium Dei, & Deum dictum ex vnitate substantiæ. Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summâ; sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, modulo alternum numerum, gradu non statu fecit; & à matrice non recessit, sed excessit. Sic origini deferendum est, vt nihil detrahatur æqualitati; sic æqualitati cedendum est, vt deferatur origini. Genuit Pater æqualem sibi; ait Augustinus, & totum quicquid est filius, quod habet filius, de patre est; quod autem Deus pater est, non habet de filio. Itaque dicimus patrem,

Aquin. lect. 1.

Tria ad dignitatem capessendam requisita.

Tertullian. cap. 21. Apolog.

Augustin. serm. 16. ex nouis post init.

trem Deum de nullo, filium Deum de Deo. A Propterea omne quod facit filius mirabiliter, omne quod dicit veraciter, ei tribuit, de quo est; nec potest esse aliud, quàm ille de quo est. Vnigenitus siquidem Dei filius, minui non potest, non esse patri æqualis non potest. Si enim ille, qui omnia dedit filio nascenti, non indigenti: sine dubio & ipsam æqualitatem cum patre pater dedit filio; & æqualitatem dando, æqualem genuit. Origo apud illum, æqualitas apud istum: nam si æqualis non est, verus filius non est. Quod ergo Paulus Christum splendorem esse gloriæ, seu deriuationem deradiationem-ve à sole, nihil de dignitate minuit aut æqualitate. In splendore lucis, ait ille, nolite esse cæci. Candor de luce gignitur, & tamen gignenti coæternus est. Candor semper, lux semper. Lux genuit candorem suum, sed nunquid fuit sine candore suo? Generare ergo sempiternum liceat Deo. Generat ignis splendorem, sed nunquam sine splendore. Cum ergo videas splendorem, igni esse coæuum, permitte Deum generare coæternum. De quo enim loquimur? Audite, aduertite, credite, intelligite. De Deo loquimur. Filium patri coæternum fatemur & credimus. Qui intelligit, gaudeat; qui autem non intelligit, credat: quoniam verbum Prophetæ euacuari non potest, Nisi credideritis, non intelligetis. Apposita sanè splendoris seu candoris comparatio, quia sicut fulgor ab igne patre, seu splendor à sole gignente non solùm sine mutatione exit, non solùm sine minutione, sed & cum illustratione; sic & filius à patre procedit, vt suum manifestet declaretque principium. Procedit enim à mente paternâ, ab æternâ claritate, vtpote genita sapientia: sicut enim radius de sole, conceptus de mente, sic & de patre filius, claritatis, sicut & veritatis plenissimus.

Defendendum origini & nihil æqualitati detrahendum.

Augustin. serm 13. ex nou. sub. fin.

Quoad secundum. Non solùm splendor est gloriæ, sed & figura paternæ substantiæ. Inter accidentia quippe, vt obseruat Aquinas, nihil ita est expressum signum, sicut speciei est figura. Vnde, qui describit figuram animalis, describit imaginem eius. Filius ergo qui est imago inuisibilis Dei, propriè dicitur figura. Sed cuius? Substantiæ eius, quia secundùm Augustinum, filius dicitur imago patris, quia est eiusdem naturæ cum ipso. Quia verò vna & eadem est numero natura in patre, & Filio Dei, ideò non dicit naturæ, quæ diuiditur, sed substantiæ indiuisibilis. Figura est, quia expressa de Patre, sed sic expressa, vt totam in se patris seipsum exprimentis, & ita filium gignentis substantiam contineat, totam impleat essentiam. Ita pater generat quidem filium de se vt alium se, filius verò patrem repræsentat, vt à quo originem trahit, & æqualitatem accipit. Porrò, ait Tertullianus, dicendo, Non creditis quia ego in patre, & pater in me: propterea potius exaggerauit, ne, quia dixerat, Qui me videt, & patrem videt, pater existimaretur, quod nunquam existimari se voluit, qui semper se filium, & à patre venisse profitebatur. Igitur & manifestam fecit duarum personarum coniunctio-

Aquin. lect. 2.

Tertullian. lib. aduers. Prax. c. 24.

Imago simul stare potest cum veritate.

nem, ne pater seorsum quasi visibilis in conspectu desideraretur, & vt filius repræsentator patris haberetur. Repræsentatio est, sed viua: imago est, sed expressa, perfecta, absoluta; vt & figura sit, & tota nihilominus insit substantia. Quasi, ait ille, non & figura, & similitudo, & effigies substantiæ quoque accedant. Benè autem quòd & alibi Christum, imaginem Dei inuisibilis appellat Apostolus. Amputandum est enim quicquid infirmitatem importat, & id solum est seruandum quod sonat maiestatem. Papè, exclamat Apostolus, quanta est Apostolica sapientia! imò verò non Pauli, sed spiritûs est admiranda gratia. In superiori gradu filium constituit, dicens, Per quem fecit & secula. Deinde in altiori, & post quem non est alius. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius: reuera duxit ad lucem inaccessibilem. Non plus vltra: dum enim caracterem expressit, viuam quidem ostendit imaginem patris, plenamque repræsentationem; sed originem reliquit intactam, claritatem solis non attigit: caligantibus enim oculis, & tenebris grauibus circumfusis; non conceditur vltra procedere; satis est, si per splendorem æternum, solem ipsum inaccessum non tam aspicere permittitur, quàm suspicere.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap.

Chrysost. orat. 1.

B

C

Quoad tertium. Portat omnia verbo virtutis suæ. Quis portat? filius. Quid portat? omnia. Quo portat? Verbo virtutis suæ. Tria hæc sunt spectanda. Christus Dei virtus est, & Dei sapientia. In quantum Dei virtus est, omnia per ipsum facta sunt: in quantum est sapientia Dei, per ipsum sunt disposita. Sed quod fecit creando, facit & conseruando: per virtutem enim portat, per sapientiam gubernat, ordinat. Quid? quicquid creatum est: ideoque, sicut sine ipso factum est nihil, sic & sine ipso, nihil est sustentatum. Portat omnia. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd id, quòd de se nec stare, nec ambulare potest, indiget portari. Omnis autem creatura de se, nec subsistere, nec operari potest. Primum patet, quia remotâ causâ, remouetur effectus: Deus autem est causa omnis substantiæ, quia non minùs est causa substantiæ rei quantum ad fieri, quàm domificator est causa fieri domûs; inde sicut ad absentiam domificatoris cessat fieri domus, & ad absentiam solis cessat fieri & esse luminis in aëre: ita ad substractionem virtutis diuinæ, cessat & esse & fieri & subsistere omnis creaturæ. Portat ergo omnia quantum ad suum esse. Portat etiam omnia quantum ad operari, quia subtractâ influentia eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cum ipse sit causa prima; & causa prima plus influit, quàm secunda. Sic ergo patet quod omnia portat. Certè, si causa prima est, priùs influit: & si quicquid est, à primâ causâ est, nihil omnino est, nisi quod ab ipsâ, sed per causas effluit subordinatas. Sed quo, seu per quid portat? Verbo virtutis suæ, id est, imperio suo efficacissimo. Sicut enim pater per filium fecit & secula, sic omnia per ipsum regit, continet, sustinet vt & virtute suâ, licet à patre acceptâ, omnia

Aquin. lect. 2.

D

E

Nulla causa non est causæ primæ substrata.

omnia etiam portet ac sustentet: & cum eadem sit potentia, sicut & eadem vtriusque substantia; tanta portantis efficacitas est, quanta est potestas imperantis. Ex quo intelligimus, vt loquitur Hieronymus, quòd omnes creaturæ sentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, sentiunt imperantem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris, quę apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. Sentiunt imperium, & ad nutum obediunt: sicut enim nullam non mouet causam, sic & nullam non continet cohibetque; sed sicut mouet, agendo; sic & cohibet, absistendo: tanta est enim causarum omnium indigentia, vt nisi verbo virtutis diuinæ portentur, nisi supremæ potestatis sustententur iuuenturque auxilio, otiosæ remaneant & nullæ, cum de se nihil valeant.

Hieronym. in cap. 8. Matth.

Hic ergo talis ac tantus naturalis Dei filius, non sedit ad dexteram maiestatis in excelsis, nisi postquam nostrorum purgationem fecit peccatorum, postquam abolitionem delictorum omnium promeruit. Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Seu, vt habet textus Chrysostomi, simul & commentarius. Cum per seipsum fecisset purgationem peccatorum nostrorum, sedit ad dexteram maiestatis. Non dixit absolutè, sedit; sed, post purgationem, sedit. Sic propè habent Græca, sublimiaque miscent & humilia. Priùs humiliatus est vsque ad mortem, mortem autem crucis, sed tantùm sublimatus, quantum humiliatus: qui probrosum supplicium subiit, æternum adiit imperium; qui ignominiam pertulit passionis in terris, sedit ad dexteram maiestatis in cœlis: vnitam enim sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ diuinæ dexterâ collocauit, seu in assumptâ naturâ non solùm felicitatis permanentiam, sed præcipuam dignitatis ac sublimitatis accepit à Deo prærogatiuam, sedem occupauit principalem: proximus sedit à patre, qui in honore fuit positus. Per dexteram, ait Ambrosius, non Deum corporaliter deformauit, sed magnitudinem demonstrauit honoris. Dum autem dixit, In excelsis, ostendit eum omnibus altiorem & supereminentem esse, qui etiam vsque ad ipsum peruenit solium paternæ claritatis: Sicut enim pater in excelsis est, sic & filius. Consessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem. Summam nimirum dignitatem, supremam in omnem creaturam potestatem, sed Christo homini, seu filio vsque ad mortem & crucem obediente iure à patre concessam. In verbo enim sessionis, vt obseruat Aquinas, tria solent importari. Vnum est, sedentis auctoritas. Secundum, est sedentis stabilitas. Tertium, sedentis maiestas. Sedet ad dexteram maiestatis. Maiestas propriè est summa potestas. Habet & ipse Christus maiestatem, qui habet eandem cum patre. Dicit autem non solum maiestatis, sed etiam in excelsis, id est super omnem creaturam. Sic ergo sedet in excelsis, quia eleuatus est super omnem creaturam.

Chrysost. orat. 1.

Ambros. in Paulum.

Sedere ad dexteram est gloriam recipere præcipuam.

Aquin. lect. 2.

ELVCIDATIO IV.

De prælatione magnitudinis.

SEdet Christus in excelsis, qui in cœlis residet: sed & Angeli in cœlis resident, videntque faciem Patris, maiestatisque claritudinem. Inde ergo Paulus stylum acuit, ostenditq; Christum, non solùm in excelsis seu in cœlestibus residere, sed & ipsis Angelis præsidere, cœlestium licet sedium accolis. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentiùs præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit Aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei, sed ne confertim aggesta, malè digerantur, paulatim ingerenda, vt clarè capiantur, declarentur, elucidentur omnia. Sit ergo.

PVNCTVM I.

Quomodo filius melior sit effectus.

NVllus dubitat quòd sit melior, seu potior ac præstantior, sed forsan excogitat quomodo sit effectus, cum vnigenitus non sit factus. Tria igitur sunt adnotanda.

Primum est, non esse terminis scrupulosiùs inhærendum, cum nullum sit prorsus verbum, quod generationem illam enarret, appertamque explicet distinctionem. Ideoque è singulis delibandum quicquid elucet perfectionis, quidquid verò latet imperfectionis resecandum. Profertur, ait Hilarius, aduersùm nos sapientiæ de se protestatio, quæ creatam se docuerit, his dictis: Dominus creauit me initium viarum suarum. At verò ne hoc viarum initium, quod vtique de diuinis rebus humanæ cognitionis exordium est, quisquam ad subiiciendam tempori natiuitatem infinitam deputaret: fundatam se ante secula est professa. Iam verò ne creatio & fundatio fidem diuinæ natiuitatis offenderet, sequitur: Prius quàm terram faceret, prius quam montes stabiliret ante omnes colles genuit me. Et in his quidem quia de se sapientiâ loquitur, plus loquitur, quàm auditur. Et ideircò nunc sapientia natam se ante secula docens, anteriorem se non solum his quæ creata sunt, docet, sed æternis coæternam, præparationi scilicet cœli, & discretioni sedis Dei. Sed creationis nomen nos & professio mouet. Moueat sanè nomen creationis: si non natiuitas ante secula, & creatio in initium viarum Dei & in opera prædicatur. Tria sunt hæc, generare, fundare, creare: generare quidem, importat communicationem eiusdem naturæ, sed reformidat separationem substantiæ. Creare, non metuit detrimentum agentis, sed actionis æternitaté non exprimit. Fundare, dicit principiū, sed nouitaté non

Hilarius lib. 12. de Trinit. in med.

Multis nominibus generatio diuina dicitur, nec satis exprimitur.

non excludit. Sed & illud genitum dicimus, quod factum est; & factum seu conditum quod est genitum. Habes Sophiam, ait Tertullianus, Prior autem abysso genita sum, dicentem: vt credas abyssum quoque genitam, id est factam, quia & filios facimus, licet generemus. Quibus vides etiam ea quæ genita sunt effici, & quæ facta sunt nasci. Nihil enim interest, ait ille, facta an nata sit abyssus, dum initium detur illi. Ita Ioannes Baptista, nel semel [: Antè me factus est.] Quod apertè de æternâ generatione intelligendum relinquit, addit enim: Quia prior me erat. Quod de humanâ natiuitate non est verum. In eo igitur dici potest factus, aut conditus, quo genitus, quo ab alio est, tanquam à principio; à quo verè productus, editusque. Dominus, inquit, condidit me. Agnoscat Hermogenes, ait Tertullianus, idcircò etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit: Saphia scilicet ipsius exinde nata & condita: multo magis non capit sine initio quicquam fuisse, quod extra Dominum fuerit. Sed sicut melius dicimus principium, quàm initium; ita tutius genitum dicimus, quam conditum: imò, si quod periculum erroris est, aut hæresis præiudicium; negandum est factum esse, vel creatum; ne factura credatur, vel dicatur creatura.

Tertulliani lib. aduers. Hermog. cap. 32.

Ioan. cap. 1.

Tertullian. lib. aduers. Hermon. cap. 18.

Psalm. 60.

Secundum est, Paulum non dicere, filium effectum, sed tanto meliorem Angelis effectum, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ita quando dicit Dauid Deo: Factus es spes mea. Non intelligit Deum esse factum: sed quod ait alibi: Et factus est mihi in salutem. Ita dicitur Deus factus populo propitius, id est, gratiam fecisse, impendisse misericordiam. Ita cum dicimus aliquem factum esse regem, creatum imperatorem, non intelligimus tunc effectum, sed elatum in honoris sedem, & per electionem cæteris prælatum. Sic & cum Ioannes ait, Antè me factus est. De neutrâ generatione dicit, sed de iustâ prælatione. Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venit, antè me factus est. Post me venit, & præcessit me. Quid est, ait Augustinus, Antè me factus est? Præcessit me. Non factus est antequam factus essem ego, sed antepositus est mihi: hoc est, antè me factus est. Quare antè te factus est, cum post te venerit? Quia prior me erat. Prior te, ô Ioannes? Audiamus ipsum dicentem, Et ante Abraham ego sum. Sed & Abraham in medio genere humano ortus est: multi antè illum, multi post illum. Audi vocem patris ad filium, Ante luciferum genui te. Ante me igitur factus est, id est mihi præpositus, mihi Prælatus. Cur ita? quia non factus, quia æternus, quia Deus. Sic ergo Paulus: Tanto melior Angelis effectus. Seu, vt ex Græcis: Tanto præstantior factus Angelis. Ideoque non quæritur quis effectus sit, sed quis Prælatus; quis potior, quis dignior; diciturque Christus melior Angelis effectus, quia ipsis Prælatus, non solum vulgaribus, sed &

Augustin. Tract. 4. in Ioan. cit. med.

Christus antè Ioannem factus, quia illi præpositus.

A sublimioribus præpositus creaturis. Sicut ergo Ioannes dicit, Qui post me venit, ante me factus est, hoc est, honoratior & melioris existimationis, (verba Chrysostomi) ita hîc quoque.

Chrysost. orat. 1.

Tertium, Apostolum reuera non loqui de Verbo increato, quod reuera genitum est, non factum: sed de incarnato, seu de Verbo, quod caro factum est. Prius enim dixit. Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Quod manifestè de Christo homine intelligendum est, facto ex muliere, facto sub lege. Tum subiungit: Tanto melior Angelis effectus. Quod B de Verbo capiendum est homine facto. Beatam quippe illam, vt loquitur. Hilarius, & veram conceptæ intra Virginem carnis natiuitatem, quâ tum creaturæ nostræ & natura & species nascebatur: creaturam & facturam Apostolus nominauit. Et certè cum eo verè secundùm hominem natiuitatis hoc nomen est, cum ait: At vbi venit adimpletio temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege sunt, redimeret, vt adoptionem filiorum consequeremur. Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura. Neque factura tantùm sed etiam creatura, vt dicitur: C Sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundùm priorem conuersationem veterem hominem, eum qui corrumpitur secundùm concupiscentias deceptionis. Iunouamini autem spiritu sensus vestri, & induite nouum hominem, eum qui secundum Deum creatus est. Induendus itaque nouus ille homo est, qui secundùm Deum creatus est. Qui enim erat Filius Dei, natus erat & filius hominis: quia non diuinitatis erat natiuitas, sed creatura carnis significationem sui generis accepit, nouus homo secundùm natum antè secula Deum, creatus. Hunc ergo qui secundùm Deum nouus homo creatur, induimur. D Secundùm Deum autem creatur, quia secundùm Dei iustitiam, & sanctificationem, & veritatem homo peccati nescius est creatus. Sine vllo igitur scrupulo, dici potest Christus secundùm naturam assumptam factus & creatus, sed potest argumento contradici. Sicut enim Christus secundum diuinitatem multo imò in infinitum Angelis præstantior est, sic & secundùm humanitatem paulo seu modicum quid ipsis est inferior: quomodo ergo in humana naturâ melior effectus est seu potior? Responderi posset, non spectari naturam, sed gratiam. Verùm, (vt obseruat E Aquinas.) Hic non est intellectus. Apostolus enim non intelligit, quòd melior fuerit quantum ad gratiam: sed propter vnionem humanæ naturæ ad diuinam: & sic dicitur factus, inquantum per illius vnionis factionem peruenit ad hoc, quòd esset melior Angelis, & diceretur & esse Filius Dei. Et ideo subdit, Quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.

Hilarius lib. 12. de Trinit. vers. fin.

Christus in assumptâ naturâ factus & creatus.

Aquin. lect. 3.

PVNC

PVNCTVM. II.

Quodnam illud nomen differentius?

APerit statim Apostolus, nec animos relinquit suspensos. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu? Tanta igitur inter Christum & Angelum, quanta inter filium & seruum differentia. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Sed in singulis verbis singulæ latent differentiæ.

Prima est ex filio & Angelo: ille enim præditus imperio, iste addictus obsequio. Sciendum est enim (ex Ambrosio) quòd Angelus, nomen est officij, non naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper Angeli vocari possunt. Quæris huius naturæ nomen. Spiritus est. Quæris officij? Angelus. Ex eo quod est, est Spiritus: ex eo quod agit, Angelus; quia Angelus Græcè, nuntius Latinè dicitur. Sicut homo, nomen naturæ; miles verò, nomen officij: sic qui erant iam spiritus conditi à creatore Deo facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quòd iusserit. Filius imperat, ministrat Angelus: ille iubet, paret iste: ille vnus cum Deo patre Deus, iste & à patre & filio creatus; tantumque differt inter filium & Angelum, quantum differt inter creatorem & creaturam: vnde patet infinitam esse distantiam, vel certè in infinitum protendendam. Ita Hilarius aduersùs Arianos. Volunt, inquit, suum Christum non eiusdem diuinitatis esse, cuius & pater est: sed esse eum præstantem cæteris aliis creaturis creaturam, eumque per voluntatem Dei ex nihilo substitisse; & cum antè omnia quidem secula, & ante omne omninò tempus natum ex Deo Deum esse: sed non ex substantiâ Dei esse. Quæ si in filio non eadem est ipsa illa quæ Dei est, vt in confessione fidei Deus vnus sit: cur Deum filium, cur ante tempora & secula confitentur: nisi quia Dei nomen sancto cuique per indulgentiam est destinatum, & regenerati omnes verè Dei filij sunt, & Angeli omnes per Christum vtique conditi? Tribuunt Christo Dei nomen, quia hoc hominibus sit tributum. Fatentur Dei verè filium, quia Sacramento Baptismi verè Dei filius vnusquisque perficitur. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt vel Angelorum propria, vel nostra: Angeli enim non ante omnia omninò secula sunt creati? Cæterùm quod Deo Christo legitimum & verum est, Christus Deus verus, id est, eadem esse filij quæ patris diuinitas, denegatur. Quod tamen denegandum non est, sed affirmandum, Christum tam verum esse Deum, quàm vnicum Dei veri filium. Christo, nomen est, Filius Dei: Angelo, nuntius Dei: quanto nomen differentius, quanto distantius?

Ambros. in Paulum.

Hilarius lib. cont. Auxét. circ. med.

Christus Dei filius, Angelus Dei est nuntius.

Secunda differentia est ex modo. Quòd si enim, vt notat Aquinas, Angeli dicuntur filij Dei, hoc non est essentialiter, & per naturam, sed per quandam participationem. Ipse autem Christus est essentialiter filius Dei, & ideò habet nomen differentius præ illis, quia differunt quantum ad modum. Equidem negari non potest, Angelos in scripturis sanctis aliquando nominari Dei filios. Quadam autem die, cum venissent filij Dei, vt assisterent coràm Domino. Qui autem filij Dei, ait Gregorius, nisi electi Angeli vocantur: de quibus propheta ait: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Ita Deus ad Iob. Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Quia enim, ait ille, prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immeritò astra matutina Angeli vocantur. Nec negligenter audiendum est quod additur, Simul: quia nimirum astra matutina etiam cum vespertinis redemptoris potentiam laudant, dum electi Angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificant. Certum ergo Angelos nonnunquam dici filios Dei: sed in communi, non illa singulari excellentiâ: obuium etiam est nos vocari Dei filios, sed acceptione generali, seu adoptione cœlesti: gratiâ scilicet, non naturâ. Ita Dauid: Quis similis Domino in filiis Dei? Ergo, inquit Augustinus, nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse dictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei. Sed quis erit similis Domino in filiis Dei? Ille vnicus, nos multi. Ille vnus, nos in illo vnum. Ille natus, nos adoptati: ille ab æterno filius vnigenitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam: ille sine vllo peccato, nos per illum liberati à peccato. Nec negat Paulus alios esse Dei filios, imò palam insinuat, ne dicam & affirmat, dum primogenitum cum aliis comparat. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ergo sunt & alij filij Dei: sed sicut Christus vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis; sic & dictus est filius Dei præ cæteris participibus suis: ille quippe singulariter, quia per singularem præstantiam; nos communiter, quia per communem indulgentiam: ille per æternam generationem, nos per gratuitam adoptionem, & quandam participationem.

Aquin. lect. 3.

Gregorius lib. 2. Moral. c. 2.

Greg. lib. 28. cap 7.

Augustin. con. 1. in Psal. 88. cit. med.

Christus præ cæteris dictus est Dei filius.

Tertia differentia ex titulo. Dicit enim Paulus, ait Aquinas, quòd illud nomen Christus hæreditauit. Hæreditas enim consequitur originem. Vnde Christus quòd filius sit, habet ex origine. Matth. 21. Hic est hæres. Vnde ipse nomen hæreditauit, non autem Angeli: & hæc est tertia differentia. Multi sunt filij, sed non geniti: idcircò naturâ serui, gratiâ filij. Itaque sicut Isaac filio Abrahæ data est hæreditas, cæteris autem filiis distributa sunt munera: sic & Christo summitas magnitudinis collata est, aliis autem varia seruata sunt charismata: ille Dominus omnium, quia hæres vniuersorum. Qui dominabitur in potentiâ suâ in æternum. Non ambigimus, ait Hilarius, quis iste erit, si dicti huius Euangelici recordemur: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Et Apostoli dicentis: propter quod exaltauit eum Deus, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Et hæc non de diuinitatis suæ dicta sunt potestate. Illa enim vt semper est dominans, ita & dominabitur semper: sed in æternam gloriam eius assumptæ ex Virgine carnis natura transfertur. Vt in

Aquin. lect. 3.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 65. circa med.

nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloriâ est Dei patris. Iesus enim est eius hominis, qui ex Mariâ natus est, nuncupatio. Et Iesu nomen quod super omne nomen est donatum. Ei enim à cœlestibus & terrestribus & infernis adorato, & per omnem linguam in Dei patris gloriâ esse confesso: æterni regni donatur arbitrium. Tunc quippe maximè cum Christus ascendit in cœlum, & sedit à dextris Dei, declaratus est filius Dei, nec ab Angelis solum in excelsis, sed & ab hominibus in terris, vt Deus adoratus est. Tunc iure proprio debitam adiit hæreditatem à Deo patre promissam; tunc summam auctoritatem è throno suo exercuit, & diuinitatem palam factis & prodigiis vbique & in omnes exeruit.

Quãdo maximè Christus Deus declaratus.

PVNCTVM III.

Quomodo hodie genitus?

DIximus vnum seu vnicum esse filium à Deo patre genitum, ideoque vnigenitum; & ei dictum esse, Filius meus es tu. Sed quare dictum? Quia Ego hodie genui te. Filius vnigenitus, vtpote de patre, seu paternâ genitus substantiâ. Sed quomodo hodie genitus? Deus vnus est, & tamen trinus. Et filius vnus, & trinâ tamen natiuitate donatus: in æternitate, in tempore, à morte. Prima, secundùm diuinitatem; altera, secundùm humanitatem; tertia, secundùm virtutem.

Quoad primam. Obuius & planus est sensus. Quanquam enim Hebræi id velint Dauidi dictum, aut Salomoni sicut & promissum: clarè tamen in Christo ipso impletum est; licet in Dauide, sicut & in Salomone Christum Dominum adumbrante, fuerit aliquatenus præfiguratum. Etsi negaretis, (Sic aduersùs ipsos Tertullianus) statim vobis in Psalmis, promissio patris occurreret, dicentis: Filius meus es tu, ego hodie genuite, pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: nec poteritis in istam prædicationem magis Dauid filium Salomonem vindicare, quàm Christum Dei filium: nec terminos terræ Dauid filio promissos, qui intra vnicam Iudæam regnauit; quàm Christo filio Dei, qui totum iam orbem Euangelij sui radiis illuminauit. Denique & thronus in æuum magis Christo Dei filio competit, quàm Salomoni, qui soli Israël regnauit. Quod & alibi repetit. Sed & aduersùs praxeam. Hæc est, inquit, natiuitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit. Cum pararet cœlum, aderam illi simul. Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo filius factus est, primogenitus, vt antè omnia genitus; & vnigenitus, vt solus ex Deo genitus: propriè de vuluâ cordis ipsius, secundùm quod & pater ipse testatur, Eructauit cor meum sermonem optimum. Ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem in personâ illius, Filius meus es tu, ego hodie genui te. &, Antè luciferum genui te. Quid est, ante luciferum? id est, in æternitate. Idcircò, Ex

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. 14.

Quod promissum Dauidi aut Salomoni, in Christo est impletum.

Tertullian. lib. aduers. prax. cap. 7.

A vtero, quasi ex vtero, meo seu de propriâ substantiâ. Sed quomodo hodie genitus, qui in æternitate genitus est? Imò hodie, quia in æternitate. Differt enim tempus ab æternitate, (vti docet Aquinas) quia tempus variatur sicut motus, cuius mensura est in variatione & successione: & ideo nominatur per successionem præteriti & futuri. Æternitas autem est mensura rei immobilis, & ideò non est ibi variatio per successionem, sed semper est præsens: & ideò notatur per aduerbium præsentis temporis, scilicet hodie, id est in æternitate. Verùm quia illud quod fit, quia nondum est, incompletum per consequens est; quod autem factum

Aquin. lect. 3.

B est, completum est, & ita perfectum: ideò non dicit genero te, sed genui, quia perfectus est. Sed tamen ne putetur esse generatio eius tota in præteritione, & per consequens in defectione, addit hodie & coniungit præsenti præteritum, scilicet hodie & genui, vt scias ipsam generationem semper esse, & perfectam esse, & sic in hodie permanentia, in genui verò perfectio designatur: vt sit sensus: perfectus es fili, & tamen generatio tua æterna est, & semper à me generaris: sicut lumen in aëre perfectum est, & tamen semper procedit à sole. Apta comparatio: dictio enim patris, mentis conceptio est, seu luminis productio sed spi-

C ritualis seu intellectualis. Tria ergo possunt notari: primum, prioritas originis in verbo, dixit: secundum, singularitas filiationis, Filius meus es tu: tertium, æternitas processionis, Ego hodie genui te.

Quoad secundam natiuitatem. Illa temporalis est, vt in plenitudine temporis facta, & in humanitate peracta. Licet enim Christus homo, seu secundum assumptam naturam de paternâ non sit genitus substantiâ, quamuis non ex vtero patris, sed ex Virginis aluo sit editus: factum tamen per temporalem generationem, vt ille homo verus esset Dei filius: & idcircò

D illi dictum à patre, Filius meus es tu, tam singularis quàm & naturalis, ego hodie genui te: idest, in præsenti tempore produxi te, dedi te in lucem, te imò lucem feci. Donec hodie cognominatur. Id est, tempus vitæ præsentis. Et, Hodie si vocem eius audieritis. Id est, in præsenti tempore. In spiritu Dei, ait Hilarius, patrem Deum significari, ita existimo intelligi oportere, quòd spiritum Domini super se esse Dominus Iesus Christus professus sit, propter quod eum vngat, & mittat ad euangelizandum. Paternæ enim naturæ virtus in eo manifestatur. Naturæ namque suæ communionem in filio etiam incarnato per Sacramentum spiritualis

Hilarius lib. 8. de Trinit. circa med.

Natura paterna manet etiam in filio incarnato

E huius vnctionis ostendens, cum post consummati baptismi natiuitatem hæc proprietatis significatio est audita, voce testante de cœlo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Omnis hæc fidei nostræ fuit demonstratio: vt sub perfectæ ac verè natiuitatis Sacramento, vnitatem naturæ paternæ manentis in filio, qui etiam homo esse cœperat, nosceremus. Quem enim promiserat, exhibuit tandem, filiumque suum, etiam vt hominem agnouit, quem in lucem edidit, quem hodie genuit, dum fecit præsentem, & in tempore nasci voluit fierique hominem. Itaque, ait Tertullianus, nec nunc muta nubes fuit, sed vox solita de cœlo, & patris

Tertullian. lib 4. aduers. Mar. cap. 21.

patris nouum testimonium super filio: atque in secundo Psalmo, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Itaque iam repræsentans eum, Hic est filius meus, vtique subauditur, quem repromisit aliquando, & postea dicit, Hic est; eius est exhibētis voce vti in demōstratione promissi, qui aliquando promisit; non eius cui possit responderi, Ipse enim tu quis es qui dicas, Hic est filius meus; de quo non magis præmisisti, quàm teipsum quod priùs eras reuelasti? Natiuitas igitur ista, temporalis est, filij tamen naturalis, idcirco per nubem & vocem patris contestata, vt quem ille promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis, exhiberet præsentem; vt quem genuerat in æternitate interminabile, etiam nunc, id est, in præsenti tempore, seu hodie rursus ederet: licet carne velut nube velatum, voce tamen diuinâ, velut æternâ declaratum veritate.

Quoad tertiam. Cœperat quidem Apostolus loqui de homine Christo, sed iam resuscitato, & ad dexterā patris collocato. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es, ego hodie genui te. Tria igitur elucidanda sunt. Primum est, Christum in resurrectione gloriosâ genitum fuisse, non minus quàm in verâ generatione, seu regeneratione: & id quidē in promptu est. Quod enim Christus ait, In regeneratione, proculdubio, ait Augustinus, mortuorum resurrectionem nomine voluit Regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Tunc enim iusti restituentur integri, & ad vitam reficientur æternam; sicque animâ carni seu corpori restitutâ, renascentur ad gloriam. Si enim, vti dixit Gregorius, ipsa carnis nostræ resurrectio quasi quædam natiuitas non esset, de eâ veritas non dixisset: In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Inde & ipse Christus, primogenitus mortuorum, dictus est: Honore scilicet & dignitate. Vt exponit Ambrosius. Quia primus nimirum ad vitam suscitatus æternam, primus ad gloriam per resurrectionem, quasi per regenerationem genitus. Alterum est, per hodie, lucem illam æternam indicari, non iam humanam infirmitatem, sed gloriosam immortalitatem demonstrari. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum enim ait: (ita Hilarius) Amodò videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei; tempus quo filius hominis qui & Christus & Dei filius, & consessu Dei dignandus esset ostendit: vt qui antè Dei filius, tum quoque & filius hominis esset; vt id quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium id est ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam per resurrectionis potentiam gigneretur, quam gloriam à patre corporeus reposcebat. Tertium denique, hunc esse germanum ac genuinum Apostoli sensum: & istud quidem liquet non solùm ex intentione scribentis, sed & ex sermone concionantis.

Paulus ergo Iudæos suos allocutus. Nos, inquit, vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc

Resurrectio gloriosa noua est regeneratio.

Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5.

Gregorius lib. 4. Moral. cap. 23.

Ambros. in cap. 1. Apo.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 2. vlt. med.

Actuum cap. 13.

A Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Id est, ad gloriosam resurrectionem te perduxi, & per nouam generationem hodie te produxi, non mortalem iam & moriturum, sed immortalem & æternum, vt decet verum Dei filium; non in nocte ortum, sed in die seu in luce ac claritate victurum. Et illa natiuitas est per quam qui natus est, tam ab omni malo, quàm ab omni peccato liberatus est. Sicut enim (vt Ambrosius loquitur) regeneratio lauacri dicitur, per quam detersâ peccatorum colluuie B renouamur; ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ sensu in vitam regeneramur æternam. Est ergo illa natiuitas, non in infirmitate, sed in firmitate. Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem. En quoad humanam generationem. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. En quoad gloriosam regenerationem: quâ non solùm eductus è tumulo, sed & in throno constitutus. Sicut enim non solùm extinctus fuerat per mortem, sed & humiliatus per crucem; sic non solum suscitandus erat per vitam C resurrectionis, sed & exaltandus per nominis gloriam. Id ergo quod in Psalmo est, (ita Hilarius) Filius meus es tu, ego hodie genui te: non ad Virginis partum, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere Apostolica auctoritas est. Eius quippe Sacramentum omne beatus Apostolus, cuius ore Christus de se locutus est, exposuit, dicens: Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed se exinaniuit formam serui accipiens: humiliauit se factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu D omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei patris. In formâ itaque Dei manens, formam serui accepit, scilicet ex Deo homo natus: & post mortem crucis in nomen quod est super omne nomen exaltatur. In Deum namque quia nullum vltra Deum nomen est, prouehitur, & in gloriâ Dei patris hodie genitus nascitur: id est, manente ante Dei formâ per pœmium mortis, formæ seruilis adsumptio honestatur: sicque sub tempore noua, nec tamen inusitata natiuitas; cum ad resumendam gloriam Dei E patris, qui ex formâ Dei forma serui erat, primogenitus ex mortuis nasceretur. Vox ergo hæc Dei patris secundùm Apostolum in die resurrectionis extitit: cum suscitauit eum à mortuis, amplius non regressurum in interitum.

Ambros. in Esa.

Rom. cap. 1.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 2. vlt. med.

Christus ob mortem ac crucē compensatus.

PVNCTVM IV.

Quomodo illi Deus in Patrem?

Ita promissum est Dauidi. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Seu, Ipse erit

erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem. Idem enim perinde est, sicut idem planè filium esse & esse in filium. In quo.

2. Reg. cap. 7 & 1. Paralip. cap. 22.

Obseruandum est primò, hæc verba literaliter dicta esse de Salomone. Ita enim Nathan propheta Dauidi. Prædicit tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et ipse Dauid. Vocauit Salomonem filium suum: & præcepit ei vt ædificaret domum Domino Deo Israël. Dixitque Dauid ad Salomonem: fili mi, voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coràm me: filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super Israël in æternum. Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te, [&,] De filiis meis elegit Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni Domini super Israël: dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Id est, ille me colet, vt filius colit patrem, & ego eum protegam, vt pater filium protegit. Ita Salomon: Cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus Dauid patri meo dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. [&,] Steti pro Dauid patre meo, & sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus: & ædificaui domum nomini Dei Israël. Certum est autem, Templum illud scilicet excellentissimè diffamatum, vt loquitur Augustinus, à rege Salomone fabricatum. Inde concludendum prædicta, tam de illo literaliter intelligenda esse, quàm realiter ab ipso sunt peracta. Inde vocatus est pacificus, quia Deo protegente & agente, hostes omnes subacti sunt, & in officio retenti, vt pace vigente, posset non solùm puras à cæde manus seruare, sed & tam liberas, quàm & innocuas extruendo templo consecrare.

1. Reg. c. 7. — 1. paral. c. 22. — Templum à rege Salomone ædificatum. — 1. Paral. cap. 28. — 3. Reg. c. 5. & cap. 8. — Augustin. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 8.

Obseruandum est secundò, promissa de Christo Domino spiritualiter intelligenda. Nam vmbra & figura in Salomone quidem præcessit, sed ad Christum veritas transiit. Ecclesia enim, vti dixit Lactantius, est verùm templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde & fide hominum. Itaque sicut Salomon præfigurabat Christum, sic & templum adumbrabat Ecclesiam Christianam, seu regnum Christi Domini, quod sicut nullo constringitur termino locorum, sic & nullo temporum finitur spatio. Hanc ergo, ait Augustinus, tam grandem promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat. Attendit enim quod dictum est, Hic ædificabit mihi domum: quoniam Salomon templum illud nobile struxit: & non attendit, Fidelis erit domus eius, & regnum eius vsque in æternum coram me. Facta est quidem nonnulla imago rei futuræ, etiam in Salomone, in eo quod templum ædificauit, & pacem habuit secundùm nomen suum (Salomon quippe pacificus est Latinè) & in exordio regni sui mirabiliter laudabilis fuit: sed eadem suâ personâ per vmbram futuri prænuntiabat etiam ipse Christum Dominum nostrum, non exhibebat. Vnde quædam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædicta sint; dum Scriptura sancta etiam rebus gestis prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Ita digesta est scriptura, vt nonnulla sint quæ iuxta literam conuenire non possunt Christo, quo includat personam Salomonis; & alia quæ Salomoni competere non possunt, quo ducat ad intelligentiam. Ita quæ effugiunt sensum literalem, ad spiritalem ac mysticum confugiunt. In quo carnales Iudæi decepti sunt, literam sequentes promissionis, & nunquam peruenientes ad scientiam veritatis. Nam & ipsi, ait ille, vsque adeò filium, quem loco isto regi Dauid promissum legunt, intelligunt non fuisse Salomonem, vt eo qui promissus est tanta iam manifestatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium sperare se dicant. Notum est enim quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis: & tamen in Psalmo legitur, vt alia taceam: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, quod in Christo videmus impleri. A flumine quippe, dominandi sumpsit exordium, vbi baptizatus à Ioanne, eodem monstrante, cœpit agnosci à discipulis, qui eum non solùm magistrum, verum etiam Dominum appellauerunt. Eum enim venire oportebat, qui ædificaret domum Domini, non de lignis & lapidibus, sed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus.

Lactant. lib. 4 diuin. instit. cap. 13. — Augustin. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 8. — Salomon prænuntiauit Christum non exhibuit. — Augustin. Ibidem.

Obseruandum tertiò, Salomonem per vmbram quidem & veritatem gessisse imaginem filij Dei, rem autem & veritatem cessisse in Christum Dominum. Nunquam Salomon filius Dei dictus est, ait Lactantius, sed filius Dauid. Nec ipsi Iudæi vnquam Salomonem Dei filium crediderunt, sed aut finxerunt alium regem, & sacerdotem aut nullum voluerunt. Quod autem, ait Iustinus Tryphoni Iudæo, vos ipsos & ipsimet seduciris, & magistri vestri: in eo vos scitote per mendacium falli, qui modis omnibus vos ipsos seducere, atque errore implicare conamini. Nathan enim de hoc verba ad Dauidem faciens, sic intulit: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Ducem enim in domo non alium quàm Christum dicit Ezechiel. Iste quippe est eximius præcipuusque sacerdos, & æternus rex Christus ipse, vt filius Dei. In hoc Christus non solùm omnibus præstat hominibus, sed & ipsos superat Angelos. Factus est in opprobrium, ait Ambrosius, quia crux Domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia. Sed sapientibus per eandē crucem excelsior factus est cœlis, excelsior Angelis,

Lactant. lib. 4. cap. 13. — Iustin. Dia cum Triphone vlt. med. — Ambros. lib. 3. de fide cap. 5.

Angelis, & melioris testamenti factus est A sponsor, ipse qui erat prioris. Sed quomodo factus sit considera. Purificatione factâ consi-det in dexterâ magnitudinis in excelsis, tanto melior factus Angelis. Vbi purificatio, hostia; vbi hostia, corpus; vbi corpus, oblatio: mors enim non ad diuinitatis æternitatem, sed ad fragilitatem refertur humanam. Nemo excel-sior factus dicitur, nisi in aliquo fuerit humi-lior. In eo igitur excellentior factus est, sedendo ad dexteram patris, in quo se minor Angelis factus, obtulit passioni. Ex quibus tria elicienda sunt. Primum, hæc secundùm humilitatem carnis, non secundùm sublimitatem maiesta-tis, seu diuinitatis æternitatem esse capienda. Secundum, manifestationem celsitudinis post passionem ac resurrectionem factam esse, exaltationem post humiliationem declaratam. Tertium, in hoc exaltatum Christum, quòd sedens ad dexteram patris, & prærogatiuam obtinens dignitatis, in honoris vnitate cum patre colatur, & in sede suspiciatur maiestatis. Christum enim, vt loquitur Tertullianus, ho-die inuocant nationes, quæ cum non sciebant; & populi hodie ad Christum confugiunt, quem retrò ignorabant. Ita igitur Paulus, op-timo sensu, licet mystico, sed ab eodem Spi-ritu expresso: purgationem peccatorum fa-ciens, sedet ad dexteram maiestatis in excel-sis: tanto melior Angelis effectus, quanto dif-ferentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Ego erò illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Soli Christo dictum, soli Christo collatum, sed præcipuè post resurrectionem publicatum, maximè post sessionem declaratum. Pulchrè, ait Ambrosius, pater dicit ad filium: Ego ho-die genui te; hoc est, quando redemisti popu-lum, quando ad cœli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam: probasti meum te esse filium.

Nemo fit maior, nisi qui factus est minor.

Tertullian. lib adu. Iud. cap. vlt.

Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 1.

PVNCTVM V.

Quomodo iterum in orbem terræ introductus?

NOuam sententiam inducit Apostolus, & ad aliam traduxit temporis sicut & hono-ris circunstantiam. Et cum iterum introducit. Seu, vt ex Græcis: Quando autem iterum in-troducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Ex quibus tria sunt demonstranda. Primum est, Christum semel & iterum in orbem terræ introducen-dum: alterum, in vltimâ introductione, ab omnibus Angelis Dei adorandum: tertium, in primâ introductione, ab aliquibus duntaxat adoratum.

Quoad primum Illud, [Iterum.] Non ad te-stimonij productionem referendum est, sed ad introductionem Christi. Duo quippe iam testimonia laudauerat Apostolus, simulque co-pulauerat. Cui enim dixit aliquando Angelo-rum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Nunc verò aliud spe-ctat, ideoque & in aliud nouum citat testi-monium. Idcircò non ait: Et iterum: Cum introducit: sed, Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ. Semel igitur & iterum introducit pater filium suum in or-bem terræ: semel & iterum filius de cœlis descendit: duo sunt illius ingressus, duo aduen-tus: primus supplicis; secundus, iudicis. De primo, ipse Christum apud Paulum: Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem no-luisti: corpus autem aptasti mihi: holocausto-mata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio. De altero apud Lucam. Dico B vobis, quia citò Deus faciet vindictam. Verum-tamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terrâ? Bis venit Christus, bis descen-dit: semel, extinctâ religione Iudaicâ, quasi me-dicus peritissimus, qui rebus aduenit desperatis: iterum, consopitâ fide Christianâ quasi Domi-nus seu iudex rex-ve æquissimus, qui multipli-catis criminibus, moribusque deprauatis super-uenit. Ita Tertullianus ad Iudæos: Discite nunc, inquit, ex abundanti erroris vestri ducatum. Duos dicimus Christi habitus à prophetis de-monstratos, totidem aduentus eius prænotasse: Vnum in humilitate vtique primum, cum tan-quam ouis ad victimam duci habebat, & tan-C quam agnus antè tondentem sine voce, sic non aperuit os suum: ne aspectu quidem hone-stus: ignobilitatis enim argumenta, primo ad-uentui competunt: sicut sublimitatis, secundo; cum fiet, iam non lapis offensionis, nec petra scandali; sed lapis summus angularis, post repro-bationem adsumptus, & sublimatus in consum-mationem: & petra sanè illa apud Danielem de monte præcisa, quæ imaginem secularium reg-norum comminuet & côteret. De quo secundo aduentu idem Daniel dixit: Et ecce cum nubi-bus cœli tanquam filius hominis veniens, venit vsque ad veterē dierum, & adetat in conspectu eius. Et qui adsistebant, adduxerunt illum, & data est ei potestas regia, & omnes nationes ter-D ræ secundùm genus, & omnis gloria seruient illi; & potestas illius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Tunc scilicet speciem honorabilem, & decorem ha-biturus est indeficientem supra filios hominū: tempestiuus enim decore citra filios hominum. Qui primo infrà omnes, secundo suprà omnes.

Heb. cap. 10.

Luc. cap. 18.

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. 14.

Qui primo infra omnes, secundo supra omnes.

Quoad secundum. De primo quidem aduen-tu legimus: Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. De vltimo autem. Adorate eum omnes Angeli E eius. Non aliqui, non multi, sed omnes. Sed in hoc Psalmo tria sunt aduertenda. Primum est, agere de regno Christi. Vnde sic incipit: Dominus regnauit, exultat ter-ra: lætentur insulæ multæ. Inde titulus Psalmo præfixus: Quando terra eius restituta est. Cœlum enim nouum & terram expe-ctamus nouam, in quibus iustitia habitat. Alterum, terram illam in iudicio extremo restituendam, in quo regnum Dei & Chri-sti manifestandum est. Vnde Psalmus: Nubes, & caligo in circuitu eius: iustitia, & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præ-cedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Luc. cap. 2. Psalm. 96.

Augustin. in Exposit. Psalm. 96.

Ita Augustinus in Psalmum & titulum: Audiamus, inquit, de terræ restitutione Psalmum plenum gaudio. Dominus regnauit. Ille qui stetit ante iudicem ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus est, ille qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus est, ille qui in ligno suspensus est, ille cui pendenti in ligno insultatum est, ille qui in cruce mortuus est, ille qui lanceâ percussus est, ille qui sepultus est, ipse Dominus regnauit. Qui iudicatus est, iudicat; qui extremo affectus supplicio, in extremo de prœmiis ac suppliciis ordinat iudicio. Tertium denique quod aduertendum est: nullum excipi Angelorum, sed omnes sisti, & bonos & malos adorantes, Christumque vt Deum ac Dominum, supremum boni aut mali arbitrum meriti confitentes, bonos scilicet collætantes, malos verò contremiscentes. Adorate eum omnes Angeli eius. Agnoscite Christum, vt Deum vestrum ac Dominum: vos autem omnes eius seruos ac satellites: seu bonâ ministrantes voluntate, seu iustâ necessitate coactos. Hic quippe dies non furoris tantùm, sed & honoris; in quo quicquid sublime est, humiliabitur, quicquid rebelle, regnanti ac iudicanti curuabitur. Sic, ait Tertullianus, & apud Zachariam in personâ ipsius, imò & in ipsius nominis Sacramento, vetus summus sacerdos patris Christus Iesus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. Primo sordidis indutus est, id est, carnis passibilis & mortalis indignitate. Dehinc spoliatus pristinas sordes, exornatus podere & mitrâ, & cidari mundâ, id est secundi aduentûs: quoniam gloriam & honorem adeptus demonstratur: cum & pater postea, cum diminuit illum modicum quid citrà Angelos, gloriâ & honore coronauit illum, & subiecit omnia sub pedibus eius. Nihil exemit, sed voluit omnes omninò congregari, nec ab excelsis tantùm hominibus, sed & ab omnibus Angelis illum vt Deum suum ac Dominum supremum adorari.

Nullus ab adorando Christo exceptus est Angelus.

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. vlt.

Quoad tertium. Quid necesse erat dicere, primogenitum, Si non sunt alij filij Dei, licet adoptiui, qui & consortes, imò & fratres Christi? Ad quid addere, In orbem terræ, Si Deus alibi, nimirum in cœlis non introduxit. Denique, cur sermonem ad Angelos potiùs, quàm ad alios conuertere, si coràm Angelis non introduxit? Ter ergo pater filium suum introduxit: semel initio temporum coràm omnibus Angelis, iterum in plenitudine temporum coràm omnibus Iudæis: tertiò denique in fine seculorum coràm hominibus & Angelis. Primâ vice, filium introducit, sed incarnandum: secundâ, introducit iam incarnatum, sed mortem & crucem passurum: tertiâ denique, suscitatum, deuictâ morte triumphantem erectâ cruce coruscantem, honorem & potestatem omnem consecutum. De secundâ & vltimâ introductione iam egimus. De primâ dicendum, expendendumque illam secundæ ac tertiæ esse oppositam. In tertiâ enim adorant omnes seu spontanei seu inuiti: in secundâ, plures adorant, sed omnes qui boni, ad præstandum officium sunt parati. In

A primâ verò soli adorant boni, mali palam reclamant, seruiturisque & adorationis debitum negant officium. Sciendum est ergo, Deum patrem, coram Angelis filium suum, seu verbum, sed incarnandum introduxisse in cœlis, & iussisse, vt omnes etiam subliniores, hominem Deum, licet assumptâ naturâ minorem, licet inferiorem substantiâ, in regem agnoscerent, omnes vt Deum ac Dominum colerent: vtpote primogenitum in multis fratribus, seu naturæ diuinæ consortibus, sed in essentiâ suâ vnigenitum. Quidam homicidæ fuerunt ab initio & in veritate non steterunt; concutientes diuinitatem, & humanitatem opprimentes. Appetierunt sibi gratiam vnionis, indignum iniustumque rati, adorare hominem; iussionemque indignati, in apertam proruperunt rebellionis insolentiâ. Obstitit Michaël, insonuitque his verbis: Quis vt Deus. Itaque prœlium magnum factum est in cœlo. Michaël pugnabat, & Angeli eius cum dracone; & draco pugnabat & Angeli eius cum Michaële: sed vicit superauitque pars melior, tandemque pars deterior contrita ac deiecta, in æternum exulauit exitium. Non valuit diabolus, nec ministri eius vincere Christum: (ita Ambrosius) quia vnde putauerunt vincere, victi sunt. Superauit Christus, nondum triumphauit: inimici enim eius sub pedibus eius ponendi sunt, imo de genibus prouoluendi.

C Itaque, ponitur ratio ex parte Angelorum, quare eum adorant: (verba sunt Aquinatis) Quasi dicat, Iustum est quòd adorent, quia sunt ministri. Putatis indignum? imò dignissimum est. Iniustum? imo iustissimum, vt Angeli Deum adorent, serui honorent Dominum. Idcircò Et adorent eum omnes Angeli. Hoc quidem testatur sermo diuinus, sed & magnitudinem contestatur Christi Domini celsitudinemque; dum enim nullus demitur Angelorum, Christus omnibus anteponitur, imò vt Deus ab omnibus adorandus proponitur.

Christus incarnandus Angelis propositus.

Ambrosʃ. in cap. 12. Apocalyps.

Aquin. lect. 3.

D

ELVCIDATIO V.

De magnitudine prælationis.

Exaltatus est Christus super omnes Angelos, sed Nimis exaltatus est super omnes deos. Id est, admodum, & supra omnem modum. Idcircò & Angeli iam eleuandi sunt, vt magis magisque extollatur, nec præferatur tantùm, sed & efferatur in immensum. Quid igitur ad Angelos, seu de Angelis? Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos

E spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus, Deus in seculum seculi. Virga æquitatis virga regni tui. In quo.

Primò Paulus proponit conditionis inæqualitatem. Angeli quidem spirituales substantiæ sunt, inde & naturæ præcellentes; creaturæ tamen, quia Angeli facti sunt seu creati, idcirco in seriem cæterarum creaturarum, in ordinem operum redacti diuinorum. Qui facit Angelos suos spiritus. Angeli sunt, spiritus sunt, sed facti sunt; nec solùm facti, sed & incessanter

incessanter fiunt, cum nihil de se valeant, A cum incunctanter pendeant à factore, qui nisi conseruet quos creauit, imò nisi semper creet, dum à nihilo ipso protegit, in id quod prius fuerat, imò quod prius non fuerant sunt relapsuri. Idcircò non dicit, Qui fecit Angelos suos: sed qui facit: sic enim facti sunt, vt sint & nunc faciendi: facit enim semper Deus quos semel fecit, si enim absistit id est, si non facit; nihil fiunt, imò nihil sunt. Audi ergo quæ sequuntur (verba sunt Chrysostomi) Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem, Thronus tuus Deus in seculum B seculi. Ecce maxima differentia, quòd illi quidem sunt creati: hic autem increatus. Ad Angelos suos, inquit, dicit, Qui facit. Ad filium autem suum cur non dixit, Qui facit? Atqui licebat sic dicere differentiam. Ad Angelos quidem suos dicit, Qui facit Angelos suos spiritus ad filium autem, Dominus creauit me: si quidem Dominum ipsum & Christum Deus fecit. Sed neque illud dictum est de Christo Domino filio: neque hoc de Deo verbo, sed de eo quod carnem suscepit. Vide quomodo & quam dilucidè diuidat creaturas & creatorem, ministros & Dominum. Quicquid extra Deum est, C factum est, creatum est: & Angeli ipsi, puræ putæ sunt creaturæ. Christus verò, non est pura puta creatura, non enim est extra Deum: sed ita factus, vt sit etiam factor; ita conditus, vt sit etiam conditor: est enim Dominus, etiam quà filius hominis est, imò vnus cum patre Deus, quia vna in humanitate, sicut & in deitate persona, idem Verbum est, siue increatum sit; siue incarnatum. Verbum Dei Deus, vt Leo loquitur, filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æternâ morte factus D est homo.

Sic facti sunt Angeli vt sint & nunc faciendi.

Chrysost. orat. 3.

Christus qua homo, non est pura puta creatura.

Leo serm. 1. de Nat. Dom. cir. med.

Secundò, exponit Apostolus actionis agilitatem. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Seu, vt habemus in Psalmo nostro. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Siue, vt legit Augustinus, Ignem flagrantem. Ita nimirum ex Hebræo, nisi quod nos secundam substituimus personam, sed in hoc literam non mutamus, dum seruamus sententiam, nec tam ad verbum quàm ad sensum legimus. Apostolus ergo, qui non semel testimonia delibat ex fonte He- E braico, & qui haud dubiè idem nunc faceret, si ad Hebræos suos, Hebraico idiomate, & non Græcè scriberet, locum citat ex Psalmo centesimo tertio, secundùm versionem septuaginta interpretum. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. πυρὸς φλόγα. Seu ignem flagrantem. Et hoc, ait Augustinus, quamuis non videamus apparitionem Angelorum: abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam republicâ magnâ imperatoris Dei; tamen Angelos esse nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus; nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt, & cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen est, non naturæ. Ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est. Vide illud in homine. Nomen naturæ, vir; officij, præco; homo enim, fit præco: id est, qui homo erat, fit præco; non qui erat præco, fit homo. Si ergo qui erant iam spiritus conditi à creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quòd iusserit, & ignem flagrantem facit ministros suos. Tria sunt in igne flagrante, subtilitas, celeritas, agilitas. Inchoandum à ratione, (verba sunt Dionysij) & quærendum in primâ formarum discretione, ob quam causam theologia ferè vltrà omnes inuenitur honorans ignitam sacram descriptionem. Inuenies eam non solùm rotas igneas conformantem, sed & animalia ignita, & viros quasi ignem fulgurantes. Et circa eos cœlestes essentias cumulos carbonum ignis circumponentem, & flumina immensurabili sonitu igne flagrantia. Sed & thronos & igneos esse, & ipsos excelsissimos Seraphim cœlitùs ardentes, ex cognominatione significare: & ignis proprietatem & operationem ipsis distribuit, & omninò sursum deorsumque ignitam honorificat selectim formarum facturam. Angeli, formæ sunt spirituales, sed intellectuales naturæ, sed factæ: adeo tamen subtiles, adeò celeres & agiles, vt igni comparatæ sint flammanti ac flagranti. Quid ignis? an aliquid viuacius exedit, aut agit efficacius? Nihil non penetrat & perforat, en subtilitas; citò terebrat ac deuorat, en celeritas; modo permeat tam mirabili quàm & imperceptibili, en agilitas. An verò minor actiuitas Angelorum? imò verò maior, vtpote spirituum, seu immaterialium substantiarum. Quid non persuadunt, subtilitate? quò non momento perueniunt, celeritate? quo non agunt modo, agilitate? Deus ergo facit nuntios suos ad currendum velocissimos, ad agendum promptissimos: sunt enim spiritus, quasi igneæ quædam formæ, exequendis mandatis, non paratissimæ tantùm, sed & accommodatissimæ: dum enim Deus eos spiritus facit, igneam viuacitatem, seu actiuitatem tribuit efficacissimam.

Augustin. con. 1. in Psalm. 103. vlt. med.

Dionys. lib. de cœl. Hier. c. 15.

Angeli ob actiuitatem igni sunt comparati.

Tertiò, præponit vnionis sublimitatem: Ad filium autem, Thronus tuus, Deus in seculum seculi. Vides Angelos; cœlestes nuntios? sublimes sunt, agiles sunt, subtiles, celeres: omnes tamen tam Christo addicti sunt, quàm & ab ipso conditi; ideircò enim facti sunt spiritualis naturæ, seu immaterialis substantiæ, vt ad instar ignis flammantis, citiùs aduolent, promptiusque ministrent & aptius. Sic ergo de Angelis dicit scriptura diuina. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Ille quippe qui creauit illos ad annuntiandum & ministrandum, idoneos esse voluit, & ideò qualitates Angelico competentes tribuit ministerio. De filio verò dicit: Thronus, Deus, in seculum seculi. Primò, eum sic factum negat, dum Deum vocat: secundò, non applicat ministerio; sed in throno collocat: tertiò,

Chrysost. orat. 3.

thronum eius seu imperium tam immensum significat, quàm & æternum. Vbi Paulus voluit veram significare differentiam, non amplius comprehendit solùm Angelos, sed omnem supernam potestatem administratoriam: diuidens verum ac proprium hæredem ac filium, & seruos. Ad filium enim dicit, Thronus tuus, Deus in seculum seculi: ecce regni signum. Virga æquitatis, virga regni tui: ecce rursus aliud quoque signum regni. Quomodo spectant Angeli Christum? Certè non vt conseruum, sed vt regem in throno sedentem, vt æterni hæredem imperij, vt Dei filium, vt Deum, vt Dominum, in assumptâ etiam naturâ: ideircò non honorant, tantùm, sed & ministrant. Dicit Angelus: natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Quem Saluatorem dicit hominum, Imperatorem agnoscit Angelorum: en quomodo honorant. Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Vt imperanti: en cui ministrant. Accedunt & recedunt, pro iniuncto ministerio: nec enim adiuuant, sed ministrant. Ex his autem, vt dixit Gregorius, vnius personæ vtraque natura ostenditur, quia & homo est quem diabolus tentat, & idem ipse Deus est cui ab Angelis ministratur. Nec accessit tentator, nisi maiestatem cœlasset Imperator, & Angelos ministros aliò per auctoritatem destinasset, quomodo enim appropinquasset, vel etiam obrepsisset satellitibus circunstantibus? Sed ecce reuocantur Angeli dimissi, solitisque applicantur ministeriis.

Christus nō conseruus Angelorum, sed Dominus

Luc. cap. 2.

Matth. c. 4.

Greg. Hom 15. in Euang.

TROPOLOGIA

dictorum anagogica.

IVbentur Angeli omnes adorare Christum vt Deum ac Dominum, prohibentur homines & boni & mali Angelum seu malum seu bonum adorare. Nos enim qualem Deum habemus? Audite (inquit Augustinus) Cum enim dixisset Psalmus, Confundantur omnes qui adorant sculptilia, addidit, & qui gloriantur in simulachris suis: ne existerent quasi reddentes rationem de simulachris, & dicerent, non lapides, sed numina colimus. Quæ numina colis? Dic mihi, dæmonia colis, an spiritus bonos, quales sunt Angeli? Sunt enim Angeli sancti, & sunt spiritus maligni. Ergo dico quia in templis tuis non coluntur nisi spiritus maligni: qui sibi superbè exigunt sacrificium, & volunt se coli tanquam deos. Maligni sunt, superbi sunt. Tales sunt etiam homines non boni, qui suam gloriam quærunt, Dei gloriam contemnunt. Homines autem sanctos attendite, qui sunt similes Angelis. Cum inueneris hominem aliquem sanctum seruum Dei, si volueris illum colere, & adorare pro Deo, prohibet te: non vult sibi arrogare honorem Dei, non vult tibi esse pro Deo, sed tecum esse sub Deo. Fecerunt hoc Apostoli sancti, Paulus & Barnabas. Prædicabant verbum Dei in Lycaoniâ. Miracula cum fecissent Lycaoniæ, ciues eiusdem regionis adduxerunt victimas, & voluerunt illis sacrificare, dicentes Barnabam Iouem, & Paulum Mercurium. Illi non sunt delectati. An fortè ideò sibi immolari noluerunt, quia dæmonibus se comparari execrati sunt? Non, sed quia honorem diuinum exhiberi hominibus horruerunt. Intendite ergo quomodo homines boni prohibent eos qui se voluerunt colere tanquam deos: & volunt potius vt Deus vnus colatur, Deus vnus adoretur; Deo vni sacrificium offeratur, non sibi. Ita conspirant Christiani omnes, ac probi fideles. Nos vnum Deum colimus, quem omnes naturaliter nostis: ad cuius fulgura & tonitrua contremiscitis, ad cuius beneficia gaudetis. Cæteros & ipsi putatis deos esse, quos nos dæmonas scimus. Ita & si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris: ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sunt: contentiosus autem Deus non est. Ita Tertullianus.

Augustin. in Expos. Psalm. 96. cir. med.

A

Nec sancti nec Angeli boni coli se volunt seu adorari adoratione Latriæ.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. 2.

B

Intonat igitur scriptura diuina, inculcatque: Adorate Deum omnes Angeli eius. Si omnes Angeli, quid homines infimi fragiles miseri? Discant adorare Deum. (ait Augustinus) Angelos imitentur, & illum adorent qui ab Angelis adoratur. Omnes sancti vel Angeli eius gloriam quærunt quem diligunt. Ad eius cultum, ad eius orationem, ad eius contemplationem omnes quos diligunt rapere & inflammare student, ipsum illis annuntiant, non se, quoniam Angeli sunt. Et quia milites sunt, non norunt gloriam quærere nisi imperatoris sui: si autem gloriam suam quæsierint, vt tyranni damnantur. Talis extitit diabolus & dæmonia, id est, Angeli eius: arrogauit sibi honorem diuinum & omnibus dæmoniis, & impleuit templa paganorum. Audite Angelum doctorem. Docebat quendam discipulum Christi, & ostendebat illi multa miracula. Ille autem quodam demonstrato miraculo visionis, expauit, & misit se ad pedes Angeli. Et ille Angelus qui non quærebat nisi gloriam Domini sui; Surge, quid facis? inquit, Illum adora: nam & ego conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Passi sunt Angeli adorari se ante Christi incarnationem, quasi Dominum ipsum repræsentarent, & ipsius vice vel nomine adorationem admitterent. Sed ex quo Christus incarnatus, ex quo Deus vbique declaratus est; iam non Domini aucupantur dignitatem, sed conserui æmulantur humilitatem. Redemptio sanguinis Christi, ait Ambrosius, hoc fidelibus contulit, vt filij Dei, sociique Angelorum efficerentur. Ideoque pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabit hominem Deum. Exinde resumptum est à Christo, nec homini tantùm, sed & ipsi Angelo, præscriptumque, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Præscribitur mihi, ait Tertullianus; ne quem alium Deum dicam, ne, vel, dicendo, non minùs linguâ quàm manu Deum fingam; ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer, præter vnicum illum qui ita mandat; quem & iubeor timere, ne ab eo deserat; & de omni substantiâ diligere, vt pro eo moriar. Et vtique qui imponit præceptum, extorquet obsequium.

Augustin. in Psal. 96.

C

D

Iam Angeli Domini nostri non sunt, sed conserui

Ambros. in cap. 19. Apocalyps.

E

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 4.

Sed quid dicam? Repræsentari diuinæ beneficium bonitatis, en exprobrari humanæ stupiditatis

piditatis opprobrium. Volunt homines facti ad imaginem Dei; imagines adorare lapideas & ligneas, volunt honorem creatoris ad creaturam transferre. Ita fit, adorate lapides & ligna, sed cogitate lapides viuos & viuificantes, imò vnicum iam lapidem Deum viuum & viuificantem. Erubescant, ait Augustinus, qui adorant lapides, quia lapides illi mortui erant, nos viuum lapidem inuenimus: imò lapides illi nunquam vixerunt, vt nec mortui dicantur. Lapis autem noster viuus est, & semper vixit apud Patrem, & pro nobis mortuus reuixit, & modò viuit, & mors ei vltra non dominabitur. Hic est lapis qui reprobatus est ab ædificantibus, & factus est in caput anguli: ille qui affixus patibulo, sed in throno collocatus; ille, qui ab ignorantibus contemptus, sed à fidelibus cultus & adoratus; qui petra scandali, nunc caput anguli; petra sine manibus excisa, sed in æternum erecta imperium. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quid verò de ligno? Et illud proponitur adorandum, dum in vexillum regis, & salutis trophæum erigitur. Sed & qui, ait Tertullianus, crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur. Viderit forma, dum ipsum Dei corpus sit. Pars crucis est omne robur quod erectâ statione deffigitur. Nos, si fortè, integrum & totum Deum colimus. Quibus non negat fidem ac religionem Christianam, sicut & spem in patibulo seu in ligno esse positam, imò & palam affirmat; sed lignum sacrum à profanis, religiosum ab impiis discerminat. Dicimus, & palam dicimus, crucem colimus in Christo, seu Christum patientem, & in ligno morientem: Vt quoniam homo non erubuerat lapidem & lignum adorans, eadem constantiâ, (ita ille) non confusus de Christo, pro impudentiâ idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei. Ita constituit Deus, ita Christus voluit: Vt liuore eius sanaremur, vt dedecore eius salus nostra constaret. Fingunt homines, seu heroës deos factos, ea quæ dilexerant, inter astra fixisse, & ea proposuisse colenda, vt virtutis seu fortitudinis insignia. Fingunt, inquam, quia, propudiosa sunt amoris infandi, vel honoris vani monimenta. Sed pro certo, hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit: hoc signum extolletur in altum, nec hominibus tantùm saluatis, sed & seruatis cœlestibus venerandum proponetur.

Augustin. Exposit. in Psalm. 96. cit. med.

Quomodo Christiani lapidem & lignum adorant.

Tertullian. cap. 16. Apolog.

Tertullian. lib. 4. aduers. Marc. c. 21.

ANAGOGIA

rursum tropologica.

DIsputent alij de articulis Græcorum, & sensum Pauli, seu testimonij scopum aliter ordinent: nos institutum spectamus Apostoli, ex quo ministerium ordinamus Angeli, seu Christi imperium. Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos flammam ignis. Quid porro de Græcorum articulis? Non in his sitas esse res Græciæ, vtpote tam leues quàm & incertas. Idcircò nec reflectimus: sed definimus res gratiæ, constitutas in Christianorum my-

A steriis. Quid est ergo in Ecclesiâ figuratè? (Verba sunt Augustini) Quomodo accipimus, Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem flagrantem? Spiritus spiritales dicit. Benè facit Angelos suos spiritales, id est, nuntios verbi sui. Spiritalis enim omnia iudicat, ipse autem à nemine diiudicatur. Vide spiritalem factum Angelum Dei. Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. De spiritali quadam affectione missus est ad carnales, tanquam Angelus de cœlo ad terram. Quomodo dicit, & Ministros suos ignem flagrantem, nisi quomodo dicit, Spiritu feruentes? Sic enim feruens spiritu, ignis ardens

B est omnis Minister Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? Et quis ille ignis erat, quando lapidabatur, & pro eis à quibus lapidabatur rogabat? Cum audis, ignis est Minister Dei, incensurum illum putas? Incendat licet: sed fœnum tuum, id est, carnalia omnia desideria tua vrat Minister Dei, prædicans verbum Dei. Quomodo ardebat Apostolus, cum diceret: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est? Ardebat & flagrabat charitate, & ibat in eos vt incenderet. Duplex est ignis Christi: vnus, qui inflammat inimicos; alter qui amicos purificat. Intelligi-

C mus ignem antè eum præeuntem, ait ille, id est, hoc tempore intelligendum in pœnam quandam infidelium iniquorum: intelligamus ignem, si possimus, & in salutem redemptorum. Ita enim ipse Dominus ait: Ignem veni mittere in terram. Sic ignem, quomodo gladium: nam & quodam loco ait, non se venisse pacem mittere in terram, sed gladium. Gladium, ad separationem, ignem ad vstionem: sed vtrumque salubre, quia & gladius verbi ipsius salubriter nos separauit à consuetudine malâ. Separati sumus ab eo quod eramus: sed gladius intercessit secernens, non interficiens. Hoc modo & ignis. Ignem veni mittere in terram.

D Exarserunt homines credentes in eum, acceperunt flammam charitatis.

Lex Christi Domini, lex ardoris est, quia lex amoris, sed spiritalis. Propterea & ipse Spiritus sanctus in igne missus est, vt fierent corda flammantia, & inde bona opera procederent. Quia, vt docet Augustinus, quicquid dicimus, & quicquid diximus, & quicquid dicere poterimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi charitatem. Hic est ignis non comburens, sed illuminans; id est, non consumens, sed consummans: quem Christus non attulit tantùm, sed & auribus & cordibus nostris intulit. Totum in verbo Dei intellige, ait

E ille, totum in spiritu Dei cognosce. Incipe feruere charitate per verbum, quod audis, & vide quid in te fecerit ignis Minister Dei. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flagrantem. En quod clamabat. Psaltes, en ad quod inuitabat: Accedite ad eum & illuminamini. Ecce, inquit Augustinus, illi accesserant qui in tenebris erant, & qui non viderunt illuminati sunt. Vnde accedunt? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum quia & vt curreres ipse

Augustin. con. 1. in Psalm. 103. vlt. med.

Duplex ignis Christi inflammans & purificans.

Augustin. in Expos. Psalm. 96. cit. med.

Augustin. con. 1. in Psal. 103. sub fin.

Augustin. cit. med.

Augustin. in Expol. Psal. 33. cit. med.

hortatus est, & ipse suum lumen aspersit, vt magnificè & diuinè sequi possis. Quod lumen? Ipsam fidem, vt assequi possis charitatem. Fidei quippe recta regula, vt dixit Laurentius Iustinianus, quæ ad benè viuendum humanum format affectum, ex Deo est, qui illam donat ingratis, vt faciat gratos; & agnoscant eum à quo sunt. Sine isto lumine, quæso, gratificari valet in lumine, cum scriptum sit, Et in lumine tuo videbimus lumen: Videbimus enim ipsum lumen sicuti est, quamquam etiam impræsentiarum ex parte videamus obiectum. Porrò crescente fide, & incalescente corde diuini amoris igne clarificatur visus, & meridianæ luci mens propinqua efficitur, eò ampliùs, quò puriùs credit, & ardentius diligit. Sic Apostoli tantâ lucis perfusi sunt gratiâ, vt lux mundi ab ipsâ æternâ luce sint dicti. Ille nimirum est, qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos flammam ignis, quasi lucernam lucis & ardoris; eos enim voluit igniti Ministros eloquij, & ideò luce ardoreque præditos.

Laurent. Iust. lib. de spirit. an. resurr.

Apostoli luce & ardore præditi.

Illi sunt Angeli, seu spirituales viri, seu homines diuini, vtpote deiformes. Igneum quippe (ex Dionysio) significare sentio cœlestium animorum dei formissimum. Ipsi enim theologi sancti superessentialem essentiam in igne sæpè describunt, sicut habente multas, diuinæ, (si fas est dicere) proprietatis imagines. Ignis enim sensibilis est quidem: & per omnia clarè venit, & lucidus est simul, & quasi occultus. Incognitus ipse per seipsum, non propositâ materiâ, in quâ propriam manifestet operationem. Renouatiuus, illuminatiuus, sursum ferens, acutè pergens, subitò relucens. Et multas fortassis quis inueniet ignis proprietates pulchras, vt in sensibilibus imaginibus, diuinæ operationis. Hoc ergo scientes theosophi, cœlestes essentias ex igne conformant, significantes deiforme earum, & quantum possibile est Dei imitabile. Sed & humani formes ipsas describunt propter intellectuale & sursum habendo intuitiuas virtutes. Ita visus est ille Angelus, qui Deum hominem seu hominem Deum repræsentabat, iamque spiritales homines ad grandem illam vocabat visionem. O quàm iucunda est ista vocatio, ait Laurentius Iustinianus, quæ per meridianam agitur lucem? cæteris namque tanta est efficacior, quanto est dignior. Per hanc vocatus est Moyses, quando pascens gregem, ad interiora deserti, in flammâ rubi, Dominum se vocantem audire promeruit. De huiusmodi visionis progressu Apostolus de se atque viris perfectis loquitur, dicens: Nos autem reuelatâ facie gloriam Dei speculantes transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini, Spiritu. Dum enim tanquam specula munda, splendorem imbibunt, ardorem corripiunt: dumque à se exeunt, terreni secretione, & humani, tanquam fœni exclusione, in eandem imaginem, per quandam transeunt similitudinem.

Dionys. lib. de cœl. Hierarc. cap. 15.

Diuina proprietas per ignem repræsentata.

Laurent. Iustin. lib. de sp. an. resurrect.

A

DILVCIDATIO VI.

De vnctionis dignitate.

De filio dictum est: Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Epithalamium est, Verbo, sed incarnando consecratum. Sedes tua Deus in secula seculorum. Quia benedixit te Deus in æternum propter gratiam diffusam in labiis tuis. Quærimus, ait August. intelligere verba singula, versus singulos: ita tamen quærimus, vt de Christo dici nemo dubitet. Erat autem sedes Regni populi Iudaici temporalis, pertinens ad eos qui sub lege erant, non ad eos qui sub gratiâ erant. Venit ille vt liberaret eos qui sub lege erant, & sub gratiâ constitueret. Sedes eius in secula seculorum. Quare? Quia sedes illa prima, Regni temporalis fuit. Vnde nunc sedes in secula seculorum? Quia Dei. Sedes tua, Deus, in secula seculorum. O æternitatis diuinitas! Non enim posset Deus sedem habere temporalem. Sedes tua Deus in secula seculorum. Virga directionis, virga regni tui. Directionis virga est, quæ dirigit homines. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Vide virgam directionis. Propterea vnxit te Deus Deus tuus. Propterea vnxit te, vt diligeres iústitiam, & odires iniquitatem. Commoda expositio, sicut & optima propositio. De vnctione enim agitur, seu de gratiâ Spiritûs sancti plenè & abundè in Christum Dominum effusâ. At verò illa non est data Christo, quia dilexit iustitiam, & iniquitatem odit, sed vt iustitiam diligeret, & odiret iniquitatem. Propterea enim vnctus est, & Spiritu sancto plenus, non solùm natus, sed & conceptus est, vt tam ad operandum sanctissimè, quàm & ad iustissimè gubernandum esset idoneus. Cauendus enim est error Origenis, qui, vt refert Aquinas, dicit, quod anima Christi, quia vehementius adhæsit Deo diligendo iustitiam, & odiendo iniquitatem, meruerit maiorem plenitudinem gratiæ præ cunctis substantiis spiritualibus. In hoc ergo quod dicit hîc, propterea vnxit te Deus: illud Propterea, non significat causam meritoriam, sed finalem: quasi dicat: Ad hoc quod haberes quæ dicta sunt, scilicet thronum perpetuum, virgam æquitatis &c. Propterea vnxit te Deus, oleo scilicet sanctificationis.

B

Augustin. Enarrat. in Psal. 44. circ. med.

C

Christus Spiritu sancto plenus natus & conceptus.

D

Aquin. lect. 4.

Sed si commoda illa exposito, nescio si ad gustum Apostoli, qui Christum post purgationem peccatorum, id est, post passionem & resurrectionem, ad dexteram Dei collocat, & inde gloriam eius prædicat, & exaltat imperium. Dicendum igitur Christum non semel à Deo suo vnctum fuisse, sed sicut Dauid tertiò vnctus est in Regem. Primò à Samuele in Bethlehem. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratum eius. Secundò, in Hebron: Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Tertiò denique ibidem. Venerunt quoque & seniores Israël ad Regem in Hebron, vnxeruntq; Dauid in Regē super Israël. Ita Christus iunctus est primò ab æternitate quando Deus de Deo natus est: secundò

E

1. Reg. c. 16.

2. Reg. c. 2.

2. Reg. c. 5.

cundò in tempore, quando nobiscum Deus, seu homo in Deo factus est: tertiò, in fine, sed sine fine, quando thronus ei æternus datus est, Deusque & omnium & hominum & Angelorum declaratus est. In primâ vnctione, collata est natura diuina, quæ est gratiâ increata, causa gratiæ omnis, & omnis gloriæ: in secunda, data est gratia, quæ causa est omnis meriti: in tertiâ, obsignata est gloria firmatusque felicitatis, & immortalitatis status, in quo est præmij omnis clausula. Christus Iesus, heri, & hodie, & in secula. Hoc nomen, ait Augustinus, quod appellatur Christus, vnctionis est. Vnctus est ergo Deus à Deo. Et vide quomodo ait, Propterea vnxit te, Deus, Deus tuus. O tu Deus, vnxit te Deus tuus. Deus vngitur à Deo. Etenim in Latino putatur idem casus nominis repetitus: in Græco autem euidentissima distinctio est, quia vnum nomen est quod compellatur, & alterum ab eo qui compellat. Vnxit te Deus. O tu Deus, vnxit te Deus tuus: quomodo si diceret, Propterea vnxit te, ô tu Deus, Deus tuus. Sic accipite, sic intelligite, sic in Græco euidentissimum est. Deus vnctus à Deo, dum Deus de Deo productus: essentia quippe diuina, gratia essentialis est, essentialis & iustitia; quæ communicatur filio, dum à Deo generatur. En quoad primam vnctionem. Quoad secundam verò, non solùm accidentali gratiâ vnctus est, sed & substantiali, cum facta est seu constituta est vna ex deitate & humanitate persona. Ita Christus à Gregorio Nanzianzeno dicitur, Diuinitate delibutus. Propter vtriusque naturæ connexionem. Hæc enim humanitatis vnctio est. Sicut enim natura diuina communicata est personæ, sic & persona communicata est naturæ humanæ. Imò tota diuinæ essentiæ plenitudo in Christo reperta est, vtpote vnita, imò vna cum supposito. Quoad tertiam vnctionem, illa est, quæ per integrum felicitatis & immortalitatis statum est collata: sicut enim gratia, gloriæ exordium est, sic & gloria, complementum est gratiæ.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 44. vlt. med.

Christus, sicut & Dauid, ter vnctus est.

Gregorius Nazià. orat. 36. post init.

Et de mediâ quidem vnctione, nullus omninò subest dubitandi locus. Vnctum audis, ait Augustinus, Christum intellige: etenim Christus à chrismate. Nec in aliquo alibi vngebantur Reges & Sacerdotes, nisi in illo regno vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Christi nomen. Nusquam est alibi omninò, in nullâ gente, in nullo regno. Oleum visibile in signo est, oleum inuisibile in sacramento est. Oleum spiritale intus est, oleum visibile exterius est. Vnctus est nobis Deus, & missus est nobis: & ipse Deus vt vngeretur, homo erat; sed ita homo, vt Deus esset: ita Deus erat, vt homo esse non dedignaretur. En qualis vnctio, per coniunctionem scilicet vtriusque naturæ in Christo, seu in eodem supposito, vno verbo, per ipsam incarnationem, seu vnionem hypostaticam. Sed si Christus summâ gratiâ perunctus est, dum naturâ diuinâ perfusus est delibutusve: ergo natura diuina tam summa quàm prima gratia est, tam essentialis quàm & primordialis: ergo quando filio cõmunicata est, si quidem in æterno est; tã verè vnctus est, quàm verè Deus verus genitus est. Dicit Deum verum, sed addo genitum. Est enim à

Augustin. Enarrat. in Psalm. 44. vlt. med.

A sed De..., Deo Patre, seu Deo gignente. Propterea vnxit te Deus. Vides, inquit Chrysostomus, quemadmodum sermoni de naturâ increatâ & æternâ substantiâ, coniungat etiam sermonem de dispensatione. Factus est enim obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen; vt scilicet prædicetur Deus, & vt Deus adoretur. Alij sint diuinitatis consortes, vt homines & Angeli, in quantum participes sanctitatis: dij sint per adoptionem seu participationem. Sed Christus oleo diuinæ gratiæ præ omnibus B participibus vnctus est, quia solus totam possidet plenitudinem diuinitatis, solus in throno constitutus, tanquam vnicus rerum omnium dominus, plenitudinem obtinet potestatis.

Chrysost. orat. 3.

ETHICON.

De regno Christi.

CHristus habet regnum, ideoque & sceptrũ tenet. Virga æquitatis, virga regni tui. Sed C quale sceptrum, tale est regnum: in quo lenitas, æquitas, sanctitas.

Quoad primum. Non illi machæram dedit aut Paulus, aut Psalmographus, sed virgam. Differt enim, vt exponit Aquinas, regimen tyrannicum à regimine regis, quia regimen tyrannicum est ad vtilitatem suam cum grauamine subditorum; regimen autem Regis, principaliter ordinatur ad vtilitatem subditorum. Et ideò Rex, est pater & Pastor. Pastor enim non corrigit cum gladio, sed cum virgâ. Equidem dicitur Christo Regi, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Sed & dicitur Christo redemptori: vnde additur: Specie tuâ D & pulchritudine tuâ, intende prosperè procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Itaque gladius ille spiritalis est, non materialis: baculus dirigens, non interficiens; ad solatium, non ad supplicium. Adiuuabitur hæc nostra interpretatio, ait Tertullianus, dum & alibi bellatorem existimans Christum, ob armorum quorundam vocabula & eiusmodi verba, ex reliquorum quoque sensuum comparatione conuinceris. Accingit Dauid, ense super femur. Sed quid supra legis de Christo? Tempestiuus decore præter filios hominum effusa est gratia in labiis tuis. Rideo, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestiuitate de-E coris, & labiorum gratiâ blandiebatur. Sic item subiungens: Extendere, & prosperare, & regna; adiecit, Propter veritatem, & lenitatem, & iustitiam. Quis enim hæc ense operabitur, & non contraria potius lenitati & iustitiæ, dolum & asperitatem & iniustitiam, propria scilicet negotia præliorum? Videamus ergo, an alius sit ensis ille, cuius alius est actus. Nam & Apostolus Ioannes in Apocalypsi, ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, præacutum; quem intelligi oportet sermonem diuinum, bis acutum duobus testamentis, Legis & Euangelij: acutum sapientiâ, infestum diabolo; armantem nos aduersùs hostes spiritales nequitiæ & concu

Aquin. lect. 4.

Tertullian. lib. 3. aduers. Marc. c. 14.

Arma Christi sicut & Christiani spiritalia sũt, non carnalia.

concupiscentiæ omnis, amputantem etiam à charissimis ob Dei nomen. Quod si Ioannem agnitum non vis, habes communem magistrum Paulum, præcingentem lumbos nostros veritate & loricâ iustitiæ, & calciantem nos præparationem Euangelij pacis, non belli: adsumere iubentem scutum fidei, in quo possimus omnia ignita diaboli tela extinguere; & galeam salutaris, & gladium spiritus; quod est, inquit Dei sermo. Hanc & Dominus ipse machæram venit mittere in terram, non pacem: machæram intentans allegoricam. Et deducet te, inquit, mirificè dextera tua; virtus scilicet gratiæ spiritalis, quâ Christi agnitio deducitur. Diabolum vicit, non resistendo, sed patiendo, mundum domuit, non ferro, sed ligno; regnum acquisiuit, verbo, non gladio. Ab eo didicimus mites esse & humiles, qui patientiâ ipsius redempti & acquisiti sumus, non potentiâ. Iugum illius suaue est, & onus leue: est enim iugum amoris, quo nihil suauius; onus est charitatis, quo nihil leuius. Regimur simul & pascimur, quia virgo pastorali, imò & gratiâ agimur spiritali.

Augustin. Enarrat. in Psal 44. circa med.

Quoad secundum. Virga est quidem, sed virga æquitatis, & omnis rectitudinis regula. Curui erant homines, Augustinus, distorti erant: sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant. Non voluntatem suam Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Irascitur enim peccator & iniquus plerumque Deo, quia non pluit: & non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodum sedent quotidie homines vt disputent contra Deum: hoc facere debuit hoc non benè fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando coniungis? Colliniari non potest. Tanquam si in pauimento æquali ponas lignum curuum: non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pauimento. Pauimentum vbique æquale est: sed illud curuum est, non coaptatur æquali. Ergo Dei voluntas æqualis est, tua curua est. Propterea curua tibi videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam, tene illam. Virga directionis est. Nam si illam velis curuare ad te, quia non potes, frustra conaris: illa semper directa est. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde & Rex à regendo dicitur. Non autem regit, qui non corrigit. Virga illa, virga directionis est, quæ regit, & corrigit. Ad hoc enim, ait ille.

Augustin. Ibidem.

Rex noster, Rex rectorum est. Quomodo & Sacerdos à sanctificando nos, ita & Rex à regendo nos. Vide virgam directionis, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Accede ad istam virgam, sit tibi Rex Christus: regat te virga ista, ne frangat te. Ergo accede ad istam virgam. Quid in eâ times. Hæc est tuta virga, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Quid times? Audis enim regem tuum, quia odit iniquitatem. Nunquid te? Sed fortè in te est iniquitas. Odit illam Deus, odetis & tu: & vnam rem ambo oderitis. Eris Deo amicus, si odisti quod odit. Ita amabis & quod amat. Sic eum dilige misericordem, vt velis esse veracem: non enim misericordia potest illi auferre iustitiam, neque iustitia misericordiam. Mansuetus est, sed iustus; parcit quidem pœnitenti, sed iniquitati non ignoscit. Omnes sumus peccatores, sed tunc recti sumus, si correcti; sumus autem correcti, dum voluntatem nostram ad diuinam voluntatem, tam iustam quàm & inflexibilem dirigimus; dum id odimus quod odit, & quod diligit diligimus. Tunc verè regimur, cum recti sumus; tunc dirigimur, cum correcti: si enim adhuc praui sumus ac distorti, non tam regendi sumus ac dirigendi, quàm corrigendi.

Recti sunt homines dũ ad voluntatem diuinam coaptati.

Quoad tertium. Plures sunt in isto regno: quotquot enim sancti sunt, seu homines seu Angeli, regnant cum Christo, & idem regnum participant & imperium. Vnxit te, Deus, Deus tuus. Græcè ὁ θεὸς cum articulo. Deinde, Præ participibus tuis, inquit. Quinam autem sunt participes, ait Chrysostomus, nisi homines? Hoc est, Christus accepit spiritum non ad mensuram. Christus vnctus, tam præcipuè quàm & propriè, alij omnes tam homines quàm & Angeli participatiuè. Idcircò & ipsi Christi quidem, dicti, sed in quantum capiti Christo, vt regi suo adunati. Locuti sumus de vncto Deo, (verba sunt Augustini) hoc est de Christo. Non potuit apertiùs dici nomen Christi, quàm vt diceretur vnctus Deus. Quomodo autem speciosus formâ præ filiis hominum: sic vnctus oleo exultationis præ participibus tuis. Qui enim participes eius? Filij hominum: quoniam & ipse filius hominis particeps factus est mortalitatis illorum, vt faceret eos participes immortalitatis suæ. Id est, naturam suscepit humanam, licet infirmam ac miseram, vt homines immortalis suæ vitæ, seu perfectæ felicitatis consortes redderet. Diuinitas quidem non vngitur, sed vngit, vt sanctitas essentialis fontalisque: humanitas verò, imò & Christus Deus vngitur & vngit, quia de plenitudine nos omnes accipimus, & gratiam pro gratiâ, id est, non solùm gratiam, sed & gloriam, seu duplicem ex eodem fonte haurimus vnctionem. Sed & quicumque sancti sunt, vncti sunt: oleum enim istud non corporale est, sed spiritale: diciturque oleum exultationis seu lætitiæ, quia delibatur quidem ex gratiâ, sed consummatur in gloriâ, seu æternâ coronatur lætitiâ. Propterea vnxit te Deus oleo, scilicet, (vt exponit Aquinas) sanctificationis, quod Deus mandauit fieri. Quia ergo tunc vngebantur homines, vel propter celebritatem personæ: conuenit Christo vngi oleo sanctificationis & exultationis præ participibus. Ipse enim habet vnctionem principaliter & primò, nos autem & alij ab ipso effusam. Inde alij dicuntur sancti, ipse verò sanctus sanctorum. Ipse enim est radix omnis sanctitatis. In quantum enim Deus, non recipit quidem Spiritum sanctum, sed producit; essentiam tamen accipit diuinam, sanctitatis omnis principium. In quantum autem homo Deus, totum accipit, & iuxta modulum cuique distribuit per meritum. Vnguentum istud à capite & in capite, sed ad homines descendit, quos diuinæ facit consortes naturæ. Itaque vnum sanctorum omnium regnum est, vnum imperium: in quo proinde quisque tantum obtinet potestatis, quantum habet sanctitatis: vt quisque iustior est, eo est illustrior: sicut enim regnum æquitatis est, sic & regnum est sanctitatis.

Chrysost. orat. 3.

Augustin. Enarrat. in Psal. 44. vlt. med.

Aquin. lect. 4.

Sancti à Christo duplicem hauriunt vnctionem.

DILVCI

DILVCIDATIO septima.

De virtute operationis.

CHristus excellit, ratione sanctificationis: sed excedit omnia virtute operationis, quia per eum Pater fecit & secula. Et tu in Principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli? Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt vestimentum veterascent. & velut amictum mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et hoc igitur de filio Scriptura dicit diuina, tantumque Christo Domino reddit testimonium. Et primò quidem exponit, quanta sit potentia Creatoris: secundò, quanta sit eius à cæteris creaturis distantia.

PVNCTVM primum.

De potentiâ.

SIc Deus exit à Deo, vt vnum sit cum illo, vnum sit & in illo tanquam in suo principio, à quo sic exit vt maneat, à quo sic procedit, vt extrà non prodeat. In principio erat Verbum. Et non qualecumque Verbum, sed Verbum Deus: & non vbicumque, & apud Deum. Et non vacans, sed omnia per ipsum facta sunt. Ita Augustinus. Sed sicut Filius in Patre est tanquam in principio sui, sic & Pater in Filio est tanquam in principio mundi; in quo nimirum disponit omnia, & per quem facit omnia. Sic ergo Scriptura potest intelligi. Vt sit sermo Prophetæ directus ad Patrem, (ita Aquinas) vt sit sensus, Tu Domine, scilicet Deus Pater, Fundasti terram in principio, id est in Filio tuo, qui est principium. Ioan. 8. Ego principium qui & loquor vobis. Hoc ergo tantum valet ac si dixisset, Tu fundasti terram per Filium. Psalm. 103. Omnia in sapientiâ fecisti. Filius autem est sapientia genita, vnde supra dixit eum splendorem gloriæ. Et hoc quod dicit hîc, respondet huic quod suprà dixit, Per quem fecit & secula. Verùm tria sese offerunt, quæ sensum reddunt dubium, animumque aliò transferunt. Primum est, quòd Apostolo non sit sermo de Patre, sed de Filio. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in seculum seculi. Alterum, quod præcedens Prophetæ testimonium directum sit ad Filium: cum ergo & subsequens conuertit Paulus, ad eundem dirigit. Et tu Domine in principio terram fundasti. Tertium, quod quando legitur, In principio creauit Deus cœlum & terram. De principio temporis, aut productionis intelligitur, non de Filio: igitur terra dicitur in principio fundata, quia fundata

Augustin. serm. 1. in Psalm. 101. post init.

Aquin. lect. lect. 5.

A est à principio. Potestas ergo Christi declaratur, qui non solùm Saluator hominum, sed & rerum omnium Creator, seu terrestrium, seu etiam cœlestium. Hic enim, vt loquitur Gregorius Nazianzenus, qui nunc homo est, compositionis expers erat. Quod erat, permansit, quod non erat, assumpsit. Cur tu ad id quod oculis cernitur, offendis, dum non id spectas, quod animo & intelligentiâ percipitur. Vt agnus, mutus est; sed idem, Verbum est. Moritur, sed vitam impertit, ac morte suâ mortem extinguit. In Christo Domino infirmitas manifesta, sed occulta potestas; spectanda quidem humilitas, sed
B maiestas admiranda: ille quippe, ille ipse qui factus est homo, fecit cœlum & terram; ille qui in patibulo, vniuersum vno Verbo, imò sine verbo, sed seipso condidit.

Christus quod erat permansit, quod non erat assumpsit.

Gregorius Nazian. orat. 35. vers. fin.

Vidimus potestatem Conditoris, videamus conditionem operis. Et tu Domine in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Plana sunt, ait Augustinus, manifesta sunt ista. Deus fundauit terram, scimus, opera manuum eius sunt cœli. Ne putetis enim quasi aliud Deum facere manu, aliud verbo, hoc facit manu: non enim di-
C stinctus est corporeis membris: & fortè verbum eius est manus eius, certè manus eius est virtus eius. Quia enim dictum est, Fiat firmamentum, & factum est firmamentum verbo, intelligitur fecisse. Quia verò dixit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quasi manu videtur fecisse. Audi ergo: Opera manuum tuarum sunt cœli. Ecce quod verbo fecit, vtique etiam manibus fecit! quia virtute suâ fecit, quia potestate suâ fecit: Et opera manuum tuarum sunt cœli. Aliter tamen de terrâ loquitur, aliter de cœlis: quamuis enim eadem sit potestas operantis, non est tamen eadem dignitas ope-
D ris. Terra fundata est, cœli verò diuinis manibus facti sunt. Si quidem, vt dixit Tertullianus, omnia opera sua Deus ordine consummauit, incultis primò elementis depalans quodammodo mundum, dehinc exornatis velut dedicans. Initij enim accidens est, rudimentum. Terra ergo quæ facta est, meruit & rudis dici. Terram strauit in fundamentum ac fulcrum, idcircò illam solidauit. At verò fundamentum vt plurimùm incultum est, & quasi neglectum. Cœli verò facti manibus diuinis, quasi maiori industriâ, maiori diligentiâ conditi. Dicit, Fundasti. (ita Aquinas) Vt ostendat tria ad terram pertinere. Pri-
E mò quidem terræ quietem: omnia enim alia participant motum, sola autem terra secundùm totalitatem suam immobilis perseuerat; vt sit sensus, Fundasti, id est firmasti. Psalm. 103. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Secundò, vt ostendat terræ perpetuitatem, nam fundamentum ædificij inter alias eius partes stabilius est. Terra autem in æternum stat. Eccles. 1. Et secundum hoc dicit, Fundasti terram, id est, perpetuò solidasti. Tertiò, vt ostendat terræ ordinem, quia sicut fundamentũ, quod est prima pars ædificij, est in imò ita,

Augustin. con. 2. in Psalm. 101. vlt. med.

Tertullian. lib. aduers. Hermog. cap. 29.

Aquin. lect. 5.

Cur terra fundata, & cœli manibus facti.

ita terra inter omnia elementa tenet locum A imum. Esa. 48. Manus mea fundauit terram. Non autem dicit, fecisti cœlos; sed opera manuum tuarum sunt cœli: quia illud quod aliquis facit manibus, magis diligenter videtur facere. Et ideò sic loquitur ad designandum nobilitatem, & pulchritudinem ipsorum. Esa. 48. Dextera mea mensa est cœlos.

Portò, per cœlum & terram, intelligit summam ac compendium rerum omnium, dum tam superiora comprehendit quàm inferiora: simul & quascumque creaturas in cœlis seu in terris, id est, in supremis seu in imis contentas. Vult enim demonstrare, Filium esse creatorem omnium, ac Dominum, etiam Angelorum. Sed ob oculos proponit res ipsas visibiles, seu corporales creaturas, quia eos casui subiicit & interitui, in quo sic Angelos inuoluit, vt si ipsos sciat mutabiles, non tamen pares faciat. Sic enim casui mutabiles sunt, vt sint etiam immortales: si tamen mutat o genus mortis est, & ipsi tam interitui obnoxij sunt quàm & casui. Omnia igitur omninò concipit, sed corpora proponit, seu ad sensum exponit, vt per ea intellectum euehat, transeatque vsque ad Dei solium, cuius vult virtutem declarare ac demonstrare potestatem. Attende, ait Augustinus, quid fecerit, & noli quærere quomodo fecerit. Multum est enim te comprehendere quomodo fecerit, cum teipsum sic fecerit vt priùs sis seruus obediens, & postea fortasse amicus intelligens. Vult te potius religiosum esse, quàm curiosum: brachium suspicere Creatoris, non operationis modum comprehendere: Deum credere, principium rerum omnium, quibus fecerit manibus, aut quâ condiderit industriâ, non morosè & anxiè perquirere. Licet enim Pater per Filium omnia condiderit, per ipsum fecerit & secula: tanta tamen actionis paritas est, quanta & vnitas potestatis. Nam, vti dixit Chrysostomus, qui verbo solo gubernat omnia, non opus habuerit aliquo ad producenda omnia. Quod autem hoc ita sit, vide quomodo Paulus rursus procedens, dat ei auctoritatem. Nam quoniam per ipsum quod voluit est operatus, ab eo de cætero discedens, quid dicit? In initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Nusquam illud per quem, neque quòd per ipsum fecit secula. Quid verò, an non ab ipso facta sunt? Maximè. Sed non sicut tu dicis, neque vt tu existimas, per instrumenta, neque tanquam non fuisset facturus, nisi manum ipsi præbuisset Pater. Quomodo enim neminem indicat, & dicitur iudicare per filium, quatenus iudicem genuit: ita etiam dicitur operari, quatenus genuit opificem. Si enim pater eius est causa & auctor, multo magis eorum quæ per ipsum facta sunt. Deus scilicet genuit Deum, sed æqualem sibi genuit: omnipotens omnipotentem, creator creatorem: sed quia vnus est Deus, vnus etiam & creator est omnipotens.

Augustin. con. 2. in Psalm. 101. vlt. med.

Chrysost. orat. 9.

Filius non instrumentū est Dei, sed mundi principium.

PVNCTVM II.

De distantiâ.

Distantia est quod non solùm omnia quæ sunt extra Deum, non solùm facta sunt, sed & in tantum temporalia sunt, in quantum non sunt æterna. Idcircò præcesserat in Psalmo: In generatione generationum anni tui. Quare, inquit Augustinus, non ait, anni tui in secula seculorum? Sic enim magis solet æternitas significari in scripturis sanctis; B sed ait, In generatione generationum anni tui. Sed qui anni tui? Qui, nisi qui non veniunt vt transeant? Qui, nisi qui non ideò veniunt vt non sint? Omnis enim dies in hoc tempore ideo venit, vt non sit; omnis hora, omnis mensis, omnis annus: nihil horum stat: antequam veniat, non erit: cum venerit, non erit. Illi ergo anni tui qui non mutantur, in generatione generationum erunt. Est quædam generatio generationum, in illâ erunt anni tui. Quæ est ista? Est quædam, & si benè agnoscamus, in illâ erimus, & anni Dei in nobis erunt. Quomodo in nobis erunt? Quomodo ipse Deus in nobis erit: vnde dictum est, Vt sit C Deus omnia in omnibus. Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus; sed anni Dei, æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Iam ergo subiicit. In principio terram tu fundasti Domine. Noui æternitatem tuam, quæ præcedis omnia quæ fecisti. Principio tu Domine terram fundasti. Et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu verò idem ipse es. Tu qui es: idem ipse es. Tu qui dixisti, Ego sum qui sum, idem ipse es. D Et quamuis etiam ipsa non essent nisi ex te, & per te, & in te, tamen non quod ipse es: tu verò idem ipse es. Et anni tui non deficient. Illi anni tui non deficient, illi anni tui qui erunt in generatione generationum, non deficient. Ita Augustinus.

Augustin. con. 2. in Psal. 101. circa med.

Quomodo anni Dei sunt æterni.

Augustin. vlt. med.

Omnia igitur quæ facta sunt seu creata, in tantum defectui obnoxia sunt in quantum mutationi: & in tantum intereunt, in quantum transeunt. Cœli ipsi, qui in tantum à mutatione alieni videntur, in quantum à corruptione liberi; statum nihilominus vertent, aliumque induent habitum: in tantum innouandi, in quantum immutandi. Mundi enim transfigurationem ostendit, cum dicit, Tanquam vestimentum veterascent, & tanquam amictum conuolues eos, & mutabuntur. Quod etiam dicit in epistolâ ad Romanos, nempe, ait Chrysostomus, quòd transfigu- E rabit mundum. Et facilitatem ostendens, subiunxit, Tanquam si quis conuoluat amictum, conuoluet & mutabit. Maxima consolatio, nosse quòd res non sic erunt, sed omnia

Chrysost. orat. 3.

omnia accipient mutationem, & omnia mutabuntur. Ipse autem manet perpetuo viuens, & infinitè viuens. Et anni, inquit, tui non deficient. Non minus omnia defectûs, quàm & profectûs sunt capacia: nec ipsi cœli, licet adeò sublimes, adeò præcellentes, eximendi sunt; vtpote in statum præstantiorem, & meliorem habitum transmutandi, sicque tanquam attriti ac veteres, renouandi. Ecce, ait Augustinus, in literis pietatis Hebræorum, dicitur Deo, Opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt. Numquid quando cœli peribunt, mundus, cuius iidem cœli superior pars est & tutior, non peribit? Et in literis quidem sacris, quæ propriè nostræ sunt, non Hebræis nobisque communes, id est, Euangelicis & Apostolicis libris legitur: Præterit figura huius mundi. Legitur, Mundus transit. Legitur, Cœlum & terra transibunt. Sed puto quòd præterit, transit, transibunt, aliquanto mitius dicta sunt, quàm peribunt. Hoc autem quod de Psalmo commemoraui, nullum cœlorum videtur relinquere, quod periturum esse non dixerit. Vbi enim dicitur: Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, quàm nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum à perditione secernitur. Si autem sic de cœlis dictum, quid dicendum de cæteris?

Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 24

Cœli cũ cæteris elementis innouandi.

Non tamen hîc scrupulosè examinandũ, aut contentiosè affirmandum de vetustatis facie, aut corruptionis specie; cum nihil aliud prætendat Apostolus, quàm distantiam Creatoris à creaturis demonstrare; & in æternitate seu immutabilitate collocare præstantiam. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ibi vera oppositio est, ibi certa distinctio. Deus, vt loquitur Gregorius Nazianzenus, & semper erat, & est, & erit; vel, vt rectius loquar, semper est. Nam erat & erit, huius nostri temporis, fluxæque & caducæ naturæ, segmenta sunt. Ille autem semper est: vniuersum enim esse in seipso complectitur, quod nec principium habuit, nec finem habiturum est, quasi pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans, mente solâ adumbratum, & quidem perexiguè ac perobscurè, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum, priusquam teneatur, effugiens; & priusquam intellectu percipiatur, seipsum fugâ proripiens; tantùm principem nostri partem, eámque purgatam, collustrans, quantum oculorum aciem perstringit fulguris celeritas haudquaquam permanentis: meo quidem iudicio, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat, quatenus autem capi nequit, admirationem sui excitet, atque ex ipsâ admiratione vehementiùs desideretur; desideratus purget, purgans autem diuinos efficiat; cumque id consecuti fuerimus, iam velut cum familiaribus colloquatur, Deus Diis vnitus & innotescens. Ita se gessit erga Moysem, quem habere voluit familiarẽ, Deumque Pharaonis constituere: dicens, Ego sum ens, non certo ac determinato modo, sed tam simpliciter existens quàm & independẽter; ens tam interminabile, quàm & immutabile, in nihil incipit, nihil transit aut præterit, nihil desinit. Hæc propria differentia, propria distantia. Si enim, vt ait Origenes, aliquid in creaturis hoc nomine vel hac significatione appellari posset, nunquam diceret Dominus hoc sibi esse nomen. Sciebat enim se solum esse, creaturas verò à se accepisse vt essent. Nam & vmbra ad comparationem corporis non est, & fumus ad comparationem ignis non est. Cætera, minuta sunt entia & vmbratilia, ex placito creantis & arbitrio seruantis pendentia. Quæ fierat Moyses non perscrutandi curiositate, sed necessitate ministrandi: & hoc audierat, vt nosset stabilem & immutabilem Dei æternitatem, sciretque nullam omninò creaturam factori suo comparandam.

Gregorius Nazianzen. orat. 42. post init.

Cur Deus se ostendat fugiens & proripiat.

Origen. Hom. 10. in lib. Regum.

DILVCIDATIO VIII.

De sede Maiestatis.

CVm canit Psaltes, Non est similis tui in Diis Domine, Christi excellentiam quantum ad duo, vt Aquinas notat, in verbis istis exprimit. Primò, quantum ad comparationem ad alios Deos, cum dicit, Non est similis tui in Diis Domine. Secundò per comparationem ad effectus, cum dicit, Et non est secundùm opera tua. Comparationem ad effectus elucidauimus: nunc resumimus comparationem quoad Angelos tanquam alios Deos, dicimúsque illi sedem honoris denegatam, & speciem seruitutis impositam.

Aquin. in Prologo.

PVNCTVM I.

De sede honoris.

QVanti sunt Angeli boni, si etiam mali cæteris excellunt creaturis? Ita Iob de pessimo: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Potestas quippe eius, vt exponit Gregorius, super terram cunctis eminentior perhibetur: quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ Angelicæ conditione transcendit. Quamuis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem non amisit, cuius adhuc viribus humana omnia superat. Nihil excellentius Angelicâ naturâ fecit Deus, nihil virtute ac potestate præstantius, imò nihil sibi vicinius condidit ac similius. Quoniam enim, vti dixit Gregorius Nazianzenus, bonitati minimè satis erat suâ ipsius solius contemplatione moueri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur (id summæ bonitatis erat) primùm Angelos, & cælestes spiritus cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur ac Spiritu perficiebatur. Atque ita secundi splendores procreati sunt primi splendoris administri (siue spiritus mente præditos, siue ignem tanquam materiæ & corporis expertem, siue aliam quandam naturam proximè ad eas, quas diximus, accedentem, eos existimare oportet, gestit quidem animus dicere ad malum immobiles, ac solummodo ad bonum

Gregorius lib. 34. Moral. c. 17.

Gregorius Nazianzen. orat. 42. cit. med.

bonum propensos, vtpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes. Verùm vt non omninò immobiles, sed ægrè mobilés existimen ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer. Posteaquam autem primas partes præclarè constitutas vidit, alterum mundum, materiâ constantem & spectabilem cogitauit: vt perspicuum faceret, se non modò sibi cognatam & propinquam naturam, sed etiam omninò alienam posse procreare. Diuinitatis enim propinquæ sunt intelligentes naturæ, quæ mente solâ percipi queunt: alienæ autem omninò, quæcumque sub sensus cadunt. Sic ergo mens iam & sensus, sic inter se discreta, finibus suis se continebant, effectorisque Verbi maiestatem in seipsis ferebant, taciti laudatores, insignis opificij, & canori præcones. In tantum eminebant Angeli, quantum intellectus suprà sensum, animus supra oculum, nec corporeis duntaxat, sed & mixtis supra modum præcellebant creaturis.

Quanta Angelorum supra cæteras creaturas excellentia.

Sed quantum præstent illi, cæterasque superent creaturas, non tamen in throno sedent; nec locum honoris habent, nec gradum obtinent maiestatis: adeò vt sicut nullus est inter præstantiores etiam homines qui comparetur Angelo; sic & nullus est etiam inter Angelos primarios, qui Christo iure seu iustè comparetur. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis? Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. In quo tria notanda sunt. Primum est, Deum nec dexteram habere nec sinistram: sed eâ metaphorâ scabellum pedibus Christi substerni, quâ Christum ad Dei dexteram constitui. Sicut ergo per scabellum pedum intelligitur infima subiectio repugnantis, sic & per dexteram Dei, seu, vt ab initio dixit, per dexteram maiestatis, suprema innuitur regnantis subuectio. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Quid est regnare? Sedere ad dexteram maiestatis, sedem honoris obtinere. Quamuis enim fortean apud Romanos sinistra honoratior haberetur dexterâ, ideóque illa diceretur interior, exterior ista; quasi illa tecta esset ac protecta, ista nuda & exposita; claudebant enim tegebantque latus ipsi laterones, & quasi anteambulones paululum præcedebant dominum. Dixi, fortean: nam etsi verum id in Circo Romano, non tamen adeo certum in honoris sede, & honore incessionis. Quicquid sit de Romanis, indubitatum est de Hebræis, apud quos sedere ad dexteram Magnatis, est gloriam obtinere, cæteris ab illo præferri, in honoris sedem aut apicem illo disponente ac volente euehi. Ita illi, Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloriâ tuâ. Ita & Christus ipse dexteram electis assignat sinistram seruat reprobis: tanquam medio sedente Christo, & illos exaltante, istos verò condemnate. Alterum, quod adnotandum est, locum à Paulo citatum ad Hebræos, iam à Christo productum aduersùs Pharisæos: adeò indubitatum id de Christo intelligendum, vt nullus potuerit ei respondere, aut nodum de honoris sede, aut inæqualitate dignitatis, inter patrem & filium, seu inter Dauidem, & Christum dissoluere. Tertium, illud, Quoadusque, seu, Donec, non negare Christum non regnaturum, inimicis subactis; sed potius, regno scilicet firmato, confirmare. Cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Id est, vim omnem hostilem, tuo resistentem imperio. Volo te regnare sine vllâ contradictione, sine aduersariâ potestate, sed volo te definitum expectare terminum. Interim sede, & requiesce: dignitatem supremam, simul & pacificam, licet tumultuantibus adhuc hostibus possessionem accipe: omnes enim rebelles tibi subiiciam, regnúmque tuum in æternum stabiliam. In sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.

1. Corinth. cap. 5.

An sinistra sit honoratior dexterâ.

Matt. c. 10.

1. Corinth. cap. 15.

Heb. cap. 10.

Indè igitur tria sunt elicienda. Primum est, dexteram maiestatis, prærogatiuam esse dignitatis. Princeps Sacerdotum ait Hilarius, etiam cum sacramento interrogat, dicens: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas si tu es Christus Filius Dei. Sed expectandum est, qui tandem sit responsionis profectus. Nempe quod sequitur ad id quod dictum est. Tu dixisti. Verùm dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Qui filius hominis est, idem & Filius Dei est. Natura generositatis, in filij hominis assumptione non deperit: nam non idcircò non Dei Filius, quia & hominis est filius. Non enim diuinitatis fit decessio, cum humilitatis accessione, nec per consortium infirmitatis contumeliam virtus excipit: quippe cum infirmitas honore sit donata virtutis. Nam hominis filius à dextris Dei assidet veniens cum cœli nubibus contuendus. Quod dicto, Prophetia consummatur illa, quæ dixit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Cum enim ait: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei; tempus quo filius hominis qui & Christus & Dei Filius, & consensu Dei dignandus esset, ostendit. Quasi recognoscatur vt verus Dei Filius, & inuicem Iudicis supremi, in sedem præcipui restituatur honoris. Alterum, prærogatiuam illam soli Christo seruatam, cuiuis homini, cuiuis etiam Angelo denegatam. Vnus enim iudex, qui potest saluare ac perdere: cæteri iudicandi sunt. Sedit à dextris Dei, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Mortales & immortales. Sedit, & in æternum sedebit, sempiternum adeptus imperium. Vnus est Filius Dei naturalis, idem cum Patre Deus: cæteri sunt adoptiui. Quod enim dictum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est, à Domini vnius sacramento, (ita Hilarius) Christum non separat; cum tantus Patriarcha & Prophetes, eum, qui ex vtero Domini antè luciferum genitus esset, Dominum sibi profiteatur: non vtique immemor legis, neque ignorans Dominum alium non confitendum; sed eum qui sacramento naturalis natiuitatis ex incorporali Dei vtero substitisset, absque violatæ legis fide Dominum esse intelligendum, cum vnus ex vno per vnius Domini naturam haberet in se naturale quod Dominus est. Tertium denique, sic Christum euehi ad sedem honoris, sic Angelis supremis, nedum inferioribus præferri hominibus, vt semper originem recolat, & in assumptâ naturâ, Patrem agnoscat superiorem.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 2. vlt. med.

Confessio dignatur Dei qui maiestati sociatur.

Hilarius lib. 9. de Trinit. cit. med.

Ad

Ad quem Angelorum dixit aliquando. Nulli, & nusquam dixit. Neminem vnquam sic extulit. Sede à dextris meis. En locus honoris, suggestus iudicis, Christo Domino collatus. Quoadvsque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ille nimirum qui dicit, idem & qui facit; Dominus scilicet, qui inimicos Domini nostri subiicit, nec ad solium vsque tantummodo, sed & ad solum adigit. Dixit, non quicunque: ait Augustinus: sed dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Fremant, meditentur inania, perstrepant, nunquid implebitur: periit memoria eorum cum strepitu? Apparet euidentissimè, non de illo regno Christi Prophetam loqui quo regnat semper apud patrem, rerum Dominum quæ per illum creatæ sunt. Sed illud dispensatorium regnum, quo nos per medietatem carnis suæ vocauit in æternitatem, incipit à Christianis, & regni eius non erit finis. Ponuntur ergo scabellum pedum eius inimici eius, sedentis ad dexteram patris, ponuntur, vt dictum est. Id enim agitur, id vsque in finem omninò peragitur.

Augustin. in exposit. Psalm. 109. cir. med.

PVNCTVM. II.

De specie seruitutis.

SI Christus omnium Dominus constitutus est, nec hominum duntaxat, sed & Angelorum omnium: non solùm homines sed & omnes Angeli serui sunt, ad imperium Christi Domini pendentes, & impositum sibi exercentes ministerium. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Vbi quando Paulus dicit, omnes, neminem excipit. Cum addit, In ministerium missi. Speciem ostendit seruitutis. Denique cum concludit, propter eos, qui hæreditatem capient salutis: Finem dispensationis aperit.

Quoad primum. Omnes sunt administratorij spiritus, qui mittuntur, Græcè πνεύματα ἀποστελλόμενα, emissi, & demandati, seu excuntes, mandatisve prodeuntes exequendis. Sicut enim adorant omnes, sic & omnes ministrant. Solus enim Christus Dominus est, sedens ad dexteram maiestatis, & gloriam diuinitatis obtinens, cæteri omnes, etiam superbiores Angeli, nedum infimi, adstant, expectantque verbum sibi fieri, nouumque imponi ministerium. Si enim Cherubim mittuntur & Seraphim, qui supremi creduntur, quinam ex infimis non mittuntur & mediis? Et si Filius ipse à Patre missus venit in hunc mundum, suúmque tam realiter quàm & personaliter exercuit ministerium: quis imperio Dei contradicere præsumat, imò quis in regno Christi seruire non ambiat? Spiritus sunt, sed Angeli, seu nuntij. Excelsi sunt, sublimes sunt, sed omnes Christo Domino subditi. Constat, ait Tertullianus, ipsum Dei Filium Moysi esse loquutum, & dixisse ad populum: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est populi, qui te custodiat in itinere, & introducat in terram

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap 9.

A quam præparaui tibi. Nec nouum est Spiritui sancto Angelos appellare eos, quos ministros suæ virtutis Deus præfecit. Quid ergo dicis Angelum, nisi diuinæ virtutis, seu æternæ dispositionis non credis ministrum? Et si præfecti seu principes delegantur, an oriantur alij quasi inutiles. Porrò cum Paulus collationem instituit cum Christo, exceptionem omnem adimit, neminémque in regno eius permittit, nisi seruientem. Angeli quidem, vt edisserit Aquinas, dicuntur Dij, propter abundantissimam refulgentiam diuinæ claritatis: sed illi non sunt similes Christo in Dijs, qui est splendor paternæ gloriæ: constitutus ad dexteram in cœlestibus suprà omnem principatum. Prophetæ verò dicuntur Dij, quia ad ipsos sermo Dei factus est. Ergo multo excellentius est Deus Christus, qui est substantialiter ipsum verbum Dei. Christus non est minister, sed Dominus dominantium: ergo Deus magnus super omnes Deos, quia splendor, quia Verbum, quia Dominus est. Dominatur in regno suo, in quo sic Angelus sociatur, vt sciat se seruum, & mandatis se sistat expeditum protinus exequendis.

Nullus Angelus à congruo exemptus ministerio.

Aquin. in prologo.

B

Quoad secundum. Tria sunt aduertenda. Primum est, semper aliquos mitti, alios missionem seu iussionem operiri? Nonne omnes C sunt administratorij spiritus, in ministerium missi? Ex Græcis, Nonne spiritus sunt qui mittuntur? Quasi continuum sit, mandante Christo, & hoc seculo durante, ministerium. Et Christus quidem sedet à dextris Dei regnans & imperans. Quis verò assidet Angelorum seu spirituum beatorum? Nonne omnes stant & ministrant, tam fideles in officio, quàm & infatigabiles in ministerio. Id adeò verum est ac certum, vt submissione opus sit, non responsione. Secundum nullos Angelos, esse hominum seruos, sed tam superiores quàm inferiores, esse diuinorum nuntios mandatorum: licet enim propter homines missi sint, licet ad D inferiores destinati; à Deo tamen & Christo delegati sunt, tanquam supremæ executores potestatis, diuinæ voluntatis interpretes: ei quippe seruiunt, cui subsunt; ideóque ministri Dei sunt non hominum; licet ipsorum socij digniores, & eius conserui cui omnes seruiunt. Nos enim, vt dixit Chrysostomus, etiamsi serui, sed conserui Angelorum. Quid, inquit Paulus, Angelos hiantes suspicitis? Sunt serui Filij Dei, & in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem. Quamobrem sunt nostri conserui. Ad nostram quidem salutem quam procurant, sed ad diuinam E voluntatem cui ministrant. Tertium, Apostolum, nón distinguere ministerium, sed ad arbitrium mittentis seu iubentis remittere: quamuis enim congruum sit minima minimis, maxima maximis demandari: nihil tamen indignum, ordinante Deo, seu Christo imperante, maximos ad infima, infimos ad maxima deputari. Præter omnia, ait Gregorius Nazianzenus, & antè omnia, clamabo, Valete Angeli, huius Ecclesiæ præsides, meæque præsentiæ ac peregrinationis: si modò in manu Dei res nostræ sunt. Tantæ Ecclesiæ, Constantinopolitanæ scilicet præsides, tantæ tutores præsentiæ, fieri præsentiæ solitariæ, seu personæ relictæ & expulsæ comites protectorésque? Sed nihil in-

Chrysost. orat. 3.

Non semper maximi minimis, aut minimi maximis deputati.

Gregorius Nazianzen. orat. 32 in fine.

tereſt minimis ad maxima, ſeu maximis ad minima, volẽte Deo, Chriſto iubente deſtinari.

Quoad tertium. Explicat Paulus, cum determinat: propter eos qui hæreditatem capient ſalutis. In quo tria ſpectanda ſunt. Primum, non ad eos mitti, qui iam adierunt hæreditatem, aut iam receperunt mercedem; cum iam illi in tuto ſint poſiti, & exempti periculo; ſed ad eos qui adhuc prœliantur, & ingruentibus pulſantur tentationibus: non igitur propter eos qui hæreditatem capiunt, ſed qui capient; qui contendunt adhuc, ſed qui peruenient ad ſalutem. Alterum, electos præcipuè proſpici, vt Deo & Chriſto charos, ideoque Angelico committi miniſterio. Propter quos mittuntur? Propter eos qui hæreditatem capient ſalutis. At electi ſoli hæreditatem capient ſalutarem: ſoli futuri ſunt beati. Sicut ergo miniſterium Apoſtolorum, propter electos deſtinatum eſt: ſic & Angelorum miniſterium, propter ipſos ordinatum. Mentes eorum ad quos loquitur, ait Ambroſius, ſubleuare volens, dicit Angelorum functiones humanæ ſalutis cauſâ à Domino directas eſſe. Filius ſicut Dominus ſaluat: iſti verò ſicut ſerui, ſaluti prædeſtinatorum deſeruiunt. Tertium, non inde reprobis Angelicum ſubtrahi miniſterium, ſed ſic iis impendi, vt ad gloriam ordinetur electorum, & ad augendam operetur ſanctorum Rempublicam. Apertiſſimè, ait Auguſtinus, ſcriptum eſt in epiſtolâ ad Hebræos, cum diſpenſatio noui teſtamenti à diſpenſatione veteris teſtamenti ſecundùm congruentiam ſeculorum ac temporum diſtingueretur; non tantùm viſibilia, ſed ipſum etiam ſermonem per Angelos factum. Sic enim dicit: Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede ad dexteram meam, quoadvſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt miniſtri ſpiritûs ad miniſtrationem miſſi, propter eos qui futuri ſunt hæreditate poſſidere ſalutem? Hinc oſtendit illa omnia non ſolùm per Angelos facta, ſed etiam propter nos facta: id eſt, propter populum Dei, cui promittitur hæreditas vitæ æternæ. Fructus ergo miſſionis, electis reſeruatus. Propter hoc enim, vt dixit Aquinas, totus ordo actionis circa nos eſt, vt compleatur, numerus electorum.

Omnia in electorum gloriâ ſunt diſpoſita.

2. Timoth. cap. 2.

Ambroſ. in Paulum.

Auguſtin. lib. 3. de Trinit. cap. 11.

Aquin. lect. 6.

CAPVT SECVNDVM.

Summa.

CHriſtianam legem docet eò venerabiliorem quò à meliore ac præſtantiore Legiſlatore inductam, & inde Hebræos ſuos iuſti admonet officij.

TEXTVS.

PROPTEREA abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem quæ cum initium accepiſset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem. Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum, Minuiſti eum paulominùs ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum: vt gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres

eos

eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

A

EXEGESIS LITERALIS.

EXPOSITA capitis præcedentis doctrinâ de excellentiâ Christi Domini, ad exhortationem transit, traditique imprimit obseruationem Euangelij.

Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus &c. Si ergo talis ac tantus est Christus, vtpote Dei Filius naturalis, præsidens in regno, & Deo proximus assidens nostrum est studiosius iis quæ accepimus attendere, Græcè προσέχειν, nostróque diligentiùs incumbere officio: ne si negligentes fuerimus & ingrati, misero pereamus exitio, effluentes, labentesque ab officio, & à Deo derelicti. Quare abundantius dixit, oportet nos intendere? nisi, vt exponit Ambrosius, quia præstantius hoc est, quàm quòd in lege solebamus audire. Hortatur itaque eos diligentiùs iis intendere quæ per Dei Filium audierunt, quàm eis quæ per Angelos dicta sunt: more suo suam illis coniungens personam in eo quod dixit, Audiuimus, atque, pereffluamus, nolens ab auditis per inania effluere audientium sensus. Scribit Hebræus ad Hebræos, séque modestiæ causâ, maximè verò exhortando inter eos interserit. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & obedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? &c. En aperta ratio cur ardentius studendum, alacriusque suscepto attendendum sit Euangelio. Nam si lex per Angelos ordinata ac disposita, robur obtinuit, meritaque præuaricantes, velut inobedientes, pœnâ puniit: quis sibi confidat euadere, quis præsumat effugere, si legem contempserit adeò salutarem, vtpote & sanctioribus munitam præceptis, melioribusque promissis sancitam. Quis ergo iustissimam euadat punitionem, si tantam legem neglexerit? Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem &c. Qualis & quanta lex illa, quàm cœlestis & quàm salutifera, quæ ipsius Christi Domini ore publicata, & testibus præordinatis tam auritis quàm & oculatis commissa, fidem fecit,

Ambros. in Paulum.

B

Cur nouæ legi studiosius attendendũ quàm antiquæ.

C

firmitatémque apud nos Hebræos obtinuit? Nec enim dicendum est testimonium, quod diuinà munitum virtute, supremâ auctoritate, varia edente signa ac prodigia, varia distribuente pro arbitrio ac beneplacito charismata, roboratum est. Effusam hîc donorum expressit copiam, cum variis dicit. Nam si virtutes tollantur, ait Athanasius, nunquam tanta hæc signa & varia à Deo ederentur. Deus quippe sanctitati procurat, dum subsignat veritati.

Athanas. in Paulum.

Non enim Angelis subiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur &c. Quid ita eleuas Angelos, & eos depr̨ætias; cum non solùm sint administratores legis, sed & orbis administratores? At enim futura viuentium terra, de quâ nobis sermo, Angelorum arbitrio & potestati subiecta non est, sed soli Christo, futurorum bonorum pontifici & arbitrio. Testatur autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominùs ab Angelis: gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei &c. Vultis probem, orbem futurum Christo subditum? Testem aduoco Dauidem, dicentem in Psalmo octauo omnia sub Christi pedibus substrata, non tantùm corporalia sed & spiritalia, præsentia denique & futura; cum enim dicit, omnia, nihil prorsus excipit. Superiùs, ait Commentator Ambrosianus, de gloriâ eius & honore narratum est, nunc ponitur & potestas, vt cognoscatur Christi Domini Maiestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim, Super opera manuum tuarum, omnis creatura illi subiecta monstratur: quia sicut à Domini opere nihil est exceptum, ita nec à potestate Christi aliquid probatur esse diuisum. Dicendo autem, omnia, nec terrena videtur excepisse, nec cœlestia. Quæ nimirum nobis promissa sunt, seu Christianis sunt reposita. Nunc autem necdum vidémus omnia subiecta ei. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum: vt gratiâ Dei, pro omnibus gustaret mortem &c. Quid dicis, omnia sub Christi pedibus substrata, cum videamus regnum eius concuti, Euangelium non à Dæmonibus, sed & ab hominibus conculcari? Equidem nondum omnia subiecta sunt, licet eatenus modò subiecta, quatenus pro

Præsentia & futura Christo sunt subdita.

Comment. Ambros.

pro certo subiicienda. Interim videmus eum A qui modico tempore inferior Angelis habitus est, vtpote mortali deiectus corpore; ob inflictam passionem, sed deuicta morte, æternitatis aditum reserasse, imperium immortalitatis occupasse; victorem à credentibus prædicatum, & vt talem ab omnibus adorari. Quis ergo neget adimplenda cætera, cum ista non dubitet adimpleta? Dixi, propter passionem mortis: sicut enim ex benignitate diuina pro omnibus passus est, sic & eadem æquitate, ab omnibus honorificatus est glorificatúsque. Neque enim vt nobis obnoxius, (ita loquitur Athanasius) sed vt gratiam faceret, ad mortem ille filium destinauit.

Athanas. in Paulum.

Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes &c. Sed nunquid Deus potuit aliter gratiam facere, aut indulgere veniam? Potuit equidem, sed decuit eum, in quem desinunt omnia, sicut & ab eo omnia incipiunt, qui iam multos in gratiam reuocasset, & tanquam filios destinasset ad gloriam; Filium suum æternæ felicitatis dispensatorem, & publicæ auctorem salutis per mortem ac crucem consummare, & ipsum sicut cæteros filios ad gloriam perfectam per probra & opprobria perducere. Nam & gloria Christi naturâ sancti, sicut & gloria Christiani gratiâ sanctificati, ab eodem Deo Patre est, qui multos habere filios voluit, & multos fratres assignare Christo, si non æquales, profecto similes: vtpote gloriam omnes assecutos per ignominiam. Omnes, ait Aquinas, ipse scilicet qui sanctificat nos, & qui sanctificamur, ex vno, scilicet ex patre. Ille qui sanctificat, ille qui glorificat. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri D mei, quos dedit mihi Deus &c. Voluit Deus Filium suum hominem fieri, & salutis auctorem felicitatisque per carnem constitui. Idcirco non erubescit homines infirmos vocare fratres suos, scit enim communem esse patrem, & hæreditatem electis suis seu filiis distribuere. Sic enim loquitur apud Psalmistam, sic apud Isaiam, à quibus non tam humanitas Christi, quàm societas exprimitur Christiani. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti &c. Quandoquidem igitur tanta fraternitas est, tanta & societas; & ipse particeps esse naturæ nostræ voluit, licet infirmæ ac miseræ; sed ita voluit, vt per mortem suam, aboleret diabolicam potestatem; & eos redderet liberos, qui metu transgressionis, & exinde prospectu mortis ex lege seu præuaricatione pendentis, seruituti per totam vitam erant obnoxij, dum tam graui succumbebant timori. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Non enim sanè Angelos asserit, sed nos Hebræos, quos eripit à morte, dum à lege redimit: dum ipse mortem pro omnibus subit, & succumbentibus reddit libertatem. Vnde sicut decuit eum fratrem nostrum fieri, id est, hominem, miserum mortalemve, debuit & pati seu compati, vt per miseriam addisceret misericordiam, causámque nostram tam fideliter quàm & constanter ageret apud Patrem, quem & placatum redderet, populóque suo propitium. In eo quippe in quo ei contigit B affligi ac perpeti, maximè idoneus est propensusque afflictis iuuandis, tentatisque liberandis. Vt homo, ait Athanas. cuncta expertus est: siquidem multa perpessa est hæc Christi caro, calletque quid pressura, quidve tentatio sit. Vnde & auxiliari potest, id est, promptior esse, manus vt porrigat, & tanquam misericors opituletur oppressis.

Aquin. lect. 1.

Iudæi à timore legis per Christum vindicati.

Athanas. in Paulum.



DILVCIDATIONES *in caput secundum.*

C LEX Mosaica Iudæis charissima, quia ab Angelis ministrata. Sed inde Apostolus occasionem arripit, Christianámque legem erigit in religiosam obseruationem; & eò diligentiorem, quò & meliora, & ab auctore digniore, præcepta sunt tradita. Sit ergo.

DILVCIDATIO I.

De obseruatione legis.

MVlta dixerat Paulus de excellentiâ Christi Domini, & in Angelos, tanquam seruos, præstantiâ. Deinde, (vtor verbis Augustini) quia tunc per Angelos, nunc autem per filium sermo factus est, consequenter aperteque demonstrans: propterea, inquit, abundantiùs oportet attendere nos ea quæ audiuimus, ne fortè defluamus: si enim qui per Angelos dictus est, sermo factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus tantam negligentes salutem? vt ostenE deret se de nouo testamento iam dicere, id est, sermone qui non per Angelos, sed per Dominum factus est: Quæ cum initium accepisset, inquit, vt enarraretur per Dominum, ab iis qui audierunt. Esto Angeli, non dico, inferioris, sed superioris ordinis, & primi legem antiquam ministrauerint, esto, & diuinam repræsentarint potestatem: sed quid illi Domino suo comparati Christo, cuius omnes ministri sunt, præcones & nuntij? Ecquid mirum, inquit, (apud Chrysostomum) si ministrant filio cum etiam ministrent ad nostram salutem? Vt si dixerit quispiam. Eis, inquit, ad hoc vtitur. Hoc est munus Angelorum, ministrare, Deo ad nostram salutem.

Augustin. lib. 3 de Trinit. c. 11.

Chrysost. orat. 3.

salutem. Quanquam multum interest inter A Angelos & homines, eos tamen propè nos deducit, propemodum nobis dicens, propter nos laborant, circa nos cursitant: siquidem constituit Deus, vt Angeli qui sunt nobis superiores, hoc habeant pro nobis ministerium: hoc enim eorum ministerium est, propter nos in omnes mitti partes. His exemplis plenum est vetus, plenum est nouum testamentum. Vides ipsos propter Deum ministrare & ministrare in rebus maximis. Propterea dicit Paulus, omnia sunt nostra, siue vita, siue mors, siue mundus, siue præsentia, siue futura. Qui dicit omnia, nullum excipit Angelorum: ne B ipsum quidem Michaëlem; quem scimus cœlestis exercitûs Principem, sed & quem legimus populi sancti, primò Iudaici, exinde Christiani custodem tutorémque; ideò sæpè legatione functum, & ad varia missum ministeria.

Apparitionibus Angelorum plenū est vtrúque testamentum.

Chrysost. Ibidem.

Porrò autem, ait ille missus quoque est filius, sed non sicut minister, neque tanquam qui aliquo fungeretur munere, sed tanquam filius & vnigenitus, & qui eadem vult quæ pater. Imò verò ne fuit quidem missus: non enim à loco in locum transiit, sed carnem suscepit. Angeli verò loca mutant, & prioribus in quibus sunt dimissis, ad alia veniunt in quibus non erant. Sic de cœlo descendit, vt non reliquerit: non C sic in hoc mundo apparuit, quasi qui prius ibi non fuerit: sed naturam induit humanam: in qua seruilem quidem accepit formam, sed connaturalem non amisit potentiam. Ipse enim qui in terris visus est filius Dei naturalis est, ideóque non seruus, sed Dominus

Inde ergo ansam arripit Apostolus, acuitque diligentiam ad comparationem salutis æternæ, per obseruationem legis Christianæ: vt hæreditatem capiant salutis: Quia, vt dixit Aquinas, oportet quòd labore, & studio & sollicitudine acquirant regnum Dei. Quanto enim amplior est fructus, tanto conatus esse debet ardentior. Vnde, vt obseruat Chrysostomus, D cum dixisset de filio & quæ pertinent ad dispensationem, & quæ ad creationem, & quæ ad regnum, & ostendisset eum esse in eodem honore, & quòd tanquam Dominus dominatum obtinet, non in solos homines, sed etiam in Angelicas potestates; eos de cætero exhortatur, ita instituta oratione, quòd nos oportet animum adhibere iis quæ sunt audita. Propterea, inquit, abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuntur. Cur abundantius? Hîc dixit, abundantiùs quàm legem, sed hoc siluit. Cur enim nos oportet abundantiùs animum adhibere iis quæ audita sunt? Non & illa & hæc E sunt Dei? Aut ergo dicit, quòd abundantiùs quàm legem: aut quòd magnoperè, non comparans. Sed absit: nam quoniam ob longum tempus habebant magnam de veteri testamento opinionem, hæc autem tanquam noua habebantur contemptui, ostendit quòd ex abundantiâ his magis animum adhibere oporteat, quodammodo propemodum dicens, Dei quidem sunt hæc & illa, sed non similiter: & hoc postea ostendit: sed nondum audet quidquam eiusmodi dicere in proœmiis, donec auditorem pluribus præoccupauerit & detinuerit. Idem igitur Abundantius, ac si diceret, Ardentiùs, diligentiúsque, non quod apud Hebræos

Aquin. lect. 7. cap. præcedent.

Chrysost. orat. 3.

Iudæi quasi legem inter & fidem diuisi.

feruor intepuisset fidei, sed quòd nondum satis fortiter tenacitérque amor apud ipsos insedisset Euangelij, veterum adhuc institutorum studiosos, & quasi legem inter ac fidem diuisos. Non tamen diuidendus est animus, sed in vnum Dominum colligendus; qui cum in figurâ visus sit olim Patriarchis, nunc nobis in propriâ personâ locutus est. Subter, ait Ambrosius, creatura omnis, supra diuinitas. Illa seruit, hæc regnat: illa subiacet, ista dominatur: illa opus, hæc auctor operis: illa adorat, hæc adoratur. Denique de Filio scriptum est, Et adorent eum omnes Angeli eius. Nonne omnes, inquit, sunt ministri spiritûs in ministerium qui mittuntur? Quia Angeli & cæteræ potestates in ministerium & obsequium Dei filio vt seruiant destinantur.

Ambros. lib. 1. de Spir. sanct. cap. 3.

Comparatio est igitur nouæ legis ac veteris, sed nouæ prælatio. Superest, ait Tertullianus, ne antiquitas suum quoque habuerit Sacramentum, nouitatem Christianam recensete, quasi & de Deo aliam, ac proinde disciplinâ quoque æmulam, cuius sophia filios suos iugulare non norit. Planè alia in Christo & diuinitas & voluntas & schola, martyria aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit, qui neminem ad huiusmodi discrimen hortetur, qui pro eo passis nihil repromittat, quia pati eos nolit. Ironia est, sed animi excitandi disciplina. Iam ergo seriò. Ideò præceptorum præcepta deducens: Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum. Hoc quidem absolutè ad omnes, dehinc propriè ad Apostolos ipsos; Beati eritis cum vos dedecorauerint, & persecuti fuerint, & dixerint aduersùm vos omnia mala propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra plurima in cœlo. Sic enim faciebant & Prophetis patres eorum; vt etiam prophetaret, quòd & ipsi occidi haberent ad exemplum Prophetarum. Quanquam & si omnem hanc persecutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, vtique per illos cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritûs sancti, in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, vt in hæreditarios discipulos, & Apostolici seminis frutices. Tanto animo suscipienda est Euangelica doctrina, tantâ constantiâ retinenda est; vt si inter persecutiones & tentationes viuendum, si ferro moriendum aut ligno; nec viuere tædeat, nec pudeat occumbere: Quando, ait ille, hoc ipsum sufficere ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & magistri; ad quarum tolerantiam ædificans, monet non eos timendos, qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant; sed illi potius metum consecrandum, qui & corpus & animam occidere & perdere possit in gehenna. Vbi tantus ardor, nullus est timor: nam maior excludit minorem, sicut & amor amorem supprimit.

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 8.

Tertullian. Ibidem.

Quo animo amplectenda sit doctrina Christiana.

Tertul. eod. cap.

DILVCIDATIO II.

De punitione transgressionis.

THronus Christi in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni eius. Virga quidem, sed æquitatis. Et idcircò ferrea dicta est, quia inflexibilis. Reges eos in virgâ ferreâ. Id est, vt exponit Augustinus: In inflexibili iustitiâ. Inde Psaltes: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ. Hæc magna pœna est, (addit ille) quæ ab iis formidatur, qui aliquid dulcedinis iustitiæ perceperunt. Qui enim perit de viâ iustitiæ, cum magnâ miseriâ per vias iniquitatis errabit. Hoc est ergo quod ait, Apprehendite disciplinam. Hoc & quod ait, Intelligite & erudimini. Nam intelligere, & erudiri, hoc est apprehendere disciplinam. Viam scilicet inire rectam, iustitiam diligere, & eam magnâ curâ excolere. Sed ne quis dubitaret de irâ Domini, aut morâ retardaret iudicij, quia dixit Psaltes, Nequando irascatur Dominus. Concludit tandem. Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. Confidite in Domino, sed de ipso nolite præsumere. Bonus est quidem, sed & iustus est. Nusquam cogitatis vindictam Domini, vel illam destinatis in clausulam seculi. Quod positum est, In breui, hoc maximè significare arbitror, (ita Augustinus) quia repentinum aliquid erit: dum hoc remotum & longè futurum peccatores existimabunt. Tria igitur exponenda sunt. Primum est, & ipsum Christum Dominum irasci & vlcisci. Alterum, iram eius & vindictam maximè in destitutione ac derelictione esse positam. Tertium, hoc propriè esse, perefluere, de via perire rectâ, & ad eam vix aut nunquam redire.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 2. vlt. med.

Augustin. sub fin.

Confidendum in Deo non de ipso præsumendum.

Augustin. in fine.

Quoad primum. Duos volebat Christos Marcion, quia vnum non capiebat bonum simul & iustum. Constituit Marion, ait Tertullianus, alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto reuelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui à Deo creatore in restitutionem Iudaici status sit destinatus, quandoque venturus. Inter hoc magnam & omnem differentiam scindit, quantam inter iustum & bonum, quantam inter Legem, & Euangelium, quantam inter Iudaismum & Christianismum. Quàm impiè dimidiat Christum ille, qui insubidè bonum & iustum separat. Vtrumque quidem testamentum idem condidit Deus, Iudaismum scilicet & Christianismum: sed qui loquebatur olim in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio suo; quem sicut constituit hæredem vniuersorum, sic & in eo totum spiritum suum, id est, non bonitatis tantùm, sed & æquitatis posuit. Imò nec scindere potuit, nec diuidere cum nullus perfectè bonus esse possit, nisi sit integrè iustus. Nam cum aliquando cum quodam Marcionita contenderem (ita Chrysostomus) asseruit hoc bo-

Tertullian. lib. 4. aduers. Mar. c. 6.

Chrysost. in epist. ad Philem. vers. fin.

A nitatis Dei indicium videri posse, si peccatorum rationem minimè exigeret. Ego verò ex abundanti ostendam, illum, nisi rationem exigeret, non esse bonum: atque ideò in primis esse bonum, quia hanc exigit Dic enim quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, esset ne vita humana? Nonne feris quoque ipsis immaniores euaderent homines? Si enim metu quoque pœnarum ac iudiciorum imminente, pisces transgressi sumus inuicem deuorantes, leones ac lupos quoque transcendimus, dum singuli quæ sunt aliena diripimus, nisi rationem à nobis exigendam pro indubitato teneremus, quanta confusio res humanas inuolueret? Quis peior,
B malorum auctor, an fautor. Quomodo porrò malis non faueat, qui non ipsis succenseat? Christum quidem bonum nullus negat? ne Marcion quidem, imò & optimum affirmat: sed optimus non erit, imò nec bonus, si iustus non fuerit. Denique iustus non erit, si iniustos sinat inultos, si malos non puniat. Sed puto, ait Tertullianus, iam & non optimus, iam aliquid & cum creatore moratus, nec in totum Epicuri Deus. Ecce enim demutat in maledictionem, & ostendit eum se esse qui nouit offendi & irasci: Væ enim dicit. Sed fit nobis quæstio de verbi istius qualitate, quasi non tam maledictionis sit, quàm admonitionis. Et quid causæ interest,
C quando & admonitio non sit sine aculeo comminationis, maximè per væ amarior facta? Et admonitio autem & comminatio, eius erũt qui norit irasci. Nemo enim admonebit, & nemo comminabitur ne quid faciat, nisi qui factum vindicabit: nemo vindicarit, nisi qui norit irasci.

Nemo perfectè bonus nisi qui integrè iustus.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 15.

Quoad secundum. Non minus quidem vltor Christus, quàm doctor; sed sicut doctor, nouam tradendo disciplinam, sic & vltor offensam subtrahendo præsentiam. Quum dicit Paulus, oportet enim regnare eum, donec ponat inimicos eius sub pedes eius: iam quidem & ex hoc vltorem Deum edicit, atque exinde ipsum qui hoc Christo repromiserit, Sede ad dexteram
D meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, & dominabitur in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ante luciferum ex vtero generaui te. Nos edimus Euangelia, nocturnâ natiuitate declarantia Dominum, vt hoc sit, Ante luciferum, & ex stellâ Magis intellectâ. Fortassean & mysticè factum sit vt nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. Sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eis. Christus enim lux mundi, illuminat hominem præsentiâ suâ, quem nec aliter excæcat, quàm
E gratiam subtrahendo, suamque subducendo præsentiam. In quo ergo ira eius seu vindicta posita est? in derelictione ac destitutione. Adeo enim non solùm bonus, sed & beneficus est, vt si quis deseratur, si quis abiiciatur; non solùm omnibus spolietur bonis, sed & malis omnibus oneretur. Sicut enim absente luce mundus tenebris horret, solisque patet insidiis; sic ablatâ Christi Domini præsentiâ, bonorum omnium spes excidit, & omnium malorum succrescit seges. Quid dicturus est in irâ suâ, quâ pœnâ malos tanquam inimicos punitурus? Ite, discedite à me. Sicut enim,

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. c. 9.

Christus in nocte natus, quia lux futurus.

Non priuat omni gratia sed abundantiori.

Origen. Tract. 34. in Matth.

enim, vt obseruat Origenes, iustis dixerat, venite,ita & iniustis dicit, didiscedite.Sicut enim bonis,appropinquatio,principium est omnium bonorum; ita malis elongatio,compendium est malorum omnium. Quid enim superest iis qui se elongant à luce, nisi vt in tenebras eant æternas;qui se elongant à via rectâ, nisi vt pereant; nisi qui noluerunt oblatam benedictionem Patris, offendât in criminis maledictioné; qui reiecerunt admonitionem æternam incurrant ignis combustionem? Quid tandem comminatus est Iudæis, quando cum illis conuersatus est?Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis,non me videbitis amodo.Grandis comminatio, & enormis punitio. Sicut enim,vt ait Chrysostomus,corpus,animâ recedente, priùs quidem frigescit, deinde putrescit & soluitur:sic & templum nostrum, Dei spiritu recedente priùs seditionibus & indisciplinatione replebitur:deinde veniet ad ruinam. Quia enim non apprehédit disciplinam,iratus est Dominus, suamque clementiam subduxit,& animam sibi reliquit,tam miseram quàm & desertam.

Chrysost. Hom. 46. in Matth.

Quoad tertium. Hoc cauet Paulus, dum & timet;ne sic anima Christiana lapsum faciat,vt regressum non inueniat. Propter quod abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuimus,ne fortè pereffluamus. Ne ob ingratitudinem derelictionem & perditionem.Quid aqua effusa?si semel pereffluat, in totum dilabitur;si defluat, nó iam in statum reuertitur aut cumulum;sed tota deperit,nec seriem admittit diffusionis,nec spem accipit restitutionis. Ita Iacob primogenito suo.Effusus es sicut aqua,non crescas. Prior quidem in donis & maior fuisset in imperio sed defecit in totum, & donis priuatus & imperio, & substantiam perdidit & gloriam. Sic & filij Israël conuenerunt in Masphat:Hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.Ritus est, quem Tertullianus vocat. Aquationem. Vt sicut aqua effusa in nihilum excidit,nec admittit recidiuatum,ita peccatum delendum est, & in totum abolendum. Ita ille, Sicut aqua effusus sum.Quasi ad nihilum redactus,& in totum dilapsus.Ne fortè ergo, inquit pereffluamus. Hoc est, vt exponit Chrysostomus,neque pereamus,neque excidamus.Ostendit enim quàm sit grauis casus:quoniam est difficile,vt id quod effluxit,reuertatur:quandoquidem hoc accidit ex socordiâ ac negligentiâ. Dictionem autem accepit ex prouerbiis. Fili, inquit enim, ne pereffluas: ostendens & quàm facilis sit lapsus,& quàm grauis interitus. Hoc est videlicet, quòd non sine periculo est non obedire.Et per ea quidem quæ adstruit, ostédit maius esse supplicium,sed relinquit in potestate auditoris,vt ipse ferat sententiam:hoc enim est maxima victoria.Quid est ergo,ne fortè pereffluamus?Id est,vt concludit Aquinas;Ne æternaliter damnemur. Sciendum est enim, quòd aliquis fluit per pœnas corporales.2.Reg.14. Quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Effluit per culpam: sed supereffluit corporaliter per damnationem æternam, quia nec testa remanet.Isa.30.Comminuetur, sicut comminuitur lagena figuli contritione validâ, nec inuenietur de fragmentis eius testa:irreparabilis ruina,& pœna interminabilis.

Genes. c.49.

1.Reg. c.7.

Tertullian. lib.de ieiun. cap.7.

Psalm. 21.

Chrysost. orat.3.

Facilis in aquâ lapsus & grauis interitus.

Aquin. lect. 1.

DILVCIDATIO III.

De ratione obseruationis.

NEcessitatem obseruationis imponit Paulus, dum ait, oportet. Nec libertatem relinquit modificationis, cum addit, Abundantiùs. Sed rationem subiungit necessitatis, dum subdit: Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Tria igitur astruit, auctoritatem, firmitatem: necessitatem: sed quia nonnulla inuoluit euoluenda: sit

PVNCTVM I.

De auctoritate.

AVctoritatis magna veteris testamenti.sed maior noui: quantum enim distat inter Angelum & Christum, tantum inter vtrumque distat testamentum: quantum enim accedit auctori,tantum accedit & auctoritati Cum dixisset Paulus:Si enim qui per Angelos dictus est sermo,factus est firmus: vide quomodo faciat comparationem(verba sunt Chrysostomi.)Illic per Angelos: hîc autem per Dominum. Nonnulli quidem dicunt Moysem tacitè significari: sed non est consentaneum. Multos enim hîc dicit Angelos. Nam & in Epistolâ ad Galatas sic dicit, Disposita per Angelos in manu mediatoris, & vbique eam dicit dari per Angelos. Ipse Moyses ait: Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia.In dextera eius ignea lex.Quinam illi sancti? Angeli. Vnde Septuaginta, Angelorum millia. Et de ipso Stephanus in concilio Iudæorum. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Hunc Moysen Deus principem & redemptorem misit, cum manu Angeli,qui apparuit illi in rubo. Hic est, qui fuit in Ecclesiâ in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina: qui accepit verba vitæ dare nobis. Accepistis legem in dispositione Angelorum,& non custodistis. Angeli verba quidem suggesserunt vitæ, sed non æternæ:promissa enim in lege temporalia sunt, sicut & Sacramenta carnalia: sed à Christo Domino, verba vitæ prodierunt æternæ, hæreditatis promissa cœlestis,spiritualis, sanctitatis mysteria.In lege,grauia mandata,imò & importabilia: iugum Christi suaue est, & onus eius leue. Denique illic seruus est, hîc Dominus. Dicit ergo Paulus, Abundantiùs oportet obseruare, propter dicentis auctoritatem, quia iste creator & Filius Dei, ille creatura & Dei minister. Obedire autem oportet magis Deo quàm hominibus & Angelis. Ita Aquinas. Vnde & Christus Iudæis ipsis: Audistis quia dictum est antiquis: Ego autem dico vobis. Oppositio est serui & Domini: simul & euictio.

Chrysost. orat. 3.

Deuteron. cap.33.

Actuũ cap.7.

Quanta sit auctoris & auctoritatis differentia.

Aquin. lect. 1.

Matth. c.5.

euictio. Ego cuius tanta auctoritas ad constringendum, quanta potestas ad puniendum: summa scilicet ac suprema. Ego principium, qui & loquor vobis. Ego sum, qui loquor vobiscum; cuius sermo, lex est; cuius voluntas, potestas est.

Tres autem inde emergunt difficultates. Prima est, legem Iudaicam, non dici Angelicam legem, sed Mosaicam. Vnde Paulus: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quomodo lex Angeli, si lex Moysi? Ipse Christus: Nonne Moyses dedit vobis legem? Inde & Iudæi ex æquo Deum inter & Moysen diuidunt omittunt Angelum. Summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum. Nam, vt ipsi regerunt: Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Porrò causa à lege inducta, & à Ioanne producta. Quia lex per Moysen data est. Nam, vt dicit Chrysostomus: Illic Moyses loquebatur, & Deus respondebat. Quomodo ergo dicitur alibi quòd lex data fuit per Moysen, hic autem per Angelos? Respondeo, legem esse Dei, legem Angeli, legem Moysi: sed diuerso modo. Dei enim, vt auctoris; Angeli, vt promulgatoris; Moysi, vt mediatoris: dici autem legem Moysi, quia non ab Angelo data est populo, sed à Moyse mediatore: sicut enim Angelus promulgator medius erat inter Moysen & Deum; ita mediator Moyses inter Angelum & populum interpositus; à quo proinde legem accepit; non ab Angelo, ideóque legem Mosaicam dixit non Angelicam. Et quidem quòd Dei esset, & ita dici posset diuina, testis Christus, cum ipsis ait Iudæis. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Quòd sit & Angeli, patet ex dictis. Sicut enim solius principis est suâ auctoritate legem instituere: (sic resoluit Aquinas) sed quandoque legem institutam per alios promulgat. Ita Deus suâ auctoritate instituit legem, sed per Angelos promulgauit. Sic enim solet infima gubernare per media, corporalia administrare per spiritalia. Quod autem sit Moysi, nullus dubitat, sed quod ita passim dicenda sit, triplex ratio confirmat. Prima, quia soli populo Iudæorum data sit, nec Deus taliter omni fecerit nationi; ideóque lex sit Iudaica, & exinde Mosaica, vt à duce seu ductore. Altera, quòd ille sequester fuerit ac minister, Deique placitum ad populum retulerit. Tertia, quod lex pædagogus fuerit in Christo, in quo non solùm præcessit Moyses, sed & præcelluit. Si crederetis Moysi, forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

Altera difficultas. Quomodo per Angelos, si per Angelum? Sicut enim vnus auctor est legis, vnus mediator, sic & vnus debet esse promulgator. Vnde hæc verba toties repetita: Hæc dicit Dominus, &, Locutus est Dominus ad Moysen. Triplex responsio. Prima est, sicut dicitur fieri per homines, quod humano fit auxilio, licet vnus aliquando & solus operetur, licet solus opituletur: ita dicitur fieri per Angelos, quod Angelico fit beneficio, licet vnus & solus faciat, solus interueniat. Ita, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. At certum est, vni vnicum dari Angelum: sed dicit id Angelis mandatum, quia ministerio fit id Angelico. Secunda, multi olim apparebant Angeli, sed pro vno veniebant, siue quia vnus cæteris emineret, tanquam aliorum Dominus: siue quiuis vnum, Dominum scilicet referret, siue multitudo pluralitatem personarum, sed maiestatis repræsentaret vnitatem. Ita de Abraham. Tres vidit, & vnum adorauit Sic enim Scriptura: Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Ecce tres videt, & vnum adorat, vnum alloquitur, quem vt principem censet, & vt Dominum reueretur. Tertia, reuerà sanctorum millia seu Angelorum affuerunt, nec vlli fuerunt otiosi: sed vnus legem ferebat, præferebatque auctoritatem, aliis ministrantibus, illis inducentibus calignem, istis terrorem, & omnibus proprium dispensantibus officium. Aderant tunc Angeli, quibus gens fuerat credita, & ipsi tubis canebant, & alia faciebant, nempe ignem & caliginem. Tria simul dicit. Primum, multos reuerà conuenisse. Alterum, eos speciatim interuenisse, qui curam susceperant populi, & in statum regni, vel boni studium promouebant Rempublicam. Tertium, vnumquemque aliquid proprij edidisse ministerij, legique inseruisse, & auctoritatem conciliando, & maiestatem commendando.

Tertia. Quomodo stabit illa differentia serui ac Domini, sic constiterit eundem semper Dominum, imò Christum ipsum interfuisse, nec minus Moysi ipsi quàm cæteris apparuisse Patriarchis? Vnus Filius, ait Ambrosius, iuxta veteris seriem testamenti ab Adam offensus, ab Abraham adoratus, à Iacob visus est. Adam quippe sapientiam Filij præsumpsit, non Patris potentiam: idcircò Filius quasi prouocatus, pactus est cum Abraham, cum Iacob luctatus est. Filius itaque est, ait Tertullianus, qui ab initio iudicauit. Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit: ab Adam vsque ad Patriarchas & Prophetas. Ita semper edisce-bat, & Deus in terris cum hominibus conuersari non alius potuit quàm sermo, qui caro erat futurus. Sic etiam adfectus humanos sciebat iam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem & animam. Sed & Paulus manifestè: Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt. Quid, eorum? Patrum, scilicet, seu Hebræorum. Idem enim Christus heri & hodie, qui nobis visus, & cum antiquis conseruatus, & quartus cum pueris Babylonio Regi conspectus, vtpote similis filio hominis. Responderi potest primò, aliud esse visionem fieri, aliud legem ferri: in visione igitur dispensandâ, filium apparuisse: in lege autem ministrandâ, interuenisse Angelum, tanquam diuinæ voluntatis nuntium, supremæ ministrum potestatis. Responderi potest secundò Christum olim visum seu Moysi, seu alteri in vmbrâ & figurâ; sed incarnatum tandem & in propriâ visum personâ. Ita Baruch. Hic est Deus

Margin notes: Heb. cap. 10. — Ioan. cap. 7. — Actuum c. 6. — Ioan. cap. 9. & 1. — Chrysost. orat. 3. — Cur antiqua lex Mosaica dicta sit, non Angelica. — Matth. c. 15. — Aquin. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 3. — Ioan. cap. 5. — Psalm. 90. — Genes. c. 18. — Quomodo Abraham tres vidit, & vnum adorauit. — Chrysost. orat. 3. — Ambros. lib. 1. de Spi. san. cap. 3. — Tertullian. lib. aduers. Prax. c. 16. — 1. Corinth. cap 10. — Quomodo Christus olim Patriarchis visus sit. — Baruch. c. 3.

Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs A eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sed quia gratis excipitur in lege, gratisque à visione excipitur. Imò quia contendit Tertullianus filium non solum apparuisse Moysi, sed & prætendit apparuisse vbique & semper in carne humanâ, licet nondum natâ, quia nondum moritura: Sine natiuitate cum carne, pro causæ diuersitate. Quasi filius non solùm in propriâ semper visus personâ, sed & in humanâ natura; aliter satisfaciendum est,

Tertullian. lib. de car. Christi c. 6.

Vltimò igitur respondendum, Apostolum B Hebræos suos allocutum, sensum eorum accepisse, & inde validum ad commendandam doctrinam Euangelicam argumentum confecisse. At quin Hebræi credebant legem dispensatam ab Angelo vno, aliis tamen adsistentibus, & terrorem iniicientibus. Ita patet ex oratione Stephani, in concilio Iudæorum habitâ, nemine contradicente, vel aliquid minuente. Sic tamen sciebant, legem ab vno Angelo dispensatam, vt à seipso, nihil diceret, sed Maiestatem Domini seu Dei vnici referret, cuius & vocem ederet. Ego Dominus. Si ergo lex ministrata est per Angelos, vtique per ministros seu seruos dispensata. Euangelium autem aliter promul- C gatum est. Christus enim auctor simul promulgator & mediator, ore proprio, & humano sermone, legem dedit & explicuit; qui licet visus olim in naturâ assumptâ, nondum tamen humanâ, vtpote nondum animata, seu ratione ac mente instructa: nunc autem non incarnatus solùm, sed & humanatus; id est, non solùm caro, sed & homo factus, voluntatem suam imò paternam declarauit; nec iam alienam vsurpauit potestatem sed propriam tanquam Deus & omnium Dominus ostendit impressitque. Angelus, ait Gregorius, qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc quod exteriùs loquendo seruiebat: Dominus autem, D quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur. Hinc Dauid ait: Attendite popule meus legem meam, inclinate autem vestram in verba oris mei. Non enim lex Dauid, aut populus Dauid erat: sed personam eius ex quo loquebatur assumens, ipsius auctoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur. Et hoc quotidie fieri in Ecclesiâ cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio populi lector clamat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Sed quod ipse Deus sit verè, profectò non dicit: nec ta- E men per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit: quia cui ministerium lectione exhibet, eius dominium voce prætendit. Omnes isti præcones sunt, non iudices; ministri non Domini; vicem gerentes alienam, non rem ipsam exhibentes. Christus autem in propria venit, legem suam tulit, & propriam explicuit voluntatem. Cum itaque, inquit Paulus, (apud Athanas.) tantopetè filius qui nobis locutus est, & Prophetas excedit & Angelos, qui veteris fuere testamenti ministri, necesse est sanè, vt quæ

Gregorius præfat. in lib. Moral. c. 1.

Præco voce vsurpat iudicis, dum sermonem annunciat.

Athanas. in Paulum.

audiuimus, & nobis sunt mandata, longè magis quàm legem aduertere. Reuerentiùs scilicet auscultare, & obseruare religiosiùs.

PVNCTVM. II.

De firmitate.

DIctus est sermo per Angelos, & tamen factus est firmus: quanto magis, si non iam per famulos, sed per Dominum ipsum prolatus? Vnde apud Matthæum, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Dicit cœlos transituros, tanquam sortem adepturos nobiliorem: verba autem sua non prætentura, vtpote nihil vnquam firmitatis, sicut & nihil auctoritatis amissura. Vt enim magis ad fidem inducat, ait Hieronymus, subdit, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Ac si dicat, Facilius est fixa & immobilia destrui, quàm sermonum meorum aliquid decidere. Nihil immobilius fixiusque videtur terrâ, nihil cœlo constantius: hæc tamen mutabuntur illa, & in alium transformabuntur habitum: verba autem mea nec accessionem accipient nec minutionem, sed perpetuam stabilitatem, sicut & æternam continent veritatem. Sed quis ille sermo? quomodo factus est firmus? Denique, quanta inde Christo seu Euangelio vindicanda constantia?

Hieronym. in Matth.

Quoad primum. Non expressit legem Apostolus, sed dixit sermonem. Si enim qui per Angelos dictus est sermo. Quid sermo? An iussio, seu præscriptio? Multa enim, vt aduertit Chrysostomus, sine lege iusserunt Angeli à Deo missi. Propterea non dicit lex, sed sermo. Aliud λόγος, aliud ῥῆμα. Vtrobique verbum, sed diuersum, Græcè enim λόγος, vt notauit Hieronymus, multa significat: nam & Verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo. Idcircò passim in Scripturis sanctis Verbum est, sed increatum, aut incarnatum; ῥῆμα autem, verbum diuinum, seu mandatum, & imperium quod proferebatur, & per Angelos edebatur tanquam internuntios. Ita: Factum est sermo Domini ad Abraham per visionē Et Heli ad Samuelem: Quis est sermo, quem loquutus est Dominus ad te, ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Sic & Ieremias: Omne verbum quodcumque responderit mihi, indicabo verbis. Inde tam sæpè. Hæc dicit Dominus omnipotens. Quæ incipientium sunt, aut desinentium; vt auctoritatem verbis concilient, & iubentis intiment potestatem. Potest igitur sermo qui per Angelos dictus est, sumi pro omni mandato per ipsos dispensato. Sed quia non tam sermonem sermoni, quàm legem legi, & Legislatorem Legislatori Paulus comparat, determinatque eò sanctius præstantiusque esse mandatum, quò à meliore auctore editum, potest ad solum restringi decalogum. Hæc, ait Chrysostomus, dicit de omnibus quæ dicta sunt

Chrysost. orat. 3.

Genes. c. 15.

1 Reg. c. 3.

Ierem. c. 14.

Verbum Domini, imperium est Domini.

Chrysost. orat. 3.

sunt & facta sunt in Veteri Testamento, vtpote A quod societatem in his habuerint Angeli. Aut decalogum dicit solum. Illic enim Moyses loquebatur, & Deus loquebatur. Sed quidni & ad totam extendatur legem, complectatúrque non moralem tantùm, sed & iudicialem & ceremonialem; cum totam acceperit Moyses à Deo per Angelos, nec alios quàm diuinos sermones exscripserit? Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: respondítque omnis populus vnâ voce: omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini. B

Exod. c. 24.

Quoad secundum. Pondus facit verbis Apostolus, cum ait, Factus est firmus. Ita & de Samuele dictum Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Nullum non obtinuit effectum suum, nullum non inualuit. Ita Salomon de Moyse. Non cecidit, ne vnus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est Dominus per Moysen seruum suum. Nihil fuit irritum, nihil vanum. Quâ phrasi dicebat Iob: Lux vultûs mei non cadebat in terram. Quæ enim in terram cadunt, firmitatem amittunt, prodúntque infirmitatem. Quæ autem stant, probant stabilitatem, firmitatémque demonstrant. Ita Christus: Facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Nihil enim infirmum, nihil inualidum, sed firma sunt omnia, vim ac robur obtinentia; quæ infirmari non possint, nec superari. Nihil temerè attentandum, quia nihil impunè violandum. Ita Samuël. Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam. Sicut enim verbum eius immutabile est, sic & inuiolabile. Superat inuincibiliter triumphátque semper, siue per misericordiam siue per iustitiam. Triumphum hunc Verbi diuini describit Psaltes cum ait: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto Græca consonant & Hebræa, diuinámque annuntiant potentiam. Nam vt obseruauit Augustinus, Latinè satis exprimi non potuit. In nominum autem Hebræorum interpretationibus inuenimus Sina interpretari mandatum. Reddens igitur causam quare lætarentur illa millia quibus constat currus Dei, Dominus, inquit, in illis in Sina in sancto: id est, Dominus in illis in mandato. Si quis petat, Vnde triumphat mandatum diuinum? Vnde tanta verbi, vnde constat tanta verbi diuini victoria? In promptu responsio est: quia nimirum Dominus est, cuius potestas summa, cuius voluntas absoluta. Quid est ergo, Sermo dictus per Angelos, factus est firmus? Quid est firmus? (ait Chrysostomus) Verus vt ita dicam, & fidelis in tempore conuenienti, & euenerunt omnia quæ dicta sunt. Hoc enim dicit, quòd vim & dominatum obtinuit, & minæ ad effectum sunt deductæ. Inuincibilis Dei vis inuincibilísque, cui vis omnis iustè cedit, cui nulla impunè resistit potentia: firmum enim imperium, quod sermone sancitum est omnipotente.

1. Reg. c. 3.
3. Reg. c. 8.
Iob. cap. 29.
Luc cap. 16.
1. Reg. c. 15.
C
D
Augustin. Enarrat. in Psalm 67. vlt. med.
Vnde tanta verbi diuini victoria.
E
Chrysost. orat. 3.

Quoad tertium. Si tanta est Verbi diuini constantia, etiam per Angelos seu seruos prolati, quanto securior ac certior si Filius ipse tanquam Dominus fidem obstrinxerit, legémque dederit proprio munitam sigillo, nec iam sermone sancitam, sed sanguine? Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Date gloriam Deo super Israël, magnificentia & virtus eius in nubibus. Inde, Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem. Ille, inquit Augustinus, qui sicut agnus coràm tondente se fuit sine voce, ecce dabit vocem suam: nec vocem infirmitatis tanquam iudicatus, sed vocem virtutis tanquam iudicaturus. Quid irridetis infideles? Ecce dabit vocem suam virtutis. Et virtus eius in nubibus. Non enim solus veniet ad iudicium, sed cum senioribus populi sui. Denique ne aliud nubes intelligerentur, secutus adiunxit, Mirabilis Deus, in sanctis suis, Deus Israël. Benè, nam, vt dixit Iacobus: Vnus est Legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare. Non quod alij Legislatores non sint ac iudices: sed quod planè diuersi ac dissimiles. Vnde Helius, (vti loquitur Gregorius) Redemptoris nostri aduentum humilem non humilis conspicit, quem elatis moribus impugnat, dicens: Ecce Deus excelsus in fortitudine suâ, & nullus ei similis in Legislatoribus. Ac si apertè dicat, Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine, Paulo hoc etiam attestante, qui ait: Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. De quo rectè subiungitur. Nullus ei similis in Legislatoribus. Legislator Moyses, Legislator Iosue, Legislatores etiam Prophetæ: Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori in Legislatoribus similis nullus est, qui sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante secula ex diuinitate dominetur. Hunc mediatorem Dei & hominum quidam Legislatoribus similem fuisse crediderunt. Sed Petrus quàm excelsus in fortitudine esset, veraciter intuens, cum à Legislatorum æqualitate discreuit, dicens: Tu es Christus filius Dei viui: homo sine peccato, Filius sine adoptione. Alij ab his quæ intra semetipsos experti sunt, prædicando redarguunt, ille non perpetrauit vnquam quod redarguit. Nullus ei similis in Legislatoribus. Homo quidem, sed super homines, extra mensuras hominum. Is videlicet qui per infirmitatem carnis, nostris obtutibus apparet, dum alios reprobat, alios vocat, mira iudicia exhibet: quæ à nobis & cogitari possint, & comprehendi non possint. Duæ igitur columnæ legem eius suffulciunt, sapientia scilicet ac potentia; duæ voluntatem eius cingunt, innocentia scilicet ac iustitia: vnde tanta Christo seu Euangelio vindicanda constantia.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 67. in fine.
Iacob. c. 4.
Gregorius lib. 27. Moral. cap. 1.
Nullus, in Legislatoribus Christo conferendus.

PVNCTVM III.

De necessitate.

MAgnum auctoritatis præiudicium, nec modicum auctoramentum firmitatis: sed maximum ac fortissimum est necessitatis vinculum, quo non solùm alligantur omnia, sed & superan

superantur. Quid enim fortius & inuictius, quàm productis obseruantiæ præstandæ argumentis, additur, concluditúrque, aut faciendum, aut ardendum? Auctoritatem produxit Apostolus, & firmitatem. Nunc, vt aduertit Aquinas: Necessitatem ostendit, quâ puniuntur præuaricantes. Vnde dicit, Et omnis præuaricatio & inobedientia, accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? In quibus tria sunt elucidanda. Distinctio, retributio, illatio.

Aquin. lect. 1.

Quoad distinctionem. Posset quidem dissimulari, sed & melius religiosiúsque posset examinari. Omnis præuaricatio & inobedientia. Duo sunt nomina, quia duo sunt malorum genera seu peccatorum distinguenda. Potest autem triplex distinctio. Prima est, vt inobedientia sit quidem infractio legis, sed nondum satis apertæ ac cognitæ: præuaricatio autem, sit legis non latæ tantùm, sed & manifestæ transgressio. Secundum Apostolum enim (vt monuit Augustinus) omnis quidem præuaricator est peccator, quia peccat in lege: sed non omnis peccator est præuaricator, quia peccant aliqui sine lege. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Porrò, si nemo sine lege peccaret, non idem Apostolus diceret, Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Peccatum quidem non aliud est, quàm ἀνομία. Vt Ioannes dixit; id est legis violatio: sed aliquando in legem peccant homines, sed nondum satis perspectam ac patentem, & inde vocantur inobedientes: aliquando peccant in legem reclamantem vtpote non propositam tantùm animis, sed & oculis expositam, & inde præuaricatores deputantur. Altera, vt vnum sit omissionis, quod proprie delictum est; alterum commissionis, quod verè est peccatum. Primum, ait Aquinas, respondet præceptis affirmatiuis, aliud negatiuis. Primum notatur nomine inobedientiæ, aliud autem notatur nomine præuaricationis. Tertia, vt inobedientia, sit culpa leuior ac venialis; præuaricatio, grauior & enormis. Et id quidem non excludit primam, ac secundam distinctionem; nam transgressio minor est quam præuaricatio, & delictum minus est quàm peccatum, sed apertiùs ac distinctiùs Apostolicam intentionem detegit. Statutum est, vt omnis qui peccat, luat: puniendum peccatum omne, non solùm graue, sed & leue: hoc necessarium: si enim puniendum non esset, peccatum non esset. Omnes ergo puniendi sunt, omnes plectendi, non solùm præuaricantes, sed & inobedientes: id est, non solùm illi qui flagitia perpetrarunt ac facinora, sed & ij qui minora factitarunt. Non hæc quidem, ait Chrysostomus, illa autem nequaquam, sed omnis, inquit, præuaricatio & inobedientia. Nihil mansit inultum. Nullum peccatum abit impunitum, seu grande sit, seu etiam leue.

Augustin. con. 25. in Psalm 118. post init.

Præuaricator peccator est, non contra.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

Quoad retributionem. Iustam eam vocat Apostolus, in quo tria simul connotat. Primum est, pœnam reddi peccato commisso vt debitum. Dignum enim & iustum est, vt qui fecit quod non debuit, patiatur quod debet; & qui ad libertatem se gessit, plectatur contra voluntatem. Malorum impietatem perire necesse est, ait Prosper, aut proprio iudicio, aut sententiâ Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit. Plectendus est peccator aut à seipso, aut à Deo, quia omni peccato debitum est supplicium: omnis culpa, omnis inobedientia pœnam affert, & innatam ex sese, ac de se profert sententiam. Alterum, culpam quidem pœnâ compensari, sed pœnam culpâ mensurari. Iustum dicit propter æqualitatem pœnæ, ait Aquinas, vt scilicet secundum mensuram peccati, sic plagarum modus. Quantum enim se quisque glorificauit vanè, aut noxiè delectauit, tantum accipit tormentum & luctum. Tertium, non minorem in malis esse quàm in bonis retributionem. Nullum bonum vel minimum, vt scyphus aquæ pro Christi nomine datur, mercedem non exigit: nullum malum vel perexiguum, vt verbum otiosum, rationem non reddit nullum non subit punitionem. Et omnis, inquit, præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, pro eo, inquit Chrysostomus, quod est castigationem & pœnam. Ita solet Paulus dictionum non magnam habere rationem, sed indiscriminatim etiam in rebus bonis ponere ea quæ malam habent significationem. Sicut etiam dicit alibi, In captiuitatem redigentes omnem intelligentiam ad obediendum Christo. Et rursus mercedis retributionem posuit pro punitione. Sic & alibi, Si iustum est, inquit, apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem. Hoc est, non interit & corrupta est iustitia, sed Deus eam est executus, & pœnas conuertit in eos qui peccauerunt. Licet grauiores grauioribus, leuiores inflictus leuioribus. Retributio enim, vt dixit Aquinas, respicit quantitatem culpæ, vt qui magis peccauit, magis puniatur. Merces verò respicit qualitatem, vt qui igne libidinis peccauerit, igne crucietur. Accipiet ergo mercedem bonam pro bonis, & malum pro malis. Et sic merces accipitur in bonum & in malum, in quantum importat iustitiam distribuendi. Merces enim retributio, sicut & meritum, verba sunt media.

Prosper sent. 96.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

Merces, retributio, meritum, verba sunt media.

Aquin. lect. 1.

Quoad illationem. Argumentatus est Apostolus, à minore, vt dicunt, ad maius, nunc infert, apertámque refert consequentiam. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Lex quidem antiqua vitam promittebat, sed temporalem: ita & pœnam sed temporalem imponebat. Lex noua promissionem habet quidem æternæ vitæ, sed & gehennæ, seu æternæ comminationem vindictæ continet. Præmisit exhortationem ipse Dominus, (verba sunt Augustini) dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & amplius non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennâ ignis. Maiore námque timore minora contemnimus, & maiore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus. Nam & hîc deliciæ temporales dulces sunt: & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem seculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Hinc ergo vt liberemur clamemus ne fortè in pressuris consentiamus iniquitati, & verè irreparabiliter sorbeamur. Quem finem proponit lex antiqua?

Augustin. Enarrat. 1. p. Psal. 68. post init.

Temporalia præ æternorum prospectu contemnenda.

antiqua? prosperitatem & pacem. Quem intendit finem lex noua? salutem, beatam æternam felicitatem: cui tamen pœna est opposita, ideóque & æterna. Apparuit quidem olim Christus in figurâ humanâ, ideóque omnia adhuc in vmbrâ: nunc autem & in propriâ personâ apparuit, & in humanâ naturâ, ideóque & meliores reuera sanciuit repromissiones, sed & acerbiores punitiones proposuit. Consequenter ergo cum dicit, Quomodo nos effugiemus: ponit consequens suæ conditionalis: in quo, ait Aquinas, describit conditionem Noui Testamenti, ostendítque necessitatem obseruandi. De salute enim agitur, aut de perditione: non iam de morte defluente, vel de mercede prætereunte, sed de regno æterno, aut de æterno contenditur supplicio. Vide, ait Chrysostomus, quomodo faciat comparationem. Illic quidem sermo, hîc autem salus. Quomodo ergo, inquit, nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Pulchrè enim addidit, Tantam, per hæc significans illam non magnam fuisse salutem. Non enim, inquit, nos nunc seruabit à bellis, neque præbebit terram, & bona quæ sunt in terrâ: sed mortis erit deletio, sed diaboli interitus, sed regnum cœlorum, sed vita æterna. Hæc enim omnia compendio ostendit, dicens, Si tantam neglexerimus salutem.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

ELVCIDATIO IV.

De confirmatione salutis.

QVid putas salutem? Doctrinam ipsam salutarem, quæ fidem exstruit, & salutem promittit. Quomodo existimas confirmatam fuisse, auctoritatem obtinuisse ac firmitatem? Tribus modis, quasi tribus argumentis, tam inuincibilibus, quàm euidentibus. Primum est, originalis dogmatum traditio: alterum, vniuersalis miraculorum operatio: tertium, liberalis charismatum distributio.

Quoad primum. Quàm certa doctrina, quámque salutifera: Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Tria notantur: origo, traditio, confirmatio. De origine loquimur quoad doctrinæ enarrationem, non quoad emanationem sapientiæ. Nam doctrina quidem à Christo consignata est, sed à Deo accepta tanquam à principio. De traditione, quoad prædicationem doctrinæ: nihil enim profuisset consignari Apostolis, nisi Christus ipse iussisset publicari. De confirmatione, quoad probationem, quomodo enim homines accepissent, quomodo credidissent infideles, nisi ab iis audiuissent, qui & ipse testes essent sufficientes & idonei. Si primum defuisset, doctrina non fuisset adeò certa; si secundum, citò fuisset extincta; si tertium, non fuisset tutò credita. Hinc igitur, ait Tertullianus, dirigimus præscriptionem. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit, quia nec alius Patrem nouit nisi Filius, & cui Filius reuelauit, nec aliis videtur reuelasse Filius, quàm Apostolis quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viuâ, quod aiunt, voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem, doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum; & Christi, & Dei. Duo igitur in disciplinâ Christianâ maximè ad commendationem seu probationem spectanda sunt. Primum, à quo sit tradita, alterum, quomodo sit tradita. In primò, notatur origo, in altero, ordo declaratur. Etenim, vti dixit Irenæus, Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est Dei Filij doctrinam, cognouimus, quibus & dixit Dominus, Qui vos audit, me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui me misit. Ita dispositionem accepimus salutis nostræ, ita confirmationem diuinæ dispositionis inducimus. A quo igitur accepit initium? à Christo Domino, Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum. Quibus consignata est: Apostolis, viris electis à Christo, à Deo approbatis. Sic ergo doctrina Christiana confirmata est apud nos, nec Iudæos tantùm, sed & Græcos; id est, vbique inualuit, &, vt dicam ex Chrysostomo: Vim & dominatum obtinuit. Subiungit enim Paulus id quod efficit vt sit credibile & fide dignum. Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum. Hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Non homo eam traiecit in terram non creata potestas, sed ipse Vnigenitus. Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Credita fuit. Non est extincta, non desiit, sed dominatum obtinet & superat. Ij enim qui à Domino audiuerunt, ipsi nos confirmarunt. Magnum est hoc & fide dignum. Quod quidem Lucas quoque dicit in initio Euangelij. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 1.

Duo sunt in fide spectanda, ordo & origo.

Irenæus præfat. in lib. 3.

Chrysost. orat. 3.

Quoad secundum. Prima quidem illa præscriptio inuicta est, & certa confirmatio. Sed si nihil excipi potest, potest tamen aliquid obiici. Nec enim nos Christum vidimus, nec Apostolos audiuimus; & si vidissemus Christum, & audiissemus Apostolos: nondum tamen res acta est, nondum fides in nos confirmata. Quomodo fuit confirmata: ait Chrysostomus. Quid enim si ij qui audierunt, ipsi finxerunt? Hoc ergo refellit Paulus, & ostendit non esse humanam gratiam. Nam si finxissent, Deus eis non tulisset testimonium. Quomodo fert testimonium? Non sermone, neque voce. Nam est & quidem hoc quoque credibile. Quomodo ergo? Signis, & portentis, & variis virtutibus. Hoc est, non temerè ac leuiter illis crediderunt, sed per portenta, & tot signa & tam differentia. Causa igitur est, quia diuina virtus operatur. Quamobrem non illis credimus, sed Deo. Expendit vocem Græcam, velut efficacem & exquisitam, nec simplicem sed compositam συνεπιμαρτυροῦντος, Deo coattestante, fidem

Chrysost. Ibidem.

fidem probante, & sermonem confirmante signis multimodis, & diuersis portentis. Signa sunt, quæ diuinam ostendunt virtutem, quæ testatam faciunt veritatem: prodigia, seu portenta quæ prouocant attentionem, stuporem excitant, nedum admirationem. Virtutes singulares, quæ tamen tam vniuersaliter quàm & efficaciter traditam confirmant doctrinam, dum diuinam declarant potentiam. Dicunt Apostoli, quod audierunt; sed quod dicunt, satis probant, dum diuino firmant suffragio, dum signis confirmant non vulgaribus, sed innumerabilibus prodigiis. Deus enim est, qui facit mirabilia magna solus, ideóque dum portenta facit, certissimum fidei seu veritati reddit testimonium. In plurimis quidem, ait Hilarius, humanorum operum gestis, multa magna & mirabilia extiterunt. Sed quicquid in his gestum est, ad eum refertur cuius virtus illa gessit. Multa mirabilia Moses in Ægypto egit: sed testimonium Magi incantatorésque perhibent, quia in operibus illis digitus Dei est, sicut scriptum est. Dixerunt ergo incantatores Pharaoni: Digitus Dei est hoc. Ex quo ostenditur virtutem Dei per Moysen operatam fuisse, cuius tum illa ministerio gerebantur. Magni quoque miraculi illud fuit, tum cum dicente Iesu Naue sol stetit contra Gabaon, & luna contra vallem Haylon. Nescio quid hoc mirabilius effici possit: cum verbo hominis sol & luna in Dei vnius moram excursûs sui lege detenti sunt. Sed virtutis huius auctorem scriptura mox addidit, dicens: Nō fuit dies neque priùs neque postea, vt sic exaudiret Deus hominem: quia Dominus pugnauit pro Israël. In eo enim quod Iesus exauditus est, & pugnabat Deus in Israël: virtus eius in gestis, qui & pugnabat, & exaudiuit, ostenditur. Quomodo ergo salutifera illa doctrina in nos confirmata est? Contestante Deo signis & prodigiis & virtutibus variis. Probante Deo per vniuersalem signorum ac miraculorum operationem, vt clarum sit manifestúmque traditionem dogmatum humanam non fuisse, sed planè & apertè diuinam. Quibus si quis non assentitur, (vt dicam ex Irenæo) spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem, & est à semetipso damnatus, resistens & repugnans saluti suæ.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 135. in med.

Prodigia à Deo solo sunt edita.

Irenæus lib. 3. aduers. hæres. c. 1.

Quoad tertium. Nec Christus quidem sine signis & prodigiis, seu sine Patris operibus, & virtutibus diuinis admittendus. Volens itaque Filius hominis natiuitatis suæ fidem facere, (verba sunt Hilarij) factorum suorum nobis posuit exemplum, vt per inenarrabilem gestorum suorum efficientiam de virtute natiuitatis inenarrabilis doceremur: cum aqua fit vinum, cum quinque panes saturatis quinque millibus virorum excepto sexu & ætate, reliqua replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, & nescitur: fit, & non intelligitur: ratio non apprehenditur, effectus ingeritur. Idoneum quidem traditæ veritatis testimonium est, diuinæ potestatis argumentum: quod enim humanâ prædicatur voce, diuinâ virtute, tam amicâ veritatis, quàm falsitatis nesciâ confirmatur. Nondum tamen actum est, aut nondum peractum. Tria enim adhuc quæri possunt, & disquiri. Primum,

Hilarius lib. de Trinit. vlt. med.

Miracula & oracula simul collata.

A an verum sit miraculum, seu certum diuinæ virtutis argumentum. Vt enim verum sit miraculum, debet potentiam & industriam superare naturæ non humanæ tantum, sed & Angelicæ, solámque appellare omnipotentiam. At quis istam vel illam definiat? Secundum, an in probationem seu confirmationem prædicatæ salutis, seu veritatis annuntiatæ sit editum. At quis præscribat Deo, nec dictis hominum, nec temporum alligato circumstantiis? Tertium, an sit indubitatum, seu certâ fide, & plenâ relatum auctoritate. Quis id sciat, cum ea quæ tenebantur vera, falsa nonnunquam deprehendantur; &
B ficta pro certis, vel audita pro veris obtrudantur. Restat igitur vltimum veritatis annuntiatæ, seu diuinæ virtutis testimonium, quod non solùm alia omnia superat, sed & fluctuantem vacillantémque animum in totum confirmat. Et Spiritûs sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem. Hoc vltimum seruatum est, tanquam telum potentissimum. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd testimonium est per loquelam: loquela est signum sensibile. Deus autem duplici signo sensibili contestatus est: scilicet miraculis, & donis Spiritûs sancti. Et quantum ad secundùm, scilicet quantum ad dona, dicit, Et Spiritûs sancti distributionibus. Diuisiones enim gratiarum sunt, idem
C autem Spiritus. Quia alij datur sermo sapientiæ, alij prophetia. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Dixi, vltimum tanquam potentissimum, cum alia calumniæ pateant, & omnia cedant prophetiæ. Quid enim? (ait Chrysostomus) quòd & præstigiatores signa faciunt, & Iudæi Christum in Beelzebub dicebant eiicere dæmonia. Propterea dixit, Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. Inde námque tam conuincens prædicationis argumentum, quàm euidens diuinationis testimonium. Si enim conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur,
D intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. 3.

1. Corinth. cap. 14.

DILVCIDATIO V.

De orbis subiectione.

Redit Paulus ad dignitatem Christi & auctoritatem Euangelij. Miramini eum grauiùs vapulaturum, duriúsque plectendum, qui tam magnam salutem neglexerit,
E fidemve contempserit Christianam? At contemplamini, legislatorem auctoremve, qui non alius quàm Christus Dominus, cui subiecta sunt omnia, maximè verò cœlestia & æterna. Tria in his elucidanda sunt. Primum est, duplicem esse mundum præsentem & futurum: secundùm, ministerium Angelis in præsenti creditum: tertium,

pro certo ſubiicienda. Interim videmus eum A qui modico tempore inferior Angelis habitus eſt, vtpote mortali deiectus corpore ; ob inflictam paſſionem , ſed deuicta morte , æternitatis aditum reſeraſſe, imperium immortalitatis occupaſſe ; victorem à credentibus prædicatum, & vt talem ab omnibus adorari. Quis ergo neget adimplenda cætera , cum iſta non dubitet adimpleta ? Dixi , propter paſſionem mortis : ſicut enim ex benignitate diuinâ pro omnibus paſſus eſt , ſic & eadem æquitate , ab omnibus honorificatus eſt glorificatúſque. Neque enim vt nobis obnoxius, (ita loquitur Athanaſius) ſed vt gratiam faceret,ad mortem ille filium deſtinauit.

Athanaſ. in Paulum.

Decebat enim eum , propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat , auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur , ex vno omnes &c. Sed nunquid Deus potuit aliter gratiam facere, aut indulgere veniam ? Potuit equidem , ſed decuit eum , in quem deſinunt omnia, ſicut & ab eo omnia incipiunt , qui iam multos in gratiam reuocaſſet, & tanquam filios deſtinaſſet ad gloriam; Filium ſuum æternæ felicitatis diſpenſatorem , & publicæ auctorem ſalutis per mortem ac crucem conſummare , & ipſum ſicut cæteros filios ad gloriam perfectam per probra & opprobria perducere. Nam & gloria Chriſti naturâ ſancti , ſicut & gloria Chriſtiani gratiâ ſanctificati , ab eodem Deo Patre eſt, qui multos habere filios voluit , & multos fratres aſſignare Chriſto , ſi non æquales , profectò ſimiles : vtpote gloriam omnes aſſecutos per ignominiam. Omnes , ait Aquinas , ipſe ſcilicet qui ſanctificat nos , & qui ſanctificamur, ex vno, ſcilicet ex patre. Ille qui ſanctificat, ille qui glorificat. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare , dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Eccleſiæ laudabo te. Et iterum : Ego ero fidens in eum. Et iterum : Ecce ego , & pueri mei , quos dedit mihi Deus &c. Voluit Deus Filium ſuum hominem fieri , & ſalutis auctorem felicitatiſque per carnem conſtitui. Idcircò non erubeſcit homines infirmos vocare fratres ſuos,ſcit enim communem eſſe patrem, & hæreditatem electis ſuis ſeu filiis diſtribuere. Sic enim loquitur apud Pſalmiſtam , ſic apud Iſaiam,à quibus non tam humanitas Chriſti, quàm ſocietas exprimitur Chriſtiani. Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem : vt per mortem deſtrueret eum , qui habebat mortis imperium , id eſt, diabolum : & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti &c. Quandoquidem igitur tanta fraternitas eſt, tanta & ſocietas ; & ipſe particeps eſſe naturæ noſtræ voluit , licet infirmæ ac miſeræ; ſed ita voluit, vt per mortem ſuam, aboleret diabolicam poteſtatem ; & eos redderet liberos, qui metu tranſgreſſionis, & exinde proſpectu mortis ex lege ſeu præuaricatione pendentis , ſeruituti per totam vitam erant obnoxij , dum tam graui ſuccumbebant timori. Nuſquam enim Angelos apprehendit , ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret,& fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus , potens eſt & eis , qui tentantur, auxiliari. Non enim ſanè Angelos aſſerit , ſed nos Hebræos, quos eripit à morte, dum à lege redimit : dum ipſe mortem pro omnibus ſubit, & ſuccumbentibus reddit libertatem. Vnde ſicut decuit eum fratrem noſtrum fieri , id eſt, hominem , miſerum mortalemve , debuit & pati ſeu compati , vt per miſeriam addiſceret miſericordiam , cauſámque noſtram tam fideliter quàm & conſtanter ageret apud Patrem, quem & placatum redderet , populóque ſuo propitium. B In eo quippe in quo ei contigit affligi ac perpeti, maximè idoneus eſt propenſuſque afflictis iuuandis,tentatiſque liberandis. Vt homo,ait Athanaſ. cuncta expertus eſt : ſiquidem multa perpeſſa eſt hæc Chriſti caro, calletque quid preſſura , quidve tentatio ſit. Vnde & auxiliari poteſt,id eſt, promptior eſſe, manus vt porrigat, & tanquam miſericors opituletur oppreſſis.

Aquin. lect. 1.

Iudæi à timore legis per Chriſtum vindicati.

Athanaſ. in Paulum.



DILVCIDATIONES *in caput ſecundum.*

C LEX Moſaica Iudæis chariſſima, quia ab Angelis miniſtrata. Sed inde Apoſtolus occaſionem arripit, Chriſtianámque legem erigit in religioſam obſeruationem ; & eò diligentiorem , quò & meliora, & ab auctore digniore,præcepta ſunt tradita. Sit ergo.

DILVCIDATIO I.

De obſeruatione legis.

D MVlta dixerat Paulus de excellentiâ Chriſti Domini, & in Angelos,tanquam ſeruos, præſtantiâ. Deinde , (vtor verbis Auguſtini) quia tunc per Angelos , nunc autem per filium ſermo factus eſt , conſequenter aperteque demonſtrans : propterea , inquit , abundantiùs oportet attendere nos ea quæ audiuimus, ne fortè defluamus : ſi enim qui per Angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus,& omnis præuaricatio & inobedientia iuſtam accepit mercedis retributionem , quomodo nos effugiemus tantam negligentes ſalutem ? vt oſtenderet ſe de nouo teſtamento iam dicere, id eſt, E ſermone qui non per Angelos , ſed per Dominum factus eſt: Quæ cum initium accepiſſet, inquit, vt enarraretur per Dominum,ab iis qui audierunt. Eſto Angeli , non dico , inferioris, ſed ſuperioris ordinis,& primi legem antiquam miniſtrauerint, eſto,& diuinam repræſentarint poteſtatem : ſed quid illi Domino ſuo comparati Chriſto, cuius omnes miniſtri ſunt, præcones & nuntij ? Ecquid mirum, inquit, (apud Chryſoſtomum) ſi miniſtrant filio cum etiam miniſtrent ad noſtram ſalutem ? Vt ſi dixerit quiſpiam. Eis , inquit, ad hoc vtitur. Hoc eſt munus Angelorum,miniſtrare,Deo ad noſtram ſalutem.

Auguſtin. lib. 3 de Trinit.c.11.

Chryſoſt. orat.3.

salutem. Quanquam multum intereſt inter Angelos & homines, eos tamen propè nos deducit, propemodum nobis dicens, propter nos laborant, circa nos curſitant: ſiquidem conſtituit Deus, vt Angeli qui ſunt nobis ſuperiores, hoc habeant pro nobis miniſterium: hoc enim eorum miniſterium eſt, propter nos in omnes mitti partes. His exemplis plenum eſt vetus, plenum eſt nouum teſtamentum. Vides ipſos propter Deum miniſtrare & miniſtrare in rebus maximis. Propterea dicit Paulus, omnia ſunt noſtra, ſiue vita, ſiue mors, ſiue mundus, ſiue præſentia, ſiue futura. Qui dicit omnia, nullum excipit Angelorum: ne ipſum quidem Michaëlem; quem ſcimus cœleſtis exercitûs Principem, ſed & quem legimus populi ſancti, primò Iudaici, exinde Chriſtiani cuſtodem tutorémque; ideò ſæpè legatione functum, & ad varia miſſum miniſteria. Porrò autem, ait ille miſſus quoque eſt filius, ſed non ſicut miniſter, neque tanquam qui aliquo fungeretur munere, ſed tanquam filius & vnigenitus, & qui eadem vult quæ pater. Imò verò ne fuit quidem miſſus: non enim à loco in locum tranſiit, ſed carnem ſuſcepit. Angeli verò loca mutant, & prioribus in quibus ſunt dimiſſis, ad alia veniunt in quibus non erant. Sic de cœlo deſcendit, vt non reliquerit: non ſic in hoc mundo apparuit, quaſi qui priùs ibi non fuerit: ſed naturam induit humanam: in qua ſeruilem quidem accepit formam, ſed connaturalem non amiſit potentiam. Ipſe enim qui in terris viſus eſt filius Dei naturalis eſt, ideóque non ſeruus, ſed Dominus.

Apparitionibus Angelorum plenū eſt vtrūque teſtamentum.

Chryſoſt. Ibidem.

Inde ergo anſam arripit Apoſtolus, acuitque diligentiam ad comparationem ſalutis æternæ, per obſeruationem legis Chriſtianæ: vt hæreditatem capiant ſalutis: Quia, vt dixit Aquinas, oportet quòd labore, & ſtudio & ſolicitudine acquirant regnum Dei. Quanto enim amplior eſt fructus, tanto conatus eſſe debet ardentior. Vnde, vt obſeruat Chryſoſtomus, cum dixiſſet de filio & quæ pertinent ad diſpenſationem, & quæ ad creationem, & quæ ad regnum, & oſtendiſſet eum eſſe in eodem honore, & quòd tanquam Dominus dominatum obtinet, non in ſolos homines, ſed etiam in Angelicas poteſtates; eos de cætero exhortatur, ita inſtitutâ oratione, quòd nos oportet animum adhibere iis quæ ſunt audita. Propterea, inquit, abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuntur. Cur abundantius? Hic dixit, abundantiùs quàm legem, ſed hoc ſiluit. Cur enim nos oportet abundantiùs animum adhibere iis quæ audita ſunt? Non & illa & hæc ſunt Dei? Aut ergo dicit, quòd abundantiùs quàm legem: aut quòd magnoperè, non comparans. Sed abſit: nam quoniam ob longum tempus habebant magnam de veteri teſtamento opinionem, hæc autem tanquam noua habebantur contemptui, oſtendit quòd ex abundantiâ his magis animum adhibere oporteat, quodammodo propemodum dicens, Dei quidem ſunt hæc & illa, ſed non ſimiliter: & hoc poſtea oſtendit: ſed nondum audet quidquam eiuſmodi dicere in procemiis, donec auditorem pluribus præoccupauerit & detinuerit. Idem igitur Abundantius, ac ſi diceret, Ardentiùs, diligentiúſque, non quod apud Hebræos

Aquin. lect. 7. cap. præcedent.

Chryſoſt. orat. 3.

Iudæi quaſi legem inter & fidem diuiſi.

feruor intepuiſſet fidei, ſed quòd nondum ſatis fortiter tenacitérque amor apud ipſos inſediſſet Euangelij, veterum adhuc inſtitutorum ſtudioſos, & quaſi legem inter ac fidem diuiſos. Non tamen diuidendus eſt animus; ſed in vnum Dominum colligendus; qui cum in figurâ viſus ſit olim Patriarchis, nunc nobis in propriâ perſonâ locutus eſt. Subter, ait Ambroſius, creatura omnis, ſupra diuinitas. Illa ſeruit, hæc regnat: illa ſubiacet, iſta dominatur: illa opus, hæc auctor operis: illa adorat, hæc adoratur. Denique de Filio ſcriptum eſt, Et adorent eum omnes Angeli eius. Nonne omnes, inquit, ſunt miniſtri ſpiritûs in miniſterium qui mittuntur? Quia Angeli & cæteræ poteſtates in miniſterium & obſequium Dei filio vt ſeruiant deſtinantur.

Ambroſ. lib. 1. de Spir. ſanct. cap. 3.

Comparatio eſt igitur nouæ legis ac veteris, ſed nouæ prælatio. Supereſt, ait Tertullianus, ne antiquitas ſuum quoque habuerit Sacramentum, nouitatem Chriſtianam recenſere, quaſi & de Deo aliam, ac proinde diſciplinâ quoque æmulam, cuius ſophia filios ſuos iugulare non norit. Planè alia in Chriſto & diuinitas & voluntas & ſchola, martyria aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit, qui neminem ad huiuſmodi diſcrimen hortetur, qui pro eo paſſis nihil repromittat, quia pati eos nolit. Ironia eſt, ſed animi excitandi diſciplina. Iam ergo ſeriò. Ideò præceptorum præcepta deducens: Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Hoc quidem abſolutè ad omnes, dehinc propriè ad Apoſtolos ipſos; Beati eritis cum vos dedecorauerint, & perſecuti fuerint, & dixerint aduerſùm vos omnia mala propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra plurima in cœlo. Sic enim faciebant & Prophetis patres eorum; vt etiam prophetaret, quòd & ipſi occidi haberent ad exemplum Prophetarum. Quanquam & ſi omnem hanc perſecutionem conditionalem in ſolos tunc Apoſtolos deſtinaſſet, vtique per illos cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritûs ſancti, in nos quoque ſpectaſſet etiam perſecutionis obeundæ diſciplina, vt in hæreditarios diſcipulos, & Apoſtolici ſeminis frutices. Tanto animo ſuſcipienda eſt Euangelica doctrina, tantâ conſtantiâ retinenda eſt; vt ſi inter perſecutiones & tentationes viuendum, ſi ferro moriendum aut ligno; nec viuere tædeat, nec pudeat occumbere: Quando, ait ille, hoc ipſum ſufficere ad gloriam debeat, æquari paſſionibus Domini & magiſtri; ad quarum tolerantiam ædificans, monet non eos timendos, qui ſolum corpus occidant, animam autem interficere non valeant; ſed illi potius metum conſecrandum, qui & corpus & animam occidere & perdere poſſit in gehenna. Vbi tantus ardor, nullus eſt timor: nam maior excludit minorem, ſicut & amor amorem ſupprimit.

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 8.

Tertullian. Ibidem.

Quo animo amplectenda ſit doctrina Chriſtiana.

Tertul. eod. cap.

DILVCIDATIO II.

De punitione transgreßionis.

THronus Christi in seculum seculi : virga æquitatis, virga regni eius. Virga quidem, sed æquitatis. Et idcircò ferrea dicta est, quia inflexibilis. Reges eos in virgâ ferreâ. Id est, vt exponit Augustinus : In inflexibili iustitiâ. Inde Psaltes : Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ. Hæc magna pœna est, (addit ille) quæ ab iis formidatur, qui aliquid dulcedinis iustitiæ perceperunt. Qui enim perit de viâ iustitiæ, cum magnâ miseriâ per vias iniquitatis errabit. Hoc est ergo quod ait, Apprehendite disciplinam. Hoc & quod ait, Intelligite & erudimini. Nam intelligere, & erudiri, hoc est apprehendere disciplinam. Viam scilicet inire rectam, iustitiam diligere, & eam magnâ curâ excolere. Sed ne quis dubitaret de irâ Domini, aut morâ retardaret iudcij, quia dixit Psaltes, Nequando irascatur Dominus. Concludit tandem. Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. Confidite in Domino, sed de ipso nolite præsumere. Bonus est quidem, sed & iustus est. Nusquam cogitatis vindictam Domini, vel illam destinatis in clausulam seculi. Quod positum est, In breui, hoc maximè significare arbitror, (ita Augustinus) quia repentinum aliquid erit : dum hoc remotum & longè futurum peccatores existimabunt. Tria igitur exponenda sunt. Primum est, & ipsum Christum Dominum irasci & vlcisci. Alterum, iram eius & vindictam maximè in destitutione ac derelictione esse positam. Tertium, hoc propriè esse, pereffluere, de via perire rectâ, & ad eam vix aut nunquam redire.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 2. vlt. med.

Augustin. sub fin.

Confidendum in Deo non de ipso præsumendum.

Augustin. in fine.

Quoad primum. Duos volebat Christos Marcion, quia vnum non capiebat bonum simul & iustum. Constituit Marion, ait Tertullianus, alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto reuelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui à Deo creatore in restitutionem Iudaici statûs sit destinatus, quandoque venturus. Inter hoc magnam & omnem differentiam scindit, quantam inter iustum & bonum, quantam inter Legem, & Euangelium, quantam inter Iudaismum & Christianismum. Quàm impiè dimidiat Christum ille, qui insubidè bonum & iustum separat. Vtrumque quidem testamentum idem condidit Deus, Iudaismum scilicet & Christianismum : sed qui loquebatur olim in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio suo ; quem sicut constituit hæredem vniuersorum, sic & in eo totum spiritum suum, id est, non bonitatis tantùm, sed & æquitatis posuit. Imò nec scindere potuit, nec diuidere cum nullus perfectè bonus esse possit, nisi sit integrè iustus. Nam cum aliquando cum quodam Marcionita contenderem (ita Chrysostomus) asseruit hoc bo-

Tertullian. lib. 4. aduers. Mar. c. 6.

Chrysost. in epist. ad Philem. vers. fin.

A nitatis Dei indicium videri posse, si peccatorum rationem minimè exigeret. Ego verò ex abundanti ostendam, illum, nisi rationem exigeret, non esse bonum : atque ideò in primis esse bonum, quia hanc exigit Dic enim quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, essétne vita humana? Nonne feris quoque ipsis immaniores euaderent homines? Si enim metu quoque pœnarum ac iudiciorum imminente, pisces transgressi sumus inuicem deuorantes, leones ac lupos quoque transcendimus, dum singuli quæ sunt aliena diripimus, nisi rationem à nobis exigendam pro indubitato teneremus, quanta confusio res humanas inuolueret? Quis peior,
B malorum auctor, an fautor. Quomodo porrò malis non faueat, qui non ipsis succenseat? Christum quidem bonum nullus negat? ne Marcion quidem, imò & optimum affirmat: sed optimus non erit, imò nec bonus, si iustus non fuerit. Denique iustus non erit, si iniustos sinat inultos, si malos non puniat. Sed puto, ait Tertullianus, iam & non optimus, iam aliquid & cum creatore moratus, nec in totum Epicuri Deus. Ecce enim demutat in maledictionem, & ostendit eum se esse qui nouit offendi & irasci: Væ enim dicit. Sed sit nobis quæstio de verbi istius qualitate, quasi non tam maledictionis sit, quàm admonitionis. Et quid causæ interest,
C quando & admonitio non sit sine aculeo comminationis, maximè per væ amarior facta? Et admonitio autem & comminatio, eius erũt qui norit irasci. Nemo enim admonebit, & nemo comminabitur ne quid faciat, nisi qui factum vindicabit: nemo vindicarit, nisi qui norit irasci.

Nemo perfectè bonus nisi qui integrè iustus.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap. 15.

Quoad secundum. Non minus quidem vltor Christus, quàm doctor; sed sicut doctor, nouam tradendo disciplinam, sic & vltor offensam subtrahendo præsentiam. Quum dicit Paulus, oportet enim regnare eum, donec ponat inimicos eius sub pedes eius: iam quidem & ex hoc vltorem Deum edicit, atque exinde ipsum qui hoc Christo repromiserit, Sede ad dexteram
D meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum : Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, & dominabitur in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ante luciferum ex vtero generaui te. Nos edimus Euangelia, nocturnâ natiuitate declarantia Dominum, vt hoc sit, Ante luciferum, & ex stellâ Magis intellectâ. Fortassean & mysticè factum sit vt nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. Sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eis. Christus enim lux mundi, illuminat hominem
E præsentiâ suâ, quem nec aliter excæcat, quàm gratiam subtrahendo, suamque subducendo præsentiam. In quo ergo ira eius seu vindicta posita est? in derelictione ac destitutione. Adeo enim non solùm bonus, sed & beneficus est, vt si quis deseratur, si quis abiiciatur; non solùm omnibus spolietur bonis, sed & malis omnibus oneretur. Sicut enim absente luce mundus tenebris horret, solisque patet insidiis; sic ablatâ Christi Domini præsentiâ, bonorum omnium spes excidit, & omnium malorum succrescit seges. Quid dicturus est in irâ suâ, quâ pœnâ malos tanquam inimicos puniturus? Ite, discedite à me. Sicut enim,

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. c. 9.

Christus in nocte natus, quia lux futurus.

Non priuat omni gratia sed abundantiori.

Origen. Tract. 34. in Matth.

enim, vt obseruat Origenes, iustis dixerat, venite, ita & iniustis dicit, didiscedite. Sicut enim bonis, appropinquatio, principium est omnium bonorum; ita malis elongatio, compendium est malorum omnium. Quid enim superest iis qui se elongant à luce, nisi vt in tenebras eant æternas; qui se elongant à via rectâ, nisi vt pereant; nisi qui noluerunt oblatam benedictionem Patris, offendāt in criminis maledictioné; qui reiecerunt admonitionem æternam incurrant ignis combustionem? Quid tandem comminatus est Iudæis, quando cum illis conuersatus est? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo. Grandis comminatio, & enormis punitio. Sicut enim, vt ait Chrysostomus, corpus, animâ recedente, priùs quidem frigescit, deinde putrescit & soluitur: sic & templum nostrum, Dei spiritu recedente priùs seditionibus & indisciplinatione replebitur: deinde veniet ad ruinam. Quia enim non apprehēdit disciplinam, iratus est Dominus, suamque clementiam subduxit, & animam sibi reliquit, tam miseram quàm & desertam.

Chrysost. Hom. 46. in Matth.

Quoad tertium. Hoc cauet Paulus, dum & timet; ne sic anima Christiana lapsum faciat, vt regressum non inueniat. Propter quod abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Ne ob ingratitudinem derelictionem & perditionem. Quid aqua effusa? si semel pereffluat, in totum dilabitur; si defluat, nō iam in statum reuertitur aut cumulum; sed tota deperit, nec seriem admittit diffusionis, nec spem accipit restitutionis. Ita Iacob primogenito suo. Effusus es sicut aqua, non crescas. Prior quidem in donis & maior fuisset in imperio sed defecit in totum, & donis priuatus & imperio, & substantiam perdidit & gloriam. Sic & filij Israël conuenerunt in Masphat: Hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini. Ritus est, quem Tertullianus vocat, Aquationem. Vt sicut aqua effusa in nihilum excidit, nec admittit recidiuatum, ita peccatum delendum est, & in totum abolendum. Ita ille, Sicut aqua effusus sum. Quasi ad nihilum redactus, & in totum dilapsus. Ne fortè ergo, inquit pereffluamus. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, neque pereamus, neque excidamus. Ostendit enim quàm sit grauis casus: quoniam est difficile, vt id quod effluxit, reuertatur: quandoquidem hoc accidit ex socordiâ ac negligentiâ. Dictionem autem accepit ex prouerbiis. Fili, inquit enim, ne pereffluas: ostendens & quàm facilis sit lapsus, & quàm grauis interitus. Hoc est videlicet, quòd non sine periculo est non obedire. Et per ea quidem quæ adstruit, ostēdit maius esse supplicium, sed relinquit in potestate auditoris, vt ipse ferat sententiam: hoc enim est maxima victoria. Quid est ergo, ne fortè pereffluamus? Id est, vt concludit Aquinas; Ne æternaliter damnemur. Sciendum est enim, quòd aliquis fluit per pœnas corporales. 2. Reg. 14. Quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Effluit per culpam: sed supereffluit corporaliter per damnationem æternam, quia nec testa remanet. Isa. 30. Comminuetur, sicut comminuitur lagena figuli contritione validâ, nec inuenietur de fragmentis eius testa. Irreparabilis ruina, & pœna interminabilis.

Genes. c. 49.

1. Reg. c. 7.

Tertullian. lib. de ieiun. cap. 7.

Psalm. 21.

Chrysost. orat. 3.

Facilis in aquâ lapsus & grauis interitus.

Aquin. lect. 1.

DILVCIDATIO III.

De ratione obseruationis.

NEcessitatem obseruationis imponit Paulus, dum ait, oportet. Nec libertatem relinquit modificationis, cum addit, Abundantiùs. Sed rationem subiungit necessitatis, dum subdit: Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Tria igitur astruit, auctoritatem, firmitatem: necessitatem: sed quia nonnulla inuoluit euoluenda: sit

---

PVNCTVM I.

De auctoritate.

AVctoritatis magna veteris testamenti, sed maior noui: quantum enim distat inter Angelum & Christum, tantum inter vtrumque distat testamentum: quantum enim accedit auctori, tantum accedit & auctoritati. Cum dixisset Paulus: Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus: vide quomodo faciat comparationem (verba sunt Chrysostomi.) Illic per Angelos: hîc autem per Dominum. Nonnulli quidem dicunt Moysem tacitè significari: sed non est consentaneum. Multos enim hîc dicit Angelos. Nam & in Epistolâ ad Galatas sic dicit, Disposita per Angelos in manu mediatoris, & vbique eum dicit dari per Angelos. Ipse Moyses ait: Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia In dextera eius ignea lex. Quinam illi sancti? Angeli. Vnde Septuaginta, Angelorum millia. Et de ipso Stephanus in concilio Iudæorum. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Hunc Moysen Deus principem & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic est, qui fuit in Ecclesiâ in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina: qui accepit verba vitæ dare nobis. Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Angeli verba quidem suggesserunt vitæ, sed non æternæ: promissa enim in lege temporalia sunt, sicut & Sacramenta carnalia: sed à Christo Domino, verba vitæ prodierunt æternæ, hæreditatis promissa cœlestis, spiritualis, sanctitatis mysteria. In lege, grauia mandata, imò & importabilia: iugum Christi suaue est, & onus eius leue. Denique illic seruus est, hîc Dominus. Dicit ergo Paulus, Abundantiùs oportet obseruare, propter dicentis auctoritatem, quia iste creator & Filius Dei, ille creatura & Dei minister. Obedire autem oportet magis Deo quàm hominibus & Angelis. Ita Aquinas. Vnde & Christus Iudæis ipsis: Audistis quia dictum est antiquis: Ego autem dico vobis. Oppositio est serui & Domini: simul & euictio.

Chrysost. orat. 3.

Deuteron. cap. 33.

Actuū cap. 7.

Quanta sit auctoris & auctoritatis differentia.

Aquin. lect. 1.

Matth. c. 5.

euictio. Ego cuius tanta auctoritas ad constringendum, quanta potestas ad puniendum: summa scilicet ac suprema. Ego principium, qui & loquor vobis. Ego sum, qui loquor vobiscum; cuius sermo, lex est; cuius voluntas, potestas est.

Tres autem inde emergunt difficultates. Prima est, legem Iudaicam, non dici Angelicam legem, sed Mosaicam. Vnde Paulus: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quomodo lex Angeli, si lex Moysi? Ipse Christus: Nonne Moyses dedit vobis legem? Inde & Iudæi ex æquo Deum inter & Moysen diuidunt omittunt Angelum. Summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum. Nam, vt ipsi regerunt: Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Porrò causa à lege inducta, & à Ioanne producta. Quia lex per Moysen data est. Nam, vt dicit Chrysostomus: Illic Moyses loquebatur, & Deus respondebat. Quomodo ergo dicitur alibi quòd lex data fuit per Moysen, hic autem per Angelos? Respondeo, legem esse Dei, legem Angeli, legem Moysi: sed diuerso modo. Dei enim, vt auctoris; Angeli, vt promulgatoris; Moysi, vt mediatoris: dici autem legem Moysi, quia non ab Angelo data est populo, sed à Moyse mediatore: sicut enim Angelus promulgator medius erat inter Moysen & Deum; ita mediator Moyses inter Angelum & populum interpositus; à quo proinde legem accepit; non ab Angelo, ideóque legem Mosaicam dixit non Angelicam. Et quidem quòd Dei esset, & ita dici posset diuina, testis Christus, cum ipsis ait Iudæis. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Quòd sit & Angeli, patet ex dictis. Sicut enim solius principis est suâ auctoritate legem instituere: (sic resoluit Aquinas) sed quandoque legem institutam per alios promulgat. Ita Deus suâ auctoritate instituit legem, sed per Angelos promulgauit. Sic enim solet infima gubernare per media, corporalia administrare per spiritalia. Quod autem sit Moysi, nullus dubitat, sed quod ita passim dicenda sit, triplex ratio confirmat. Prima, quia soli populo Iudæorum data sit, nec Deus taliter omni fecerit nationi; ideóque lex sit Iudaica, & exinde Mosaica, vt à duce seu ductore. Altera, quòd ille sequester fuerit ac minister, Deique placitum ad populum retulerit. Tertia, quod lex pædagogus fuerit in Christo, in quo non solùm præcessit Moyses, sed & præcelluit. Si crederetis Moysi, forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

Heb. cap. 10. *Ioan. cap. 7.* *Actuum c. 6.* *Ioan. cap. 9. & 1.* *Chrysost. orat. 3.* *Cur antiqua lex Mosaica dicta sit, non Angelica.* *Matth. c. 15.* *Aquin. 1. 2. q. 98. art. 3. ad. 3.* *Ioan. cap. 5.*

Altera difficultas. Quomodo per Angelos, si per Angelum? Sicut enim vnus auctor est legis, vnus mediator, sic & vnus debet esse promulgator. Vnde hæc verba toties repetita: Hæc dicit Dominus, &, Locutus est Dominus ad Moysen. Triplex responsio. Prima est, sicut dicitur fieri per homines, quod humano fit auxilio, licet vnus aliquando & solus operetur, licet solus opituletur: ita dicitur fieri per Angelos, quod Angelico fit beneficio, licet vnus & solus faciat, solus interueniat. Ita, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. At certum est, vni vnicum dari Angelum: sed dicit id Angelis mandatum, quia ministerio fit id Angelico. Secunda, multi olim apparebant Angeli, sed pro vno veniebant, siue quia vnus cæteris emineret, tanquam aliorum Dominus: siue quiuis vnum, Dominum scilicet referret, siue multitudo pluralitatem personarum, sed maiestatis repræsentaret vnitatem. Ita de Abraham. Tres vidit, & vnum adorauit Sic enim Scriptura: Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Ecce tres videt, & vnum adorat, vnum alloquitur, quem vt principem censet, & vt Dominum reueretur. Tertia, reuerà sanctorum millia seu Angelorum affuerunt, nec vlli fuerunt otiosi: sed vnus legem ferebat, præferebatque auctoritatem, aliis ministrantibus, illis inducentibus calignem, istis terrorem, & omnibus proprium dispensantibus officium. Aderant tunc Angeli, quibus gens fuerat credita, & ipsi tubis canebant, & alia faciebant, nempe ignem & caliginem. Tria simul dicit. Primum, multos reuerà conuenisse. Alterum, eos speciatim interuenisse, qui curam susceperant populi, & in statum regni, vel boni studium promouebant Rempublicam. Tertium, vnumquemque aliquid proprij edidisse ministerij, legique inseruisse, & auctoritatem conciliando, & maiestatem commendando.

Psalm. 90. *Genes. c. 18.* *Quomodo Abraham tres vidit, & vnum adorauit.* *Chrysost. orat. 3.*

Tertia. Quomodo stabit illa differentia serui ac Domini, sic constiterit eundem semper Dominum, imò Christum ipsum interfuisse, nec minus Moysi ipsi quàm cæteris apparuisse Patriarchis? Vnus Filius, ait Ambrosius, iuxta veteris seriem testamenti ab Adam offensus, ab Abraham adoratus, à Iacob visus est. Adam quippe sapientiam Filij præsumpsit, non Patris potentiam: idcircò Filius quasi prouocatus, pactus est cum Abraham, cum Iacob luctatus est. Filius itaque est, ait Tertullianus, qui ab initio iudicauit. Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit; ab Adam vsque ad Patriarchas & Prophetas. Ita semper ediscebat, & Deus in terris cum hominibus conuersari non alius potuit quàm sermo, qui caro erat futurus. Sic etiam adfectus humanos sciebat iam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem & animam. Sed & Paulus manifestè: Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt. Quid, eorum? Patrum, scilicet, seu Hebræorum. Idem enim Christus heri & hodie, qui nobis visus, & cum antiquis conseruatus, & quartus cum pueris Babylonio Regi conspectus, vtpote similis filio hominis. Responderi potest primò, aliud esse visionem fieri, aliud legem ferri: in visione igitur dispensandâ, filium apparuisse: in lege autem ministrandâ, interuenisse Angelum, tanquam diuinæ voluntatis nuntium, supremæ ministrum potestatis. Responderi potest secundò Christum olim visum seu Moysi, seu alteri in vmbrâ & figurâ; sed incarnatum tandem & in propriâ visum personâ. Ita Baruch. Hic est Deus

Ambros. lib. 1. de Spi. san. cap. 13. *Tertullian. lib. aduers. Prax. c. 16.* *1. Corinth. cap 10.* *Quomodo Christus olim Patriarchis visus sit.* *Baruch. c. 3.*

Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sed quia gratis excipitur in lege, gratisque à visione excipitur. Imò quia contendit Tertullianus filium non solum apparuisse Moysi, sed & prætendit apparuisse vbique & semper in carne humanâ, licet nondum natâ, quia nondum moritura: Sine natiuitate cum carne, pro causæ diuersitate. Quasi filius non solùm in propriâ semper visus personâ, sed & in humanâ natura; aliter satisfaciendum est.

Tertullian. lib. de car. Christi c. 6.

Vltimò igitur respondendum, Apostolum Hebræos suos allocutum, sensum eorum accepisse, & inde validum ad commendandam doctrinam Euangelicam argumentum confecisse. Atqui Hebræi credebant legem dispensatam ab Angelo vno, aliis tamen adsistentibus, & terrorem iniicientibus. Ita patet ex oratione Stephani, in concilio Iudæorum habitâ, nemine contradicente, vel aliquid minuente. Sic tamen sciebant, legem ab vno Angelo dispensatam, vt à seipso, nihil diceret, sed Maiestatem Domini seu Dei vnici referret, cuius & vocem ederet. Ego Dominus. Si ergo lex ministrata est per Angelos, vtique per ministros seu seruos dispensata. Euangelium autem aliter promulgatum est. Christus enim auctor simul promulgator & mediator, ore proprio, & humano sermone, legem dedit & explicuit; qui licet visus olim in naturâ assumptâ, nondum tamen humanâ, vtpote nondum animata, seu ratione ac mente instructa: nunc autem non incarnatus solùm, sed & humanatus; id est, non solùm caro, sed & homo factus, voluntatem suam imò paternam declarauit; nec iam alienam vsurpauit potestatem sed propriam tanquam Deus & omnium Dominus ostendit impressitque. Angelus, ait Gregorius, qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc quod exteriùs loquendo seruiebat: Dominus autem, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur. Hinc Dauid ait: Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Non enim lex Dauid, aut populus Dauid erat: sed personam eius ex quo loquebatur assumens, ipsius auctoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur. Et hoc quotidie fieri in Ecclesiâ cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio populi lector clamat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Sed quod ipse Deus sit verè, profectò non dicit: nec tamen per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit: quia cui ministerium lectione exhibet, eius dominium voce prætendit. Omnes isti præcones sunt, non iudices; ministri non Domini; vicem gerentes alienam, non rem ipsam exhibentes. Christus autem in propria venit, legem suam tulit, & propriam explicuit voluntatem. Cum itaque, inquit Paulus, (apud Athanas.) tantoperè filius qui nobis locutus est, & Prophetas excedit & Angelos, qui veteris fuere testamenti ministri, necesse est sanè, vt quæ audiuimus, & nobis sunt mandata, longè magis quàm legem aduertere. Reuerentiùs scilicet auscultare, & obseruare religiosiùs.

Gregorius præfat. in lib. Moral. c. 1.

Præco voce vsurpat iudicis, dum sermonem nunciat.

Athanas. in Paulum.

PVNCTVM. II.

De firmitate.

Dictus est sermo per Angelos, & tamen factus est firmus: quanto magis, si non iam per famulos, sed per Dominum ipsum prolatus? Vnde apud Matthæum, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Dicit cœlos transituros, tanquam sortem adepturos nobiliorem: verba autem sua non prætertura, vtpote nihil vnquam firmitatis, sicut & nihil auctoritatis amissura. Vt enim magis ad fidem inducat, ait Hieronymus, subdit, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Ac si dicat, Facilius est fixa & immobilia destrui, quàm sermonum meorum aliquid decidere. Nihil immobilius fixiusque videtur terrâ, nihil cœlo constantius: hæc tamen mutabuntur illa, & in alium transformabuntur habitum: verba autem mea nec accessionem accipient nec minutionem, sed perpetuam stabilitatem, sicut & æternam continent veritatem. Sed quis ille sermo? quomodo factus est firmus? Denique, quanta inde Christo seu Euangelio vindicanda constantia?

Hieronym. in Matth.

Quoad primum. Non expressit legem Apostolus, sed dixit sermonem. Si enim qui per Angelos dictus est sermo. Quid sermo? An iussio, seu præscriptio? Multa enim, vt aduertit Chrysostomus, sine lege iusserunt Angeli à Deo missi. Propterea non dicit lex, sed sermo. Aliud λόγος, aliud ῥῆμα. Vtrobique verbum, sed diuersum, Græcè enim λόγος, vt notauit Hieronymus, multa significat: nam & Verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo. Idcircò passim in Scripturis sanctis Verbum est, sed increatum, aut incarnatum; ῥῆμα autem, verbum diuinum, seu mandatum, & imperium quod proferebatur, & per Angelos edebatur tanquam internuntios. Ita: Factum est sermo Domini ad Abraham per visionē. Et Heli ad Samuelem: Quis est sermo, quem loquutus est Dominus ad te, ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Sic & Ieremias: Omne verbum quodcumque responderit mihi, indicabo verbis. Inde tam sæpè. Hæc dicit Dominus omnipotens. Quæ incipientium sunt, aut desinentium; vt auctoritatem verbis concilient, & iubentis intiment potestatem. Potest igitur sermo qui per Angelos dictus est, sumi pro omni mandato per ipsos dispensato. Sed quia non tam sermonem sermoni, quàm legem legi, & Legislatorem Legislatori Paulus comparat, determinatque eò sanctius præstantiusque esse mandatum, quò à meliore auctore editum, potest ad solum restringi decalogum. Hæc, ait Chrysostomus, dicit de omnibus quæ dicta sunt

Chrysost. orat. 3.

Genes. c. 15.

1 Reg. c. 3.

Ierem. c. 42.

Verbum Domini, imperium est Domini.

Chrysost. orat. 3.

sunt & facta sunt in Veteri Testamento, vtpote quod societatem in his habuerint Angeli. Aut decalogum dicit solum. Illic enim Moyses loquebatur, & Deus loquebatur. Sed quidni & ad totam extendatur legem, compleϛatúrque non moralem tantùm, sed & iudicialem & ceremonialem; cum totam acceperit Moyses à Deo per Angelos, nec alios quàm diuinos sermones exscripserit? Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: respondítque omnis populus vnâ voce: omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini.

Exod. c. 24.

Quoad secundum. Pondus facit verbis Apostolus, cum ait, Factus est firmus. Ita & de Samuele dictum Dominus, erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Nullum non obtinuit effectum suum, nullum non inualuit. Ita Salomon de Moyse. Non cecidit, ne vnus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est Dominus per Moysen seruum suum. Nihil fuit irritum, nihil vanum. Quâ phrasi dicebat Iob: Lux. vultûs mei non cadebat in terram. Quæ enim in terram cadunt, firmitatem amittunt, prodúntque infirmitatem. Quæ autem stant, probant stabilitatem, firmitatémque demonstrant. Ita Christus: Facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Nihil enim infirmum, nihil inualidum, sed firma sunt omnia, vim ac robur obtinentia; quæ infirmari non possint, nec superari. Nihil temerè attentandum, quia nihil impunè violandum. Ita Samuël. Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam. Sicut enim verbum eius immutabile est, sic & inuiolabile. Superat inuincibiliter triumphátque semper, siue per misericordiam siue per iustitiam. Triumphum hunc Verbi diuini describit Psaltes cum ait: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto Græca consonant & Hebræa, diuinámque annuntiant potentiam. Nam vt obseruauit Augustinus, Latinè satis exprimi non potuit. In nominum autem Hebræorum interpretationibus inuenimus Sina interpretari mandatum. Reddens igitur causam quare lætarentur illa millia quibus constat currus Dei, Dominus, inquit, in illis in Sina in sancto: id est, Dominus in illis in mandato. Si quis petat, Vnde triumphat mandatum diuinum? Vnde tanta verbi, vnde constat tanta verbi diuini victoria? In promptu responsio est: quia nimirum Dominus est, cuius potestas summa, cuius voluntas absoluta. Quid est ergo, Sermo dictus per Angelos, factus est firmus? Quid est firmus? (ait Chrysostomus) Verus vt ita dicam, & fidelis in tempore conuenienti, & euenerunt omnia quæ dicta sunt. Hoc enim dicit, quòd vim & dominatum obtinuit, & minæ ad effectum sunt deductæ. Inuincibilis Dei vis inuincibilísque, cui vis omnis iustè cedit, cui nulla impunè resistit potentia: firmum enim imperium, quod sermone sancitum est omnipotente.

1. Reg. c. 3.
3. Reg. c. 8.
Iob. cap. 29.
Luc cap. 16.
1. Reg. c. 15.
Augustin. Enarrat. in Psalm 67. vlt. med.
Vnde tanta verbi diuini victoria.
Chrysost. orat. 3.

Quoad tertium. Si tanta est Verbi diuini constantia, etiam per Angelos seu seruos pro-

A lati, quanto securior ac certior si Filius ipse tanquam Dominus fidem obstrinxerit, legémque dederit proprio munitam sigillo, nec iam sermone sancitam, sed sanguine? Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Date gloriam Deo super Israël, magnificentia & virtus eius in nubibus. Inde, Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem. Ille, inquit Augustinus, qui sicut agnus coràm tondente se fuit sine voce, ecce dabit vocem suam: nec vocem infirmitatis tanquam iudicatus, sed vocem virtutis tanquam iudicaturus. Quid irrideris infideles? Ecce dabit vocem suam virtutis. Et virtus eius in nubibus. Non enim solus veniet ad iudicium, sed cum senioribus populi sui. Denique ne aliud nubes intelligerentur, secutus adiunxit, Mirabilis Deus, in sanctis suis, Deus Israël. Benè, nam, vt dixit Iacobus: Vnus est Legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare. Non quod alij Legislatores non sint ac iudices: sed quod planè diuersi ac dissimiles. Vnde Helius, (vti loquitur Gregorius) Redemptoris nostri aduentum humilem non humilis conspicit, quem elatis moribus impugnat, dicens: Ecce Deus excelsus in fortitudine suâ, & nullus ei similis in Legislatoribus. Ac si apertè dicat, Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine, Paulo hoc etiam attestante, qui ait: Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. De quo rectè subiungitur. Nullus ei similis in Legislatoribus. Legislator Moyses, Legislator Iosue, Legislatores etiam Prophetæ: Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori in Legislatoribus similis nullus est, qui sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante secula ex diuinitate dominetur. Hunc mediatorem Dei & hominum quidam Legislatoribus similem fuisse crediderunt. Sed Petrus quàm excelsus in fortitudine esset, veraciter intuens, eum à Legislatorum æqualitate discreuit, dicens: Tu es Christus filius Dei viui: homo sine peccato, Filius sine adoptione. Alij ab his quæ intra semetipsos experti sunt, prædicando redarguunt, ille non perpetrauit vnquam quod redarguit. Nullus ei similis in Legislatoribus. Homo quidem, sed super homines, extra mensuras hominum. Is videlicet qui per infirmitatem carnis, nostris obtutibus apparet, dum alios reprobat, alios vocat, mira iudicia exhibet: quæ à nobis & cogitari possint, & comprehendi non possint. Duæ igitur columnæ legem eius suffulciunt, sapientia scilicet ac potentia; duæ voluntatem eius cingunt, innocentia scilicet ac iustitia: vnde tanta Christo seu Euangelio vindicanda constantia.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 67. in fine.
Iacob. c. 4.
Gregorius lib. 27 Moral. cap. 1.
Nullus, in Legislatoribus Christo conferendus.

B C D E

PVNCTVM III.

De necessitate.

MAgnum auctoritatis præiudicium, nec modicum auctoramentum firmitatis: sed maximum ac fortissimum est necessitatis vinculum, quo non solùm alligantur omnia, sed & superan

superantur. Quid enim fortius & inuictius, A quàm productis obseruantiæ præstandæ argumentis, additur, concluditúrque, aut faciendum, aut ardendum? Auctoritatem produxit Apostolus, & firmitatem. Nunc, vt aduertit Aquinas: Necessitatem ostendit, quâ puniuntur præuaricantes. Vnde dicit, Et omnis præuaricatio & inobedientia, accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? In quibus tria sunt elucidanda. Distinctio, retributio, illatio.

Aquin. lect. 1.

Quoad distinctionem. Posset quidem dissimulari, sed & melius religiosiúsque posset examinari. Omnis præuaricatio & inobedientia. B Duo sunt nomina, quia duo sunt malorum genera seu peccatorum distinguenda. Potest autem triplex distinctio. Prima est, vt inobedientia sit quidem infractio legis, sed nondum satis apertæ ac cognitæ: præuaricatio autem, sit legis non latæ tantùm, sed & manifestæ transgressio. Secundum Apostolum enim (vt monuit Augustinus) omnis quidem præuaricator est peccator, quia peccat in lege: sed non omnis peccator est præuaricator, quia peccant aliqui sine lege. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Porrò, si nemo sine lege peccaret, non idem Apostolus diceret, Quicumque sine lege C peccauerunt, sine lege peribunt. Peccatum quidem non aliud est, quàm *ἀνομία*. Vt Ioannes dixit; id est legis violatio: sed aliquando in legem peccant homines, sed nondum satis perspectam ac patentem, & inde vocantur inobedientes: aliquando peccant in legem reclamantem vtpote non propositam tantùm animis, sed & oculis expositam, & inde præuaricatores deputantur. Altera, vt vnum sit omissionis, quod propriè delictum est; alterum commissionis, quod verè est peccatum. Primum, ait Aquinas, respondet præceptis affirmatiuis, aliud negatiuis. Primum notatur nomine inobedientiæ, aliud autem notatur nomine præuaricationis. Tertia, vt inobedientia, sit culpa leuior ac D venialis; præuaricatio, grauior & enormis. Et id quidem non excludit primam, ac secundam distinctionem; nam transgressio minor est quam præuaricatio, & delictum minus est quàm peccatum, sed apertiùs ac distinctiùs Apostolicam intentionem detegit. Statutum est, vt omnis qui peccat, luat: puniendum peccatum omne, non solùm graue, sed & leue: hoc necessarium: si enim puniendum non esset, peccatum non esset. Omnes ergo puniendi sunt, omnes plectendi, non solùm præuaricantes, sed & inobedientes: id est, non solùm illi qui flagitia perpetrarunt ac facinora, sed & ij qui minora E factitarunt. Non hæc quidem, ait Chrysostomus, illa autem nequaquam, sed omnis, inquit, præuaricatio & inobedientia. Nihil mansit inultum. Nullum peccatum abit impunitum, seu grande sit, seu etiam leue.

Augustin. con. 25. in Psalm 118. post init.

Præuaricator peccator est, non contrà.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

Quoad retributionem. Iustam eam vocat Apostolus, in quo tria simul connotat. Primum est, pœnam reddi peccato commisso vt debitum. Dignum enim & iustum est, vt qui fecit quod non debuit, patiatur quod debet; & qui ad libertatem se gessit, plectatur contra voluntatem. Malorum impietatem perire necesse est, ait Prosper, aut proprio iudicio, aut sententiâ Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit. Plectendus est peccator aut à seipso, aut à Deo, quia omni peccato debitum est supplicium: omnis culpa, omnis inobedientia pœnam affert, & innatam ex sese, ac de se profert sententiam. Alterum, culpam quidem pœnâ compensari, sed pœnam culpâ mensurari. Iustum dicit propter æqualitatem pœnæ, ait Aquinas, vt scilicet secundum mensuram peccati, sic plagarum modus. Quantum enim se quisque glorificauit vanè, aut noxiè delectauit, tantum accipit tormentum & luctum. Tertium, non minorem in malis esse quàm in bonis retributionem. Nullum bonum vel minimum, vt scyphus aquæ pro Christi nomine datur, mercedem non exigit: nullum malum vel perexiguum, vt verbum otiosum, rationem non reddit nullum non subit punitionem. Et omnis, inquit, præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, pro eo, inquit Chrysostomus, quod est castigationem & pœnam. Ita solet Paulus dictionum non magnam habere rationem, sed indiscriminatim etiam in rebus bonis ponere ea quæ malam habent significationem. Sicut etiam dicit alibi, In captiuitatem redigentes omnem intelligentiam ad obediendum Christo. Et rursus mercedis retributionem posuit pro punitione. Sic & alibi, Si iustum est, inquit, apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem. Hoc est, non interit & corrupta est iustitia, sed Deus eam est executus, & pœnas conuertit in eos qui peccauerunt. Licet grauiores grauioribus, leuiores inflictus leuioribus. Retributio enim, vt dixit Aquinas, respicit quantitatem culpæ, vt qui magis peccauit, magis puniatur. Merces verò respicit qualitatem, vt qui igne libidinis peccauerit, igne crucietur. Accipiet ergo mercedem bonam pro bonis, & malum pro malis. Et sic merces accipitur in bonum & in malum, in quantum importat iustitiam distribuendi. Merces enim retributio, sicut & meritum, verba sunt media.

Prosper sent. 96.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

Merces, retributio, meritum, verba sunt media.

Aquin. lect. 1.

Quoad illationem. Argumentatus est Apostolus, à minore, vt dicunt, ad maius, nunc infert, apertámque refert consequentiam. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Lex quidem antiqua vitam promittebat, sed temporalem: ita & pœnam sed temporalem imponebat. Lex noua promissionem habet quidem æternæ vitæ, sed & gehennæ, seu æternæ comminationem vindictæ continet. Præmisit exhortationem ipse Dominus, (verba sunt Augustini) dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & amplius non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennâ ignis. Maiore námque timore minora contemnimus, & maiore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus. Nam & hîc deliciæ temporales dulces sunt: & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem seculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Hinc ergo vt liberemur clamemus ne fortè in pressuris consentiamus iniquitati, & verè irreparabiliter sorbeamur. Quem finem proponit lex antiqua?

Augustin. Enarrat. 1. p. Psal. 68. post init.

Temporalia præ æternorum prospectu contemnenda.

antiqua? prosperitatem & pacem. Quem intendit finem lex noua? salutem, beatam æternam felicitatem: cui tamen pœna est opposita, idcóque & æterna. Apparuit quidem olim Christus in figurâ humanâ, ideóque omnia adhuc in vmbrâ: nunc autem & in propriâ personâ apparuit, & in humanâ naturâ, ideóque & meliores reuera sanciuit repromissiones, sed & acerbiores punitiones proposuit. Consequenter ergo cum dicit, Quomodo nos effugiemus: ponit consequens suæ conditionalis: in quo, ait Aquinas, describit conditionem Noui Testamenti, ostendítque necessitatem obseruandi. De salute enim agitur, aut de perditione: non iam de morte defluente, vel de mercede prætereunte, sed de regno æterno, aut de æterno contenditur supplicio. Vide, ait Chrysostomus, quomodo faciat comparationem. Illic quidem sermo, hîc autem salus. Quomodo ergo, inquit, nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Pulchrè enim addidit, Tantam, per hæc significans illam non magnam fuisse salutem. Non enim, inquit, nos nunc seruabit à bellis, neque præbebit terram, & bona quæ sunt in terrâ: sed mortis erit deletio, sed diaboli interitus, sed regnum cœlorum, sed vita æterna. Hæc enim omnia compendio ostendit, dicens, Si tantam neglexerimus salutem.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 3.

ELVCIDATIO IV.

De confirmatione salutis.

QVid putas salutem? Doctrinam ipsam salutarem, quæ fidem exstruit, & salutem promittit. Quomodo existimas confirmatam fuisse, auctoritatem obtinuisse ac firmitatem? Tribus modis, quasi tribus argumentis, tam inuincibilibus, quàm euidentibus. Primum est, originalis dogmatum traditio: alterum, vniuersalis miraculorum operatio: tertium, liberalis charismatum distributio.

Quoad primum. Quàm certa doctrina, quámque salutifera: Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Tria notantur: origo, traditio, confirmatio. De origine loquimur quoad doctrinæ enarrationem, non quoad emanationem sapientiæ. Nam doctrina quidem à Christo consignata est, sed à Deo accepta tanquam à principio. De traditione, quoad prædicationem doctrinæ: nihil enim profuisset consignari Apostolis, nisi Christus ipse iussisset publicari. De confirmatione, quoad probationem, quomodo enim homines accepissent, quomodo credidissent infideles, nisi ab iis audiuissent, qui & ipsi testes essent sufficientes & idonei. Si primum defuisset, doctrina non fuisset adeò certa; si secundum, citò fuisset extincta; si tertium, non fuisset tutò credita. Hinc igitur, ait Tertullianus, dirigimus præscriptionem. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius Patrem nouit nisi Filius, & cui Filius reuelauit, nec aliis videtur reuelasse Filius, qàm Apostolis quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem

Tertullian. lib. de præscript. cap. 1.

A prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viuâ, quod aiunt, voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum; & Christi, & Dei. Duo igitur in disciplinâ Christianâ maximè ad commendationem seu probationem spectanda sunt. Primum, à quo sit tradita. alterum, quomodo sit tradita. In primò, notatur origo, in altero, ordo declaratur. Etenim, vti dixit Irenæus, Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est Dei Filij doctrinam, cognouimus, quibus & dixit Dominus, Qui vos audit, me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui me misit. Ita dispositionem accepimus salutis nostræ, ita confirmationem diuinæ dispositionis inducimus. A quo igitur accepit initium? à Christo Domino, Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum. Quibus consignata est: Apostolis, viris electis à Christo, à Deo approbatis. Sic ergo doctrina Christiana confirmata est apud nos, nec Iudæos tantùm, sed & Græcos; id est, vbique inualuit, &, vt dicam ex Chrysostomo: Vim & dominatum obtinuit. Subiungit enim Paulus id quod efficit vt sit credibile & fide dignum. Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum. Hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Non homo eam traiecit in terram non creata potestas, sed ipse Vnigenitus. Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Credita fuit. Non est extincta, non desiit, sed dominatum obtinet & superat. Ij enim qui à Domino audiuerunt, ipsi nos confirmarunt. Magnum est hoc & fide dignum. Quod quidem Lucas quoque dicit in initio Euangelij. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Duo sunt in fide spectanda, ordo & origo.

Irenæus præfat. in lib. 3.

Chrysost. orat. 3.

Quoad secundum. Prima quidem illa præscriptio inuicta est, & certa confirmatio. Sed si nihil excipi potest, potest tamen aliquid obiici. Nec enim nos Christum vidimus, nec Apostolos audiuimus; & si vidissemus Christum, & audissemus Apostolos: nondum tamen res acta est, nondum fides in nos confirmata. Quomodo fuit confirmata: ait Chrysostomus. Quid enim si ij qui audierunt, ipsi finxerunt? Hoc ergo refellit Paulus, & ostendit non esse humanam gratiam. Nam si finxissent, Deus eis non tulisset testimonium. Quomodo fert testimonium? Non sermone, neque voce. Nam est & quidem hoc quoque credibile. Quomodo ergo? Signis, & portentis, & variis virtutibus. Hoc est, non temerè ac leuiter illis crediderunt, sed per portenta, & tot signa & tam differentia. Causa igitur est, quia diuina virtus operatur. Quamobrem non illis credimus, sed Deo. Expendit vocem Græcam, velut efficacem & exquisitam, nec simplicem sed compositam συνεπιμαρτυροῦντος, Deo contestante, fidem

Chrysost. ibidem.

fidem probante, & sermonem confirmante signis multimodis, & diuersis portentis. Signa sunt, quæ diuinam ostendunt virtutem, quæ testatam faciunt veritatem: prodigia, seu portenta quæ prouocant attentionem, stuporem excitant, nedum admirationem. Virtutes singulares, quæ tamen tam vniuersaliter quàm & efficaciter traditam confirmant doctrinam, dum diuinam declarant potentiam. Dicunt Apostoli, quod audierunt; sed quod dicunt, satis probant, dum diuino firmant suffragio, dum signis confirmant non vulgaribus, sed innumerabilibus prodigiis. Deus enim est, qui facit mirabilia magna solus, ideóque dum portenta facit, certissimum fidei seu veritati reddit testimonium. In plurimis quidem, ait Hilarius, humanorum operum gestis, multa magna & mirabilia extiterunt. Sed quicquid in his gestum est, ad eum refertur cuius virtus illa gessit. Multa mirabilia Moses in Ægypto egit: sed testimonium Magi incantatoresque perhibent, quia in operibus illis digitus Dei est, sicut scriptum est. Dixerunt ergo incantatores Pharaoni: Digitus Dei est hoc. Ex quo ostenditur virtutem Dei per Moysen operatam fuisse, cuius tum illa ministerio gerebantur. Magni quoque miraculi illud fuit, tum cum dicente Iesu Naue sol stetit contra Gabaon, & luna contra vallem Haylon. Nescio quid hoc mirabilius effici possit: cum verbo hominis sol & luna in Dei vnius moram excursûs sui lege detenti sunt. Sed virtutis huius auctorem scriptura mox addidit, dicens: Nõ fuit dies neque priùs neque postea, vt sic exaudiret Deus hominem: quia Dominus pugnauit pro Israël. In eo enim quod Iesus exauditus est, & pugnabat Deus in Israël: virtus eius in gestis, qui & pugnabat, & exaudiuit, ostenditur. Quomodo ergo salutifera illa doctrina in nos confirmata est? Contestante Deo signis & prodigiis & virtutibus variis. Probante Deo per vniuersalem signorum ac miraculorum operationem, vt clarum sit manifestúmque traditionem dogmatum humanam non fuisse, sed planè & apertè diuinam. Quibus si quis non assentitur, (vt dicam ex Irenæo) spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem, & est à semetipso damnatus, resistens & repugnans saluti suæ.

Hilarius Enarrat. in Psalm. 135. in med.

Prodigia à Deo solo sunt edita.

Irenæus lib. 3. aduers. hæres. c. 1.

Quoad tertium. Nec Christus quidem sine signis & prodigiis, seu sine Patris operibus, & virtutibus diuinis admittendus. Volens itaque Filius hominis natiuitatis suæ fidem facere, (verba sunt Hilarij) factorum suorum nobis posuit exemplum, vt per inenarrabilem gestorum suorum efficientiam de virtute natiuitatis inenarrabilis doceremur: cum aqua fit vinum, cum quinque panes saturatis quinque millibus virorum excepto sexu & ætate, reliqua replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, & nescitur: fit, & non intelligitur: ratio non apprehenditur, effectus ingeritur. Idoneum quidem traditæ veritatis testimonium est, diuinæ potestatis argumentum: quod enim humanâ prædicatur voce, diuinâ virtute, tam amicâ veritatis, quàm falsitatis nesciâ confirmatur. Nondum tamen actum est, aut nondum peractum. Tria enim adhuc quæri possunt, & disquiri. Primum, A an verum sit miraculum, seu certum diuinæ virtutis argumentum. Vt enim verum sit miraculum, debet potentiam & industriam superare naturæ non humanæ tantum, sed & Angelicæ, solámque appellare omnipotentiam. At quis istam vel illam definiat? Secundum, an in probationem seu confirmationem prædicatæ salutis, seu veritatis annuntiatæ sit editum. At quis præscribat Deo, nec dictis hominum, nec temporum alligato circumstantiis? Tertium, an sit indubitatum, seu certâ fide, & plenâ relatum auctoritate. Quis id sciat, cum ea quæ tenebantur B vera, falsa nonnunquam deprehendantur; & ficta pro certis, vel audita pro veris obtrudantur. Restat igitur vltimum veritatis annuntiatæ, seu diuinæ virtutis testimonium, quod non solùm alia omnia superat, sed & fluctuantem vacillantémque animum in totum confirmat. Et Spiritûs sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem. Hoc vltimum seruatum est, tanquam telum potentissimum. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd testimonium est per loquelam: loquela est signum sensibile. Deus autem duplici signo sensibili contestatus est: scilicet miraculis, & donis Spiritûs sancti. Et quantum ad secundùm, scilicet quantum ad dona, dicit, Et Spiritûs sancti distributionibus. Diuisiones enim gratiarum sunt, idem C autem Spiritus. Quia alij datur sermo sapientiæ, alij prophetia. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Dixi, vltimum tanquam potentissimum, cum alia calumniæ pateant, & omnia cedant prophetiæ. Quid enim? (ait Chrysostomus) quòd & præstigiatores signa faciunt, & Iudæi Christum in Beelzebub dicebant eiicere dæmonia. Propterea dixit, Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. Inde námque tam conuincens prædicationis argumentum, quàm euidens diuinationis testimonium. Si enim conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, D intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit.

Hilarius lib. de Trinit. vlt. med.

Miracula & oracula simul collata.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. 3.

1. Corinth. cap. 14.

DILVCIDATIO V.

De orbis subiectione.

E REdit Paulus ad dignitatem Christi & auctoritatem Euangelij. Miramini eum grauiùs vapulaturum, duriúsque plectendum, qui tam magnam salutem neglexerit, fidemve contempserit Christianam? At contemplamini, legislatorem auctoremve, qui non alius quàm Christus Dominus, cui subiecta sunt omnia, maximè verò cœlestia & æterna. Tria in his elucidanda sunt. Primum est, duplicem esse mundum præsentem & futurum: secundùm; ministerium Angelis in præsenti creditum: tertium, futurum

futurum omninò Christo Domino subditum.

Quoad primum. Si tantam firmitatem obtinuit lex ab Angelis promulgata, quantam obtinebit, illa, quæ cum initium accepisset, enarrati per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est? Quantam præ Angelis ipsis auctoritatem habebit? Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Distinguit, dum futurum dicit, sed indicat, dum se iam de mundo isto locutum pronuntiat & adhuc locuturum; quasi sermo de ipso institutus sit, ideo factus faciendúsque. De quo loquimur. De quo nobis sermo. Vbinam factus? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ. Futurum scilicet, innouatione seu immutatione iam alium. Vbinam faciendus? Multis subinde in locis: cum enim Christus pater sit seculi futuri, & Pontifex futurorum bonorum, non semel id Paulus tangit, sed præcipuè Hebræis suis præsentium auidis rerum id imprimit. Non habemus hìc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Sic & coapostolus Petrus: Expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cælos & nouam terram, secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Nouos id est, innouatos, & nobilioribus donatos qualitatibus, & in meliorem faciem restituta; in quibus perfecta habitet iustitia, cum illuc nihil immundum intret aut coinquinatum. Sic & Ioannes in Apocalypsi. Et vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum & terra abiit. Id est, formam exuit antiquam, & nouam induit. Cœlum & terra, ait Ambros. & cetera elementa quæ modò videmus, ab igne consumentur, non vt penitùs deleantur, sed vt in meliorem statum per ignem reparentur, sicut Psalmista indicat, dicens, Ipsi peribunt, tu autem permanebis. Quod ergo dicit, primum cælum, & prima terra abiit: speciem einsmodi cæli ac terræ: transituram esse demonstrat: species enim eorum, non essentia transibit, cum in meliorem statum commutabũtur & pulchriorem. Duplex ergo mundus, ille nimirum quem nunc incolimus; & futurus, quem expectamus, & in tantum nouus, in quantum innouandus, producto nimirum seculo, & vniuerso reformato. Duplex quippe est status mundi, vt docet Aquinas, vnus qui nunc est præsens: & alius, qui est futurus. Hic enim mundus, iam non immundus, in quo regnabunt electi, in quo sancti & potentiam diuinam spectabunt & magnificentiam. Nam vt est apud Isaiam. Erit lux lunæ, sicut lux solis: & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.

Orbis futurus idem qui nouus seu innouandus.

Heb. cap. 13.

2. Pet. c p 3

Apocal. cap. 21.

Ambros. in Apoc.

Aquin. lect. 2.

Isa. cap. 30

Quoad secundum. Qui conditor est orbis, idem & rector est. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Vt videlicet, inquit Gregorius, subaudias nullum. Per se quidem mundum regit, quem per se condidit, nec eget alicuis adiutoriis ad regendum, qui non eget ad faciendum. Omnipotens Deus si per semetipsum regere non negligit quod creauit, quod benè creauit, vtique benè regit: quia quod piè condidit, impiè non disponit, & qui necdum facta curauit vt essent, quæ facta sunt non deserit. Quia ergo præsens est in regimine, qui auctor extitit in creatione, ideò curam nostri non deserit. Qui tamen nullis eget auxiliis, Angelos tamen adhibet vt ministros; & si dominium non permittit, concedit tamen principatum. Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta Regem Persarum. Apparuit Princeps Græcorum veniens: & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël Princeps vester. Nunc apud Danielem audis Principem Persarum, nunc Græcorum, nunc Iudæorum Principem. Angeli sunt, aut Archangeli, quibus cura regnorum seu populorum demandata est. Non tamen orbis, vt docet Aquinas, eis subiectus est vice dominij, sed vice cuiusdam ministerij. Tota enim creatura corporalis ministratur per Angelos. Psalm. 102. Ministri eius qui facitis voluntatem eius. Mundus quidem eis aliquo pacto subiectus est: verùm non illum ex proprio gubernant arbitrio, sed pro diuino administrant imperio. Incorporalis Deus, (verba sunt Hilarij) misericordiæ suæ oculis, & tanquam ministerio famulantium Angelorum protegit gentes: & in omnes credentes donum diuinæ miserationis effundit. Dominium & imperium penes creatorem est, officium & ministerium penes dispensatorem. Non ergo negat apertè Paulus mundum hunc præsentem Angelis aliquo modo esse obnoxium, imò tacitè subindicat; dum enim distinguit præsentem & futurum, vnum subiicit, & alterum eximit. Quin & alibi diabolum, huius seculi Deum vocat, & ipsum Christus Principem huius mundi nuncupat. Sic tamen principatum inuadit, ambit ve dominium vt diuino subiaceat imperio, nihilque audeat, nisi quod permiserit creator ambienti, aut petenti tandem concesserit.

Gregorius lib. 2. Moral. cap. 21.

Dani. 10. cap. 10.

Aquin. lect. 2.

Hilarius Enarrat. in Psal. 65. in med.

Quomodo præsens mundus sit Angelis obnoxius.

Quoad tertium. Licet in isto mundo nondum omnia subiecta sint, in futuro tamen nihil non succidet, nihil non coram illo procidet. Hunc enim qui erat futurus, non subiecit Deus Angelis, sed Christo. Quod autem ad filium dictum sit, est manifestum. Nam neque illud quispiam dixerit, quod dictum sit ad Angelos. In hoc quidem mundo corruptibili & labili, Angeli aliqualem sortiti sunt potestatem: sed in futuro incorrupto & æterno, euacuabitur potestas omnis, dominatio omnis & principatus cessabit, solus regnabit Christus summo iure, ac supremâ potestate solus Rex Regum prædicabitur & Dominus dominantium. Non enim Angelis subiecit Deus orbem futurum, de quo loquimur. Hoc est, vt exponit Ambrosius, Non enim salutem nostram, quæ in nouissimo tempore facta est in orbe terræ, Angelis subiecit, quæ à Prophetis futura olim prædicta est; sed filio suo, ad quem vox Patris sonuit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuá terminos terræ.

Chrysost. orat. 4.

Ambros. in Paulum.

Saluatorem

Regnum electis à Christo paratum.

Saluatorem quippe expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; qui mundum renouabit, præstabitque purum ac splendidum, & in eo cum electis suis regnabit in æternum. In hoc ergo Christus Dominus non solum Angelis principibus antistat, sed & cæteris omnibus præstat creaturis, quod in illo mundo nouo seu innouando, iuxta verbum Domini apud Isaiam cap. 65. Ecce ego creo nouos cœlos, & terram nouam. Dotibus nimirum statui immortalitatis & felicitatis: quieti congruentibus instructam, destinatus est illi principatus, in quo dominabitur nullo resistente, in quo nullo contradicente ob partam salutem & adeptam immortalitatem magnificabitur. Nam de cœlo quidem, vt Augustinus loquitur, ab initio sui ciuitas ista Hierusalem noua descendit, quoniam cœlestis est gratia, quâ Deus eam fecit. Sed per iudicium Dei, quod erit nouissimum per eius Filium Christum, tanta eius, & tam noua de Dei munere claritas appatebit, vt nulla remaneant vetustatis vestigia: quandoquidem & corpora ad incorruptionem, atque immortalitatem nouam ex vetere corruptione atque mortalitate transibunt. Quando enim mors non erit in istâ ciuitate, nisi quando dicetur: Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus? Quod tunc vtique non erit, quando dicetur, Vbi est? Quasi iam non sit, cum pœnitùs interierit.

Augustin. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 17.

DILVCIDATIO VI.

De prædictione dignitatis.

NOn solùm hoc Christo promissum est, sed & de ipso prædictum. Testatur autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es eius; aut Filius hominis, quoniã visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil subiecit non subiectum ei. Quis ille testis? non nominauit, quia non ignorauit eum Hebræis suis esse notissimum. Imò vt plurimum alibi nomina laudat auctorum, hic nuda commemorat scripturarum testimonia, vtpote Iudæis ipsis vsitata. Sed

Obseruandum est primò, Psalmum istum octauum à Dauide compositum adhuc iuuene, de nocte gregem pascente, & Maiestatem Dei in astris contemplante. Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersâ terrâ. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Sed tria proposui dilucidanda. Primum est, Psalmum à Dauide compositum adhuc iuuene, & prope infante. Vnde præfatus, & quasi veniam precatus & gratiam. Ex ore, inquit, infantium & lactentium perfecisti laudem. Vt iste sit sensus, (secundum Augustinum) Domine, qui es Dominus noster, quàm te admirantur omnes qui incolunt terram; quoniam tua magnificentia de terrenâ humilitate super cœlos eleuata est. Adhuc paruulus erat, & vt paruulus loquebatur, adhuc sapiebat humilia, paruis tamen magna componere, ex terrenis capere docebatur cœlestia. Adeóque placuit laus illa puerilis, vt hoc testimonio vsus sit Dominus: cum dicentibus Iudæis vt paruulos corriperet, respondit: Non legistis ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Benè autem non ait fecisti, sed perfecisti laudem. Quasi laus perfecta profluat ex lactantis ore, & infantis carmine Deus gaudeat. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid iam completi sunt Filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et Saül ad eum: Puer es: hic autem vir bellator. At ille iam sciebat psallere, iam nouerat Psalmos non solùm componere, sed & manu nedum ore canere. Vidi Filium Isai Bethlehemitem scientem psallere. Ille enim qui iam Dauidi fortitudinem dederat plusquam virilem, etiam artem ei infuderat plusquam puerilem, vt & suauiter caneret, & psalleret sapienter. Alterum, Psalmum de nocte compositum, cum custodiam scilicet gregis ageret nocturnam, & ouile commissum, non solùm aduersùs latronum astus, sed & leonum insultus vrsorúmque defenderet. Dixitque Dauid ad Saül: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum. Inde igitur Solis non meminit, sed Lunæ duntaxat ac lunarum: quia nocturna contemplatus astra, Sole non comparente, quod vidit retulit, & inde diuinam edoctus magnificentiam, animum in Psalmum resoluit. Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, Lunam & stellas quæ tu fundasti. Cœli sunt opera digitorum Dei, quia affabrè facti. Luna & stellæ fundatæ sunt, quia Cœlis affixæ, & quasi radicatæ. Tertium, Psalmum à Dauide decantatum, oues & boues pascente, & inde in admirationem & laudem diuinæ bonitatis exurgente. Misit ergo Saül nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis. Quid verò agat in pascuis, nisi calamo ludat agrestri, sed hymno cœlesti non tam otium pascat quàm studium? Nihil aliud negotij Pastor aut armentarius habet, ait Gregorius Nazianzenus, quàm vt cum lupis nonnunquam pugnet, atque interdum etiam ægram ouem aut bouem visitet. Magnâ autem temporis parte quercus ipse, & vmbra, & fistulæ auræ erunt, propè gelidam aquam amatorium quiddam cantillare, ac oues ac boues alloqui. Inde ergo Dauid occinens psallensque: Oues & boues vniuersas, inquit, insuper & pecora campi. Hæc enim armentariorum seu Pastorum.

Augustin. Ibidem.

1. Reg. cap 16. & 17.

Consueta Pastorum bubulcorúmque diludia.

Gregorius Nazi. orat. 1. Apol. cir. med.

Obseruandum secundò, Christum in hoc Psalmo repræsentatum. Quid est homo quòd memor es eius, aut Filius hominis quoniam visitas eum? Quid inter hominem, ait Augustinus, & Filium hominis distet, quæri potest. Si enim nihil distaret, non ita poneretur homo, aut Filius hominis per disiunctionem. Nã si ita scriptum

Augustin. Enarrat. in Psal. 8. cit. med.

Augustin. Enarrat. in Psalm 8. cit. med.

scriptum esset, Quid est homo quia memor es eius, & Filius hominis quoniam visitas eum: repetitum videretur quod dictum est, homo. Nunc verò cum sonat, homo, aut Filius hominis, manifestior insinuatur distantia. Ita sanè retinendum est, quia omnis Filius hominis homo: quamuis non omnis homo Filius hominis possit intelligi. Adam quippe homo, sed non Filius hominis. Homo igitur hoc loco dictus est terrenus: Filius autem hominis cœlestis. Et ille longè seiunctus à Deo, hic autem præsens Deo. Et propterea illius memor est tanquam in longinquo positi, hunc verò visitat quem præsens illustrat vultu suo. Filius igitur hominis primus visitatus est in ipso homine Dominico, nato ex Maria Virgine. De quo propter ipsam infirmitatem carnis, quam sapientia Dei gestare dignata est, & passionis humilitatem rectè dicitur: Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Sed additur illa clarificatio, quâ resurgens ascendit in cœlum. Gloriâ, inquit, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Quandoquidem & Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus vnigenitum Filium: quem minutum paulo minus ab Angelis, per humilitatem carnalis generationis atque passionis audimus & credimus. Omnia inquit, subiecisti sub pedibus eius. Nihil excipit; cum dicit, Omnia. Et ne aliter liceret intelligi, sic Apostolus credi iubet, cum dicit: Excepto eo qui ei subiecit omnia. Et hoc ipso huius Psalmi testimonio vtitur ad Hebræos, cum ita vult omnia intelligi esse subiecta Domino nostro Iesu Christo, vt nihil exceptum sit. Esto igitur Angelis præsens hic mundus aliquo pacto subiectus sit: at futurus, qui post resurrectionem & renouationem, nullo modo eis erit obnoxius: ille mundus tam præclarus ac splendidus, in totum erit Christo addictus, vtpotè ei à Patre pro regno promissus, adeo vt nec ipsi assideant Angeli, nec vllum exerceant principatum. Appositè igitur Apostolus testimonium adducit, locúmque producit, cuius sensus non minus quàm textus esset cognitus. Testatus est autem in quodam loco quis. Cur non dixit nomen Prophetæ, sed occultauit? Hoc ipsum opinor, ait Chrysostomus, etiam esse occultantis, & ostendere eos esse valdè peritos scripturarum, quòd non ponat eum qui dixit testimonium, sed introducat; vt quòd vulgò circumferatur, & sit manifestum.

Quid distet inter hominem & Filium hominis.

Chrysost. orat. 4.

Obseruandum tertiò, sic Christum in hoc Psalmo repræsentatum, vt homines maximè verò cœlestes, id est sancti & electi non sint exclusi. Sicut enim nonnulla sunt, quæ principaliùs Christum spectant vt Dominum, sic & alia sunt quæ humanum genus conuenientius repræsentant vt à Deo dilectum. Sed cum Verbum incarnatum, cum electis suis vnum constituat, & iis regnum attribuat suum: nunc vnum Psalmus cantat, nunc alterum. Vt enim sciremus, ait Ambrosius, per susceptionem corporis Christum minoratum, de homine se Dauid Prophetare signauit, dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut Filius hominis, nisi quia visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab Angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus, ait: Nam paulominus minoratum ab Angelis videmus Iesum. Non solum ergo à Patre, sed etiam ab Angelis minor Filius Dei factus est. Sed vt verbo vtar scripturæ, non minor natus, sed minoratus, hoc est, minor factus est. Quomodo autem minor factus est, nisi quia cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit? Non amittens vtique quod erat, sed assumens quod non erat. Verùm si aliud reuera sit homo, & aliud Filius hominis: Hinc iam, (apud Augustinum) licet attendere atque discernere, quid hoc in loco inter hominem, & Filium, hominis distet: vt qui portant imaginem terreni hominis, qui non est Filius hominis, hominum nomine significentur: qui autem portant imaginem cœlestis hominis Filij hominis potius appellentur. Ille enim & vetus homo dicitur: iste autem nouus. Sed nouus ex vetere nascitur, quoniam spiritalis regeneratio mutatione vitæ terrenæ atque secularis inchoatur, & ideo iste Filius hominis nuncupatur. Homines igitur cælestes, noui seu innouati in consortium regni vocati sunt, quasi consortes imperij, sed à Christo Domino cooptati. Hæc enim, vt loquitur Chrysostomus, etiamsi dicta sint de communi humanitate, magis propriè tamen conuenerint Christo secundùm carnem. Illud enim, omnia subiecisti sub pedibus eius, magis est illius quàm nostrum. Dei enim Filius nos cum nihil essemus visitauit, & cum id quod nostrum est suscepisset & sibi vniisset, factus est omnibus superior. Minor quidem Angelis, & ipsis inferior, quà passibilis mortalísque: sed propter ignominiam passionis, ad gloriam immortalitatis sublimatus, supra potestatem Angelicam, imò supra omnem creaturam exaltatus. [Paulominus.] Græcè βραχύ τι, [Modicum quid.] Seu, [Breue quid.] Humiliatus, & humano reprobatus iudicio, sed post resurrectionem & ascensionem, æterno non solùm quoad titulum, sed & quoad exercitium præclarus imperio. Dicitur ergo paulominus, ait Aquinas, quantum ad durationem, quia modicum durauit. Esa. 54. In modico dereliqui te. Angeli enim secundùm naturam sunt immortales & impassibiles. Vnde quando Christus dignatus est passionem & mortem sustinere, minoratus est ab ipsis, quia paruitatem nostram sibi assumpsit. Et hoc significatum est Luc 22. vbi dicitur quòd apparuit illi Angelus Domini confortans eum, non quod indigeret ipso, sed vt ostenderet se minoratum ab ipsis per passionem.

Ambros. lib. 2. de fide cap. 4.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 8. circa med.

Chrysost. orat. 4.

Christus Angelis minor quà passibilis & mortalis.

Aquin. lect. 2.

DILVCIDATIO VII.

De certitudine exaltationis.

NIhil omiserat Paulus, cum definierat, omnia ad arbitrium & imperium Christi à Deo in futuro regno fore subiecta. Id circò resumit, aitque: Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem qui modico, quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum: vt gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Dico Christum super omnia Dei opera constitutum,

constitutum, dico omnia omninò imperio eius esse subdita. Quamuis enim nondum videamus omnia Christum fateri Dominum, & imperiū eius reuereri; non tamen dubitare debemus & ista præstanda, sicquè tam certò facienda, quasi iam essent facta: iam enim regnum suum auspicatus est, iam qui aliquanto seu modico minoratus, supremo donatus est imperio. In his tria, iuxta Pauli sensum elucidabimus: Christi scilicet exaltati fastigium, meriti præmium, & cumulum beneficij.

Quoad primum. Non tam arguta mundi sapientia, quàm argumentosa, imò quàm contentiosa; quæ semper quærit, nec vnquam ad veram Christi peruenit sapientiam. Ideò ergo, ait Ambrosius, ante Christo subiecta non erant omnia, quia nondum receperant sapientiam Dei, nondum habile iugum Verbi, mentis quadam ceruice portabant. Quotquot autem, sicut scriptum est, receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Dicet aliquis: Ergo subiectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minimè: quia non in paucis est Christi subiectio, sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem, non videor esse subiectus, etsi ex parte sim subditus: ita quia omnis Ecclesia vnum corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum diuidimus. Nondum ergo subiectus est Christus, cuius non sunt adhuc membra subiecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed vnus spiritus, tunc & ipse subiectus erit, vt per ipsius subiectionem sit Deus omnia in omnibus. Sicut autem nondum subiectus est Christus, ita nondum perfectum est opus Patris, quia Dei Filius dixit: Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei qui me misit, & perficiam opus eius. Quid igitur quæstionis est, quod in me erit filij subiectio, in quo imperfectum est opus patris, quia non sum ipse perfectus? Quoniam ergo ante, sicut ipse dixit Apostolus, sapientia carnis inimica erat in Deum (legi enim non erat subdita) nunc autem per Christi est subdita passionem. Et tamen ne quis calumnietur, videte quid diuinitùs inspirata scriptura præcauerit. Ostendit enim nobis in quo subiectus erit Deo Christus, dum docet in quo sibi vniuersa subiecerit. Ideóque dicit: Nunc autem non videmus omnia ei subiecta. Nam paulominus quàm Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Quomodo autem subiectus in nobis, nisi eo modo quo minor Angelis factus est, in corporis scilicet Sacramento? In eo enim nondum subiecta ei omnia videbantur, quæ creatori suo à principio sui vtique seruiebant. Vides sapientiam mundanam non solùm molestam, sed & calūniosam insidiosámque; semper difficilē, nunquā docilē. Inspirata verò doctrina facilè cedit, cōceditq; nondū omnia plenè Christo subiecta, nihil tamen inde potentiæ eius detrahit aut gloriæ. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem qui modico, quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum gloriâ & honore coronatum. Ad modicum passus, sed in æternum sublimatus: momento Angelis inferior moriendo, perpetuo ipsis superior resurgendo. Minoratio enim illa, vt Aquinas docuit, non est secundùm naturam diuinitatis, nec absolutè secundùm naturam humanam, nisi inquantum passus est secundùm illam. Possumus ergo dicere, quòd Christus triplici gloriâ fuit coronatus, scilicet gloriâ sanctificationis, quam habuit in primo instanti suæ conceptionis. Rursum gloriâ diuinæ fruitionis, quia ab ipso instanti suæ conceptionis fuit comprehensor. Denique gloriâ impassibilitatis, quam meruit post passionem.

Ambros. lib. 5. de fide cap. 6.

Omnis Ecclesia vnum corpus est Christi.

Aquin. lect. 3.

Quoad secundum. Omnia Christo Dauid subiicit. Nec tamen, vt obseruauit Augustinus, quasi aliquid magnum videtur adiungere, cum dicit, Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Videtur enim relictis virtutibus cœlestibus & potestatibus & exercitibus Angelorum, relictis etiam ipsis hominibus tantùm ei pecora subiecisse: nisi oues & boues intelligamus animas sanctas, vel innocentiæ fructum dantes. Has ergo animas sanctas, non hominum tantùm; sed etiam Angelorum oportet accipere, si volumus hinc intelligere omnia esse subiecta Domino nostro Iesu Christo. Nulla enim creatura subiecta non erit, cui primates, vt ita dicam, spiritus subiiciuntur. Sed vnde probabimus oues posse accipi etiam sublimiter beatos, non homines, sed Angelicæ creaturæ spiritus? An ex eo quod Dominus dicit reliquisse se nonaginta nouem oues in montibus, id est in sublimioribus locis, & descendisse propter vnam? Si enim vnam ouem lapsam humanam naturam accipiamus in Adam, quia etiam Eua de illius latere facta est: restat vt nonaginta nouem relictæ in montibus, non humani, sed Angelici spiritus intelligantur. Nam de bobus facilis expeditio est huius sententiæ: quoniam ipsi homines non ob aliud boues dicti sunt, nisi quod euangelizando verbum Dei Angelos imitarentur, vbi dictum est, Boui trituranti os non infrenabis. Subiecisti ergo, inquit, oues & boues vniuersas, id est, omnem sanctam spiritalem creaturam, in quâ etiam sanctos homines accipimus qui sunt in Ecclesiâ. Videmus nunc Christum vbique gentium inuocatum, adoratum, glorificatum, videmus ab Angelis beatis honorari, à malis reformidari, videmus imperium eius longè latéque diffusum. Vnde id Christus Dominus consecutus est, nisi ex morte & passione? Vnde Paulus dicit eum, propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum. Id est, minoratum ab Angelis, ipsismet imponit, vt victorem ac triumphantem; velut Regem Angelorum, ab omnibus non hominibus tantùm, sed & sublimioribus spiritibus adorandum: & ideò illum describit, vt palmam assecutum pro luctâ, coronam pro ignominiâ. Vidisti, ait Chrysostomus, quemadmodum ei omnia adaptauerit? Nam illud, Modicò, cui magis quàm ipsi congruerit, qui tres dies solos fuit apud inferos? Sed non nobis qui diù interimus & corrumpimur. Et illud, gloriâ & honore, illi longè magis quàm nobis conuenit. Crucem autem eis reuocat in memoriam, duo faciens: nempe & curam eius in nos ostendens, & suadens vt omnia generoso & forti animo feramus, ad magistrum aspicientes. Nam si is, qui adoratur, inquit, ab Angelis, sustinuit quiddam minus habere quàm Angeli propter te: multò

Augustin. Enarrat. in Psalm. 8. vlt. med.

Quomodo per oues & boues intelligendi sint Angeli.

Chrysost. orat. 4.

magis tu qui es minor Angelis, debes omnia ferre propter ipsum. Deinde ostendit quòd crux sit honor & gloria. Vides quantus sit fructus crucis. Tibi quidem videtur res esse tristis, parit autem bona innumerabilia. Vnde enim tanta nobis gratia, nisi ex cruce, vnde tanta beatis gloria, nisi ex cruce, quæ etiam patienti morientique corona exultationis fuit, ideóque non soli Christiano, sed & ipsi Christo causa exaltationis.

Augustin. lib. 3 cont. Maximin. cap. 25.

Quoad tertium Si putas, Christum deiectum naturâ non gratiâ: Non rectè cogitas, (loquor ex Augustino) quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei. Maiores Angeli dici possunt homine, quia maiores sunt hominis corpore, maiores sunt & animo, sed in formâ quam peccati originalis merito corruptibile aggrauat corpus. Naturâ verò humanâ, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit deprauari, solus maior est Deus. Denique propter quid dictum sit: Minorasti eum modicò minùs quàm Angelos: aperuit scriptura, vbi legitur: Eum autem modicò minus quàm Angelos minoratum, vidimus Iesum propter passionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis. Naturâ verò hominis, quæ mente rationali & intellectuali creaturas cæteras antecedit, Deus solus est maior. Christus naturam assumpsit humanam: non in hoc minoratus fuit: nam & post resurrectionem, eandem retinuit naturam, & ipsam tamen vsque ad maiestatis fastigium, vsque ad solium deitatis, suprà omnes erexit extulítque potestates. Sed naturam assumpsit infirmam passibilem ac mortalem: iam inde minoratus est. Sed passus & mortuus est, tum ergo maximè ac præcipuè minoratus est. Sed ipse qui exinaniri voluit, id est vsque ad creaturam ex nihilo ipso factam deuolui, voluit pati, denique mori voluit. Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Modum addit & cumulum beneficij: Græcè ὅπως, gratuitámque Dei describit beneficentiam & Christi, qui ex merâ bonitate, ex innatâ benignitate mortuus est pro omnibus: Græcè ὑπὲρ παντὸς, pro omni, pro mundo, seu populo, ex omni tribu & linguâ & natione collecto: poculum mortis delibauit licet amarum, & proposito sibi gaudio, quasi per habitum iocunditatis siccauit. Gustaret ex solâ Dei gratiâ: ecce modus (ait Aquinas.) Qui enim gustat, magis discernit, quàm qui bibit, vt designet quòd mortem & dolorem sensit. Sed gustare & non gustare, est in potestate gustantis, Christi igitur passio fuit voluntaria. Oblatus est quia ipse voluit; mortuus est, quia ipse voluit. Magna quidem acerbitas supplicij, sed maior charitas Dei, maior Christi benignitas: en modus & cumulus beneficij. Et ille quidem, ait Chrysostomus, passus est propter Dei in nos gratiam. Qui proprio filio, inquit, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum. Quanam de causâ: Non hoc nobis debebat, sed fecit gratia. Vt gratiâ, inquit, Dei pro omnibus gustaret mortem. Multa cernimus, nonnulla credimus, alia confidimus obuentura: sunt enim aliqua exposita visui, sunt & aliqua commissa

Christus ex gratuitâ passus beneficentiâ.

Aquin. lect. 3.

Chrysost. orat. 4.

A fidei, aut spei reposita: sed & ista non minus quàm illa certa sunt & indubitata, vtpote ab eodem Deo disposita.

DILVCIDATIO VIII.

De consummatione passionis.

DIxerat Iesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum: confirmat ex decore seu congruo. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Ipsum scilicet. Qui multos filios in gloriam adduxerat. In quo tria sunt elucidanda. Primum est, Quis ille sit, propter quem omnia, & per quem omnia. Alterum, Quomodo multos filios in gloriam adduxerat. Tertium, Quo pacto salutis auctorem consummauerit per passionem.

Quoad primum. Vnus est Deus, à quo omnia, & in quem omnia; ideóque tam filius intelligi potest quàm pater, quatenus vnus cum Patre Deus est, vnus & Dominus. Ne putes, ait Tertullianus, sola opera mundi per filium facta. Sed & quæ à Deo exinde gesta sunt. Pater enim sensu agit: Filius verò qui in Patris sensu est, videns perficit. Sic omnia per filium facta sunt, & sine ipso factum est nihil; pater enim diligit filium, & omnia tradidit in manus eius; vtique à primordio tradidit. Ex quo, à primordio sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo, cui data est omnis potestas à Patre in cœlis & in terra. Et ille igitur, propter quem omnia, & per quem omnia: nam, vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Si vniuersa operatus est; vtique per ipsum omnia: & si propter semetipsum, vtique in ipsum seu propter ipsum omnia: principium enim & finis est, α, & ω, à quo incipiunt omnia, in quem desinunt. Tamen à seipso non venit, sed à Patre mittente, in cuius auctoritate egit & nomine. Filius, ait ille visus est semper, & Filius conuersatus est semper, ex auctoritate Patris & voluntate; quia Filius nihil à semetipso potest facere, nisi viderit patrem facientem: in sensu scilicet facientem. Quocirca de Deo quidem Paulus intelligendus venit, sed de Deo Patre, qui sicut omnia creauit per Filium seu Verbum suum, sic & omnia per ipsum reparauit. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Deus quidem, sed Deus Pater, qui Filium suum misit & tradidit. Deus enim Pater est, qui fuit causa mortis, (ita Aquinas) Ipse enim est, per quem omnia, sicut per causam efficientem, & propter quem omnia, sicut per causam finalem. Propter ipsum enim sunt omnia, quia propter bonitatem suam communicandam: & hæc fuit causa mouens ad producendum res, & ita finaliter sunt omnia, quia propter Deum. Sunt etiam effectiuè per ipsum. Psal. 145. Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Decebat ergo ipsum, qui actor est omnium, omnibus prouidere. Descriptio igitur diuinitatis est, quia verò Pater fons est totius Deitatis, id est personarum diuinarum: ille maximè notatur, qui

Tertullian. lib. aduers. Prax. cap. 16.

Prouerb. cap. 16.

Tertullian. eodem lib. cap. 15.

Ioan. cap. 3.

Aquin. lect. 3.

Deus principium & finis rerum omnium.

Ephes. cap. 2. qui non minùs ordinis auctor, quàm actor creationis in symbolo nostro prædicatur. Deus autem, ait Paulus, qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, (cuius gratiâ estis saluati) & conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.

Ambros. lib. 1. de off. cap. 10. Quoad secundum. In operibus diuinis, & ministeriis spiritualibus, summa congruitas elucet, nulla apparet necessitas. Decorum, ait Ambrosius, in nostris scripturis primo constitui loco (quod Græcè πρέπον dicitur) instruimur & docemúr, legentes: Te decet hymnus Deus in Sion. Græcè σοὶ πρέπει. Et Apostolus ait: Loquere quæ decent sanam doctrinam. Et alibi: Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per passionem consummari. Ita legit ille, & inde totum reducit ad filium. Neque enim, inquit, dubitari potest de incarnationis dictum esse mysterio, cum propter opera sua corruptelæ seruitio liberanda Dominus susceperit carnem, vt illum qui imperium habebat mortis, per sui corporis destrueret passionem. Caro enim Christi propter opera, diuinitas ante opera: quia ipse antè omnia, & omnia in ipso constant. Non ergo diuinitas propter opera, sed propter diuinitatem opera, sicut Apostolus declarauit, dicens quòd propter filium Dei omnia. Sic enim habet. Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis per passionem consummari. Nonne euidenter exposuit, quòd Dei Filius qui propter diuinitatem suam omnia creauit, is postea propter populi salutem & carnis susceptionem, & mortis assumpserit passionem? Ita sibi constat in verbis, sed à Græcis discordat. Decebat igitur Deum, sed Deum Patrem, qui multos habet filios, & per gratiam promouet ad gloriam. Congruum igitur erat ac decorum, eum, qui multos iam filios claros reddiderat, & per varias tentationes, passionésque diuersas effecerat gloriosos, primogenitum suum per eandem consummare passionis & afflictionis speciem. Ita Mathathias Filiis suis. Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti. Phinees Pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotij æterni. Iesus dum impleuit verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificatur in Ecclesiâ, accepit hæreditatem. Dauid in suâ misericordiâ consecutus est sedem regni in secula. Elias, dum zelat zelum Dei, receptus est in cœlum. Ananias, & Azarias, & Misaël credentes, liberati sunt de flammâ. Daniel in suâ simplicitate liberatus est de ore leonum. Omnes illi, tanquam fideles serui, imò & insignes Filij, ducente Deo, & ipso decernente, illustrati sunt per varias tribulationes, & per innumeras tentationes probati, glorificati, & in omnes magnificati generationes.

(Margin: Ambros. lib. 3. de fide cap. 4. — 1. Machab. cap. 2. — Antiqui eandem nobiscum gloriam per passiones asse-cuti.)

Quoad tertium. Si Filij omnes, licet inferiores, licet adoptiui persecutiones inter & aduersitates, ad supremam peruenerunt gloriam, si per supplicium emerunt imperium? Quid de filio primogenito, saluandorum seu prædestinatorum omnium duce ac principe? Deus pater æquissimus iuxta ac sapientissimus, proprio filio non pepercit, sed congruum esse censuit ac decorum, vt non minùs patientiâ præcelleret quàm gloriâ; mortem, & mortem subiret crucis, sicque tam nostræ salutis dispensationem, quàm suæ consummationem expleret glorificationis. Quod ergo dicit, est eiusmodi (ita Chrysostomus) Fecit pater quæ digna erant suâ benignitate, quòd omnibus illustriorem fecerit primogenitum, & vt tanquam fortis athleta & alios exuperans, aliis esset exemplar. Auctorem salutis eorum per passiones consummare. Vide quantum intersit. Et hic est Filius, & nos Filij: sed ipse quidem seruat, nos seruamur. Vidisti quomodo nos coniungat & conciliet, & distinguat ac separet. Qui multos, inquit, filios in gloriam adduxerat. Hîc conciliauit auctorem salutis eorum. Et rursus distinxit & disiunxit, per passiones consummare. Si passiones ergo sunt perfectio & causa salutis. Si igitur Deus hoc primum eum honorauit, quod per passiones deduxerit; carnem suscepisse, eaque susceptâ passum esse, longè maius est quàm reuera mundum fecisse, & ex nihilo produxisse. Decebat igitur eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gratiam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummare. Ostendit sanè quòd qui pro aliquo est passus, non solùm illi prodest, sed etiam ipse fit præclarior & perfectior: etenim Christus tunc fuit glorificatus, quando est passus. Tolerauit ignominiam passionis & crucis, & ita intrauit in gloriam suam. Decebat ergo, (ita concludit Aquinas) quòd Pater auctorem salutis mitteret, scilicet filium naturalem & vnicum, qui multos filios adduxerat per ipsum in gloriam. Ipse enim in quantum est Filius naturalis, est totaliter perfectus; sed quia in passione minoratus fuit, debuit per meritum passionis perfici. Ipsa enim eius consummatio, est eius glorificatio. Cum enim sacrificium consummatum fuit crucis, fuit etiam confirmatum Saluatoris imperium. Statim enim cœpit agnosci, cœpit & quæ dignitatis innatæ, concessæque potestatis exequi.

(Margin: Chrysost. orat. 4. — Quanta gloria filio primogenito procurata. — Aquin. lect. 3.)

DILVCIDATIO IX.

De origine sanctificationis.

Qvomodo Christus auctor est humanæ salutis, nisi per meritum passionis suæ, & beneficium indultæ redemptionis, dum nos scilicet sanctificat, dum nos à peccatis nostris emaculat: Deóque suo ac nostro, tanquam saluator seu mediator reconciliat. Ita Iob, cum dixisset, Ipse erit saluator meus. Statim adiungit: Si fuero iudicatus; scio quia iustus inueniar. Vtpote à saluatore iustificatus sanctificatusve. Neque enim, vt exponit Gregorius, simul

(Margin: Iob. cap. 13.)

Gregorius lib. 11. Moral. c. 19.

simul conuenire queunt peccata, & iustitia. Sed sanctus vir sibi iniquitatem tribuens, & omnipotenti Domino purgationem suam: & peccatorem se cognoscit ex se, & iustum se factum non ignorat ex munere. Christus ergo non solum iustus est, sed & iustificans; non solùm sanctus, sed & sanctificans. Nos verò impij & immundi, iustificamur, sanctificamurque; volente Deo Patre, & Filium suum in hoc opus mittente. Qui enim sanctificat & sanctificantur, ex vno omnes. In quo, Sciendum est, (ex Aquinate) quòd suprà Apostolus tria dixerat. Primò, quòd Christus est causa salutis, in quo ostendit nos dependere ab ipso, sicut à Saluatore. Secundò, ostendit quòd pater est consummator ipsius Christi per meritum passionis, & in hoc Christus dependet à Patre. Tertiò, quòd pater nos adducit in gloriam, in quo etiam nos dependere à Deo ostendit, & secundùm hoc Apostolus hîc tria facit. Primò enim ostendit quòd dependemus à Christo. Sanctificatus enim dependet à sanctificato, Christus autem est sanctificans. Infra cap. 13. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum suum. Benè ergo dictum est, quòd quia est auctor & sanctificator, dependemus ab ipso, ipse verò à Patre, à quo habet quod sanctificet, quod est secundum. Sed omnes, ipse scilicet, qui sanctificat nos, & qui sanctificamur, ex vno, scilicet ex Patre, quod est tertium Roman. 8. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Consequenter ista tria probat per tres auctoritates. Propter quàm causam non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum, Ego ero fidens in eum. Et iterum, Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus.

Aquin. lect. 3.

Nos à Christo pendemus, Christus à Deo.

Quoad primam auctoritatem. Christus mediator, & quasi medius; ideóque ea quæ accepit in nos pro humano refundit modulo. Propter quam causam. Filius quidem à Patre sanctificatus missusque in hunc mundum, vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum, vt nos exhiberet sanctos in conspectu Dei immaculatósque: sed, Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Tam Christianus quàm & ipse Christus eundem Deum & Patrem habemus, tam auctor salutis, quàm saluandus prædestinandusve ab eodem dependemus principio. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Quænam illa causa? Quia ex vno omnes sumus exorti, & ideò omnes fratres, quia omnes eiusdem sumus Patris filij: licet licet impares, & primogenito nostro obnoxij. Idcircò ait, Non confunditur. Non erubescit homines, licet viles, licet mortales adsciscere in fratres, suos agnoscit consanguineos mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, licet præ suis participibus, suisve fratribus, oleo exultationis perunctus. Ecce rursus, ait Chrysostomus, quomodo eos conciliat ac coniungit, & honorans, & consolans, & eos faciens fratres Christi, ex eo quòd sint ex vno. Ille quidem sanctificat, nos verò sanctificamur: sed vnus est Deus ex quo omnia. Multum interest. Ille siquidem ex Patre est, tanquam verus &

Christus Dominus homines vt fratres agnoscere non est dedignatus.

Chrysost. orat. 4.

A proprius Filius, hoc est, ex eius essentiâ. Nos autem tanquam creatura, hoc est, ex nihilo. Quamobrem dicit, Non erubescit ipsos vocare fratres, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Tria tamen ad pleniorem elucidationem aduotanda sunt. Primum est, Psalmum, ex quo desumptus est iste versiculus, totum Christo dicatum Domino, quatenus scilicet mortalitatem suscepit nostram, & nos in suam admisit societatem. Dicuntur ista ex personâ crucifixi: (ait Augustinus) nam verba sunt, quæ ipse clamauit cum in cruce pendet; personam etiam seruans veteris hominis, cuius mortalitatem portauit. Alterum, appositè dictum, Narrabo nomen tuum fratribus

Augustin. in titul. Psal 21.

B meis: id est, hominibus, non quatenus vnum confitentur Deum, sed quatenus eundem Patrem reuerentur. Quod enim ait Christus, Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, omnes (ait ille) intelligi voluit, qui in eum erant credituri, ad eius magnam quæ futura erat ex omnibus gentibus Ecclesiam pertinentes, de quâ in Psalmo canitur, In Ecclesiâ magnâ confitebor tibi. Et est planè ista clarificatio quâ Filius clarificat Patrem, cum eius nomen notum facit omnibus gentibus, & tam multis generationibus hominum. Manifestaui nomen, non quo Deus es, sed quo pater es; non quo creas per potestatem, sed quo per bonitatem adoptas. Ter-

Augustin. Tract. 106. in Ioan. post init.

C tium, non solùm annuntiasse ac laudasse in Ecclesiâ magnâ quam collegit, sed & in medio Ecclesiæ, in quâ docuit regendo ac præsidendo, mediumque agendo inter Deum & populum. Sicut enim, ait Aquinas, columna in medio domûs sustentat ipsam, lucerna in medio domûs illuminat, cor in medio corpus viuificat, ita Christus in medio Ecclesiæ quam congregat.

Aquin. lect. 3.

Quoad secundam. Rursus in Scripturâ sanctâ dicit Christus: Ego ero fidens in eum. Sed quâ Isaiæ Prophetæ: seu ex octauo capite, seu ex duodecimo. Perspicuum est enim, vt obseruauit Hieronymus, Apostolos, & Euange-

Hieronym. epist. 101. vlt. med.

D listas, in interpretatione veterum scripturarum, sensum quæsisse, non verba; nec magnoperè de ordine sermonibúsque curasse, dum intellectui res pateret. Confidit in Deo, firmamque concepit fiduciam, animam non esse in inferno relinquendam, sed restitutam iri, & in diuinæ throno constitutam iri gloriæ. Dicit ergo, ait Augustinus, pater venit hora, qui cum Patre disposuit omnes horas. Tanquam dicens: pater quam propter homines & apud homines ad me clarificandum simul constituimus, venit hora, clarifica Filium tuum. Cla-

Augustin. Tract. 104. vers. finem.

E rificatio enim Domini nostri Iesu Christi, ab eius resurrectione sumpsit exordium. Humilitas quippe eius incipit in sermone Apostoli, ab eo loco vbi ait, Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & peruenit vsque ad mortem crucis. Claritas verò eius incipit ab eo loco, vbi ait, propter quod & Deus exaltauit eum, & peruenit ad id quod est in gloria Dei Patris: quemadmodum enim à claritate clarificatio, sic à gloriâ glorificatio deriuatur. Clamat de cruce ad Deum, qui possit eum saluum facere à morte, tutúsque ac securus paternum expectat auxilium. Nec eum fefellit

Hilarius lib. 3. de Trinit. cit. med.

fefellit fiducia sua, imò iam à morte postulata inclarescit gloria, iámque triumphantis præmittit nuntia resurrectionis. Dixerat Dominus: Pater, venit hora: horam, ait Hilarius, passionis ostenderat, nam hæc sub momento eo loquebatur. Non diem, non tempus, sed horam venisse dicit. In horâ, diei portio est: nempe illa, de quâ in tempore passionis discipulos confirmans locutus est: Ecce venit hora, vt Filius hominis clarificetur. Deinde adiecit, Clarifica Filium tuum. Quomodo tandem clarificat Pater Filium? Non confundimur cruce, non flagellis prædamnamur, non sputis sordidamur. Suffigitur cruci. Deinde quid sequitur? Sol non occidit, sed refugit. Sed quid refugisse dico? non receptus in nube est, sed de cursu operis defecit, & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt: & ne huic facinori illæ cœlestes operationes interessent, intercessionis huius necessitate quadam sui abolitione caruerunt. Sed terra quid fecit? Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, cum qui moriturus erat intra se contestata non capere. Quid ad hæc proclamat quoque Céturio cohortis, & crucis custos? verè Dei Filius erat iste. Qui cruci affixerant, verè Dei Filium confitentur. Prædicationi consentit effectus. Dominus dixerat: Clarifica Filium tuum. Non solùm nomine contestatus est esse se filium, sed & proprietate quâ dicitur tuum. Multi enim nos Filij Dei, sed non talis hîc Filius est. Hîc enim & verus & proprius est Filius: origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione. Sed si tanta prælibauit à passione, quanta sibi danda sperauit à resurrectione? Ego ero fidens in eum. Filius expectat à Patre, plenámque in resurrectione reportat de morte victoriam.

Christus peculiari modo dictus est filius.

Quoad tertiam. Confidit Christus in Deo, Christianus confidit in Christo: sicut enim ille gloriam & clarificationem accepit à Deo, sic & à Christo gratiam & sanctificationem Christianus accipit: nam sicut ille filiationis declarationem expectat à Deo Patre, sic & iste participationem clarificatione sperat à Christo Saluatore. Ita apud Isaiam Prophetam. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël à Domino exercituum. Primò fiduciam aperit, quam in Deo Patre habuit: tum & fiduciam acuit, quam Filius in Christo Saluatore figit adoptiuus. Potest enim puer esse nomen ætatis, potest & seruitutis: sed hic dignitatis est; specialis nimirum adoptionis. Tale est, hoc inquit Augustinus, quod ait, Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti. Hæc enim omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt specie perfectâ, cum adhuc essent futura. Et eo modo significare voluit ascensionem suam mox futuram de quâ dixit: Nunc autem ad te venio: iturus vtique ad dexteram Patris. Vnde venturus est iudicare ad viuos & mortuos iudicandos præsentiâ corporali, secundùm fidei regulam sanámque doctrinam:

Isaiæ cap. 8.

Augustin. Tract. 106. in Ioan. post init.

A niam præsentiâ spiritali cum eis vtique erat futurus post ascensionem suam, & cum totâ Ecclesiâ suâ in hoc mundo, vsque in consummationem seculi. Quamuis igitur speciatim Apostolos suos capiat ostendátque, generatim tamen discipulos omnes intelligit seu fideles, quos sibi datos dicit, quia nouit tam certò sibi dandos, quàm ab æterno prædestinatos. Nunc ergo fratres suos vocat per communionem naturæ, nunc filios per adoptionem gratiæ; filios nimirum appellat, sed spiritales, quos non minus dat Deus quàm carnales. Ita Iacob Esaü B fratri: patuuli sunt, ait, quos donauit mihi Deus. Imò & istos dat melius quàm illos, cùm sit pater spirituum, & electos Christo dederit de adoptione & hæreditate imbuendos. Non ergo nouerant Dei nomen, inquit Augustinus, cum essent Iudæi? Et vbi est quod legitur, Notus in Iudæâ Deus, in Israël magnum nomen eius? Ego igitur manifestaui nomen tuum hominibus: non illud nomen quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris pater meus: quod nomen manifestari sine ipsius filij manifestatione non potest. Sunt igitur filij illi spirituales, seu fideles seu discipuli, qui à Deo Patre dati sunt Christo Saluatori, seu C Christo homini, per doctrinam ac disciplinam gignendi Euangelicam, non tam perstrepentem auribus, quàm cordibus insidentem, nec tam per litteræ significationem, quàm per subministrationem gratiæ. Et sic, ait Aquinas, verum fit, quod dixit. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes: quia Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Christiani sumus à Christo, filij sumus, eiusdem hæreditatis eius beneficio participes, & eiusdem consortes felicitatis: sed de mundo secernendi sumus, & Christo in discipulos seu filios tradendi; & ab eo, decernente Patre, de vitâ æter- D nâ, seu de gratiâ instituendi & gloriâ.

Filij Christi spiritales sūt fideles seu discipuli.

Genes. c. 33.

Augustin. Tract. 106. in Ioan. in med.

Aquin. lect. 3.

DILVCIDATIO X.

De communicatione carnis & sanguinis.

PVeros diximus eosdem esse ac filios, & addidimus filios eosdem esse ac discipulos nouo spiritu donandos, imò Spiritu sancto regenerandos. Nunc id aperit Paulus, cum ait: Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: E vt per mortem destrueret eum; qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Auctor quidem Christus humanæ salutis, sed prius susceptor humanitatis infirmæ: hanc enim assumpsit, vt per passionem euerteret aboleretque tyrānidem Dæmonis, & legis seruitutem extingueret. Tria igitur sunt elucidanda, Quis modus sit communicationis, Quis triumphus passionis, Quis effectus adoptionis.

Quoad modum. Christus non solùm frater est noster, sed & pater; & nos spiritales eius filij sumus, si fideles sumus discipuli. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini,

guini, & ipse similiter participauit eisdem. Hic, ait Ambrosius, adstruit Paulus fraternitatem veram, & humanitatem in Christo non fictam. Sicut enim pueri carne & sanguine constant, sic & ille participauit carni & sanguini, vt haberet vnde gustaret mortem pro puerorum salute. Nonne multum est quod pueris seu filiis suis participationem diuinæ largiatur naturæ, quod fit ex dono gratiæ? Voluit & carnem assumere & sanguinem, voluit & totalem inire fraternitatem, quod fit ex naturæ consortio. Quid est enim communem carnem assumere & sanguinem, nisi humanitatem induere, licet passibilem ac mortalem? Quod enim, ait Aquinas, hic dicitur quòd Christus communicauit carni & sanguini, non est intelligendum secundùm quod dicunt vitia carnis & sanguinis, quia non assumpsit culpam nec commisit, sed secundùm quod dicunt ipsam substantiam carnis animatæ, quia carnem & animam assumpsit. Nomine nánque carnis & sanguinis aliquando ipsa natura carnis & sanguinis intelligitur. Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ, vt sic per carnem intelligas corpus, secundùm illud Iob. 20. Pelle & carnibus vestisti me; per sanguinem verò intelligas animam, non quòd anima sit ipse sanguis, sed quia non conseruatur in corpore sine sanguine. Aliquando verò per carnem & sanguinem ipsa corruptibilitas intelligitur carnis & sanguinis. 1. Corinth. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt neque corruptio incorruptionem. Quod ergo communicauit carni & sanguini, intelligendum est de passibilitate carnis, quia assumpsit naturam nostram passibilem: vt sit sensus, Quia pueri, id est fideles, habuerunt naturam passibilem; Et ipse, scilicet Christus, participauit eisdem, id est carni & sanguini, non quidem fantasticè, nec accidentaliter, sed similiter, scilicet nobis, id est eo modo quo nos participamus, secundùm rei veritatem, personaliter & substantialiter. Naturam nostram assumpsit, passioni ac morti obnoxiam, fragilitatis nostræ substantiam vniuit, nihilque infirmitatis nostræ reiecit præter culpam & ignorantiam. Iam verò, (ita Augustinus) quia ista fiunt gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, vocem personæ suæ, corpori suo adiungit ipse Saluator, cum ait, particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Sicut est in epistolâ quæ ad Hebræos inscribitur: Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare. Et paulò post: propterea ergo, inquit, quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse propemodum participauit, eisdem. Quod quid est aliud quàm eorum particeps factus est. Neque enim efficeremur participes diuinitatis eius, nisi ipse mortalitatis nostræ particeps fieret. Per hanc enim eius participationem nobis gratia subministratur: vt castè timeamus Deum, & custodiamus mandata eius.

Ambrosf. in Paulum.

Aquin. lect. 4.

Caro & sanguis, humanitas passibilis ac mortalis.

Augustin. con. 16. in Psalm. 118. vers. fin.

Quoad triumphum. Assumpsit Christus humanitatem passibilem ac mortalem; non vt pateretur tantùm, sed & moreretur. Sed in hoc tria sunt miranda. Primum est, quod

A superat per infirmitatem quam assumpsit; alterum, quod per carnem & sanguinem quibus communicauit, hostem captiuat immortalem & inuisibilem; tertium, quod dum occumbit per mortem, triumphat in æternitatem. Sic enim habes (ait Ambrosius) Ergo quia filij participes sunt carnis & sanguinis, & ipse similiter particeps factus est eorumdem vt per mortem destrueret hunc qui mortis habebat imperium. Quis ille est qui nos participes suæ voluit esse carnis & sanguinis? Vtique Dei Filius. Quomodo nisi per carnem particeps factus est noster? aut per quam, nisi per corporis mortem, mortis vincula dissoluit. Mortis enim mors facta est susceptio mortis

B in Christo. Mortalitatem humanam assumpsit, & per illam, mortem nostram consumpsit. Hîc, ait Chrysostomus, ostendit quod est mirabile, nempe quòd per quam vicit diabolus, per eam victus fuit; & ea quæ erant ei arma valida aduersùs orbem terræ, nempe mors, per eam ipsum Christus feriit. Et hoc, eius qui vicit, magnam indicat potentiam. Hoc est enim quod est admirabile, quod per ea ipsum vicerit per quæ inimicus erat fortis & potens, vbique ostendens quanta sibi suppetat facultas, & ad res gerendas solertia: sic quippe fit clarior victoria: nec fuisset clara, nisi morte mortem fregisset. In hoc minoratus ab Angelis, quod passus est; in

C hoc & Angelis dominatus, quod mortuus est. Nemo, ait Ambrosius, excelsior factus dicitur, nisi qui in aliquo fuerit humilior. In eo igitur excellentior factus est, sedendo ad dexteram Patris, in quo se, minor Angelis factus, obtulit passioni. Talem quippe triumphum inaugurabatur, cum immolandus, passionique proximus ac morti, sic Deum Patrem precabatur: Pater venit hora: clarifica Filium tuum: Tanquam dixerit, ait Augustinus, venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. Quantò quippe profundior humilitas, tantò claritas excelsior; & quantò infirmior habitus, tantò

D triumphus illustrior. Quod ita esse comprobans Apostolus ait: Spolians se carne, (agnosce Ambrosium) principatus & potestates expoliauit, triumphans illos in semetipso, per mortem scilicet hominis suscepti: vt, sicut idem beatus Apostolus dicit, per mortem nempe hominis suscepti, destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Habet nimirum diabolus mortis imperium, non quasi Dominus, sed quasi tyrannus; dum per iniquitatis mysterium, infelicem tenet hominem, nô captiuum duntaxat, sed & morti ac

E damnationi obnoxium: potestatem autem eius euertit Christus, dum nobis reddit libertatem: dum satisfacit pro peccato, & diabolum euincit pretio persoluto.

Quoad effectum. Moriente Christo, extincta & mortua est lex illa quæ iram operabatur & vindictam, quæ seruitutem inducebat, dum mortem præferebat. Quis non moueretur, cum perpetuo cingeretur periculo? quis non pauitaret, cum mortis executionem ob transgressionem legis comminantis & non commiserantis continuò prospectaret? Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione,

Ambrosf. lib. 3. de fide cap. 5.

Chrysost. orat. 4. & in Morali.

Diabolus per ea quuicit, victus est.

Ambrosf. lib. 3 de fide cap. 5.

Augustin. Tract. 104. in Ioan. in fin.

Ambrosf. Tract. in symb. Apost. cap. 13.

tione, duobus vel tribus restibus moritur. Quid ergo Iudæus faciet, quò se vertet, vndique laqueis circundatus, vallatusque periculis; ni Christum aspiciat in cruce pendentem, & seipsum fide ac charitate flagrantem patienti ac morienti couniat. Ego enim, ait Paulus, per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci. Illâ quippe libertate nos donauit Christus, dum à lege liberauit mortem inferente, seruitutémque inducente per timorem. Non tamen totam abstulit legem, sed nouam attulit, & per amorem non solum timorem mortis; sed & legis transgressionem exclusit. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Iam non timemus expelli domo, quia non sumus amplius ancillæ filij, sed liberæ; non timemus imminenti affici supplicio, quia impendenti erepti sumus periculo, quo Hebræi per totam vitam tenebantur obnoxij, dum anxij & attoniti legem verebantur fulgurantem. Homo, ait Aquinas, duplici seruituti erat obnoxius, scilicet legis & peccati. Vnde Act. 15. Lex dicitur iugum quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Manus enim Moysi erant graues. Exod. 17. Galat. 4. Vt eos qui sub lege erant, redimeret. Erant enim obnoxij seruituti. Ab istâ duplici seruitute Christus nos liberauit. Differentia quippe inter nouum & vetus testamentum est timor & amor. In nouo enim est amor. Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. Vetus autem, fuit lex timoris. Roman. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Et ideò dicit: Vt liberaret eos, qui timore mortis corporalis, quam infligebat lex, per totam vitam obnoxij erant seruituti legis. Non iam prospectamus legem terroribus intonantem, sed legem seruamus cordibus resonantem: non timore agimus, quod seruorum est, sed agimus amore, imò & agimur, nedum ducimur, quod est filiorum. Passus est ergo Christus, non solum vt auctorem comprimeret mortis, sed & legis eliderer seruitutem, sicque perfectam & integram nobis libertatem acquireret. Non enim iam sub lege sumus, sed sub gratiâ; nec sub seruitute gemimus velut oppressi & deiecti, sed vt releuati ac liberi concessâ gaudemus indulgentiâ. Quid est, ait Chrysostomus, timore mortis per totam vitam erant obnoxij seruituti? Quid hoc est? Quòd qui mortem timet, est seruus; & sustinet omnia, ne moriatur. Omnes erant serui mortis, cum hic semper eis adesset metus. Hoc enim tacitè significauit, dicens, per totam vitam. Nunc autem si quis metu illo eiecto, cum deliciis denuntiet esse certandum, & proponat certamen, vt non amplius ad mortem, sed ad regnum adducat, ex quibusnam esse ieris? Ex iisne qui in carcere impinguantur, interea quotidie proferendam expectantes sententiam; an ex iis qui multum decertant, & lubentes laborant, vt sint redimiti regni diademate? Vides quomodo eorum erexit animum: ostenditque non solùm cessasse mortem, sed per eam illum quoque qui aduersùm nos semper bellum gerit implacabile. Diabolum, inquam, esse fractum & prostratum. Nam qui mortem non timet, est extra diaboli tyrannidem.

Heb. c.10. — Galat. cap. 2. — Roman. c.8. — Aquin. lect. 4. — Notanda veteris & noui testamenti differentia. — Chrysost. orat. 4.

DILVCIDATIO XI.

De apprehensione generis.

QVanta nobis, præsertim Hebræis indulta est ab illo gratia, qui nos morte suâ liberauit à tam durâ seruitute? Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. In quo tria sunt elucidanda: Primum, quid sit apprehendere? Alterum, quinam Angeli non sint apprehensi? Tertium, quid semen Abrahæ?

Quoad primum. Nos apprehendit Christus, Græcè ἐπιλαμβάνεται, cum sibi asserit; cum per mortem suam, in veram restituit libertatem; cum nos vindicat, liberátque. In quo tria notanda sunt. Primum est, hominem peccatorem, seruum esse fugitiuum: recessit enim à Deo, séque peccato suo, non terris sed studiis, non regionibus discreuit, sed moribus. Etenim, vti dixit Ambrosius, qui se à Christo separat, exul est patriæ, ciuis est mundi. Alterum, Dominos, iniectâ manu suos vindicasse seruos, & fugitiuos, quasi receptâ possessione, sibi mancipasse. Ita nonnemo, Et dicam, Meus est, iniiciamque manus. Tertium, Christum à Deo Patre missum, vt hominem apprehenderet fugientem, & in domum, hoc est in cœlum, seu in paradisum, vnde profugus mente, sicut & eiectus corpore, reduceret. Qui enim eramus longè, facti sumus prope in sanguine Christi. Iam enim nos non sumus aduenæ & peregrini, sed ciues sumus sanctorum, & domestici Dei. Ita Ambrosius ex Paulo. Apprehendit igitur Christus hominem fugientem, & iniectâ manu sibi asserit; & dum asserit sibi, liberum reddit; dum facit filium. Quid est autem apprehendit? (ait Chrysostomus.) Vsus est hac dictione, Apprehendit: à metaphorâ eorum qui persequuntur auersos, & omnia faciunt vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant. Ab ipso enim fugientem naturam humanam, & procul fugientem, longè enim eramus, persecutus, comprehendit. Ostendens eum id fecisse solâ morum benignitate, charitate, & quam nostri gerit, curâ. Fugerat homo, & quidem ad hostem, quasi non refuga tantùm, sed & transfuga, sicque mortem incurrerat ineuitabilem. Christus vero non solùm hostem destruxit, illum scilicet qui habebat mortis imperium, id est diabolum, sed & fugitiuum apprehendit seruum, & in domum reuexit. Nihil igitur aliud est apprehendere, quàm iniicere manum, & seruum iam alteri addictum sibi asserere.

Quoad secundum. Quandoquidem nunquam fugerunt Angeli boni, nusquam etiam fuerunt

Ambros. lib. 7. in Luc. in cap. 15. — Ambros. Ibidem. — Chrysost. orat. 5. — Apprehendere est manum iniicé & sibi seruū asserere.

fuerunt apprehendendi. Mali autem refugiunt semper, dum semper oderunt; & apprehendi quidem possent, si Deus ita decreuisset; spemque consequi possent & salutem, si id Christus suscepisset. Sed nusquam Angelos apprehendit: quia, vt edisserit Tertullianus, ad hoc non venit. Nam etsi, inquit, Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo & Angelis eius, nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre. Quod pater neque repromisit, neque mandauit, Christus administrare non potuit. Accedunt quidem dæmones ad Christum, imò Christum credunt dæmones; nec tamen eos apprehendit Christus, quia non ita Deus disposuit: si enim restitutionem illis seu salutem promisisset, & sanam fidem, & sinceram addidisset & dilectioné. Multum interest, ait Augustinus, vtrum quisque credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum, & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione Christum esse, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quodammodo vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas. En quomodo Christus apprehendit: non enim apprehensio illa corporalis est, sed spiritualis; quâ & Angelos etiam detinere potuit, licet incorporeos mentem domando, fidémque & dilectionem inspirando; sed noluit, quia iam illi damnati, ideóque extra spem ac salutem amandati. Tot millia Angelorum è cœlo ceciderunt, & fugerunt à Deo; & nullus eorum à Christo apprehensus est, nullum in cœlum reduxit: & quia non habuerunt, aut non tenuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.

T. rtullian. lib. de carne Christi c. 14.

Augustin. serm. 61. de verf. Dom. cap. 2.

Damnati extra spem ac salutem constituti.

Quoad tertium. Poterat Apostolus dicere, Nusquam Angelos apprehendit, sed genus humanum apprehendit: sed quia proximè dixerat, eos qui per totam vitam obnoxij erant seruituti, à Christo liberatos: adiungit, aitque: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Angeli quidem mali ligati sunt à Deo, sed nusquam à Christo liberati. Deus Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni, detractos in tartarum, tradidit cruciandos. Vincula sunt, sed æterna, nam perpetuo mali seu damnati cruciandi sunt supplicio. Ligati sunt & Iudæi à Deo, sed à Christo liberati, quia vincula non ad damnationem, sed ad probationem imposita: impediebant quidem, sed & expediebant. Nam, vt dixit Augustinus. Hoc proderat superbis vt abundaret delictum: multum enim sibi dabant, & quasi viribus suis multum assignabant, & nó poterant implere iustitiã nisi adiuuaret ille qui iusserat. Superbiã illorũ volens domare Deus, dedit legẽ: tanquã dicens: Ecce implete, ne putetis deesse iubentem. Non deest qui iubeat, sed deest qui impleat. Si ergo deest qui impleat, vnde nõ implet? Quia natus cũ traduce peccati & mortis De Adam natus, traxit secum quod ibi conceptum est. Cecidit primus homo: & omnes qui de illo nati sunt, de illo traxerunt concupiscentiam carnis. Oportebat vt nasceretur alius homo, qui nullam traxit concupiscentiam. Homo & homo. Homo ad mortem, & homo ad vitam. Ita apud Marcum. Decumbebat socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illâ. Et accedens eleuauit eam, apprehensâ manu eius: & continuò dimisit eã febris. Quid illa, nisi caro nostra, quæ, vt dixit Ambrosius: Variis criminum febribus languebat, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Sic in Actibus Apostolorum. Claudus ex vtero matris suæ baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. Et apprehensâ, in nomine Iesu Christi Nazareni, manu eius dexterâ, alleuauit eum, & protinus consolidata sunt bases eius & plantæ. Ille nimirum Iudæus, de lege gloriabundus; sed vtroque pede claudicans, & sub tanto desudans onere. Ille igitur à Christo apprehensus est, ille in sanitatem restitutus, & in libertatem à lege grauante, per passionem & crucem assertus. Nusquam ergo vllum liberauit Angelorum: sed homines vindicauit, non dæmones: id quippe promisit Abrahæ, in id & Filium suum misit; ideóque fugientes apprehendit homines, Iudæósque ipsos à lege premente liberos reddidit.

2. Pet. cap. 2.

Augustin. Tract. 3 in Ioan. vit. med.

Homo & homo: vnus in perditionem, alius in liberationem.

Marci c. 8.

Ambros. in cap. 4. Luc. vers. finem.

Actuum. cap. 3.

A B C

DILVCIDATIO XII.

De similitudine tentationis.

QVæ illa consequentia? Vnde debuit per omnia fratribus similari. Recta quidem & optima: sicut enim quod redimibile non est, non est assumptibile: sic & quod redimibile est, est & assumptibile. Nusquam Angelos apprehendit, nusquam exsoluit ac redimit; idcircò nec adsumit: humanam verò apprehendit naturam, ideò & adsumit. Sed Angelum, aiunt, gestauit Christus (ita apud Tertullianum) Quâ ratione? quâ & hominem. Eadem ergo est & causa, vt hominem gestaret Christus. Salus hominis fuit causa: scilicet ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Vt Angelum gestaret Christus, nihil tale de causâ est. Cui igitur rei Angelum quoque gestauit, nisi vt satellitem fortè, cum quo salutem hominis operaretur. Idoneus enim non erat Dei Filius, qui solus hominem liberaret, à solo & singulari serpente deiectum. An verò, vt per Angelum liberaret hominem? Cur ergo descendit ad id quod per Angelum erat expediturus? Si per Angelum, quid & ipse? Si per se, quid & Angelus? Dictus est quidem magni consilij Angelus, id est nuntius; officij, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat. Non ideo tamen sic Angelus intelligendus, vt aliqui Gabriel aut Michaël. Nam & Filius à Domino vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea vnus ex famulis

Tertullian. lib. de carne Christi. c. 14

Christus solus saluos nos fecit, nec Angelico indiguit auxilio.

Luc cap. 2.

D E

lis deputabitur Filius, quia famulorum successit officio. Clamant Angeli nuntiantque, natum Saluatorem, Qui est Christus Dominus. Sed nobis natum, non sibi. Boni enim non indigent, quia iam salui: mali quidem egent, quia miseri; sed non habent, quâ perditi; quibus gratia denegata est, & subtracta misericordia. Quomodo ergo quando dicit, Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, ostendit, ait Chrysostomus, ei magnæ esse curæ humanam naturam, & Deum eius multam habere rationem: ita etiam hìc ostendit quod est multò maius à comparatione. Est enim reuera magnum, & admirabile, & plenum stupore, quòd quæ est ex nobis caro sedeat apud superos, & adoretur ab Angelis & Archangelis, & Seraphim, & Cherubim. Et non dixit solùm, Homines apprehendit, sed volens ipsos extollere, & ostendere ipsorum genus esse magnum & honorandum, dicit, Sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari. Qui adeò est magnus, qui est splendor gloriæ, qui est character substantiæ, qui fecit secula; is voluit, & studium posuit vt frater noster fieret in omnibus: & ideò dimisit Angelos & supernas potestates, & ad nos descendit. Non dicit Christum assimilatum hominibus per omnia, sed fratribus; seu mortalibus, in quibus sunt fratres, pœnam scilicet, non culpam gerentes. Debuit ergo primò, naturam quidem humanam assumere, sed passibilem, seu tentationibus & passionibus expositam pro similitudine. Secundò, gustare dolores & afflictiones debuit pro compassione. Tertiò, & animam, seu vitam impendere debuit, pro reconciliatione.

Chrysost. orat. 5.

Quoad primum. Carnem admittunt, etiam ij qui aberrant; sed negant carnem, aut nolunt similem, dum fingunt spiritalem. Licuit & Valentiniano, ait Tertullianus, ex priuilegio hæretico, carnem Christi spiritalem comminisci. Quiduis eam fingere potuit, quisquis humanam credere noluit; quando (quod ad omnes dictum sit) si humana non fuit, nec ex homine; non video ex quâ substantiâ ipse se Christus hominem & Filium hominis pronuntiarit. Nunc autem, vultis occidere hominem, veritatem ad vos loquutum. De ipso enim Esaias, Homo in plagâ, & sciens ferre imbecillitatem. Primus homicida diabolus, qui iam ab initio Christum esse hominem noluit, studuitque propositum & quasi nascentem opprimere. Potest igitur illis dici, Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere, dum Christum non esse hominem, id est, non assumpsisse nostræ, seu humanæ similem, ideóque passibilem mortalémq; contéditis. Quamuis enim humanum corpus impassibile esse possit; quamuis possit esse spiritale: Verbum tamen caro factum est: corpus assumpsit tam passibile, quàm & sensibile: quia per omnia fratribus assimilari debuit, & eorum placuit passionibus conformari. Dixi per omnia, sed addidi, culpâ exceptâ: licet enim similitudinem habuerit peccati, carnem tamen peccati nusquam habuit, quia nullum omninò peccatum admisit. Ille caput Dominus noster Iesus Christus, (verba sunt Augustini) non cum tra-

Tertullian. lib de carne Christi c. 15.

Christus carnem assumpsit tam passibilé quàm sensibilem.

Augustin. Tract. 3. in Ioan. vlt. med.

A duce peccati venit: sed tamen venit cum carne mortali. Mors peccatorum pœna erat: in Domino munus misericordiæ erat, non pœna peccati. Non enim aliquid habebat Dominus quare iustè moreretur. Ipse ait: Ecce venit princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Quare ergo moreris? Sed vt sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite eamus hinc. Carnem induit & sanguinem, quia communem assumpsit carnem. Pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Similiter quidem, non tamen B pariter. Vnde Græcè est παραπλησίως, non ὁμοίως. Sic enim voluit pœnam admittere, & humanitatem gerere mortalem, vt tamen causam oderit mortalitatis, cunctámque absciderit iniquitatis materiam. Solus enim mediator Dei & hominum, (ita Augustinus) homo Christus Iesus sine culpâ pertulit pœnam, vt nostram scilicet & culpam vacuaret & pœnam; non eam pœnam quæ luenda in hoc maligno seculo fuit, sed quæ nobis debebatur æterna: & tamen ipse etiam nostrum in se affectum morte propinquante suscipiens, Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Qui vtique potestatem habebat ponendi & sumendi animam C suam, sed mortem quam nullâ culpâ præcedente, pro nobis, voluntate non necessitate suscepit, pœnam tamen esse his verbis suis Deus ille magister ostendit, quam solus pro nostrâ sine vllâ suâ iniquitate sustinuit. Si ergo ista gloria misericordiæ Christi, quâ pro nobis pœnam sine culpâ pertulit, singularis est, vt non quidem in carne peccati, sed propter similitudinem carnis peccati, in Adam tamen à quo descendit etiam ipse moreretur, proculdubio cæteri homines in hoc maligno seculo, quod extra paradisum est, pœnas quascumque patiuntur à natiuitate vsque ad mortem, in quibus pœnis vtique patiuntur & mortem, pro D suis peccatis, vel nascendo tractis, vel malè viuendo additis, merito dignéque patiuntur sub iusto & omnipotente iudice. Pœna ergo communis sicut & natura, sed causa singularis: nam in nobis, miseriæ est; in Christo autem, misericordiæ: in nobis, punitionis debitæ, in Christo, gratuitæ dignationis. Accepit carnem passibilem seu humanam naturam, passionique exposuit & afflictioni, quia debuit per omnia fratribus, pœnam non culpam gerentibus similari.

In solo Christo, pœna sine culpâ reperta est.

Augustin. lib. 6. oper. inch. n. 36.

Quoad secundum. Parùm fuit carnem gestare passibilem; voluit gustare passionem. Nempe enim, vt dixit Chrysostomus, si nihil E aliud ille pro nobis egisset, vel hoc ipsum solum, quòd humanas passiones assumere voluit: omnes profectò ad se vehementer amandum prouocare sufficeret. Sed bonus ille Medicus, non solùm visitare ægrotantem voluit hominem, sed & præscriptam gustare medicinam: voluit non esurire solùm & sitire, sed & omnes subire dolores; vt non solùm pateretur pro nobis, sed & compateretur nobis. Quomodo enim Medicus, ait ille, cùm non sit necesse vt gustet cibos ægro paratos, propter curam illius quam gerit, ipse prior gustat, vt persuadeat ægroto vt confidenter audeat cibum sumere. Ita quoniam omnes homines mortem extimuerant, eis persuadens vt in eam essent audaces, ipse

Chrysost. Hom. 7. in ep. 1. ad Timoth.

Chrysost. orat. 4.

ipse quoque eam gustauit, cum non esset ei necesse. Sed quod dicit, Vt gratiâ Dei pro omnibus mortem gustaret, hoc constituit. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, auctorem salutis per passionem consummare. Tria dicit, quæ simul iungenda. Primum est, Dei Filium, sine causâ passum id est, ex gratiâ, non ex culpâ; ex merâ benignitate, non ex vllâ necessitate: venit enim princeps mundi huius, & in eo non inuenit causam, id est, nullam in eo culpam, quæ causa mortis esset, aut passionis materia, deprehendit. Alterum, pro omnibus illum esse passum: ideóque omnium nostrûm suscepisse dolores: tentationes subiisse. Tertium, dolorem ac passionem gustasse: tantum enim abest vt sine sensu pertulerit, quin & cum gustu, proposito nimirum sibi gaudio sustinuit. Verus homo, veræ passiones; verus sensus, veræ tribulationes. Hæc enim, vt dixit Tertullianus, quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus; si non verè habuit in se quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur & resuscitaretur? Carnem scilicet sanguine suffusam, ossibus structam, neruis intextam, venis implexam, quæ nasci & mori nouit. Humana sine dubio, vt nata de homine, ideóque mortalis hæc erit in Christo, quia Christus homo & Filius hominis: nisi si aliud est homo, quàm caro; aut aliunde caro hominis, quàm ex homine. Omnibus ergo passionum ac dolorum generibus consummatus est, vt pro omnibus satisfaceret, pro omnibus, sine vllâ suâ culpâ, pœnam sentiret & ignominiam. Voluit in omnibus pati, vt omnibus posset compati; voluit ex omnibus delibare, miseriam nostram degustare voluit, vt propriâ instructus experientiâ, posset miseris seu afflictis promptiùs procliuiùsque per misericordiam succurrere. In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, venit per ipsam experientiam eorum quæ passi sumus. Nunc non ignorat nostras perpessiones. Non solùm scit vt Deus, sed etiam cognouit vt homo per eam quâ passus est experientiam. Multa passus est, scit compati & misereri, quanquam Deus est impatibilis. Quasi diceret, Ipsa quoque caro Christi multa passa est grauia. Nouit quid sit afflictio, non minus quàm nos qui passi sumus: nam ipse quoque est passus. Quid ergo est Potens est & iis qui tentantur auxiliari? Quasi dixeris, Magnâ animi alacritate manum porriget, commiserabitur: voluit ab hoste tentari, quia vexari docuit carnem; noluit à carne tentari, quia virginem carnem sordidari non docuit: sicut enim in eo nulla mortis causa, sic & nulla ab eo carnis concupiscentia.

Christus quomodo bonus sit medicus.

Tertullian. lib. de carne Christi c. 5.

Chrysost. orat. 5.

Quoad tertium. Non solùm carnem assumpsit passibilem pro similitudine, non solum omnes degustauit dolores pro compassione, sed & animam tandem seu vitam pro reconciliatione posuit immolauitque. Vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. Agnus enim ille, qui occisus est ab origine mundi secundum imaginem, consummatus est per veritatem in fi-

A ne seculi. Oportebat enim vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio: (ita Leo) vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immolatione agni diuinitùs per Mosem fuerant præstituta, Christum Prophetarant, & Christi occisionem propriè nuntiarant. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentiâ veritatis, antiqua obseruantia nouó tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Quia ergo verum

B totúmque hominem adsumpsit, veros & corporis sensus & animi suscepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis, plena miraculis, ideò aut falsis lacrymis fleuit, aut mendaci esurie sumpsit cibum, aut simulato sopore dormiuit. In nostrâ humilitate contemptus, in nostrâ mœstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passionem enim mortalitatis nostræ ob hoc virtus recepit, vt vinceret. Quod Isaias apertissimè prophetauit, dicens: Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus illum esse in dolore & plagâ & vexatione. Ipse autem vul-

C neratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter facinora nostra, & liuore eius sanati sumus. Ipse verus Medicus, qui sanandis nostris vulneribus vulnerari se passus est; verus Pótifex, & summus Pontifex, qui tam fideliter quàm & misericorditer causam egit apud Deum nostram, qui expiandis sceleribus nostris inter sceleratos reputari se pertulit, reconciliationem tandem per mortem operatus: quod enim inchoatum est in natiuitate, inchoatum est quasi doloris præludio, in cruce consummatum est quasi doloris omnis compendio. Vt enim offerret hostiam, ait Chrysostomus, quæ posset nos mundare & expiare, propterea factus est

D homo. Voluit enim esse noster Pontifex apud Patrem. Subiungit enim: vt misericors fieret & fidelis Pontifex apud Deum. Propterea, inquit, carnem nostram suscepit, propter benignitatem solam & clementiam, vt nostri misereretur: non est enim alia dispensationis causa quàm hæc sola. Vidit nos humi abiectos, pereuntes & à mortis oppressos tyrannide, & misertus est. Subiunxit ergo, Ad Deum. Eramus enim Dei inimici, condemnati, probro & ignominia affecti. Nemo erat, qui pro nobis oblaturus esset sacrificium. Vidit nos in hoc esse statu, & est misertus, non nobis constituens

E Pontificem, sed ipse factus Pontifex, vt repropitiaret delicta populi. Vt populo suo Deum propitium redderet, placatúmque. Ideò enim Patrem sustinuit iratum, vt nos reconciliaret; idcircó se tulit à se derelictum nedum à Patre occumbentémque, vt nos repararet. Ideò enim, vti dixit Leo, Iesus voce magnâ clamabat, dicens: Quare me dereliquisti: vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sæuientium manibus derelinqui; hoc est, saluatorem mundi fieri, & omnium hominum redemptorem, non per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione auxilij, sed definitione moriendi, non trepidâ discessione, sed voluntariâ cessione.

Leo serm. 7. de Pass. Dom.

Antiqua obseruantia nouo sublata sacramento.

Chrysost. orat. 5.

Leo serm. 17. de pass. Dom. post init.

ETHI

ETHICON.

De mutuo passionis & mortis commercio.

AVdisti Christum, non solùm carnem induisse mortalem, sed & dolores omnes, mortémque tandem, tantâ benignitate quantâ & charitate subiisse. Quàm igitur mirum, quámque indignum, vt Christus non solùm ad carnem descendat, sed & in crucem ascendat pro Christiano, Christianus, & cute sensibili circumdatus, sed & carne damnatus passibili, nec mortem pro Christo ferat nec dolorem? Non habebat ille, ait Augustinus, quare moreretur, & mortuus est, tu habes quare, & mori dedignaris: Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, vt te à sempiternâ morte liberaretur. Homo & homo. Sed ille non nisi homo, iste Deus & homo. Ille homo peccati, iste homo iustitiæ. Ipse Christus imitandum se proposuit, nec in remedium tantùm se dolori vexandum exhibuit & morti, sed & in exemplum. Omnes enim infirmitates nostras, (ita loquitur Leo) quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit, vt & famis, & sitis, & somni, & lassitudinis, mœroris ac fletûs affectionibus non careret, dolorésque sæuissimos, vsque ad mortis extrema pateretur: quia nemo posset laqueis mortalitatis absolui, nisi ille, in quo solo innocens erat natura omnium, fineret se interfici manibus impiorum. Vnde Saluator noster Filius Dei, vniuersis in se credentibus & sacramentum condidit & exemplum; vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc enim docet beatus Petrus Apostolus, dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sicut ergo nemo est credentium cui dona neganda sint gratiæ, ita nemo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinæ: quia etsi remota est iustitiæ legis asperitas, voluntariæ tamen obseruantiæ creuit vtilitas. Christianus igitur obseruantiæ seu disciplinæ voluntariæ, & exemplo iam obstrictus est, & officio. Sed vt accresceret voluntas, & charitas inardesceret: Christus tria contulit. Primò enim repressit formidinem mortis: secundò, passionis auxit dignitatem: tertiò, & passionem & mortem prouexit ad perfectionis celsitudinem.

Augustin. Tract. 3. in Ioan. vlt. med.

Leo serm. 14. de pass. Dom. in med.

Christianus voluntariæ obstrictus disciplinæ.

Quoad primum. Homo dicitur seruus peccati, quando inducitur ad malum, seu per peccatum obstringitur. Omnia autem peccata, vt notauit Augustinus, duæ res faciunt in homine, cupiditas & timor. Succensa igni & effossa ab increpatione vultûs tui peribunt. Quid increpauit Christus? Peccata. Ab increpatione vultûs eius peccata perierunt. Quare ergo peccata igni succensa & effossa? Quid fecerat amor malus? Tanquam igne succenderat Quid fecerat timor malus? tanquam effoderat. Amor quippe inflammat, timor humiliat ideò peccata mali amoris igne succensa sunt, peccata mali timoris effossa sunt. Ac per hoc sicut omnia

Augustin. Enarrat. in Psalm. 79. vlt. med.

A iusta opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur. Est amor bonorum præsentium, malè inflammans; & est timor præsentium malorum malè humilians. Quamuis autem ista sint quibus homo ligatur & detinetur in peccato, tamen, vt obseruauit Aquinas, magis per timorem mouetur, quàm per amorem. Vnde videmus quòd sæuæ bestiæ, pœnarum timore retrahuntur à maximis voluptatibus, & sic timor maximè ligat homines. Inter omnes autem, timor mortis est maximus: est enim, finis terribilium. Vn-

Peccata omnia aut amore malo, aut malo timore cõmissa.

Aquin. lect. 4.

B de si homo timorem istum superat, superat omnes; & hoc superato, superatur omnis amor mundi inordinatus. Et ideo Christus per mortem suam fregit hoc ligamen, quia abstulit timorem mortis, & per consequens amorem vitæ præsentis. Cur Christus mortuus est? Vt liberaret eos, qui per totam vitam, timore mortis, obnoxij erant seruituti. Cur, inquit, (apud Chrysostomum) horretis? Quid timetis eam, quæ est abolita, planéque & inanis & otiosa? Non est amplius terribilis sed est conculcata, contempta, vilis & abiecta, & planè nullius pretij. Hic ostendit eos qui affliguntur, iucundius degere, quàm ij qui olim degebant in deliciis: siquidem per totam vi-

Chrysost. orat. 6.

C tam illi quidem erant huic metui obnoxij & serui: ipsi autem sunt ab eo liberati, & irrident quod illi horruerant. Nam qui de resurrectione scit plurimum philosophari, quomodo timet mortem, quomodo horret de cetero? Qui autem animam suam despicit, multo magis alia. Mors olim horribilis, nunc verò desiderabilis, tum quòd vitæ studium resecauit Christus, cùm quòd aditum reserauit gloriæ. Olim, dum excedebant vitâ, non finiebant miseriam, sed de custodiâ transibant in custodiam: nunc anima soluta, potitur cœlo, Deóque fruitur. Inde mortis amaritudinem formidabant antiqui, nunc dulcedinem mortis Christiani degustant. Appetunt non so-

D lùm viri, sed & pueri, feminæ, puellæ, & malorum terribilissimum, non libenter solùm, sed & ardenter oppetunt.

Quoad secundum. Non contentus Christus retundere timorem mortis, honorem addidit passione, dum passionem voluit esse gloriosam, & mortem pretiosam: sicut enim malorum mors pœnalis est, ita mors bonorum præmialis. Sicut enim vitæ mors, vt Augustinus loquitur, ita prœmio pœna contraria est: sed per hanc pœnam, id est, corporis mortem quoniam sancti Martyres certauerunt atque vicerunt, mors eorum in quâ nunc dormiunt in conspectu Domini, non suo genere, sed illius munere pretiosa est. Etiam pœnæ

Augustin. lib. 6. op. inch. nu. 36.

E quippe sanctorum, sine dubitatione pretiosæ sunt; sed non quia pretiosæ sunt, ideò pœnæ non sunt; sicut non quia pœnæ sunt, ideò pretiosæ sunt; sed quia prò veritate susceptæ, vel cum pietate toleratæ sunt. Mors quidem semper malum est, quia supplicium est, & pœna inflicta: sed iam non tam malum, quàm bonum, dum pretium addit, & supplicium vertit in prœmium, feneritatem in dignitatem, pœnam in gloriam. Deus Magister exponit, (verba sunt Augustini) qui certè non solos pauperes

Augustin. eodem lib. num. 29.

pauperes, verum etiam diuites vocat, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis. Propter quod autem vocat, nisi quod paulò post dicit, Et inuenietis requiem animabus vestris. Quando istud erit, nisi quando corruptio corporũ quę nunc aggrauat animas, non erit? Nunc verò laborant pauperes, laborant diuites, laborãt iusti, iniqui, & pusilli à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Tam quippe malignum est hoc seculum, vt nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit, quamuis per præuaricationem primi hominis labor posteris eius aduenerit; tamen etiam actu præuaricationis illo quem traximus, iam soluto, vt fidei examen exerceatur, labor remanet ad certamen: oportet enim nos certare cum vitiis, & in ipso certamine laborare, donec donetur nobis aduersarium non habere. Quapropter vt boni prœliatores perducantur ad prœmia, supplicia vertuntur in prœlia. Sic enim Deo placuit fidem probare maiorum: ac per hoc labores nostros, id est pœnas nostras mirabili benignitate conuertit. Certè, tam facile erat hominem immortalem & impassibilem in hoc mundo facere quàm certum est fecisse in Paradiso; ab omni pœnâ, sicut & ab omni culpâ absoluere, quàm infallibile facturum in æuo futuro. Potuit equidem, sed noluit. Cuius ratio est, (apud Aquinatem) quia si liberasset à morte corporali, homines seruierent Christo tantùm propter bonum corporale, & sic periret meritum fidei & spei, similiter etiam ipsæ pœnæ sunt nobis meritoriæ ad vitam æternam. Voluit pœnas reddere pretiosas, & supplicium mortis in titulum erigere dignitatis.

Supplicia iam versa sunt in proemia.

Aquin. lect. 4.

Quoad tertium. Quicquid dicatur, tam mors semper amara, quàm vita gratissima: nihilque difficilius, quàm quod terribilius. Vt enim clamat ipsa natura, (ita Augustinus) plus mors metuitur quàm labores, laborant quippe homines ne moriantur, si eis talis optio proponatur, vt continuò moriantur, si non laborauerint: quotusquisque autem reperitur, qui mori malit quàm laborare? Denique ipse Adam per tot annos maluit laborare, quàm non laborando & fame moriendo, vitam simul & laborem finire. Vnde ergo Martyres tantâ gloria prædicantur, quòd pro iustitiâ mortui sunt, nisi quia maior virtus est mortem spernere quàm laborem? Propter quod non ait Dominus: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt laboret; sed, vt animam suam ponat pro amicis suis. Sicut enim bono legis malè vtendo præuaricatores puniuntur, ita è contrario malo mortis benè vtendo Martyres coronantur. Proinde mors in morientibus omnibus mala est, in mortuis autem quibusdam bona, quibusdam mala. Christus mortis quidem formidinem per spem retudit immortalitatis, sed speciem non abstulit difficultatis. Et ipse quippe Saluator, tuus ait ille, quamuis in carne Deus, quamuis cum carne Deus, humanum tamen demonstrauit affectum, vbi ait, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Nouerat quòd calix ille transire non poterat, ad eum bibendum venerat. Voluntate, non necessitate bibendus ille calix. Omnipotens erat: si vellet, vtique transiret; quia Deus cum patre, & ipse & Deus pater vnus Deus. Sed ex formâ serui, ex eo quod suscepit abs te pro te, vocem hominis, vocem carnis emisit. Te in se dignatus est transfigurare, vt de illo loquereris infirma, vt in illo apprehenderes fortia. Voluntatem ostendit, quâ tentari posses, & continuò docuit quam voluntatem, cui voluntati præferre deberes. Vnde ergo & Martyres vincu? Quia voluntati carnis, voluntatem spiritûs præposuerunt. Adhuc sensus viget in nobis, adhuc metus; sed quò lucta maior, eò illustrior victoria; quò passio atrocior, aut mors violentior, eo dilectio maior, & excelsior perfectio. Oportet, ait Chrysost. Christiani vitam esse plenam sanguine, sanguine inquam, non in fundendo alieno, sed in eo quod sis paratus tuum effundere. Cum tantâ ergo animi alacritate proprium sanguinem effundamus, quando hoc fuerit pro Christo; cum quantâ quisquam aquam effuderit. Etenim aqua est sanguis qui corpus circumfluit: & cum tantâ facilitate carnem exuerimus, cum quantâ vestem. Hæc nempe disciplina Christiana est, hoc Christo debitum à Christiano, officium, hoc mutuum passionis ac mortis est commercium: sic consummatus ille, sic iste consummandus.

Augustin. lib. 6. op. inch. nu. 27.

Augustin. serm. 31. et nouis pos init.

Martyres vincunt, dum voluntatem spiritus voluntati carnis præponunt.

Chrysost. in Mor. orat. 5.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Summa.

QVanto Christum altiùs attollit præ Moyse, tanto digniùs ostendit in fide eius constanter firmitérque permanendum.

TEXTVS.

VNDE fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum: qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in totâ domo eius tamquã famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tamquam filius in domo suâ: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri; probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, sicut iuraui in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam. Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus: Dum dicitur. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illâ exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non vniuersi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

EXEGESIS LITERALIS.

LEx quidem antiqua per Angelos tradita est Moysi, & per Moysem populo consignata. Cum igitur Paulus commendarit excellentiam Christi præ Angelis, nunc eius præ Moyse præstantiam discutit.

Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum &c. Dixerat Christũ tam fidelẽ, quàm & misericordem apud Deum

A esse Pontificem; inde igitur captat occasionem, & ad immotam prouocat constantiam. Inde igitur fratres sancti, vt qui iam non tam carne quàm fide pares, vtpote eiusdem religionis, eiusdem professionis conscij, & eiusdem vocationis participes, cœlestis nimirum per fidem ac pietatem consortes hæreditatis. Inde, inquã, oculum animúmque intendite in Christum, aciemque mentis, & spem in illum salutis erigite. Minus dixi, Christum esse Pontificem salutis nostræ, dico & nostræ Apostolum esse confessionis. Ad hoc enim missus est ad hoc lega-

tus non ſolùm vt iram placaret diuinam, ſed vt fidem ac religionem, quam nos non ſolùm amplectimur corde, ſed & ore confitemur, conderet. Vnde, id eſt, (vt exponit Athanaſius) cum talem hunc dixerim Pontificem eſſe, fidelem ſcilicet & peccatores patri reconciliantem, nec impotentem opem præſtare, velim vobiſcum animo hæc reputetis, comperietis haud dubiè, ita rem ſe habere. Vocati iam eſtis & ſanctificati. Qui fidelis eſt ei, qui fecit illum; ſicut & Moyſes in omni domo eius &c. Qui quidem fideliter ea quæ placita ſunt Deo Patri, qui illum præficit, Pontificémque conſtituit & Apoſtolum: quemadmodum & Moyſes in adminiſtrandâ populi Iſraëlitici familiâ, fidelem ſe & aſſiduum præſtitit. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domûs, qui fabricauit illam. Omnis námque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus eſt &c. Vterque fidelis quidem, ſed non vterque æqualis eſt: tanto enim maiore gloriâ præ Moyſe in ſcripturis ſacris Chriſtus eſt habitus, quanto amplius artifex domûs præ ſuâ honorandus eſt fabricâ. Nulla quippe domus ſeipſam extruit: qui autem condidit omnia, nedum populum Iudaicum, cuius pars erat Moyſes, Deus eſt, Chriſtus Dominus, per quem facta ſunt & ſecula. Fuerit Iudæorum Apoſtolus Moyſes: ſed Chriſtus ipſorum Deus eſt, & Moyſis Dominus. Hoc attendite, hoc & perpendite. Et Moyſes quidem fidelis erat in totâ domo eius tamquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chriſtus verò tamquam filius in domo ſuâ: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque in finem, firmam retineamus &c. Et Moyſes quidem fidelis in totâ domo Dei, ſed tanquam diſpenſator, iuſſa diuina, nudâ ſinceritate, & integrâ fide referens exponenſque: Chriſtus autem fidelis; tanquam gubernator: filius enim eſt, non famulus, ſuper domum vt propriam, non vt alienam à Deo Patre conſtitutus: hæc quippe domus ſumus nos Chriſtiani per miſericordiam Dei & Chriſti gratiam regenerati: ſed ſtabilis ſit inhabitatio, ne inutilis ſit ſanctificatio. Permanendum eſt in acceptâ gratiâ, beneficiúmque Chriſtianæ fidei & ſpei glorioſæ fidenter firmitérque retinendum. Benè dixit, fiduciam ſpei noſtræ, quoniam omnia bona ſanctis in hac vitâ in ſpe ſunt, donec ad ſpeciem perfectæ beatitudinis perueniant. Bona enim quæ nobis promiſſa ſunt, in hac pœnali vitâ habere non poſſumus, niſi patienter illa expectantes, vſque in finem firmam ſpem retineamus: quia oportet nos ſpectare quæ futura ſunt.

Athanaſ. in Paulum.

Moyſes fidelis cum Chriſto, ſed Chriſto non æqualis.

Ambroſ. in Paulum.

Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri; probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis &c. Attendite igitur & videte. Vos enim eâ voce admoneo, quâ patres veſtros Spiritus ſanctus per Dauidem admonuit. Ne ſitis inobſequentes vel ingrati vocationi diuinæ, ſicut illi rebelles fuerunt A & immorigeri voci diuinæ, potentiam eius ac ſapientiam annis quadraginta tentantes explorantéſque, & inde exacerbantes. Hæc eſt ſimilitudo, ait Aquinas, ex facto præterito: nam fideles inſtituuntur de his, quæ ſunt agenda in Nouo Teſtamento, ex iis quæ facta ſunt in præterito. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas, ſicut iuraui in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam &c. Illud, Prop- B ter quod, ex Apoſtolo eſt, non ex Pſalmo. Eam tamen ob cauſam læſus eſt Deus, idcircò enim infenſus fuit generationi iſti, teſtatúſque eos tanquam infideles & aberrantes, nunquam in terram promiſſam ingreſſuros. Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo viuo: ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati &c. Hucúſque ſuſpenſum illud, Quapropter: quod ſic reſumendum eſt nectendúmque. Quapropter, auditâ iam Dei voce, & expenſâ Spiritûs ſancti auctoritate, cauete fratres, ne quando, Græcè μήποτε, contin- C gat aliquem ex vobis eſſe infidelem, ne malitię cogitatio, aut apoſtaſiæ à Deo viuente obrepat inſtigatio. Imò alius alium nunc cum tempus eſt exhortetur, ne quis veſtrûm peccato ſeducente, & ſuadente obduretur Diabolo: ſic enim concupiſcentia fallit, & ſuccedit duritia: ſicut & cum infidelitas ſubrepit, accedit cæcitas. Adhortamini, hoc eſt (vt exponit Commentator Ambroſianus, ſi tamen idem ille) ædificate inuicem corrigite voſmetipſos, ne contingant vobis ſimilia: ne obduretur quiſquam ex vobis decipiente peccato infidelitatis. Sicut enim infidelitas malignam vitam procreat, ſic etiam anima quando in profundum malorum venerit, D contemnit: nec credere patitur, vt ſe à timore mortis perpetuæ liberet.

A quin. lect. 2.

Fallit concupiſcentia & ſuccedit duritia.

Comment. Ambroſ.

Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus &c. Iam enim per fidem inſiti Chriſto eſtis & vniti, támque vtiliter inſiti quàm feliciter, ſi partem, ſeu fidem quâ in illo ſubſiſtitis, vſque ad mortem firmiter conſtantérque retinetis. Participes, hoc eſt, vt exponit Athanaſius, per fidem illi ſumus coniuncti, & ſic ei ſumus participes vt capiti corpus. Si tamen & initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Id eſt, finem; per hanc enim E ſubiuimus diuinam illam & ſpiritualem ſubſtantiam: & in hac vitâ depoſcit, vt firmiores in fide ſimus & ſtabiles. Illa enim ſi cuſtodiatur radix excolatúrque, fructum ſuum facit in tempore ſuo, perfectúmque Chriſtianum, ne dicam & Chriſtum parturit. Dum dicitur: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illâ exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt; ſed non vniuerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen &c. Dixi, vſque ad finem, ſeu vſque ad mortem: quamdiu ſcilicet, vox diuina, non minus nobis, quàm antiquis reſonat; dum

Athanaſ. in Paulum.

Qui obedierunt, promiſſam terram ſunt ingreſſi.

vitâ

vitâ durante, & expectante misericordiâ, corda pulsat irritantia. Quidam enim quum audiuissent diuinam prouocauerunt vindictam: sed non omnes qui egressi sunt de Ægypto ductante Moyse, imò nonnullo obedierunt, terrámque ingressi sunt repromissam. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iratus fuit, & in quos suam exercuit vindictam? Nonne in infideles contumacésque, quorum ossa relicta sunt in solitudine iacentia, sicut fuerat comminatus? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Quibus autem iurauit non ingressuros, nec terrâ potituros promissâ? Nonne iis qui post tanta diuina potentiæ prodigia, noluerunt credere, & promissis toties repetitis confidere. Ita enim legimus, ita intelligimus, eos ob infidelitatem incredulitatemve à fruitione quietis optatæ fuisse prohibitos. Ait autem, Sed non vniuersi. Caleb enim & Iosue, inquit Ambros. quia non consenserunt infidelibus, effugerunt pœnam, quæ illis illata est: nec solùm illis donatum est mortem euadere, quâ ceteri perierunt, sed etiam donatum est illis terram repromissionis intrare, eamque laudabiliter pro suâ portione possidere. An autem ij soli videbimus.

Ambros. in in Paulum.



DILVCIDATIONES in Caput Tertium.

PARÆNESIM instituit, vimque addit ex dictis dicendísq; in quibus multa remisimus elucidanda, quæ per puncta resumimus.

DILVCIDATIO I.

De participatione vocationis.

PRima pars felicitatis nostræ, nedum humanæ salutis, vocatio est, seu vocationis cœlestis participatio: licet enim multi sint vocati, qui non sunt electi: nulli tamen sunt electi, qui non sint vocati; quamuis enim non omnes qui vocantur, veniant; nisi tamen vocentur, non veniunt. Tria enim in electis sanctísve consideranda sunt: capacitas nimirum, potestas, voluntas, seu actio realis, seu actualis volitio. Primum est à natura: omnes enim homines tam felicitatis quàm & salutis de se sunt capaces: secundum à gratiâ, sed habituali: omnes enim fideles potestatem habent Filios Dei fieri, nedum capacitatem, id est, germen iam æternæ possident gloriæ: tertium itidem à gratiâ, sed actuali, quæ vt plenum integrúmque sortiatur effectum, aduersùs contrarium eluctatur affectum. Ex quo námque,

A vti dixit Augustinus, homo incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adiutus ab eo qui dixit, Sine me nihil potestis facere: alterum verò propriâ voluntate, siue à seipso, siue ab alio deceptore seductus, vel peccato, sicut seruus addictus. Adiutos autem homines nouimus Dei spiritu, vt ea vellent, quæ Dei sunt, ante baptismum, sicut Cornelium: quosdam verò, nec post baptismum, sicut Simonem Magum: Iudicia enim Dei sunt abyssus multa, & gratia eius non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Alia B longè est gratia quæ data est innocenti, & alia quæ peccatori: licet enim vtráque detur, & gratis detur; diuerso tamen modo: nam illa datur quidem non merenti, sed non indigno; imò quatenus imago Dei nondum corrupta peccato, sed gloriosa opificio, perfectionem integritatémque sollicitat, & si diuinam non prouocat beneficentiam, certè aduocat: ista verò non solum datur non merenti, sed & in totum indigno; & quatenus imago Dei infecta contagio, & ingrata beneficio, iustitiam sollicitat, & auocat misericordiam, Vera igitur gratia est, quia mera indulgentia, quæ datur iustitiâ quidem reclamante, sed suffragante obsignatur misericordiâ. Nunquid C enim, ait ille, aliter est gratia commendata, nisi quia est indigno data?

Augustin. lib. 1 oper. inch. nu. 98

Augustin. lib. de Gest. Pelag. c. 14.

Quibusnam loquitur Apostolus? Fratribus, seu fidelibus. Sanctis, seu Christianis, per indulgentiam, seu diuinam iustificati sanctificatíque misericordiam. Vnde fratres sancti. Non deest illis gratia habitualis, quæ gratia remissionis est seu iustificationis: imò nec deest gratia actualis: defectus enim non gratiæ diuinæ, sed humanæ imputandus duritiæ: sed adhuc infirmi sunt, & ad maiora seu grauiora secundùm præsentes vires inualidi, ideóque per exhortationem prouocandi, & per orationẽ cõmendandi; vt amplius lauentur curentúrque, & vberiùs adiuuentur confortentúrque. Conue- D nenit igitur scriptura plerúmque hominis voluntatem, (ita Augustinus) vt quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia indigens poscat. Si enim exauditus fuerit in eo quod dicere iussi sumus, Ne nos inferas in tentationem, proculdubiò nullâ decipietur inscitiâ, nullâ cupiditate vincetur. Propterea ergo per Prophetam dictum est, Si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet, & cetera huiusmodi; vt cum inuenissent in seipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium. Sunt igitur quidam iusti, sed adhuc imperfecti: sunt præcepta, E sed & difficilia, quæ infirmum grauant. Sed eo ipso, ait ille, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Gestit aliquando voluntas bona, sed adnata obsistit infirmitas. Hæc ergo propter illam voluntatem dicta sunt, in quâ quisque id quod vult, agit: vt si non habetur, ab eo poscatur, qui in nobis operatur & velle: si autem habetur, fiant opera iustitiæ, & ei qui illã

Augustin. lib. 1. op. inch. nu. 93.

Deus, iubendo monet & facere quod potes, & quod non potes, petere.

Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 69.

Augustin. lib. 1. op. inch. nu. 45.

A operatus est, agantur gratiæ. Optime igitur ingreditur, hisque adoritur verbis: Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes. Primò enim, vt obseruauit Aquinas, ponit conditionem eorum ad quos loquitur: illos autem ad quos loquitur describit tripliciter. Primò ex charitate, vnde dicit, Fratres, hanc enim fraternitatem facit charitas. Secundò etiam describit eos ex sanctitate, cum dicit, Sancti: & hoc propter sacramentorum perceptionem, quâ sanctificamur à Christo. Tertiò describit eos ex vocatione, cum dicit vocationis cœlestis participes. Quia ergo estis in charitate, & sancti, & vocati ad cœlestia, debetis libenter audire loqui de eo, per quem ista vobis perueniunt.

Aquin. lect. 1.

Dicitur ergo vocatio cœlestis ex triplici capite: ex fine, ex auctore, ex operatione. Ex fine quidem, quia alia est vocatio. Iudæorum, & alia Christianorum: illi námque ad terrena vocati sunt, isti ad cœlestia. Dixit Dominus ad Abraham, Veni in terram quam monstrabo tibi. Faciámque te in Gentem magnam. Et ille quidem, cum esset Propheta, nedum Patriarcha, terrenis non adhærebat, sed sciebat cœlestia terrenis adumbrata. Vnde apud Isaiam: Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se? Terra tamen semini eius repromissa, & hæc propria Iudaismi vocatio, terrena scilicet, seu terrenis allecta. Vnde Stephanus: Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in quâ nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in eâ, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum. Ita Deus ad Abraham, Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphratem. Inde igitur Vetus Testamentum, quia bona veteris hominis in eo sunt promissa, pacto scilicet cum Iudæis ipsis inito. Veteris quippe Testamenti nomen, vt aduertit Augustinus, modis duobus dici solet, vno modo, secundùm diuinarum scripturarum auctoritatem; alio, secundùm loquendi vulgatissimam consuetudinem. Paulus namque Apostolus dixit ad Galatas; Dicite mihi, inquit, sub lege volentes esse, legem non audistis? Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancillâ, alterum de liberâ, quæ sunt in allegoriâ: hæc enim sunt duo Testamenta, vnum quidem in seruitute generans, quod est Agar. Sina mons est in Arabiâ, quæ coniuncta est ei, quæ nunc est Ierusalem, seruiens cum filiis suis: quæ autem sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Cum ergo vetus testamentum ad seruitutem pertineat, vnde etiam dictum est, Eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac; regnum autem cœlorum ad libertatem, quomodo etiam regnum cœlorum ad vetus pertinet Testamentum. Sed quoniam, vt dixi; sic solemus loqui, vt scripturas omnes legis & Prophetarum quæ antè incarnationem Domini ministrante auctoritate canonicâ continentur, nomine Testamenti Veteris nuncupemus, quis Ecclesiasticis literis vel mediocriter eru-

Genes. c. 12.

Isa. cap. 41.

Actuum c. 7.

Genes. c. 15.

Augustin. lib. de Gest. Pelag. cap. 5.

Terrena veteris hominis in Testamento veteri repromissa.

ditus ignorat, ita scripturis illis promitti potuisse regnum cœlorum, sicut etiam illud Testamentum Nouum, ad quod pertinet regnum cœlorum? In illo tamen testamento quod quippe Vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non inuenitur promitti apertissimè nisi terrena felicitas. Vnde illa terra, in quam est populus introductus, & per eremum ductus, terra promissionis vocatur, in quâ pax, & regnum, & ab inimicis victoriarum reportatio, & abundantia filiorum, ac fructuum terrenorum, & abundantia filiorum, & si qua huiusmodi, hæc sunt promissa Veteris Testamenti: ea quippe secundùm Vetus Testamentum promittuntur, atque tribuuntur, quæ secundùm veterem hominem concupiscuntur.

B Ex auctore verò, quia ille qui nos vocauit in admirabile lumen suum, de cœlo venit, & super omnes est. Iudæi quidem, vt adnotauit Chrysostomus. Non de Moyse paruam habebant opinionem. Nam etsi erant fideles, in eorum tamen conscientiâ adhuc valdè residebat Moyses. Quid ergo Moyses? Induxit in terram, imò nec induxit, sed eduxit populum de Ægypto, & ipsum in eremo reliquit; terram quidem contuitus, eam tamen non ingressus. De terrâ, terrenus est, & ideo terrestrem inducit vocationem, terrestrémque hæreditatem ostendit.

Chrysost. orat. 5.

C Christus autem de cœlo cœlestis, & ideo cœlestem proponit vocationem, cœlestémque hæreditatem proponit. Illic homo vetus, & ideò terrena sunt exposita; iste homo nouus, & idcircò exhibita sunt cœlestia. Quæ enim ad Nouum Testamentum pertinentia figurantur, (ita Augustinus) nouos homines quærunt: sciebat enim quid loqueretur tantus Apostolus, qui duo testamenta in ancillâ & liberâ, allegoricâ significatione distincta esse dicebat, veteri filio carnis, nouo filios promissionis attribuens, Non qui filij carnis, inquit, hi Filij Dei, sed filij promissionis deputantur in semen. Filij ergo

Augustin. lib. de Gest. Pelag. cap. 5.

D carnis pertinent ad terrenam Ierusalem, quæ seruit cum filiis suis; filij autem promissionis, ad eam quæ sursum est, liberam matrem nostrã in cœlis æternam. Vndè perspicitur, qui ad regnum terrenum, & qui pertineant ad regnum cœlorum. Istam quippe distinctionem, qui etiam illo tempore per Dei gratiam intelligentes, filij promissionis effecti sunt, Noui Testamenti hæredes in occulto Dei consilio deputati sunt etiamsi vetus testamentum per temporum distributionem diuinitùs datum populo veteri congruenter ministrauerit. Quapropter, sicut Veteri Testamento, si esse ex Deo

E bono & sũmo negetur, ita & Nouo fit iniuria, si Veteri æquetur. Tantum quippe præmium non Veteris, sed noui testamenti prophetatum est: sicut ipsum Christum venturum iidem Prophetæ prænuntiarunt, cuius sanguine dedicatum est Testamentum nouum, cuius Testamenti ministri Apostoli facti sunt, dicente beatissimo Paulo: Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literâ sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Vocauit nos Christus ad regnum suum: id est, illo nos prouehit ipse, vnde & descendit. Nec enim regna cœlestia iuxta sensum intelligenda sunt, sed iuxta spiritum. In hoc enim Christus, homo de cœlo cœlestis, non quia sydeream

Vetus Testamentum prænuntiauit Christũ, Christus prædicauit regnum cœlorum.

team accepit carnem, sed quia æternam per æternam inuenit redemptionem. Ille enim sicut exit à Deo, sic & ad Deum vadit; nósque cœlestes facit, cum diuinos reddit ac spirituales: nos in cœlestia inducit regna, dum eiusdem gloriæ, dum eiusdem vitæ tribuit esse consortes.

Denique ex operatione, in quâ distinguendi sunt Ethnici, Iudæi, Christiani vulgares, & spirituales Christiani. Ethnici námque terrena bona postulant, sed non à Deo viuo & vero. Iudæi similia quidem expectant à vero Deo, sed non vltra conspirant. Veri denique fideles, seu spiritales Christiani, esse quærunt cum Christo, sed non nisi ex Christo ambiunt aut gestiunt omnes illi participes cœlestis vocationis, id est, in partem sortis sanctorum vocati in lumine: sed vnde participes, vnde vocati, nisi ex Christi gratiâ, & misericordiâ, quæ ipsos à cæteris discreuit, quæ ex indignis dignos fecit, pios ex impiis. Ratione principij, ait Aquinas, cœlestis est vocatio, quia non est ex meritis nostris, nec ex humanâ adinuentione, sed solâ cœlesti gratiâ. Gal. 1. Vocauit per gratiam suam. Ethnicus felicitatem terrenam præsumit, sed arbitrio suo capessendam: Iudæus terrenam prætendit hæreditatem, sed Mosaicæ debitam obseruantiæ: Christianus, si legitimus, æternam quærit salutem, non tamen industria humanâ, vel inuentione philosophica, sed dignatione diuinâ, & diuinâ adeundam possidendámque gratiâ. Cum enim Pelagius ipse, (teste Augustino) rectè anathematizauerit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, ac doctrinâ, profectò Dei gratia vel adiutorium ad singulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege atque doctrinâ, ac per hoc per singulos actus à Deo regimur, quando rectè agimus, nec frustra orantes dicimus: Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas. Tua nos gratia præueniat & sequatur, bonisque operibus iugiter præstet esse intentos; charitas tua nos perducat & inducat, ne cupiditas exitialis, quæ est omnis iniquitas dominetur nobis abstrahendo & illiciendo. Ita Paulus cœlesti voce præuentus, id est, cœlesti dignatione vocatus, cœlestem agnoscit vocationem, & exinde vocanti, non sibi; id est pietati diuinæ, non humanæ infirmitati, sed gratiæ diuinæ, tribuit opera. Si sensum sequeremur, ait ille, quis non istum à Christo damnandum censeret potius, quàm vocandum? Quis ita diligat prædicatorem, vt non detestetur persecutorem? optimè ergo ipse atque veraciter, Non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Faciens igitur tantum mali, vnde meruisti tantum boni? Audiant respondentem omnes gentes: Sed gratiâ Dei sum id quod sum.

Aquin. lect. 1.

Augustin. lib. de Gest. Pelag. c. 14.

Gratia Christi ad singulos actus danda.

Augustin. eodem lib. & cap.

Relinquamus ergo Iudæum, Paganúmque, & ad scopum intendamus à Christo propositum, diuinóque contingendum auxilio. Sed quid dico Pagano? Insultat mihi. Quid tibi dicit? Vnde tibi insultat? (verba sunt Augustini) Ecce quando faciebamus sacrificia Diis nostris, stabat Roma, florebat Roma: modò quia superauit & abundauit sacrificium Dei vestri, & inhibita sunt & prohibita sacrificia Deorum nostrorum, Ecce quid patitur Roma. Breuiter responde interim, vt illo careamus. Non enim vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cœlum: non vocatus es ad felicitatem terrenam, sed ad cœlestem: non ad temporales successus, & prosperitatem volaticam & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam: hæc tua meditatio est. Felicitas terrena, prosperitas tam vana quàm & carnalis, cuius idcircò auidus aut dilector non est spiritalis Christianus, sed contemptor. Excidit tibi, ait ille, quia Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna? Tu quisquis paganus es, habes quòd plangas, quia temporalia perdidisti, & æterna nondum inuenisti. Habet Christianus quod cogitet: omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Quid igitur succenses ô Christiane, cœlestis particeps vocationis, quid Iudæis inuides, aut Ethnicis? vocatus es ad spiritalem Angelorum beatitudinem, & carnalem suspiras salutem pecorum: vocatus es ad hæreditatem æternam, & terrenam exoptas prosperitatem? Amplecteris igitur paganismum, aut in Iudaismum relaberis? Repleta est terra argento & auro: & non est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis: & innumerabiles quadrigæ eius. Non iam ergo aduersùs Iudæos inclamabit Isaias, sed aduersùs Christianos? non iam Corinthios prospectabit Paulus, sed nos ipsos, tanquam cœlestis vocationis inscios aut oblitos? Inde ergo nos arguet, regerétque. Videte vocationem vestram, fratres. Sumus fratres, quia eiusdem hæreditatis consortes, eiusdem vocationis cœlestis participes. Videte & attendite, quæ sit spes vocationis vestræ, quæ sit merces iustificationis vestræ. Quos enim Deus vocauit iuxta beneplacitum suum, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo spectatis in seculo futuro, si spem in isto consummastis, aut mercedem delibastis? Tantum enim deperditur, quantum inde decerpitur. Memores estote, cœlestis esse vos participes vocationis, ad æterna vocatos, non ad temporalia; non ad terrena, sed ad cœlestia, ad spiritalia, non ad carnalia; id expendite, & animis vestris infigite.

Augustin. serm. 106. ex diuers. cap. 6. in supplem.

Augustin. cap. 7.

Isaiæ cap. 2.

1. Corinth. cap. 1.

Christiani ad æterna vocati, non ad temporalia.

DILVCIDATIO II.

De Pontifice confessionis.

Diximus vocationem Christianorum seu sanctorum fratrum cœlestem esse, non solùm ex fine, sed & ex auctore; non solùm ex scopo, sed & ex principio. Idcirco Paulus, vt obseruauit Aquinas: Primò, ponit conditionem eorum, ad quos loquitur: secundò, ponit conditionem eius, de quo loquitur. De primo iam actum est, agendum de altero. Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum. Quasi dicat, ait ille, prætermittatis considerare Apostolum illum, id est, missum Moysem, & Pontificem Aaron: & conside

Aquin. lect. 1.

considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, id est, illum quem confitemur. Christianæ nimirum auctorem disciplinæ, quam fratres sequuntur sancti, quam veri fideles vt vitæ suæ normam amplectuntur ac regulam: iuxta quam terrena despicere debemus & amare cœlestia, nihil in hoc mundo requirere, sed spem ac sedem in cœlo reponere, in quo futura sunt proemia. Considerate igitur & perpendite, quantus sit ille, & quantum Moysi & Aaroni sit præferendus, cùm non solum meliorem induxerit legem, sed & vtrumque gesserit officium, melius præstantiúsque.

Primò quidem. Fuit Apostolatus apud Iudæos, fuit & Pontificatus, sed diuisus; in Christo verò vterque collectus: sicut enim duas naturas, in vnum collegit suppositum, sic & vtrumque gradum in seipsum reduxit. Moyses quidem Apostolus, quia à Deo missus: Aaron Pontifex à Deo electus. Narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. En quomodo delegatus à Deo, non tamen donatus sacerdotio. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungatur mihi. Legatus ergo Moyses, Pontifex Aaron, sed confessionis Iudaicæ. Vtrumque officium Christus assumpsit, vtrumque munus obiit, factus à Deo Apostolus & Pontifex, sed fidei Christianæ; quam profitentur, quicumque censentur Christiani. Et Christus quidem solis prædicauit Iudæis, iuxta illud: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domûs Israël. Vnde & Paulus vocat eum, Ministrum circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum. Iis enim missus est, quibus & promissus: at promissio facta est Abrahæ & filiis eius, vnde & quatenus illis missus, Iudæorum Apostolus dicendus est, non gentium. Vnde ex Clemente Alexandrino, apud Eusebium. Quia Dominus, Apostolus omnipotentis dicitur missus ad Hebræos: Paulus, qui ad gentes fuerat destinatus, pro humilitate, non scripsit semetipsum Hebræorum Apostolum: vel propter honorem Domini Israël, qui se missum dixerat ad oues: vel quia gentium videbatur Apostolus. Quin & ambiguo verbo vsus est, cum Hebræus ad Hebræos scribens, ait, Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum. Quid nostræ? Iudaicæ, an Christianæ? Verùm, sententia non ex verbo diiudicanda est, sed ex instituto: scribebat enim ad Hebræos, sed iam Christianos; monebátque sanctos fratres, non terrestris seu Iudaicæ, sed cœlestis seu Christianæ factos participes. Quamuis enim Christus ad Iudæos missus sit, non tamen propter ipsos solos: sed quod illis dixit, omnibus dixit; & sicut ipse missus est à Patre, sic & Apostolos suos misit prædicare gentibus, legémque ac fidem annuntiare, quam tenerent omnes tam Græci quàm Iudæi, in quam omnes conuenirent. Idcircò Paulus, cum dixisset Apostolum, addidit Pontificem confessionis nostræ. Tam latè enim patet Apostolatus eius, quàm & Pontificatus; si ergo Pontificatus generalis est, vt mox dicemus, etiam Apostolatus vniuersalis est.

Exod. cap. 4.

Exod. c. 28.

Matth. c. 15.

Clem. apud Euseb. lib. 6. cap. 11.

Secundò igitur. Fuerit legatus Moyses, fuerit & Pontifex, iuxta illud Psalmi: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Fuerit & Aaron non solum Pontifex, sed & legatus seu Apostolus, iuxta illud: Misit Moysem seruum suum Aaron quem elegit ipsum. Sed & ille ad populum suum missus, & iste pro populo suo functus sacrificio. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël. Idcircò. Ait ille: obsecro Domine, mitte quem missurus es. Non qui educat populum istum de Ægypto, sed quid de cœlo veniat, qui mundum ex alto visitet, & ipsum Deo reconciliet. Vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. Qui omnes scilicet electos colligeret in vnum, & ad Deum perduceret. Vnde Tertullianus aduersùs Marcionem, duos Christos, sicut & duos Deos diuidentem. Christum, inquit, hodie inuocant nationes; quæ eum non sciebant; & populi ad Christum hodie confugiunt, quem retrò ignorabant. Nec illam iniectionem tuam potes sistere ad differentiam duorum Christorum, quasi Iudaicus quidem Christus populo soli ex dispersione redigendo destinetur à creatore, vester verò humano generi liberando collatus sit à Deo optimo: exinde vocatis omnibus populis in regno eius, ex quo Deus regnauit à ligno. Ibi quippe peccata mundi abstulit, ibi repropitiauit delicta populi. Idcircò vocat, Christum Iesum Catholicum Patris sacerdotem. Non Aaronicum vel Iudaicum, sed generalem, vniuersalem, œcumenicum. Illa autem generalitas seu vniuersalitas, potest esse triplex: prima, locorum. Pontificatus enim Iudaicus, vno loco conclusus est, quem elegit Dominus: nam Ierusalem erat locus in quo adorare oportuit: Pontificatus autem Christianus, vbique diffusus est. Omnis enim sacerdos, vt Aquinas dixit, ordinatur ad sacrificia offerenda. Duplex autem est sacrificium; scilicet corporale, & ad hoc institutus fuit Aaron: aliud autem est sacrificium spirituale, quod est in fidei confessione, Psalmo quadragesimo nono, Sacrificium laudis honorificabit me: & ad istud sacrificium institutus est Christus. Secunda, est temporum: Pontificatus enim Iudaicus ad tempus institutus est: Pontificatus Christianus in æternum, seu in perpetuum duraturus: sicut enim nulla sunt loca, à quibus excludatur; sic & nulla erunt tempora, in quibus non offeratur. Tertia denique, personarum: nam sine sacrificio carnali parari salus poterat, sed sine spirituali sacrificio nullus potest saluari: sine illâ confessione, nullus liberatur; & cum istâ confessione quiuis liberatur. Quid est ergo considerare Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum? Illum spectare vt Catholicæ professionis auctorem, humanæ salutis opificem. A Deo enim missus est, vt mundo succurreret perdito, & læsæ satisfaceret iustitiæ: si Apostolatus deest, non est qui succurrat, Dei voluntatem exponendo; si deest Pontificatus, non est qui satisfaciat, maiestatem promerendo.

Exod. cap. 3.

Exod. cap 4.

Tertullian. lib. 3. aduers. Mar. c. 20.

Tertullian. lib. 4. cap. 9.

Aquin. lect. 1.

Nec Apostolatus sine Pontificatu, nec Pontificatus sine Apostolatu.

Tertiò Christus Apostolus & Pontifex confessionis nostræ considerandus est: quia corde credendum quod ille prædicauit diuino sermone, & ore confitendum quod proprio sanguine subsignauit: nec vsque ad sanguinem tantùm, sed & ad mortem vsque & crucem

Tertullian. lib. 3. aduers. Marc. c. 22.

cem defendendum. Præmittens itaque Propheta, & subiungens proinde passum etiam Christum, æquè iustos eius eadem passuros, tam Apostolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit, signatos illâ notâ scilicet, de quâ Ezechiel: Dicit Dominus ad me, pertransi medio portæ in mediâ Hierusalem, & da signum Tau in frontibus virorum. Ipsa est enim literâ Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris, apud veram & Catholicam Hierusalem, in quâ fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos, Psalmus vigesimus primus canit ex personâ ipsius Christi ad Patrem, Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ hymnum tibi dicam. Quod enim in nomine & spiritu ipsius hodie fieri habebat, meritò à se futurum prædicabat. Sicut incunctanter permanendum in confessione laudis, ita constanter moriendum in professione nominis. Si mortem obire deceat, si crucem oporteat ferre: considerandus est Iesus Apostolus & Pontifex confessionis nostræ: auctor ipse Christianæ religionis spectandus est: Eia fratres, (verba sunt Augustini) aliquid pro tempore volo dicere. Quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non Petrus solus, etiam alij Apostoli audierunt, tenuerunt, seruauerunt, maximéque ipse consors sanguinis & Dei Apostolus Paulus. Audierunt ista, & ad nos audienda transmiserunt. Pascimus vos, pascimur vobiscum. Det nobis Deus vires sic amandi vos, vt possimus etiam mori pro vobis, aut effectu, aut affectu. Non enim quia Ioanni Apostolo passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit. Non est passus, sed potuit pati. Præparationem eius Deus nouerat, quemadmodum tres pueri arsuri missi sunt non victuri. Negabimus eos Martyres, quia flamma eos vrere non potuit? Interroga ignes: passi non sunt. Interroga voluntatem, coronati sunt. Videris ergo, charissimi, quæ sunt proposita seruis Dei, propter futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: contra quam gloriam non appenditur qualibet, quantalibet tribulatio temporalis. Indignæ enim sunt passiones huius temporis, ait Apostolus, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hac cogitatione sancti Martyres armati, hac imitatione sancti fratres animati, confessi sunt; passi sunt; ignes subierunt & cruces, carastas vicerunt & bestias: considerabant enim Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum, & in odium Christianæ religionis non probra solùm & opprobria, sed & flagella tolerabant & supplicia.

Augustin. serm. 106. de diuers. in supplem. cap. 4. & 5.

Augustinus martyrij faciendi auidissimus.

DILVCIDATIO III.

De cessione Moysis.

AVdisti Christum Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, seu fidei Christianæ, intrepidè & palàm confitendæ: nunc audi eum fidelem ei qui fecit illum. Sicut & Moyses in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domûs, qui fabricauit illam. Vterque quidem à Deo constitutus, & vterque fidelis in officio suo, incorruptibilisque coram Deo inuentus est: sed tantum Moyses Christo cedit, quantum domus cedit architecto. Eum Moysi præpositurus per comparationem, (verba sunt Chrysostomi) ad legem sacerdotij deduxit orationem. Et incipit quidem à carne: ascendit autem ad diuinitatem, vbi non erat amplius comparatio: non enim ab initio ostendit excellentiam ne resiliret auditor, & aures protinus obstrueret. Qui est, inquit, fidelis ei qui fecit eum. Quidnam fecerat? Apostolum & Pontificem. Nihil hîc dicit de essentiâ, neque de diuinitate, sed interim de humanis dicit dignitatibus. De Moyse igitur comparationem instituit, postea de Aarone subdit mentionem. Tria igitur elucidanda sunt. Primum est, de quo instituenda sit collatio: secundum, ex quo inferenda sit prælatio: tertium, in quo ne quidem inducenda sit comparatio.

Chrysost. orat. 5.

Quoad primum. Magnus quidem Moyses, imò maximus, vt qui Deus ab ipso Deo Pharaonis constitutus, & plebis præfectus. Ita Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit Patres nostros de terrâ Ægypti: Fecit, id est, præfecit, constituitque velut ducem ac principem: eduxit enim sicut oues populum suum, in manu Moysi, & Aaron. Sed seposito Aarone, tanquam subsidiario vel comite, vnus vbique Moyses vulgabatur, solus prædicabatur. Ita Iacobus Apostolus: Moyses, ait, à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent, vbi per omne Sabbatum legitur. Et ipse Christus: Nonne Moyses dedit vobis legem? Nam vt proposuit resoluitque Iustinus, si tamen is est Trismegistus Christianus: Mos est, non tantùm hominibus, sed etiam diuinis literis, nomine auctoris qui aliquid dixit aut scripsit, orationem aut scripturam appellare, cuius ea sit indicandi gratia: vt est illud, Sedebat Eunuchus super curru, legebátque Prophetam Esaiam. Et illud; Abominatio desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta. Quin & nos dicere consueuimus; Est mihi Propheta Hieremias, aut Apostolus. Non tamen Paulus ex vulgari consuetudine loquendi, occasionem sumere voluit efferendi Moysen, & cum ipso Christo conferendi; sed Dei vocem arripuit, idque retulit, quo nihil illustrius in laude, nihil in opere grandius. Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Hoc ipsum ergo Paulus retulit de Moyse, quasi vnicè spectandum, in quo & cum Christo contulit. Qui fidelis est ei qui fecit illum: sicut & Moyses in omni domus eius. Nam, vt exposuit Aquinas, tria ad promerendam istam laudem, seu ad veram probatámque fidelitatem sunt necessaria. Primum, nihil sibi attribuere: secundum, Dei gloriam vbique quærere: tertium, perfectè in omnibus obedire. Ita Christus: Fidelis, inquit, fuit Deo Patri: primò, non attribuens sibi quod

1. Reg. c. 12.

Actuum cap. 15.

Ioan. cap. 7.

Iustin. quæst. 134. & resp. ad Orthod.

Num. cap. 12.

Aquin. lect. 1.

Tria ad veram fidelitatem sunt necessaria.

quod habebat, sed Patri mea doctrina, non est mea. Secundò, quia gloriam eius quærebat, non suam. Ioan. 8. Ego gloriam meam non quæro. Et 7. dicitur, Qui quærit gloriam eius, qui eum misit, hic verax est, & iniustitia in illo non est: tertiò, quia perfectè obediuit Patri. Philipp. 2. Factus est obediens vsque ad mortem. Quid ergo commune est Christo & Moysi? Fidelitas. In hoc conueniunt, in quo & excellunt: nihil enim maius, nihil insignius de Moyse dici potuit, quàm quòd cum ipso Christo, quoad integritatem & fidelitatem conferri potuit.

Quoad secundum. Potest quidem Moyses conferri Christo, sed debet Christus Moysi in in totum præferri. Quid enim? Moyses quidem fidelis fuit in totâ domo Dei. Sed quæ tunc illa Dei domus, quàm angusta, quàm modica? Tantum enim differt populus Christianus in multitudine ac latitudine à populo Iudaico; quantum differt mundus ipse à terræ angulo. Christus enim in lucem gentium vsque ad extremũ terræ datus est, & à mari vsque ad mare dominatus est. Nec poteris, ait Tertullianus, magis Dauid filium eum vendicare, quàm Christum; aut terminos terræ Dauid potius promissos, qui intra vnicam Iudæorum gentem regnauit, quàm Christo, qui totum iam orbem Euangelij sui luce cepit. Cum ergo nihil horum cõpetat in Salomonem, sed in Christum, certa erit ratio interpretationum nostrarum, ipso etiam exitu rerum probante, quas in Christum apparet prædicatas: & ita in hoc erunt sancta & fidelia Dauid. Hunc Deus testimonium nationibus posuit, non Dauid: Principem & Imperatorem nationibus, non Dauid, qui soli Israëli imperauit. Domus quidem Dei sumus nos: sed quid familia Iudaica ad Christianam, relata familiam? quid populus perexiguus, cum toto mundo collatus: Secundò, Moyses quidem fidelis in domo Dei, sed & ipse intra domum contentus, vtpote intrà populum comprehensus Israëliticum; Christus autem supra domum elatus, vtpote nouum populum constituens, Christianámque condens Ecclesiam. Sicut & Moyses in omni domo eius. Perinde ac si dixeris, ait Chrysostomus, De iis qui sunt in domo. Tanquam procurator quispiam & dispensator domûs, sic erat Moyses populo. Nam quòd populum dicat domum, subiunxit, Cuius sumus nos. Hoc est, sumus in eius possessione. Tertiò fidelis quidem Moyses, sed non vsque ad mortem subeundam, nec vsque ad obedientiam fidelitatemve, cruce ac sanguine obsignandam: Christus autem non solùm factus est obediens vsque ad mortem, sed & mortem crucis. Quid ergo est, ait ille, Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum Christum: qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. Quid est, Qui est fidelis ei qui fecit illum? Qui prouidet, qui suis præest & defendit, & non sinit vt temerè ferantur & agantur. Sicut & Moyses in omni domo eius. Hoc est, cognoscite quis & cuiusmodi sit Pontifex. Apostolum autem dicit, quod sit missus: & Pontificem confessionis nostræ, hoc est fidei. Et huic igitur sicut illi fuit commissa populi præfectura & administratio, sed maior, & in rebus maioribus.

Tertullian. lib. 3 aduers. Mar. cap. 20.

Iudaica synagoga modica Christianæ collata Ecclesiæ.

Chrysost. orat. 5.

Chrysost. Ibidem.

A Quoad tertium. In primo quidem statu, Moyses concurrit cum Christo: in secundo, cedit Christo: sed in tertio, coràm Christo in totum euanescit. Ita non solùm Christo astiterunt Moyses & Elias, sed & aliquamdiu steterũt cum eo. Adstipulantur enim sibi inuicem, vt loquitur Leo, vtriusque fœderis paginæ, & quę sub velamine mysteriorum præcedẽtia promiserãt signa, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit. Quia, sicut ait beatus Ioãnes: Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, in quo & propheticarum promissio impleta est figurarum & legalium ratio præceptorum, dum & veram B docet prophetiam per sui præsentiam, & possibilia facit mandata per gratiam. Sed: Ecce nubes lucida obũbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus. Leuantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Apparent ad modicum, & in æternum disparent; conueniunt aliquantulum, sed gradatim collati ac comparati, statim euanescunt. Moyses ergo in aliquo comparatus, & collatus Christo; de cætero, Christus Moysi prælatus est: sed si in totum expendatur Christus, attendatúrq; quantus ille sit; tantum excedit Moysen, vt nullo pacto sit cum Christo, etiam quoad gradum conferendus. Amplioris enim iste præ Moyse C dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domûs, qui fabricauit illam. Quantum enim artifex supereminet domui, & opifex operi, tantum Christus præeminet Moysi. En igitur excellentia. (ait Chysostomus) Quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam. Non dixit, Iste enim erat quidem seruus, ille verò Dominus, sed hoc latenter indicauit. Si enim populus erat domus, ipse autem erat ex populo: & ipse ergo erat de domo. Nam nobis quoque mos est sic dicere, Hic est ex domo illius. Hic autem dicit domum, non templum: dicit Moysen Vide ergo quomodo latenter ostendit excellentiam. Fidelis, inquit, erat in D totâ domo eius, cum ipse esset de domo, hoc est de populo. Maiorem autem habet honorem artifex, quàm opera: sed & qui domum construxit, quàm domus. Sit opus eminens, sit & domus præcellens: sed quid opus in comparatione opificis, quid domus in comparatione artificis? Si ergo honorabilis Moyses, dum fidelis; quanto honorabilior ille qui Moysis fabricator, & largitor fidelitatis? Magna dicatur Moysis gloria, sed euacuatur cum opifice suo seu auctore collata. Itaque, Domus. Est in gignendi, Græcè, τῷ οἴκῳ. Ampliorem igitur habet honorem domûs, id est, architectus non solùm suprà partem domûs, sed & super totam domum, laudem obE tinet incomparabilem. Quanto igitur Christus Dominus supra Moysen, qui non tota domus, sed tantùm pars eius minima?

Leo Hom. de transf. Dom. eit. med.

Chrysost. orat. 5.

Moyses non solum cedit Christo, sed & coràm ipso euanescit.

DILVCIDATIO IV.

De suppositione conditionis.

INstat Apostolus, firmátque dignitatem Christi.: sed præcauet dum timet infirmitatem Christiani. Resumit ergo, dum ait. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia

omnia creauit Deus est. Hîc sese clarius aperit, Christúmq; extollit magnificentiùs. Maiorem honorem habet domûs, qui fabricauit illam. Obscurum est, idcircò exponendum est. Omnis namq; domus fabricatur ab aliquo: Qui autem omnia creauit, Deus est. Dixi Christum, architectum esse, imò & fabrum. Sed talis ille est, qualis apud Psaltem: Tu fabricatus est auroram & solem. Inde & apud Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos. Quid si & Angelos? Possunt enim, vt monuit Gregorius, per cœlos, hi qui in cœlestibus sunt conditi, Angelici spiritus designari. Vnde & in oratione nostrâ dicere voce veritatis instruimur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ: vt nimirum voluntas Dei, sicut à superiori creaturâ agitur, ita in omnibus etiã ab humanâ infirmitate seruetur. Quod benè apud Moysen ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, cum & priùs factum cœlum dicitur, & hoc idem postmodum firmamentum vocatur: quia videlicet natura Angelica, & priùs subtilis est in superioribus condita: & post ne vnquam potuisset cadere, mirabiliùs cõfirmata. Magna illa fabrica, quæ ad cœlum pertingit, & in æternum subsistit. Sed non est à seipsâ: Omnis namq; domus fabricatur ab aliquo. Verùm qui tantam exstruxit machinam: quid non moliri potest & aggredi? Qui ergò fecit Moysen, ille est qui fecit solem, cœlos, Angelos, & omnia. Qui autem creauit omnia, Deus est. Itaq; sic dicam Christum esse fabrum, vt intelligam esse creatorem, effectorémq; omnium: vno verbo, Deum, ideoq; Angelorum, nedũ ipsius Moysis Dominũ. Probat, inquit Aquinas, quòd Christus sit istius domûs ædificator: ipse enim est Deus, qui fecit omnia. Probat autem quòd ista domus, sicut & quælibet alia indiget fabricatore, quia diuersa non coniunguntur nisi ab aliquo vno, sicut patet de domo artificiali, in quâ ligna & lapides ex quibus cõposita est, vniuntur ab aliquo. Aggregatio autem fideliũ, quæ est Ecclesia & domus Dei, ex diuersis collecta est: & ideò Ecclesia sicut & omnis domus ab aliquo vniente fabricatur.

Psal. 73. — *Gregorius lib. 17. Moral. cap. 24.* — *Aquin. lect. 1.* — *Diuersa coniungi non possunt in vnum, nisi ab aliquo vniente.*

Inde igitur Paulus non tã Christũ & Moysen iam comparat, quàm disparat, vt seruum fidelẽ, & Dominũ creatorem. Et Moyses quidẽ fidelis erat in totâ domo eius, tanquã famulus in testimonium eorũ quæ dicenda erant, Christus verò tãquam filius in domo suâ. Quomodo in domo Dei conuersatus est Moyses? Gnauiter quidẽ ac fideliter suo functus est officio: sed ministrans, & quæ dici iusserat Deus ac referri, bonâ fide denuntiãs testificánsque. Quid dicis? (ait Chrysostom.) testimonium hominum Deus accipit? Maximè. Si enim cœlum testatur, multò magis homines. Christus ergo tanquã filius: nam Moyses quidem curat aliena, hic verò sua. Ecce alia differentia, quæ est à filio & seruo. Ille enim in res paternas ingreditur tanquam filius, hic verò tanquam seruus. Sed illa testificatio, nõ alia est, quàm asseueratio; illa verò duplex est, vna à seruo, sed fideli, dum integrè & simpliciter refert quæ accepit à Domino: altera à filio, sed naturali, qui profert sincerè & fideliter quæ à Patre audiuit, seu quæ hausit à fonte. Apostolus ergo, vt obseruat Aquinas, valde diligenter notat verba illa, scripta de Moyse, in quibus duo dicũtur de ipso: vocatur enim seruus, vocatur etiam fidelis; non tamẽ in domo propriâ, sed in domo Dei nostri: & quantum ad ista duo, præfert Christum Moysi. Ille filius, iste seruus: ille creator, iste dispensator: ille imperat, iste ministrat: ille porrò Deus est, quia proprius Dei Filius, & ideò etiam ipsius etiam Moysis Dominus. Dicente enim Patre: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite: nonne, ait Leo, euidenter auditum est, Hic est Filius meus, cui ex me & mecum esse sine tempore est? Hic est Filius meus, non adoptiuus, sed proprius. Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil; qui omnia, quæ facio, similiter facit; & quicquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. Et quũ alius sim, qui genui; alius ille, quem genui: non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quàm de me sentire possibile est. In Patre enim est Filius, & in Filio Pater: nec vnquam vnitas nostra diuiditur.

Aquin. lect. — *Tantum inter Christũ & Moysen, quantum inter Dominum & dispensatorem.* — *Leo serm. de transf. Dom. vlt. med.*

Christus ergo, non famulus, sed Dominus; nec in alienâ domo, sed in propriâ. In domo suâ. Seu, vt ex Græco, Super domum suam. Præstat enim omnibus, antistat omnibus. Sed quæ illa domus? Ecclesia Christiana: noua sanctorũ seu Christianorum familia. Quæ domus sumus nos. Si fiduciam & gloriam spei, vsque in finem, firmam retineamus. Quanta illa gloriationis seges, quanta spes felicitatis! Credentes enim in Christum, & ipsum inhabitantem per fidem possidentes, regnum speramus æternum, & futuram cum certâ confidentiâ gloriam occupamus. Quis non speret, imò quis non de tantis exultet promissis? Sed perstandum est, in susceptâ fide, spéque præconceptâ, firmiter perseuerandum constantérque. Conditio igitur non est apposita ex parte liberalitatis diuinæ, quæ inuariabilis est; sed supposita ex parte humanæ fragilitatis, quæ est instabilis. Tanta quippe est, vti dixit Augustinus, etiam huius ærumnosæ vitæ nescio quæ suauitas, tantúsque in naturâ vtrũq; viuentiũ horror mortis; vt nec illi mori velint, qui per mortem ad vitam transeunt, in quâ mori non possint. Nam vitæ huius quamuis laboriosæ ac temporalis, tamen tanta dulcedo est, vt cũ homines non possint efficere, ne moriantur; tamen multis & magnis conatibus agunt, ne citò moriantur. Pro morte auferendâ nihil fieri potest, & pro eâ differẽdâ, quicquid potest. Sed hanc viuendi tantam iocunditatem metúmque moriendi, charitate sincerâ, spe certâ, fide non fictâ Martyres Christi præcipuâ virtute contemnunt. In his promittentem mundum post tergum relinquentes, in anteriora se extẽdunt. Hæc variè sibilantis calcantes caput serpentis ascendunt. Omnium quippe cupiditatum victor est, qui tanquam tyrannum subiugat amorem vitæ: cuius satellites sunt omnes cupiditates. Nec est omninò quo in hac vitâ vinculo teneatur, quisquis vitæ ipsius amore non tenetur. Superatur autẽ amor huius vitæ, spe vitæ melioris, & dolor pœnæ, cõpensatione felicitatis leuatur æternæ. Rectè itaq; dixit Paulus, gloriationem spei, quoniam, ait Chrysostomus, in spe bona sunt omnia. Sic autem eam oportet retinere, vt iam gloriemur tanquam ob ea quæ facta sunt. Propterea dicit, gloriationem spei, & subiungit, Ad finem firmam retineamus. Nam spe salui facti sumus, & per tolerantiã expectamus.

Augustin. serm. 103. de diuers. cap. 3 & 4. in supplemento. — *Quomodo superandus amor vitæ & dolor subleuandus pœnæ.* — *Chrysost. orat. 5.*

DILVCIDATIO V.

De themate exhortationis.

VErba desumpta sunt ex Psalmo nonagesimo quarto: in quo, vt admonet Augustinus, Alloquitur plebem suam Deus, non solùm illam plebem suam quam non repellit, sed etiam omnem plebem suam. Id est, fideles omnes conuenit, & ad legitimum inducit officium. Inde ergo Paulus, Quapropter, inquit, sicut dicit Spiritus sanctus. Sed quia multa sunt elucidanda. Sit

Augustin. Enarrat. in Psalm. 94. vlt. med.

PVNCTVM I.

De obduratione.

TRia sunt elucidanda. Primum, quid sit hodie: secundum, quid audire vocem eius, seu Dei ac Domini: tertium, quid cor suum obdurare. In primo, tempus; in secundo, manus; in tertio, opus est.

De primo. Potest triplex esse significatio. Prima, vt sit alicuius festiuitatis seu solemnitatis indicatio: quâ beneficium recoleretur, vel redderetur officium. Ita in libris Regum: Ait Saül. Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël. Ita & Aaron. Præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est. Sic enim & nos dicere solemus: Hodie, aut cras, resurrectio Domini est, ascensio Domini: festiuitas transfigurationis, dedicationis solemnitas; in quâ temporis nota, pondus addit monitioni, cum certa sit accepti memoria beneficij. Potest quidem ita esse: sed si nonnullus diuinationi locus est, nullus est elucidationi. Secunda igitur, vt sit temporis acceptabilis designatio. Tempus enim veteris legis, vt Aquinas loquitur, dicebatur, nox, quia erat tempus vmbræ. Sed tempus Noui Testamenti, quia repellit vmbram noctis legis, dicitur dies. Roman. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Sed sicut prima significatio permitti potest sensui liberioris accommodationis, sic & ista tribui potest spiritualis captui meditationis. Tertia igitur germana, & ex Paulo ipso desumpta, vt hodie, tempus designet vitæ præsentis, nec tam occasionem captet monendi ex solemnitate vel commoditate, quàm ex necessitate rationem indigitet agendi. Ita infra. Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur. Id est, dum tempus habemus operandi bonum, dum nobis spatium indultum est pœnitendi. Loquitur Deus in angulo vtrique parieti, ait Augustinus, id est, in Christo prophetia loquitur & populo Iudæorum, & populo gentium: Hodie si vocem eius audieritis. Sicut Spiritus sanctus per Dauid adhortatus est patres vestros, sic & etiamnum adhortatur vos: non enim coarctanda est prophetia, sed sicut nullâ regionum differentiâ, sic & nullâ limitatur temporum circunstantiâ. Ad omnes dirigitur fideles, nec minus hodiernos

1. Reg. c. 11.

Exod. c. 32.

Aquin. lect. 2.

Hodie, vitæ est præsentis indicatio.

Augustin, Enarrat. in Psalm. 94. vlt. med.

A quam hesternos alloquitur, Hodie, dum tempus datur, dum facultas patet operandi: nox enim veniet, in quâ nemo potest operari. Itaque nec dies singularis est, nec lex communis: sed mensura cuique ad salutem negotiandam concessa, spatium ad procurandâ indultum æternitatem: tandiu enim hodie cognominatur, quandiu vel modicum datur labentis momentum temporis.

De secundo. Audite, sensu obuio accipiendum est, nec ab vsu trito discedendum: quamuis enim in Scripturis sanctis, audire, idem sit ac obedire. Quia audisti vocem vxoris tuæ. Tamen non potest conuenire huic loco, vel Pauli instituto: qui enim obedit, frustrà monetur, ne obduret cor suum, cum iam emollierit; B nec iam timetur duritia, vbi expressa est obedientia. Durum quippe est, vt obseruat Aquinas, quod non cedit, sed resistit impellenti, nec recipit impressionem. Et sic dicitur cor hominis durum, quando non cedit diuinæ iussioni, nec de facili recipit diuinas impressiones. Quocirca, sicut, Hodie, Sumi non potest pro gloriâ, quia licet dies sit, nullum tamen admittit duritiæ periculum: sic & audire, recipi non potest pro obedientiâ, quia licet audiat omnis qui obaudit, non tamen necesse est, vt omnis qui audit, obaudiat. Ità infra, Quidam enim audientes, exacerbauerunt. Audire ergo, C est vocem sensibus seu auribus insonantem excipere; sicut sentire, est rem sensibilem percipere. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurate corda vestra. Aliquando enim, (ita Augustinus) audistis vocem illius per Moysen, & obdurastis corda vestra. Per prœconem locutus est, quando obdurastis corda vestra: per se nunc loquitur, mollescant corda vestra. Qui prœcones ante se mittebat, ipse venire dignatus est. Ore suo loquitur, qui loquebatur per ora Prophetarum. Audire est auribus capere, aures autem dictæ, quod auidè hauriunt, & ideò suspensæ, quia vndique decerpunt, semper inhiantes, & vt Ennius, auidè D nuntium expectantes. Et id maximè congruit Apostoli scopo, in quo suspensos tenet Hebræos, vt ad futura prouocet capienda. Cum de spe disseruisset Paulus, (verba Chrysostomi) & dixisset quòd domus eius sumus, si fiduciam & gloriationem spei ad finem firmam retinuerimus, iam ostendit quòd oportet firmiter expectare. Idque probat ex Propheta. Et quid dicit? Quapropter sicut Spiritus sanctus, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Audite, sed non minùs cordibus quàm auribus accipite.

De tertio. Obdurat Deus cor hominis, & E homo obdurat cor suum. Sed Deus obdurat per iustitiam, dum denegat misericordiæ abundantiam. Cuius vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Homo verò obdurat per nequitiâ, dum recusat ad obedientiam. Cor suum posuerunt vt adamantem, vt audirent legem & verba, quæ misit Dominus exercituum. Quomodo ergo seipsum obdurat peccator? dum cor suum obfirmat aduersùs Deum, dum audit, & non obedit. Indurat peccator seipsum, ait Aquinas, non obediendo Deo, & non aperiendo cor suum gratiæ. De hac igitur obduratione intelligendus Apostolus, cum illam tangat quæ in potestate est, seu quæ est à volũtate, impellatq; Hebræos suos ad credendum

Genes. c. 3.

Aquin. lect. 2.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 94. vlt. med.

Aures dictæ quasi nuntiatum auidæ.

Chrysost. orat. 6.

Rom. cap. 9.

Zach. cap. 7.

Aquin. lect. 2.

credendum seu non resistendum, vt non audiant solùm, sed & obediant; vt quod aure percipiunt, opere perficiant; quod verbo capiunt, facto reddant, nec beneficium esse sinant irritum. Dei enim munus est, quod loquatur nobis Deus; sed inde dignum est iustúmque, vt à nobis opus exigatur. Ita Deus Pater de filio: Hîc est filius meus dilectus, ipsũ audite. Latum illud, ait Leo & multiplex testimonium fuit, & plus in verborũ virtute, quàm in sono vocis auditum est. Hunc ergo, in quo mihi per omnia benè complaceo, incunctanter àudite, quia ipse est veritas & vita, ipse virtus mea atque sapientia. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, qui diabolum ligat, & vasa eius rapit, qui peccati chirographum & & præuaricationis pacta disrumpit. Ipsum audite, qui viam aperit ad cœlum, & per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid pauetis saucij liberari? Abiicite carnalem formidinem, & fideli vos armare constantiâ. Indignum est enim, vt in Saluatoris passione timeatis, quod ipsius munere nec in vestro fine metuetis. Hæc igitur exhortatio Pauli, quæ Dei compellatio. Nec solis auribus accipite, sed ipsis mentibus intelligite: cedite Deo, & animo figite, quod transeat in opus, & munus expleat: ne sitis auditores tantùm & non factores, sed sic audientes sitis vt in totum sitis obaudientes.

Leo Hom. de transf. Dom. vers. finem.

Dei verbum non audiendum duntaxat, sed & faciendum.

PVNCTVM II.

De exacerbatione.

NE sitis vt patres vestri, inobsequentes improbi. Sicut in exacerbatione secũdùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderũt opera mea 40. annis. Regrediendũ est, & ab vltimo incipiendũ: dicendúmq; primò, quid probatio; secũdò, quid tẽtatio; tertiò deniq; quid exacerbatio.

Quoad primum. Grauitas peccati deprehenditur ex tribus capitibus. Primò enim: probauerunt me. Sic enim ex Græco. Secundò, post acceptam experientiam: Et viderunt opera mea. Tertiò, tanto temporum & annorum spatio. Quadraginta annis. Et quidem probare, est examinare magnâ cum diligentiâ, cum exquisito explorare studio. Quid ergo Deum ipsum probare, talem ac tantum, tàm fidelem, quàm & magnum? de tantâ nihilominùs dubitare potentiâ, de diuinis adhuc hæsitare promissis? Auget, probauerunt, quamuis viderint tot mirabilia, quamuis ipsi potentiæ meæ experti sint opera. Demum complet, probauerunt quadraginta annis: nunquam destiterunt, tamdiu duro corde perstiterunt, & tantò tempore: licet toties conuicti, toties & confusi. Ponitur grauitas culpæ, ait Aquinas, cum dicit, probauerunt me. Quanto enim aliquis maiora beneficia Dei recipit, & maiorem certitudinem diuinæ potestatis habet, & postmodum dubitat, tanto grauiùs peccat. Isti vero viderunt signa & prodigia in terrâ Ægypti, apertionem maris, & alia miracula, tamen non crediderunt. Dicit ergo, Probauerunt, id est experiri voluerunt. Et viderunt, id est experti sunt. Opera mea,

Aquin. lect. 2.

A id est effectus qui non poterant esse, nisi virtutis infinitæ esset ille qui opera faciebat. Et hoc totum non vno die, sed, Quadraginta annis, quibus scilicet manserunt in deserto. Instat acerbiùs, quod grauius ingeminat, tandémque & tanto criminum, annorúmque, duritiam inueteratam cumulat numero. Probauerunt me, & viderunt opera mea. Quadraginta annis viderunt opera mea, (ita apud Augustinum) quadraginta annis exacerbauerunt me. Ante illos miracula in manu Moysi faciebam, & ipsi magis magísque corda obdurabant. Non vno die, non duobus, sed quadraginta annis quod est semper.

Peccatum Iudæorum quantum sit aggrauatum.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 94. vlt. med.

B Quoad secundum. Tentare est verbo vel facto scientiam alicuius vel potentiam explorare, veritatem sinceritatémque dicti vel promissi probare. Sed quis tentatus est, vbi, & quando? De primo. Deus sanè tentatus est. Vbi tentauerunt me patres vestri. Quamuis enim illi contra Moysen iurgati sint, peccatum tamen quod ministrum lædit, redit ad Dominum. Ita Moyses, Audiuit murmur vestrum contrà Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitatis contrà nos? Non contra nos est murmur, sed contra Dominum. Et ipse Dominus Audiui murmurationes filiorum Israël, scietis que quòd ego sum Dominus Deus vester. De secundo, tentatus est Deus, & in deserto tentatus est. Secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri. Ibi nimirum Deus tentatus est. Tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ. Denique de tertio. Profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto. Sin per mansiones suas, iuxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidin, vbi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, vt bibamus? Quibus respondit Moyses: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Loquitur ergo Dominus in personâ propriâ, Tentauerunt me patres vestri. Tentare enim, vt Aquinas loquitur, est experimentum sumere de re quam quis ignorat: vnde quòd D quis tentat Deum, procedit ex infidelitate. Sed sciendum est quòd aliquando aliquis tentat Deum, non cum intentione tentandi & experiendi, verumtamen se habet ad modum tentantis. Qui enim vtitur re suâ propter vtilitatem, non tentat propriè. Sed quando ad nihil vtile est quod facit, tunc tentat. Sic & si aliquis exponat se alicui periculo compulsus necessitate, sub spe diuini auxilij, non tentat Deum. Si autem sine aliquâ necessitate, tunc tentat Deum. Dicit ergo quod in eis fuit peccatum tentationis in deserto, quia ibi tentauerunt me patres vestri.

Exod. c. 16.

Peccatum quod ministrum lædit redit ad Dominum.

Num. c. 14.

Exod. c. 17.

Aquin. lect. 2.

E Quoad tertium. Illa est exacerbatio, seu contestatio, quâ Deus irritatus est. Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuriâ, & murmurauit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti? Clamauit autem Moyses ad Dominum, dicens: Qui faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël: & virgam quâ percussisti fluuium, tolle in manu tuâ, & vade. En ego stabo ibi coràm te, supra petram

Exod. c. 17.

Horeb; percutiésque petram, & exibit ex eâ aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita coràm senioribus Israël, & vocauit nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? In his tria notanda sunt. Primum est, non solùm murmurasse aduersùs Moysen, sed & Dominum tentasse, quasi dubitarent de præsentiâ eius, aut ambigerent hæsitaréntque de eius potentiâ. Alterum, talem, támque enormem fuisse tentationem, vt inde locus nomen tentationis seu contradictionis sortitus sit; quasi illi contentionem aduersùs Deum & Moysen mouerint, litémque, vt ita dicam, intenderint. Tertium, inde illos grauiùs accusari, vnde minùs possunt excusari. Isti autem, vt ait Aquinas, tentauerunt Dominum, quia dubitauerunt de potestate Dei, clamantes contra Moysen, ac si Deus non posset eis dare cibum, cum potentiam suam in maioribus experti fuissent; & ideò erat peccatum infidelitatis, quod est maximum. Nolite imitari Patres vestros, tam infideles quàm & duros imò petrâ ipsâ duriores. Mementote diei illius infelicis, in quâ Deum prouocauerunt, & ad indignationem concitauerunt amaritudinémque. Nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illâ amaricatione. (ita legit Augustinus) Iam tales non sint patres vestri, nolite eos imitari. Patres vestri erant: sed si non imitati fueritis, patres vestri non erunt; tamen quia de his nati estis, patres vestri erant. Si patres erant vestri generatione, non sint imitatione; si generatione, non sint scelere. Illi námque. Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso? Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum: & sanctum Israël exacerbauerunt. Non sunt recordati manus eius, die quâ redemit eos de manu tribulantis. Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

Inde aliquis accusatur grauiùs, vnde minus accusatur.

Aquin. lect. 2.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 94. vlt. med.

Psalm. 77.

PVNCTVM III.

De comminatione.

CVlpam exposuit, nunc apponit pœnam. Propter quod Peccatum scilicet in me commissum. Et illa quidem particula non est in Psalmo, non tamen sine causâ à Paulo est addita: exacerbationem enim sequitur indignatio, tentationem, probationémque comminatio, & tanquam effectus adnatus ex causâ deducitur. Vnde Psaltes post exacerbationem concitationémque, protinus subdit. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Viam fecit semitæ iræ suæ, & nō pepercit à morte animabus eorum. Sic ergo Paulus non tam verbum referens, quàm sensum exponens. Propter quod, ait, infensus fui generationi huic. Exacerbauerunt me, dum me tentauerunt, dum probauerunt opera mea quadraginta annis. Quam ob causam, Infensus. Seu, vt habemus in Psalmo: Offensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant

Psalm. 77.

A corde: ipsi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira meâ, Si introibunt in requiem meam. In quibus tria elucidanda sunt. Primum est, Quænam illa sit offensio: secundum, quomodo sempiterna fuerit aberratio: tertium, quàm dura, sed quàm iusta fuerit comminatio.

Quoad primum. Siue infensum legas, siue offensum, parùm interest: qui enim offensus, infensus est: sed interest scire in Græco legi προσώχθισα, quod tam tædium significat quàm appulsum, sed in idem collimat: nam qui fastidit, auersionem ostendit; & qui B appellit, læsionem metuit. Inde legimus in Psalmo nostro; Quadraginta annis, proximus fui generationi huic. Quasi proximando duræ ceruicis populo, fuerit offensus, quasi illisus murmurationis & contradictionis perpetuæ scopulo, tædiúmque senserit ac fastidium. Quasi proximitas, seu infidelitas indomiti populi displiceret, angustiámque afferret ac molestiam. Secundùm intentionem Apostoli, ait Aquinas, illud quod dicit, Quadraginta annis, refertur ad priora: sed secundùm intentionem Psalmistæ, refertur ad sequentia, vt dicatur quod offensus vel infensus ei fuit quadraginta annis. Cum autem dicit, C propter quod offensus fui, ponitur pœna peccati. Propter quod, id est, propter peccatum, fui offensus, id est indignatus: non quòd ira sit in Deo, nisi similitudinariè, quia punit sicut iratus. Idcircò, generationi huic. Quia, vt dixit Psaltes, Generatio praua & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritu eius. Nam igitur tam nota temporis est, quàm vindicta criminis; vt quicumque audiat, inde proficiat. Non enim oculum intentionis, vt Augustinus loquitur, debemus auferre ab eo quod Psalmus intendit ostendere. Ad hoc enim omnia referenda sunt, ac per hoc quicquid figuratâ actio- D ne ista significant, ita fieri possunt spiritaliter in homine; vel gratiâ Dei, si bona sunt; vel iudicio Dei, si mala sunt; sicut bona facta sunt in Israëlitas, vel mala & in ipsos & in eorum inimicos. Quæ si non obliuiscamur, sed in Deo spem nostram ponamus, nec ipsius gratiæ simus ingrati, eúmque timeamus, non timore seruili, quo sola mala corporalia formidantur; sed timore casto, permanente in seculum seculi, qui timor iudicat magnam esse pœnam priuari luce iustitiæ, non efficiemur tanquam patres illi generatio praua & amaricans.

Quoad secundum. Cur non sit infensus E Deus generationi isti peruersæ & adulteræ. Et dixi, Semper errant corde, ipsi autem non cognouerunt vias meas. Hoc Deus apud se reputat, ideóque populum istum, à quo læsus est offensúsque, repellit, abiicit, reprobat. Sed tria sunt exponenda. Primò, quomodo errauerint: alterum, quamdiu errauerint: tertium, quas Dei vias non cognouerint. De primo, errauerunt ipsi, cum tanquam cœci per infidelitatem & ingratitudinem aberrauerunt à Deo suo. Non enim, vti dixit Athanas. eorum quæ per Deum geruntur, exigendæ sunt ab homine rationes, sed fides illi indubitanter præstanda. Id namque & priscis illis crimini datur, quia Dominum tentauerunt: id est, quia non omni prorsus

Aquin. lect. 2.

Augustin. in Exposit. Psalm. 77. cir. med.

Non tam dictio attendenda quàm intentio.

Athanas. in Paulum.

Deut. c. 31.

ſus dubitatione ſublatâ, in eum ſperarũt: vtpote cui omnia eſſent factu facillima. De ſecundo exponitur à Paulo, cum dicitur, Semper contentioſè egiſtis contra Dominum. Toto ſcilicet quadraginta annorum curriculo: tantum enim ſpatium inonne integram eſt ſeculum. Hoc, inquit Auguſtinus, ſignificauerunt quadraginta anni, quod eſt ſemper. Quadragenarius enim iſte numerus indicat integritatem ſeculorum, tanquam perficiantur ſecula per hunc numerum. Semper iſti errant corde. Ad hoc cum illis fui quadraginta annis, vt oſtenderem tale genus hominum, quod me ſemper exacerbat vſque in finem ſeculi: quia per illos quadraginta annos, totum ſeculum ſignificare voluit. Ideo Dominus quadraginta diebus tentatus eſt in eremo, & quadraginta diebus fuit cum diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem. Prioris quadraginta diebus, tentationem; poſterioribus quadraginta diebus, conſolationem oſtēdit: quia cum tentamur, ſine dubio conſolamur. De tertio, viæ Domini, aut illæ ſunt quibus ad nos venit, aut quibus innoteſcit mortalibus, de quibus Pſaltes, Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Quibus nimirum incedit, quibuſve procedit. Aut illæ ſunt, quibus nos incedere præcipit & inſiſtere. Ita ille ibidem: Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Quid ergo illi tentatores, & murmuratores perpetui? Non cognouerunt vias meas. Hoc eſt, vt exponit Aquinas, non quantum ad ſimplicem ignorantiam, ſed quantum ad affectatam: vt ſit ſenſus, Non cognouerunt, id eſt, cognoſcere noluerunt. Sunt ergo viæ illæ, quibus Dominus proceſſit & innotuit: ſed illi tam excæcati quàm obdurati, non conſiderarunt miſericordiam & veritatem diuinam, bonitatem, ac potentiam, imò aduerſus vtrámque ſemper muſſitarunt.

Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 94. verſ. fin.

Cum tentamur, ſine dubio, conſolamur.

Pſal. 24.

Aquin. lect. 2.

Quoad tertium. Grandis illa comminatio, quæ certa quædam & ſingularis execratio. Sicut iuraui in irâ mea. Seu, vt vertit Hieronymus ex Hebræo, In furore meo. Quid porrò? Si introibunt in requiem meam. Tria igitur expendenda ſunt, iuratio, imprecatio, comminatio ſeu exterminatio. De iuratione, iurat Deus, & in irâ ſuâ iurat, quia vindictam ſeu pœnam infligendam decreto irreuocabili, ſeu immobili firmat propoſito. Magnus terror (ait Auguſtinus) Quibus iuraui in irâ meâ. Loqui Dominum, magnum eſt, quanto magis iurare Deum? Iurantem hominem debes timere, ne propter iurationem faciat quod contra voluntatem eius eſt: quanto magis Deum, qui nihil temerè iurare poteſt? Iurationem ad confirmationem voluit eſſe. Per quem enim iurat Deus? Per ſeipſum. Non enim habet maiorem per quem iuret. Per ſeipſum confirmat promiſſa ſua, per ſeipſum confirmat minas ſuas. Iuramentum diuinum certum eſt firmitatis & immobilitatis argumentum. De imprecatione, conſtructio defectiua eſt, non ſolum ad modum irati, ſed & ad ſeruandum Dei comminantis imprecantiſque decorum. Hæc quippe forma apud Hebræos ipſos iurandi & execrandi ſolita, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi id fecero, aut illud non fecero. Ita Heli ad Samuelem: Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſconderis à me ſermonem. Quia verò

Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 94. ſub fin.

A Deus iurans introducitur, idcirco imprecatio ſeu execratio ſupprimitur. Denique de comminatione, omnes illa percutit infideles diffidentesve, ſed paucis parcit bonis, qui poſt longam ſeruitutem, ſedem acceperunt quietam, terrámque ingreſſi ſunt repromiſſam. Dixi, parcit, nam omnes quidem iuratio tangit, tam fideles quàm & infideles, ſed imprecatio ſeu execratio ſolos territat improbos, dum eos à terrâ amandat promiſsâ: ſicut enim iurat bonos intraturos, ſic & malos iurat nunquam intraturos. Nemo, ait Auguſtinus, dicat in corde
B ſuo, verum eſt quod promittit, falſum eſt quod minatur. Sicut verum eſt quod promittit, ſic certum eſt quod minatur. Tam certus debes eſſe de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate ſi feceris præcepta ipſius: quàm certus eſſe debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum Diabolo, ſi contempſeris præcepta eius.

Auguſtin. eadem Enarrat. in fine.

Tam certæ comminationes Dei, quàm veræ promiſſiones.

TROPOLOGIA anagogica.

De triplici requie.

C CVm ait Deus, Si introibunt in requiem meam, innuit aliam eſſe requiem. Triplicem imò requiem inuenio. Primam, quæ carnalis eſt & mortifera; alteram, quæ ſpiritalis & Chriſtiana; tertiam, quæ immortalis & diuina. Prima, naturæ corruptæ eſt; altera, bonæ conſcientiæ; tertia, æternæ gloriæ.

Quoad primam. Quærunt omnes requiem, ſed non omnes inueniunt. Quid diues, quid & miles? nonne congregant in iuuentute, vt quietem ſeu requiem inueniant in ſenectute? Sed cum requieſcere meditentur, iubentur excedere. Ita Chriſtus ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritiâ: quia non in abundantiâ cuiuſquam vita eius eſt, ex his quæ poſſidet. Dixit
D autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. In quibus tria ſunt aduertenda. Primum eſt, omnes homines, re-
E quiem appetere, & eò per labores ac ſudores contendere. Quid enim ille? Requieſce. Hoc primum, quia præcipuum. Nam, vt dixit Sapiens: Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. Non ait, Comede, bibe, requieſce: ſed, Requieſce, comede, & bibe. Quid enim comedere & bibere, nec requieſcere; ſed doloribus angi, pungi inquietudinibus? Alterum, non omnes, qui requiem appetunt, poſſidere, nec omnes qui quærunt inuenire. Vide illum anxium & inquietum, non iam ex inopiâ, ſed ex copiâ,

Luc. cap. 12.

Parabola auaro inquieto attemperata.

Eccleſ. c. 4.

Cogitabat intra se dicens, Quid faciam? Vnde anxius, vnde in quietus? Quia non habeo. Non fruitur abundantiâ, sed angustiâ premitur. O angustia ex satietate nata! (exclamat Gregorius) Dicens enim, quid faciam, profectò indicat, quia votorum suorum effectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat. Et iste igitur, Habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem. Tertium denique, non solùm requiem optatam auferri, sed & mortem inexpectatam inferri. Cui rei, ait Tertullianus, parabolam Christus accommodauit illius hominis, qui prouenientibus fructibus, ampliationem horreorum, & longæ securitatis spatia cogitauit, is ipsâ nocte moritur. Cur dico, & illum habitasse inter gentes, nec inuenisse requiem? Hæc enim, vt ait ille, nationes mundi quærunt: non credendo scilicet in Deum conditorem omnium & præbitorem, quos pares gentium nolebat Christus, in eundem Deum modicos fidei increpabat, in quem gentes incredulas notabat. Est igitur requies illa carnalis, quia pecorum; seu hominum carnalium idcircò vocantur stulti, quia insipientes, amentes, & blenni reputantur. Non aliam requiem inueniunt, quàm malam mortem, per quam non in pace, sed in pice requiescunt.

Gregorius lib. 15. Moral. cap. 11.

Thren. c. 1.

Tertullian. lib de orat. cap. 6.

Tertullian. lib. 4. aduers. Marc. c. 29.

Quoad secundam. Multum distat à primâ: nam illa auidè quæritur, tardè, aut nunquam inuenitur: ista vix quæritur, & statim inuenitur. Ita Sapiens. Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Illi multum laborant, sed in ventum seminant, quia nullam aut modicam requiem reportant: isti modicum laborant, & fructum metunt copiosissimum, quia multam requiem colligunt. Ego verò, ait Seneca, quod & mihi & tibi prodesse possit scribam. Quid autem id erit, nisi vt te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit quæris? Ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi: culmen est. Ad summa peruenit, qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in alienâ potestate non posuit. Mihi crede, res seuera est verum gaudium. Quid sit istud interrogas, aut vnde subeat? Dicam. Ex bonâ conscientiâ ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. Credo equidem Senecæ, rem seueram esse verum gaudium, sed & scio non esse gaudere impiis, vt loquuntur scripturæ nostræ, id est, pacem & requiem malis deesse: cor enim impij tanquam mare feruens; nec bonam habet conscientiam, quisque veram non possidet iustitiam. Gaudia sunt, sed mundana, ideóque tam profana, quàm inania. Multi enim eorum qui hæc possident, ait Chrysostomus, angoris fornacem in animo circumferunt, à curarum multitudine exhausti, & continuis timoribus oppressi. Requiem inquirimus non mundi, sed Dei, id est, non humanam, sed diuinam; seu non arte philosophicâ, sed verâ seu Christianâ suffultam virtute: pacem promittimus, sed quam dare non potest mundus, quam Deus solus potest infundere. Pax philosophica in tantùm inanis, in quantum humana, sicut prima carnalis ac mortifera: vtraque exitialis est & vana: pax nostra in tantum spiritalis est, in quantum Christiana, gratiæ muneribus, & bonæ moribus nixa conscientiæ. Illa igitur requies vera est quæ fide seu veritate gaudet, quæ pollet charitate. Nihil enim animâ sanctâ quietius, nihil rectâ tranquillius conscientiâ. Nihil enim, vt Bernardus dixit, iucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ conscientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur: secura, cum vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iusti iudicis statuetur. Conscientia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus in die iudicij aperiendus. Futuræ beatitudinis non est vtilius remedium, nec certius testimonium bonâ conscientiâ. Ploret mundus rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Inde exclusi diuites auari, quia nihil ditius bonâ conscientiâ. Inde depulsi infideles Philosophi, quia titulo destituti religionis; ibi tuti fideles ac spiritales Christiani, quia in templo Salomonis constituti.

Eccles. c. 15.

Sen. epist. 23.

Chrysost. in Psal. 4.

Bernard. lib. de inter. dom cap. 21.

Nihil bonâ conscientiâ ditius, nihil tutius est.

Quoad tertium. Insignis quidem prostat meta, sed grandis adhuc nobis restat via. Quæ enim requies in tanto aquarum multarum diluuio. Noë, inquit Ambrosius, dicitur Latinè requies. Denique & parentes eius dixerunt, quia hic faciet nos requiescere ab operibus nostris. Quod vtique si ad ea quæ facta sunt, referendum putes; cum diluuium sub eo factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus: nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verùm si iusti viri mentem consideres, aduertes iustitiam solam esse, quæ aliis potius nata, quàm sibi. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis: & dum ea quæ iusta sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate. Requiescit quidem iustus ab operis iniquitate, sed nondum gaudet felicitatis munere. Vnde, sicut impius speciem nonnunquam obtinet tranquillitatis, sic & pius nonnunquam speciem subit amaritudinis. Quapropter dicebat Dauid: Conuertere anima mea in requiem tuam. Laborat enim, ait Bernardus, & requiescit anima in conscientiâ: quia conscientia alia bona, & non tranquilla; alia tranquilla, & non bona; alia nec tranquilla, nec bona, alia bona, & tranquilla. Tranquilla & non bona, eorum est qui in spe peccant & dicunt in corde suo, quòd Deus non requiret, & ista maximè adolescentium. Bona & non tranquilla, eorum est, qui iam conuersi ad Dominum, recogitant annos suos in amaritudine. Nec bona nec tranquilla, eorum, qui multitudine peccatorum desperant. Bona & tranquilla, eorum, qui carnem spiritui subdiderunt: qui cum his, qui oderunt pacem, sunt pacifici. Hic est lectus animæ: in quo requiem capit anima, sed non perfectam. Oportet autem vt perfectam possit præstare requiem, non solùm bona & tranquilla sit conscientia, sed etiam secura: vnde subiungit, Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. De morte, dando bonam conscientiam: à lacrymis, dando tranquillam & bonam: à lapsu, dando securam. Perit ergo requiem, sed æternam; tranquillitatem, sed interruptam, de quâ ait,

Ambros. lib. de Noë & arcâ cap. 1.

Bernardus serm. 16. ex paruis.

Quatuor diuersa côscientiarum genera.

Pſalm. 4.

ait, In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Vbi enim requies Dei, niſi vbi ſedes Dei? In regeneratione, inquit Chriſtus, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos. Felix regeneratio! Quando renaſcar ad ſeſſionem miſer homo, natus ad laborem? O ſi vnquam ſedero totus, cuius modò ne minima quidem portio ſedet, in quo nihil tranquillum, nihil quietum, ſedatum nihil, nihil vnquam in eodem permanens ſtatu. Sedebitis & vos. O ſeſſio! Quis mihi tribuat, vt dignis exprimam verbis, quod de ſeſſione hac cordis, affectione concipio? Immò quis tribuat mihi ſeſſionis huius imperturbatâ frui requie, quam deſidero, quam cupio, quam requiro? Ecce enim dixi: Nihil in me ſedet, ſed cuncta in motu ſunt, omnia nutant, fluctuant vniuerſa. Vbi enim concupiſcit caro aduersùs ſpiritum, ſpiritus aduersùs carnem, quidnam hominis ſedere videtur? Inter hæc anima fluctuat iugiter, donec peccati corpus inhabitat, aſcendens vſque ad cœlos, & iterum vſque ad abyſſos deſcendens: tabeſcens in malis, & ad bona nihilominus inardeſcens. Ibi igitur requies ſecura, vbi ſedes quieta: vbi ſemel aſcenditur, nec iam deſcenditur: vbi nullus deinceps mortis metus, nullus doloris ſenſus: vbi non ſolùm vera malorum omnium ſupreſſio, ſed & certa bonorum omnium poſſeſſio.

Bernardus ſerm. de bon. deſerend.

DILVCIDATIO VI.

De applicatione thematis.

HVcúſque Dauid in Spiritu ſancto, nunc verò Paulus in eodem ſpiritu. Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur: vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. Olim Dauid à Deo inſpiratus ſuos contribules monuit, ne cor ſuũ obdurarent, ne aberrarẽt, ne à Deo vero per incredulitatem, infidelitatemve diſcederent. Et ego, eodem ductus zelo, fratres meos admoneo, ne cor malum gerant; ne à Deo viuo diſcedant: quod proueniat ſuccedátque, animi conſtantiam induite, peccati fallaciam excludite. Tria igitur ſunt propoſita. Primum eſt, exitij cautela: alterum, animi conſtantia: tertium, peccati fallacia. Primum, propoſitum eſt in ſupplicium; alterum, in remedium; vltimum, in præiudicium.

Quantum ad primum. Dixerat Apoſtolus, Nos eſſe domum Dei, Si fiduciam & gloriam ſpei, vſque ad finem, firmam retineamus. Magna iſta gloria quam ſperamus, imò magna ſpei diuinæ quam nunc delibamus. Vos arbitramini felices ob hæreditatem ſperatam, tutos ob felicitatem promiſſam, & inde gloriamini. Alij enim laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis: alij ſeminarunt, & vos eorum mercedes collegiſtis. Quid eſt enim (ait Auguſtinus) pro illis non erunt alij, qui intrent in requiem Dei? Improbati ſunt illi, quibus diſplicuit miſericordia Dei, qui reſtiterunt Deo corde indurato. Illis improbatis, nunquid perdidit Deus populum ſuum? Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iurauit illis Deus in irâ ſuâ, ne intrent in requiem ipſius: & tamen oportet aliquos intrare in requiem ipſius: non enim nulli dabitur requies ipſius. Illis ergo reprobatis, nos intrabimus: etſi aliqui ex ramis fracti ſunt propter diſſimilitudinem, & infidelitatem; nos propter fidem, & humilitatem inſeremur: Benè eſt, ſed, Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm, cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Si enim receſſeritis ab eo qui vita eſt, moriemini; ſi diſceſſeritis ab eo qui gloria eſt, confundemini. Sicut autem per fidem ſeu cor pium ſeu per fidem acceditur, ſic & per infidelitatem ſeu cor malum & impium diſceditur. Cum egrederetur Ieſus de tẽplo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Et reſpondens Ieſus ait illi: Vides has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Videte ædificium, ſed cauete exitium: ſtructuram adſpicite, ſed ruinam metuite; quanto enim altior fabrica, tanto ruina luctuoſior. In hac enim, vti dixit Hieronymus, enumerat etiam Dominus cladem nouiſſimi temporis. Quales illi lapides? ſed duri. Hebræi ſunt, tam infideles, quàm & increduli. Fracti ſunt, contriti ſunt; & filij Abrahæ ex lapidibus iſtis ſuſcitati. In eorum locum intrauimus, regnum occupauimus promiſſum. Sed videte & cauete. Cum enim Paulus vniuerſum poſuiſſet teſtimonium, (ita Chryſoſtomus) tunc ſubiungit: Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Ex duritie enim fit incredulitas: & quomodo corpora quæ occalluerunt, & duritiem contraxerunt, non cedunt manibus Medicorum, ita etiam induratæ animæ non cedunt verbo Dei. Eſt enim veriſimile quoſdam iam non credere, tanquam vera non ſint quæ facta ſunt. Propterea dicit: Videte ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Nam ſi patres veſtri, quoniam non ſperauerunt vt ſperare oportuit; hæc paſſi ſunt, multò magis vos.

Auguſtin. Enarrat in Pſalm. 94. ſub fin.

Chriſtiani in requiẽ promiſſam introducti.

Marc. c. 13.

Hieronym. in Marc.

Chryſoſt. orat. 6.

Quantũ ad ſecundum. Videte ne velut rami putridi excidamini, videte ne ſicut patres veſtri, ſeu velut reprobi lapides reiiciamini: Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur. Periculum quidem exitij eſt, ſed ecce appoſitum mali remedium, Quotidianis adhortationibus fulcite labentem animum, continuis ſupplicationibus opem petite & auxilium: non enim præſumenda eſt animi conſtantia, ſed è gratiâ requirenda crucifixi. Dominus enim regnauit à ligno. Quis eſt, ait Auguſtinus, qui ligno pugnat? Chriſtus. De cruce ſuâ vicit Reges, & ſubiugatis eis ipſam crucem in fronte fixit, & gloriantur de illâ, quia ibi eſt ſalus eorum: hoc agitur; ſic creſcit domus, ſic ædificatur. Videte operantes & fabricantes domum. Quomodo creſcit ædificium? Benè, inquit, nuntiate de die in diem ſalutare eius. De die in diem prædicetur, de die in diem, inquit, ædificetur. Creſcat, inquit Deus, domus mea. Et quaſi diceretur ab operariis, Vbi iubes ædificari domum? vbi vis creſcere domum tuam? oſtendit

Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 95. cit. med.

Conſtantia animi ſub nixa eſt gratiâ crucifixi.

A dit locum, Annuntiate in gentibus gloriam eius. Gloriã, inquit, eius annuntiate in gentibus: gloriam eius, non gloriam vestram. O structores, gloriam eius benè nuntiate in gentibus. Si gloriam vestram annuntiare volueritis, cadetis: si eius, ædificamini cum ædificatis. Gloriamini, sed in illo gloriamini, à quo omnis gloria est, sicut & omnis gratia. Domus quidem Dei estis, templum Dei estis, sed ab eo suffultum, à quo & exstructum est. Dilatetur illa domus, sed in illo fundetur, à quo solidata est, & sine quo non crescit, sed cadit. Quamobrem adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, ædificate vos alterutrum, erigite vos ipsos, vt non fiant eadem. Illud enim, Hodie, inquit, semper est quamdiu mundus constiterit. Iustus cum consummauerit, tunc incipit: animum enim de die in diem erigit, infirmum fulcit, saucium curat, dubium animat, frigidum inflammat, torpentem excitat, renuentem prouocat, sicque stans constánsque vsque ad mortem perseuerat. Nec seipsum duntaxat, sed & sicut alios amat tanquam seipsum, sic & ipsos vt seipsum stimulat Si enim inueniatur malum in aliquo, nunquid desperandum est? Non, ait Aquinas, sed debet magis exhortari, id est admoneri, Ideo dicit Paulus, Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, id est continuè: scilicet discutiendo conscientiam suam, & inducendo ad bonum. Donec hodie cognominatur, id est, donec durat præsens tempus gratiæ, quod est totum sicut vnus dies. Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.

Chrysost. orat. 6.

Aquin. lect. 3.

Quantum ad tertiũ. Præiudiciũ reprobationis, damnationisq; malum obdurationis: sed sicut reprobatur quis ex iustitiã Dei sic & ex fallacia peccati. Ita Iob de malo seu impio. Manus illius reddent ei dolorem suum. Quid per manus, ait Gregorius, nisi opera designantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent: quia damnationem iustam ex iniquâ recipiet operatione. Benè autem non dabunt, sed reddent dicitur: quia peruersæ eius actiones, æternum ei supplicium quasi quoddam debitum soluent. Sed priùs quàm ad æterna supplicia perueniat, qualem se hîc exhibeat, plenius adiungat. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Origo prauæ inchoationis, causas culpæ etiam præsumendo multiplicat. Dum enim mala agere quisque cœperit: vsu iam deterius in hoc quod inchoauerat excrescit: hoc enim quod malè cœpit, peius quotidie per consuetudinem roborat. Dicatur itaque, Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius: quia duræ in eo prauitatum consuetudines à vitio sumptæ, sunt pessimæ inchoationis. Quæ nimirum ossa cum eo in puluere dormient, quia eousque in illo iniquæ consuetudines perdurant: quòd hunc ad mortis puluerem pertrahant. Tenẽt igitur illum prauæ consuetudines quæ semel cœperunt, atque quotidie duriores existunt. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub linguâ suâ. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo. Malo quippe quod diligit, parcit: quia non hoc in semetipsum pœnitendo persequitur. Vnde & additur: Non derelinquet illud. Si enim vellet relinquere, nequaquam parceret: quia persequeretur. Sed hoc celat in gutture, quia seruat in cogitatione. Sed satietas transitoriæ delectationis, in retributionis fine ad amaritudinem vertetur, & fel aspidum, id est, malignorum spirituum, persuasio fuisse cognoscetur. Tunc enim iniqui vident quòd antiqui serpentis veneno infecti sunt, dum flammis vltricibus traditi, cum eodem suo persuasore cruciantur. Panis eius in vtero illius, vertetur in fel aspidum intrinsecùs: quia transitoriæ delectationis lætitia dulcis est, cum hîc quasi mandendo agitur: sed amarescit in vtero, quia peracta lætitia deglutitur ad pœnam. En quomodo quis paulatim obduratur fallaciâ peccati, & æterni multatur pœnâ supplicij: sensim enim execrationem incurrit, abstractus & illectus, & ita in damnationem cæcus proruit. Nam, vt dixit Chrysostomus, quomodo incredulitas malam parit vitam, ita etiam anima, cum in profundum malorum venerit, contemnit. Contemnens autem ne sustinet quidem credere, vt se à metu liberet. Dixit enim, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Gregorius lib. 15. Moral. cap. 5.

Quanta vis sit peruersæ consuetudinis.

Et cap. 6.

B

Chrysost. orat. 6.

C

DILVCIDATIO VII.

De conditione participationis.

QVidni perstemus, quidni perseueremus? Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus. In quibus tria sunt elucidanda. Primum est, Quænam sit illa participatio: secundum, Quænam sit inchoatio: tertium. Quæ consummatio.

Quoad primum. Non solum sumus nati participes, sed & sumus effecti, dum fideles facti sumus, seu Christiani. Habet & Christus participes atque consortes suos (verba sunt Ambrosij) Denique Dauid probat, dicens: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Habet participes carnis, quia carnem suscepit: habet prophetiæ, quia Prophetam, inquit, vobis suscitabit Deus vester de fratribus vestris. Sed vnum naturæ est, alterum gratiæ. Participes autem Christi effecti sumus, non nati. Anima, ait Tertullianus, non es, quod sciam Christiana: fieri enim, non nasci soles Christiãna. Incorporati, & adunati sumus Christo per gratiam, non per naturam; & si quid illius habemus, non per naturam habemus, sed per gratiam. Habet consortes baptismi, ait Ambrosius, quia baptizatus pro nobis est: habet consortes iustitiæ, quia ipse iustitia est, & nobis de suo dedit sui habere consortium: habet consortes veritatis, quia ipse veritas est & nos tenere voluit veritatem: habet consortes resurrectionis, quia ipse est resurrectio: habet consortes immaculatæ vitæ, quia ipse immaculatus est. Et quicumque in nauitate ambulauerit, quicumque tramitem iustitiæ tenuerit, particeps Christi est. Habet etiam tribulationis suæ participes: ideóque qui particeps eius esse cupiebat, dixit: Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt tribulationum Christi

D Ambros. Enarrat. in Psal. 118. octon. 8.

Tertullian. lib. de testim. anim. cap. 2.

Ambros. in Psalm. 118.

E

Fideles multifariam Christi sunt participes.

Christi in carne meâ, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Sepulturæ quoque eius participes sumus. Quisquis enim consepultus est cum ipso per baptismum in mortem, particeps eius est. Ideóque Apostolus ipse adstruens quam nobis gratiam dederit Dominus Iesus, ait: Participes enim Iesu Christi facti sumus. Sed & ille particeps Christi est, qui lugentem mœsto consolatur affectu: qui in carcere constitutum proprio non defraudat officio: qui lecto ægrotantis assidet, non vt capiendæ hæreditatis tendat aucupium, sed vt morbi vim sollicito mitiget ministerio, vt sedulo fessum sermone demulceat: qui nudos vestiat, esurientes reficiat. In his enim frequenter est Christus, sicut ipse ait, Quod vni eorum fecistis, mihi fecistis. Si oderim mendacium, particeps Christi sum: quia Christus iustitia est. Beatus qui potest hæc dicere. Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum.. Particeps corporis Christi est, quod est Ecclesia. Sunt ergo fideles omnes Christi participes, in quantum Christiani, in quantum capiti in vnum corpus coagmentati. Quid est, inquit Chrysostomus, participes Christi effecti sumus? Vnum effecti sumus nos & ipse: siquidem ipse quidem caput, caput, nos autem corpus, cohæredes & concorporales. Omnes quidem fideles, seu Christiani sunt Christi participes: sed quò magis similes sunt in veritate, in charitate, eò sunt magis participes: inde enim plus participant, quò plus delibant.

Chrysost. orat. 6.

Quoad secundum. Inchoanda est illa participatio, & inchoatio per fidem delineanda: & per charitatem firmanda. Exponit Paulus conditionem monitionis (ita Aquinas) Quasi dicat: Ista conditio magis est efficax, quàm illa; quia illi tantùm audierunt, nos autem participes facti sumus Christi. Et loquitur propriè, quia in Veteri Testamento erat tantum auditus, nec conferebatur gratia: ex opere operato: sed in Nouo Testamento & est auditus fidei, & datur gratia ipsi operanti. Sciendum autem, quod duplex est participatio Christi: vna imperfecta, quæ est per fidem & sacramenta: alia verò perfecta, quæ est per præsentiam & visionem rei. Primam iam habemus in re: vnde dicit, Si tamen initium substantiæ eius retineamus. Quicumque enim in Christo baptizatus, suscipit quandam nouam naturam, & formatur quodammodo in ipso Christus. Dicit autem, si tamen initium substantiæ eius retineamus: hîc enim tantum initium est. Galat. 4. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et hoc per fidem, quæ est sperandarum substantia rerum, id est fundamentum. Incipit igitur Christus in nobis formari per fidem veram seu Christianam id est, incipit participari, donec perficiatur, absoluatúrque. Sumus domus Dei, cuius fundamentum est fides, in quâ & spes nixa est: sed & ipsa incipit proficitque. Nisi enim fides cresceret, ait Bernardus, Apostoli Domino minimè dixissent: Adauge nobis fidem. Continuâ enim operatione virtutum, & assiduâ meditatione scripturarum sanctarum fides eruditur, & erudiendo illuminatur, & illuminando augetur, & augendo perficitur, & perficiendo stabilitur. Fides, dies est. Sicut autem dies crescit per horas, sic fides augetur per illuminationem diuinæ gratiæ. Primum itaque sincera radix sanctæ fidei in terrâ humani cordis plantatur, cui inseritur ramusculus ille sanctæ arboris, id est, timor Domini, qui dicitur initium sapientiæ. Cum hoc incipit, & cum isto ascendit vsque ad plenitudinem luminis. Cúmque fides plenè adulta fuerit: tunc adhæret ei timor ille castus & sanctus æternæ charitatis, qui permanet in seculum seculi. Hæc est enim fides illa quæ per dilectionem operatur, vt homo noua creatura efficiatur: fides prudentissima & inuictissima, quæ in tempore persecutionis, & in die necessitatis superari non potest. Illa quædam magna est arbor, diuersa in se habens poma, ex quibus reficitur anima plena Deo. Quapropter fides firma, & charitas plena, fideles comites, & inseparabiles sorores, cuncta in se virtutum genera continentes, virum perfectum efficiunt, quantum possibile est perfici in hoc vitâ miseriis & erroribus plenâ. Ita Deus, Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Per fidem scilicet, quæ sperandarum est substantia rerum: seu, vt ille dixit, Quæ est in Christianâ animâ fundamentum omnium virtutum. Sed & ipsa incipit, succrescítque, donec adolescat, & in statum euadat perfectum; vt iam non sit initium substantiæ, sed animæ Christianæ firmamentum.

Aquin. lect. 3.

Bernard. ib. de ordin. vit. vlt. med.

Fides, sicut dies crescit sensim ac proficit.

Iacob cap. 1.

Bernardus Ibidem.

Quoad tertium. Sicut illa participatio inchoatur per fidem, seu per initiationem fidei; sic consummatur per visionem seu fruitionem Dei: quam etsi nondum re tenemus, spe tamen de diuinis spondemus promissis. Si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus. Si in eo quod semel vouimus, firmiter immobiliterque ad finem vsque, seu vsque ad mortem persistimus. Equidem sumus initiati per fidem, per charitatem formati, sed crescendum est de die in diem, & vsque in finem animo permanendum inconcusso: alioquin domus corruet, & quæ inchoationem habuit per fidem, quæ participationem promouit per charitatem, non perueniet ad consummationem. Nam, vt dixit Bernardus, sicut corpus nostrum tabernaculum dicitur, in quo militamus; sic conscientia nostra domus vocatur, in quâ post militiam requiescimus; & ille rectè militat, qui per militiam quam exercet in corpore, domum ædificat conscientiæ. Sed domus hæc in quâ habitamus, ex omni parte sui ruinam nobis minatur: idcircò quia in breui est casura, alia nobis est ædificanda. Ita monebat Paulus, dum omnibus diceba, nedum Colossensibus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Duæ quippe sunt mortes, (vti docet Bernardus) & totidem resurrectiones. Prima mors, animæ; secunda, corporis. Mors animæ, separatio à Deo; mors

Bernardus Tract. de int. domo. in prol.

Bernard. serm. 16. ex paruis.

mors corporis, separatio animæ à corpore. Hanc operatur peccatum, illum pœna peccati. Sic prima resurrectio, animæ; secunda, corporis. Resurrectionem animæ operatus est humilis, & occultus Christi aduentus: resurrectionem corporis, gloriosus & manifestus Christi perficiet aduentus. Habet fidelis anima Paradisum suum spiritalem. quidem, non terrenum: & idcircò priori illo delectabiliorem & secretiorem. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. In hoc delectatur anima sicut in omnibus diuitiis. Aliter enim afficitur circa charitatem, quam diligit propter virtutem; aliter circa æternitatem, quam diligit propter securitatem. In primâ igitur resurrectione inchoatur participatio Christi, quæ si crescat, & in finem firma consistat, salutem quidem adipiscitur, dum adipiscitur immortalitatem; sed in secundâ resurrectione, totaliter feliciterque consummatur. Saluatorem enim expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: adoptionem speramus corporis nostri, optamusque totum hominem sanari, interiorem scilicet & exteriorem, & adinstar Christi beatificari. Tunc consummata participatio erit, cum tota & integra erit animæ corporisque glorificatio: cum videbimus eum sicuti est, & videndo similes erimus, quia fruendo, eiusdem erimus felicitatis sicut & eiusdem diuinitatis participes.

Duæ sunt mortes, & duæ resurrectiones.

DILVCIDATIO VIII.

De expositione admonitionis.

DIxit Apostolus; Vsque in finem. Nunc & exponit: Dum dicitur, Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illâ exacerbatione. Quod dico, Vsque in finem, intelligo, vsque ad mortem: dum vita transcurrit, dum agendi, dum non audiendi tantùm, sed & obediendi suppetit copia. Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non vniuersi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne iis qui peccauerunt? quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Tria sunt ex his decerpenda. Primum est, durante vitâ semper spatium esse pœnitendi ac contendendi: secundum, subornante concupiscentiâ, exemplum ad indulgentiam potius, quàm ad pœnitentiam pertrahi: tertium, infidelitatem seu incredulitatem in fundamentum æterni perditionis damnationisque.

Quoad primum. Præsens vita, tempus est gratiæ, datur enim à Deo, vt incumbatur pœnitentiæ. Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicationibus suis. Quid inde? Ecce mitto eam in lectum, & filios eius interficiam morte. Homo in captiuitate peccati positus est, & in ipsâ natiuitate, deprauatus labe contagij. Idcircò, vt Tertullianus dixit: Nulli rei nisi pœnitentiæ natus. Nam, vt monuit Augustinus, Hoc iustum est, vt qui de pristinâ felicitate Paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur: fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo: ibi contra iustitiam facientes, hîc pro iustitiâ patientes. Idcircò indulta est vita, vt agatur pœnitentia; & si non agitur ista, illa succidatur. Inde apud Lucam: Dicit quidam ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hac, & non inuenio. Succide ergo illam. Bona consequentia: vita enim infructuosa est, si nulla est pœnitentia: & iniustè terram quis occupat, si vitam dignè non emendat. Vnde, Intercedit colonus, (verba sunt Augustini) differtur supplicium, vt adhibeatur auxilium. Et quid orat? Domine, dimitte illam & hoc anno: id est, tempore isto sub gratiâ, parce peccatoribus, parce sterilibus. Circumfodio ei, & adhibeo cophinum stercoris. Quid est autem fossa, quid est circumfodere, nisi humilitatem & pœnitentiam docere? Fossa enim, humilis terra est. Cophinum stercoris in bono intellige. Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes cultoris, dolores sunt peccatoris. Qui agunt pœnitentiam, in sordibus agunt; si tamen intelligant, & veraciter agant. Huic ergo arbori dicitur, Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Totum istud labentis ac fluentis vitæ, humili fidelique dedicatum est pœnitentiæ nec protelatur vita, nisi vt agatur pœnitentia. Vnusquisque enim, vti dixit Gregorius, iuxta modum suum inquantum locum vitæ præsentis tenet si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat, quia in eo loco, in quo ipse est, & alij opererandi occasionem negat. Venit Deus in tribus ætatibus, puerili, virili, & senili, & vitæ tributum censumve, id est, dignum pœnitentiæ fructum semper exigit. Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illâ exacerbatione. Admonitio est, & adhortatio, vt nullus desperet indulgentiam in hac vitâ, sed & nullus frustrà terram occupet. Admoneo vos, ait Ambrosius, in conspectu Dei, timori vestro adiungere timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. Audite ergo quæ dicturus sum. Certus sum quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, sed si vitam sine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicenti: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & aliis faciat quod sibi à Deo cupit fieri, quando diem finierit, vitam non finit, sed transit de vitâ in vitam: ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus homo si postea desertor violatórque sacramẽti fuerit, peccat, & Deum repellit à se. Si autẽ agat pœnitentiam

Apocal. c. 2.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 11.

Augustin. lib. de patient. c. 14.

Luc. cap. 13.

Augustin. serm. 31. de verb. Dom. cap. 1.

Gregorius Hom. 31. in Euang.

Totum vitæ spatium pœnitentiæ dedicatum.

Ambros. exhort. ad agend. pœnitent. si tamen ille est.

pœnitentiā ex toto corde, vbi Deus videt, saluabitur. Cauendum est enim à peccato per vigilantiam, aut ab illo per resipiscentiam elabendū.

Quoad secundum. Vsus vitæ rarus, sed abusus pœnitentiæ periculosissimus. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiā. Quisquis enim delinquit & viuit, (ita Gregorius in Iob) idcircò hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat. Sed qui diutiùs toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatûs sui vinculis ex ipso se munere arctiùs adstringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, districtus in vltimis iudex impensa argumenta misericordiæ conuertit ad pœnam. Hinc námque per Paulum dicitur: An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Hinc Esaias ait: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Ac si apertè nos deterreat, dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur; sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit. Vnde necesse est, vt cum nos expectari diutiùs conspicimus, ipsa prærogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementiā iudicis crescat supplicium peccatoris; & vnde quisque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat. Licentiam alunt peccandi, differúntque peccati pœnitentiam, aliorum exempla, quibus vtitur concupiscentiā subornante, imò quibus abutimur obdurante superbiā. Euasit latro, & de cruce cœlum rapuit: inde omnes lattones aures arrigunt, & idem præsumunt beneficium. Dixit Dauid, Peccaui, & statim veniam obtinuit & misericordiam: inde fornicator, indè adulter, inde homicida confidit, & exemplum ad indulgentiam potius trahit quàm ad pœnitentiam. Plurimi peccantem imitantur, pauci imitantur pœnitentem. Quot, qui audientes exacerbauerunt, quot qui resistentes peccauerunt, quorum prostrata in deserto cadauera, socios suos terrent, dum de peccato suo admonent? Sed abiectis terroribus sibi blandiuntur mali, mentísque pascuntur erroribus. Sed non vniuersi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quot, qui terram ingressi sunt promissam? Caleb, Iosue, Leuitæ, & qui adhuc ephebi de Ægypti terrā sunt egressi? Ita in scripturis diuinis carnaliter sapiunt, imò imprudenter desipiunt, & seipsos, aliósque decipiunt. Cœlum rapuerit latro de cruce, sed quot latrones de morte rapiuntur in infernum? Inuenerit Dauid veniam per pœnitentiam, sed quot alij qui sine veniā excedunt & pereunt, quia moriuntur sine pœnitentiā? Quinam ingressi sunt terram promissam? Certè aut innocentes, aut verè pœnitentes: dico verè, id est, ex animo, & coram Deo. Vidit cor Dauid, ait Ambrosius,

Gregorius lib. 16. Moral. cap. 4.

Cauendum ne ex longinquitate temporis cumulus crescat damnationis.

A quando increpatus à Propheta grauiter, post comminationes terribiles Dei, exclamauit, dicens, Peccaui: & mox vt audiuit, peccatum abstulit. Quantum valent tres syllabæ. Tres amen syllabæ, Peccaui: sed in tribus syllabis, flamma sacrificij cordis eius ad cœlum ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus, & à Christi corpore separatus; & benè post pœnitentiam vixerit & post reconciliationem, cum defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno

B Dei non priuabitur, & à populo Diaboli separabitur.

Ambros. Exhorto ad pœnit. agēd.

Quoad tertium. Sicut fides virtutum omnium fundamentum est, sic & infidelitas vitiorum omnium seminarium: sicut illa Dei, gratiam exorat, sic & ista vindictam Dei prouocat. Nec putem disceptandum, ait Tertullianus, an quos Deus dignè ab errore superstitionis auulserit, rursus in Ægyptum regredi nolit, an dignè à se non patitur absistere, quos sibi adlegit. Ita nec illud expectabit retractari à nobis, an obseruari voluerit disciplinam quam voluit instituere, & an

C meritò vlciscatur desertam, quam voluit obseruatam: quando frustrà instituisset, si obseruari eam noluisset: & frustra obseruari voluisset, si vindicare noluisset. Eduxerat Deus populum suum de Ægypto, quasi de domo seruitutis, vt assereret in libertatem, & in requiem seu terram promissam induceret. Inde pauerat manna in deserto, cibarat eos ex adipe frumenti, & de petrā melle saturauerat eos, vt iam prægustarent delicias regionis lacte ac melle manantis. Legem suam eis dederat, vt inolitam excuterent consuetudinem, & idololatrias eiurarent regionis superstitione & impietate fœtentis. Sed ingratus ille po-

D pulus, tam infidelis quàm incredulus, Ægypti semper morem spirabat, nedum aërem, ructabátque semper odorem allij. Vnde iratus Deus vindicat incredulitatem, iurátque incredulos in requiem nunquam intraturos. Dixerunt alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Et dixit Dominus ad Moysen: Vsquequo mihi detrahet populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis? Non videbunt terram pro quâ iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac ia-

E cebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam vt habitare vos facerem. Quinam exclusi sunt? nonne detractores & murmuratores? & vnde murmuratores & detractores? nonne quia infideles? quia tam ingrati, quàm increduli? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius? Nonne illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Causa tam nota, quam in scripturis sanctis manifesta. Quamuis enim improbus populus, quamuis scelestus,

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 3.

Num. c. 14.

Populus Iudaicus ingratus quia incredulus.

scelestus, ideo tamen scelestus, & improbus, A quia incredulus. Et cum steterit, non credet vitæ suæ. Vitæ enim suæ, ait Gregorius credere renuit, quia de Deo vera cognoscere contemnit; vitæ enim suæ crederet, si de conditoris sui substantiâ rectè sentiret. Sed magna de se sentiens, & verâ de Domino ignorans, longè à fidei cognitione disiungitur: incredulitatísque redarguitur, qui ab eo quod se ostendit credere viuendo reprobatur. Sed inter hæc Conditor mirâ dispensatione consilij & culpas respicit, & viuendi tempora impendit: vt longiora temporalis vitæ spatia, aut conuerso fiant in adiutorium muneris, aut non conuerso ad augmentum damna- B tionis.

Gregorius lib. 16. Moral. cap. 3.

ETHICON.

De perseuerantiâ.

TOta parænesis Apostoli ad hoc spectat collimátque vt Hebræi iam Christiani à Christianâ religione non deuient, sed in fide susceptâ stabiles perseuerent constantésque. Socordiam excutit, firmámque exigit perseuerantiam, quæ vt summi Regis filia, sola virtutum omnium opus consummat, sola laborum omnium fructus coronat. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Tria autem veram exstruunt perseuerantiam perficiúntque. Primum est, patiens tentationum tribulationúmque perpessio: secundum, frequens recordatio suppliciorum: tertium, ardens præmiorum expectatio.

Matth c. 10.

Quoad primum. Non sine causâ iustissimâ dixit Paulus patientiam nobis necessariam esse, vt reportemus promissiones, quia sine patientiâ, perseuerantia non est; sine perseuerantiâ, non possidemus promissiones. Et nunc quid restat charissimi, (verba sunt Bernardi) nisi vt admoneamini de perseuerantiâ, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseuerantiâ, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Non quæruntur in Christiano initia, sed finis, & à Deo reiiciuntur, non qui mala fecerint, sed qui in malis anteactis persliterint. Sic & probantur illi qui sustinent vsque in finem, non quod non laudem mereantur qui bonum incipiunt; sed quòd illi consequantur, qui tentationibus contrenitentibus, non faciunt tantum, sed & perficiunt, absoluuntque. Ideo, inquit Paulus, (apud Tertullianum) dilectio omnia sustinet, omnia tolerat: vtique quia patiens. In suscepto bono, tam immobiliter perseuerat, quam & patienter. Inde nobis virtus perseuerantiæ commendatur, dum ait Euangelista, (apud Bernardum,) quòd cum accepisset dulcis Iesus amaritudinem aceti, dixit, Consummatum est. Quid est hoc? Videns Dominus quia consummata sunt omnia, vt implerentur scripturæ, ait, Sitio. Et cum gustasset acetum sibi porrectum, subiunxit, Consummatum est. Consummatum quippe est, id est, perfectum fuit testimonium scripturæ quæ dicit, Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potauerunt me aceto. Et per hoc omnis scriptura quæ de ipso erat, consummationem accepit. Sicut ergo caput nostrum pro peccatis nostris acerbitatem sustinens passionis vsque ad consummationem, id est, vsque ad perfectionem omnium scripturarum quæ de ipso erant, perseuerauit patienter; ita & nos, si huius capitis membra esse volumus, in omnibus aduersitatibus nostris virtutem perseuerantiæ conseruemus, vt ad finem omnium passionum nostrarum ipso benigno Iesu duce venientes cum ipso confidenter possimus dicere, Consummatum est. Hoc est, tuo adiutorio, non meâ virtute bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Redde ergo quod legitimè certantibus in agone te promittente repositum est: scilicet coronam iustitiæ, quam tu iustus iudex reddes in tuâ die. Vnde murmurauerunt Hebræi, vnde in fide & spe non perseuerauerunt? C Quia impatientes malorum, quia laborum hostes, non sustinuerunt in finem, ideóque in requiem non sunt ingressi.

Bernard. ep 129.

Tertullian. lib. de patient. cap. 12.

Bernard. de pass. Dom. cap. 14.

Perseuerãtia non in aggressione, sed in perfectione est posita.

Quoad secundum. Multum iuuat recordatio suppliciorum, frequens malorum æternorum pro bonis modicis ac momentaneis repræsentatio. O (exclamat Laurentius Iustinianus) qualem fecerunt commutationem, vt videlicet exultarent in exiguo tempore, & æterno cruciarentur supplicio! Quis illorum valet considerare iacturam? Duplicia etenim receperunt de manu Domini pro vniuersis iniquitatibus suis. Damni pœnâ torquentur & D sensûs. Amiserunt námque Deum, cœli delicias, Angelorum consortium, merita electorum, agni nuptias, beatam resurrectionem immortalitatis stolam, & vitam beatam. In his potissimum consistit damni pœna. Illis autem addita est societas dæmonum, horrendus ipsorum aspectus, ardor inextinguibilis ignis, stridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lacrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis sitis, sulphureus fætor, conscientiæ vermis, carcer abyssi, euadendi desperatio, & interminabilis diuinæ visionis carentia, quæ dolores superent vniuersos. Ista si saperent, & intelligerent, quibus adhuc benè operandi protogatum est tem- E pus, impensa gratia, & dilata sententia. Verùm quoniam futura non præcauent mala, & præsentibus inhærent bonis, cum aliis simul prætereunt, paritérque deficiunt. Quid Paulus Hebræis repræsentat, quis eis memorat, ne deficiant, sed in bono persistant proposito? Nonne insipientes, bonorum istorum concupiscentes, & æternorum obliuiscentes seu non recordantes malorum? Quorum cadauera prostrata sunt in deserto. Videte campos albentes ossibus mortuorũ, respicite locos olentes adhuc mortibus impiorum. Neu viam terite sanguinolentam, sed diuinam, ideoque acerbã vindictam effugite. Requiret vsq; ad nouissimũ quadrantem,

Laurent. Iust. serm. & vit. solit. cap. 10.

Quàm horrendæ damnatorũ sunt pœnæ.

Bernard. serm 3 super Sal. Reg.

quadrantem, (ita Bernardus) requiret & retribuet abundanter facientibus superbiam. Requiret à redempto seruitium: honorem & gloriam ab eo quem plasmauit. Esto quòd dissimulet, & pater ignoscat beneficus, sed non Dominus & creator. Pensa cuius sit fortitudinis & honoris, tuum atque omnium contempsisse factorem, contempsisse Dominum maiestatis. Tangit montes, & fumigabunt: & tam tremendam maiestatem audet irritare vilis puluis, vno leui flatu dispergendus, & minimè colligendus? Time gehennam, time iudicis vultum. Contremisce ab irâ potenti, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate validâ, B à voce Archangeli, & à verbo aspero. Contremisce à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Time vermem rodentem, time torrentem, fumum & vaporem, & sulphur spiritum procellarum: time tenebras exteriores, fletus & stridores dentium, & manuum pedúmque dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium.

Quoad tertium. In totum consummat ardens prœmiorum expectatio. Paulus semper requiem premit diuinam, & per ipsam, sermonem absoluit. Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nonne illis qui incre-C duli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Hoc præcipuum est, & licet vltimum in executione, primum tamen in intentione. Scopum, ait Chrysostomus, & institutum discite Apostolicum. (Chrysost. orat. 6.) Ab eo de spe agebatur, & quòd futura sperare oporteat, & quòd iis qui hic laborauerint erit merces aliqua, & fructus, & requies. Hoc ergo ostendit ex Propheta, dicítque tres esse quietes. Vnam Sabbati, in quâ Deus quieuit ab operibus suis: secundam, Palestinæ, in quam ingressi Iudæi erant quieturi à multâ afflictione, & laboribus: tertiam, quæ verè est quies, nempe regnum cœlorum, quam

A assecuti verè quiescunt à laboribus & afflictionibus. Quænam est enim alia requies quàm regnum cœlorum, cuius imago & typus est Sabbatum. Sed præstolandum est, expectandúmque? idcircò longanimitate cordis opus est, quæ demonstrata est & obsignata in crucis longitudine. Longitudo, ait Bernardus, quæ in altum erecta est, virtutem longanimitatis insinuat, quæ perseuerare volentibus summè necessaria est. (Bernardus Tract. de pas. Dom. cap. 24.) Sicut ergo formidanda sunt supplicia, sic & amanda sunt prœmia: sed amanda tam ardenter, quàm & suauiter. Disce ô Christiane, amare dulciter, (verba sunt Bernardi) amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. (Bernard. ser. 20. sup. Cant.) Ne mundi gloriâ seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. (Christus dulciter amandus, prudenter & fortiter.) Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne fortè tria ista tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ virtute tua. Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis, animæ verò amor ad industriam seu iudicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi referri posse constantiam. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige totâ rationis vigilantiâ & circumspectione, dilige & totâ virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas. Sit fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Disce ô Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum. In finem scilicet, in crucem, in mortem: patienter, constanter, longanimiter: sic firmatur fides, sic spes roboratur, sic Christiana coronatur perseuerantia.

CAPVT QVARTVM.

Summa.

Ostendit relinqui Sabbatismum populo Dei, & ad illum consequendum, accendit obstringítque animum Christiani.

TEXTVS.

Timeamvs ergo, ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut iuraui in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam: & quidem

operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim quodam loco de die septimâ: Et requieuit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum. Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut suprà dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, numquam de aliâ loqueretur, post hac, die. Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius; etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens ad diuisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

EXEGESIS LITERALIS.

ILLATIONEM facit ex antecedẽtibus, pluribúsque productis ac deductis, quæ requiem demonstrent ac spem prouocent, ad gratiæ thronum deducit, & asylum misericordiæ.

Timeamus ergo, ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur ex vobis deesse &c. Absoluit præcedens caput his verbis: Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem Resumit, aitque, cum videmus tam multos de populo Israëlitico, propter incredulitatem à promissâ requie fuisse exclusos, caueamus ne quando quis neglectâ seu contemptâ per infidelitatem pollicitatione, promissâ frustratus inueniatur hæreditate, & ab æterna felicitate reperiatur alienus. Præmisit suprà Apostolus auctoritatem Dauid & exposuit: nunc autem arguit ex ipsâ. Dicit ergo, Dictum est, quòd Deus infensus est illis qui non crediderunt. Ergo & nos timeamus. Ita Aquinas. Etenim & nobis nuntiatum est; quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt &c. Factæ sunt illis námque promissiones, factæ sunt & nobis sed nostræ eò lætiores quò feliciores, ideóque chariùs ac diligentiùs excolendæ: sed bona illa nuntia, quæ de promissâ requie per Moysen acceperunt Iudæi, non profuerunt illis quibus non fuerunt contemperata: idcircò enim iis non crediderunt, quæ per Moysen audierunt. Auditus. Est in gignendi. Græcè ἀκοῆς. Et ex Græcis, iis, qui audierunt. Ipsi qui audierunt,

Aquin. lect. 1.

A dictis, seu promissis fidem non adhibuerunt ob pertinaciam. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut iuraui in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis &c. At verò nos, qui fideles sumus ingressuri sumus in requiem per fidem: non sicut illi per infidelitatem exclusi sunt, sic & nos per fidem sumus admissi: sed requiem, quæ significata quidem est mundo absoluto, sed quæ consignanda est mundo renouato. Dixit enim quodam loco de die septimâ: Et requieuit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam &c. Probat quod dixerat, Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Videtis duplicem esse requiem, vnam quidem in figurâ, à constitutione mundi; alteram in gloriâ, in fine seculi. Dicit enim Scriptura in Genesi, Deum absoluisse opus suum seu compleuisse die septimâ, & tunc quieuisse: hoc quippe per figuram præmittitur, ideóque recolitur per memoriam. Post multa verò secula, in Psalmo nimirum laudato: requies indicatur, quæ admittat fideles, excludat infideles: ista igitur alia requies est, tam beata scilicet quàm & æterna. Perspicuum est, ait Athanasius, de aliâ quadam Dauid quiete dixisse, de cœlesti videlicet illo ingressu, qui tamen in futurum sit debitus.

Christiani per fidem in requiem ingressuri.

B

Athanas. in Paulum.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij; quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare

obdurare

obdurare corda vestra &c. Quandoquidem igitur sequitur ex verbis Dauidicis, aliquos requiem ingressuros, sicut & à requie multos exclusos: & ij quibus primò terra est promissa, propter incredulitatem infidelitatemve sunt eâ frustrati: Scriptura Sacra, post tot annos à Moyse elapsos præfinit aliam diem, sicut & aliam quietem; dum per Dauidem dicit: Hodie, in hoc tempore, dum vocem Domini auditis admonentem, ne sitis sicut patres vestri, inobsequentes, increduli. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, numquam de aliâ loqueretur, post hac, die. Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei &c. At dices, Si increduli non sunt ingressi propter incredulitatem, alij tamen ob fidem sunt ingressi, terrámque possederunt promissam, ideóque & requiem obtinuerunt & pacem. Erras, si hoc putas. Nam si Iosue, eis requiem præstitisset, pacémque præbuisset, nec posthac superesset alia nondum possessa, sed adhuc quærenda, nunquam Spiritus sanctus aliam per Dauidem promitteret, nunquam aliam prædiceret obtinendam. Quoniam igitur prædicta requies, quæ vera est, nondum est impleta, reliquum est, vt veram illi requiem Dei expectent, qui veram habent fidem Dei, vtpote verò Dei populo repositam. Si enim Iesus veram præstitisset requiem populo, cuius ductor fuit, nequaquam de aliâ requie Dauid loqueretur postea. Certum est ergo, quia futurum est, quosdam accipere requiem quæ per illam significata est quæ est in Palæstinâ, ad quam versus Iesus ducturus est populum suum. Ita Commentator Ambrosianus. Qui enim ingressus est in requiem eius; etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus &c. Confirmat quod intulerat. Sicut Deus requiem dedicans, requieuit ab operibus suis, sic & intrans illam veram requiem homo, à laboribus ærumnosæ requiescit vitæ: at quies Iudæorum, miseros non absoluit mortales, igitur alia speranda est Christianorum quæ liberos facit ac felices.

Quomodo Sabbatismus populo Dei repositus.

Comment. Ambros.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis &c. Conclusio est prædictorum, & agendorum demonstratio. Cum enim Sabbatismus populo Dei sit relictus, enitendum est, totisque contendendum animis, illam assequi, & in illam ingredi; ne quis cadat per diffidentiam aut inobedientiam, & exitioso incredulorum infideliumve exemplo corruat. Verbum námque Dei, cum sit ipsa Patris nunc per Angelum loquentis, nunc per Filium, virtus & efficacia, viuit semper vigétque, virtutem suam exerit, & inuictam exercet potestatem, tam in reddendis promissis, quàm in minis exequendis: magis enim penetrat secátque, quàm quiuis gladius vtraque parte acutus: peruadit pertingitque in abditissima quæque animæ spiritúsque, & intima quæque ac secreta discutit, cum sit oculis Dei viuentis ac videntis animatus. Ideò enim & discretor, Græcè κριτικὸς, acerrimè perspicit, & discernit exactissimè non solùm quis quid cogitet & disponat, sed & quare disponat & cogitet. Aduerte, ait Athanas. quemadmodum & gladij meminit, & acuri & penetrantis, vt ex rebus nobis iam consuetis & notioribus, præferat diuinæ potentiæ magnitudinem. Metaphoræ sunt, sed ad institutum Apostolicum aptissimæ. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta oculis eius, ad quem nobis sermo &c. Nihil omninò est oculo eius non manifestum ac perspicuum, sed omnia intuenti ac perpendenti detecta sunt ac peruia. Et de hoc Dei verbo, nobis sermo propositus est institutúsque: tanta est eius vis & energia. Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato &c. Porrò Christus non solùm Apostolus fuit Moyse dignior, sed & Pontifex Aarone præstantior. Habentes igitur Pontificem illum magnum, Iesum Dei Filium, qui non ipsa quidem penetrauit sancta sanctorum, sed ad ipsos cœlos peruenit cœlorum, teneamus confessionem indeclinabilem, in fide confessâ, & spe permaneamus præconceptâ: & si qua remanet infirmitas, si qua pietatem charitatemve adhuc exercet cupiditas: Pontifex noster benignus est ac propitius: vtpote genus omne malorum expertus pœnalium conditioni ac statui conuenientium: ideóque, licet sicut & nos tentatus fuerit, in nullum tamen peccatum lapsus est, inductusve. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno &c. Præcipuus ille exhortationis & admonitionis fructus. Talem ergo nacti Pontificem tam misericordem támque compatientem, Iesum scilicet Dei Filium, per ipsum libenter audentérque tanquam per aduocatum ac mediatorem, adeamus Patrem in throno quidem sedentem maiestatis, sed radio bonitatis præfulgentem; vt misericordiam delendis impetremus, gratiámque beneficiis obtinendis, dum datur tempus, & opus expectatur ab auxilio diuino, reportemus. Nunc, ait Ambrosius, verè opportunum tempus auxilij & misericordiæ: sicut iste doctor egregius alio loco dixit, Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis.

Athanas. in Paulum.

Quanta sit diuini verbi efficacia.

Ambros. in Paulum.



DILVCIDATIONES in Caput Quartum.



TIMOREM incutit Apostolus, non tamen spiritum seruitutis prætendit; sed per fidem spémque animum erigit seruientis. Sit ergo

DILVCI

DILVCIDATIO I.

De timore.

NOn solùm imprimit timorem, sed & ipsum ex præiactis educit fundamentis. Timeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis. In quibus tria notanda sunt. Primum est, Christianum à timore non absolui: secundum, defectum negligentiæ relinqui non gratiæ: tertium, inde spem acui fidémque erigi, quod meliora nobis sint promissa, & ampliora sint præmia.

Quoad primum. Sicut Deus semper & vbique colendus, sic & vbique & semper verendus timendúsque: quid enim aliud colere, quàm vereri, seu reuereri ac timere? Dominum, ait Tertullianus, simul cognoueris, timeas: simul inspexeris, reuerearis. Primus ille pietatis gradus est, seu religionis, imò & vltimus: ab illo quippe ordiendum est, & in illo finiendum. Vnde Ionas interrogatus, Quod est opus tuum? Statim satisfecit, dicens: Dominum Deum cœli ego timeo. Hoc totum opus viri iusti, Deum timere, seu colere, Nam, vt dixit Sapiens. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Initium sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vuluâ concreatus est. Quomodo cum fidelibus concreatus in vuluâ, cum nullus in vuluâ fidelis sit, sed naturâ Filius iræ, Filius vindictæ, id est, infidelis, impius? Sed qui concreatus in vuluâ, iam diuinâ ad timorem virtutémque prædestinatus est prouidentiâ. Vnde Iob de seipso: Ab infantiâ meâ creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Miseratio etenim, vti dixit Gregorius, etsi eius fuerit arbitrij, vt cum ipso proficeret, liquet tamen quia eius arbitrij non fuit, vt cum ipso vtero exiret. Constat ergo quia suæ virtuti nil tribuit, qui profectò testatur, quia hoc ex conditoris munere accepit. Bonum igitur quod à conditore habuisse se intimat, liquet proculdubiò, quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse, vt pius esset, à quo accepit vt esset: quia sicut suo opere in vtero conditus non fuit, ita nec suâ virtute ab vtero pius fuit. Electionis quidem fuit, sed diuinæ; dispositionis, sed æternæ. Vnde sequitur in Sapiente: Cum electis feminis graditur, & cum iustis & fidelibus agnoscitur. Timor Domini, scientiæ religiositas. Religiositas custodiet & iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit: Timenti Dominum benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ est timere Deum. Corona sapientiæ timor Domini Radix sapientiæ, est timere Dominum. Sapientia enim & disciplina, timor Domini. Itaque non solum sanctitatis omnis fundamentum est, sed & complementum: non

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 6.

Ioan. cap. 1.

Gregorius lib. 21. Moral. cap. 13.

Eccles. cap. 1.

Timor Domini sanctitatis omnis

A enim solùm expellit peccatum, sed & virtutibus omnibus & meritum addit, & imponit cumulum. Vnde & Iob virtutum suarum seu perfectionum, aut radicem exprimens aut rationem reddens: Semper enim, inquit, quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. A pauore autem tantæ similitudinis, (ita ibi Gregorius) pensemus, si possumus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris. Fluctus etenim cum tumentes desuper eminent, cumque eam quam deferunt mortem minantur, cunctæ res in despectum mentis veniunt, amore viuendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despi-B cit quæ possidens portat. Benè autem subditur: Et pondus eius ferre non potui: quoniam qui extremi iudicij aduentum intentâ mente considerat, profectò videt quia tantus pauor imminet, quantum non solùm tunc videre, sed se etiam nunc præuidere pertimescat. Consideratione námque tanti terroris metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, intueri quod præuidet, recusat. Benè ergo dicitur: Et pondus eius ferre non potui: quia cum supernæ Maiestatis vim ad iudicium venientis, terrorémque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, sese expauescit inuenire. Sed cum ait, Semper, nullum omninò tempus excipit; C siue incipias, siue proficias; siue malus sis, siue bonus; siue adhuc imperfectus, siue iam perfectus. Timeamus ergo. Bona consequentia, nec carnalibus duntaxat aptanda, sed & spiritualibus. Ipse quippe Paulus sese numero inserit timentium, nec dicto solùm, sed & facto metum instruit. Quisquis sis, & qualis sis, time: si malus es, time supplicium diuinum; si bonus, time diuinum iudicium. Timeamus ergo, & semper timeamus: quia sicut nullum non est colendi tempus, ita nullum tempus non timendi.

Quoad secundum. Sicut omnis effectus diuinæ deputandus est clementiæ, sic & omnis D defectus humanæ imputandus est socordiæ. Quid erat homo, antequam esset? Nihil. Igitur de nihilo aliquid factus est à Deo, id est creatus est: inde dicitur creatura Dei, quia Deo volente & agente genitus creditur. Ama genitorem, ait Augustinus, sed noli super creatorem. Pater genuit, sed non ipse formauit; nam quis aut qualis sibi nasciturus esset, cum seminaret; ignorauit. Generat homo filios, sed Deus dat homini filios. Vnde Iacob à fratre de filiis suis interrogatus: paruuli sunt, inquit, quos donauit mihi Deus. Vnde & respondit Racheli liberos petenti, num pro Deo ego E sum? Nimirum, vt dem tibi liberos. Vnde & ipsa Rachel, iam instructior, aut religiosior: Dominus, inquit, exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. Generare ergo etiam ipsius parentis est: dare autem, solius creatoris. Quid erat homo, antequam bonus esset, seu iustus? Nihil. Igitur de nihilo factus est aliquid à Deo, id est, rursum creatus est; est enim noua in Christo creatura, quia Deo excitante & operante formatus est. Iam verò, si nullus seipsum facere potest, vt sit; an seipsum facere potest vt bonus sit & iustus? Multò sanè melius est esse

fundamentum est, simul & complementum.

Gregorius lib. 21. Moral. cap. 17.

Augustin. serm. 31. et nouis post init.

Genes. c. 33.

Genes. c. 30.

esse fidelem, quàm esse hominem: si igitur, si homo per se non potuit prius, an poterit posterius: sicut ergo effectus omnis naturæ, potentiæ Dei; sic & omnis effectus gratiæ, Dei tribuendus misericordiæ. Sanè quod Apostolus Iacobus ait, (verba sunt Augustini) Linguam autem nullus hominum domare potest: non mihi videtur ita intelligendum, vt exponere voluit Pelagius, quasi per exprobrationem dictum, tanquam diceretur, Ergone linguam nullus hominum domare potest. Tanquam objurgans & dicens, Domare feras potestis, linguam non potestis? quasi faciliùs sit linguam domare, quàm feras. Non puto quòd iste sit sensus hoc loco: si enim hoc sentire vellet de facilitate linguæ, cætera sequerentur in bestiarum comparatione. Nunc verò sequitur, Inquietum malum, plena veneno mortifero. Vtique nocentiore, quàm bestiarum atque serpentum. Nam illud carnem interficit, hoc verò animam. Non ergo quasi id esset facilius, quàm mansuefactio bestiarum, sanctus Iacobus illam sententiam pronuntiauit, aut eâ voce voluit pronuntiari: sed potius ostendens quantum sit in homine linguæ malum, vt à nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur & bestiæ. Neque hoc dixit vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, Linguam nullus domare potest: sed, Nullus hominum: vt cum domatur, Dei misericordiâ, Dei adiutorio, Dei gratiâ fieri fateamur. In his tria obseruanda sunt. Primum est, hîc rationem non esse de gratiâ iustificationis, sed de gratiâ perfectionis seu consummationis. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir. Alterum, non minus perfectionem seu consummationem esse à Deo, quàm iustificationem. Multò enim melius est esse perfectum consummatumque, quàm iustificatum: si ergo nullus iustificare se potuit, quomodo poterit consummare: si seipsum facere non potuit bonum, quomodo perficere poterit, seu iustiorem facere sanctioremque? Tertium, effectum correctionis seu refrœnationis, diuinæ quidem gratiæ deputandum, defectum vero humanæ imputandum esse socordiæ. Nihil enim Deus non facit in nobis, aut per seipsum, aut per liberum voluntatis arbitrium: nam sicut nunc hominem creat sine homine, seu sine semine, nunc hominem procreat per hominem; ita nunc operatur in nobis, sine nobis nũc cooperatur in nobis. Nusquam tamen & nunquam deficit: nulli deest, qui omnibus adest pro sapientiâ; nulli deest, qui omnibus prodest pro beneficentiâ. Nunquam dixit Paulus gratiam alicui deesse; at non semel dixit, nos diuinæ deesse gratiæ. Videte Quid? ne cui desit gratia? Id non vigilantiæ meæ, sed curæ diuinæ seu prouidentiæ. Quid ergo? Ne quis desit gratiæ Dei. Hîc verò; Timeamus ergo. Quid porro? Ne Deus desit alicui? Minimè. Sed, Ne relictâ pollicitatione introeundi in requiem eius existimetur aliquis ex vobis deesse. Seu, vt alij legunt, Ex nobis deesse. Minime timendum est, ne alicui desit Deus per suam prouidentiam, sed ne quis desit Deo per suam negligentiam.

Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 15.

Iacob cap. 3.

Nihil Deus non in nobis facit, aut per seipsum, aut per ipsum arbitrium.

Id est per gratiâ operantem vel cooperantẽ.

A Hoc timendum, nec incipienti solùm, sed & proficienti. Inter hæc enim pensandum est, (vt aduertit Gregorius) quia beatus Iob ita de se loquatur laudatus & flagellatus. Si igitur saltem ad meritorum profectum ita percussus est qui sic timuit, quomodo feriendus est qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei iudicia eos, qui se eleuant, si & illos ad tempus deprimunt, qui hæc semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre qui despicit, si hoc & ille in verbere pertulit, qui per timorem præuidit? Nonnunquam incognita sunt iudicia Dei, nunquam tamen sunt iniusta. Idcircò, noli altum B sapere, sed time: vide profundum, sed caue præcipitium: time, non gratiam diuinam, sed tuam socordiam: non enim deest, qui possit; sed deest, qui velit.

Gregorius lib. 21. Moral cap. 17.

Quoad tertium. Sicut euangelizatum est antiquis, sic & nobis euangelizatum est. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis. Seu, vt ex Græcis: Etenim sumus euangelizati, sicut & illi. Antiquis quidem bona nuntia sunt allata, quando terra promissa est: sed feliciora nobis sunt allata, quando cœlum est promissum. Læta nuntia, requies temporalis; sed quia fluxa, idcircò parum C est gaudium. Lætiora nuntia, requies interminabilis; quia enim æterna, ideo magnum est gaudium. Ita Angelus ad pastores: Nolite, inquit, timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Non solùm populo Iudæorum, sed & populo gentium: omnibus nationibus, omnibus temporibus. Agnoscite fratres dilectissimi, ait Bernardus, quanta sit ista solemnitas. Cui & dies breuis, & terræ angusta est latitudo, loco pariter & tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cœlum replet antequam terram. Nox enim vt dies illuminata est, cum intempestæ noctis horâ pastores circumfulsit lux noua de D cœlo. Et vt noueritis quo in loco solemnitatis huius cœperint gaudia celebrari quod iam Angelis erat, futurum omni populo gaudium euangelizatur. Nuntium illud non humanum est, sed Angelicum, imò & diuinum: gaudium istud terrestre non est, sed cœleste: melioribus quippe promissionibus sancitum est; non enim angulus terræ nobis promissus est, sicut antiquis sed cumulus gloriæ. Non solùm ergò timorem non introëundi incutit Apostolus, sed & introëundi tangit sollicitudinem. Quanto enim maiora sunt & ampliora quæ nobis repromissa sunt bona; tanto maior cura ad ipsorum E assecutionem possessionémque adhibenda est, tanto amplior impendenda est diligentia: ne quod per gratiam repræsentatur diuinam, per nostram elabatur socordiam. Ergo & nos timeamus: scilicet, (ita exponit Aquinas) timore casto, & sollicitudinis. Prouerb. 28. Beatus homo, qui semper est pauidus. Timor enim huiusmodi est vtilis admonitio ad bonum, & est comes trium spiritualium virtutum, scilicet fidei, spei, & charitatis. Ec. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Sed quid timere debemus? Ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiẽ eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Beatitudo enim siue felicitas in hoc consistit, vt

Luc. cap. 2.

Bernard. ser. 4. in Nat. Dom. init.

Aquin. lect. 1.

homo ingrediatur illam requiem. Timendum est ergo, ne aliquis ex vobis existimetur deesse, quia nobis facta est promissio intrandi. Timendum est autem ne propter culpam nostram non ingrediamur, relictâ pollicitatione, id est promissione, quam reliquimus, deserendo spem, fidem, & charitatem, per quam possumus introire. Consequenter cum dicit, Etenim nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis, ostendit quòd nobis imminet ista sollicitudo. Promissum est nobis. Sciendum est enim quòd illa quæ in Veteri Testamento promissa sunt temporaliter, intelligenda sunt spiritualiter. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Requies illis huius seculi promissa est, nobis requies futuri; sedes æternæ felicitatis, merces futuræ tranquillitatis; quæ per terram promissam adumbrata est, sed per diuinam consummanda gloriam. Quo ergo promissio illustrior est, eo religiosior adhibenda sollicitudo; ne quis à spe excidat, & promissione frustratus exclususque cum incredulis impiisque congemiscat.

Quæ promissa sunt temporaliter intelligenda sunt spiritualiter.

DILVCIDATIO II.

De admistione.

NVntiatum est antiquis euangelizatúmque. Sed non profuit illis sermo auditûs, non admistus fidei ex iis quæ audierunt. Seu, vt ex Græcis, Non commixtus fidei iis qui audierunt. Ita apud Augustinum: Dicitur etiam in Epistolâ ad Hebræos de illâ ipsâ generatione prauâ & amaricante: Non profuit sermo auditus illis, non contemperans fidei eorum qui obaudierunt. Seu, vt alij legunt, Non contemperatus fidei. Ex quibus tria elicienda. Primum est, verbum fidei, contemperandum esse audienti: alterum, temperamentum istud ex diuinâ gratiâ commodatum: tertium, quibusdam ex misericordiâ datum, quibusdam negatum ex iustitiâ.

Augustin. in Exposit. Psalm. 77. eit. med.

Quoad primum. Mixtura sanè vbique necessaria. Magna opera Domini, ait Propheta Dauid (apud Bernardum) Magna quidem omnia opera eius, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem Propheta, dicens: Magnificauit Dominus facere nobiscum. Denique quam magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam eius opera clamant, nostræ primæ creationis, præsentis redemptionis, futuræ glorificationis. Quàm magnificata sunt in singulis opera tua Domine! Triplicem autem commixtionem in his tribus considerare est cœlestis planè operis, & diuinæ virtutis. Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmauit hominem Deus, & inspirauit in faciem eius spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis vnitor rerum, ad cuius nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ? Fracto tamen sigillo sequitur amarum dissidium, triste diuortium. Nec est qui reficiat, nisi qui fecit. Nouam ergo, inquit Dominus, ego facio commixturam, vbi & expressius pono sigillum eum,

Bernardus serm. 2. de nat. Domini.

Tres mixturæ, seu tres vniones spectandæ.

A qui non ad imaginem meam factus est, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ, non factus, sed genitus ante secula: & cum prima ex duobus facta sit, secunda iam coniunctio sit ex tribus. Iam verò quid futurum sit in vnione tertiâ, quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Porrò coniunctio illa seu commixtio consummatur quidem in cœlo, sed inchoatur in hoc seculo. Hic enim per fidem delibatur & charitatem, cum anima cœca illuminatur, mortua suscitatur, & per vitæ spiritum aptatur contem-

B peratúrque ad spiritum gloriæ. Verbum quippe fidei, contemperandum est audienti, sicut lumen contemperandum est videnti, languentique contemperandum est remedium. Ita Christus ad Iudæos: Scio, inquit, quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Agnosco vos, inquit, (apud Augustinum) Agnosco carnis originem; non cordis fidem. Filij Abrahæ estis, sed secundùm carnem. Ideò, inquit, quæritis me interficere, sermo enim meus non capit in vobis. Si sermo meus caperetur, caperet: si caperemini intra retia fidei, tanquam pisces concluderemini. Quid est ergo, Non capit in vobis? non capit

Augustin. Tract. 42. in Ioan. post init.

C cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus. Tum capit, quando capitur: nec fit iniuria illis qui capiuntur: ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur. Vnde Dominus discipulis suis ait: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Non ergo isti erant tales: & tamen filij Abrahæ erant, filij hominis Dei homines iniqui. Trahebant enim carnis genus, sed degeneres facti erant, non imitando filium illius cuius filij erant. Sicut ergo diuinitas humanitati permista est in personâ Verbi, sic & congruitas admista est difficultati

D in animâ Christiani, vt verbum capiat, fructúmque referat. Idcircò enim & Deus homo factus est, vt se contemperaret nobis; se commodum exhiberet, & ad seipsum per seipsum alliceret. Quoniam, ait Gregorius Nazianzenus, homines maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem est ipse Dei filius: ille seculis antiquior, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, ille archetypi expressio, illud immotum sigillum; illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio, ille, inquam, ad imaginem suam se

Gregorius Nazian. orat. 42. cit. med.

E confert, carnémque carnis causâ gerit, & cum intellectuali animâ propter animam meam iungitur, vt simile per simile repurget; atque humana omnia, excepto peccato, suscipit. O nouam & inauditam mixturam! ô admirandam temperationem! Nempe Deus inuisibilis, factus visibilis; incomprehensibilis factus visibilis, vtramque in se admisit naturam, imò & immiscuit, vt Dei Verbum seipsum præberet pertractandum palpandúmque, & nos ad diuinitatem occultam, per humanitatem notam adduceret. Diuinitas eius quò imus, (verba sunt Augustini) humanitas eius quà imus. Nisi nobis fieret quà iremus, nunquam ad illum manentem perueniremus.

Augustin. Tract. 42. in Ioan. vlt. med.

Quare,

Quare, inquit Christus, loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Ideo non poterant cognoscere, quia non poterant audire. Sed vnde audire non poterant nisi quia corrigi credendo nolebant? Et hoc vnde? Vos à Patre diabolo estis. Audite à filio Dei, cuius sitis filij. A Patre diabolo est. Nolebant audire veritatem, quia Patrem audiebant mendacij, quem velut familiarem audiebant, digniorémque censebant per animi excœcati vanitatem. Non profuit illis sermo auditûs, non admistus fidei ex iis quæ audierunt. Non crediderunt auditui, non adhæserunt fidei: audierunt verbum, sed non receperunt, vtpote nondum contemperatum audienti ob animi vitium.

Quoad secundum. Remedium innato vitio plane necessarium: nam sicut vitium procedit ex animi nauseantis impatientiâ, sic & remedium succedit ex medici miserantis indulgentiâ. Non est opus sanis medico, sed male habentibus, non est opus videntibus collyrio, sed oculis infirmis ac lippientibus. Pauperes eramus, infelices, & nudi & cœci. Verùm, vt dixit Gregorius, Qui alios ditat, pauper efficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego deitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: suâ enim gloriâ ad breue tempus exinanitur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat: secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertiit: at nunc eius, quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illa diuinius, hoc apud cordatos viros multò sublimius. In primo consortio, indigebamus cibo, quia adhuc eramus animales: nunc autem, non cibo solummodo indigemus, sed & condimento: quia non solùm mortales sumus, sed & languentes. Idcircò & secundo opus est consortio, in quo Dominus veniat, non vt Deus Maiestatis, sed & medicus infirmitatis, nec iam alimentum egenti conferat, sed pharmacum languenti afferat. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram: Quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. In principio ipso, ait Ambrosius, vocem Domini salutaris agnoscimus gentes vocantis ad Ecclesiam, vt errori renuntient, veritatem sequantur, & pij cultus munus cognoscant. Sed quia serpentis venenis infecta erant corda successionis humanæ, remedium pollicetur. Denique eadem serie vocationis etiam in Euangelio nos Dominus adhortatur, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Deinde iugum suum suaue, & onus leue esse commemorat. Venturus igitur ad ægrotos, venturus vt Medicus, qui grauia vlcera nostra curaret, medicamenta proponit, vt videant homines, & ad remedium salutis fidâ sedulitate concurrant. Omnes vocantur ad Ecclesiam, vt omnes redimantur à Christo. Qui æger est, Medicum inuenit: qui sanus, sapientiam acquirit: captiuus, redemptorem; liber, remuneratorem. Vocat ad gratiam, quam & appellat medicinam: quia gratia illa non solùm salutaris est, sed & medicinalis: idcircò suauitatem infundit Medicus, ne medicinam recuset ægrotus; congruitatem ille facit, vt iste degustet. Sic illa, inquit ille, in Euangelio meruit sanitatem, quæ profluuio sanguinis per duodecim annos laborauerat. At Audiuit medicum venisse, festinauit contingere, dicens: Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ego. Intra se hoc dixit, & Christus audiuit: & tetigit fimbriam vestimenti eius, & virtus de Saluatore processit, quæ curauit ægram, firmauit inualidam. Cum virtus de illo exit, cum sermo auditûs, admistus est fidei ex iis quæ audiuntur, prodest maxime, quia tam promptè creduntur, quàm & facilè, citò fit salus huic domui. Sic omnis anima inuitatur ad gratiam, vt sine pretio redimatur à crimine, & fructum vitæ adipiscatur æternæ.

Quoad tertium. Omnes quidem audiunt, sed non omnes obaudiunt: audiunt, qui habent aures; obaudiunt, qui habent aures audiendi seu obediendi; qui verbum quod excipiunt aure, corde percipiunt; quibus scilicet Dominus aperuit cor, & inde rectum fecit & pium, vt recta essent opera, & coram Deo tam plena quàm & iusta. Voluntas igitur, ait Augustinus, quæ est in corde recto, paratur à Domino: fide præcedente, quâ acceditur ad Deum directum, vt cor fiat rectum. Quæ fides præueniente & vocante misericordiâ Dei, per obedientiam suscitatur, & applicare incipit ad Deum cor vt dirigatur; & quanto magis magisque dirigitur, tanto magis videt quod non videbat, & valet quod non valebat. Hoc non fecerat Simon, cui Petrus Apostolus dixit: Non est tibi pars neque sors in hac fide, cor enim tuum non est rectum cum eo. Ibi enim ostendit, quia non potest esse rectum sine Deo, vt incipiant homines non tanquam serui sub lege ambulare metuentes, sed in lege tanquam filij volentes, in quâ illi ambulare noluerunt, & sub illâ rei remanserunt. Hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet, quæ diffunditur in cordibus credentium per Spiritum sanctum. Quibus dicitur: gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Non quomodo isti qui in lege eius noluerunt ambulare, non credendo in eum, neque viam suam reuelando ad eum, & sperando in eum vt ipse faceret. Cur non profuit sermo auditûs, non admistus fidei, iis qui audierunt? Quia, Generatio praua & exasperans, generatio quę non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius. Dixit enim quare, inquit Augustinus, continuò subiungendo, Et non est creditus cum Deo spiritus eius: id est, quia non habebat fidem, quæ impetrat quod lex imperat. Quando enim cum spiritu Dei operante spiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus iussit impletur: & hoc non fit, nisi credendo in eum qui iustificat impium. Quam fidem non habuit generatio praua & amaricans, & ideò de illâ dictum est:

Gregor. Nazian. orat. 42. circa med.

Ambrosius Enarrat. in Psalm. 48. à limine.

Non solùm alimentum sed & medicamentum nobis est necessarium.

Ambrosius Ibidem.

Augustin. in Exposit. Psalm. 77. cit. med.

Augustin. Ibidem.

Non est creditus cum Deo spiritus eius. Quasi diceret, Non credidit Deo spiritus eius. Quia enim non est creditus cum Deo spiritus eius non est cum illo etiam spiritus Dei: & sicut scriptum est, Quia non credidit, ideo non protegetur. Ideo cum dixisset, Non obseruauerunt testamentum Dei, adiecit, & ait: Et in lege eius noluerunt ambulare. Audierunt igitur, sed non ob audierunt, legem non impleuerunt, quia fidem non exceperunt in corde; non exceperunt in corde, quia prauo corde ac peruerso, quia iniquam gesserunt voluntatem, & ingenitam audierunt cupiditatem. Non profuit illis sermo auditûs, non admistus fidei. At sicut illis temperamentum fidei negatum est ex iustitia, sic & aliis verbum fidei contemperatum est ex misericordiâ. Ita Dauid, non solùm audiens auris auditu, sed & obediens cordis affectu: Auditui meo, inquit, dabis exultationem, & exultabunt ossa humiliata. Qui enim verè audit, (ita Augustinus,) & benè audit, humilis audit. Posteaquam ergo dixit: Auditui meo dabis exultationem & lætitiam, continuò demonstrauit quid faciat auditio, Exultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa, ossa audientis non habent fastum, non habent tumorem. Delectat nos veritas eius intus, vbi nemo facit vel audit strepitum. Ibi ergo dixit esse lætitiam suam & exultationem suam. Auditui meo, inquit, dabis exultationem & lætitiam. Et ideò quia humilis, audit. Inspirat igitur Deus delectationem, vt gustum languentis acuat; procurat humiliationem, vt fastum comprimat resistentis: sed ille dat præbétque ex gratuitâ beneuolentiâ, quem vanitas nostra, quem nostra miseret infirmitas.

Quod nonnullis ex iustitiâ negatur, aliis datur ex misericordiâ.

Augustinus Enarrat. in Psalm. 50. vlt. med.

DILVCIDATIO III.

De requie.

IN requiem introimus per fidem veram, seu per fidelem obedientiam. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus. Quemadmodum dixit; Sicut iuraui in irâ meâ, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Credentibus promittit seu fidelibus. Itaque triplicem tangit requiem: primam, Dei: alteram, Iudæi: tertiam, Christiani; quæ primam æmulatur, adumbratur per secundam. Trium ergo hîc meminit. (verba Chrysostomi) Et quanam de causâ de vnâ loquens, trium meminit? Vt ostenderet Prophetam de hac loqui. Scopus enim est, quò tendendum; seu locus, in quo quiescendum.

Chrysost. orat. 6.

Prima igitur, requies est Dei. Dixit enim quodam loco de die septimâ sic: Et requieuit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis. Quid est, die septimâ? Operibus ab institutione mundi perfectis. Id est, non solùm iactis mundi fundamentis, sed & vniuerso in totum completo. Dixit, scilicet Spiritus sanctus, (ita Aquinas) qui loquitur in scripturâ. In quodam loco, famoso: scilicet Genes. 2. De die septimâ. Et sic requieuit Deus ab operibus suis. Operibus, inquam, ab institutione mundi per-

Aquin. lect. 1.

A fectis. Dicit enim ab institutione mundi, quia primò constitutus est mundus, & post sex dies distinctè perfectus est in singulis partibus suis. Dicit ergo, operibus perfectis, ad denotandum opera sex dierum, quæ fuerunt perfecta. Quocumque enim modo sumatur distinctio dierum, manifestum est, quòd opera illa perfecta fuerunt. Est enim in ipsis duplex perfectio: vna, secundùm partes mundi, quæ sunt cœlum, & & quatuor elementa: alia perfectio est secundùm singulas partes, & hæc perfectio pertinet ad opus ornatûs. Post perfectionem verò ponitur quies, quia nulli datur nisi operanti.

B Et sic in septimâ die quâ mutatus est status mundi, sicut in qualibet aliâ erat quædam variatio, vnde in ipsâ cœpit status propagationis, propter quod & connumeratur aliis: ideò in septimâ mundi ætate, est status quiescentium Requieuit ergo Deus ab operibus producendis, quia omnia quæ postea facta sunt, fuerunt in illis rebus tunc productis, vel secundum virtutem, vel secundum similitudinem. In his tria sunt notanda. Primum est, non dici Deum quieuisse à labore, sed ab opere: Ibi enim accipitur quies, non secundùm quod opponitur motui. Deus enim etsi producendo non moueatur, tamen quia de ipso non loquimur nisi

Quicquid fit, ante factum est, vel virtute vel similitudine.

Aquin. Ibidem.

C per sensibilia, in quibus non est operatio sine motu, ideo omnis operatio largè loquendo, dicitur motus: & sic dicitur Deus quieuisse, quia cessauit nouas species producere: tamen vsque modo operatur conseruando, & gubernando, quæ condidit. Alterum, dici quieuisse die septimâ, non quòd illam non fecerit, sed quod per illam & variationi terminum dederit, & iustitium imposuerit creationi. Sic enim septimam diem Deus fecit sicut quamlibet aliam, quia tunc fuit aliquid additum: nam tunc incœpit status propagationis. Quælibet autem additio variabat statum mundi, & faciebat vnum diem. Tertium, non dici, Deum acquieuisse in operibus suis, sed ab operibus re-

D quieuisse. Aliter enim operatur Deus, & quilibet alius artifex. Artifex enim agit propter indigentiam suam, sicut domificator facit domum vt in ipsâ quiescat, & desiderium cuiuslibet artificis quietatur in opere suo. Sed non sic de Deo, quia non agit propter indigentiam suam, sed propter bonitatem communicandam. Vnde non quiescit in opere, sed ab opere producendo, & quiescit tantùm in suâ bonitate. Ab æterno enim requieuit in seipso, sed tunc etiam requieuit non in operibus, sed ab operibus. Porrò, vt obseruat enarrátque Ambrosius: Sex diebus factum mundum Moyses exprimit: non

Ambros. Enarrat. 1. in Genes.

E quòd Deus tempore indiguerit ad constitutionem eius, cui intra momentum suppetit facere quod velit: sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt. Ordo autem & tempus & numerum plerúmque exigit. Illud quoque præcipuè, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum seruauit & tempora. Nos enim tẽpore indigemus, vt aliquid maturiùs agamus, ne præcipitemus consilium atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cum ergo Deum legimus, cum sapientiâ & quodam consilio & dispositione omnia fecisse & ordine, consentaneum est rationi vt primò cœlum faceret, quod est pulcherrimum: oportet

oportet vt eò primum oculos erigamus, illo nobis contendendum arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. Sex itaque diebus mundum creauit, septimo die requieuit ab operibus suis. Bonus septenarius numerus, non Pythagorico & cæterorum Philosophorum more tractandus, sed secundùm formam & diuisiones gratiæ spiritalis. Magna enim in virtutibus Spiritûs sancti hebdomadis gratia.

Secunda, requies est Iudæi. Et in isto rursum, Si introibunt in requiem meam. Dei quidem illa, secundùm promissionem; Iudæi verò, secundùm possessionem. Sed in his tria dilucidanda sunt: promissio, exclusio, detestatio. De promissione, Dominus ait Moysi; Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus: & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle. (Exod. cap. 3.) Quid verò lacte & melle? Vtrum, ait Augustinus, terram fluentem lac & mel spiritaliter accipere debemus, quia secundùm proprietatem non hæc erat illa quæ data est populo Israël: an locutionis est, quâ id ad laudem vbertatis & suauitatis referatur? (Augustin. quæst. 4. in Exod.) Terra, in quâ non solùm ab Ægyptiacis quiescerent afflictionibus, sed & omnibus deliciis affluerent. Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto: Et dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, ad terram fluentem lacte & melle. (Exod. cap. 3.) Id est non feracissimam solùm, sed & amœnissimam suauissimámque. De exclusione, non omnes admissi, sed plures reiecti, vtpote infideles & increduli. Nam postquam ex Ægypto egressi, (ita Chrysostomus) multâ viâ confectâ, & Dei virtutis innumerabilibus acceptis indiciis, & in Ægypto, & in mari rubro, & in deserto, voluerunt mittere speculatores naturam terræ speculaturos. (Chrysost. orat. 6.) Illi autem regressi redierunt, regionem quidem admirantes, & præstantium fructum feracem esse dicentes, sed inexpugnabilium virorum & fortium esse regionem. Ingrati autem & nullo sensu præditi Iudæi, cum oporteret eos priorum meminisse beneficiorum, & quomodo eos interceptos in medio tantorum Ægyptiacorum exercituum eripuit à periculis, & eorum effecit potiri spoliis. Et rursum in deserto Petram rupit, & aquarum donauit abundantiam, & manna præbuit, & alia fecit mirabilia: eorum quidem nihil venit in mentem, tanquam nihil omninò factum esset: sed attoniti & stupefacti, Volumus, inquiunt, reuerti in Ægyptum. Eduxit enim, inquiebant, nos huc Deus, vt nos de medio tolleret cum filiis & vxoribus. Deus ergo irascens, quòd eorum quæ facta fuerant tam citò amisissent memoriam, iurauit generationem illam quæ hæc dixerat, non ingressuram in requiem. Et omnes perierunt in deserto. De detestatione, non solùm iurauit Deus, sed & deierauit; non solùm contestatus est, sed & detestatus; non solùm promissam inficiatus requiem, sed & hæreditatem suam abominatus est. (Infausta meliùs decentiúsque supprimuntur, quam exprimuntur.) Si introibunt in requiem meam. Si vnquam isti introeant in terram promissam, si vnquam optatam teneant patriam, habeat pro

A mendace, infelice infelicior videar, & vtroque indignior. Sed Hæc suppressa more Hebraico, nec infausto sermone exposita. Nihil enim nominabatur, plus tamen peiúsque quàm quod nominatum esset aut indicatum, significabatur. Ita ille: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi Filij Saphat super ipsum hodie. (4. Reg. c. 6.) Ita & Deus ipse populo suo. Hæc faciam tibi Israël. Quænã? Infanda, innominãda: adeò dira, adeò atrocia. Cum enim dixerit: (vt obseruat Hieronymus) Hæc faciam tibi, quid facturus sit, tacet: vt dum ad singula pœnarum genera Israël pendet incertus: quæ ideò terribiliora sunt, quia omnia suspicantur: agat (Hieronym. in cap. 4. Amos proph.)

B pœnitentiam, ne Deus inferat, quæ minatur. Sunt ergo verba minacia, calamitatem infelicitatémque sibi portendentia, vel alteri: sed si Deus non exprimit quæ impendent alteri, multò iustiùs ac decentiùs supprimit quæ sibi non imminent. Promisit ergo liberaliter ex innatâ bonitate, sed excludit irreuocabiliter ex incredulitate Iudaicâ.

Tertia, requies est Christiani. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam: & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam, Hodie, in Dauid dicendo, post tan-

C tum temporis: sicut supra dictum est Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de aliâ loqueretur, posthac, die. Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Sabbatum colitur à Iudæis, sed illud figuratiuum est, ideóque temporarium: æternum igitur Sabbatum expectandum est, tam verum, quàm & diuinum, & hoc est, quod Christianis iuxta dictum propheticum relinquitur. Si enim Iosue populum suum in veram induxisset requiem, nunquàm Dauid post illam possessio-

D nem, aliam requiem memorasset, nunquam alios ob infidelitatem excludendos, ideóque & alios ob fidelitatem admittendos prædixisset. Annuntiat igitur nouam requiem, dum euangelizat æternam felicitatem, infidelibus quidem Iudæis incognitam, fidelibus autem repositam Christianis. Tria igitur concipienda sunt. Primum est, requiem Iudaicam vmbratilem fuisse, festiuitatis velo celatam, non donatam felicitatis beneficio. Dauid quippe postea, & post illorum generationem loquens, (verba Chrysostomi) dicebat, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exa- (Chrysost. orat. 6.)

E cerbatione, ne eadem patiamini quæ maiores vestri, & priuemini requie. Nam si accepissent requiem, quanam de causâ eis rursus dicit, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione? Quænam est ergo alia requies quàm regnum cœlorum, cuius imago & typus est Sabbatum. Pulchrè ergo conclusit Paulus orationem. Non enim dixit, relinquitur requies; sed, Sabbatismus: nomen proprium, & quo lætebantur, & ad quòd currebant, Sabbatismum regnum vocans. Quomodo enim in Sabbato ab omnibus quidem malis iubet abstinere, illa autem sola fieri quæ pertinent ad cultum Dei, quæ quidem peragebant sacerdotes, & quæcumque

iuuant animam, & nihil aliud: ita tunc quoque. Secundum eſt, vmbram in lucem vertendam, figuram in veritatem. Vt enim Apoſtolicis vtamur teſtimoniis, (ita loquitur Ambroſius) vbi hominem fecit Deus, requieuit ab omnibus operibus ſuis in die ſeptimâ. Sed quia populus Iudæorum per contumaciam contempſit mandata Dei ſui, ait Dominus, Si introibunt in requiem meam. Et ideo Deus aliam præfiniuit diem, de quâ dicit, Hodie ſi vocem meam audieritis. Duos enim dies comprehendit ſcriptura generales: heri, & hodie. In ſuperiore die, promiſſio eſt, in conſequenti, ſolutio. Sed quia heſternâ die neque Moyſes neque Ieſus Naue populum induxit in requiem, hodiernâ die Chriſtus induxit, cui dixit Pater: Ego hodie genui te. Per ſuam enim reſurrectionem Ieſus populo requiem comparauit. Requies in cœlo, non in terrâ eſt. Requies noſtra, Dominus eſt Ieſus, qui ait, Hodie mecum eris in Paradiſo. Tertium eſt, requiem noſtram, ſeu promiſſam felicitatem eò meliorem, quò veriorem: longè enim vmbra vincitur à corpore, & figura à veritate ſupprimitur. Proculdubiò, ait Auguſtinus, ſicut in bonis rebus multò amplius bonum eſt in eo quod per figuram ſignificatur, quàm in ipsâ figurâ: ita & in malis longè vtique peiora ſunt quæ ſignificãtur figuris, cum tanta mala ſint etiam ſignificantes figuræ. Nam ſicut terra illa promiſſionis quò ille populus ducebatur, in comparatione regni cœlorum nihil eſt, quò Chriſtianus populus ducitur: ita & pœnæ illæ quæ figuræ fuerunt, cum tam ſint atroces, in comparatione pœnarum quas ſignificant, nihil ſunt. Quas porrò figuras dicit Apoſtolus, eas dicit Pſalmus parabolas: non habentes in eo finem, quòd contigerunt; ſed in his rebus, ad quas rationabili comparatione deferuntur. Et id quidem vtrobique: id eſt, tam in ſuppliciis, quàm in præmiis; ſed in præmiis maximè, cum miſericordia iudicium ſuperexaltet, & ſupplicium ſuperet gloria.

Ambroſ. Enarrat. 1. in Geneſ. in med.

Auguſtin. in Expoſ. Pſal. 77. poſt init.

Vmbra vincitur à corpore, figura à veritate ſupprimitur.

ETHICON.
anagogicon.

De feſtinatione.

CONcludit Paulus, aitque: [Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.] Id eſt, vt exponit Aquinas: Quia relinquitur Sabbatiſmus populo Dei: feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ſcilicet finalẽ. Et ſignanter dicit Ingredi, quia non eſt in bonis exterioribus, ad quem eſt egreſſus, ſed eſt in bonis interioribus. Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui. Duplex autem eſt feſtinantia: ſcilicet præcipitationis, & hæc eſt reprehenſibilis: alia celeritatis, & hæc eſt laudabilis. Luc. 1. Abijt in montana cum feſtinatione. Feſtinemus ergo, vt ne in idipſum, quis incidat incredulitatis exemplum. Quaſi dicat: Antiqui non potuerunt ingredi propter incredulitatem. Vnde caueamus alienæ culpæ exemplo, ne ſimus increduli, & exemplo pœnæ, vt ſcilicet non ex-

Aquin. lect. 2.

A cludamur ſicut ipſi: ad hoc enim oſtenduntur nobis præteritæ pœnæ aliorum, vt caueamus. Feſtinandum ergo non ſolùm ex ſimplici periculo tarditatis: ſed & ex triplici celeritatis incentiuo.

Primum eſt, quia grandis ſemper reſtat via. Ita Chriſtus Iudæis, diſcipuliſque audientibus: Adiiciens dixit parabolam, eo quod eſſet prope Hieruſalem, quia exiſtimarent quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reuerti. Quidam deficiunt, & iſti deſcendunt ab Hieru-
B ſalem, in Hierico, Quippe, vt dixit Gregorius, Hiericho luna interpretatur: luna autem in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur. Proficiunt alij, & ij aſcendunt ab Hiericho in Hieruſalem, quæ dicitur viſio pacis, ſeu viſio perfecta. Sed quamuis perfectus quis videatur, & prope Hieruſalem conſtitutus, non tamen arbitratur regnum Dei manifeſtandum: in regionem enim longinquam contendendum eſt, per viam adhuc grandem progrediendum eſt, perueniendumque in patriam cœleſtem, diſſitam remotiſſimamque, non locali diſtantiâ regionum, ſed cœleſti virtutum præſtantiâ. Ita Ambroſius in titulum Pſalmi quadrageſimi ſeptimi, Pſalmi huius titulus hic eſt ſecunda ſabba-
C ti. Quid eſt autem ſecunda ſabbati. Quid eſt autem ſecunda ſabbati, niſi Dominica dies, quæ ſabbatum ſequebatur? Dies autem ſabbati erat dierum ordine poſterior, ſanctificatione legis anterior. Sed vbi finis legis aduenit, qui eſt Chriſtus Ieſus, & reſurrectione ſuâ octauã conſecrauit, cœpit eadem prima eſſe, quæ octaua eſt & octaua quæ prima, habens ex numeri ordine prærogatiuam, & ex reſurrectione Domini ſanctitatem. Vnde & in Euangelio legimus δευτερόπρωτον ſabbatum, quod Latinè dicitur ſecunda primum. Vbi enim Dominica dies cœpit præcellere, quâ Dominus reſurrexit, Sabbatum quod primum erat, ſecundum haberi cœpit à primo. Prima enim requies
D ceſſauit, ſecunda ſucceſſit. Vnde & ad Hebræos ſcribens Apoſtolus ait, poſt hac die. Reſtat ergo requies populo Dei. Feſtinemus igitur intrare in illam requiem. Requies ergo vera iam non in operis ceſſatione, ſed in reſurrectionis eſt tempore. Properandum, feſtinandúmque, quia inter viæ ſtatum, & ſtatum patriæ, via eſt longiſſima, maximáque diſtantia. Vnde Chriſtus cum multa de Ioanne Baptiſta dixiſſet, abſoluit. Dico enim vobis, Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta non eſt. Qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo. Magnus Ioannes, imo maximus, vt quo nullus inter magnos ſeu perfectos &
E ſpirituales viros maior ſit, nullus excellentior: ſed adhuc in viâ eſt, nondum in patriâ, in qua quiuis melior eſt illo, etiam poſtremus, etiam vltimus: infimum enim ſupremi melius eſt digniuſque ſupremo infimi. Regnum Dei, ait Venerabilis Beda, appellauit, quod nondum accepimus, in quo ſunt Angeli, & quilibet in eis minor maior eſt quolibet iuſto portante corpus, quod aggrauat animam. Eſto profitearis inter perfectos, viróſque Apoſtolicos: eſto vitam videaris Angelicam agere, nullam de corpore curam gerere, adhærere

Luc. cap. 19.

Gregorius Hom. 2. in Euang.

Ambroſ. Enarrat. in Pſal. 47.

Quanta diſtantia inter viæ ſtatum, & ſtatum patriæ.

Beda cap. 17. in Euang. Luc.

hærere Deo, & cœlo intendere: adhuc tibi grandis restat via, dum adhuc multum, imò in immensum cælestis distat patria.

Secundum est, quia tempus breue est, seu, vt dixit Ioannes, Tēpus enim propè est. Idcircò, Beati, inquit, qui legunt, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & seruant ea quæ in eâ scripta sunt. Tres, ait Ambrosius, beatitudines posuit, sed quæ nihil sunt, si tertia defuerit Nam nihil prodest legere & audire mandata Dei, si non seruant ea quæ legunt vel audiunt. Multi namque sunt qui mandata Dei aut audiunt aut legunt, sed nihil eos iuuat, quia cum corpore præsentes sint, mente sunt absentes. Aut enim adquirendis rebus mens eorum dedita est, aut libidine exagitatur, aut ceteris vanissimis rebus distenditur. Nonnulli verò sunt qui diuinas scripturas legunt & audiunt, mentem ad earum intelligentiam accommodant, sed ideo diuinas scripturas discunt, vt sapientes & egregij apud homines habeantur, & in seculi prosperitatibus floreant, non vt vitam reprobam corrigant. Sed beati non sunt, quia scripturam diuinam non pro amore Dei, sed pro amore seculi didicerunt. Illi ergo soli beati sunt, qui ideò mandata Dei student discere, vt impleant, id est, in mente recondant: ideò in mente recondunt, vt opere impleant, ideò opere implent, vt æternam beatitudinem assequantur. Tempus enim propè est, id est, tempus breue est. Ideo nati sumus, vt ad vitam tendamus, in quâ bonorum omnium cumulus est, & nullus malorum accessus. Idcircò, non tam nati ad vitam, quàm destinati: vita enim quam ducimus, non tam vita est, quàm via quâ tendimus: nullis enim bonis nascimur ditati, & malis infinitis onerati. Enitimur ergo, vt innatis exuamur malis, & optatis perfruamur bonis. Et ad hoc, Breues dies hominis sunt. Angustatur ad vitā, ait Gregor. & dilatatur ad miseriā. Breues dies hominis sunt: hoc etenim vir sanctus Iob, apud nos velut non esse considerat, quod tantâ velocitate transcurrit. Longum iter emetiendum est, & tempus breue nobis concessum. Festinemus igitur, & quod deest in diuturnitate, lectionis assiduitate compensemus & meditationis: sic enim aditur immortalitas, sic felicitas acquiritur. Quid pretiosius tempore? (ait Laurentius Iustinianus) Quid quæso, illo fructuosius? Quid carius? Quid excellentius? Quidve amabilius? Sed proh dolor! penè ab omnibus nihil habetur vilius, nil tractatur inutilius, nihil indignius possidetur: nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Cætera, quæ habemus in mundo, à nobis aliena sunt, tempus autem propriè nostrum est, si tamen illo vtimur ad salutem. Illud siquidem diuina nobis clementia contulit ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vendicandam gratiam, & ad æternam gloriam consequendam. At verò quàm rari sunt, qui veraciter agnoscant ista, atque labentis temporis breuitatem fructuosâ semper exercitatione dispensent. Nihil ferè restat indulti temporis, instat mors seu finis residui temporis: anima tam vacua virtutibus, quàm criminibus irretita. Festinemus ergo, & redempto tempore, pressóque properemus itinere.

Ambrof. in cap. 1. Apocalypf.

Tres felicitates, legendi, intelligendi, & faciendi.

Gregorius lib. 11. Mar. cap. 26. & li. 12. cap. 1.

Laurent. ferm. de vit. solit. cap. 10.

Tertium est, quia interior vocatio vrget nos per stimulum pietatis, promouetque ad charitatis cumulum sanctitatisque. Ita Christus ad Zachæum, Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Iam ille vocatus erat nam & ille filius Abrahæ: vocatus, inquam, non solum externâ voce, sed & internâ vocatione. Etsi enim Dominus, nondum vocem inuitantis audierat, iam viderat affectum. Idcircò iubetur festinare, quia habet vnde festinet: Charitas enim Christi vrget nos. Quia hodie in domo tua oportet me manere. Monetur vt ad vlteriorem pergat perfectionem, Christumque contendat non solùm monentem habere apud se, sed & manentem. Et festinans, descendit, & excepit illum gaudens. Ita exurgens Maria, abiit in montana, sed, Cum festinatione. Non quasi incerta de nuntio, ait idem Ambrosius, sed quasi læta pro voto, festina pro gaudio in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritûs gratia. Loquitur Apostolus fidelibus, seu sanctis fratribus, vocationis sanctæ participibus: idcircò pressiùs adhortatur, instantiúsque prouocat ac stimulat. Fides quippe res est magna & salutaris, & absque eâ fieri non potest vt salui simus. Vnde ideò Paulus quoque eos admonet qui iam sunt dignati mysteriis, dicens: Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus, inquit, ac studeamus, vtpote quòd fides non sufficiat, sed etiam debeat vita adiici, & magnum adhiberi studium. Reuera enim multo opus est studio, vt ascendamus in cœlum. Si enim terrâ non sunt dignati, qui tantas miserias & calamitates perpessi sunt in deserto, & terram non potuerunt assequi: quomodo nos regno cœlorum digni habebimur, qui vitam inconsideratè ignauéque & segniter agimus? Festinemus: multo enim nobis opus est studio. Festinemus ingredi in illam requiem. Reuera enim, ait ille, est illa requies, vbi aufugit dolor, tristitia & gemitus: vbi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens & quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic æmulatio, & inuidia, & morbus; omnia sunt pax, gaudium lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est mors corporis, non illa animæ. Non sunt tenebræ, neque nox. Omnia sunt dies: omnia lux: omnia sunt mitia ac mansueta, omnia splendida. Non potest, non potest capi satietas. Semper erimus in perpetuo bonorum desiderio. Sed quousque non desistam ea persequi quæ non possunt comprehendi: Neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt quæ Deus præparauit iis qui ipsum diligunt. Sicut nihil miserabilius iis qui non assequuntur, ita nihil beatius iis qui assequuntur. Simus ergo nos ex beatis, vt bona consequamur æterna. Enitamur, animo ac studio tendamus contendamúsque.

Luc. cap. 19.

Ambrof. sub fin. lib. 8. in Luc.

Ambrof. lib. 2. in Luc.

Chrysoft. orat. 7.

Chrysoft. in Mat. orat. 6.

Quanta sit beatorum lætitia.

DIL V

DILVCIDATIO IV.

De sermone.

NOn de omni sermone Dei, qui per Angelos ipsos dictus, aut ad Prophetas factus Patriarchasque, de quo proximè dictum est: Sed non profuit illis sermo auditûs, non admistus fidei iis qui audierunt Festinandum igitur, sed & formidandum. Viuus est enim sermo Dei & efficax. Non exhortatur tantùm, sed & comminatur: Ostendens, vt dixit Ambros. eundem nos habere iudicem, qui illos propter incredulitatem eorum damnauit. Non solùm impellit ad requiem, sed & perniciem ostendit, damnum aperit ac periculum. Non enim dixit, Studeamus ingredi in illam requiem, ne à tantis bonis excidamus: (ita loquitur Chrysostomus) sed id addidit quod homines magnoperè excitat. Quidnam est hoc? Vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Hoc est, vt illic habeamus mentem, spem, expectationem, ne similiter excidamus, Nam quod excidemus, significat exemplum. Studeamus, demusque operam, vt ingrediamur; sed caueamus, præoccupemusque ruinam, ne regrediamur: sicut enim ingredientibus præmium redditur inenarrabile, sic & regredientibus intolerabile supplicium infligitur. Sed ne dubites, aut existimes Deum minus auctuosum esse comminando, quàm compensando; minùs veracem in pœnis, quam in promissis liberalem, minus fidelem in dictis, suis quàm in factis nostris perspicacem: primò, potentiam proponit seu efficaciam: secundò, perspicaciam: tertio, ostendit expositam nobis esse agendi & contendendi regulam. Sit ergo

Ambrosius in Paulum.

Chrysost. orat. 7.

PVNCTVM I.

De efficaciâ.

SIc curramus, vt malo non corruamus exemplo: sic festinemus vt casum vitemus & præcipitium. Viuus est enim sermo Dei & efficax. Sicut enim inobedientes iustam acceperunt præuaricationis retributionem; ita & si infideles fuerimus, & tantam neglexerimus salutem, debitam referemus diffidentiæ ac socordiæ punitionem. Dei enim sermo viuit semper vigetque: nam sicut non minoris est nunc veritatis quàm olim fuit, ita non minoris est virtutis: præualet semper, suámq; aut ad reddenda fidelibus prœmio, vel ad inferenda infidelibus supplicia, tam incunctanter quàm insuperabiliter exerit efficaciam: obtinet semper, vincitque. Primò enim, omnia facit: secundò, omnia restituit: tertiò, omnia concludit & absoluit.

Quoad primum. Sermo Dei dicitur, Omnipotens. Quia omnipotentis portat imperium, nec tam vocis sonum, quàm effectum intimat. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Dicimus Patrem omnipotentem, quia cœli & terræ credimus creatorem. At quomodo creauit, nisi dicendo, seu A iubendo? Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt. Adeò viuus Dei sermo, vt omnibus vitam dederit, adeò operatorius, vt naturam instruxerit. Sermo enim Dei, voluntas est, ait Ambrosius, opus Dei natura est. Et dixit Deus. Non ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negotium. Vnde pulchrè Dauidicum illud, Dixit, & facta sunt, quia dictum impleuit effectus. Verbum illud, verbum virtutis est, quo creantur omnia portantúrque, id est non solùm formantur, dum reuocantur à non esse, sed & in esse conseruantur. Nihil fragilius, humanâ voce, nihil infirmius; cum B nihil inde prodeat, nihil præter sonum aut ventum exeat: at voce diuinâ nihil viuidius, nihil efficacius; cum non tam loquatur quàm operetur, non tam resonet quàm intonet. Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas. Quia enim humanum genus, (vti Gregorius obseruat) beatus Iob meritis transcendebat, eum pius conditor, & eruditor ad considerandam similitudinem suæ magnitudinis prouocat, vt cognitâ tantâ dissimilitudine, in humilitate se premat. Sed cum in Deo vox aut brachium dicitur, cauendum summoperè est, ne quid in eo mens corporeum suspicetur. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, vsque ad nostra se humiliat; atquè vt alta insinuet, hu- C milibus condescendit: quatenus paruulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exurgat incognita; atque ab eo qui longè super ipsum est, quædam iuxta se audiens, quibusdam ad illum passibus moueatur. Cum ergo longè dissimiles in se similitudines trahat, solenter intuendum est quòd quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam eius substantiam maiestatis. Nec brachium gerit Deus, nec verbum emittit externum: sed per vtrumque effectus ostenditur operationis, seu virtus sermonis omnipotentis, cui nihil impossibile, imò nec difficile, describitur.

Ambros. lib. 1 Hexam. cap. 19.

Gregorius lib. 32. Moral. cap. 6.

Quanta sit verbi diuini efficacia.

Quoad secundum. Sicut format verbum D Dei, sic & reformat, sicut facit, sic & reficit: sicut creat, sic & recreat, mundat & sanat. Ita Christus ad discipulos suos. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis: mundi scilicet, ait Augustinus, atque mundandi. Quis enim est in hac vitâ sic mundus, vt non sit magis magisque mundandus? Mundet itaque mundos, hoc est fructuosos: vt tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. Quare autem non ait, Mundi estis propter baptismum, quo loti estis: sed ait, Propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia & in aquâ verbum mundat? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. E Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus: quo sine dubio vt mundare possit, consecratur & baptismus. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, In verbo. Ita Sapiens loquens de Hebræis. In memoriâ, inquit, sermonum tuorum examinabantur, & velociter saluabantur. Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine sermo, qui sanat omnia. Mentem pascit, carnem reficit; mundat illam, sanat istam, quia omnia restituit, reficitque, restaurat ac reparat. Sunt enim sermones diuini

Augustin. Tract. 80. in Ioan. circa med.

Aliud sonus transiens, aliud virtus manens.

Sapient. cap. 16.

Sapient. cap. 18.
Psalm. 32.
Psalm. 148.

Bernard. ser. 67. in Cant. init.

diuini quàm suaues ad gratiam, (ita Bernard.) tam fœcundi ad sensus, tam etiam profundi ad mysteria. Cui similabo eos? Vni interim alicui epularum, quæ triplici quadam emineat gratiâ, deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam. Ex eo enim quòd sermo suauiter sonat, affectum mulcet: & de sensuum vbertate mentem impinguat & nutrit: & de altitudine mysteriorum dum intellectū quo plus exercet, plus terret, miro modo tumorem sanat inflantis scientiæ. Tanta nimirum efficacia est, quanta est gratia. Nā, vt dixit Salomon loquens de Deo: Sermo illius potestate plenus est. Nunquam verbum illius redit vacuum, facitq; quod cumque voluerit. Viuus est enim Dei sermo & efficax. Hic nempe ostendit Paulus, quòd illa quoque fecit ipse Dei sermo, & viuit, & non est extinctus. Ne ergo, ait Chrysostomus, quoniam audisti sermonem, id solummodò audias. Ne strepitum credas inanem, aut sermonem vacuum, ne attendas vocem sonantem auribus, sed suspice virtutem effectibus pollentem, attende & vocem virtutis, & virtutem vocis.

Ecclef. c. 8.

Chrysost. orat. 7.

Quoad tertium. Omnia constituit Dei verbum in origine mundi, omnia etiā absoluit ac concludit in fine seculi: omnia pendebāt à verbo Dei, vt essent; omnia pendent à Dei verbo, vt felicia sint aut infelicia: sustinebant, ad vnā dictionem Dei, nunc & sustinent ad æternam benedictionem aut maledictionem. Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei. Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt, Discedite à me maledicti. Et sicut vox prima, firmitatē obtinuit imperij, sic & vltima æternitatem aut prœmij præstabit aut supplicij. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Constat nimirum, (vti dixit Gregor.) & incunctanter verum est: quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorū. Nā cum veritas dicat: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam: quia verum est quod promisit, falsum proculdubiò non erit quod minatus est Deus. Vnde obiicienti Petro: Quid si quis dicat: Idcircò peccantibus æternam pœnā minatus est, vt eos à peccatorū perpetratione compesceret. Statim satisfacit, aitque: Si falsum est quod minatus est, vt ab iniustitiâ corrigeret: etiam falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacē, quod dicit nefas est, prędicare compellimur. Viuus est sermo Dei & efficax: imò inde efficax quia viuus: inde enim vim habet exercetque, quod viuit, agitque tam constanter, quàm & viuaciter. Sunt multi homines, ait Chrysost. quia bonam spem habent, non in eo quòd abstineant à peccatis, sed in eo quòd existiment gehennam non esse vehementem sicut dicitur, sed mitiorem quam eam cuius minæ intentatur; & esse temporalem, non æternam, & de eo multum philosophantur. Ego verò non solùm quod sit mitior quàm cuius minæ intententur, sed multò vehementior, ex multis possum ostendere, & colligere ex ipsis verbis de gehennâ. Quod autem non sit temporalis, audi Paulum dicentem de his qui Deum non norunt, neque credunt Euāgelio, quod pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloriâ virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Quod autem est æternum, quomodo temporale? A facie, inquit, Domini. Quòd hoc sit, facile est, inquit, videre. Magno non opus est negotio, sed sufficit si adsit Deus & visus fuerit: sic sunt omnes in pœnâ & supplicio. Solùm eius præsentia, aliis quidem est lux, aliis verò supplicium. Et à gloriâ, inquit, virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis. Pondus quippe verbis inerit, & virtus dictis assistet, efficietque statim quod protulerit: Adeò viuus sermo & efficax, vt quod voluerit faciat, quod siue in reddendis præmiis, siue in suppliciis infligendis decreuerit, verbo, imò momento perficiat.

Math. c. 25.

Gregorius lib. 4. dial. cap. 44.

Qui Deum nimis faciūt misericordē faciunt fallacem.

Chrysost. orat. 3. in ep. 2. ad Thess.

PVNCTVM II.

De perspicaciâ.

SI lux est sermo Dei illustratus Dei præsentiâ, & eius animatus potentiâ, nihil esse potest clarius, nihil & perspicacius. Vnde Ambrosius primum Dei verbum contemplatus: Vnde, inquit, vox Dei in scripturâ diuinâ debuit inchoare, nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere? Fiat, inquit, lux. Erat quidem Deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem, & erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed eam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Fiat lux. Plena vox luminis. Naturæ opifex lucem locutus, & creauit. Sed in quo non minus perspicax quàm efficax?

Ambrof. lib. 1 Hexam c. 9.

Primò, quia. Penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum. In his tria sunt obseruanda. Primum est, nihil acutius, nihil & penetrantius gladio ancipiti. Dicitur enim Græcè δίστομος, quod vtraque parte acutus, quasi duplici ore præditus, vnde & Latinè modò anceps dicitur, modò biceps; quod voret auidissimè, ac citissimè penetret. Ità Psaltes de sanctis, Gladij ancipites in manibus eorum. Seu, vt legit Augustinus, Frameæ bis acutæ in manibus eorum. Framea, inquit, appellatur, quam vulgò spatam dicunt: sunt enim gladij ex vnâ parte acuti, ipsæ sunt machærę. Ipsæ autem frameæ, ipsæ & romphææ, ipsæ etiam spatæ appellantur. Magnum mysterium habet hoc genus ferramenti, quod ex vtraque parte acutum est. Ipsæ frameæ sunt acutæ in manibus eorum. Frameas bis acutas intelligimus semonem Domini: & vna framea est, sed ideò multæ dicuntur, quia multa ora sunt, & multæ linguæ sunt sanctorum. Sermo Dei, gladius bis acutus. Venit Dominus noster ferens gladium bis acutum: promittens æterna, implens temporalia. Nam ideo duo testamenta dicuntur. Quæ erant ergo frameæ bis acutæ in manibus eorum? Duo testamenta ad gladium bis acutum pertinent. Vetus testamentum

Augustin. in Exposit. Psalm. 49. in medio.

Cur sermo diuinus gladius sit bis acutus.

testamentum terrena promittit, nouum æterna. In vtroq; sermo Dei verax inuentus est, vt gladius bis acutus. Quare ergo in manibus, & non in linguis? Et frameæ bis acutæ, inquit, in manibus eorum. In manibus, dixit, in potestate. Si enim sermo non est in manibus, quare scriptũ est, Factus est sermo Domini in manu Aggæi Prophetæ: Tanta efficacia, quãta & perspicacia, tanta perspicacia quãta & efficacia. Sicut enim gladius bis acutus, nihil non incidit, sic & Dei sermo nihil non peruadit: omnia penetrat, examinat, diiudicat. Secundum est, nihil secretius vnione spiritûs & animæ: ipsam tamẽ secernit Dei sermo: Pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus. Vtrumq; perfectè cognoscens, & exactè distinguẽs. Quomodo loquitur Deus? (ait Ambros.) numquid voce corporeâ? Non vtique sed virtute quadam præstantiore, quàm vox corporis potest esse, fundit oracula. In peccatorum nostrorũ positi cogitationibus, in medio ligni Paradisi vbi peccauimus, deprehendimur, latere cupientes, & arbitrantes quod Deus non requirat occulta. Sed scrutator animorũ & cogitationum vsq; ad diuisionem animæ penetrans dicit, Adam vbi es? Nihil non penetrat diuinus sermo, nihil nõ diiudicat. Tertium est, nihil intimius medullis ac compagibus, vt quæ in occulto posita sint, & in abdito recondita: huc usq; tamen pertingit Dei sermo, nihilque non discutit. Est enim gladius, de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce. (ita Ambros.) Verbum, inquit, acutũ, & validũ, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritûs, artuumq; & medullarũ: vtpote scrutator cordis & renis, qui mendacium à veritate discernat.

Ambros. lib. de Parad. cap. 14.

Ambros. lib. 3. de virginib cir. med.

Secundò, quia, Discretor cogitationum, & intentionum cordis. Latet quidẽ homines, imò & demones humana cogitatio: quin & eos quibus cogitatio patet adhuc latet vera intẽtio: sed sermo diuinus arcanũ penetrat, tamq; intentionẽ quàm mentis cogitationem ad purum eliquat, reseratq; adeò exactè discernit, & quid approbandum, quidve reprobandũ seuerè, ne dicã & criticè discutit: non enim actiones solummodo spectat, sed & cogitationes, & intẽtiones examinat. Debet sanè quisque quantum potest, (verba sunt Bernardi) se irreprehensibilẽ exhibere, primùm quidem coràm Deo, sed deinde etiam coràm hominibus. Hoc nempe est quod loquitur Apostolus, dicens: Prouidentes bona nõ tantùm coràm Deo, sed etiã coràm hominibus. Tribus siquidẽ modis prouidemus bona coràm hominibus, id est, habitu, actione, & sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehẽsibilis: sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiã modis corã Deo, cogitatione, affectione, intẽtione. Nã & cogitatio debet esse sancta, vnde scriptũ est, Cogitatio sãcta seruabit te: & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria ista, id est, cogitatio, affectio, intẽtio, in animâ. Sed in eã quoque propriis singula locis distincta videntur. Nã cogitatio in memoriã est, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit. Tria hæc à Paulo indicata sunt Discretor cogitationum, & intentionum cordis. Seu volũtatis, cuius affectio non solùm expenditur, sed & appenditur intentio. Rectè autem vltima seruata est intentio, quia

Bernard. ser. de tripl. iudicio.

Quomodo bona coram Deo & hominibus prouidenda.

A inde diiudicanda est actio: aut excusanda, aut accusanda, aut aggrauanda. Tanto quippe, vt ille dixit, culpa grauior, quanto res sacrior apparet. Quia vero rerum causa, non materia nec exitus actuum, sed intentionis propositum culpas discernit & merita: dicẽte Domino, Si oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuum lucidum erit: in tui quoque examinatione commissi, non tam sacrorum est attendenda maiestas, quàm propria intentio discutienda. Hæc quippe est, quæ litẽ dirimit, quæ crimẽ inuehit aut tollit: & ideò dicitur Deus in scripturis sanctis, Scrutator cordis. Quia cordis intẽtionẽ explorat, & inde maximè agẽtis cogitationẽ, affectionẽq; diiudicat.

Bernard. epist. 69. post init.

B

Tertiò, quia. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Nihil excipit, dum omnia comprehẽdit: nulla enim prorsus creatura est qui ipsi non appareat pateatque. Hîc igitur, (vt exponit Ambros.) ostendit Paulus, eundem nos habere iudicem, qui illos propter incredulitatem damnauit. Dixit enim, viuus est sermo Dei; de quo ait Dominus, Si quis sermonem meũ seruauerit, mortem non videbit in æternũ. Sicut illi si seruassent sermonem Dei, viuerent, terrámq; promissionis intrassent: sic & nos si seruauerimus sermonem eius, viuemus, requiemq; cœlestem intrabimus. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Gladius enim potest membra diuidere à corpore, & penetrare secreta, & naturam carnis, sed eò multò penetrabilior est sermo Dei. Pertingit enim vsq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus, compagũ quoq; ac medullarum, & discretor cogitationũ & intentionũ cordis. Anima quippe viuimus, spiritu intelligimus; vita nobis carnalis cum bestiis cõmunis est, rationalis & spiritalis cum Angelis. Tam efficax autem est iudiciũ Dei, vt discernat inter carnalia peccata & spiritalia, quis, quid quo agat animo, vel quo desiderio seruiat in corde, tam penetrabilis est eius intuitus, vt omnia nostra quæ agimus vel cogitamus, certiùs cognoscat quàm nosmetipsi. Nec mirum si totus vbiq; totam suam cognoscat creaturam, siue spiritalẽ siue carnalem, quia nihil quod factum est, sine eo factum est. Ideò addidit, Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sũt oculis eius. Hîc maximè eos terruit, fortè adhuc nequiter seruiles, non cum integrã satisfactione perficiẽtes Dei opera: quia ipse quæ in corde sunt examinat & considerat. Et quid dicimus de hominibus? Etiã si Angelos dicas, si Archangelos, si Cherubin, & si aliam quamlibet creaturã, omnia reuelata sunt oculis eius, omnia aperta & manifesta. Quid est quod eum possit latere, cũ omnia nuda & aperta sint oculis eius? Terret quidem, dum admonet, nihil tam occultum, quod non reueletur; nihil tam absconditum, quod non manifestetur, non solũ denudatum, sed & in aperto ac manifesto positum. Aperta enim, vt aduertit Chrysost. dicitur τετραχηλισμένα, id est resupinata, à metaphorã pellium, quę extrahuntur à victimis. Quomodo enim quando quispiam illis iugulatis pellem à carne abstraxerit, omnia quę sunt intus aperit, & nostris oculis reddit manifesta: ita etiã Deo clara & manifesta proposita sunt omnia. Interiora omnia, & omnium patent illi, quem nec operta latent & abscondita. Nullus perspicaciam eius

Ambrosius in Paulum.

C

Diuino sermoni idata quæ Deo loquenti sunt propria.

D

E

Chrysost. hom. 7.

eius suffugere aut vitare potest, vt & nullus declinare potest potentiam. Attendite, & expendite vos quo studio contendatis, quove procedatis animo: nihil enim tam secretum, quod illi non pateat, nihil tam absconditum, quod non appareat.

PVNCTVM III.

De regulâ.

NOnnunquam Apostolus, Ad, vsurpat pro Dei, Ita Ad filium autem. Et, Ad Angelos. Pro, De filio: &, De Angelis. Ita & hic, Ad quem nobis sermo: Pro, De quo nobis sermo. Et clara est sententia: instituit enim Paulus sermonem Dei exponere, seu promittentem, seu punientem: id est, de prœmiis aut suppliciis, iuxta Dei sermonem agere. Quia verò λόγος & rationem significat & supputationem etiam & reddendam rationem, & supputationem, faciendam insinuat. Consequenter ergo ostendit perfectionem auctoritatis ipsius, cum dicit, Ad quem nobis sermo. Ista verò auctoritas, est auctoritas iudicandi. Ad istum ergo est nobis sermo, vt scilicet reddamus rationem de operibus nostris: quia sic est potens, sic sciens, & sic magnus. Ita Aquinas. Primò igitur sermo Dei institutus est tanquam viuendi seu agendi regula: secundò, propositus est, tanquā norma contendendi: tertiò, prospiciendus est, tanquā examinādi forma iudicandique.

Aquin. lect. lect. 2.

Quoad primum. Dei sermo vel scriptus est, vel non scriptus: sed vterque instituendæ vitæ idoneus, in hoc enim est positus. Ita ille, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Hoc verbum, neque increatum est, neque incarnatum, sed annuntiatum prædicatumve. Quod est verbum tuum? (ait Augustinus) Nunquidnam illud quod in principio erat Deus apud Deum, Verbum scilicet per quod facta sunt omnia? Non est ita. Nam illud verbum lumen est, sed lucerna non est. Lucerna quippe creatura est, non creator, quæ participatione incommutabilis lucis accenditur. Quid est ego verbum quod ita lumen dicitur, vt lucerna sit, ait enim, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, nisi verbum intelligamus quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos? Non verbum Christum, sed verbum Christi, de quo scriptum est. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Nam & verbum propheticum lucernæ comparans Apostolus Petrus Habemus, inquit, certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco. Quod itaque hic ait, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: verbum est quod scripturis omnibus continetur. Illæ quippe docent, quid nobis agendum, quidve fugiendum, certamque Christianæ vitæ regulam exhibent. Idcirco illa quæ in eis apertè posita sunt, (ita ille) vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque inuestiganda sunt. Quæ tantò quisque plura inuenit, quantò est intelligentia capacior. In iis enim quæ apertè in scripturâ posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fides moresque viuendi. Sunt illæ diuinæ leges, tam sanctæ, quàm & inuiolabiles, quæ vitam instruunt, instituunt disciplinam: cum enim humana ratio, per peccatum corrupta sit; nec tam vera sit ratio, quàm opinio præsumpta; nec tam veri gnara, quàm proprij auida iudicij; tot ferè lapsus facit quot passus, nec actus vitæ, sed casus committit conscientiæ, nisi legē Dei consulat, & ad illius lucē gressus suos dirigat progressusq;

Psalm. 118.

Augustin. con. 23. in Psalm. 118. init.

Verbum Dei aliud increatum, aliud incarnatum, aliud prædicatum.

Augustin. li. 2. de doct. Christ. c. 9.

Quoad secundum. Quanta diuinæ legis & Diabolicæ vocis differentia: illa namque conscientiam semper instruit, ista semper inducit in fallaciam. Prima vox Dei ad hominem. Ne comedas: in quocumque enim die comederis, morte morieris. Prima vox Diaboli ad hominem: Nequaquàm morte moriemini. Vox illa tam salutaris, quàm exitialis ista: illa quippe ducebat ad vitam, abducebat ista: saluabat illa, damnabat ista: & quia noluit homo Deum audire præcipientem, audiit punientem. Dei nàmque, ait Augustinus, præcipientis hæc verba sunt, Ab omni ligno, inquit, quod est in Paradiso, edetis; de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo. Itemque ista sunt verba damnantis, Quia audisti, inquit, vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno de quo præceperam tibi, de eo solo non edere. Crede Deo dicenti; Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini. Eo quippe die cœperunt mori, quo separari à ligno vitæ, quod vtique in loco positum corporali corpori vitam subministrabat, necessitatem mortis, conditionémque sumpserunt. Sicut neminem palpat Deus, ita neminem decipit: Diabolus, sicut tentat semper, ita semper fallit. Ita Paulus dixit, Non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. Dicit quippe fallaciam Diaboli. Deceptio enim est, (verba Chrysostomi) nihil expectare de futuris, existimare non esse reddendam à nobis rationem, & eorum quæ hìc à nobis gesta sunt non daturos pœnas, nec futuram resurrectionem. Sic obdurantur homines, sic & seipsos obdurant, dum licentiam amplexantur, & amant fallaciam. Vocem Diaboli vt amicam excipiunt, quia blanditur, vt perimat: vocem Dei respuunt vt inimicam, quia comminatur, vt eripiat. Proinde, ait Augustinus, audiamus Dominum, in nobis ipsis agamus quod præcipit. Videamus quis est ille aduersarius, de quo nos terruit, dicens: Si vadis cum aduersario tuo ad principem, da operam in viâ liberari ab illo: ne fortè tradat te princeps ministro, & mittaris in carcerem; vnde non exies, donec saluas nouissimum quadrantem. Quis est iste aduersarius? Si Diabolus: iam liberati sumus ab illo. Si vtraque verba iungamus, & vtraque verba Euangeliorum duorum sibi comparemus, aduersarium istum citò intelligemus: Ecce enim hic quid dixit? Cum vadis ad principem cum aduersario tuo, da operam in viâ liberari ab eo. Alius autem Euangelista hoc ipsum sic posuit. Esto consentiens aduersario tuo citò cum es cum illo in viâ. Non ergo poteris liberari ab illo, nisi eis consenseris. Vis liberari ab illo? Consenti illi. Numquid autem Diabolus est, cui debeat consentire Christianus? Quæramus ergo istum aduersarium, cui debeamus consentire;

Genes. c. 2.

Genes. c. 3.

Augustin. lib. 6. op. inch. n. 30.

Chrysost. orat. 6.

Augustin. serm 1. de verb. Dom. cap. 2.

Sermo Dei bonus & vtilis malorum aduersarius.

Et cap. 3.

cõsentire. Si peccas: aduersarius tuus, sermo Dei est. Via, vita ista est. Si cõcordauerimus cum illo, si consenserimus illi, non timebimus iudicẽ, ministrum, carcerem. Hac viâ incedendum est, pergendum, contendendum. Delectat te adulterare: dicit tibi sermo Dei, Noli. Non concupiscas vxorem proximi tui: audi, & concordasti. Non concupisces rem proximi tui: audi, & concordasti. In his omnibus cum tuo isto aduersario concordasti.

Ioan. c. 12. Quoad tertium. Sicut sermo diuinus nunc est norma vitæ, sic & extremæ debet esse causa sententiæ: Ita Christus ad Iudæos: Qui spernit me, inquit, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Id est, in die iudicij. De ipso etiam, ait Augustinus, futuro nouissimo iudicio videte quid dicat. Non ait, Qui spernit me, & non accipit verba mea, ego non iudico eum in nouissimo die. Hoc enim si dixisset, non video quomodo posset non esse contrarium illi sententiæ, vbi ait, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Cum verò dicit, Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: expectantibus autem quisnam ille esset, secutus adiunxit, Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Aliter enim iudicabuntur qui non audierunt, aliter qui audierunt & contempserunt. Qui enim sine lege peccauerunt, ait Apostolus, sine lege & peribunt: & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Hic est enim Dei sermo viuus & efficax, discretórque cogitationum & intentionum cordis, Ad quem nobis sermo. Quid est ait, Chrysost. Ad quem nobis sermo? Cui nimirum debemus reddere rationem eorum quæ gessimus. Maximè. Quomodo enim non redderemus? Datus est enim nobis in legem, admonitionemque: vt si custodierimus, regnum adeamus æternum; si contempserimus, æternum subeamus supplicium. Nos ergo, ait ille, seu cogitemus bona quæ sunt in regno, seu mala quæ sunt in gehennâ; sic nos componamus, & erudiamus. Sic nos ipsos inducamus ad ea quæ sunt agenda. Quando videris aliquid bonum & magnum in præsenti vitâ, cogita regnum, & id nihil esse existimabis. Quando terribile, cogita gehennam, & irridebis quando te inuaserit cupiditas corporalis. Reputa ignem, reputa & ipsius peccati voluptatem, quòd nullius sit pretij, quòd ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hîc sunt latæ, metus tantam vim habet vt nos à prauis abducat actionibus, multò magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna. Si metus Regis terreni à tam multis nos abducit malis, quantò magis metus æterni Regis: Quomodo ergo poterimus assiduè metum habere? Si perpetuò audiamus scripturas. Nam si mortuus, si solum videatur, animum nostrum ita reprimit: quantò magis gehenna & ignis qui nequit extingui? Propterea supplicium minatus est Deus: si gehennam cogitare non magnum aliquod haberet lucrum non eam minatus esset Deus. Sed quoniam eius recordatio valet ad res magnas rectè gerendas, propterea tanquam salutare aliquod medicamentum, eius minas nostris inseuit animis.

Augustin. Tract. 54. in Ioan. vlt. med. — *Chrysost. orat. 7.* — *Chrysost. orat. 2. in ep. ad Thessal.* — *Cogitatio gehennæ quàm salutaris & vtilis.*

A

DILVCIDATIO V.

De Pontifice.

CHristus est Apostolus, sed summus; à quo alij missi sint, seu facti Apostoli. Pontifex est, sed magnus, imò maximus, Græcè ἀρχιερεὺς, à quo instituti sint alij Sacerdotes. In iis quæ sunt ad Deum τὰ πρὸς τὸν θεόν: sed ab illo summo Pontifice, seu Sacerdote supremo dependentes: vt ille quidem sine ipsis quiduis B possit, ipsi sine illo nihil possint: ille accedere per se ad Deum possit, isti non ausint nisi per ipsum interpositum accedere. Fides quippe Christi, ait Augustinus, est credere in eum qui iustificat impium: credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo: credere in saluatorem, qui venit quod perierat quærere atque saluare: credere in eum qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Potest ille sine nobis, sine illo nihil possumus, sine quo nihil sumus, & cum quo nihil non possumus. Ipse enim tam misericorditer quàm & fideliter causam agit nostram, & per gratiam suam ad æternam perducit gloriam. Habentes ergo Pontifi- C cem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. Iesum ergo dicit Pontificem, & primò proponit eius dignitatem; secundò ipsius pietatem.

Augustin. Tract. in Ioan. vlt. med.

PVNCTVM I.

De dignitate.

D DIgnitas consistit in tribus. Primum est, quod [Magnus.] Alterum, quod [Penetrauit cœlos.] [Tertium], quod sit, [Filius Dei.] In his omnibus superat Christus ac triumphat.

Quoad primum. Cum magnum dicatur comparatiuè, possunt quidem homines dici Sacerdotes maiores respectu minorum inferiorumve: sed nullus dici potest magnus respectu Christi: imò omnes nulli sunt, aut parui. Ita Zacharias. Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum. Nunquid erant tunc Sacerdotes magni, imò & summi, vtpote non Leuitarum duntaxat, sed & Sacerdotum prin- E cipes? Erant quidem: sed sicut stellæ in conspectu solis euanescunt, sic & alij Sacerdotes in comparatione Christi, vel non sunt, vel sunt minimi. Sic ergo apud Zachariam, ait Tertullianus, in personâ Iesu; immò & in ipsius nominis sacramento verus summus Sacerdos Patris Christus Iesus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. Figura quidem filio Iosedech concessa est, sed vindicanda Christo præstantia. Nec poteritis, ait ille, eum Iosedech filium dicere, qui nullâ omninò veste sordidâ, sed semper Sacerdotali fuit exornatus, nec vnquã Sacerdotali munere priuatus. Sed Iesus iste Christus

Zach. cap. 3. — *Tertullian. lib. 3 aduers. Marc. c. 7.* — *Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. 14.*

Christus Dei Patris summus sacerdos, qui primo aduentu suo humanâ formâ & passibilis venit in humilitate vsque ad passionem; ipse etiam effectus hostia per omnia pro omnibus nobis, qui post resurrectionem suam indutus podere, sacerdos in æternum Dei Patris nuncupatus est. Sint ergo alij sacerdotes magni, sint & summi Pontifices: dicendum tamen de illis omnibus, quod Tertullianus dixit de terrenis regibus: In vnum necesse est summitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim per comparationis exitum de magnitudinis summâ expressis & exclusis. Adeò & si in disperso multifariàm videtur summum magnum, suis viribus, & suâ naturâ, & suo statu vnicum est. Christus non solùm sacerdos magnus, sed & summus; imò & summè magnus est, necnon in isto gradu seu in suo statu, vnicè censendus colendúsque: in hoc enim cæteri maiores digniorésve reputandi, quod magis repræsentant, plúsque de tanto participant sacerdotio.

Tertullian. lib. 1. aduers. Marc. cap. 4.

Christus inter omnes sacerdotes summus.

Quoad secundum. Seruatum erat summo Pontifici intrare in sancta sanctorum. Locutus est Dominus ad Moysen,& præcepit ei dicens, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coràm propitiatorio quo tegitur arca. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se & pro domo suâ. Sunt autem tria, in quibus à Christo superatus est. Primum, quia Christus penitiùs intrauit, quia, vt dixit Paulus, penetrauit cœlos. Primus enim, vsque ad intima penetrauit templi, Christus autem intima penetrauit cœli: adumbrauit ille, quod iste consummauit. Secundum, quia sacerdos Aaronicus intrabat alieno litans sanguine, hircorum scilicet ac vitulorum, Christus autem proprio sanguine, seu propriâ ingressus est virtute. Tertium, quia ille sanctuarium intrabat tanquam peccator, vtpote pro peccatis suis supplicans; Christus autem ingressus vt victor, vtpote de peccatis nostris triumphans, de morte ac dæmone. Magna, ait Leo, & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos ordines; & vltra Archangelorum altitudines eleuanda. En quid sit penetrare cœlos, supra Angelos nimirum & Archangelos conscendere, & vt ita dicam, cœlites omnes transcendere. Sed benè, In conspectu sanctæ multitudinis. Nullus enim hominum erat in tabernaculo, quando Pontifex ingrediebatur sanctuarium: at cunctis non præsentibus tantum discipulis, sed & videntibus, Christus cœlum ingressus est: ille enim sicut sine vllo ingrediebatur teste, ita sine vllo comite. Christus autem spem eiusdem gloriæ, iámque pro nobis tanquam pro membris, quorum ipse est caput, æternæ vitæ mercedem percipit. Hodie enim, ait ille, non solùm paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrauimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam.

Leuit. c. 16.

Tria, quibus summus Pōtifex à Christo superatus.

Leo serm. 1. de Ascens. vers. fin.

Leo in fine.

Quoad tertium. Vltimum seruauit Paulus, quod iudicauit præcipuum. Et hunc, ait Ambrosius, Filium Dei ostendit, dum dixit, Iesum Filium Dei, quod nusquam de Moyse dicere voluit, sed eum famulum semper protulit testificans hunc sub nomine Iesu, quod nomen Angelus à Deo directus Virgini, annuntiauit Filium Dei esse verum,& ideò magnum sacerdotem. Aliis scilicet omnibus, nec hominibus duntaxat, sed & Angelis præstantem supereminentémque. Inde hoc dicto statim adiecit, Teneamus confessionem. Qualem? Christum scilicet esse Dei Filium, nec vt setuum Angelos penetrasse, aut superasse Angelos sed vt Dominum. Quamnam dicit confessionem? (ait Chrysostomus) Quòd Christus sit Deus, quòd sit resurrectio, quòd sit remuneratio, quòd bona sint innumerabilia. Hæc confiteamur: hæc teneamus. Etenim Pontifex noster est magnus. Quòd autem hæc vera sint, est perspicuum ex eo, quòd intus sit Pontifex. Ille nimirum confessionis nostræ Pontifex, qui cœlestis opifex machinæ, non solum terrenæ molis: idcircò, sicut quando descendit, venit in propria; sic & quando ascendit, sua repetiit. Tunc, ait Leo, filius hominis Dei Filius excellentiùs sacratiúsque innotuit, cum in paternæ Maiestatis gloriam se recepit,& ineffabili modo cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Cum ergo ascendentem ad cœlos Dominum sequaces discipulorum oculi intentâ admiratione suspicerent, adstiterunt ipsis Angeli duo, mirabili vestium candore fulgentes, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui adsumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Quibus verbis omnes Ecclesiæ filij docebantur, vt Iesus Christus in eadem, quâ ascendat, carne venturus visibilis crederetur; nec posset ambigi omnia illi esse subiecta, cui ab ipso corporeæ natiuitatis exordio famulatus seruisset Angelicus. Sicut descendentem Dominum annunciant Angeli præcones humanæ salutis, sic & illum ascendentem exaltant Angeli testes concessæ potestatis. Talis est dignitas Christi, talis maiestas magni Pontificis nostri; qui penetrauit cœlos, & tanquam verus Dei Filius, primariam sedem ad Patris dexteram, supra omnem occupauit altitudinem.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. orat. 7.

Leo serm. 1. de Ascens. Dom. in med.

Angeli & humanæ salutis, & diuinæ nuntij Maiestatis.

PVNCTVM II.

De pietate.

Magnus est Pontifex noster, sed non minùs est pius. Ne enim, ait Aquinas, fortè credatur, quod non possit aliquid agere præter id, quod exigit eius iustitia, ostendit Paulus in ipso etiam esse misericordiam & pietatem, & hoc præcipuè conuenit Christo. Vnde dicit: Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato. Pontifex quidem fidelis, sed & misericors: excelsus, sed & benignus: vt si maiestas terret, releuet pietas.

Aquin. lect. 3.

Primò igitur, habemus Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris. Sed in his

tria sunt elucidanda. Primum est quòd possit, cum illud non tam potentiæ sit, quàm miseriæ: sicut enim pati, infirmitatis est, non potestatis, sic & compati. Sciendum est ergo, (ex Aquinate) quòd posse, aliquando importat non nudam potentiam, sed promptitudinem, & aptitudinem Christi ad subueniendum: & hoc, quia scit per experientiam miseriam nostram, quam, vt Deus, ab æterno sciuit per simplicem notitiam. Ita sit, sed iam alterum elucidandum est, nempe quomodo Christus compati iam in eo statu possit, in quo passibilis non sit, sed tam impassibilis, quàm & immortalis: quomodo enim condolebit, qui dolere nescit; quomodo compassionem suscipit, qui passionem non nouit sustinere? Sed non maior difficultas est de Christo, quam de Deo ipso, de quo Psaltes: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus. Quare putatis, ait Augustinus, Sicut miseretur pater filiorum? Sæuiat quantum vult, pater est. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: id est, infirmitatem nostram. Nouit quid fecerit. Quod enim figmentum? Nos. Sed vnde loqueris, quia cognouit? Quia miseratus est? Recordatus est quoniam puluis sumus. Non magis Deo recordatio conuenit, quàm compassio: si enim nihil patitur, nihil etiam obliuiscitur. Sed hæc dicuntur de Deo secundùm anthropopathiam: sed si benè dicuntur de Deo, etsi non propriè; meliùs, aptiùsque de Christo dicuntur; cum non solùm homo sit, sed & aliquando passus sit: sicut ergo recordari potest, sic potest & compati: quatenus scilicet, in nos propensus miseros, quorum miseriam expertus est per misericordiam. Tertium denique, quænam sint infirmitates humanæ, quibus compatiatur Christus. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Infirmitates audis. Vna quidem est dictio, ait Chrysostomus, verùm per eam multa indicantur. Siquidem infirmitas dicitur corporis morbus, eàque ratione de Lazaro in Euangelio dictum est, Hæc infirmitas non est ad mortem. Rursum infirmitas dicitur, cum quis in fide non satis firmus est, nec perfectus ac numeris omnibus absolutus. Idque his verbis Paulus indicat, Infirmum autem in fide assumite. Habes iam duos infirmitatis significatus. Est & tertia alia infirmitatis significatio? Quænam tandem hæc? Persecutiones, insidiæ, tentationes, calamitates. Quod etiam Paulus his verbis declarat, mihi placeo in infirmitate. Cum enim infirmor, tunc potens sum: hoc est, cum vexor, cum exagitor. Duplex ergo in genere infirmitas est: vna corporalis, spiritalis altera. Inter infirmitates verò spiritales, vna est quæ innocua, altera quæ peccaminosa. Quamuis ergo de omnibus infirmitatibus Paulus possit intelligi; maximè tamen intelligendus venit de peccatis infirmitatis humanæ, quibus condoleat Christus, dum illas sanat, dum diuinam nobis procurat indulgentiam.

Aquin. ead. lect.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 102. vlt. med.

Chrysost. Hom. 29. in ep. 2. ad Corinth.

Multiplices sunt infirmitatis significationes.

Secundò, Pontifex noster per omnia, seu secundùm omnia tentatus est. Est autem triplex tentatio. (vt obseruat Aquinas) vna quæ est à carne, quando scilicet caro concupiscit

Aquin. lect. 3.

A aduersùs spiritum: & ista non est sine peccato, quia vt dicit Augustinus, Nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit aduersùs spiritum; quia hoc est carnem concupiscere. Alia est tentatio ab hoste, & à mundo, & hoc dupliciter: vel alliciendo per prospera, vel terrendo per aduersa. Prima quidem non fuit in Christo: sed aliis duobus modis tentatus est. Fuit nimirum allectus prosperis: quicquid enim pertinet ad prosperitatem huius vitæ, vel pertinet ad concupiscentiam carnis, vel ad concupiscentiam oculorum, vel ad superbiam vitæ. De primo tentauit eum diabolus, quando tentauit

B eum de gulâ, quæ est mater luxutiæ. Matth. 4. Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Tum & de inani gloriâ, cum dicit, Mitte te deorsum. Denique de concupiscentiâ oculorum, dicens, Hæc omnia tibi dabo. Ita consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab eo vsque ad tẽpus Fuit nempe tentatus per aduersa, & insidias à Pharisæis, quia volebant eum capere in sermone. Matth. 22. Item, per contumelias. Matth. 27. Vah qui destruis templum Dei. Item, per flagella, & tormenta. Excepta ergo tentatione, quæ est à carne, per omnia tentatus est. Omnis quippe illa tentatio, non intus, sed foris fuit, etsi enim impetum susti-

C nuit, nihil tamen vnquam aduersùs spiritum concupiit. Tentatus itaque ab humanâ vel diabolicâ, quàm pertulit, malitiâ; nusquam tamen tentatus à propriâ, quàm non habuit, concupiscentiâ. Non enim dicimus nos, inquit Augustinus, Christum felicitate carnis à nostris sensibus sequestratæ, cupiditatem vitiorum sentire non potuisse: sed dicimus eum perfectione virtutis & non per carnis concupiscentiam procreatâ carne, cupiditatem non habuisse vitiorum. Aliud est enim non habuisse cupiditatem malam, aliud non potuisse sentire: sensisset enim si habuisset, non enim sensus ei defuit, quo eam sentiret; sed voluntas affuit,

D quâ non haberet. Mortalitatem suscepit, quia pœnam subiit; sed cupiditatem non admisit, quia in culpam non consensit, imò eam in totum respuit, nec vel motum, vel vitiosam carnis non tam humanæ quàm peruersæ, seu humanitatis distortæ pertulit concupiscentiam.

Quomodò Christus per omnia tentatus.

Augustin. li. 4 op. inch. num. 48.

Tertiò, Tentatus est Christus pro similitudine, sed absque vllo peccato. Pœnales suscepit infirmitates, toti generi communes, quia redimendo satisfaciendóque vtiles: agendi boni difficultates non accepit, vtpote saluatori seu mediatori inutiles, nec tam onerosas, quàm iniuriosas ac noxias. Pœnam quidem, sicut &

E nos subiit; sed non, sicut & nos, contraxit impatientiam. Mira æquanimitatis fides! (ait Tertullianus) Qui in hominis figurâ proposuerat latêre, nihil de impatientiâ hominis imitatus est. Omnia passus est, omnia expertus malorum tormentorumve genera; sed nunquam inde ad peccandum inductus; sicut per concupiscentiam nusquam illectus in sensum; sic & per pœnam, nunquam in peccatum impulsus. Omnia, ait Chrysostomus, sustinuit Pontifex noster. Nam propterea primum sustinuit, & tunc ascendit, vt posset commiserari. Non enim ille est, qui res nostras ignoret, sicut multi Pontifices qui nesciunt eos qui sunt in afflictionibus, neque quidnam sit afflictio. Nam apud

Tertullian. lib. de patient. cap. 3.

Chrysost. orat. 7.

apud homines fieri non potest, vt eius qui ma- A lis vexatur, norit vexationem is qui non fecit periculum, & non transiit per sensilia. Tentatus ergo per omnia: hoc est, passus est persecutionem, fuit consputus, accusatus, irrisus, calumniis appetitus, eiectus, postremò cruci affixus. Pro similitudine absque peccato Nam natura quidem erat eadem quæ nostra, peccato autem nequaquam eadem. Hîc ergo aliquid tacitè significat, nempe quòd fieri potest vt qui est in afflictionibus, eas perferat absque peccato. Si pœnam spectes, similitudo est, quia eadem humanitas, eadem & mortalitas: si impatientiam expectes, dissimilitudo est, quia non eadem infirmitas, non eadem fragilitas. Idcircò B igitur sensum pœnæ pati voluit, non motum impatientiæ; vt tibi exemplum præberet, doceretque pati sine peccato, id est animo constanti, & ardenti zelo, omnia experiri & minantia & cruciantia. Denotat ergo causam finalem. Quasi dicat, (ait Aquinas) Ideò tentatus est, vt daret nobis exemplum, vt secundùm similitudinem eius, tentationem sustineremus, & omnia conaremur vincere. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Christus enim per omnia tentatus est, tam in temporalibus, quàm in omnibus aliis, sed absque C minimo motu peccati. Voluit pati, vt se tibi similem in omnibus ostenderet; sed voluit non solùm constanter sed & hilariter perpeti, vt te sibi similem in omnibus redderet.

In Christo humanitas eadem, non eadem, fragilitas.

Aquin. lect. 3.

DILVCIDATIO VI.

De opportunitate.

Concludit Paulus, aitque: Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Seu, ex Græcis, D Ad opportunum auxilium. Felicem conclusionem ad præsentem occasionem! Omni enim negotio, vt dixit Sapiens, tempus & opportunitas. Cum talem habeamus Pontificem, certam etiam habeamus fiduciam: adeamus, negotium agamus, auxiliúmque importunè petamus & opportunè. Tria ergo dicenda sunt. Primum est, Quò adeundum: secundum, Quid petendum: tertiò, quando adeundem petendumque.

Eccles. c. 8.

Quoad primum. Singulis verbis insunt singula mysteria. Tria sunt verba, tria sunt myste- E ria. Adeamus Verbum est Sacrorum. Ita Tertullianus, Pariter adeunt, pariter audiunt. Sed & prior Tullius, Ad Diuos adeunto. Adire enim est ire ad templum, limen tangere, nondum sine nutu ac iussu se intromittere. Ita Maro, Principio delubra adeunt. Et id quidem in more, maximè verò vbi quærenda erant oracula, vel petenda beneficia. Consultores enim consistebant ad limen templi, dum sacerdotes vatesve intro consulebant, inde & οἶκον distinguebant, καὶ ἄδυτον. Limen enim non nudum, sed tectum, protectæ fores, & quasi ædes exstructæ. Sic & illa Pythias. Dum consulta petis, nostróque in limine pendes. Illa quippe antrum penetratura, seu penetrale intratura, responsúmque poscenti & pendenti relatura, vtpote ex adytis seu secretis egressa, in quæ se priùs recepisset, cum supplicem constituisset ad limen. Ita rursum Tertullianus: Sic adeunt ad idola Nationes. Limina scilicet non tamen adyta. Quin & Augustinus, seu quisquis auctor libri de dogmatibus Ecclesiasticis: vbi de sacris nostris ac mysteriis. Non priùs, inquit, fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur. Appositè: fons enim vitalis pro foribus erat appositus, ideóque castè ac religiosè ab epoptis seu catechumenis erat adeundus. Adibant ergo, sed penetrare non audebant, vel vltrà procedere. Sed audet Paulus, monétque. Adeamus ergo, Sed, Cum fiduciâ. Quid timeamus ingredi, vel vlterius progredi, cum talem habeamus Pontificem, tam misericordem, quàm & fidelem? Adeamus ergo fidenter audentérque. Sed quò? Ad thronum. Christus Pontifex noster penetrauit cœlum, & ad solium vsque Dei Patris peruenit. Sequamur, illo non annuente solùm, sed & volente, sistamúrque non solùm ipsis liminibus, sed & intimis penetralibus: vbi præsidet Deus, & Christus assidet. Sed si quis adhuc hæsitet, recogitet apud se, non esse thronum iustitiæ, vel solium Maiestatis, sed benignitatis, & thronum gratiæ. Concludit, compellitque: Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ. Nempe, vt exponit Aquinas: Inducit ad habendam fiduciam. Adeamus, ad Thronum. Thronus dicitur sedes regis. Hîc autem thronus duplicem habet statum: vnum iustitiæ in futuro. Psalm. 9. Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. Est & alius thronus gratiæ, de quo hîc ideò dicitur, Ad thronum gratiæ. Non timemus, quia Pontificem nostris compatientem miseriis. Imus ergo, adimúsque Deum Patrem per Pontificem nostrum, Iesum mediatorem, & per illum sicut audacter introimus, sic & petimus confidenter.

Tertullian. lib. de præsc. cap. 41.

Tull. 2. de legib.

Adire, verbũ est in sacris vsitatissimũ.

Tertullian. lib. de orat. cap. 12.

Auct. lib. de Eccl. dogm. cap. 31.

Aquin. lect. 3.

Quoad secundum. Supplices sumus, quâ miseri, quâ peccatores, & inde rei: & idcircò, cum adimus, veniam petimus & gratiam. Vt misericordiam consequamur. Aduocatum habemus Iesum Christum iustum, quo ducente, & introducente, paternam inueniemus clementiam. Cantat ergo iustus, (verba sunt Augustini) & dicit: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Quoniam non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Hoc nempe tempore quo differtur potentia populi Dei, non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet, quantalibet acerba & indigna ipsa humilis atque infirma patiatur. Quâ spe, quâ libertate? Iustificati sumus, inquit, in sanguine ipsius. Iustificati planè, (ita ille) in eo quòd à peccatis omnibus liberati. Liberati autem ab omnibus, quoniam pro nobis est Dei Filius, qui nullum habebat, occisus. Tantum valuit sanguis ille, vt neminem Christo indutum in æternâ morte debitâ detinere debuerit diabolus, qui Christum morte indebitâ, vel ad tempus occidit. Salui ergo erimus ab irâ per ipsum.

Augustin. lib. 13. de Trinit. c. 13.

Augustin. eodem lib. cap. 16.

Ab

Nemo Christo indutus à diuinâ exclusus est misericordiâ

Ab irâ vtique Dei, quæ nihil aliud est, quàm iusta vindicta. Non enim inimici eramus Deo, nisi quemadmodum iustitiæ sunt inimica peccata, quibus remissis, tales inimicitiæ finiuntur, & reconciliantur Deo quos ipse iustificat. Iram Dei incurrimus, id est, iustam peccati vindictam: sed misericordiam obtinebimus, si patrem adierimus liberè, & summisè per sanguinem Christi Domini petierimus. Sed instandum est perseuerandúmque: quamuis enim repellere videatur plebem suam, & hæreditatem suam derelinquere; non derelinquet tamen, nec deseret; & si tardiùs misereatur, supplicanti tamen & instanti benigniùs ignoscet. Talis erat Iobi fiducia, adeo firma, adeo stabilis; vt quamuis dura pateretur & aspera, quamuis proiectus videretur ac repulsus, instaret tamen, diceretque tam patienter, quàm & humiliter. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Ille quippe verè est patiens ait Gregorius, qui & aduersis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non curuatur. In hoc itaque mens iusta ab iniustâ discernitur, quòd omnipotentis Dei laudem, & inter aduersa confitetur, quòd non cum rebus frangitur: sed in hoc magis qualis cum rebus fuerit demonstrat, quæ & sine rebus robustior stat. Etsi repulsus, etsi quasi sibi derelictus, vtpote rebus omnibus destitutus; fiduciam tamen non amittit, viget premitque, & extorquet misericordiam.

Gregorius lib. 13. Moral. cap. 17.

Quoad tertium. Thronus gratiæ est, seu Thronus gratiosus: & apud illum quærimus non solùm misericordiam, sed & gratiam: id est, non solùm remissionem, pro peccatis perpetratis; sed & largitionem, pro donis impetrandis; quæ nobis scilicet opitulentur, fauente tempore, & æternam operentur gloriam opportunè igitur auxilium petitur, & inuenitur, cum maturè apud Deum quæritur: opportunitas enim non alia est, quàm temporis oblata commoditas. Quid est, ait Chrysostomus, Adeamus cum fiducia? Quoniam habemus Pontificem nulli peccato affinem, qui superauit orbem terræ. Confidite, inquit, Ego enim vici mundum. Etsi enim, inquit, nos sumus sub peccato, sed ipse tamen non est peccato obnoxius. Quomodo accedamus cum fiduciâ? Nunc est sedes gratiæ, non sedes iudicij. Propterea cùm fiduciâ, vt accipiamus misericordiam, qualem quærimus. Et gratiam inue-

Chrysost. orat. 7.

A niamus in auxilio opportuno. Benè dicit, In auxilio opportuno. Si nunc, inquit, adieris, accipies & gratiam & misericordiam. Sin autem tunc adieris, nequaquam; importunus enim est tunc aditus: non est enim tunc thronus gratiæ. Eo vsque enim est sedes gratiæ, quousque sedens dat gratiam. Quando autem est consumptio, tunc excitatur ad iudicium. Exurge enim, inquit, Deus, iudica terram. Propterea dicit, Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Hoc nobis quoque opportunum est dicere, Adeamus cum fiduciâ petentes. Solum fidem offeramus, & dat omnia. Nunc est tempus doni, nemo desperet.

B Tunc est tempus desperationis, quando clausus fuerit thalamus quando Rex fuerit ad videndos eos qui accumbunt ingressus. Nunquam equidem desperandum, imò semper sperandum: adeundus est thronus, quærenda est misericordia: sed quo citiùs, eò tutiùs. Qui enim veraciter, vt loquitur Ambrosius, egerit pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus, & benè post pœnitentiam vixerit, cum defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Qui autem posi-


Ambros. Exhort. ad pœnitent. agend.

C tus in vltimâ necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; sed non præsumo dicere, quia benè hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea benè vixerit, securus est. Fidelis benè viuens, securus hinc exit. De alio, non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Agens enim pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus: Pœnitentiam dare possum, securitatem

Secura sanorum non infirmorum pœnitentia.

D dare non possum. Numquid dico, damnabitur? Non dico: sed nec liberabitur dico. Vis te frater à dubio liberari? vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam, dum sanus es, Si enim agis veram pœnitentiam sanus, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre, & reconcilieris: si sic agis securus es. Si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam quando peccare iam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Dum ergo viuis, age pœnitentiam veram, vt cum veneris in iudicium Dei, non à Deo confundaris, sed ab eo in regnum inducaris.

CAPVT



CAPVT QVINTVM.

Summa.

SAcerdotium explicat Christi, demonstrátque tam fideliter quàm vtiliter suo functum officio. Rudes increpat, imbecillésque.

TEXTVS.

OMnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodùm pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron: Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrhymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentiâ: Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo & in interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo, omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni ac mali.

EXEGESIS LITERALIS.

ASSERIT Christum à Deo Patre sacerdotium accepisse, ostenditque omnes veri Sacerdotis, seu summi partes egisse Pontificis.

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis &c. Dixerat Christum, esse sacerdotem magnum, seu summum Pontificem: nunc & probat: sicque illum comparat cum legalibus sacerdotibus, vt omnibus tamen, velut digniorem præferat excellentiorémque: omnis

A namque Pontifex assumitur ex hominibus, & pro hominibus constituitur; vt quasi medius inter ipsos & Deum positus, diuina referat ad homines, & homines ad diuina traducat; vt accedat ad Deum cum donis, & sacrificia pro peccatis explandis offerat. Vult tandem arguere nouum Vetere Testamētum longè esse præstantius, orditurque sacerdotalia munera ipsa conferre, cum priscorum sacerdotum illorum, tum Christi: ostenditque maximum in modum Christi excellere sacerdotium. Enarrat igitur primum quæ Christi sunt cum Sacerdotibus ceteris communia, deinceps & quæ in Christo excellunt, producit. Ita Commentarius Athanasij titulo editus. Qui condolere possit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus

Comment. Athanas.

Sacerdos infirmus condolendo & compatiēdo idoneus est.

cumdatus est infirmitate: & propterea debet A quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis, &c. Non debet esse durus, sed pronus ad miserendum, idoneusque ad compatiendum ijs qui à bono aberrant, & à recto deuiant: habet enim & ipse pronitatem labendi, delinquendique facilitatem: propter quam & ipse sicut pro peccatis alienis, sic & pro suis offerre iussus est. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Flius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. B Porrò ille verus ac legitimus Pontifex, non qui sibi Pontificatum arrogat, sed qui diuino præstat, arbitrio, seu quem tanto destinat officio. Sic enim Aaron vocatur, sic diuino vindicatur iudicio. Christus ergo dignus Pontifex, qui seipsum ad sacerdotium non extulit, sed eum Deus prætulit, cum ei non solùm tanquam vero Pontifici, sed & filio naturali, sacerdotalem contulit dignitatem: quemadmodum & in alio Psalmo dicit, Tu, fili mi, sacerdos es in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Notandum est, (ex Ambrosio) quòd glorificare, & honorare, & clarificare, tria quidem sunt verba, sed vna res est: quod Græcè dicitur δοξάζειν, sed Interpretum varietate aliter atque aliter positum est in latino. Hoc est ergo quod in Euangelio ipse ait, Non enim à meipso veni, sed ille me misit.

Ambros. in Paulum.

Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentia &c. Sacerdos offert & pro semetipso: Christus ergo in arâ crucis, seu horâ passionis, preces, supplicesque deprecationes, cum obtulisset illi, qui posset illum à morte suscitare, obtulissetque magnâ voce clamans, & præ dolore D illacrymans, pro religiosâ exauditus est reuerentiâ. Dies carnis, ait Athanas. quos duxit in carne dies demonstrat. Hæc nempe de carne dicuntur. Neque enim ille cum Deus esset, vlla re indigebat. Dies sunt carnis, sed mortalis ac passibilis. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis: quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. &c. Et quamuis ille naturalis filiationis iure, dignus esset, quem Pater exaudiret; ta- E men elegit pati, & Patri mortem ac crucem decernenti subiici, tam grande præceptum, imò tam graue supplicium maluit experiri: & per ignominiam adductus in gloriam, factus est causa salutis æternæ omnibus sibi obtemperantibus; vt meritum haberent obedientiæ, & præmium haberent gloriæ: sic enim cognominatus à Deo comprobatusque Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, cum pro nobis oblatus est. De quo grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum & De quo Melchisedech multa nobis forent dicenda, & ea explicatu difficilia, quandoquidem tardi & ignaui facti estis ad ea intellectu percipienda. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo &c. Cum enim pro ratione temporis, quo fidem professi estis, deberetis aliorum esse magistri, eo socordiæ deuenistis & ignauiæ, vt rursum instituendi sitis, & primis fidei rudimentis imbuendi: adeo rudes estis, adeò infantes, vt vix humiliorem capiatis doctrinam, altiorem verò respuatis sapientiam: omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni ac mali, quicumque enim adhuc talis est, ad capiendam altiorem doctrinam, seu capessendam perfectiorem viam est inhabilis, est enim infanti seu lactenti similis. Subliniora vero mysteria perfectis, velut adultis iam reseruanda: perfectos enim voco eos, qui iam longo vsu velut inducto habitu, mentem habent habilem, quâ bonum ac malum discerninent. Palatum etenim, vti dixit Commentator Ambrosianus, sapores discernit ciborum, C anima verò variarum probat sermones doctrinarum. Sed Iudæi adhuc oppidò pueri, & Mosaicis ceremoniis non solùm seruiliter, sed & infantiliter inescati.

Athanas. in Paulum.

Christus obedientiam prouectus est ad gloriam.

Comment Ambros.



DILVCIDATIONES in caput quintum.

NOn omnes conditiones veri sacerdotij proponit Apostolus, sed eas quas sensit Christo Domino conuenientes condignasque: nam si quæ sint ipso indignæ, eas non tam asserit, quam interserit vt Christum præponat, & legalibus præferat sacerdotibus.

DILVCIDATIO I.

De necessitate.

TAm necessaria est institutio sacerdotum, quàm debita hominum religio: cum enim sacrificium supremus sit religionis cultus, & quasi vnicus diuinitatis seu summi principij titulus, sacrificium autem offerre, sit præcipuus sacerdotum actus; tam sine sacerdotio stare religio non potest, quàm nec sine sacrificio. Necesse est ergo in omni hominum religione, seu in omni fidelium societate, esse Pontifices seu sacerdotes: sed & tam necesse est eos homines esse, quàm esse sacerdotes: adeò vt sicut dixit Tertullianus de Imperatore: Nisi homo sit, non est imperator. Sic & dici potest de sacerdote: Nisi homo sit, non est sacerdos.

Tertullian. cap. 33. Apolog.

Omnis

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum. Assumptus, Græcè λαμβανόμενος. Qui assumitur. Itaque sic legi potest: omnis namque Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum. Omnis, non solum includit, Sed & excludit. Omnis Pontifex sic instituitur, nullus aliter instituitur. Omnis, seu quiuis debet ex hominibus assumi, quiuis debet pro hominibus constitui, quiuis debet in iis quæ sunt ad Deum præfici.

Hilar. in Matth. canone 18. Quoad primum. Tria sunt certa. Vnum est, Angelos præesse non solum orationibus fidelium, sed & sacrorum ritibus. Præesse Angelos orationibus fidelium, ait Hilarius, absoluta auctoritas est. Vbi absoluta auctoritas? Tob. c. 12. Apud Tobiam: vbi Angelus Raphael: Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Iob. cap. 33. Conueniunt illi psallentibus & orantibus coniuncti, sed velut Principes, ac præfecti. Ita alibi: si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem: Miserebitur eius, & dicet. Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier. Nec orationibus solummodo præsunt fidelium, tanquam mediatores, sed & ritibus sacrorum adsunt, tanquam præsides. Tertullian. lib. de bapt. cap 6. In aquâ, ait Tertullianus, emundati sub Angelo, Spiritui sancto præparamur. sic legendum, vt patet ex sequentibus. Sic enim Ioannes antepræcursor Domini fuit, præparans vias eius: ita & Angelus baptismi arbiter superuenturo Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum. Audis Angelum ipsum, non Spiritum sanctum; nec tamen ministrum esse sacramenti seu baptismi, sed arbitrum: quasi præsidem scilicet & antistitem seu præpositum. Quia, vt dixit Ambros. lib. 1. in Luc. c. 1. Ambrosius, non solùm Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, sed etiam Angelos destinauit. Si enim in humanis præfecti sunt, quidni in diuinis? Si curam illi gerunt ciuilium, quidni cœlestium? Si Rempublicam regunt etiam profanam & ethnicam, quidni sanctam Ecclesiam? maximè cum primi sint apud homines Pastores, Euangelista, à quibus & antiqui Prophetà sua mutuati sint oracula. Homines sacerdotes ex munere, sed cælestes ex opere. Alterum est, in tantum homines sacerdotio dignos, in quantum sanctos seu puros, & angelico propriores ministerio. Ita Ioannes, Et Angelo Ephesi, scribe, Et Angelo Pergami Id est, Episcopo. Qui enim, ait Ambros. in cap. 1. Apocalyps. Ambros. verbum Dei populis annuntiant, non inconuenienter Angeli, id est, nuntij vocantur. Vt quorum scilicet munere donantur, eorum perfungantur opere casti sint, sicut & illi puri sint, ac sancti. Tertium denique dignitatem quidem seruatam Angelis, sed auctoritatem nobis datam: quamuis enim Angeli destinati sint à Deo, tanquam sacrorum custodes; soli tamen homines ordinati sunt, tanquam sacerdotes, tanquam ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Sicut enim homo Christus summus, est Pontifex confessionis nostræ, sic & homines voluit esse religionis Christianæ Pontifices;

A quamuis enim Angelos adhibuerit tanquam vigiles, vindicesque delictorum, soli tamen homines statuit esse ordinarios sacrorum præpositos & antistites. Dico, ordinarios: si quid enim attentent Angeli mali, nihil promouent, si autem boni, faciunt equidem quod dicunt, sed ex dispensatione diuinâ, non ex administratione ordinaria: soli quippe homines, patres sunt sacrorum ordinarij. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumitur. Namque, inquit Aquinas, pro quia: istud enim officium conuenit homini, non Angelo: & sic de- Aquin. Lect. 1.
B bet esse de numero hominum. Voluit enim Deus, vt homo habeat similem sui, ad quem currat. Dicit tamen, Assumptus, quia debet alios excellere. Vt sit homo quidem quoad naturam, sed Angelus quoad præstantiam.

Quoad secundum. Sicut omnis Pontifex assumitur ex hominibus, sic & pro hominibus constituitur: præficitur quidem hominibus, non tamen ad dignitatem propriam, sed ad alienam vtilitatem: non enim seipsos pascere debent, sed oues, nec commoditates vtilitatesve quærere, sed populos regere: quid enim gaudere Pastorum nomine, & Pastoris officium non implere? Si nostra dicamus, ait Augustinus, Pasto- Augustin. Tract. de past. cap. 1.
C res erimus pascentes nos, non oues. Qui sunt enim qui seipsos pascunt? De quibus dicit Apostolus, omnes enim quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Nos enim quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignitatem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam: vnum, quod Christiani sumus: alterum, quod præpositi sumus. Illud, quod Christiani sumus, propter nos est: quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, Christianus suorum Dominus, præpositus, aliorum seruus. attenditur vtilitas nostra: in eo quod præpositi, non nisi vestra. Nullus præpositus, qui non sit Christianus: sed multi sunt Chris-
D tiani, qui non sunt præpositi. Qui Christianus est, & non præpostus, religioni suæ obnoxius est, idcircò de sola rationem redditurus est conscientiâ: qui non solùm Christianus est, sed & præpositus, administrationi suæ addictus est, non de solâ conscientiâ, sed & de commissa rationem redditurus prouinciâ: non enim iam suorum dominus est, sed aliorum seruus: nec ad dominandum præfectus, sed ad ministrandum: non enim spectare dignitatem debet, sed vtilitatem? nec apicem intendere debet tituli, sed finem officij. Finis autem & vtilitas est, vt obseruauit Aquinas, quia pro homi- Aquin. Lect. 1.
E nibus constituitur, id est, pro ipsorum vtilitate. Non enim constituitur propter gloriam, non propter cumulandas diuitias, non propter consanguineos ditandos. 2. Corinth. 4. Nos autem seruos vestros per Iesum: secundùm potestatem quam Deus dedit in ædificationem, & non in destructionem. Si verò aliquis quærit quod suum est, non est Pastor, sed mercenarius. Ita distinguit Christus ipse pastorum princeps, cum ait: Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat

pro ouibus ſuis. Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, dimittit oues & fugit. Mercenarius, qui non eſt paſtor, qui dimittit oues, & quo vitam dabit, ſi proripit ſubſtantiam? Audiuimus Dominum Ieſum commendantem nobis boni paſtoris officium: (verba ſunt Auguſtini) in quâ commendatione admonuit vos vtique, & vnde ſit paſtor bonus conſequenter oſtendit. Paſtor ergo bonus Chriſtus. Quid Petrus? Nonne bonus paſtor? Quid Paulus? Quid ceteri Apoſtoli? Nonne omnes Paſtores boni, non Mercenarij; de quibus dicitur, Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam? omnes ergo iſti Paſtores boni, non ſolum quia ſanguinem fuderunt, Sed quia pro ouibus fuderunt.

Auguſtin. ſer. 50 de verb. Dom. c. 1.

Quoad tertium. Miranda Pauli prudentia. Vult enim deinceps oſtendere, (ita notauit Chryſoſtomus) quod hoc teſtamentum eſt longe melius & præſtantius veteri: procul rationes prius iaciens tanquam fundamentum. Nam quoniam nihil erat corporale, vtpote non templum, non ſancta ſanctorum, non ſacerdos tantum habens apparatum, non legales obſeruationes, ſed excelſiora omnia & perfectiora: niſi ex rebus corporalibus, vniuerſum autem erat in rebus ſpiritualibus: ſpiritualia autem infirmiores non æquè inducunt atque corporalia, totum hoc dicendi argumentum verſat & agit. Videat ergo eius ſapientiam. Initium quippe primo ducit à ſacerdote, & continenter eum appellat Pontificem, ſed ab ipſo primo oſtendit differentiam. Atque interim quidem prima ponit ea quæ ſunt communia: & tum oſtendit quod exuperet. Sic enim fit exuperatio per comparationem, quando in aliis quidem eſt inter eos communio & ſocietas, in aliis verò exuperat. Tria ſunt igitur ſunt obſeruanda. Primum eſt, nonnulla eſſe, in quibus legales ſacerdotes Chriſto communicent, alia in quibus non communicent. Omnes quippe ſacerdotes ex hominibus aſſumpti ſunt, & pro hominibus conſtituti, In iis quæ ſunt ad Deum. Hoc quidem commune: ſed id Chriſto ſingulare, quod non offerat pro peccatis ſuis, quemadmodum alij ſacerdotes leuitici, ſed pro alienis tantum, id eſt, pro noſtris offerat. Secundum eſt, vltima verba, formam continere ſacerdotij, & ideò viam facere ad prærogatiuam Chriſti. Multi ſunt ex hominibus aſſumpti, quaſi ſelecti & egregij, imò & pro hominibus conſtituti, vt rectores politici, Reges ac Principes: ſed non in iis quæ ſunt ad Deum: ſunt enim Principes huius ſeculi; Reges terræ, non rectores Eccleſiæ. Sacerdotes verò præſunt ſacris, nedum diuinis interſunt. Inde Pontifex dicitur, Pater ſacrorũ. Et à Cypriano paſſim, Rector altaris. Illius etenim ordinare quæ ſunt diuini cultûs, & ea quæ ſunt actûs religioſi, præſcribere. Tertium, in hoc maximè Chr. ſtũ Dominũ præſtare, omnéſque, & cuiuſcumq; legis ac religionis ſuperare. Cum enim ſacerdos aſſumatur ex hominibus, vt ad Deum accedat pro hominibus, mediatoriſque officium aſſumat ac reconciliatoris, vt ipſum hominibus reddat propitium: in hoc tantum Chriſtus ſacerdotes excedit poteſtate, quantum omnes vincit ſanctitate. Pontificis namque officium eſt, ait Ambroſius, inter Deum ſtare ac populum, & Deum deprecari pro populi delictis: hoc autem fecit Chriſtus; ſeipſum offerens pro peccatis noſtris, ſemper viuus ad interpellandum pro nobis; ſemel aſſumptus ab hominibus, ſed ſemper pro hominibus, interpellans. Ponit igitur hìc Apoſtolus quædam communia Chriſto cum ſacerdotibus, quædam verò altiora. Commune eſt Chriſto, & ei qui ex hominibus conſtituitum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: hoc quidem, ſed non totum. Illi enim offerunt oues & boues, Chriſtum ſeipſum obtulit, & per ſeipſum accedit ad Deum. Illi mediatores ſunt, ſed infirmi, vtpote infirmitate circumdati. Chriſtus nos perfectè reconciliauit Patri, & integrè munus pro nobis apud Deum conſummauit ſacerdotij.

Chryſoſt. orat. 8

Quanta ſit Chriſti & ſacerdotum Leuiticorum differentia.

Tertullian. c. 8. Apolog.

Cyprianus in epiſt.

Ambroſi. in Paulum.

DILVCIDATIO II.

de oblatione.

Omnis quidem Pontifex ex hominibus aſſumitur, & conſtituitur pro hominibus, in iis quæ ſunt ad Deum: vt ad ipſum ſcilicet accedat, & illis, quæ credenda ſunt, quæ & agenda referat. Idcircò addit Paulus, Vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Accedit enim offerendo, nedum petendo: nec donat ſolùm, ſed & ſacrificat Tria igitur elucidanda ſunt primum, quid offerre: alterum, quid dona: tertium, quid ſacrificia.

Quoad primum offerre, actus quidem ſolemnis eſt, non tamen ſemper ſupremus, ſed medioeris, ſeu ſacerdotalem inter ac virilem temperatus: licebat enim & viris olim offerre, licet laicis ſed non licebat feminis. Nam permittitur mulieri, ait Tertullianus, in Eccleſiâ loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officij ſortem ſibi vindicare Diſtinguit inter virile munus, & officium ſacerdotale, & illud iſto minus oſtendit; tale tamen ac tam grande, vt feminis denegetur, nec opus tantum, ſed & munus reputetur. Adeò, ait ille, vbi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinquis, & ſacerdos es tibi ſolus. Quaſi munus iſtud dignitatem obtineret, & ad ſacerdotalem accederet poteſtatem: quid eſt enim offerre, quàm ſacerdotem agere: vel, vt ille loquitur, Agere pro ſacerdote. Supplere vicem ſacerdotis, & actionem functionemque eius, licet non ſupremam ſummamve prætendere. Omnes nos, ait Tertullianus, Deus ita vult diſpoſitos eſſe, vt vbique ſacramentis eius obeundis apti ſimus offerebant igitur & Laici, virilemque, etſi nondum ſacerdotalem, exercebant dignitatem: quanquam & ſacerdotalem exercebant, illi in quantum vicariam, ne dicam & precariam inibant prouinciam. Igitur, (ita ille concludit) Si habes ius ſacerdotis in temetipſo vbi neceſſe eſt, habeas oportet diſciplinam ſacerdotis, vbi neceſſe ſit habere ius ſacerdotis. Digamus tinguis. Digamus offers? Quãto magis laico digamo capitale

Tertullian. l. de veland. virg c. 9.

Tertullian. lib. de exhort. caſt. cap. 7.

Quid inter virile munus, & ſacerdotale.

Tertull. Ibidem.

Tertull. c. 7.

capitale est agere pro Sacerdote, cum ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Noli denique digamus deprehendi, & non committis in necessitatem administrandi quod non licet digamo. In quibus verbis tria sunt obseruanda, quæ Paulum & Tertullianum committunt, nec tamen opponunt. Primum est, Tertullianum agere de Sacerdote domestico ac priuato, familiam scilicet regente, seu domesticam priuatamve instituente Ecclesiam. Si habes ius Sacerdotis in temetipso. Id est apud temetipsum, domesticatim, priuatimve sine cœtu publico, sine conuentu seu consessu Ecclesiastico. Paulus autem agit de Sacerdote seu Pontifice ex hominibus assumpto, & pro hominibus constituto, id est, publico assensu electo, & sacro ritu instituto. Secundum, distinguere illum inter hæc duo, Agere pro Sacerdote, & Agere Sacerdotem. Primum enim est vicarij, alienum inuadentis opus; alterum ordinarij, munus suum obeuntis. Paulus non distinguit, quia non solùm agit de publicâ dignitate, sed & de ordinariâ potestate. Tertium, in Tertulliano casum esse necessitatis, cui indulgendum quandoque. Sufficiat scilicet, (vti dixit alibi) in necessitatibus vtaris, sicubi, aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum vrget circumstantia periclitantis. In Paulo verò certum est statum esse religionis, cui deferendum semper, nec vnquam detrahendum. Vt offerat dona. Itaque ius illum Sacerdotale, legitimum est, vt à lege institutum, non necessitate introductum: ideoque perpetuum, nec priuilegiis regionum, nec temporum abrumpendum angustiis: Vide me, si voles, in Tertulliano rediuiuo: illum enim relinquo intactum; nec dicta vel exposita recoquo.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 17.

Quoad secundum. Varia sunt dona, sed omnia sunt munera. Moyses dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban, quod est donum, quodcumque ex me, tibi profuerit. Ita Marcus. Matthæus verò: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit. Non differunt, munera enim sunt dona, sicut & dona sunt munera, sed Deo per Pontificem seu Sacerdotem offerenda. Volentes enim Pharisæi quæ offerebantur comedere, instruebant filios, quod cum peculia aliqua habebant, & parentes hæc peterent, responderent illis, Corban: hoc est, donum quod à me petis, iam obtuli Domino: & ita hæc non exquirerent, quasi Domino oblata, id est, ad salutem parentum proficua: & sic decipiebant filios, vt parentes non honorarent, & ipsi oblata deuorarent. Corban ergo, donum est, seu munus sacrum, Deoque oblatum. Inde Corbona, arca scilicet, excipiendis oblationibus seu muneribus diuinis exposita. Ita Christus, Respiciens vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites? Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem vi-

Marc. c. 7.

Matt. cap. 15.

Theo. in c. 7. Marci.

Luc. cap. 21.

A ctum suum, quem habuit, misit. Quæ prius dixerat. Munera sua: Nunc dicit, Munera Dei. Sunt enim dona ab hominibus oblata, & in sacrum ærarium illata. Quia enim, vti obseruat Venerabilis Beda sermone Græco φυλάττειν seruare dicitur, & gaza linguâ Persicâ, diuitiæ vocantur: Gazophylacium, locus appellari solet, quo diuitiæ seruantur. Erat autem arca foramen habens desuper, posita iuxtà altare ad dextram ingredientibus domum Domini, in quam mittebant Sacerdotes, qui custodiebant hostias, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. Inde ergo & Christus: Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quare frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus tuum antè altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Offertur munus, & ad altare offertur, quia species est sacrificij, seu sacri doni, quod ab altari sanctificatur; dum sacratur, ne dicam & sacrificatur. Ecce, ait Chrysostomus, à discordantibus accipere non vult sacrificium. Id est, donum sacrum, ab altari scilicet sanctificatum. Væ vobis duces cœci, qui d[icitis], Quicumque iurauerit per templu[m], nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cœci: quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et, quicumque iurauerit in altari, nihil est: qui autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cœci: quid enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum? Cœcitas affectata, & obdurata cupiditas; ignorantia voluntaria, & astutia quâ simplices deciperet, supplicesque promptiores opibus offerendis, quàm precibus fundendis efficeret. Si quis, ait Hieronymus, iurasset in domo, vel in oblationibus: hoc est, in similâ, & ceteris quæ offerunt Deo super altare, hoc studiosissimè repetebant. Totum autem faciebant non ob Dei timorem, sed ob diuitiarum cupiditatem. At verò sicut ad Sacerdotes pertinet ius oblationis. Vnde & Christus, vt obseruauit Tertullianus: Quantum ad tutelam legis, iussit ordinem impleri: Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses. Argumenta enim figurata vtpote prophetatæ legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & actionem gratiarum apud Ecclesiam per Christum Iesum catholicum Patris Sacerdotem.

Beda c. 86. in Luc.

Matth. c. 5.

Chrysost. in Imperf. Hom. 11.

Matth. c. 23.

Dona sunt ab altari Dei sanctificata.

Hieronym. in illa verb. Matth.

Tertullian. lib. 4. aduers. Marc. cap. 9.

Quoad tertium Sacerdotes tam dona offerunt quàm sacrificia, sed offerunt dona pro gratiis agendis vel obtinendis impetrandisve: sacrificia verò, pro peccatis expiandis. Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Per sacrificia, intellige victimas seu hostias, Græcè θυσίας. Ita cap. 8. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur. Quanquam enim hostiæ seu victimæ, dictæ sunt à victis hostibus, & pro muneribus ac votis redditæ: illæ tamen celebres solemnésque; inter omnes, quæ pro delendis oblatæ. Actus Pontificis est, ait Aquinas, vt offerat dona, id est, voluntariè oblata, non extorta. Exod. 25. Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis. Et

Aquin. lect. lect. 1.

sacrificia pro peccatis, id est, quæ sibi offeruntur pro satisfactione peccatorum. Leuit. 4. Pro eo rogabit Sacerdos, & pro peccatis eius, & dimittentur ei. In quo designatur, quòd omne, quod offertur siue voluntarium & votiuum, siue pro satisfactione, debet offerre secundùm dispositionem prælati. Quamuis enim bona sint ista, non sunt tamen Deo grata & accepta, nisi secundùm legem, seu per sacerdotem oblata. Sicut enim nihil probat, nisi quod per Christum offertur; sic & in donis & sacrificiis nihil acceptat, nisi quod per ministrum offertur legitimum. Et dona quidem offerri poterant, ex omnibus quæ ad ministerium Dei vtilia erant, aut ad vsum ministri necessaria: sacrificia verò pro peccatis expiandis, non nisi ex animalibus, seu victimis & hostiis. Triplex quippe erat sacrificiorum genus: quoddam erat, quod totum comburebatur, & hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum: huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam Maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius, & conueniebat perfectionis statui in impletione consiliorum; & ideò totum comburebatur, vt sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem, & omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. Aliud autem erat sacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati: & conueniebat statui pœnitentium in satisfactione peccatorum, quod diuidebatur in duas partes. Nam vna pars eius comburebatur: altera verò cedebat in vsum sacerdotum, ad significandum quod expiatio peccatorum fit à Deo per remissionem Sacerdotum. Tertium verò sacrificium vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute & prosperitate offerentium ex debito beneficij, vel accipiendi, vel accepti. Et conuenit statui proficientium in impletione mandatorum: & ista diuidebatur in tres partes. Nam vna pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in vsum Sacerdotum, tertia verò pars in vsum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit à Deo dirigentibus ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus qui saluantur. Erant libamenta liquorum, erant immolationes fructuum, erant mactationes combustionesque animalium: & hæc vera erant propriaque sacrificia. Cum enim mortem & ignem incurrerit homo per peccatum, debuit erratum agnoscere, & per sacrificium animalis occisi ac combusti, redimere supplicium. Porro, plus est offerre sacrificia quam dona, idcircò sacrificium seruauit Paulus posuitque vltimum, tanquam præcipuum ac consummatum sacerdotis ministerium: sacrificare enim seu sacrum facere, propriè est sacerdotem agere, & ordinationem implere: quamuis enim offerant Laici, nunquam tamen illi sacrificant. Ita Tertullianus de hæreticis. Et Laicis, inquit, sacerdotalia munera iniungunt. Id enim nefas: nam quamuis iis committi possint virilia munera, nunquam tamen possunt permitti Sacerdotalia.

Aquin. 1. 2. qu. 10. art. 3. ad 8.

Triplex genus sacrificiorum legalium.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 4.

DILVCIDATIO III.

De compassione.

TAlis debet esse Pontifex, Qui condolere possit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Pietatem exigit in Pontifice benignitatemque, ac tria simul iungit: animum, motiuum, & signum.

Quoad animum. Tria sunt expendenda: nimirum, genius, modus, terminus. De genio, Qui possit. Id est, qui sit idoneus aptúsque ad compatiendum condolendúmque. Ita dixit, Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Quibus non tangit patientiæ defectum, sed ostendit affectum misericordiæ Græca est paroemia, ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Viri boni multum lacrymabiles. Sunt enim plurimum misericordes, ad pietatem proni, ad humanitatem inclinantes, ad iuuandum solandumque prompti & habiles. Sed quod illustres viri habent ex studio, sacerdotes sancti habere debent ex genio, quasi ad misericordiam nati, & exosi sæuitiam: non quòd virtus sit à naturâ, sed quòd ad regendam Ecclesiam, diuinâ destinati sint gratiâ. Aduertamus, ait Ambrosius, quia in sacerdotibus diuina magis quàm humana operatur gratia. Supplicaturus enim pro populo, probari debet à sacerdotibus, ne quid sit quod in ipso grauiter offendat, cuius officium est pro aliorum causa interuenire. Neque enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauendum ne solùm grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem: vt sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum reuocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat. Esto enim sit naturæ irasci, aut plerumque causæ: hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore: non norit assuescere clamori: quomodo enim potest vnus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione graui exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius & discolor? Talis sit igitur Pontifex, qui possit compati, qui norit misereri: pius sit, mitis, ac benignus. De modo, Qui condolere possit. Græcè μετριοπαθεῖν, non συμπαθεῖν. Dicit Paulus, quòd Pontifex debet esse in his, quæ sunt ad Deum: tamen, ait Aquinas, debet esse medius inter Deum & hominem. Deuter. 5. Ego medius & sequester fui inter Dominum, & vos. Sicut ergo per deuotionem orationis debet tangere Deum, tanquam vnum extremum; sic & per misericordiam & compassionem debet tangere alterum extremum, scilicet hominem. Et ideò dicit, Qui condolere possit. Medius est & interpositus, vt medietatem seruet, nec tam teneritatem muliebrem, quàm virilem demonstret pietatem. Condoleat, sed non intemperanter amori indulgeat aut dolori, fleat, sed nec pueriliter, nec muliebriter: lenis sit, sed non mollis;

Ambrosius epist. 25. in med.

Aquin. lect. 3.

mollis; videatur mitis, sed ratione potius quàm passione moueatur. De termino, Iis qui ignorant & errant: Qui ignorant & errant? Pro hominibus ipsis apud Deum constitutus, vt scilicet ipsum peccantibus reddat propitium, veniam expetat non vindictam; ideoque omnibus per misericordiam condescendat delinquentibus Aduerte enim (vt & aduertit Athanasius) vt ex ignorantiâ & errore, omne facinorum genus gignatur: obtenebratus enim insaniæ & erroris morbo laborat, & voluptatum illecebris præceps defertur. Cum quis peccatum exercet, si probè nosset malum esse, & æternum secuturum esse supplicium; si verum proferret iudicium, si peccati fallacia, vel astutia Diaboli intellectum non seduceret; non deuiaret à recto, sed in bono consisteret: Omnis ergo peccans ignorans est, vtpote aberrans à veritate, & ab æquitate declinās. Omnes aberrant peccatores, tam qui ex ignorantiâ, quàm qui ex certâ peccant scientiâ. Et ideò nullus præscriptus est terminus misericordiæ, sed regula seruanda prudentiæ.

Athanas. in Paulum.

Omnes peccantes quomodo sint ignorantes.

Quoad motiuum. Debet Sacerdos condolere: Quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Motiuum pietatis ponit, cum dicit, Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Istud motiuum, est infirmitas. Et illi, qui præsunt aliquando infirmantur. Ratio igitur huius est, vt ex se, aliorum infirmitatibus compatiatur: & ideò Dominus permisit cadere Petrum. Sacerdotes, homines sunt, ideoque fragiles. Homo es, inquit Augustinus, homo est: lædere voluit, lædere vis. Ecce duo mali estis. Quomodo dicis, & ego odi malum, qui auges numerum malorum? Quidni compatiaris infirmitatibus humanis, cur irascaris vulneribus persanandis? homo es, infirmus est, infirmitate circumdatus, confossus vulnere. Pulchrè Dauid ait: Irascimini, & nolite peccare. Non iram imperat, ait Ambrosius, sed indulget naturæ: quam homo præuertere non potest, mitigare potest: Ergo etsi irascimur, affectus noster motum recipiat secundùm naturam, non peccatum præter naturam. Quis enim ferat si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? Ideo Apostolus formam dedit, quia ait, oportet Episcopum non esse iracundum. Virtutum magister est qui cum patientiâ redarguendos doceat contradicentes. Redarguendi quidem, ac corripiendi: at id non tam minando fit, quàm monendo: impellendi, vrgendi, sed non imperando succedit, quàm rogando. Ita Paulus: Fratres, obsecro vos. Quæ quidem, ait Hieronymus, & nos ad humilitatem prouocant & supercilium decutiunt Episcoporum, qui velut in aliquâ sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales. Discant ab Apostolo errantes & insipientes Galatas, fratres vocari: discant post increpationem blanda verba dicentis: obsecro vos. Sunt Pontifices, sed sunt & homines, mortales, fragiles, peccatores, rei, infirmi, nonnunquam vsque ad ægritudinem, nonnunquam vsque ad mortem. Habent homines, videntque ignorantes & errantes: sed numquid ipsi ignorant & errant; nunquid infirmi, imò circumdati sunt infirmitate, iniquitate cooperti. Causa sanè potior & certior est, ait Athanasius, quâ debeat Pontifex præ ceteris ignorātēr peccantibus condolere: quia & ipse sit carnis infirmitate obductus, & humanæ fragilitatis ex se non ignarus, veniam metitur sic delinquentibus. Vnde nonnulli ita intelligunt, videlicet vel vnâ re solùm Pontificem differre à populo, quia aliis commiseratur & parcit, cum in ceteris sit & ipse vt reliqui homines, infirmitate præcinctus. Sicut ergo Deus omnipotentiam suam parcendo maximè & miserando manifestat, sic & Episcopus condolendo maximè ac compatiendo declarat præstantiam. Ferueat zelo diuinæ gloriæ, sed indulgeat ex humanæ motiuo miseriæ: si enim seipsum circumspiciat, aduertatque se infirmitatibus humanis, prauisque cupiditatibus obnoxium, facile duritiam soluet, promptamque in errantes peccantesve ingeret misericordiam.

Aquin. lect. 1.

Augustin. serm. 18. ex vn. hacten. inedit.

Ambros. epist. 25.

Heronym. in cap. 4. ep. ad Galat.

Athanas. in Paulum.

In quo maximè declarata Episcoporum præstantia.

Quantum ad signum. Aliud quidem est, aliquem circumdatū infirmitate; & aliud, oppressum: vnde non dixit Paulus Pontificem omnem hominem oppressum infirmitate, dixit tamen circumdatum. Signum autem huius est, ait Aquinas, quia & in veteri lege, & etiam modò, sicut patet in canone missæ, cum dicitur, Nobis quoque peccatoribus, statutum est, quod Sacerdos offerat etiam pro se: quod non fieret, nisi esset infirmitas peccatorum, quibus est circumdatus, non oppressus. Propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. In his tria sunt obseruanda. Primum est, infirmitatem hoc loco non solùm significare fragilitatem animi, seu pronitatem peccandi, sed & peccatum ipsum importare: nullus enim infirmior, ne dicam, & miserior, quàm qui sæpè labitur, quàm & qui languore premitur. Ita Dauid: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Nemo veniam petit, nisi qui agnoscit culpam: nemo gratiam postulat, nisi qui vindictam reformidat. Quid ergo iste orat, ait Augustinus, qui non vult in irâ Domini vel argui vel emendari? Quid nisi vt sanetur? Vbi enim sanitas, nec mors metuenda est, nec vrentis aut secantis manus. Tantumdem est igitur ac si diceret, quod & alibi dixit: Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi. Tu es qui sanas omnes infirmitates meas. Non audiuit sanus medici præceptum, vt non caderet: (verba sunt Augustini) audiat vel ægrotus, vt surgat. Ad illum & in illo dicamus, Ego dixi, Domine miserere mei. Ego peccaui: sanam animam meam, quia infirmus sum, quia lapsus sum, quia peccaui tibi. Alterum est, in signum non solùm humanæ fragilitatis, sed & iniquitatis contractæ, institutum oblatúmque pro erratis peccatisve Pontificum esse sacrificium. Vocauit Moyses Aaron & filios eius, dixitque ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, vtrumque immaculatum, & offer illos coràm Domino. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro populo. Benè, holocaustum: vt enim obseruauit Aquinas: Quando offerebatur sacrificium pro peccato populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis, tunc totum comburebatur: non enim debebant in vsum

Sacerdotum

Aquin. lect. 1.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 6. circ. med.

Infirmitas animi, pronitas peccandi.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 40. in med.

Leuit. cap. 9.

Aquin. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8.

sacerdotum venire ea, quæ pro peccato eorum offerebantur, vt nihil peccati in eis remaneret: & quia hoc non esset satisfactio pro peccato: si enim cederet in vsum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur, ac si non offerretur. Sic & in Leuitico. Locutus est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, vt non moriatur, nisi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum. Suscipietque ab vniuersâ multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Nihil enim eorum edebatur, sed totum comburebatur, vnde & dicebatur holocaustum. Tertium denique, Sacerdotes esse quidem homines, fragiles, infirmos, peccatis obnoxios venialibus, non tamen debere esse criminibus obstrictos ac flagitiis: tunc enim non esset solùm circumdari infirmitate, sed facinore seu scelere mergi & opprimi. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël. Anima, quæ peccauerit per ignorantiam: si Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. Pro maculis scilicet contractis, pro ignorantiis, pro negligentiis, non tam prauitate quàm fragilitate commissis.

Leuit. c. 16.

Leuit. cap. 4.

DILVCIDATIO IV.

De Vocatione.

Sacerdotium, res humana non est, sed diuina, cum sit in iis, quæ ad Deum sunt constitutum. Idcircò, Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Quibus non negat Paulus, Sacerdotem sumere honorem, sed negat præsumere, negat arrogare sibi, sibi vindicare, proprioque inuadere arbitrio. Quid igitur honor? quid vocari, quid Aaronem æmulari.

Quoad Primum. Honor, & dignitas Sacerdotalis, quæ hominem extollit, redditque honorabilem. Differentiam, ait Tertullianus, inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus. Est enim prærogatiuâ loci, ex eminentia Sacerdotij: inde & Episcopi nostri, dicti sunt Præsides, & Antistites, quod aliis antistarent, præsiderentque; quod sederent altiùs, vt meliùs prospicerent. Semper quidem me, ait Augustinus, ex quo humeris meis ista de qua difficilis ratio redditur, sarcina imposita est, honoris mei cura sollicitat. Quid autem isto reformidatur in munere, nisi ne plus nos delectet quod periculosum est in nostro honore, quàm quod fructuosum est in vestrâ salute? Vobis sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officij, hoc gratiæ: illud periculi est, hoc salutis. Si ergo plus me delectat, quòd vobiscum emptus sum, quàm quòd vobis præpositus sum, tunc, vt præcepit Dominus, ero abundantiùs vester seruus, ne ingratus sim pretio, quo vester merui esse con-

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 7.

Augustin. serm. 39. ex nouis à limine.

Honorabilis dignitas, vbi grauis humilitas.

A seruus. Hoc est sibi sumere honorem, studere, sibi; propter honorem suum, innatum fouere tumorem, collatam dignitatem ad vtilitatem propriam impendere. Idcircò non solùm probantur Sacerdotes, sed & iuniores eliminantur, vtpotè distenti, vêto, typo inflati, puerilibus occupati negotiis, iuuenilibus detenti desideriis. Præsident, ait Tertullianus, probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Id est, dignitatem sacerdotalem, non votis assecuti, sed meritis. Altus quidem Episcopis nostris locus est positus, vt superintendant, commissumque custodiant populum: sed quanto excelsiores tanto cautiores. Custo-

Tertullian. cap. 39. Apolog.

B dimus enim vos, ait Augustinus, ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tanquam vobis pastores sumus, sed sub illo pastore vobiscum oues sumus. Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo vno magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus. Si volumus custodiri ab illo qui humiliatus est propter nos, & exaltatus est ad custodiendos nos: humiles simus: nemo sibi arroget aliquid. Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit qui solus bonus est. Qui autem sibi voluerit arrogare sapientiã, stultus est. Sine hîc humiles, si volunt ibi esse excelsi, vbi Christus excelsus est. Quò humiliores, eò gloriosiores.

Augustin. in Expos. Psal. 126. post init.

C Quoad secundum. Potest honor adiri, non potest ambiri: non enim ambitioni conferendus, sed deferendus vocationi. Ponit modum Apostolus perueniendi ad Pontificatum, (ita Aquinas) cum dicit, nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. Hoc est enim contrà naturam, quòd aliquid perducat se ad statum altiorem suâ naturâ, sicut aër non facit seipsum ignem, sed fit à superiore, vnde disciplina Dei non habet, quòd quisquam sumat sibi honorem fauore, pecuniâ, potentiâ: sed debet vocari à Deo. Amos 6. in fortitudine nostrâ assumpsimus nobis cornua: Quid est esse Pôtificem? An aliis esse ditiorem, aliis splendidiorem? minimè verò: sed esse digniorem ceteris,

Aquin. lect. 1

Gradus altiorem facit, actus reddit perfecti ori.

D perfectiorémve, virtutibus eminentem, nô opibus; non solio elatum, sed præcelsum merito. Quinam igitur æstimandi? An qui sese ingerunt, & honoris locum, seu fastigium dignitatis non tam sumunt, quàm surripiunt? Et homines quidem qui ad sensum viuunt, suggestum potius respiciunt, quàm meritum: eosque honorant, quos fulgentiores spectant, insignioresque, non virtutum turba, sed pompâ comitum. Deus autem quos dignatur vocat & illos tantùm vocat, quos non altiore gradu, sed actu dignatur perfectiore. Non in potentatu equi voluntatem habebit. Potentatus equi, (vt legit exponitque

Aug. Enar. in Psal. 146. vers. fin.

E Augustinus) est superbia. Videtur enim equus veluti ad suggestum hominis accommodatus, vt altior incedat. Et reuera est in eo ceruix, indicans quandam superbiam. Non se extollant homines in suis dignitatibus, non se sublimes putent honoribus, caueant ne in equo indomito præcipitentur. Vide enim quid dictum est in alio Psalmo, H in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. Hoc est illi in honoribus temporalibus, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Non in potentatu equi voluntatem habebit: nec in tabernaculis viri benè sentiet.

In

In tabernaculis, inquit, viri. Est enim tabernaculum Domini, ipsa sancta Ecclesia, toto orbe diffusa. Ecclesia, domus est Dei, vinea Domini: fideles, plebs Dei, grex Domini: nullus qui à Deo vocatus sit, nullus qui non sit illuminatus à Domino. Soli ergo pastores, soli duces non vocabuntur à Deo, non destinabuntur à Domino? Donabuntur fide, non donabuntur dignitate. Dei erit, quod sint Christiani, Dei non erit quod sint præpositi? Nec quispiam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Vel ne quis scilicet, (vt Athanasius) suopte impulsu, siue sacerdotium, siue Pontificium munus aggrediatur, sed à Deo vocatus illud accipiat. Non prosiliat ad honorem, tanquam ad dignitatem temporalem, sed Deo dante, Deo vocante, obediat.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Vocati sumus ad militiam Dei viui, sed fide omnibus communi fratribus. Vocati sumus ad regendam Ecclesiam Dei, sed munere omnibus communi patribus. Qui vocatur à Deo. Quomodo? Tanquam Aaron. Hæc forma, seu norma vocationis ac destinationis præstituta, & exinde desumenda. Applica ad te Aaron, fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi. Deus non solùm vocat, sed & ipsum aduersùs ambientes confirmat contradicentesque. Tales ergo (vt concludit Aquinas) debent assumi, qui non se ingerunt. Vndè antiquitùs signo visibili ostendebantur: sicut patet de multis. Illi verè ad honorem ac decorem, imò & diuinè sunt assumpti. Vnde in vocatione seu destinatione: Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Tanta enim gloria legitimè intrare, quanta infamia furtiuè obrepere: tantus honor diuino muniri testimonio; quantus pudor temerario ingredi consilio. Vtinam verum sit, quod fuit aliquando certum. Non sic in Ecclesiâ Dei aut Euangelicus vigor cecidit, (ita Cyprianus) aut Christianæ virtutis & fidei robur elanguit, vt non supersit portio sacerdotum, quæ minimè ad has rerum ruinas, & fidei naufragia succumbat; sed fortis & stabilis honorem diuinæ Maiestatis, & sacerdotalem dignitatem plenâ timoris obseruatione tueatur. Sed, vt dicam ex Gregorio Nazianzeno: Aliorum me pudet, qui cum plerisque nihilo meliores sint, atque vtinam non etiam multo peiores, illotis, vt dici solet, manibus, profanisque animis, in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victûs parandi occasionem & subsidium hunc ordinem esse indicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censurâ immune. Qui etiam eos quibus præsunt, numero iam ferè superant, ob pietatem vtique miseri, ob splendorem infelices. Itaque malo hoc vnà cum tempore progressum ac vires capiente, ne habituri quidem videntur, quibus præsint, omnibus videlicet, pro eo vt à Deo (quemadmodum diuina promissio ferebat) edoceantur, docentibus & vaticinantibus, adeò vt, iuxta veterem historiam & parœmiam, Saül quoque inter Prophetas sit. Neque enim tanta

Exod.c.28.

Aquin. lect. 1.

Exod.c.28.

Cyprian. lib. 1. epist. 4.

Gregorius Nazianz. orat. 1. Apolog. cit. med.

Ambitiosa munerum Ecclesiasticorum captatela.

A vllius rei vbertas, aut nunc est, aut vnquã fuit, cum alia aliàs viguerint ac tandem finem acceperint, quàm nunc apud Christianos crebra sunt huiusmodi probra & peccata. Quorum etsi impetum comprimere, maius est, quàm pro virium nostrarum facultate: at certè odisse, ac pudore affici, pietatis pars est non minima.

DILVCIDATIO V.

De clarificatione.

B

HAbemus dignum ac præclarum Pontificem, eò magis gloriosum, quò magis humilem. Sic & Christum non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit; Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Videmus ergo Iesum clarificatum, glorificatumve, & honoratum: sed, Quomodo, A quo, & In quo?

C

PVNCTVM I.

Quomodo?

CVm Apostolus dicit, Sic: Ostendit, vt obseruat Aquinas, quomodo Christus sit Pontifex. Nec quisquam sumit sibi honorem. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret. Ostendit ergo quomodo dicta conueniant Christo: nam Christus factus est Pontifex, sed non à se. Christus non semetipsum clarificauit, non assumpsit sibi honorem, non inuasit claritatem, dignitatémve, Græcè ἐδόξασεν, non seipsum glorificauit, gloriam non ambiuit Pontificiam, non se ad tantum extulit fastigium: honorem non præsumpsit, denique, non se fecit Pontificem. Hîc, ait Chrysostomus, videtur etiam tacitè Iudæorum innuere sacerdotes, qui inuadebant, & legem violabant sacerdotij. Quicquid sit de Sacerdotibus Iudæorum, agendum præcipuè de Sacerdotibus Christianorum: quibus dicendum est. Nemo sibi assumit honorem: sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: iam enim non dicimus, Tanquam Aaron; sed tanquam Christus: id est Christum ipsum in formam ac regulam Christianorum proponimus Sacerdotum. Primò ergo dicendum est Christum factum esse Pontificem ad exemplar Sacerdotij Christiani: secundò, Pontificem Christianum instituendum ad exemplar Christi: tertiò, honorem pontificium non permittendum ambienti.

Aquin. lect. 1.

D

Chrysost. orat. 8.

E

Quoad primum. Sacerdotium Christianum, tam dignum munus est, sed & tam verendum onus est, vt necesse fuerit Deum proponi in typum, & inde exemplum desumi. Cum enim homini, vt dixit Gregor. Nazian. difficile sit scire

Gregorius Nazianzen. 1. orat. Apol. cit. med.

parcere, tum multò difficilius esse videtur, scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc imperio Ecclesiastico, quod in lege diuinâ situm est, & ad Deum ducit: cuius quò maius est fastigium, maiorque dignitas, eò etiam maius periculum est, prudenti vtique homini & cordato: quippe cui primû illud curandû erit, vt, argenti atque auri instar, omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus & rebus, nusquã adulterinum aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ, flammaque acriori dignæ, in seipso gestet: nã alioqui tanto grauius malum fuerit, quanto pluribus imperarit. Siquidem maior est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quàm ea, quæ in vno defixa hæret. Hoc igitur primû cauendum est, ne admirandæ virtutis mali pictores existamus, aut, vt rectiùs loquar, pictorum non fortasse malorum, multorû quidem certè malum exemplar: aut, vt à parœmiâ non longè recedamus, aliis mederi tentantes, cum ipsi vlceribus scateamus. Homo sanè, malum exemplar, vt qui multa dicat, pauca faciat; doctrinam verbis ostentet, factis vitam decoloret: idcircò Deus homo nobis datus est, qui simul Dei virtus & sapientia, qui Pontificis regulam instituat, & absolutissimam virtutis, tanquam doctor egregius, imò tanquam diuinus pictor præferat tabulam. Cum de Domino sit magister, ait Tertull. docens hominem euadere ad salutem, scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit. Nec enim mentitus fuerat Propheta, immò ipsius Dei contestatio cum totâ patientiâ collocantis. Alius, Cum totâ sapientiâ. Non dictorum scilicet, sed & factorum: quid enim pastor dicens, & non faciens, nisi cimbalum tinniens, & exemplum non deficiens solùm, sed & decipiens? Venit Christus, paternum gerẽs spiritum, & totam exprimens sapientiam, & exemplû omnibus præbuit Pontificibus. Quid enim Christus, nisi splendor Patris, figura substantiæ, & imago bonitatis illius. Pictor diuinus, & pastor bonus, vtpote diuinis expressus characteribus, paternis insignitus virtutibus. Dominus erat sicut & Deus, sed de Deo ac Domino sit Magister, salutis viam pandens omnibus, virtutis formam præbens Sacerdotibus; dum omnibus fit omnia; nec tam dicendo quàm faciendo ac patiendo, vicit subegitque omnia.

Doctor Christianus, diuinus pictor est.

Tertullian. li. de patient. cap 3.

Quoad secundum. Si Deus homo factus est, vt esset typus Christiani Sacerdotij; homo debet fieri Deus, vt sit ad instar Christi, & exemplar referat, dum se à plebe non tam beneficio disterminat quàm merito. Non solum vitiosas animæ notas expungat (ita loquitur Gregorius Nazianzenus) verùm & meliores etiam inscribat: ita vt magis virtute antecellat, quàm honore ac dignitate superet: nec modum sibi vllum honestè viuendi, atque altiùs ascendendi constituat, nec lucro potius, id quod arripuit, quam damno, id quod effugit, deputet: verùm quod præ pedibus est, gradum ad id, quod deinceps sequitur, esse arbitretur: nec virtute vulgus anteire, magnopere amplum atque illustre iudicet: verum detrimento ducat, si à suscepti muneris dignitate absit. Habet tabulam, quam videt oculis suis expositam.

Gregorius Nazianzen. orat. 1. Apolog. cit. med.

A Inspiciat ergo, & faciat secundùm exemplar quod illi demonstratum est, & illud totum non minus actu referat quàm affectu. Tria autem sunt notanda in illâ tabula. Primum est, nullum esse defectum: alterum, nullum non inesse bonum: tertium, bonum omne non vulgare, sed absolutum perfectumque. Vt ergo sese aliquis, ait ille, ab omni peccati labe purum conseruet, haud scio, idne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neque enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solum requiritur, vt malus non

Gregorius Nazianzen. Ibidem.

B sit (malum enim esse, plerique etiam è vulgo turpissimum censent:) verùm etiam vt virtute præstet. Sic igitur se comparet, vt quod ex virtute gerit, ad legis diuinæ normam, non autem ad alios expendat: nec virtutem, quæ Deo optimo, à quo omnia, & in quem omnia, debetur, exiguâ lance ponderet. Nec eadem omnibus conuenire putet: verùm priuati quidem hominis vitium esse existimet, turpia perpetrare: præfecti autem vel Antistitis, non quàm optimum esse, nec nouas subinde virtutum accessiones facere. Debent Antistites omnes inesse virtutes, nec debent esse vulgares. Monstrum, si malum: nec mul-

In Antistite vitium est non esse optimum.

C tum, si sit mediocriter bonus, debet esse optimus, seu bonus insigniter, id est, homo Deus. Qui enim dicit optimum, seu excellenter bonum, dicit virtutis omnis superexcellentis cumulum. Ita Augustinus in illa verba Psalmi, Confitemini Domino, quoniam bonus: Non potuit, inquit, laus Dei breuiùs explicari, quam vt diceretur, quoniam bonus est. Quid sit grandius istâ breuitate, non video, cum ita sit proprium Deo quòd bonus est, vt à quodam compellatus ipse Filius Dei cum audiret, Magister bone, ab eo scilicet qui carnem eius intuens, & diuinitatis eius plenitudinem non intelligens, solum

Augustin. in exposit. Psa. m. 117. à limine.

D hominem arbitrabatur, responderet, Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi vnus Deus. Quod quid est aliud dicere, quàm si me bonum vis appellare, intellige & Deum.

Quoad tertium. Nihil non promittunt homines, cum dignitates ambiunt: spondent, respondentque ad omnia, Possumus. Ita quidem si petas, sed si repetas, nihil eorum quæ vouent, debentque exsoluunt, Episcopatum petis, Pontificatum petis: nescis quid petis. Corripiendi sunt inquieti, (verba sunt Augustini) pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, in-

Augustin. serm. 39. et nouis vers. finem.

E sidiantes cauendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adiuuandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. Cum grandi timore ac sollicitudine cogitandum est, qualiter Pontificatus officium sine reprehensione possis implere, vt non tam præesse quàm prodesse delectet. Sed nihil terret in officio, nihil deterret à voto: nihil non præsumunt, qui sibi honorem sumunt ac dignitatem: nihil non possunt præsumptione, qui nihil possunt actione. Instant, sollicitant: sed quò instantia ambitiosior, eò repulsa est iustior, & indignior gratia. Vis esse sacerdos, non tan-

quam

Ambrof. epist. 25. quam Aaron sed tanquam Christus: ille enim vt dixit Ambrosius, Typus est sacerdotum omnium. Audi igitur Apostolum Paulum. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret. Non se ipse clarum fecit, non promouit ad Pontificatum; non se Sacerdotij decorauit insignibus, non sibi arrogauit honorem dignitatemve, licet omnibus præcelleret hominibus & Angelis, licet vniuersis præfulgeret virtutibus. Sed bonus sit aliquis, imò & sanctus est: nondum tamen omnis qui probus est, etiam probandus est. Sit sanè aliquis, ait Gregorius Nazianzenus, non modò à vitiorum contagione purus, verùm ad summum etiam virtutis fastigium euectus: haud equidem video quonam scientiâ instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi præfecturam intrepidè suscipere queat Nam profectò ars quædam artium, & scientia scientiarum, mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex. Id porrò hac demum ratione quispiam perspexerit, si animarum curandarum rationem cum corporum medicinâ contulerit, quandoque hæc nostra laboriosior, quàm illa sit, expenderit, ac tum materiæ naturâ, tum artis facultate, tum actûs fine, præstantior. Illius enim labor circa corpora versatur, fragilémq; hanc, & humi labentem materiam, omninò tandem interituram. At huius studium atque opera in animâ ponitur, quæ ex Deo est, atque diuina, supernæque nobilitatis particeps, ad eamque properans: tametsi viliori interim ac deteriori, nempe corpori, adstricta sit. Quis ergo iam irruet, aut quis ambiet?

Gregorius Nazianzen. 1. orat. Apol. cit. med.

Ars artium est regimen animarum.

PVNCTVM II.

A quo?

EX omnibus quæ Pontificem spectant, maximè vocatio interest, & est quædam principalis, imò & essentialis conditio: sicut enim Dei est instituere religionem seu cultum suum, sic & illius est sacerdotem eligere seu promouere ad officium. Idcircò Paulus, ceteris prætermissis, hanc partem aggreditur, diuinamque vocationem prosequitur tanquam necessariam conditionem: Sed qui locutus est ad Deum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quibus ostendit à quo est promotus: clarificatus est enim diuino iudicio, quia scilicet Dominus locutus est ad ipsum. Ita Aquinas. Tria igitur demonstranda sunt. Primum est, Pontificem diuino declarandum iudicio: alterum, paterno dignandum alloquio: tertium, in filium, id est, in Pontificem charissimum cooptandum.

Aquin. lect. 1.

Quoad primum. Non spernendum est suffragium humanum, sed attendendum est diuinum iudicium. Nam, vt loquitur Cyprianus, Neque maledici regnum Dei consequentur: quomodo possunt censuram Dei vltoris euadere, qui talia ingerunt non solùm fratribus, sed & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quisquis sacerdoti eius & ad tempus hîc iudicanti non obtemperaret, statim necaretur? Cum tanta & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

A auctoritas & potestas diuinâ dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotes hostes, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Vnus est in Ecclesiâ ad tempus sacerdos: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret: nisi si ita est aliquis sacrilegæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, id est, dispensatorem eius, non de eius sententia ordinari. Hoc est fidem non habere quâ viuimus, hoc est Deo honorem non dare Nihil quidem sine Dei voluntate fit, & si bonum sit, non sciente tantum, sed & agente.

Qui digni sunt, diuino processi sunt iudicio.

B Verùm si nec minima fiunt citrà Dei arbitrium quomodo fiunt summa citra Dei iudicium? Nam credere, ait ille, quòd indigni & inerti sint qui ordinantur, quid aliud est quàm credere quòd non à Deo, nec per Deum sacerdotes eius in Ecclesiâ constituantur? Quod si ipse Dominus qui omnia postmodum iudicaturus sit, noluit de testimonio suo sibi credi, sed maluit de iudicio ac testimonio Dei Patris probari: quanto magis hoc seruos eius obseruare oportet, qui iudicio ac testimonio Dei non probantur tantùm, sed etiam gloriantur? Post

Cyprian. lib. 4. epist. 9.

C Deum verò iudicem qui sacerdotes facit, velle de Dei & Christi iudicio iudicare, hoc est in Deum non credere. Felix seculum, in quo Deus Episcopos suo probabat calculo, certóque aduersùs obloquentes contumacésque vindicabat suffragio Memini, ait Cyprianus, quid seruo obsequenti & timenti de dominicâ & diuinâ auctoritate præceptum, qui inter cetera quæ ostendere & reuelare dignatus est, & hoc addidit: Itaque qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipiet sacerdotem vindicanti. Protegebat enim Deus sacerdotem quem fecerat: vt qui iudicium sperneret, sustineret supplicium.

Cyprian. Ibidem.

D Quoad secundum. Sicut Sacerdotium Aaronicum confirmatum est per virgã quæ floruit, sic & manifestatum & per aram, quæ responsa dedit, & fudit oracula. Consuluit Saül Dominũ, & non respondit ei, neque per somnia neq; per Sacerdotes, neque per Prophetas. Quomodo per Sacerdotes? Quia Sacerdotibus consulentibus, respondebat Dominus de propitiatorio seu oraculo. Ita Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. Cumq; loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus, magnus exortus est in castris Philistinorũ. Et de Dauide, Respondens Achimelech Regi, ait: Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?

1. Reg. c. 27

1. Reg. c. 14

1. Reg. c. 22.

E Id enim tritum, & in more seu consuetudine positum. Inde igitur commendantur seu Pontifices, quod non solũ certo vindicãtur iudicio, sed & diuino donantur alloquio. Inde illi Sacerdotij sui prælationem ex eo defendebant, quòd excipiebant Dei dignationem. Donatus orauit, & respondit ei Deus de cœlo. Crederem, ait August. si non diuisisset vnitatem. Fallũtur quidem aut fallunt, sed abutuntur oraculis, sicut & miraculis, indéq; decipiũt. Sed apertè Cyprian. & sincerè Pupiano: Si Maiestatem Dei, inquit, qui Sacerdotes ordinat, & Christi cogitaueris: si Christum qui arbitrio ac nutu ac præsentiâ suâ & præpositos ipsos, & Ecclesiam cum præpositis gubernat, aliquando respexeris; si

Augustin. Tract. 13. in Ioan. vers. fin.

Cyprian. lib. 4. epist. 9.

de innocentiâ Sacerdotum non humano odio, sed diuino iudicio crediderís: si temeritatis & superbiæ atque insolentiæ tuæ agere vel serò pœnitentiam cæperis, si Deo & Christus eius quibus seruio, & quibus puro & immaculato ore sacrificia & in persecutione pariter & in pace indesinenter offero, plenissimè satisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos diuinæ censuræ respectu & metu, vt prius Dominum meum consulam an tibi pacem dari, & te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti suâ ostensione & admonitione permittat. Secedebant illi à turbis nonnunquam, petebant solitudinem, Deumque de agendis consulebant. Nihil, ait Gregorius Nazianzenus, tam optandum cuiquam esse videtur, quàm vt occlusis sensibus, atque extrà carnem mundumque positus, & in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, diuinasque species puras semper, nec terrenis vllis & errantibus formis admixtas, in seipso circumfert, Deique ac rerum diuinarum, purum omninò speculum est iamque futuri æui bonum spe percipit, & cum Angelis versatur; ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque à spiritu sursum collocatur. Ita lucem haurit cœlestem, ita Angelorum, imò & diuinam contrahit familiaritatem.

Episcopi diuino donati alloquio.

Gregorius Nazianzen. orat. 1. Apolog. cit. med.

Quoad tertium. Hoc præcipuum est, quod Deus Sacerdotem seu Pontificem non solùm designet in ministrum, sed & cooptet in filium. Ita Christus oleo lætitiæ præ cõsortibus suis vnctus est, vtpote à Deo Patre Rex & Sacerdos à Deo Patre super Sion constitutus. Non enim clarificauit semetipsum, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Produxi te, in Pontificem charissimum, in Sacerdotem amantissimum. Quid hoc ad filium? Maximè, inquit Chrysost. hæc est præcedens confirmatio & comprobatio quòd sit à Deo institutus & ordinatus. Quomodo non eum probet in Pontificem, quem filium agnoscit, quomodo neget à se institutum quem dicit à se genitum, diligitq; vt filium naturalem? Agnoscit verbum suum etiam incarnatum, vtpote eodẽ semper splendore fulgidum, eodemq; charactere impressum. Est enim Verbum virtutis sanctitatisq; Verbum actuosissimũ iuxta ac sanctissimum: ille est, qui quod ore dicit, probet opere; quid quod præcipit verbo, cõfirmet exẽplo. Tales igitur sint Sacerdotes, si volunt Deo esse chari, si volunt in filios allegi, & ab eo non probari tantùm, sed tamquam præclaros commendari: non enim in sermone, sed in virtute, non minus sacerdotium Dei, quàm Christi constitutum est Euangelium. Non confundant opera tua sermonẽ tuum (ait Hieronym.) Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Quid prodest oraculum doctrinæ, vbi deest vitæ testimonium? aut quid facit scientia, si deficit conscientia? Verbum istud actuosum non est, sed defectuosum: filius ille non est germanus, sed incertus: erubescendus pudendusq; potius de indignitate spectandus laudandusve. Sacerdos dicit, & non facit, non locutus est ad

Chrysost. orat. 8.

Quanta esse debeat inter os & manũ concordia.

Hieronym. epist. 2.

A eum Deus Pater, nec alloquio dignatus, nec eloquio: non eum cooptauit in filium, nec ei dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quid ergo est? Talem se præbeat sacerdos, vt exẽplo potius doceat quàm verbo, non tam sermonem ministret quàm virtutem, possibilemq; imò & facilem præeundo, nedum præsidendo demonstret. Nam, vt monuit Cyprian. quantum perniciosa est ad sequentium lapsum ruina præpositi, in tantum contra vtile est & salutare, cum se Episcopus per firmamentũ fidei fratribus præbet imitandum. Benè ille regit plebem, qui diligit, benè ille gregem ducit conducitque, qui B in regnum æternitatis, per aditum inducit virtutis; qui si nec de sermone intumescit nec erubescit de opere.

Cyprian. lib. 3. epist. 11.

PVNCTVM III.

In quo?

IN æterno sacerdotio: Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternũ secundùm ordinem Melchisedech. Ille filius ab æterno genitus, & in æterno à Patre cõstitutus, quod naturam assumptam, sacerdotio. Quod C Christus vbique dictitabat, (ita Athanas.) Quia à Patre scilic. missus sum, & à meipso non veni, id ipsum nunc confirmat Apostolus, à Deo hũc esse dimissum. Nec gloriam sibi ex se consciuisse, sed qui esset ad eum locutus; & filium esse hunc suum dixisset, eundem clarum fecisse, & sacerdotij insignibus decorasse. Cum itaq; sensibilibus plurimis argumentis patuisset, fuisse Aaron à Deo Prælatum & affectum honoribus Christus verò nihil haberet huiusmodi, Prophetarum nunc vaticinio, quod pręstantius est, patefacit, & à Deo hunc destinatum fuisse testificatur. Et videtur quidẽ, quod in secundo Psalmo dictum comperimus, Ego hodie genui te, D minus rei propositæ conuenire. Sed habet hoc loco Paulus constitutum Christum arguere in Pontificem à Deo promissum. Respondendum itaque genituram huiusmodi maximũ in modũ ad rei confirmationem valere, quòd à Deo sit in Pontificem constitutus. Vt qui à Deo ipso esset progenitus, ideoque tanto dignus esset sacerdotio. Tria igitur inde elicienda sunt. Primũ, decentius filium, quàm patrem constituendum in sacerdotem: alterum, melius talem seu sacerdotem seu filium, æterno prouehendum sacerdotio: tertium, ordinem istum tam singularem, quàm Christo Domino proprium.

Athanas. in Paulum.

Quoad primum. Poterat equidem Pater incarnari, poterat clarificari, id est, Pontificẽ agere, seu in assumptâ naturâ honorem sumere: sed E non tam clarificatus esset, quàm semetipsũ clarificasset, vt Pontifex fieret; nec tam Pontificatum auspicatus esset ab alio, quàm proprio assumpsisset arbitrio. Filius ergo decentius incarnatus est, vt à Patre missus, & in honore constitutus. Sed & id prouidè factũ, sicut & rectè dispositum, vt sapientia Dei ad nos descenderet, munúsque exerceret, in quo tantâ opus animi perspicaciâ. Haudquaquam enim idem esse existimo, (ita Gregorius Naziazenus) gregi aut armento præesse, & hominum animas gubernare. Illi enim quàm pinguissimas & obesissimas oues ac boues reddere sufficit: idque

Gregorius Nazianzen. orat. 1. Apolog. circa med.

idque sibi, & Pastor, & Bubulcus, ob oculos ponens, irrigua & compascua loca explorabit, gregemque & ad pascua ducet, & à pascuis educet, fessumque recreabit, & aliò monebit, ac reuocabit, aliquoties quidem pedo, vt plurimum autem fistulâ. Nihil porrò aliud negotij Pastor aut armentarius habet, quàm vt cum lupis nonnunquam pugnet, atque interdum etiam ægram ouem aut bouem visitet. Magnâ autem temporis parte quercus ipsi, & vmbra, & fistulæ curæ erunt, & in pulchrâ herbâ corpus sternere, atque propè gelidam aquã, & sub lenissimâ aurâ lectulum ex tempore cõpingere, amatorium etiam quiddam cum cissybio cantillare, ac oues vel boues alloqui, & ex his etiam pinguissimas quasque comedere, aut pretio addicere. Virtutis porrò ne leuissima quidem cura gregem vllum aut armentum vnquam tetigit. Quæ enim virtus eorum esse queat? aut quis eorum commodum potius, quam voluptatem súam spectauit? Et medicus quidem regiones, & tempora, & ætates, & anni partes, ceteraque huius generis inspiciet: sed causæ sunt, quæ me, vt nostram medicinam corporeâ medendi ratione longè difficiliorem, ac proinde præstantiorem, existimem, impellunt. Illa quippe nihil aliud spectat, quàm vt sanitatem, aut bonam carnis habitudinem, vel præsentem conseruet, vel absentem reuocet. Huic contra scopus est, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare diuinamque imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare: Christúmque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere, atque, vt summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, Deum efficere. Ad hoc quis tam idoneus, quàm ipse Christus, æterna Dei sapientia, cum industria diuina, in homine sanando, seu reuocando ab errore, tota videatur esse posita, Christusque ad hoc tandem natus, vt vulneribus nostris seu humanis erroribus, tam sapienter medeatur quàm & feliciter. Huc, ait ille, magistra lex tendit: huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ: huc spiritualis legis perfector & finis Christus. Huc exinanita Deitas: huc assumpta caro: huc noua illa mixtio, Deus, inquam, & homo, vnum ex vtroque, & vtrumque per vnum. ob hanc causam Deus animæ interuentu carni iunctus est, vt res inter se disiunctæ ac dissidentes per interpositæ rei cum vtraque earum affinitatem & cognationem copulatæ sunt.

Quàm diuersus medicinæ corporalis & gratiæ spiritalis scopus.

Grego. Ibidem.

Quoad secundum. In hoc ipso Psalmo quem laudat Paulus, priùs ante Luciferũ genitus prædicatur, quàm sacerdos dicatur in æternum. Cur ita, nisi quia dignitatem comparat ad æternitatem: qui enim ab æterno genitus est, æterno etiam prouehendus est sacerdotio. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex vtero antè Luciferum genui te. Illud igitur aduerte, (ita monuit Athanasius) quod cum in illo Psalmo iam dixerit Deus, De vtero ante Luciferum genui te, & paulò post illud adiecerit, Tu es sacerdos in æternum, hoc loco Paulum quæ Psalmis his vtrisque de natiuitate sunt dicta, coniunxisse: perinde ac si dicat, Nequaquam velim de alio quouis dictum id suspiceris, Tu es sacerdos in æternum, nisi de Deo & solo: qui sit ante Luciferum genitus. Sic itaque haudquaquam esse alius hîc deprehendetur, quam ille fuerit, qui Psalmo secundo denuntiatur hodie fuisse progenitus. Nam cum ante Luciferum inquit æternitatem designar, quæ nullis temporum spatiis præfinitur. Cum verò hodie dicit, à principio esse hunc genitum arguit, id est, ab æterno. Constat igitur quæ Psalmus secundus complectitur, ad Christum cuncta referri. De Christo ergo & illud, Tu es in æternum sacerdos, dictum esse, perspicuum erit omnes alij sacerdotes quia puri puti homines, temporales sunt, & si ad munus destinati, ac tempus tamen dati. Attendamus, ait Ambrosius, quod posuit, Filius meus es tu: quod etiam ei dictum est post baptismum. Hîc itaq; vt Christum vnam personã sentires, & vnigenitũ Dei filiũ adiecit, Ego hodie genui te. Hoc nihil habet commune cum ceteris qui filij dicuntur, qui sacerdotes appellantur, de quibus dictum est, Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Christus namque factus est sacerdos non temporalis, sed æternus, ad quem dictum est, Tu es sacerdos in æternum. Quale illud, & quàm grande sacerdotium, quod iam ab exordio mundi demonstratum est, & nullo iam æui spatio terminandum. Quo pacto enim in æternum hîc dixit? Quia inquit Athanasius, in præsenti & corpore ipso quod ille nostri gratiâ immolauit, pro nobis etiam intercedit ad Deum ipsum & Patrem. Id est, quæ ille pro nobis perpessus est, profert, vt Patrem exoret, eumque istiusmodi subinde alloquitur: Humanâ naturâ temperandâ, vnigenitus tuus hæc tolerauit: Miserere itaque horum, pro quibus ipse pati sustinui. Quantæ virtutis sit illud sacerdotium, quod perpetuæ æternitatis sit, quod nec tam finiri possit, quàm nec exhauriri? Sed spectanda persona, quæ infinitæ potestatis sit, quæ & humanæ naturæ dignitatem conciliet, virtutemque tam interminabilem præstet, quàm & insuperabilem.

Athanas. in Paulum.

Æterno vni, genito æternum dandũ est sacerdotium.

Ambros. in Paulum.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Dicimus ordinem illum esse singularem, asserimusque tam nobilem, quàm Christo Domino esse proprium. Cui enim hoc dictum est? (ait Chrysostomus) Quis est secundùm ordinem Melchisedech? Nullus alius: omnes enim erant sub lege, omnes obseruabant sabbatha, omnes circumcidebantur. Non potest quispiam alium dicere. Nec alteri dicit Pater, sicut nec promisit alteri. Ideo enim præmisit. Ex vtero, antè Luciferum genui te. Accipiamus patrem, ait Augustinus, dicentem ad filium. Ex vtero ante Luciferum genui te. Dictum est, vt dici oportuit, figuratè & propheticè, vt & vterus pro secretâ substãtiâ, & Lucifer pro temporibus poneretur. Vultis autem vt ipsum Dauid respiciamus, qui Dominum suum dixit filium suum. Si ergo ipse loquitur, fortè ipse potuit dicere, Ex vtero ante Luciferum genui te: ex vtero virginali, ante Luciferum genui te. ex vtero, quia solus ex solo vtero. O tu Domine Deus meus, sedens ad dexteram Domini mei, vnde & filius meus, nisi quia ex vtero ante Luciferum genui te? Et ad quid natus es? Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ad hoc enim natus ex vtero ante Luciferum, id est noctu, vt esses sacerdos in æternum secundum

Chrysost. orat. 8.

Augustin. in Exposit. Psal 109. vlt med.

Christus sacerdos secùdum humanam naturá, non diuiná.

ordinem Melchisedech. Si natum ex vtero de A Virgine intelligimus, antè Luciferum noctu, sicut Euangelia contestantur proculdubio inde ex vtero antè Luciferum vt esset sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Nam secundum id quod natus est de patre Deus apud Deum, coæternus gignenti, non sacerdos, sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam pro nobis offerret à nobis acceptam. Ideo in æternum, quia non pœnitebit eum. Nunquid enim erunt illæ hostiæ,& illa Testamenti Veteris sacramenta? Absit. Iam illa sublata sunt, euerso iam templo, remoto illo sacerdotio. Tu es sacerdos in æternum, ad Christum dictum est. Quid agit B sacerdos in æternum? Quid agit? Qui est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, tanquam sacerdos intrans in interiora vel in sancta sanctorum, in secreta cœlorum: ille solus non habens peccatum, & ideò facile mundans à peccatis. Hic ordo tam præcipuus, quàm & singularis, à quo est omnis alius ordo. Totum est, ait Ambrosius, vnigenito filio proprium: iste enim solus secundùm ordinem Melchisedech, ex eo quod natus est de vtero virginali ante Luciferum: sacerdos propter carnē quam assumpsit, aut propter victimam quam pro nobis obtulit, id est, carnem & sanguinem. Sacerdos enim dicitur præcipuè Christus, qui semel se pro nobis obtulit immolandum, sicut semel de Melchisedech in sanctâ legitur scripturâ & eius sacerdotio. In æternum verò cum dicitur, ipse significatur Dominus Christus, qui permanet, in gloriâ sempiternâ.

Ambros. in Paulum.

DILVCIDATIO VI.

De oblatione.

SI sacerdos est, & aliud necesse est habeat, quod offerat: sed interest, Quid, Quando, Cui Quo ritu, Quo Successu. Singula igitur singulatim elucidanda sunt.

PVNCTVM. I.

Quid?

APperit Paulus, cum ait, preces supplicationesque offerens. Sacerdotales nimirum, Solemnes, publicas, & Pontificio expressas officio: quasi in modum sacri seu sacrificij. Verba quippe sunt priora rebus, sicut & significationibus potiora. Primum autem sacrificium est in laudibus. Secundum in precibus. Tertium in supplicationibus.

Quantum ad primum. Habent Angeli, habent & Beati sacrificium, sed in laudibus per- E petuis, non in rebus externis positum. Ita Dominus Iobo: Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Quia enim, ait Gregorius, prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immeritò matutina astra Angeli vocantur. Nec negligenter audiendum est, quod additur, Simul: quia nimirum astra matutina

Gregorius l. 28. Moral. cap. 7.

etiam cum vespertinis Redemptoris potentiam laudant, dum electi Angeli etiam cum redemptis in fine mundi hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificant. Ipsi quippe vt nos ad laudem conditoris accenderent, ortâ per carnem luce, clamanerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Simul ergo laudant, quia redemptioni nostræ voces suæ exultationis accommodant. Sed quomodo valebit lingua dicere, quod non sufficit mens nostra sentire? Ideò sequitur, Et iubilarent omnes filij Dei. Iubilatio quippe dicitur, cum cordis lætitia oris efficaciâ non expletur: sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse qui gaudet, nec tegere præualet, nec explere. Illud quidem sacrificium, beatorum est, qui cum iam peruenerint, habitant in do- Dei, qui cum scopum attingerint, Deum laudant in seculum seculi: nihil enim iam habent quod postulent, sed vident in quo exultent. Sed & candidatorum felicitatis est, vtpote de acceptis gratorum beneficiis, & pro accipiendis gestientium. Ita Deus ipse. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Aspirant isti, sed & simul laudant; contendunt ad portum salutis, & laudis offerunt sacrificium. Audite ergo qui bene viuitis, (ita apud Augustinum) audite qui malè viuitis, Sacrificium laudis glorificabit me. Nemo mihi offert hoc sacrificium laudis, & malus est. Non hoc mihi offerat malus, sed nemo C mihi hoc offert malus. Qui enim laudat, bonus est, quia si laudat, etiam benè viuit; quia si laudat, non solum linguâ laudat, sed & vita cum linguâ consensit. Sacrificium laudis glorificabit me & ibi via est quâ ostendam illi salutare Dei. In sacrificio laudis via est, quâ illi ostendam salutare Dei. Iam aggrediendum in viâ., quod peragendum in patria: sacrificium laudis à iustis seu iustificatis, à sanctis seu sanctificatis immolandum est, sed hîc inchoādum, illic consummandum: illò tenditur, in illo conquiescitur. Dominus ergo illi & nos ait ille, In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. O sacrificium gratuitum, gratiâ datum! Hæc enim immolatio, hoc sacrificium laudis, & gratias agere illi à quo habes, quicquid boni habes. Nam enim præsumere debes de viribus tuis, omnia auxilia tua mendacia sunt. Sacrificium igitur laudis delibatur in gratiâ, consummatur in gloriâ, cum iam expleti sancti, verbum eructabunt optimum, nec cessabunt laudes ei canere, qui gratiam dedit & gloriam, qui in portum induxit salutis, brauiumque beatitudinis contulit.

Sacrificium laudis beatis & bandis proprium.

Psalm. 49.

Augustin. Enarrat. in Psal. 49. sub fin.

Augustin. vlt. med.

D

Quoad Secundum. Sicut laudes felicium sunt, sic & preces sunt indigentium. Inde, omnes homines ad cælum manus tollimus preces facturi. Eò enim spectamus, vnde speramus nos auxilium accepturos; & cum leuamus manus, optatum præoccupamus beneficium. Quia verò omnes homines sunt indigentes, idcircò omnes quasi genia innato faciunt precationes, nec ad Capitolium, sed ad cælum respiciunt, quia non aliunde venturum sibi prospiciunt adiutorium. Inde vani ethnici, qui Deos precati marinos, manus ad mare porrigebant: inferos, terram pede percutiebant: in hoc tamen cauti, quod eò se

Auctor. lib. de mundo.

Illò leuatur manus, vnde munus expectatur.

Xen. lib. 6. pad.

se obuerterent, vnde subueniri sibi confiderent. Sed passim precantes, manus tendebant in cælum, & hoc Symbolo petebant indigentiæ suæ subsidium. Apud Xenophontem, τὰς χεῖρας ἀνατείνειν πρὸς τὸν οὐρανόν. Inde & vota precibus passim permista. Cessas in vota precesque. Illi enim promittimus, à quo petimus, vt & gratior precatio fiat, & facilior succedat impetratio. Sed iam ex nostris præpositus, ὁ προεστὼς, ait Iustinus Martyr, quantum pro virili suâ potest, preces fundit, & populus faustè acclamat. & Sub hæc consurgimus omnes, & precationes profundimus, & precibus peractis panis offertur, & vinum & aqua, preces illæ solemnes sunt ac publicæ. Inde passim apud Cyprianum, precem cum multis facere. Seu, vt est apud Tertullianum offerre munus Deo apud templum, orationem scilicet. Ita, In omni loco sacrificium offertur, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientiâ purâ. Nam, vt & idem ait, Sacrificamus, sed purâ prece. Sacrificia enim Christiana non solùm incruenta sunt, sed & mystica: omnia denique mysteria diuina mynisteria, precibus & orationibus peragenda. Ita Gregorius Nazianzenus. Vbinam, inquit, & à quibusnam mysticis illis, ac sursum ferentibus sacris coleretur, (quibus nec maius quicquam, nec præstantius apud nos est) si nec præfectus esset, nec sacerdotium, sacrificium, nec alia omnia quibus, olim inobedientes homines & contumaces ob ingentia peccata mulctati sunt? præit ergo Christus, formamque sacrificio præmittit Christiano, preces offerendo & orationes, clementiam ac gratiam petendo diuinam; auxilium scilicet postulando, & supernum deprecando subsidium.

Iustin. Apolog. 2. pro Christ. sub fin.

Tertullian. lib. 4. aduers. Marc. c. 9.

Tert. eod. l. cap. 1.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. 2.

Grego. Nazian. orat. 1. Apolog. cir. med.

Quoad tertium præcantes petunt quidem, sed supplicantes, non solùm preces descendunt in omnes, verùm & omnem præferunt humilitatem, & vsque ad solum sese deiiciunt. Actus Christi fuit, ait Aquinas, quia obtulit preces & supplicationes: hoc est, spirituale sacrificium, quod Christus obtulit. Dicuntur autem preces, id est petitiones. Iacob. vlt. Multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Supplicationes verò dicuntur, quantum ad humilitatem orantis, sicut genuflexiones &c. Math. 26. procidit in faciem suam orans. Parum fuit igitur Christo, postulasse auxilium à Deo, non enim preces tantum obtulit, sed & supplicationes; cum ad omnem se deiecit humilitatem, nec instanter tantum petiit sed & suppliciter. Ita olim supplices non solum genibus suis resoluti, sed & alienis aduoluti, iis inhærentes tanquam altaribus, & extremam deprecantes misericordiam. Supplicatio enim, miserorum est, & reorum vt plurimum, qui nihil non faciunt vt euadant, nihil omittunt vt paratum auertant supplicium. Hominibus genibus, ait Plinius, quædam & religio inest, obseruatione gẽtium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendũt: hæc, vt aras adorant. Non amplexati solùm, sed & exosculati. Quin & pedibus procumbebant, veniamque fletibus petebant ac misericordiam. Sicut enim habitu sese deiiciebant, sic & actu sese demittebant, accidentes, induratámque artibus omnibus flectentes clementiam. Concipe igitur sacerdotem humiliatum, seu Pontificem Christum, non solùm preces offerentem, sed & supplicationes, in omnes descendentem deprecationes, & diuinam extorquentem misericordiam. Hæc enim haudquaquam sunt Dei, (vt loquitur Athanasius) sed Christi vnius humanitati sunt tribuenda; & vt veritas assumptæ naturæ clarescat, & eius in nos cura & charitatis præstantia patefiat. Ille enim pro nobis deprecabatur, & quæ nostra est, mortalitatem subiuit, vt seipso naturæ ad mortem obeundam deleret formidinem. Constat enim in Euãgelio nusquã proditũ litteris esse, vt resurgeret, patrẽ fuisse precatũ, sed contra, suopte imperio & potestate dixisse comperimus, Soluite templum hoc, & suscitabo illud post triduum: & alibi, potestatem habeo accipere animam meam. Petit quidem à patre, sed in carne petit, & pro carne, non ex inopiâ potestatis, sed pro formâ humanitatis: vt scias Christum in assumptâ naturâ sacerdotem, humiliter suppliciterque pro miseris mortalibus, imò pro reis hominibus deprecantem. Totum enim, vti dixit Ambrosius, & quidquid egit Christus in carne preces sunt & supplicationes pro peccatis humani generis.

Aquin. Lect.

Plin. lib. 11. cap. 45.

Supplices genibus vel ut altaribus inhærentes.

Athanas. in Paulum.

Ambros. in Aquin. Lect. 1.

PVNCTVM II.

Quando?

Clarum est ex Paulo, Qui in diebus carnis suæ offerens. Nec tamen adeò clarum: quid enim, In diebus carnis suæ. Potest igitur triplex suggeri intelligentia.

Prima est, quoad carnem mortalem seu passibilem: nunc enim carnem gerit, sed immortalem & incorruptibilem. Quinam igitur fuerunt dies carnis? qui decucurrerunt antè passionem & resurrectionem, nonnullumque reliquerunt mortalitatis & corruptibilitatis vestigium. Caro, ait Aquinas, quandoque sumitur pro fragilitate carnis. Christus autem tunc habuit carnem fragilem & corruptibilem. Et ideò dicit, In diebus carnis suæ: id est, in quibus gerebat carnem similem peccatrici, non peccatricem. Omnis caro, omnis homo, nunc mortalis, & exinde passibilis. Attendat charitas vestra, (ait Augustinus) Aliud est sanitas corporis, aliud stupor corporis, aliud immortalitas corporis. Sanitas quidem perfecta, immortalitas est: sed dicitur etiam secundùm quendam modum sanitas, quam habemus in hac vita. Quando non infirmatur, vnusquisque sanus vocatur; & cum inspexerit Medicus, sanum renuntiat: & cum ægrotare quisque cœperit, ipsa sanitas perturbatur? quando curatur, ad ipsam sanitatem reditur. Tres ergo affectiones quasdam corporis aduertite & inspicite: sanitatem, stuporem, & immortalitatem. Sanitas ægritudinem non habet, sed tamen quando tangitur, & molestatur, dolet. Stupor autem non dolet, amisit sensum doloris, tanto insensibilior, quanto peior. Rursus immortalitas non dolet, assumpta est enim omnis corruptio, & corruptibile hoc induet incorruptionem;

Augustin. Enarrat. in psal. 55. cir. med.

Tres affectiones carnis seu corporis spectabiles.

tionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Nullus ergo dolor in corpore immortali, nullus dolor in corpore stupido. Non se putet stupidus iam immortalem: vicinior est immortalitati sanitas dolentis, quàm stupor non sentientis. Caro igitur nostra etiam sana, media est inter stuporem & immortalitatem, tanquam inter vitium & præmium: nec insensibilis per stuporis vitium, nec incorruptibilis per immortalitatis præmium: licet enim non doleat, & nonnullum habeat ægritudinis & dolorisiustitium, Semper tamen corruptioni sicut & morti est obnoxia. Sed cum venerimus ad eum locum, ait ille, ad eam sedem, ad eam beatitudinem, ad cælestem patriam, vbi anima nostra impleatur securitate, impleatur quiete & sempiternâ felicitate, nullus ibi dolor erit, quia vnde doleatur non erit. Sunt igitur dies carnis, illi quos in viâ ducimus, quamdiu viuimus cum patientiâ? dum etsi non dolemus, dolori tamen subiacemus & infirmitati.

Augustin. Ibidem.

Secunda est, quoad carnem patientem. Dies quippe carnis Domini nostri, ait Ambrosius, dies sunt, in quibus tentatus, & passus est, in quibus preces supplicationesque ad Deum qui posset saluum illum facere à morte, offerebat. Nostræ enim salutis caussâ perpessus est, qui nullum habens peccatum, peccatũ pro nostris factus est, id est oblatio pro peccatis nostris. Simile est itaque quod dicitur hic, Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque offerens; ei, quod in Euangelio legitur eum dixisse. Pater, si fieri potest, transfer calicem istum à me. Tunc nimirum factus in agoniâ, prolixiùs orabat, iamque crucis ac mortis præludia, preces offerebat supplicationesque: procidit enim in faciem, omnemque orans & agonizans, humilitatem prætulit. Sunt igitur dies carnis, dies infirmitatis, in quibus ab Angelo confortatus, quasi alieno ob anxietatem passionis, seu humilitatem carnis confortandus esset auxilio. Verba namque ipsa patientis sunt, satagentisque; solliciti de passione, in tribulatione positi: orat quippe multa patiens, & de malo liberari desiderat; iam flagella præsentiens. & de patibulo gestiens vindicari. Quid enim ait? (verba sunt Augustini) Contristatus sum in exercitatione meâ, & conturbatus sum. Cum extẽdit dilectionem, vt diligat inimicos, affectus est tædio multorum inimicitiis, multorum rabie circum latratus, & quadam, humanâ infirmitate succubuit. Vidit se iam incipere penetrari malâ persuasione Diabolicâ, vt odium inducat aduersum inimicos: reluctans odio vt perficeret ipsam dilectionem, in ipsâ pugnâ & luctâ turbatus est. Inde dolor passionis iam per agoniam præcurrentis, inde & sudor sanguinis in terram decurrentis. Dicit ergo in illo Psalmo, Exaudi Deus deprecationem meam, & ne despexeris precem meam: intende mihi & exaudi me. Inde, ait ille, orat positus inter malos, quorum inimicitiis exercebatur. Iam enim delibabat passionem, iam malorum sustinendorum voluebat imaginem. Inde anima eius vsque ad mortem tristis, quasi gladio percussa doloris: tunc carnem sensit dum pertulit infirmitatem? tunc dies carnis suæ duxit, cum dolores subiit nostræ mortalitatis.

Ambros. in Paulum.

Dies carnis dies sunt infirmitatis.

Augustin. Enarr. in Psal. 54 cit. med.

Augustin. Ibidem.

Tertia est, quoad carnem morientem. Tria igitur consideranda sunt. Primum est, per dies carnis non intelligere Paulum totum vitæ mortalis excursum, sed certum aliquod tempus, in quo tẽtatus, tribulatusve, preces obtulit humillimas, vt euaderet; positusque in agonia, iamq; mala mortis expertus imminentis, institit per iteratas supplicationes, vt si caderet expirans, triumphans resurgeret. In diebus illis. Seu, in illo tempore. Determinatum est temporis spatium, in quo aliquid peractum est, & per sensum doloris connotandum. Alterum, Apostolum non tam respicere instantiam passionis, quàm mortis præstantiam. Quamuis enim instante morte, Christus orauerit prolixiùs, imò preces obtulerit supplicationesque: tamen etsi orauit, non tamen clamauit; imò, non tam mentis actus est, quàm carnis affectus: vnde nec exauditus est, licet semper exauditus fuerit, cum aliquid petiit, seu voluit. Intelligendum est ergo quantum ad affectum sensualitatis, (ita Aquinas) quæ mortem refugiebat exaudituit tamen quantum ad affectum rationis: Christus enim nihil aliud voluit, nisi quod sciuit Deum velle. Tertium est, Paulum spectare Christum, & hunc crucifixum, seu carnem considerare non solùm passibilem aut mortalem, non solùm patientem, sed & morientem. Sunt igitur dies carnis, dies mortis; per quam scilicet parta est victoria tam de peccato, quàm de Diabolo, & memoria diei illi seu tempori de carne morientе consignata. Ita in Psalmo. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quia inclinauit autem suam mihi: & in diebus meis inuocabo. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Psalmum enim hunc integrum, (vt addit Athanasius) ad Christum refert Propheta. Hunc ergo dicendi modum Apostolus à Propheta desumpsit. Quid ergo dies carnis? Dies, in quibus Christus tribulationem & dolorem inuenit, & nomen Domini inuocauit. O Domine libera animam meam. Dies in quibus circundatus est mortis doloribus & periculis inferni, & vmbris sepulchri iam obsitus. Clamauit per diem, clamauit per noctem, dum Patrem inuocauit adiutorem; & non ad insipientiam, nã repulsam non est passus, sed exauditus in tempore opportuno, & quod tanto clamore petebat, tam infallibiliter quàm & feliciter consecutus.

Per dies certum tẽpus designatum est.

Aquinas. 3. p quæst. 21. art. 4. ad 4.

Psalm. 114

Athanas. in Paulum.

PVNCTVM III.

Cui?

DEclarat Paulus dum aggerat: Ad eum, qui possit illum saluum facere à morte. Saluum facere, Græcè est σώζειν: non eum à morte seruare suscipiendâ, sed eum liberare à morte susceptâ. Ad quem igitur? Ad Deum: scilicet Deum Patrem: qui saluum illum facere posset à morte. Ita Aquinas.

Aquin. Lect.

Triplex

Triplex autem salus. Prima, per præuentionem: secunda, per ereptionem: tertia, per retributionem.

Quoad primam. Saluat Deus non solùm homines, sed & iumenta, dum præseruat, dum obstat ne præsens incurrant malum, ne incidant in periculum imminens. Ita Deus ad Noë. De volatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminam: vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. Ab impendenti scilicet diluuio. Et de Lot: Eduxerunt eum, & posuerunt extrà ciuitatem: vbique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam. Ab imminenti scilicet diluuio. Et ad populum, déque populo. Si receperit, & aperuerit portas cunctus populus, qui in eâ est, saluabitur. A communi scilicet periculo. Sic ergo & Christus, Salua me ex ore Leonis. Seu, vt legit Augustinus, Saluum me fac de ore Leonis. Additque, Leo rugiens nostis quis sit, circumiens & quærens quem deuoret. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Vnicornes non diceret, nisi superbos: ideò subiecit, humilitatem meam. Audistis quæ passus est Christus, & quid orauit, vt eruatur ab istis. Bellum denuntiatum est, & initus conflictus inter Christum & diabolum, vter vinceret, vter subigeret mundum, & teneret imperium. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum: hoc autem dicebat significans quâ morte esset moriturus. Vtpote cruce exaltatus, imò cruce glorificatus. Possidebat ergo diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum: dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam deserto creatore, deceptos captiuósque pertrahebat. Per Christi autem fidem quæ morte eius & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite vno eius spiritu fidelia membra vegetantur. Hoc vocabat iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem. Ita Augustinus. Rogabat ergo Christus in cruce, vt exurgeret Deus, ne præualeret diabolus; vt electos suos saluaret ex ore Leonis, tyrannidem infringeret dæmonis, excluderet potestatem, fidem sui corporis confirmaret. Vnde adiungit: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Sollicitus quidem pro Ecclesiâ, sed certus de victoriâ.

Quoad secundam. Saluat Deus eos, quos ad vitam resuscitat, quos euocat ad gloriam. Prouidebam Dominum in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter quod lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in me. Id est, vt exponit Augustinus, Insuper & caro mea non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, Quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis. Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Neque sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt, corrumpere patieris. Mortuus est Christus, sed saluus à morte factus est, dum citò à morte ereptus, citò saluatus, citò ab inferno liberatus. Sic enim postulauerat, sic & impetrauerat. Tu autem Domine, ne longè feceris auxilium tuum. Et factum est, inquit Augustinus, nam post triduum resurrexit. Ita ille saluationem agnoscit, protectionemve, cum ait: Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Ipsum caput nostrum intueamur, (ait Augustinus) multi Martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet quomodo caput Martyrum. Protectus est à multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso filio & homine quem gerebat: quia Filius hominis est, & Filius Dei est. Quid ei potuerunt facere inimici? occiderunt corpus, animam non occiderunt. Nostis qui conuentus erat malignantium Iudæorum, & quæ multitudo erat operantium iniquitatem? Quam iniquitatem? Quia voluerunt occidere Dominum Iesum Christum. Moriendum erat propter morituros, & resurgendum propter semper victuros. Hoc illi qui volebant illum de cruce descendere, non intelligebant; at vbi resurrexit, & glorificatus ascendit in cœlum, intellexerunt opera Domini. Clamauit igitur ad Patrem, postulauitque, non vt moreretur, sed vt eriperetur à morte, vt à mortuis suscitaretur, & ab inferis diuinâ protectione, seu paternâ saluaretur dispositione.

Quoad tertiam. Tria sunt obseruanda. Primum est, sermonem non esse de corpore, sed de capite: obtulit enim Christus, pro semetipso, preces supplicationésque: Patrem interpellauit, & in salutem suam, nedum in nostram, suo functus est sacerdotio. Secundum, aliud esse seruare, aliud saluare σώζειν: ille enim seruat, qui obstat impeditque, ne quis paratum incurras incommodum; ille verò saluat, qui vindicat, asseritque in statum pristinum. Tertium, rem esse de salute non communi, sed singulari & excellenti, quæ promissa sit Dei Filio, seu Christo capiti debita. Omnes námque tam electi, quàm & reprobi suscitabuntur, electi omnes ad vitam suscitabuntur seu ad gloriam: & ita salui fient à morte, dum euadent à corruptione; sic enim vindicabuntur à morte, dum donabuntur immortalitate. Tertium denique, Christum saluatum, seu saluum fuisse factum, dum surrexit non solùm vt viueret, sed vt redderet, seu meritum retribueret supplicium: adeóque salus illa non est militis, sed ducis, capitis, iudicis. Sic orauit Christus, sic & impetrauit. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. Seu, vt legit Augustinus: Et reddam illis. In quo tria animaduertenda sunt. Primum est, hoc dici ex formâ serui: Tu autem Domine. Alterum, ex personâ miseri patientisve, Miserere mei. Tertium, ex prærogatiuâ vindicis seu iudicis. Et retribuam eis. Saluatus scilicet, suscitatusve non vt seruus, sed vt Dominus, vindex factorum, mortuorum iudex ac viuorum constitutus. Hoc, inquit Augustinus, ex formâ serui, hoc ex personâ inopis & pauperis. Videte tamen quando dictum est, iam factum est.

Marginalia: Genes. c. 7. — Genes. c. 19. — Deuteron. cap. 20. — Augustin. Expos. 2. in Psalm. 21. — Ioan. c. 12. — Augustin. Tract. 52. in Ioan. in med. — Diabolus de hominum corde per crucem expulsus. — Augustin. Enarrat. in Psalm. 15. vers. fin. — Augustin. 2. in Psalm. 21. cir. med. — Augustin. Enarrat. in Psal. 63. post — Moriendum propter morituros, & resurgendum propter victuros. — Augustin. Enarrat. in Psalm. 40. vlt. med.

Occiderunt enim Christum Iudæi; ne perderent locum. Illo occiso, perdiderunt locum: eradicati à regno, dispersi sunt. Suscitatus reddidit illis retributionem. Hoc ipse ait, quando plangebant quædam mulieres veluti moriturum Christum: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: ex hoc prædicens, Suscita me, & reddam illis. Ne enim fortè minùs potentem filium, quàm Patrem putetis, ex eo quia dixit, suscita me, quòd ipse se suscitare non possit: audite ex Euangelio, Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Hoc autem Euangelista, ne etiam indè dubitaremus, dicebat, inquit de templo corporis sui: Et resuscita me, & reddam illis. Sic enim saluatur excellenter, dum specialiter suscitatur; non vt seruus, sed vt morientium Dominus ac viuentium.

Christus resurgit vt morientium Dominus ac viuentium.

PVNCTVM IV.

Quo ritu?

Ostendit Paulus, dum addit: Cum clamore valido & lachrymis. Vociferatus est Iesus, collachrymatus est. Quid ergo clamor? Quid clamor validus? Quid lachrymæ?

Quoad primum. Triplex est in scripturis clamoris species: sceleris, sanguinis, & vocis. De primo: Dixit Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Id est, tot perpetrata sint flagitia & scelera. De secundo: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. De tertio: Voce meâ ad Dominum, voce meâ ad Dominum deprecatus sum. Etsi clamore sanguinis, maximè tamen clamore vocis. Quod enim dixit, Clamaui, exposuit, cum dixit, Deprecatus sum. In superiori versu clamorem posuit, in sequenti clamorem exposuit. Ita Augustinus. Sic distinguuntur tres isti clamores, vt primus sit impiorum factis suis iustitiam prouocantium: alter, Martyrum, vindictam de inimicis suis postulantium: tertius, iustorum, clementiam diuinam seu in miseriis seu in periculis suis exorantium. Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Quomodo simul clamauit, & tacuit? Scelere clamauit, & voce tacuit. Quid est hoc? (ait Augustinus) Quasi contrarium videtur, quoniam tacui inueterauerunt ossa mea à clamando. Si à clamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam. Tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret. Remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare nouitatem. Ergo quoniam tacuit à confessione, inueterauerunt ossa eius, à clamando totâ die, perseuerando totâ die in defensione peccatorum suorum. Benè autem ait Iustus: Voce meâ ad Dominum clamaui, voce meâ ad Dominum deprecatus sum. Quia non solùm voce clamat corporis, sed & cordis, dum piè ac religiosè postulat. Clamor ad Deum, ait ille, non est voce, sed corde.

Genes. c. 18.

Genes. c. 4.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 141. post init.

Triplex clamor, sceleris, sanguinis, & vocis.

Augustin. Enarrat. 1. in Psalm 31. cir. med.

August. con. 3. in Psal. 30.

A Multi silentes labiis, corde clamauerunt: multi ore strepentes, corde auerso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus vbi audit Deus. Clama, sed voce tuâ, pietate tuâ; non solum in exteriori homine, sed & in interiori; non solùm vocis strepitu, sed & cordis affectu. Vndè vbi dixit Psaltes, Voce meâ ad Dominum clamaui, voce meâ ad Dominum deprecatus sum. Statim addit: Effundo in conspectu eius orationem meam. Quasi exigeretur, ait Augustinus, Quo clamore clamasti ad Dominum? Ad Dominum, inquit, deprecatus sum. Effundo ante eum precem meam. Quid est antè eum? In conspectu eius. Quid est in conspectu eius? Vbi ille solus videt.

August. in Psal. 141.

Quoad secundum. Tria sunt adnotanda. Primum est; Christum morientem, validum B seu ingentem edidisse clamorem. Iesus iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum. Dum scilicet Patri reddidit. Quod enim Matthæus voce magnâ dixerit, Lucas declarauit: dixit enim, Et clamans Iesus voce magnâ, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritû meum. Ita Augustinus. Alterum est, eâ voce Christum agnitum fuisse vt Deum seu Dei Filium. Per hoc enim, ait Chrysostomus, quòd moriens vocem magnam emisit, apertissimè se verum Deum esse ostēdit; quoniam homines cum moriuntur, vix tenuem vocem emittere possunt. Ita Videns C Centurio, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Nam, Iesus, emissâ voce magnâ, expirauit. Tertium, illam vocem fuisse tam vehementem ac validam, vt inde terra mota sit, scissæ Petræ, & aperta monumenta. Nulli enim dubium est, ait Hieronymus, quid significet iuxta literam magnitudo signorum, vt crucifixum Dominum suum & cœlum, & terra, & omnia demonstrarent. Quantum diuinæ vocis oraculum, quantum inuictæ virtutis indicium, vt qui moritur, legem nouam clementis imponat; qui occiditur, mortuis inopinatam concedat libertatem: vno verbo D infernum spoliet, cœlum reseret; terram concutiat, rupibus ac silicibus imprimat potentiam? Videtur ergo Christus semel & iterum in cruce clamasse: semel, cum expostulauit cum Patre. Et circà horam nonam clamauit Iesus voce magnâ, dicens; Eli, Eli, lamma Sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Id non solùm narratum est, sed & enarratum. Istum versum de cruce audiuimus, (verba sunt Augustini.) Interpretatus est illud Euangelista, & dixit eum Hebraicè dixisse, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Iterum, cum expirauit in cruce. Et clamans voce magnâ Iesus, ait: Pater, E in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. Videtur tamen Paulus, extremam vocem respexisse, & quasi deprecationem seu supplicationem proposuisse efficacissimam. Preces supplicationésque, ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens. Non enim illa expostulatio est, sed postulatio, seu submissa deprecatio, quam Filius obtulit Patri, litauitque morti proximus.

Matth. c. 27.

Augustin. l. 3. de cons. Euang. c. 18.

Chrysost. in Matth.

Mar. c. 15.

Hieronym. in cap. 27. Matth.

Matth. c. 27.

Augustin. Expos. 2. in Psal. 21. init.

Luc. cap. 23.

Quoad tertium. Ter illachrymatus est Iesus. Semel, agitans triumphum: Videns ciuitatem, fleuit

Luc.cap.19

fleuit super illam. Nempe pompam traducit mundanam, super secularem ingemiscit vanitatem. Quid enim Christum vt Deum suscipere, moxque vt reum suffigere? Fleuit igitur, ait Gregorius, pius Redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa perfida ciuitas sibi non cognoscebat esse venturam. Iterum, suscitans Lazarum. Et lachrymatus est Iesus. Nempe mortalitatem nostram doluit, & super humanam infirmitatem ingemuit. Quare enim fleuit Christus, nisi, vt ait Augustinus, homines flere docuit? Tandem, consignans spiritum, Cum clamore valido & lachrymis. Nempe sic clamans, diuinæ potestatis edit argumentum; sic autem illachrymans & expirans, assumptæ mortalitatis reddit testimonium. Hoc nobis, ait Hilarius, magnum pietatis Sacramentum, quod in carne manifestum est, reuelare: quem tradidit spiritum Christus, & quis in manus Patris commendauerit suum spiritum, & quis in paradiso die eadem fuerit, & quis derelinqui se à Deo questus sit. Nam querela derelicti, morientis infirmitas est. Promissio autem paradisi, viuentis Dei regnum est. Commendatio spiritûs, commendantis confidentia est: traditio spiritûs, morientis excessio est Quæro itaque, quis moritur? Nempe qui tradit spiritum. Deinde quis tradidit spiritum? Vtique qui Patri commendauit spiritum suum. Vnus enim atque idem est Dominus Iesus Christus, Verbum caro factum, seipsum per hæc vniuersa significans: qui dum ad mortem derelinqui se significat, homo est: dum verò homo est, in paradiso Deus regnet. Regnans porrò in paradiso, Patri commendet spiritum Dei Filius: commendatum verò Patri spiritum hominis Filius tradat ad mortem. Quid nunc de Sacramento facimus contumeliam? Habes conquerentem ad mortem relictum se esse, quia homo est: habes eum qui moritur, profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. Absistat itaque omnis irreligiosa & diuini Sacramenti incapax infidelitas: quæ nescit Christum flesse, vt assumpti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur. Idem Deus & homo, qui nunc virtutis, nunc infirmitatis prodit indicia; qui per clamorem validum, vim potestatis; per lachrymas, vim ostendit doloris; & vbique diuinitatis & humanitatis indiuiduæ producit argumenta.

Gregorius Hom.39. in Euang.

Ioan. c.11.

Augustin. Tract. 49.

Hilarius lib. 10. de Trinit. vlt. med.

Indiuiduum carnis & diuinitatis Sacramentum.

PVNCTVM V.

Quo successu?

TAm fausto, quàm & certo: cum enim obtulisset, cum tam humiliter, quàm instanter petiisset: Exauditus est pro suâ reuerentiâ. Græcè εὐλαβείας: Propter reuerentiam. Sed quam? Potest enim triplex considerari: prima, Patris ad Filium: altera, Filij ad Patrem: tertia, vtriusque respectiua.

Quoad primam. Aliter regit Deus pecudes, aliter homines: pecudes enim cum magnâ subiicit potentiâ, homines verò cum magnâ subiicit reuerentiâ. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magnâ reuerentiâ disponis nos. Si de nobis ita disponit, quid de filio vnigenito, qui Patri coæqualis est, qui illi consubstantialis? Quid, inquit Hilarius, dispensationem ad impietatem rapis? Quid Sacramentum nostræ salutis inuadis ad mortem? Glorificaturus Filium Pater maior est, glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloriâ Dei Patris est? Maior vtique Pater est, dum Pater est: sed Filius dum Filius est, minor non est. Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem verò Filium natiuitatis natura non patitur. Maior pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur vt reddat: Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. Atque ita & Sacramentum natiuitatis, & dispensatio corporationis impletur. Nam & Pater dum Pater est, & glorificat nunc Filium hominis, maior est: Et Pater & Filius vnum sunt, dum ex Patre natus Filius, post assumptionem terreni corporis glorificatur in Patre. Si cum tantâ reuerentiâ disponit seruum, quantâ Filium? Si minorem tantâ regit beneuolentiâ, quantâ æqualem & consubstantialem? Quod ergo inquit Paulus, tale est (ita Athanasius) Tanta est Christi huminitatis auctoritas, vt suo potius officio, quàm Dei, vt ita dixerim, munere sit effectum, vt fuerit ille exauditus, & ob id magis veneretur hunc Deus, & nobis sit eiusdem intercessu propitior redditus. Et quamuis ille sit Filius, & apud Patrem habeat pro vnitate naturæ fiduciam: tanti tamen eius est, quam diximus, quoad humanitatem auctoritas hæc, vt illi vel diuinitas ipsa reuerentiam deferat.

Sapient.c.12

Hilarius lib. 9. de Trinit. vlt. med.

Quomodo Pater maior, & Filius non sit minor.

Athanas. in Paulum.

Quoad secundam. Tria sunt consideranda, quæ reuerentiam Christo adscribunt, & eam ab ipso exprimunt. Primum est quia Filius est: Honorifico, inquit, Patrem meum, & vos inhonorastis me. Hoc est, (vt exponit Augustinus) Ego me non honorifico, ne vobis arrogans videar, habeo quem honorificem. Sed si vos me agnosceretis, sicut ego honorifico Patrem, sic & vos honorificaretis me. Ego facio quod debeo, vos non facitis quod debetis. Filij est Patrem reuereri, serui Dominum: hoc officium est, hoc & debitum. Alterum est, quia orans ac supplicans: reuereri autem postulantis est deprecantisque. Siquidem, ait Tertullianus, irreuerens est assidere sub conspectu, contráq; conspectû eius quem quam maximè reuerearis ac venereris: quanto magis sub conspectu Dei viui, Angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est? Oratio quippe, religionis actus est; religio, cultus diuinitatis; idcircò venerationis actus sicut & religionis. Tertium, quia sacerdos, seu Pontifex, qui honorem accepit, vt honorem impendat Deo; qui dignitatem iniit in eis quæ sunt ad Deum, vt non solùm preces supplicationésque, sed & seruitutem, per munera ac dona conspicabilem offerat ex officio. Ita Deus ad Pontificem negligentem. Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quàm me. Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt

Augustin. Tract. 43 in Ioan. post init.

Oratio religionis actus & venerationis.

1. Reg. c. 2.

erunt ignobiles. Honorificat igitur sacerdos Deum, cum ritè ministrat: imò ministerium in legitimâ positum est reuerentiâ. Christus igitur, Exauditus est pro suâ reuerentiâ: quam scilicet, (vt exponit Aquinas) super omnes habebat ad Deum. Isa. 11. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Benè, Replebit. Quia Christus perfectissimè suo perfunctus est officio Patrem tanquam Maiorem tantum reueritus est, quantum decuit, quantum debuit, quantum oportuit; quia tantum reueritus est, quantum Deus reuerendus.

Aquin. lect. 1.

Quoad tertiam. Græca fauent vtrique, monéntque reuerentiam esse Filij ad Patrem, & Patris ad Filium esse respectiuam. Qui in diebus carnis suæ, quum preces & supplicationes, ad eum, qui poterat ipsum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulisset: & exauditus est pro reuerentiâ. B In quibus tria notanda sunt. Primum est, reuerentiam ἐυλάβειαν, nomen esse pietatis, seu speciem humilitatis, quâ inferior veneratur superiorem, & timorem suum, summissionemve protestatur. Vnde ἐυλαβὴς, homo religiosus est, pius, ac timoratus. Alterum, Deum Patrem, honorificare sanctos, tanquam seruos Christi, seu capiti incorporatos, seu totum corpus in gratiam ac reuerentiam filij sui, honorificè tractare. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nam, vt dixit Augustinus, quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt sit C vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitati, sed consociatus æternitati. Tertium est, Græca dicere, pro reuerentiâ. Sed non addere, Suâ, Vt liberum sit Patrem & Filium respicere, seu respectiuam vtriusque reuerentiam coniungere. Hoc enim totum, vt Ambrosius loquitur, in magnâ reuerentiâ & perfectissimâ charitate peregit, qui prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam ei acceptabilem: quique ideò exauditus est à Deo, quia hostiam acceptabilem obtulit Deo, id est semetipsum. Christus Patrem reueritus est, hostiam offerens D Deo dignam. Pater oblatum donum veneratus, personam respiciens ex Deo genitam. Deus enim orabat Deum, sacrificiúmque immolabat, non solùm gratissimum, sed & diuinissimum. Inde ergo exauditus est; & tantâ exceptus gratiâ, quantâ circumfultus reuerentiâ.

Reuerentia pro timore ac pietate vsurpata.

Augustin. Tract. 51. in Ioan. vlt. med.

Ambrof. in Paulum.

DILVCIDATIO VII.

De consumatione.

CHristus Crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ: appellatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech. Consummatus, dum perfectus redditus. Nam, vt dixit: Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Tria autem ab Apostolo proposita sunt. Primum, disciplina passionis: alterum, causa salutis: tertium, for- A ma appellationis. Quid contulerit sibi, Quid attulerit nobis, Quid Patri obtulerit.

PVNCTVM I.

De disciplinâ passionis.

DIdicit Christus, & ex iis quæ passus est didicit, & exauditus est non solum pro reuerentiâ suâ, sed & pro obedientiâ: propter obedientem reuerentiam, seu propter reuerentem obedientiam. Tria ergo dicenda sunt. Primum, quid didicerit: secundum, vnde didicerit: tertium, quid inde retulerit.

Quoad primum. Didicit Christus, & didicit obedientiam, quam non solùm voto sed & facto professus est. Illa enim subiectio, vti dixit Ambrosius, non in specie infirmitatis est, sed in operatione virtutis: dispensationis magis temporariæ arbitra, quàm perpetuo seruitio mancipata. Vnde & ait, Nonne Deo subdita erit anima mea. Cur dixit, Erit, si sempiterna subiectio est? Sed quia Filius Dei qui loquebatur, æternus est, animam autem suscepit ex tempore, ideò futuram subiectionem animæ suæ dicit. Per ipsam ergo obedientia, per ipsam humilitas: quæ tamen non ad infirmitatem potentiæ suscepta sunt, sed ad magisterium disciplinæ. Ipse enim Dominus Iesus cum esset in Dei formâ, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, in specie inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, sicut Apostolus dicit: non iugem & perpetuam, sed temporalem subiectionem cupiens declarare, qualis sit suscepta cum carne, & deposita cum ipsius corporis seruitute. Sic etiam ad Hebræos scriptum est. Nam cum proposuisset exemplum, dicens, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: subiecit idem Paulus: Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes adhibuit ei qui posset liberare eum de morte, cum magnâ voce & lachrymis: & exauditus ab illo metu. Et quamquam esset filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Nonne euidenter clamauit Apostolus, dicens obedientiam illam & humilitatem non diuinitatis fuisse, sed carnis. Quod enim discitur, temporale est. Hanc primam didicit Christus, vt & præcipuam, dum operi suo, seu humano generi redimendo censuit necessariam. Suscepturus namque carnem hominis Dominus noster Iesus, (ita & ille) vt in se eam ipse mundaret, quid prius quàm pec- E cati veteris primum debuit abolere contagium? Nam quia per inobedientiam culpa irrepserat, dum mandata diuina temerantur, obedientiam vtique præ cæteris debuit reformare, vt seminarium erroris excluderet. Fibra enim inde manauerat: & ideò sicut bonus Medicus radices priùs vlceris debuit amputare, vt medicamentorum salubre remedium vulneris ora sentirent. Frustrà enim cicatricem curaueris, si serpant interiora contagia: immò acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius virus exæstuat. Nam quid proderat donasse peccatum,

Ambrof. Enarrat. in Psalm. 61. post init.

Obedientia carnis est, non diuinitatis.

Ambrof. eadem Enarrat. init.

tum, si peccandi maneret affectus? Hoc erat non sanare cicatricem, sed claudere. Voluit itaque mundare vulnus, vt affectum sanaret, ne inobedientiæ sordes vlla remaneret.

Quoad secundum. Didicit quidem Christus obedientiam, voluntatem Patris faciendo, sed maximè ac præcipuè mortem crucis patiendo. Dixi, (inquit Paulus apud Aquinatem) quòd Pontifex debet esse talis, vt possit compati. Talis autem est Christus. Cum enim sit Filius Dei ab æterno, & secundùm hoc nec pati posset, nec compati; assumpsit naturam in quâ posset pati, & sic etiam posset compati. Hoc est ergo quod dicit Apostolus: Quia cum esset Filius Dei, scilicet ab æterno, didicit obedientiam ex tempore. Est enim scientia experientiæ, & secundùm istam didicit obedientiam. Vnde dicit, Didicit ex iis quæ passus est, id est expertus est. Et loquitur Apostolus sic: quia qui didicit aliquid, voluntariè accessit ad illud sciendum: Christus autem voluntariè accepit infirmitatem nostram: & ideò dicit, quòd didicit obedientiam: id est, quàm graue sit obedire, quia ipse obediuit in grauissimis & difficillimis. Ita Paulus alibi de Christo: Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quasi euidentissimum sit extremæ obedientiæ argumentũ, extrema pati, nec minùs infamià quàm atrocia: vsq; ad mortẽ vsque ad crucem paterno non patienter tantùm sed & hilariter imperio subiici. Didicit, inquit, (apud Athanasium) Deo obtemperare, & Patri, id ipsum patiendo edoctus. Sed quo pacto ab his quæ fuerat perpessus, obedientiam didicit, qui vel antequam pateretur, tantopere Patri sit obsecutus, vt vel Patri morigerum se præstaret, vltrò se obtulerit? Sed cum hi ad quos hanc scribit epistolam, ex animi quadã pusillanimitate & diffidẽtiâ, minus parêre bene monẽtibus viderentur, visum est Paulo infima quædam de filio explicare, vt eius exemplo magis ac magis illis persuaderet, diuinæ voluntati fidenter obtemperarent, nec grauiter ferrent pressuras. Quin potius supernè & cœlitùs diuinam opem expectent. Nam & filius, inquit, cum mortem obsequendi gratiâ sustinuisset, & à Patre quidem exauditus est, & eius anima à morte erepta. Nunquam adeò manifestè probata est obedientia, nunquam adeò clarè manifestata est confidentia: cum non solùm mira fecit, sed & dura diráque pertulit: tunc verè didicit subiici, dum mortem non minùs contumeliâ quàm sæuitiâ infamen pati volens lubénsque didicit.

Aquin. lect. 2.

Philipp. c. 2.

Athanas. in Paulum.

Christi obedientia, non tam agendo, quàm patiẽdo probata.

Quoad tertium. De Domino creaturæ, factus est discipulus patientiæ: filius Dei expertus est pœnam peccati; & missus à Patre, sacerdotis patientis compatientisque functus est munere. Bonus Medicus, ait Ambrosius, qui infirmitates nostras suscepit, sanauit ægritudines: & tamen iste (sicut scriptum est) non se honorificauit fieri summum sacerdotem, sed qui locutus est ad eum, (Pater dixit) Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui quoniam typus futurus erat sacerdotum omnium, ideò carnem suscepit, vt in diebus carnis suæ preces & supplicationes Deo Patri cum magnâ voce & la-

Ambros. epist. 25. cit. med.

A chrymis offerret, & ex iis quæ passus est, quamuis esset Filius Dei discere videretur obedientiam, quam nos doceret. Denique consummatis passionibus tanquam consummatus ipse sanitatem dedit omnibus, peccatum tulit omnium. Ideò & Aaron sacerdotem ipse elegit, vt non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia Dei: non voluntaria oblatio, nec propria assumptio, sed cœlestis vocatio: vt is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus: quia & ipse, inquit, gestit infirmitatem. Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari à Deo, sicut & Aaron: & ita Christus non exegit, sed accepit B sacerdotium. Optimus patientiæ discipulus, qui crucem potius sibi assumpsit quàm honorem, qui sacerdotium instituit constantiæ, & vitæ nuntium remittere maluit, quàm obedientiæ. Qui non sunt experti obedientiam, ait Aquinas, & non didicerunt eam in rebus difficilibus, credunt, quòd obedire sit valdè facile. Sed ad hoc quòd scias quid sit obedientia, oportet quòd discas obedire in rebus difficilibus: & qui nõ didicit obediẽdo subesse, nunquã nouit benè præcipiendo præesse. Christus ergo, licet ab æterno sciret simplici notitiâ quid est obedientia, tamen didicit experimento obedientiam, ex iis quæ passus est, id est, difficili- C bus, scilicet per passionem & mortem. Quanquam ergo Filius esset Dei, voluit tamen studere obedientiæ; & quamuis posset impetrare, nedum postulare solo dignitatis suæ, seu diuinæ Maiestatis titulo, maluit tamen obedientiam demonstrare, quàm ostentare potentiam. Miseriam suscepit nostram, nedum naturam, & per ignominiam nos restituit in gloriam.

Sacerdotiũ gratiæ cœlestis, non terrenæ cupiditatis.

Aquin. lect. 2.

PVNCTVM II.

De causâ salutis.

D

SAlus illa non corporalis est, sed spiritalis; nec temporalis, sed æterna. Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Tria in his verbis proposita sunt. Primum est, perfectionis: alterum, origo saluationis: tertium executionis conditio.

Quoad primum. Perfectionem Christus attigit passionis, cum omne genus sustinuit tentationis, crucémque tandem ad mortem vsque pertulit: tunc enim finem seu perfectionem inuenit passio; cum non solùm passio fuerit, sed & passionis, dolorisve omnis consumma- E tio. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Quasi nihil restaret præter mortem, vt consummaret passionem. Quia, inquit Augustinus, nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui potestatem habeat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam: peractis omnibus quæ vt peragerentur, expectabat, Inclinato capite tradidit spiritum. Voluit priùs acetum gustare, priùs quod scriptum erat adimplere; vt sicut iam consummata fuerat omnis tentatio, sic & consummata foret omnis passio. Postea sciens

Ioan. c. 19.

Augustin. Tract. 119. in Ioan. sub fin.

Perfectio passionis, doloris omnis est consummatio.

A Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum. Quis potest, ait ille, qui facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur, Et homo est, & quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, videbant hominem, sed non agnoscebant Deum. Homo námque apparebat qui Deus latebat: patiebatur hæc omnia qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum & traderet spiritum: atque vt hoc etiam consummaretur quod scriptura prædixerat, Et in siti potauerunt me aceto: Sitio, inquit, Tanquam diceret, Hoc minus fecistis, date quod estis. Faciebat ista populus impius, patiebatur ista misericors Christus. Qui faciebat, quid faceret nesciebat: qui patiebatur autem, non solùm quid fieret, & cur fieret sciebat, verumetiam de malefacientibus bene ipse faciebat. Vides Pontificem tam fidelem, quàm & misericordem; fideliter quæ scripta sunt, adimplentem; misericorditer perficientem quæ ad executionem operis, seu passionis consummationem sunt disposita.

Augustin. eadem Enarrat. in med.

B

Quoad secundum. Sic consummatus Iesus per passiones, sic perfectus per dolores, salutem nobis peperit, per mortem saluos nos fecit. Non solùm enim, vti dixit Chrysostomus, ipse saluus euasit, sed hoc etiam fuit aliis copia salutis. Consummatus enim fuit ipsis causa salutis. Hoc est ergo consummatio seu perfectio, & per hoc venire oportet ad perfectionem. Ita sensit Christus, cum ait: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Non ait, iussisti, (verba sunt Augustini) sed, dedisti, vbi commendatur euidens gratia. Sed quomodo consummauit opus quod accepit vt faciat, cum restet adhuc passionis experimentum: nisi quia consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè nouit? Inde: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum. En quid agat consummatio passionis, en vnde profluat origo nostræ salutis & felicitatis æternæ. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Quibus, vt exponit Aquinas: Ostendit Apostolus fructum passionis: quia enim ex toto perfectus est, conuenit sibi alios perficere: hæc est enim natura perfecti, quòd possit sibi simile generare. Et ideò dicit quod perfectus est. Quia enim per meritum obedientiæ peruenit ad istam consummationem: Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis, non temporalis, sed æternæ. Hoc non solùm in passione consummatum est; sed & ænigmaticè adumbratum. Iudæi quippe, (vt edisserit Augustinus) ipsi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum: & tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam, cauernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accepimus: quam circumdederunt, & se circumuenisse putauerunt. Vnde est illud in Psalmo: Asperges me hyssopo, & mundabor. Christi námque humilitate mundamur: quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens vsque ad mortem crucis, non vtique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.

Chrysost. orat. 8.

C

Augustin. Tract. 105. in Ioan. cit. med.

D

Ioan. cap. 17.

E

Aquin. lect. 2.

Natura perfecti est simile generare sibi.

Augustin. Tract. 119. in Ioan. vlt. med.

Quoad tertium: Christus quidem per crucem & mortem consummatus, claritatémque & immortalitatem per absolutam perfectámque consecutus obedientiam, factus est causa salutis æternæ: sed, obtemperantibus sibi. Si vis enim ad vitam ingredi, mandata seruanda sunt; si vis gloriam consequi, consummanda est obedientia. Suscepit ipse Christus obedientiam, (ita Ambrosius) vt nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat, vt quoniam per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti erant plures, per vnius rursus obedientiam iusti constituerentur multi. Et quamquam esset filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam: & consummatus obtemperantibus sibi causa factus est salutis æternæ. Quasi homo ergo ex his quæ passus est didicit obedientiam, vt consummaretur in carne, & per obedientiæ transfusam in nos successionem causa fieret nobis salutis æternæ, quibus ante per inobedientiæ hæreditatem primus ille Adam causa factus est mortis. Quid est, quod accepimus ab Adamo? Successio inobedientiæ: superatus enim à diabolo, factus est nobis nascentibus causa mortis æternæ. Quid est quod accepimus à Christo? Transfusio obedientiæ, tentatus enim sine peccato, consummatúsque, factus est nobis obedientibus causa salutis æternæ. Sicut ergo inobedientiæ macula ab Adamo, sic & à Christo gratia obedientiæ. Ipse quippe per gratiam suam facit, vt faciamus mandata, nec faciamus solùm, sed & ipsa perficiamus; facit vt obediamus vsque ad mortem, peccato & diabolo resistamus vsque ad sanguinem; vt simus in vnum consummati, Christo Domino in gloriâ non minus quàm in pœnâ configurati ac conformati. Sic enim compatimur, & conglorificabimur: si participes passionis fuerimus, erimus & resurrectionis participes: si tentabimur absque peccato, & mente per visionem & carne per impassibilitatem cum Christo, imò per Christum ipsum consummabimur. Non modò enim ipse saluus factus est, ait Athanasius, quin & salutem cæteris contulit: nec temporariam aliquam aut breuem, qualis solet in bello offerri periclitantibus, sed æternam. Sed quibus est illa allata? Nimirum obtemperantibus. Cur ergo vos increduli estis in tantæ salutis amittendæ discrimine?

Ambrof. Enarrat. in Psalm. 61.

Ab Adamo, successio inobedientiæ, à Christo obedientiæ transfusio.

Athanas. in Paulum.

PVNC

PVNCTVM III.

De formâ appellationis.

APpellatus est. A quo? A Deo, igitur & factus est; fit enim quod ipse dicit:& eius nominare, est facere. Quid appellatus est? Pontifex. Quid enim passio, nisi oblatio, immò & immolatio. Secundùm quid? Secundùm ordinem Melchisedech. Ita igitur Christus declaratus est, ita cognominatus. Appellatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech. Sed ex his tria iam prælibata sunt.

Primum est, Appellatus est à Deo Pontifex Christus, id est factus est: vtpote ab eo constitutus, vt per passionem suam, perficeret nostram reconciliationem, vt per mortem suam salutem nostram perageret. Ipse dixit, & factum est; ipse sic instituit, & peractum est. Nihil facit humanum verbum, aut si quid facit, multum deficit. Multa dicit homo inconsultè, nihil Deus agit nisi ex consilio: si quid consultò dicit homo, nihil efficit, Deus verò nihil non verbo facit. Denique, si quid facto præstat homo, quod verbo significat, non tamen id quod præstitit conseruat; Deus verbo, quod edidit verbo, etiam & verbo conseruat. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Spiritus oris humani, tam mendax, quàm & inefficax: spiritus oris diuini, non solùm verissimus, sed & actuosissimus: non solùm enim ipsa veritas est, sed & summa potestas. Tria enim in Verbo diuino sunt spectanda. Primum, quod sit sapientissimum, imò ipsa Dei sapientia: alterum, quòd sit actuosissimum seu virtus suprema. Ita vocat Apostolus, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Tertium, quòd sit constantissimum: non enim solùm creat omnia; sed & conseruat. Portat omnia verbo virtutis suæ. Dixit Deus Christum Pontificem: sed tanta in constituendo potentia est, quanta in assumendo sapientia. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Non mirum, ait ibidem Augustinus, si opera laudent operatorem, non mirum est si facta laudent factorem, non mirum si creatura laudet creatorem. Ibi & Christus nominatus est. Lapidē quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, factus est in Pontificem, sed à Deo, idcircò & verbo factus est cognominare enim Dei, præstare est; dicere, est facere. Citò dat Deus, (verba sunt Ambros.) quia dixit & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Verbū enim Dei non sicut quoddam opus est, sed est operans. Præuenit omnia, & in omnibus penetrans omnia. Validum enim & acutum, & omni gladio acutius est; penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum. Nihil operosius, nihil penetrantius, nihil efficacius: mundum instituit, & solo dicto absoluit negotium.

Psalm. 32.

Tria sunt in verbo diuino miranda.

Augustin. in Expos. Psal. 148. cit. med.

Ambros. li. 7. de Abel & Cain c. 8.

Secundum. Appellatus, id est factus à Deo Pontifex. Suum quippe consummauit in cruce Sacrificium, suum sanguine sacerdotium ob-

A signauit. Quoniam, inquit Athanasius, passus est ille, & Pontifex est nuncupatus, vtpote qui sese in mortem obtulerit. Christus nobis factus est causa salutis æternæ, sed in arâ cruentæ crucis. Appositè igitur meminit Pontificatus Christi, vbi præclarus est actus sacerdotij: dum nos reconciliauit Patri: dum se obtulit in hostiam, hominésque non minus infelices quàm pauperes in gloriam extulit. Habemus Pontificem, non solùm institutum à Deo, sed & experimento nostras edoctum miserias: ideóque non minùs misericordem quàm fidelem, non minus obedientiam scientem, quàm misericordiam. Qui enim ita se fratribus non consociant, sed è contrario aut flentibus insultant, B aut gaudentibus derogant, dum quod in illis est, in se esse non sentiunt, quia similiter affecti non sunt, veritatem in proximis, qualiter deprehendere possunt. Benè námque conuenit illis illud vulgare prouerbium: Nescit sanus quid sentiat æger, aut plenus quid patiatur ieiunus. Et æger ægro, & ieiunus ieiuno quanto propinquius, tanto familiariùs compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris veriùs misero corde sentitur. Sed vt ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet vt tuam priùs agnoscas, vt proximi mentem in tuâ inuenias, & ex te noueris qualiter illi subuenias; exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, C miser fieri, vt misereri disceret, vt quomodo (sicut de ipso scriptum est) didicit ex his quæ passus est obedientiam: ita & misericordiam disceret: non quod antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno & vsque in æternum, sed quod naturâ sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Non legitur, Verbum Angelus factum est, sed Verbum caro factum est. Oportuit ac necesse fuit vt similis nobis passibilis nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris quâ necessitate: vt misericors, inquit, fieret. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis D qui tentantur auxiliari. In quibus verbis quid melius intelligi possit non video, nisi quòd ideò pati ac tentari, omnibúsque absque peccato, humanis voluit communicare miseriis, (quod est per omnia fratribus similari) vt similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento non dico vt sapientior efficeretur, sed propinquior videretur. Non enim habemus, inquit, Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Vnde autem possit, indicans adiungit. Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Non illi scientia E creuit, sed nobis fiducia.

Athanas. in Paulum.

Bernard. Tract. de grad. humilit. post init.

Misericordia propriâ instruenda est miseriâ.

Tertium. Factus quidem à Deo Pontifex, sed, Secundùm ordinem Melchisedech. Non enim, vti dixit Athanasius, etsi sanguinem obtulit, pro Iudaicis institutis id egit, sed in Melchisedech morem factus est Pontifex. Nam quemadmodum ille non fuit olei liquore ab homine delibutus, sic nec Christus quidem, sed à Deo consubstantiali ipsius spiritu offusus est. Vtque & ille Rex fuit, ita & iste potitus est regno. Equidem Melchisedech non effudit sanguinem, sed panem obtulit. Verùm & Christum seipsum obtulit Deo, panem viuum de

Athanas. in Paulum.

cœlo

A Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum. Quis potest, ait ille, qui facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo mediator Dei & hominum, homo de quo prædictum legitur, Et homo est, & quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, videbant hominem, sed non agnoscebant Deum. Homo námque apparebat qui Deus latebat: patiebatur hæc omnia qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum & traderet spiritum: atque vt hoc etiam consummaretur quod scriptura prædixerat, Et in siti potauerunt me aceto: Sitio, inquit, Tanquam diceret, Hoc minus fecistis, date quod estis. Faciebat ista populus impius, patiebatur ista misericors Christus. Qui faciebat, quid faceret nesciebat: qui patiebatur autem, non solùm quid fieret, & cur fieret sciebat, verumetiam de malefacientibus bene ipse faciebat. Vides Pontificem tam fidelem, quàm & misericordem; fideliter quæ scripta sunt, adimplentem; misericorditer perficientem quæ ad executionem operis, seu passionis consummationem sunt disposita.

Augustin. eadem Enarrat. in med.

Quoad secundum. Sic consummatus Iesus per passiones, sic perfectus per dolores, salutem nobis peperit, per mortem saluos nos fecit. Non solùm enim, vti dixit Chrysostomus, ipse saluus euasit, sed hoc etiam fuit aliis copia salutis. Consummatus enim fuit ipsis causa salutis. Hoc est ergo consummatio seu perfectio, & per hoc venire oportet ad perfectionem. Ita sensit Christus, cum ait: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Non ait, iussisti, (verba sunt Augustini) sed, dedisti, vbi commendatur euidens gratia. Sed quomodo consummauit opus quod accepit vt faciat, cum restet adhuc passionis experimentum: nisi quia consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè nouit? Inde: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum. En quid agat consummatio passionis, en vnde profluat origo nostræ salutis & felicitatis æternæ. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Quibus, vt exponit Aquinas: Ostendit Apostolus fructum passionis: quia enim ex toto perfectus est, conuenit sibi alios perficere: hæc est enim natura perfecti, quòd possit sibi simile generare. Et ideò dicit quod perfectus est. Quia enim per meritum obedientiæ peruenit ad istam consummationem: Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis, non temporalis, sed æternæ. Hoc non solùm in passione consummatum est; sed & ænigmaticè adumbratum. Iudæi quippe, (vt edisserit Augustinus) ipsi erant acetum, degene-

Chrysost. orat. 8.

Augustin. Tract. 105. in Ioan. circ. med.

Ioan. cap. 17.

Aquin. lect. 4.

Natura perfecti est simile generare sibi.

Augustin. Tract. 119. in Ioan. vlt. med.

rantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum: & tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam, cauernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accepimus: quam circumdederunt, & se circumuenisse putauerunt. Vnde est illud in Psalmo: Asperges me hyssopo, & mundabor. Christi námque humilitate mundamur: quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens vsque ad mortem crucis, non vtique sanguis eius in peccatorum B remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.

Quoad tertium: Christus quidem per crucem & mortem consummatus, claritatémque & immortalitatem per absolutam perfectámque consecutus obedientiam, factus est causa salutis æternæ: sed, obtemperantibus sibi. Si vis enim ad vitam ingredi, mandata seruanda sunt; si vis gloriam consequi, consummanda est obedientia. Suscepit ipse Christus obedientiam, (ita Ambrosius) vt nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat, vt quoniam per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti erant plures, per vnius rursus obedientiam iusti constituerentur multi. Et quamquam C esset filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam: & consummatus obtemperantibus sibi causa factus est salutis æternæ. Quasi homo ergo ex his quæ passus est didicit obedientiam, vt consummaretur in carne, & per obedientiæ transfusam in nos successionem causa fieret nobis salutis æternæ, quibus ante per inobedientiæ hæreditatem primus ille Adam causa factus est mortis. Quid est, quod accepimus ab Adamo? Successio inobedientiæ: superatus enim à diabolo, factus est nobis nascentibus causa mortis æternæ. Quid est quod accepimus à Christo? Transfusio obedientiæ, tentatus enim sine peccato, consummatúsque, factus D est nobis obedientibus causa salutis æternæ. Sicut ergo inobedientiæ macula ab Adamo, sic & à Christo gratia obedientiæ. Ipse quippe per gratiam suam facit, vt faciamus mandata, nec faciamus solùm, sed & ipsa perficiamus; facit vt obediamus vsque ad mortem, peccato & diabolo resistamus vsque ad sanguinem; vt simus in vnum consummati, Christo Domino in gloriâ non minus quàm in pœnâ configurati ac conformati. Sic enim compatimur, & conglorificabimur: si participes passionis fuerimus, erimus & resurrectionis participes: si tentabimur absque peccato, & mente per visio- E nem & carne per impassibilitatem cum Christo, imò per Christum ipsum consummabimur. Non modò enim ipse saluus factus est, ait Athanasius, quin & salutem cæteris contulit: nec temporariam aliquam aut breuem, qualis solet in bello offerri periclitantibus, sed æternam. Sed quibus est illa allata? Nimirum obtemperantibus. Cur ergo vos increduli estis in tantæ salutis amittendæ discrimine?

Ambrof. Enarrat. in Psalm. 61.

Ab Adamo, successio inobedientiæ, à Christo obedientiæ transfusio.

Athanas. in Paulum.

PVNC

PVNCTVM III.

De formâ appellationis.

APpellatus est. A quo? A Deo, igitur & factus est; fit enim quod ipse dicit:& eius nominare, est facere. Quid appellatus est? Pontifex. Quid enim passio, nisi oblatio, immò & immolatio. Secundùm quid? Secundùm ordinem Melchisedech. Ita igitur Christus declaratus est, ita cognominatus. Appellatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech. Sed ex his tria iam prælibata sunt.

Primum est, Appellatus est à Deo Pontifex Christus, id est factus est: vtpote ab eo constitutus, vt per passionem suam, perficeret nostram reconciliationem, vt per mortem suam salutem nostram perageret. Ipse dixit, & factum est; ipse sic instituit, & peractum est. Nihil facit humanum verbum, aut si quid facit, multum deficit. Multa dicit homo inconsultè, nihil Deus agit nisi ex consilio: si quid consultò dicit homo, nihil efficit, Deus verò nihil non verbo facit. Denique, si quid facto præstat homo, quod verbo significat, non tamen id quod præstitit conseruat; Deus verbo, quod edidit verbo, etiam & verbo conseruat. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Spiritus oris humani, tam mendax, quàm & inefficax: spiritus oris diuini, non solùm verissimus, sed & actuosissimus: non solùm enim ipsa veritas est, sed & summa potestas. Tria enim in Verbo diuino sunt spectanda. Primum, quod sit sapientissimum, imò ipsa Dei sapientia: alterum, quòd sit actuosissimum seu virtus suprema. Ita vocat Apostolus, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Tertium, quòd sit constantissimum: non enim solùm creat omnia; sed & conseruat. Portat omnia verbo virtutis suæ. Dixit Deus Christum Pontificem: sed tanta in constituendo potentia est, quanta in assumendo sapientia. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Non mirum, ait ibidem Augustinus, si opera laudent operatorem, non mirum est si facta laudent factorem, non mirum si creatura laudet creatorem. Ibi & Christus nominatus est. Lapidē quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, factus est in Pontificem, sed à Deo, idcircò & verbo factus est cognominare enim Dei, præstare est; dicere, est facere. Citò dat Deus, (verba sunt Ambros.) quia dixit & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Verbū enim Dei non sicut quoddam opus est, sed est operans. Præuenit omnia, & in omnibus penetrans omnia. Validum enim & acutum, & omni gladio acutius est, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum. Nihil operosius, nihil penetrantius, nihil efficacius: mundum instituit, & solo dicto absoluit negotium.

Psalm. 32.

Tria sunt in verbo diuino miranda.

Augustin. in Expos. Psal. 148. cit. med.

Ambros. li. 7. de Abel & Cain c. 8.

Secundum. Appellatus, id est factus à Deo Pontifex. Suum quippe consummauit in cruce Sacrificium, suum sanguine sacerdotium obsignauit. Quoniam, inquit Athanasius, passus est ille, & Pontifex est nuncupatus, vtpote qui sese in mortem obtulerit. Christus nobis factus est causa salutis æternæ, sed in arâ cruentæ crucis. Appositè igitur meminit Pontificatus Christi, vbi præclarus est actus sacerdotij: dum nos reconciliauit Patri: dum se obtulit in hostiam, hominésque non minus infelices quàm pauperes in gloriam extulit. Habemus Pontificem, non solùm institutum à Deo, sed & experimento nostras edoctum miserias: ideóque non minus misericordem quàm fidelem, non minus obedientiam scientem, quam misericordiam. Qui enim ita se fratribus non consociant, sed è contrario aut flentibus insultant, aut gaudentibus derogant, dum quod in illis est, in se esse non sentiunt, quia similiter affecti non sunt, veritatem in proximis, qualiter deprehendere possunt. Benè namque conuenit illis illud vulgare prouerbium: Nescit sanus quid sentiat æger, aut plenus quid patiatur ieiunus. Et æger ægro, & ieiunus ieiuno quanto propinquius, tanto familiariùs compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris veriùs misero corde sentitur. Sed vt ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet vt tuam priùs agnoscas, vt proximi mentem in tuâ inuenias, & ex te noueris qualiter illi subuenias; exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, miser fieri, vt misereri disceret, vt quomodo (sicut de ipso scriptum est) didicit ex his quæ passus est obedientiam: ita & misericordiam disceret: non quod antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno & vsque in æternum, sed quod naturâ sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Non legitur, Verbum Angelus factum est, sed Verbum caro factum est. Oportuit ac necesse fuit vt similis nobis passibilis nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris quâ necessitate: vt misericors, inquit, fieret. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. In quibus verbis quid melius intelligi possit non video, nisi quòd ideò pati ac tentari, omnibúsque absque peccato, humanis voluit communicare miseriis, (quod est per omnia fratribus similari) vt similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento non dico vt sapientior efficeretur, sed propinquior videretur. Non enim habemus, inquit, Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Vnde autem possit, indicans adiungit. Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Non illi scientia creuit, sed nobis fiducia.

Athanas. in Paulum.

Bernard. Tract. de grad. humilit. post init.

Misericordia propriâ instruenda est miseriâ.

Tertium. Factus quidem à Deo Pontifex, sed, Secundùm ordinem Melchisedech. Non enim, vti dixit Athanasius, etsi sanguinem obtulit, pro Iudaicis institutis id egit, sed in Melchisedech morem factus est Pontifex. Nam quemadmodum ille non fuit olei liquore ab homine delibutus, sic nec Christus quidem, sed à Deo consubstantiali ipsius spiritu offusus est. Vtque & ille Rex fuit, ita & iste potitus est regno. Equidem Melchisedech non effudit sanguinem, sed panem obtulit. Verùm & Christum seipsum obtulit Deo, panem viuum de cœlo

Athanas. in Paulum.

cœlo descendentem: & si sanguinem fudit, non alienum fudit, sed proprium; vt nos consummaret, & obedientiam sanguine, etiam & morte probandam commendaret. Nam illa mors, vt sentit Bernardus, illa crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput nostrum Christus pertransiit, quid aliud corpori eius, id est, nobis, quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? Christus enim (ait Paulus) factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quâ necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini, inquit, vestigia eius, id est, vt imitemini obedientiam eius. Ex his ergo quæ passus est, discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obediētiâ perpeti, pro quâ is qui & Deus erat, non dubitauerit mori. Et hoc modo non inconueniens erit si dicatur Christus vel obedientiam vel misericordiam seu aliquid in suo corpore didicisse, dum tamen sibi in suâ personâ nil quod se ante latuerit credatur ex tempore potuisse accedere: sicque ipse sit qui misereri doceat aut obedire, ipse qui discat, quia caput & corpus vnus est Christus. Quod quidem ipse per naturam sciebat, didicit per experientiam: formam assumpsit humanam, vt in passione misericordiam addisceret, & in subiectione obedientiam: Quatenus infirmi filij Adam (quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & & posset vt Deus, & vellet vt proximus, & cognosceret vt eadem passus. Verùm & ipse calix ad nos à Christo transiit, ad nos peruenit, ideóque instituente ac volente, in exemplum constitit ac testimonium.

Bernard. Tract. de grad. humilit.

Mors Christi in exemplum constitit & testimonium.

Bernard. Ibidem.

DILVCIDATIO VIII.

De imbecillitate.

APpellatus est à Deo Christus Pontifex secundùm Melchisedech. Grande mysterium, inenarrabile sacerdotium; de quo multa mihi occurrunt dicenda ac docenda, sed imbecillitatem vestram refugiunt, probrosámque tarditatem. De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est: perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Adhuc estis rudes, ac penè infantes, idcircò catechisandi potius, quàm secretioribus mysteriis, & arcanis sublimioribus informandi: adhuc imperfecti estis, ideo exordialibus initiis potius, quàm mysticis rebus imbuendi: adeò socordes, vt minimis hæreatis & obuiis, stimulóque indigeatis potius quàm lenocinio. Pungit igitur Hebræos suos ac perstringit: exprobat simul ac prouocat: obiurgat, sed ipsâ obiurgatione, quasi exhortatione tacitâ ad altio-

A rem præparat perfectionem. Tria igitur elucidanda sunt. Primum est, incipientium ruditas: alterum, negligentium incapacitas: tertium, soliditas proficientium perfectorúmque.

PVNCTVM I.

De incipientium ruditate.

INcipientes adhuc infirmi sunt, idcircò adhuc imbecilles sunt ac tardi. Nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quia
B imbecilles facti estis ad audiendum. Non capitis sublimiora mysteria, vix etiam percipitis communia, quia infantes estis ac pueri, idcirò rudes adhuc & imperfecti. Tria igitur reprobanda sunt: imbecillitas, tarditas, ruditas.

Quoad primum. Non semel infirmitatis Hebræos suos accusat Paulus, imbecilliatisve, quos & ideo paruulos nuncupat. Et nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. Et, cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Si
C paruuli, vtique incipientes & infirmi. Ita & ipse: Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Si paruuli, si infirmi, non sunt oneri ferendo, seu capiendo grauiori documēto idonei. Ita Christus ad suos: adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Nam, vt dixit Augustinus, & mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli quibus dicebat, Non potestis me sequi modò. Vnde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumpserat, aliud expertus est quàm putabat: & tamen po-
D stea & viri & mulieres, pueri & puellæ, iuuenes & virgines, seniores cum iunioribus innumerabiles Martyrio coronati sunt, & posse inuentæ sunt oues, quod tunc quando ista loquebatur, nondum poterant portare pastores. Multi ergo possunt audire, quod tunc nondum poterat Petrus; sicut multi possunt Martyrio coronari, quod tunc nondum poterat Petrus: præsertim misso Spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus, de quo continuò subiungit, atque ait: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Sic vtique demonstrans illos ideò quæ habe-
E bat dicere, portare non posse: quia nondum ad eos venerat Spiritus sanctus. Sed ille magister interior, qui cum adhuc discipulis exterius loqueretur, ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, si vellet nobis id quod de incorporeâ Dei naturâ dici potest, intrinsecùs ita dicere, sicut sanctis Angelis dicit, qui semper vidēt faciē Patris: nōdū ea portare possemus. Proinde quod ait, Docebit vos omnē veritatē: vel, Deducet vos in omni veritate: non arbitror in hac vitâ in cuiusquam mente posse cōpleri. Quis enim viuens in hoc corpore quod corrumpitur & aggrauat animam possit omnem cognoscere veritatem: cum dicat

Galat. cap. 4.

1 Corinth. cap. 13.

Roman. c. 14

Augustin. Tract. 96. in Ioan. post init.

Infirmitas minuitur fide, specie tollitur.

dicat Apostolus, Ex parte scimus. Infirmitas quidem minui potest per gratiam, Sed tolli non potest, nisi per gloriã: minuitur enim, cũ animus roboratur in fide: tollitur verò, cũ donatur specie.

Quoad secundum. Sicut paruuli adhuc infirmi sunt, & oneri ferendo inhabiles; sic & infirmi adhuc tardi sunt, & assequenda sensui parùm faciles. Ita Christus infirmis adhuc ac paruulis. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Contingit enim, vt dixit Theophilactus, credere quæ locuti sunt Prophetæ, particulariter quædam, & non vniuersaliter omnia: puta si aliquis credat, quæ de cruce Christi dicuntur à Prophetis, sicut est illud, foderunt manus meas & pedes meos: quæ verò spectant ad resurrectionem, non credant, sicut est illud, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Decet autem in omnibus, fidem adhibere Prophetis, tam in gloriosis, quæ de Christo prædixerunt; quàm in ingloriis, quia ex passione malorum est ingressus in gloriam. Vnde sequitur, Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? possunt quidem humana capere, sed non possunt ad ea quæ sunt diuina pertingere. Interpretatio enim scripturæ, vti dixit Aquinas, numeratur inter dona Spiritûs sancti. Indiget namque vt dicatur interpretatio eius propter tarditatem nostram. Et ideò subdit ipsam tarditatem nostram, cum dicit, Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Illi enim qui sunt debilis intellectûs, non possunt alta intelligere, nisi eis exponantur per singula. Idcirco Christus, Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Quasi diceret, vt exponit Chrysostomus, postquam estis tardi, ego promptos vos reddam, mysteria scripturarum vobis exponendo. Tenebantur oculi eorum, ne eam agnoscerent, ne ipsum crederent tam in cruce passum quàm à morte rediuiuum: hærebant, ne altius assurgerent, & triumphum resurrectionis tam certũ tenerẽt, quàm passionis supplicium: donec mentem eorum monuit ad fidem, imò fidem ad altiorem promouit perfectionẽ: vt iam promptiùs excurrerent, & per intelligẽtiã peruenirent ad gloriã.

Theoph. in Luc.

Credenda sunt omnia tam quæ virtutis sunt quàm quæ sunt infirmitatis.

Aquin. Lect. 1.

Chrysost. apud Aquin.

Quoad tertium. Multi scripturis euoluendis sunt auidi, sed adhuc rudes, ideoque capiundis parùm habiles & idonei. Inde Paulus, vt Ambrosius aduertit: Causam reddit cur sermo quem de filio incarnato instituit, difficilis ad interpretandum esset; nempe, quia illi imbecilles erant & fragiles sensu ad intelligendum profunda Dei mysteria. Illa itaque difficultas interpretandi, in illorum fuit tarditate (seu ruditate) non in Apostolicã sapientiã, cui reuelata sunt mysteria à seculis abscondita, sicut in epistolã ad Ephesios plenissimè demonstrat. Quæ ad Christum Pontificem, seu Deum & hominem pertinent, non valent in totum exponi, sicut nec ad plenum cognosci: melius tamen spiritualibus exponuntur quàm carnalibus, sicut faciliùs à sapientibus percipiuntur, quàm à rudibus intellectu, & sensu fragilibus. Deducturus ergo Paulus orationem ad differentiam sacer-

Ambros. in Paulum.

A dotij, (verba sunt Chrysostomi) priùs eos increpat, ostendens quòd tam magna sui demissio erat lac, & propterea quod sint infantes, magis est immoratus in humili qui est secundùm carnem sermone. Nam illud quidem fecit, vt mentem eorum erigeret, & persuaderet vt essent perfecti, & magnis non priuarentur dogmatibus. Hoc autem, ne obrueret eorum intelligentiam: de quo, inquit, nobis grandis sermo & in interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Quoniam illi non audiunt, propterea est oratio difficilis ad interpretandum. Quando enim alicui res est cum hominibus qui non assequuntur, nec intelligunt quæ dicuntur, is non potest eis rectè interpretari. Aure scilicet audiunt, sed corde non intelligunt? verba capiunt, sed mysteria non percipiunt: adhuc enim carnales sunt, rudes, & expertes.

Chrysost. orat. 8.

B

Rudes quod audiunt ore; mente non percipiunt

PVNCTVM II.

De negligentium incapacitate.

C INstat vehementiùs, acriusque obiurgat. Nam cum deberetis magistri esse, propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo: omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. Tria in his subostensa sunt. Primum est, tempore proficiendum: alterum, à fide incipiendum: tertium, non semper in lacte remanendum.

Quoad primum. Debuissent Hebræi esse magistri, cum vix laudabiles discipuli; & inde obiurgandi, tanquam culpabiles. Cur autem debuissent? Propter tempus. Nonne proficere in fide debuistis, pro ratione temporis? Tamdiu scholam frequentare, & nullam aut modicam captare disciplinam? Querela iustissima, à Paulo tantum, sed & à Christo intentata. Philippus, ait Augustinus, vnus ex Apostolis, quid audierat non intelligens, Domine, inquit, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Cui Dominus, Tanto, inquit, tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Ecce increpat quod tantò tempore cum ipsis erat, & non cognoscebatur. Eum namq; aliqui eorũ sciebãt, aliqui nesciebãt atq; in his qui nesciebant & Philippus erat, vt quod ait, Et quò ego vado scitis, & viã scitis, illis dixisse intelligatur qui sciebant, non Philippo cui dictum est, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, Philippe: Aliqui sanè ex Hebræis aliqui profecerant in Christianismo, ex quo nomen dederant, religionemque susceperant, sed multi remanserant in viã, vel etiam à viã defecerant. Forte, inquit Chrysostomus, quispiam ex vobis qui hîc statis, caligat, & contumeliam probrúmque rem esse existimat, si Paulus propter Hebræos fuerit impeditus ne sermonem loqueretur perfectiorem. Atquin fortè quidem hîc quoque; præter paucos, multos opinor esse tales, vt hoc quoque de vobis dicatur. Et hoc ergo ostendit, neque sinit eos tanquam valdè damnatos

D

Augustin. Tract. 70. in Ioan. post init.

E

Chrysost. orat. 8.

cõcidere, nec vt qui semper sint mali: sed quòd A etiam aliquando fuerunt boni. Etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, inquit? ostendit hic eos longo antè tempore credidisse. Ostendit autem quòd etiam alios debent instituere & erudire. Vide ergo eum assiduè parturire, vt introducat sermonem de Pontifice, & semper differre. Quoniam enim toties fuit depulsus, veluti respondens & se excusans dicit, In vos causa est conferenda. Papè, quanta est differentia! Cum deberent alios docere, sunt quidem non solùm discipuli, sed etiam vltimi discipuli. Sic se res habet. in omni ferè societate; nonnulli B tempore proficiunt, alij deficiunt; in itinere; gradum potius demonstrant, quàm explicant: dum illi profectum annis recensent, imò censum suum momentis promouent.

In omni societate quidam proficiunt, alij deficiunt.

Quoad secundum. Exstruendum est ædificium, sed fundamentum in fide mediatoris, hominis Christi Iesu collocandum. Tria quippe ad comparandum sanctitatem, sicut & ad sanitatem reparandam sunt apprimè necessaria. Primum est, est Medicum agnoscere; alterum, credere illi; tertium, obedire. Quis enim obediat, nisi credat? quis credat, nisi agnoscat? Sed quid prodest agnoscere nisi credas, quid credere nisi obedias? C Nonnunquam, ait Augustinus, etiam cum rectè omnia vereque dicantur, aut non intellectum aliquid, aut contra opinionem & consuetudinem veteris erroris ipsa nouitate asperum, offendit & perturbat audientem. Quod si apparuerit, sanabilemque se præbet, auctoritatum rationumque copiâ sine vlla dilatione sanandus est. Apposità nimirum scripturæ sacræ medicinâ. Narratio quippe plena est, ait ille, cum quisque primò catechizatur ab eo quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum & terram, vsque ad præsentia tempora Ecclesiæ. Neque enim ob aliud ante aduentum Domini scripta sunt D omnia quæ in sanctis scripturis legimus, nisi vt illius commendaretur aduentus, & futura præsignaretur Ecclesia. Hæc sunt elementa exordij sermonis Dei, de quibus Paulus ad suos: Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Quasi dicat, (secundùm Aquinatem) magis deberetis docere, quàm doceri: tamen indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Elementa enim dicuntur illa, quæ primò traduntur in Grammatica, quando ponuntur ad litteras. Ista verò sunt ipsæ litteræ. Exordia ergo sermonum Dei, & prima principia, E & elementa sunt articuli fidei, & præcepta Decalogi. Sunt illa, quæ primò proponenda sunt catechumenis, vtpote ad cognitionem Medici, seu fidem Christi apprimè pertinentia. Ad eos itaque loquitur Paulus, qui exercitatum sensum per legem & Prophetas de aduentu Christi, & gratiâ quæ per eum allata est credentibus, habere debuerunt: qui etiam magistri aliis per mysteria Dei quæ data sunt illis poterant esse, si credidissent. Nunc autem ta es facti sunt, vt infantes, quibus prima elementa litterarum traduntur

Augustin. lib. de catech. rud. cap. 11.

Augustin. eodem lib. cap. 3.

Elementa in articulis & præceptis posita.

Aquinas. 2.

Ambros. in Paulum.

ad legendum. Ita Ambrosius. Deberent esse magistri in Israël, & ad ipsa nihilominus redeundum est incipientium principia, iterum de primis fidei articulis disserendum.

Quoad tertium. Lacte quidem opus est infantibus, Sed ideò lacte fouentur vt crescant, & ad statum euadant perfectum: sic & humaniore, ne dicam & molliore institutione opus est rudibus, sed ideo quæ humana sunt seu humiliora ac faciliora edocentur, vt in viros euadant perfectos, & ad altiorem assurgant perfectionem, veramque & integram capiant iustitiam. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. Facti autem estis quibus lacte opus sit. Hic dicit humanitatem. (ita Chrysostomus) Quomodo enim in æternis litteris primum oportet addiscere elementa, ita hic quoque primum docebantur de humanitate. Vides quænam sit causa, cur loquatur humilia. Propterea enim si quidpiam quidem dicit excelsum & sublime, hoc dicit breuiter: humilia autem dispersa sunt in multis locis epistolæ: & sic ostenditur id quod est excelsum & sublime: nam quod est valde humile, non sinit vt de diuinitate hæc suspicemur. Semper ergo lac vocat humilem sermonem: lac autem vocat, propterà quòd conueniat simplicioribus: sed est noxium in iis immorari. Lac vobis potum dedi, non escam. Non dixit, Nutrij, ostendens id non esse nutrimentum, sed id esse sicut infantibus qui non possunt nutriri pane. Iis enim non datur panis, sed est eis nutrimentum pro potu. Et non dixit, opus habetis, sed, facti estis quibus lacte opus sit: hoc est, vos voluistis, vos ipsos eò redegistis, & ad hanc compulsistis necessitatem. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. hoc est, imperitus Philosophiæ supernæ, non potest suscipere vitam perfectam & exactam, excelsumque & sublimem de Christo sermonem. Vides paruulos quidem, seu imperfectos lacte potandos, sed ipsâ humanitate, seu humiliore doctrinâ, ad sublimiorem præparandos perfectionem inuitandosque. Explicatum est, inquit Augustinus, vbi nos Deus voluit esse humiles, vbi altos: humiles propter cauendam sapientiam. Lactare, vt nutriaris? sic nutrire, vt crescas, sic cresce, vt panem manduces. Cum enim cœperis panem manducare, ablactaberis: id est, iam tibi non opus erit lacte, sed solido cibo. Sed isti supini, negligentes, & ideo parùm capaces & idonei ad maiora capiẽda; nisi acriori pungantur stimulo, & prudenti artificio ad frugem meliorem reducantur.

Chrysost. orat. 8.

Lac vocat Paulus sermonem humilem.

Augustin. in expos. Psal. 130. vlt. med.

PVNCTVM III.

De soliditate proficientium.

Egimus de imperfectis seu incipientibus, nũc de perfectis agimus seu proficientibus: Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Tria inde elicienda sunt. Primum est, cuique fideli

li cibum conuenientem congruentemve esse A appositum: alterum, perfectos, vsu & habitu firmatos: tertium, sic viros factos vt semper crescant, semper proficiant.

Quoad primum. Fideles omnes per Spiritum Sanctum renati sunt, idcircò & litteris inspiratis educandi. Sciendum ergo quòd doctrina sacra est sicut cibus animæ. Eccles. 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectûs. Et 34. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Sacra ergo doctrina est cibus & potus: quia animam potat, & satiat. Aliæ enim scientiæ tantùm illuminant intellectum, hæc autem illuminat animam, Psalm. 18. Præceptum B Domini Lucidum illuminans oculos: & etiam nutrit & roborat animam. In cibo autem corporali est differentia. Alio enim enim cibo vtuntur pueri, & alio perfecti: Pueri enim vtuntur lacte, quasi magis tenui, & connaturali, & de facili conuertibili: sed adulti vtuntur cibo solidiori. Sic in sacrâ scripturâ, illi, qui de nouo incipiunt, debent audire leuia, quæ sunt quasi lac: sed eruditi, debent audire fortiora: solidus quippe cibus, alta est doctrina, quæ est de carnis & secretis Dei, quæ confirmant & confortant. Est ergo & lacti. seu tenuiori doctrinæ vtilitas sua, imo & necessitas, sed C solidiori præcauens, & tanquam præambula seruiens iustitiæ. Hoc enim temporibus noui populi a magnis & spiritualibus viris Ecclesiæ catholicæ alumnis video cautissimè prouideri: (verba sunt Augustini) ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis vt cum populo agatur intelligunt: alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus verò & animalibus, quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non D enim honoribus suis vanis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. Id certè non fit ex inuidiâ doctrinæ, sed ex insufficientiâ pueritiæ: sicut enim natura, sic & gratia congruum cuique statui aptat alimentum, sed vt ad solidum perducat, virilemque ætatem constituat. Sic enim, vt ille dixit, nos Deus vult nutriri lacte, vt non ibi remaneamus: sed crescendo semper, ad solidũ cibum perueniamus. Mater enim, Ecclesia Dei est, inde Hæretici separati sunt, vbi nutriri & lactari debebant: vt crescerent ad E capiendum Verbum Deum apud Deũ, in formâ Dei æqualem Patri. Hic est solidus perfectorum cibus, quorum & exactior disciplina, vita purior, & eminentior sapientia.

Quoad secundum. Non solùm comparanda est illa sapientia, sed & vsu firmanda & habitu. Efficiamur perfecti hac perfectione. (ita Chysostomus) Licet, etiamsi simus pueri & iuuenes, ad illam venire perfectionem: non est enim naturæ, sed virtutis. Infans non potest malum & bonum cibum distinguere? sæpè enim & puluerem in os iniicit, & quod est noxium accipit, & omnia facit citra discretionem. Sed non est eiusmodi id quod perfectum est. Perfectorum autem est solibus cibus: eorum qui pro suâ consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Non habebant illi sensus exercitatos, neque sciebant bonum & malum. Certè non agit de vitâ, quando dicit, Ad discretionem boni & mali: hoc enim potest quilibet scire, & est facile: sed de rectis & sublimibus dogmatibus, & de prauis humilibusque & abiectis. Sensus igitur ille, mentis est, non corporis. In eis quippe naturalibus bonis, vt loquitur Augustinus, quæ nobis cum irrationalibus videmus esse communia viuacitate quadam sensus excellit: non ille de quo scriptum in Epistolâ quæ est ad Hebræos, vbi legitur, perfectorum esse solidum cibum, qui per illum habitum exercitatos habent sensus ad separandum bonum à malo: illi quippe sensus naturæ rationalis sunt ad intelligentiam pertinentes. Reuera spiritales sunt illi non corporales, sed exercitandi, assuetudine firmandi & habitudine. Nam, vt aduertit Chrysostomus, quomodo qui dant regulas, non necesse habent mensuras innumerabiles curiosæ inquirere; sed illam quæ data fuit, iubent tenere: ita etiam in dogmatibus. Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? A continuâ auditione, à scripturarum peritiâ. Sed nemo vult attendere scripturis. Nam si attenderemus, non solùn attenderemus errori & deceptioni sed etiam deceptos liberaremus. Sed sunt aliqui, qui ne sciunt quidem quòd sint scripturæ. Propterea à nobis nihil fit sanũ, nihil rectum, nihil vtile. Si velit quispiam artẽ discere militarem, necesse est vt leges discat militares. Et si quis velit discere scientiam gubernandi aut fabricandi aut si quid aliud, necesse est vt discat quæ sunt artis. Hîc autem nihil volunt eiusmodi, idque cum hæc scientia multis opus habeat vigiliis. Sed omnia frustra fiunt, omnia temerè. Nam totum studium vestrum est effusum in ea quæ ad hanc vitam pertinent, spiritualium verò nulla habetur ratio.

Quoad tertium. Non sufficit in virum euadere, expedit cumulum addere, crescere semper ac proficere. Ablactari enim omnes possunt crescendo. (Verba sunt Augustini) Qui crescit, & sic ablactatur, bonum est illi. Et quid facio, inquis? Sic remanebo? Sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper. Cresces, erunt validæ vires tuæ: & videbis quod non poteras, & capies quod non capiebas. Quid ergo? Cum videro quæ non poteram videre, & cepero quæ non poteram capere, iam securus ero? perfectus ero? Non, quamdiu hic viuis. Ipsa est perfectio nostra, humilitas. Audistis quo conclusit modo Apostolica lectio, si hæsit in memoriâ vestrâ quomodo ille qui accepit colaphum ne extolleretur in reuelationibus, quanta ei reuelabantur, propter ipsam magnitudinem reuelationum, quia poterat extolli, nisi acciperet Angelum Satanæ. Et tamen cui tanta reuelabantur, quid ait? Fratres, ergo meipsum non arbitror apprehendisse. Quid ais, Paule? Adhuc curro inquit, vt apprehendam. Ecce Paulus non apprehendit, &

Aquin. Lect. 2.

Alimentum in doctrinâ sacrâ cuique appositum.

Augustin. lib. de verâ relig. cap. 18.

Augustin. in Expos. Psal. 130. vlt. med.

Chrysos. orat. 8.

Augustin. lib 12. de Trinit. c. 13.

Chrysos. in Morat. 8.

Quàm culpanda scripturarum negligentia.

Augustin. in Exp Psal. 130. v. fin.

Nec imperfecti citò ablactandi, nec perfecti in hoc seculo retardandi.

& dicit, Vnum autem, quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, Secundùm intentionem sequor ad Palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Audio vocem Dei desuper, & curro vt apprehendam. Non enim dimisit me in viâ remanere, quia non cessat alloqui me. Nam si cessat, quid est quod agimus? Quid est quod agunt lectiones diuinæ & cantica diuina? obliuiscimini ergo quæ retro sunt, & in ea quæ ante sunt, vos extendite. Timendum quidem ne quis antè tempus oblactetur, si enim fortè fuerit præmaturè à lacte separatus, vix proficit: sed & cauendum ne quis ante tempus arbitretur se comprehendisse, si enim gradum non promouerit in via, si profectum neglexerit, Statim deficit. Sic fugite lac, ait ille, vt crescatis ad cibum. Cum ergo veneritis, in patriâ gaudebitis. Attendite Apostolum sequi ad palmam supernæ vocationis. Dicit enim: Quotquot ergo per-

Augustin. in fine.

A fecti, hoc sapiamus. Non loquor, inquit, imperfectis, quibus adhuc non possum loqui sapientiam; qui adhuc lacte potantur, non solido cibo pascuntur: Sed illis dico, qui iam manducant solidum cibum. Iam videntur esse perfecti, quia intelligunt æqualitatem Verbi cum patre. Adhuc non sit vident, quomodo videndum est, facie ad faciem: adhuc ex parte in ænigmate. Currant ergo, quia cum via finita fuerit, tunc redimus ad patriam. Currant, currant, extendant se. Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus. Ideo ad hoc conclusit Psalmus:
B Speret Israël in Dominum, ex hoc nunc & vsque in seculum. Quovsque veniamus ad æternitatem, speremus in Dominum Deum: quia cum venerimus ad æternitatem, iam spes non erit, sed ipsa res erit. Nihil addo, cum ista non minus anagogiam spirent quàm tropologiam, non minus ad felicitatem aspirent quàm ad pietatem.



CAPVT SEXTVM.

Summa.

Omissis rudimentis ad statum vocat perfectionis, denuntiatque periculum perditionis iis qui prolapsi sunt post baptismum: sed meliora sperat & feliciora.

TEXTVS.



VAPROPTER intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministrastis. Cupimus autem vnumquemque vestrûm eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem: vt non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens. Nisi benedicens benedicam

cam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longaminiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis: vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

EXEGESIS LITERALIS.

NEGAT semel illuminatos prolapsosque ad pœnitentiam renouari, inuitat ad constantiam, demonstratque solatium nostrum diuino firmari iuramento.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur &c. Quod dixi de vestrâ imbecillitate ad audiendum, non eo animo dixi, vt vos arceam à semitâ perfectionis; sed vt moneam crescendum semper, nec in infirmitate permanendum, sed de infantiâ tandem exeundum, & ad viam excellentiorem, seu vitam contendendum perfectiorem. Quocirca, dimissis Euangelicæ doctrinæ rudimentis progrediamur ad ea, quibus non iam rudes imbuendi, sed quibus spiritales euehendi: ad sublimiora feramur & altiora sapientiæ arcanæ mysteria. Dixit superiùs, Torpidi estis & infantes, & necesse habetis iteratò prima fidei elementa iam edoceri, nunc verò, inquit, oportet vtique tanquam perfectos vos sapere, excedereque Christi inchoationis sermonem, id est, fidei ipsius primordia & ad perfectionem deferri, sublimium scilicet esse capaces. Ita Commentator Athanasius. Nam rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni &c. Sunt hæc primordialia institutionis Christianæ, seu suscipiendæ religionis elementa. Quorsum ergo prima rursum iacere pœnitentiæ de peccatis anteactis incundæ fundamenta? rursum primos fidei in Deum & Christum articulos tradere? Rursum, quæ pertinent ad baptismos edocere? quæ ad consignationem seu confirmationem, quæ ad æterna, seu bonorum præmia, seu supplicia malorum attinent, rursum disserere? Et hoc quidem faciemus, si quidem permiserit Deus Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam &c. Hæc quæ præmisi, rudimenta sunt fidei, nouitiis ingerenda, non professis adultisque: sed cum iam debeatis esse magistri, vtpote iam prouecti; initia hæc dimittenda sunt, & proponenda sunt perfectiora. Et hæc quidem proponemus, exponemusque, dummodo annuat Deus, & concedat. Quid enim necesse est vos iterum instituere per catechismum, & ad baptismum disponere, cum impossibile sit semel baptizatos, dein & prolapsos, iterum ad pœnitentiam renouari, seu ad nouam vitam regenerari. Quid enim, post baptismum pollui? quid, prolabi post cœleste donum, post beneficium spiritale, tot promissa, & futuræ vitæ præmia? Verbum istud, ait Aquinas, dicitur bonum, quia est verbum vitæ æternæ: dicit autem, Gustauerunt, quia non solùm illuminat intellectum, sed etiam reficit affectum. Sed & addendum. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Sic enim prolapsi pollutique, quantum in ipsis est, Christum in crucem agunt, traducuntque ad irrisionem: vtpote pro admissis peccatis mortuum.

Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem &c. Terra namque, si pluuiam exceperit in se sæpiùs effusam, & herbam genuerit, iis, à quibus colitur accommodam; benedictionem accipit ampliorem, peruenitque ad maturitatem: si autem postquam sæpè venientem in se biberit imbrem, spinas proferat, herbasque cultoribus suis reddat importunas, oneratur maledicto, deputaturque incendio. Non sunt hæ minæ Pauli, ait Ambrosius, non sunt hominis verba; Spiritûs sancti sunt, Christi sunt loquentis in Paulo. Comparationem porrò hîc facit de animâ proficiente in doctrinâ Dei, & de negligente salutem suam. Plantant Apostoli rigantque, sed optatum, à Deo expectant incrementum. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis &c. Absit vt de vobis malè ominer, absit vt vos arbitrer reprobos: mihi enim de vobis meliora persuadeo, dictisque temperatis, ea voueo quæ meliorem sortem accipiant, benedictionemque potius referant quàm maledictionem. Cur id mihi non persuadeam, cur id non voueam; cum sciam Deum non minus fidelem in reddendis præmiis, quàm liberalem in promittendis? Itaque non relinquet laborem vestrum, non finet inanem esse & vacuum; maximè verò officium illud & ministerium, quod propter ipsum exercuistis

Marginalia: Comment. Athanas. — Prima Christianæ doctrinæ documenta. — Aquin. lect. 1. — Ambros. in Paulum. — Anima completa cœlesti rore, saluti æternæ excolenda.

erga pauperes Christianos, & adhuc exercetis. Cupimus autem vnumquemque vestrûm eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem: vt non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones &c. Optamus autem, incitamúsque vnumquemque vestrûm, vt idem exhibeat studium; & vsque ad mortem, idem, ad spem maiorem certioremque, exerceat ministerium. Hoc dicimus, ne torpeatis, sed vt tam fideliter quàm patienter sustinentes, cum ceteris electis possideatis promissiones. Hoc Pauli prudentiæ est admirabile, (ita Chrysostomus) quòd non ostendit eos cessisse, & factos esse remissiores. Dicere enim, Cupimus vnumquemque vestrûm, hoc est perinde ac si dicas, volo te semper studere, & qualis priùs eras talem esse, & nunc & inposterum. Nec dicit, Volo, quod erat docendi auctoritatis, sed quod paternæ erat beneuolentiæ magis quàm velle, Cupimus: propemodum dictus, Ignoscite si quid molestum & graue dixerimus: hoc enim mitiorem facit reprehensionem.

Chrysost. orat. 10.

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te &c. Abrahæ sumit exemplum, cui pote factæ sunt promissiones, sed fidelibus omnibus communicabiles, ostenditque esse inuiolabiles. Promittens enim Deus Abrahæ, cum maiorem seu superiorem non haberet, per quem iuraret, iurauit per semetipsum, dicens, certissimè, beneficiis te cumulabo, nec minus filiis, quàm bonis ditabo te. Cum multa sint, ait Athanasius, quæ ex fide hæreditarunt promissa, alios quidem interea præterit, reliquitque posteris conquirendas, vnius duntaxat Abrahæ meminit, cum ob personæ auctoritatem, tum quia hic præcipuè, cui pleraque promitterentur, dignus est habitus vt promissa assequeretur. Sed non illi solùm, sed & semini, seu omnibus facta sunt fidelibus. Ille tamen princeps generis, sicut & manceps virtutis. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem &c. Constitit ille in testimonium & exemplum, nam fide & patientiâ, seu verâ longanimitate promissa bona obtinuit. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. Certè homines per maiorem sui seu superiorem iurant, vt fidem faciant: & quicquid litis aut contentionis inter eos agitatur, hoc sedatur remedio. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem &c. Cum ergo multa promiserit Deus, volens tamen hanc promissionem Abrahæ factam, & omnibus promissæ benedictionis hæredibus, insigniorem reddere, & inmutabilem decreti sui munire firmitatem, illam obstrinxit iureiurando, & hoc modo tam certam effecit, quàm immobilem: vt per promissionem & iuramentum, quibus impossibile est Deum imponere aut decipere; tutissimum in aduersis & angustiis inueniamus solatium, nos qui spem arripuimus futurorum bonorum, & hæreditatem æternæ vitæ, propositæ ac promissæ percepimus. Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis: vbi Præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Quam spem tenemus velut anchoram animæ fixam stabilemque, inhærentem internis bonis æternisque: in quæ, velut Prætor, pro nobis ingressus est Iesus æterno donatus à Patre, ad interpellandum pro nobis, secundùm ordinem Melchisedech, sacerdotio. Non dixit simpliciter, Introiit: sed, vbi præcursor pro nobis introiit: velut absque dubio nos oporteat prosequi præcursorem nostrum: præcursorem quippe & consequentem in eadem viâ esse conuenit.

Athanas. in Paulum.

Homines iurare soliti ad sopiendas controuersias.

Ambros. in Paulum.



DILVCIDATIONES in Caput Sextum.

SVNT inchoationes quædam fidei, conceptionesve: sed parùm est concipi, ni prosit & nasci; nec produci tantum sed & ad vitam produci sempiternam? Ab inchoatione tamen exordiendum est, & in glorificatione consistendum.

DILVCIDATIO I.

De inchoatione.

INchoatio illa, initiatio est animæ Christianæ, seu doctrinæ Euangelicæ insinuatio. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur. Sed in illis exordiis seu rudimentis, multa sunt puncta, quorum sit.

PVNCTVM I.

De primâ pœnitentiâ.

PRimam dixi, quia Catechumenorum est, seu sacris initiandorum mysteriis. Vnde Paulus: Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum. Si autem prima est, vtique fundamentum est ædificij spiritalis, seu vitæ cœlestis initium. Tria igitur elucidanda sunt. Primum est, duplicem esse pœnitentiam actûs iuxtâ duplicem statûs differentiam: alterum, vitam nouam à primâ inchoandum pœnitentiâ: tertium, pro malis illam meritis, non pro bonis institutam.

Quoad primum. Totus est Tertullianus in libro suo de pœnitentiâ, vt duplicem distinguat & statuat, primam & secundam: ideoque librum ex æquo diuidit, & ita concludit. Quid ergo vltrà de istis duabus humanæ salutis quasi plancis, stiti potius negotium quàm officium conscientiæ

Tertullian. lib. de bapt. cap. 12.

conscientiæ meæ curans? Per plancas, tabulas intellige, quibus fractâ noui, quæritur salus, & è naufragio, licet cū aliquo euaditur periculo. Ita ille. Eam tu peccator, mei similis, ità inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Triplex considerandus est hominis status. Primus, creationis, qui status fuit innocentiæ, ideo nullus in eo fuit pœnitentiæ locus. Status ille, status integritatis est, idcircò, si nauis, quia fluctuabat adhuc, necdum felicitatis portum, aut asylum attigerat immortalitatis; integra tamen nauis, in quâ nihil deesset, nihil esset fractum, nihil inualidum. Alter status est regenerationis: fracta est enim nauis innocentiæ, & inde duæ plancæ sublatæ sunt, quasi duæ post naufragium tabulæ: difficiles quidem & anxiæ, sed si pœnales ex iustitiâ, plancæ tamen ex misericordiâ. Hoc enim iustum est, ait Augustinus, vt qui de pristinâ felicitate Paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur: fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo: ibi contra iustitiam facientes, hîc pro iustitiâ facientes. Tertius denique status est reparationis, quo scilicet gratiâ baptismali deperdita, salus reparatur pœnali sed salutari pœnitentiâ: sicut enim per primam seu tabulam seu pœnitentiam ad baptismum seu sacramentum contenditur regenerationis, ita per secundam, lauacro iam non integro, ad remedium reparationis sanationisve recurritur. Venena enim peruicacissimi hostis, vt Tertullianus loquitur, prouidens Deus, clausâ licet ignoscentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. Non ergo statim succidendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat: iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris.

Tertullian. cap. 4.

Nauis innocentiæ, & duæ indè tabulæ.

Augustin. lib de patient. c. 14.

Tertullian. lib. de pœnit. cap 7.

Tertullian. cap. 6.

Quoad secundum. Qui cogitat fidem, salutem ædificat; nouam instituit vitam, sed firmum per primam pœnitentiam constituit fundamentum. Lauacrum illud, ait Tertullianus, obsignatio est fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur. Non enim ideò abluimur, vt delinquere desinamus, sed quia desiimus: quoniam iam corde loti sumus. Hæc enim prima audientis intinctio est, metus integer. Exinde quoad Dominum senseris, fides sana, conscientiâ semel pœnitentiam amplexata. Mortuus erat homo per peccatum, sed regenerandus per baptismum, per lauacrum innouandus. Regenerationem istam seu innouationem internam inchoat fides, baptismus consummat. Quid verò fides illa? Fides ad Deum. Seu, vt est in Græco, ἐπὶ θεὸν, In Deum. Quid porrò præscribit illa fides, quidve sentit? Restituendum esse ædificium, quod per innocentiæ iacturam dirutum est; & incipiendum per curam pœnitentiæ. Prima namque est illa quæ nouum hominem parturit, (verba sunt Augustini) donec per baptismum salutare, omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum: vt tanquam puero nato dolores transeant, quibus viscera vrgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim qui iam arbiter voluntatis suæ constitutus est: cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentiâ, cum baptizantur, soli paruuli sunt immunes: nondum enim vti possunt libero arbitrio. Cæterorum verò hominum nullus transit ad Christum, vt incipiat esse quod non erat: nisi eum pœniteat fuisse quod erat. Hæc prima namque pœnitentia præcipitur Iudæis, dicente Apostolo Petro, pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Iesu Christi. Talis ab ipso Domino imperabatur, cum diceret, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. De hac etiam Ioannes Baptista, plenus Spiritu sancto, Præcursor & præparator viæ Domini, ita dicit: Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Præcurrit enim ille prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, salutemque, seu gratiæ proximitatem per Christum, annuntians. Tanquam diceret: (ita Augustinus.) Recedite ab Ægypto, & per mare rubrum transite. Vnde & epistola quæ ad Hebræos inscribitur, cum eorum qui baptizantur commemorarentur initia, posita est ibi pœnitentia à mortuis operibus: sic enim dicit, Ideoque remittentes initia Christi, verbum in consummationem respiciamus: non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum, lauacri doctrinæ. Hæc quippe omnia pertinere ad initia Neophytorum satis apertéque scriptura testatur.

Augustin. lib. 50. Hom. 50. cap. 2.

Nemo vitam nouam inchoat, nisi veteris eum pœniteat.

Augustin. lib. de fide & oper. cap. 11.

Quoad tertium. Pœnitentia quidem indicta est, sed malis meritis, non malis impendenda. Ita Tertullianus de iis qui pœnitentiam detinent ad iniustitiam, dum illam in bonis factis suis adhibent. Quod si, inquit, Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primò pœnitentiæ expenderent, nec vnquam eam ad argumentum peruersæ emendationis adhiberent. Nam cum iudex Deus iustitiæ charissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, & in eam, omnem summam disciplinæ suæ sanciat, dubitandum est, sicut in vniuersis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causâ iustitiam Deo præstandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibeatur. Porrò peccatum, nisi malum factum dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit: quod si non delinquit, cur pœnitentiam inuadit delinquentium? cur malitiæ officium bonitati suæ imponit? Ratio igitur eius quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis vnquam factis cogitatisve, quasi violentiâ aliquâ, manus iniiciatur. Ne scilicet fidei, amori, simplicitati, patientiæ impendatur, aut misericordiæ. Vult ergo Paulus fieri pœnitentiam, non tamen eam vult bonis meritis, sed malis adhiberi. Quid est enim à mortuis operibus pœnitentia, ait Augustinus, nisi ab his quæ oportet mortificari vt viuamus: quæ si adulteria,

Tertullian. lib. de pœnit. cap. 2.

Pœnitentia non bonis factis, sed malis adhibenda.

Augustin. lib. de fide & oper. c. 11.

adulteria, fornicationesque non sunt, quid iam inter opera mortua nominandum est? Quid ergo opera mortua, nisi mala merita, seu peccata quæ vitam extinguunt gratiæ, animamque mergunt in interitum, dum gehennæ producunt exitium. Sunt enim mortua, quia morte seu damnatione digna; in quantum Deo viuenti aduersa, in quantum vitali principio seu charitati contraria. Qui ergo tendit in Deum, & incipit in Deum credere: debet scire pœnitentiam ab operibus mortuis, seu anteactis criminibus ineundam: oportet vitam malam velut mortuam mortiferamque detestari, nouamque amplexari vt salutiferam. Quæ sit inchoatio, ait Chrysostomus, & quod initium sermonis, ipse Paulus ponit, dicens: Non rursus, inquit, iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum. Si hoc autem est initium, quid est aliud nostrum dogma quàm pœnitentiam agere ab operibus mortuis? Quid est autem initium? Nihil aliud quàm hoc dicit initium, quando non adest vita exacta & perfecta. Quomodo enim eum qui venit ad discendas literas oportet primùm audire elementa: ita etiam Christianum hæc exactè scire, & de his nihil dubitare. Est igitur inchoatio sermonis Christi, fidelis seu Christiani initiatio, quæ per fidem veram, licet nondum viuam incipit, stabilemque indicit pœnitentiam, vt ab operibus mortuis, seu peccatis omnibus recedatur, & ad Deum viuum accedatur.

Chrysost. orat. 9.

PVNCTVM II.

De baptismatum doctrinâ.

Acta est pœnitentia, nondum tamen collata est indulgentia. Tria igitur rursus docenda sunt. Primum est, præparationem fieri quidem per pœnitentiam, sed purgationem per aquam effici: alterum, duplicem esse vitam animæ, vnam contritionis, alteram remissionis: tertium, non vnum esse baptisma, sed plura.

Quoad primum. Pœnitentia quidem domum præparat, sed nondum sanctificat. Ioannes Baptista, ait Augustinus, consideratâ scripturâ, multis probabilibus documentis non absurdè creditur prophetiæ gestare personam, & eo maximè quod de illo Dominus dicit, Plusquam Propheta. Hic siquidem totius prophetiæ quæ ab exordio generis humani vsque ad aduentum Domini, de Domino facta est, imaginem gestat. Postquam ergo prophetia ipsa in Ioanne constituta digito ostendit præsentem, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde crescere prædicatio regni Dei. Et ideò baptizauit Ioannes in pœnitentiam: finitur enim vetus vita, atque inde incipit noua. Ideò ex senibus parentibus nascitur, tanquam senescente seculo prophetia illa, innotescere incipiat: & quinque mensibus se occultat mater eius. Sexto autem mense visitatur à Mariâ matre Domini. Peractis autem Maria cum Elisabeth mensibus tribus, discessit. Quo numero

Augustin. li. 83. quæst. 58.

A Ioanne Prophetia, à Christo indulgentia.

A videtur mihi significari fides Trinitatis, & baptisma in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti, quo per humilem Domini aduentum genus humanum imbuitur, & futuro aduentu claritatis eius extollitur. Sextâ quippe ætate venit Dominus, tuncque, exultante Ioanne, salus apparuit. Nam Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, (ita loquitur Tertullian. ad pœnitentiam semper hortatus est. Cui Ioannes præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus propositâ: vt quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui sancto parer, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. Pœnitentia igitur peccati præparat, sed aqua baptismi sanctificat consecratque. Non enim sufficit professio recessionis ab operibus mortuis, (verba sunt August.) nisi etiam lauacro regenerationis cuncta præterita quæ velut persequuntur, peccata deleantur: sicut non sufficit Israëlitis recedere ab Ægypto, nisi ea quæ insequebatur hostium multitudo eiusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro liberandoque patuerût. Certè insequitur pœnitentes Diabolus, sicut Pharao fugientes; sed quando ingreditur mare, statim mergitur. Pharao, inquit Hieronym. cum exercitu suo, nolens populum Dei exire, in typo baptismatis suffocatur Et in Psalmis de interfectione illius scribitur: Tu confirmasti in virtute tuâ mare: contribulasti, capita draconû in aquis: tu confregisti capita draconis. Serpens enim ille per dolorem atteritur pœnitentiæ, sed per aquæ virtutem excluditur: hucusque prosequitur pœnitentes de peccatis, sed in aquis interimitur, præparatio enim disponitur per pœnitentiam, sed purgatio seu sanctificatio per aquam efficitur.

Tertullian. lib. de pœnit. cap. 2.

B

Augustin. lib. de fide & oper. cap. 11.

C

Hieronym. epist. 83. in med.

D Quoad secundum. Aliud est audire genitus compeditorum, aliud soluere rectus miserorum. De cœlo ergo, ait Augustinus, prospexit Dominus, vt audiret genitus compeditorum, vt solueret filios mortificatorum. Filij mortificatorum qui, nisi nos: Quomodo autem soluimur nos, nisi cum dicimus eis, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis? Soluitur namque vnusquisque à vinculis cupiditatum malarum, vel à nobis peccatorum suorum. Remissio peccatorum, solutio est. Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, Soluite eum, & finite abire: Ipse quidem voce de sepulchro suscitauit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulchro impositam vicit, & processit ille vinctus. Non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis, fit hoc in corde pœnitentis. Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, iam reuixit: cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, iam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando soluitur? A quibus soluitur? Quæ solueritis, inquit, in terrâ, erunt soluta & in cœlo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem mortuus ipse non nisi intus clamante Domino potest. Hæc enim Deus interiùs agit. Aliud est actûs mali detestatio, aliud

Augustin. Con. 2. de 2. parte Psalm. 101. post init.

E

aliud contracti reatus dissolutio: illud enim humanæ voluntatis, istud diuinæ liberalitatis. Vtrumque quidem à gratiâ & misericordiâ: sed illud, arbitrio agente, istud, Deo remittente. Nam, vti dixit Augustinus, sicut iniustitia iustitiæ, ita innocentiæ velut eius contrarium non iniustitia, sed reatus opponitur, qui hominis voluntate non tollitur, etsi voluntate sit factus: sed reatum apertissimè Deus tollit homini dando indulgentiam, non sibi ipse homo agendo pœnitentiam. Debemus quippe illum recolere qui locum pœnitentiæ non inuenit, quamuis cũ lachrymis quæsierit eam. Ac per hoc & pœnitentiam egit, & reus remansit, quia veniam non accepit. Cum ergo de innocentiâ disputatur, considerandum est vtrum ad iustitiam voluntate redeat qui peccauerit, non ad innocentiam. Nam & sacra virginitas si per impudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam redire potest, ad virginitatem non potest. Vtrumque ex Deo est, tam contritio, quàm remissio, duplex gratiæ vita animæ collata: sed per primam sic viuit, inceditque, vt vinculum trahat; per secundam sic restituitur recipiturque, vt reatum exuat. Tunc opinor, ait Tertullianus, emendatos liquebit, cum absoluimur. Nullo pacto: sed cum pendente veniâ, pœna prospicitur: cum adhuc liberari non meremur, vt possimus mereri: cum Deus comminatur, non cum ignoscit. Est ergo pœnitentiæ vita, cum quis respicit petitque misericordiam: est & indulgentiæ vita, cum quis non solùm petit veniam, sed & accipit.

Augustin. lib. 6. oper. imp. nu. 19.

Multa per voluntatem inferri possunt, quæ per voluntatem non possunt auferri.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 6.

Quoad tertium. Non dixit baptisma Paulus, sed baptismata, quasi plura docerentur lauacra, monerenturque primo perdito, secundum superesse; vt sicut duplex pœnitentia est, sic & baptismus duplex, & vtrumque non solùm eluere maculas omnes, sed & pœnas omnes absoluere. Est quidem nobis, ait Tertullianus, etiam secundum lauacrum, vnum & ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, baptismo tingui, quum iam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Ioannes scripsit, vt aquâ tingueretur, sanguine glorificaretur: proinde, nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit: quatenus qui in sanguinem eius crederent, aquâ lauarentur; & qui aquâ lauissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit. Edocebantur vnicum esse baptismum, prohibebanturque iterare vnquam aut repetere. Nam, vt dixit Mileuitanus: Non debet iterari, quod semel iussum est fieri. Quid ergo, si vel oblatâ frustretur gratiâ, vel priuet acceptâ? Est & alius baptismus, non fluminis iam, sed sanguinis: sicut enim Christus duplicem iniit baptismum, vnum ceremonialem, mergendo; alterum realem, moriendo: sic & Christianus duplicem baptismum admittit, vnum in signo, alterum in martyrio. Et quidem duo illi baptismi habent in quo concordent. Primò enim, vterque inuenitur in Christo, & in ipso consecratur. Venerat enim per aquam & sanguinem. Secundò, vterque semel duntaxat datur, nec vnquam posthac iteratur. Vnum & ipsum, sanguinis scilicet. Tertiò, vterque maculas omnes abluit, pœnas omnes dimittit. Omnia enim huic operi delicta donantur. Sed & habet multa, baptismus sanguinis, quibus fluminis baptismum, non adæquet tantùm, sed & superet. Primum est, quod baptismus fluminis, sanguinis baptismum supplere non possit, baptismus autem sanguinis, ob excellentiam suam & eminentiam & præuenire baptismum fluminis possit & reddere. Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit. Alterum est, quod vocatio demonstretur in primo, sed electio in secundo confirmetur. Proinde, nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos. Tertium, quod indulgentia quidem concedatur in fluminis baptismo, sed in baptismo sanguinis, corona conferatur. Vt aquâ tingueretur, sanguine glorificaretur. Hæc sunt igitur principales primordialesque baptismatum doctrinæ. Nam, vt aduertit Chrysostomus, qui est ad virtutem transiturus, debet priùs condemnare vitium, & tunc ad eam accedere. Non enim valebat pœnitentia eos mundos reddere. Propterea statim baptizabantur, vt quod per seipsos non poterant efficere, id fieret per gratiam. Neque ergo sufficit pœnitentia ad emundationem, sed oportet baptisma assumere. Oportebat igitur ad baptismum accedere, priùs damnatis & atro calculo notatis peccatis quæ quis admiserat. Pœnitentia quidem species est baptismi, cum sit & baptismus pœnitentiæ: sed præcurrens ac disponens ad baptismum aquæ: ille enim Sacramentum regenerationis est, religionisque mysterium. Sed si defuerit, vel defecerit, non solum reparabitur per baptismum sanguinis, sed & tam abundè, quàm & gloriosè cumulabitur.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 16.

Optat. Mil. lib. 1.

Tertul. c. 50. Apolog.

Baptismus fluminis & sanguinis quomodo conferantur.

Chrysost. orat. 9.

PVNCTVM III.

De trium articulorum intelligentiâ.

Baptizandi de tribus maximè informabantur, tanquam punctis essentialibus, seu principalibus articulis; interrogabanturque, an ita tenerent, & pro his mori num essent parati. Idcircò Paulus, vbi dixit, Doctrinæ baptismatum. Statim addit: Impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Quasi res illæ baptismum attineant, imò & compleant.

Quoad primum. Plures quidem erant manuum impositiones: sed illa maximè spectanda est, quæ baptismum ipsum non exornat solùm, sed & consummat. Dehinc, ait Tertullianus, manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum. Tunc enim ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, super baptismi aquas, tanquam pristinam sedẽ recognoscẽs cõquiescit. Cũ audis benedictionẽ, intellige consecrationem sanctificationemve

Tertullian. lib. de bapt. cap. 8.

Vnde, Emundata & benedicta corpora. Sunt corpora sanctificata per sacramentum, seu per Spiritum sanctum consecrata. Nouerint, ait Augustinus, vt sono in foro, sic voto in Ecclesiâ benedici. Sed forensis illa nonnunquam fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest. De sacramento autem, quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire quid res illa significet. Sicut ergo manus impositio, ritualis oratio est; sic & benedictio, specialis est sanctificatio, per quam & administratur sacramentum, & Christianum celebratur sacrificium. Sed vt reuertamur ad impositionem manuum, iam baptizati erant Samaritani, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Sed nondum confirmati. Idcircò, Apostoli miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, &c. Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumq; imposuero manus, accipiat Spiritũ sanctum. Et de Ephesinis discipulis: Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos. Tria igitur inde concludenda sunt. Primum est, per impositionem manuum, intelligendum esse confirmationis Sacramentum. Impositio enim manuum est duplex (vt docet Aquinas) vna est miracula faciens, sicut quando Christus per manûs impositionem curabat infirmos, & hæc non est sacramentalis: alia est sacramentalis, & hæc est duplex; vna in sacramento Ordinis. 1. Timoth. 5 Manus nemini citò imposueris; alia est in sacramento Confirmationis. Sicut enim in esse naturæ priùs generatur homo, & postea augetur, & roboratur, ita in esse gratiæ. Alterum, per illam impositionem manuum Spiritum sanctum inuitari, pleniúsque dari & abundantiùs. Ita apud Hieronymum. An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Non quod non datus baptizatis, sed datus ad regenerationem: confirmatis autem ad augmentationem: ideoque vberiùs ac copiosiùs. Tertium, non solùm rem esse sacramenti, sed & baptismi perfectionem consummationemve. Ita, vbi Tertullianus dixit, Caro abluitur, vt anima emaculetur. Adiungit. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manûs impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Sic nempe consummatur baptismus, cum baptizatus confirmatur.

Augustin. lib. de catech. rud. cap. 9.

Actuum c. 8.

Actuum. 19.

Cõfirmatio, est baptismi consummatio.

Aquin. Lect. 1.

Hieronym. dial. aduers. Lucif cit. med.

Tertullian. lib. de resur. car cap. 8.

Quoad secundum. Tria sunt obseruanda. Primum est, resurrectionem illam esse quæ in bonam partem sumitur, seu quæ ad vitam ac gloriam creditur. Qui enim resurgunt ad mortem ac damnationem, non tam recipiunt gra-

A tiam, quàm in gehennam decidunt. Ideò non resurgunt impij in iudicio. Ideò scilicet, vt exponit Augustinus, quia tanquam puluis proiiciuntur à facie terræ. Non enim tam illa vitæ restitutio est, quàm certa pœnæ inflictio. Nam vbi nulla vita, sed mors perpetua; non tam resurrectionis sors est, quàm condemnationis sententia. Ita Augustinus in Psalmum sexagesimum quintum: Inscribitur in titulo Psalmus iste: In finem canticum Psalmi resurrectionis. Resurrectionem enim Christiani nouimus in capite nostro iam factam, & in membris futuram. Caput Ecclesiæ, Christus est; membra, Christi Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Alterum est,
B resurrectionem illam immortalem ac gloriosam, singulariter instantérque Catechumenis propositam, móxque baptizandis inculcatam: vt qui fidem amplecterentur discrimini & contradictioni obnoxiam, in spem immortalis erigerentur felicitatis. Hæc enim est spes nostra (ait ille.) Ad hoc credimus, ad hoc duramus & perseueramus in tantâ malignitate huius seculi, consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit, cum & nos resurrexerimus, & in cœlestem habitum commutati æquales Angelis facti fuerimus. Seculum istud ferro transigebatur & viuicomburio, id-
C circò resurrectio mortuorum proponebatur in antidotum. Spes resurrectionis, ait Tertullianus, fastidium est mortis. Ridete ergo quantumlibet stupidissimas mentes, quæ moriuntur, vt viuant. Tertium denique, eò firmiùs imprimendam Iudæorum animis resurrectionis fidem, quò Sadducæi spem illam euerterent, Pharisæi periculosiùs corrumperent. Hanc spem, ait Augustinus, promissam sibi Iudæi tenebant, & de bonis, & de quasi iustis operibus multum gloriabantur, quòd acceperant legem secundùm quam viuendo, & hîc haberent bona carnalia, & in resurrectione mortuorum talia sperabant, de qualibus hîc gau-
D debant. Propterea Sadducæis, qui negabant futuram resurrectionem, Iudæi respondere non poterant proponentibus quæstionem quam Domino proposuerunt iidem Sadducæi. Hinc enim intelligimus eos hanc quæstionem soluere non potuisse, quia Domino soluente mirati sunt. Proculdubiò Iudæi non fatigarentur, non deficerent in istâ quæstione: si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia agebant in hac vitâ. Dominus autem æqualitatem Angelorum promittens, non humanam carnis corruptionem, ait illis: Erratis nescien-
E tes scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent; neque enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei. Demonstrauit quòd ibi non sit necessaria successio, vbi deletur decessio. Ibi quia decessores non erunt, nec successores quærentur. Ad hoc subiecit, non enim incipient mori. Locanda igitur in fundamentis fidei, vera ac beata resurrectio Christiani; vt spem erigeret, mortem non timeret, blandientia omnia sperneret, omnia terrentia.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 1. vlt. med.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 65. à lim.

Tertullian. lib. 1. ad Nat cap. 19.

Augustin. Enarrat. in Psal. 65. post init.

Bona carnalia post resurrectionẽ à Iudæis præsumpta.

Quoad tertium. Iudicium æternum, æternum est supplicium. Sicut enim gloriosâ resurrectione alliciendi erant catechumeni, sic

sic & æternâ damnatione deterrendi: sicut mulcendi appetitu gloriæ, sic & gehennæ metu detinendi: Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Ad vitam certè æternam ait Augustinus, omnes tendimus. Et in iudicium non veniet, sed transiet de morte ad vitam. Quæ est vera vita, nisi quæ est æterna vita. Sed quid est hoc, Et in iudicium non veniet? Paulus dicit, oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi? & tu tibi audes promittere, quia in iudicium non venies? Reuelat ergo Dominus Deus noster, & per scripturas suas admonet nos, quomodo intelligatur, quando dicitur iudicium. Aliquando iudicium pœna dicitur, aliquando iudicium discriminatio dicitur. Secundùm illum modum quo dicitur iudicium discriminatio, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, vt illic recipiat homo quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: ipsa est enim discriminatio, vt bonis bona, malis mala distribuantur. Ergo secundum iudicium discretionis, oportet nos omnes exhiberi antè tribunal Christi. Secundùm iudicium antē damnationis, Qui audit verba, inquit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet. Quid est, In iudicium non veniet? In damnationē non veniet. Et procedēt qui benefecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui malefecerunt, ad resurrectionem iudicij. Hoc est iudicium; pœna illa, de quâ paulò antè dixerat, Et in iudicium non veniet. Est ergo iudicium discussionis, est & iudicium punitionis. Dicit enim Apostolus quodam loco, (ita ille) scribens ad eos qui corpus quod fideles norunt, malè tractabant: & propter quod malè tractabant, corripiebantur flagello Domini. Ait ergo illis: Propterea multi in vobis infirmi & ægroti dormiunt sufficienter. Multi enim propterea etiam moriebantur. Et secutus est: Si enim nosmetipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Hoc est, si nos ipsos corriperemus, à Domino non corriperemur. Cum iudicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mūdo damnemur. Sunt ergo secundum pœnā qui iudicantur hìc, vt parcatur illis ibi: sunt quibus parcatur hìc, vt abundantiùs torqueantur ibi. Ergo est iudicium quo missurus est Deus, id est, Filius Dei, in fine Diabolum & Angelos eius, & omnes infideles & impios cum eo: vt cum hìc contempserint patrem verberantem, ibi sentiant iudicem punientem. Iudicat ergo Dominus, dum vindicat; sed pœna nonnunquam temporaria emendandos; nonnunquam æterna, tuncque damnat cruciandos. Sunt igitur Catechumeni, Nouitioli; qui, vt loquitur Tertullianus, cum maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare. Sunt illi qui instituuntur, imbuunturque ad suscipiendum baptismum. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem. Illa quippe inchoatio est seu initiatio, quâ Christiana insinuatur doctrina, & certa commendatur malorum omnium medicina. Credite in Christum, accedite ad baptismum; qui obsignatio est fidei, & Christianismi professio. Sed vnum præmittendum est, nempe pœnitentia, Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Illa igitur est dispositio. Alterum verò subiungendum est tanquam perfectio. Impositionis quoque manuum. Denique duo proponenda sunt, tanquam principia religionis & virtutis incentiuum: præmium scilicet, ac supplicium, & vtrumque æternum, bonis malisque repositum. Ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Iam clarus est textus, sicut & ordo præclarus.

Augustin. Tract. 22. in Ioan. cir. med.

Quomodo iudicium in scripturis vsurpatum.

Augustin. ibidem.

Tertullian. lib. de pœnit. cap. 6.

DILVCIDATIO II.

De renouatione.

Dixerat Paulus, intermissis initiis ad perfectiora feramur, seu, vt ex Græcis. Ad perfectionem feramur. Confirmat, dum vouet spondetque. Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. Tum & causam adfert, dum profert sententiam. Impossibile est enim, eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti: gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Priùs ergo de inchoatione: Agebatur enim baptismus pœnitentiæ, (verba sunt Tertulliani) quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat Ioannes baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alij perficiendum procurat. Tum igitur & de consummatione seu perfectione. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur. Audistis, ait Chrysostomus, quantum reprehenderit Hebræos volentes semper de iisdem discere. Nam cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus opus habetis vt vos doceamini, quænam sint elementa initij eloquiorum Dei. Christianismi igitur quæris initium, Nam quod fides sit fundamentum, reliquum autem ædificium, audi ipsum dicentem, Ego fundamentum posui, alius superædificat. Quid est ergo, Ad perfectionem feramur? Deinceps, inquit, procedamus ad ipsum fastigium, hoc est, vitam habeamus optimam.

Iam ergo procedit Apostolus, aut promittit, dum ait, Et hoc faciemus. Sed cur addit, Siquidem permiserit Deus. Cum id non solùm sit bonum, sed & optimum? Cur ergo non ait, Si quidem Deus voluerit? Quid enim Deus vult, vt loquitur Tertullianus, quàm incedere nos secundùm suam disciplinam? Quia summa est voluntas eius, salus eorum quos adoptauit. Nihil quidem in hoc mundo fit, quod non faciat Deus aut permittat: sed agit in bono, & in malo permittit. Cum ergo sermo sit non solùm de bono, sed & optimo, cur ait, Si permiserit Deus? & non potius, Si Deus voluerit. Græcum est ἐπιτρέπῃ, quod non solùm est permittere, sed & concedere; potestatem dare,

Tertullian. lib. de baptis. cap. 10.

Ioannis baptismus, candidatus remissionis.

Chrysost. orat. 9.

Tertullian. lib. de orat. cap. 4

Omnia omninò sub manu Dei sunt posita.

dare, soluere facultatem Sciendum est enim A non solùm omnes facultates, sed & omnes voluntates, sub diuino teneri imperio, ductu ac nutu gubernari. Itaque nihil omninò fieri siue boni siue mali; nisi Deus permittat, seu dimittat.

Tria inde elicienda sunt. Primum est, id verum esse non solùm de agentium omnium facultatibus, sed & de omnium hominum voluntatibus: imò & id certiùs de creaturis intellectualibus debet affirmari, quia liquet eas & curâ singulari, & speciali gubernari prouidentiâ. Quamuis enim liberæ sint, quia sunt arbitrio præditæ, non tamen à supremo B exsolutæ sunt dominio: nam in tantùm dominæ sunt actuum suorum, in quantum à Domino omnium entium & rerum, actionumque, ideóque tam volitionum, quàm & voluntatum volentiumque sic conditæ: sed qui dedit arbitrium, non amisit imperium. Creatura namque fruitur arbitrio suo, diciturque actio libera ob dispositionem causæ proximæ: sed supremo subditur imperio, diciturque actio subdita ob diuini directionem imperij. In manu Dei nos, & sermones nostri. Alterum est, aliter Deum se habere in actibus bonis, & in malis actibus: in illis enim nihil non facit, in istis verò non facit nihil, C cum sine ipso factum sit nihil. In illis, auxilium suum subministrat, quia sine ipso nihil possumus, facere: in istis, suum manifestat iudicium, sine illo quippe possumus deficere? quod deficimus agendo, diuinæ permissionis est; quod proficimus benè agendo, internæ subministrationis est. Non est tantùm necessarium quòd Dominus permittat, sed oportet quod omnia faciat. Non enim solùm permittit bonum, soluendo facultatem, sed & facit mouendo voluntatem: non solùm facit agendi copiam, sed & addit suggeritque benè agendi gratiam. Tertium denique, idem esse apud Paulum, Si quidem permiserit Deus ac, D Si Deus voluerit. Ita apud Iacobum. Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit. Sicut autem dicere Paulus potuit, Si Deus voluerit, sic & Iacobus potuit dicere, Si Dominus permiserit: agit enim de negotio cupiditatis humanæ, non de diuinæ benignitatis auxilio. Tam bona igitur permiserit Deus quàm mala: sed ad mala, solum permittit; ad bona verò, incutit stimulum. Et ideò debemus omnia ponere sub confidentiâ diuini auxilij. Cœlestem implorare concursum, & E occursum sperare felicem. Sed iam singulæ, verbis adductis, dilucidandæ sunt sententiæ, punctisque singulis enodandæ.

Arbitrium sub summo contentum dominio.

Iacobi c. 4.

PVNCTVM I.

Qui semel sunt illuminati.

IVdæi se solos credebant oculatos, ceteros tam cœcos censebant, quàm & reprobos. Ita Christus. In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant; & qui vident, cœci fiant. Quid est hoc Domine? (ait Augustinus.) Venisti vt qui non vident videant. Rectè, quia lumen es: rectè, quia dies es: rectè, quia de tenebris liberas. Modò dies ille est, inter lucem & tenebras discernens. Hoc omnis anima accipit, omnis anima intelligit. Quid est autem hoc quod sequitur, Et qui vident, cœci fiant. Ergo ne quia venisti, cœci fient qui videbant? Audi quid sequitur, & fortassis intelliges. Commoti sunt ergo verbis istis quidam ex Pharisæis, & dixerunt ei, Nunquid & nos cœci sumus? Audi iam quid est quod mouebat, & qui vident, cœci fiant. Dixit eis Iesus, Si cœci essetis, non haberetis peccatum. Cum sit cœcitas ipsa peccatum, si cœci essetis, id est, si vos cœcos aduerteretis, si vos cœcos diceretis, & ad Medicum curreretis: si ergo ita cœci essetis, non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum. Nunc verò dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet. Quare? Quia dicendo, videmus, Medicum non quæritis, in cœcitate vestrâ remanetis. Hoc est, ergo quod ait; Ego veni, vt qui non vident, videant. Quid est, vt qui non vident videant. Qui se non videre confitentur, & Medicum quærunt, vt videant. Et qui vident, cæci fiant. Quid est, qui vident, cœci fiant? Qui se putant videre, & Medicum non quærunt, in suâ cœcitate permaneant. Tam cœci erant, quàm miseri, solosque se tam illuminatos credebant, quàm & electos. Tenebant Iudæi, ait ille, spem resurrectionis mortuorum, & solos se ad beatam vitam resurrecturos sperabant propter opus Legis, & propter iustificationes scripturarum quos habebant soli Iudæi, & Gentes non habebant. Crucifixus est Christus, cœcitas ex parte in Israël facta est, vt plenitudo Gentium intraret. Hoc Apostolo dicente, cœpit etiam Gentibus resurrectio mortuorum, credentibus in Iesum Christum quòd resurrexerit: aduersus præsumptionem & superbiam Iudæorum.

Augustin. Tract. 44. in Ioan. v. finem.

Iudæi se oculatos, ceteros cæcos rati.

Augustin. Enarr. in Psal. 65. post init.

Eò igitur magis cœci, quò magis superbi: sed inde magis incurabiles, quò minùs humiles. Verùm sicut superbia ex vno inuasit omnes, sic & ignorantia in omnes ex ipso obrepsit. Vnde Augustinus de cœco nato, illuminato à Christo. Si quid, inquit, significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste cæcus: hæc enim cœcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solùm mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cœcitas est infidelitas, & illuminatio fides, quem fidelem quando venit Christus inuenit? Quandoquidem Apostolus natus in gente Prophetarum dicit, Fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Si filij iræ, filij vindictæ, filij gehennæ? quomodo naturâ, nisi quia peccante primo homine, vitium pro naturâ inoleuit? Si vitium pro naturâ inoleuit, secundùm mentem omnis homo cœcus natus est. Si enim videt, non opus habet ductore: si opus habet ductore & illuminatore, cœcus est ergo à natiuitate. Omnes ergo homines, tam Iudæi, quàm & Græc, cœci nati sunt? & nisi renascantur, necesse est vt pœnas transgressionis, tenebrasve patian

Augustin. Tract. 44. in Ioan. post init.

Homo tanquam cœcus ductore indiget, & illuminatore.

patiantur damnationis. Inde peccata omnia ante fidē, fideique professionē, & susceptionē sacramenti non tam peruicaciæ deputabantur quàm ignorantiæ, reputabantque potius errantis naturæ lapsus, quam animæ præuaricātis insultus. Iam quidem, ait Tertullianus, nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quòd Domino agnito præceptisque eius admissis, denique delictorum pœnitentiâ functus, rursus te in debita restituis. Ita in quantum ignorantiâ segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Quasi superbiam non ferat, quæ culpam compingat & contumaciam. Indignamur, ait Seneca, aliquâ admonitione aut coërcitione nos castigatos: cum illo ipso tempore peccemus, quo adiicimus malè factis arrogantiam & contumaciam. Sed nec Senecam fero, certâ felicitate nonnunquam portum attingentem veritatis, sed innatâ cæcitate typhum erigentem vanitatis. Scio Philosophum, sed gentilem, tam vanum quàm & infidelem, tam verâ luce, quàm & fide Christianâ, seu diuinâ ratione destitutum; nec tam acutè philosophantem, quàm temerè ratiocinantem. Omnes isti infideles Philosophi, vt Tertullianus definiuit: Cæci sine Domini lumine. Cæterùm à ratione eius tantùm absunt, quantum ab ipso rationis auctore. Quippe res Dei ratio. Igitur ignorantes quique Deum, rem quoque eius ignorent necesse est: quia nullus omninò thesaurus extraneis patet.

Tertullian. lib. de Pœnitent. c. 5.

Sen. lib. 2. de Irâ cap. 27.

Tertullian. lib. de Pœnitent. cap. 1.

Omnes itaque tam Gentiles quàm & Iudæi baptizandi sunt, vt excutiant cœcitatem, veritatem percipiant. Mysterium excelsum & diuinum, ait Gregorius Nazianzenus, ac supernum splendorem concilians. Etenim Sanctus luminum dies, pro principio quidem, Christi mei, hoc est, veræ lucis, omnem hominem in mundum venientem illuminantis, baptismum habet: meam autem quoque purgationem operatur, ac lumini & adiumentum affert, quod ab eo sublimitùs ab initio, acceptum peccati caligine obduximus atque confudimus. Quocirca diuinam vocem audite, vehementer insonantem, Ego sum lux mundi. Ac proinde accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ vero lumine consignatæ, minimè confundentur. Baptismus ergo nomine luminum appellatus est, quòd purget & illustet: sacramentū illuminationis, sicut & regenerationis. Tempus regenerationis, ait ille, desuper gignamur. Tempus instaurationis, primum Adamum recipiamus. Lux in tenebris, hoc est, in hac vitâ & carne lucet, ac tenebræ quidem eam persequuntur, sed non comprehendunt, aduersaria, inquam potestas, quæ dum pro suâ impudentiâ in visibilem Adamum impetum facit, in Deum incurrit, ac superatur: vt nos abiectis tenebris ad lucem accedamus, ac deinde lux quoque perfecta efficiamur, à perfectâ luce prodeuntes. Cæcus quidem natus est homo, sed quomodò purgandus, quomodo illuminandus? Venit Dominus, (verba sunt Augustini) Quid fecit? Magnum mysterium commendauit. Inunxit oculos cæci. Inunctus erat, & nondum videbat. Misit illum ad piscinam quæ vocatur Siloë. Pertinuit autem ad Euangelistam commendare nobis nomen huius piscinæ, & ait: Quod interpretatur missus. Lauit ergo oculos in eâ piscinâ, quæ interpretatur missus, baptizatus est in Christo. Hoc Cathecumeni audiunt, sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt. Festinent ad lauacrum, si lumen inquirunt. Abiit enim & lauit, & venit videns. Tum profectò illuminatus est, cum in Christo baptizatus est: tunc maculas abluit natiuitatis, tunc cæcitatis tenebras abstersit. Quando eum, ait Augustinus, Christus in seipso quodammodo baptizauit, tunc illuminauit. Quid ergo, Qui semel sunt illuminati, qui baptizati sunt: quasi idem sit baptizari & illuminari, sacramento lucis, illuminationis donari mysterio.

Greg. Naz. orat. 39. init.

Baptismus nomine luminum cur sit appellatus.

Greg. Ibid.

Augustin. tract. 44. in Ioan. post init.

August. ibid.

PVNCTVM II.

Gustauerunt etiam donum cæleste.

Mvlta sunt dona cælestia, sunt enim desursum à Patre luminum descendentia: vt qui iam illuminatus seu regeneratus, ab eodem fonte bonorum, datum optimum, & bonum hauriat perfectum, quo non solum euadat iustus, sed & perfectus. Multa quidem, sed nec omnia solis conferuntur baptizatis, nec omnia manducari dicuntur, aut gustari. Illuminati sunt, id est, baptismo suscepto facti sunt Christiani. Inde & tria simul consecuti: pacem conscientiæ, lucem Scripturæ, panem Eucharistiæ.

Quoad primum. Sapientissimè Salomon. Secura mens, quasi iuge conuiuium. Sed quandonam secura mens ac tuta conscientia? Vbi quis de mancipio diaboli, transiit in filium Dei; de seruo peccati, in amicum, imò & membrum Christi; supplicium euasit, & regnum inuasit æternum? Quid enim iracundius, vt Tertullianus admonuit, quàm Dei patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio? Quæ maior voluptas, quàm vera libertas, quàm conscientia integra, quàm vita sufficiens? Audiamus Cyprianum recens baptizatum, donum spiritale gustantem & cæleste narrantem beneficium. Ego, inquit, cum in tenebris atque in nocte cæcâ iacerem, cumque in solo iactanti sæculi nutabundus ac dubius vestigiis obseruantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus: difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur. Sed postquam vnde genitalis auxilio superioris æui labe detersâ, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitùs spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patère clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quòd priùs difficile videbatur: geri posse, quod impossibile putabatur: vt esse agnoscere terrenum fuisse, quòd priùs carnaliter natum delictis obnoxium vixisset: Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Inde iam facultas datur castitate sobriâ, mente integrâ, virtute sincerâ, voce purâ, in medullâ adolescentium posse venenorum virus extinguere animorum desipientium labes redditâ sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem. Quot in isto conuiuio sunt fercula, & nulla grata non sunt, nulla non sunt suauia. Gustauit & vidit

Prouerb. cap. 15.

Tertullian. lib. de spect. cap. 29.

Cyprian lib. 1. epist. 2.

Status antè & post baptismum depictus.

Augustin. serm. 45. de diuers. c. 8.

quia bona est negotiatio eius. Seu, vt legit Augustinus: Gustauit quia bonum est operari. Vbi est palatum quo gustatur hoc? Fugiunt homines laborem, quasi amarum: timendo gustare, nesciunt quid amare. Bonum opus facit conscientia bona. Et quid dulcius, fratres, conscientiâ bonâ? Quæ si non est, & malè pungit, amara sunt omnia. Gusta ergo, gusta, & videbis quomodo sapiat, quàm te delectabit, quàm postea non desines, nisi totum consumas. Gustas, manducas; nihil relinquis, nihil non consumis: quia nihil non suaue, nihil non delectabile.

Quoad secundum. Non minus quidem de melle mellea scriptura diuina, quàm de luce luminosa, sed fidelibus: non enim omnibus, sed sanctis sanctificatisve. Ita Dauid Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Eloquia tua, id est diuina: dulcia sunt, non cuicumque, sed renato per Spiritum Dei, sanctificato per sacramentum baptismi? vt deinceps amet gustetque quoniam suauis est Dominus, quàm dulcis iustitiæ fructus & innocentiæ. Hæc est enim illa suauitas, vt exponit Augustinus, quàm Deus dat, vt terra nostra det fructum suum: vt bonum verè benè, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus. Melli quippe est similis aperta doctrina sapientiæ: fauo verò occulta doctrina sapientiæ, quæ de abstrusioribus sacramentis tanquam de cellis cereis ore differentis velut mandentis exprimitur. Verùm ori cordis, non carnis est dulcis. Non minus oculum illuminant, quàm gustum recreant? imo recreant, dum illuminant, dum pascunt, dum reficiunt? sed sicut oculum sanum desiderant, sic & palatum repurgatum; non enim carnalium oculos, sed animos afficiunt spiritualium. Anima quippe per Spiritum sanctũ regenerata vocem audit dilecti pulsãtis, & inde lucem haurit, saporem accipit cibi prius nauseantis. Illud aduertite, (notante Augustino) quod Iudæorum sabbato de manna nunquam omninò pluerit, nec meruerunt Iudæi vt eorum sabbato gratia illis de cœlo descenderet. In nostrâ autem Dominicâ die non solùm semper venit manna, sed etiam ab ipso die veniendi initium fuit. Semper ergo nobis Dominus pluit manna de cœlo. Cœlestia namque sunt eloquia ista quæ nobis dicta sunt, & ideò nos qui tale manna suscipimus, semper nobis manna datur de cœlo. Vnde infelices Iudæi dolendi & lugendi sunt, qui manna sicut patres eorum non merentur accipere, illi nunquam mãna manducant. Non enim possunt manducare illud quod est minutum, sicut semen coriandri, & candidum sicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil infelices Iudæi sentiunt spiritale, sed totum pingue, totam crassum: incrassatum est enim cor populi huius. Habet aliquid rigoris, & ideò vt pruina est: candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius dictione doctrinæ? Quid dulcius, quidve suauius eloquiis Domini, quæ dulciora sunt super mel & fauum; Inde igitur qui Ægyptum reliquerunt, & mare rubrum transierunt, id est, qui in sanguine Christi baptizati sunt, sanctificati sunt, salsuginem librorum profanorum respuũt,

Augustin. con 22. in Psal. 118 sub fin.

Augustin. serm. 91 de temp. cit. med.

Scriptura diuina, tam mellea quã luminosa.

A dulcedinemque sermonis diuini, saporis omnis suauitatem habentis auidè sitiunt? largè haurite. Accipe, ait Cyprian. nõ diserta sed fortia: nec ad audientiæ popularis illecebrã culto sermone fucata, sed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia. Accipe quod sentitur antequam discitur. Nec per moras temporum longâ agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur.

Cyprian. lib. 2. epist. 2.

Quoad tertium. Tria notanda sunt primum est, mysterium corporis Christi, nondum Catechumenis reuelatum, vtpote infirmis adhuc & carnalibus, nondum spiritalibus. Hoc enim, vt dixit Augustinus, quando caperet caro, B quod Christus dixit panem, carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Caro mea, inquit, verè est cibus. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Norunt baptizati, norunt professi; nondum sciunt nouitij, qui sermonibus diuinis aures incipiunt rigare, sed res secretiores infirmis adhuc sensibus penetrare nesciunt: caro enim non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat, & intellectum dat par- C uulis, infirmis declarat mysterium. Hæc enim spiritaliter intelligenda sunt, non carnaliter aut sensualiter; non enim ad naturæ sensum, sed per gratiæ spiritum capienda. Alterum, tria simul sacramenta cõpetentibus seu electis perfectisve; & instructioribus Catechumenis passim ministrata, baptismi scilicet, impositionis, manuũ seu cõfirmationis, & corporis Christi. Scilicet, ait Tertul. caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro manûs impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Vnde & aduersus Marcionem diuinis insubstantem creaturis, sed vanũ vtpote diuinis D conuictum mysteriis. Sed ille quidem, inquit, vsque nunc nec aquã reprobauit creatoris, quã suos abluit? nec oleum, quo suos vngit? nec panem, quo ipsum corpus repræsentat? etiam in sacramentis propriis, egens mendicitatibus creatoris. Tertium, hoc esse nomen nouum in calculò candido, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Qui semel illuminati sunt id est baptizati. Imò tam ad confirmationem quàm ad regenerationem: sicut enim regeneratur homo, dum baptizatur; sic & dum adumbratur, dum illuminatur. Gustauerunt etiam donum cœleste Quos enim Christus vocat in admirabile lumen suum, vt modo genitos infantes, tam puros quàm & rationabiles fidelesve, suo sanguine lactat, & vt loquitur Tertul. Per mellis & E lactis societatem, suos infantat. Hoc est igitur donum cœleste, visibile quidem sacramentum, sed spiritale mysterium: panis cœlestis, qui gustandus proponitur, qui non solùm suauitatem, quà panis mundus, sed & quà panis viuus largitur immortalitatem. Hic est ergo panis qui de cœlo descendit: vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur: sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, (ita August.) non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Ideò viuus, quia de cœlo descendi: De cœlo quidem descendit manna: sed

Augustin. Tract. 26. in Ioan. vlt. med.

Mysterium corporis Catechumenis absconditũ.

Tertullian. lib. de resur. carn. cap. 8.

Tertullian. lib. 1. aduers. Mar cap. 14.

Augustin. Tract. 26 in Ioan. vlt. med.

vmbra

vmbra erat, iste veritas est. Illic ergo gustatur A quoniã suauis est Dominus, imò & dulcedo in suo fonte sine fastidio potatur & amaritudine.

PVNCTVM III.

Et participes facti sunt Spiritûs sancti.

DAta igitur Eucharistia: sed fidelibus iam, quibusq; per consignationẽ seu confirmationẽ datus Spiritus in quo iam ergo baptizati, facti sũt participes Spiritûs sancti: Quid, in quo? Imo in tribus. In remissione peccatorũ, in virtutũ infusione, in communicatione charismatum. B

Quoad primum. Dicitur Spiritus sanctus, Remissio omnium peccatorum. Quia vbi Spiritus sanctus infunditur animo, nullus omninò locus immundo relinquitur. Vnde Christus, Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei. Optima consequentia: sed vt clara sit, tria sunt obseruanda. Primum est, per dæmonia, intelligenda esse peccata. Vnde Gregor. De Muliere, de quâ Dominus eiecerat septem dæmonia: Quid, inquit, per septem dæmonia, nisi vniuersa vitia designantur? Alterum, regnum Dei non esse escam & potum, sed iustitiam & pacem iustificationemve. Regnum enim Dei Christus dixit, (ita August.) quo damnantur impij, & à fidelibus de peccatis suis pœnitentiam agentibus nunc secernuntur. Tertiũ, non dixisse, peruenit ad vos, sed, in vos. Regnum illud intrà nos est. Illud regnum, ait Hieronym. Quod & Ioãnes & ipse Dominus prædicauerat: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, optima igitur sequitur conclusio: cum enim non possint simul stare spiritus immundus & Spiritus sanctus; nec possit Spiritus sanctus intrare nisi cedant dæmonia, seu peccata diffugiant: Si in Spiritu Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Diminutio enim regni diaboli, vt loquitur Hilar. Est augmentatio regni Dei. Pulsante Spiritu sancto, cedit dæmonium, peccatum diffugit? expulso peccato, intrat, regnatque iustitia. Si per Spiritum sanctum eiicio dæmonia, si per illum depello peccata: integrè iustificati estis, perfectè sanctificati estis? quà enim educitur spiritus immundus, sanctus inducitur. Quid est homo, inquit August. Nisi æger sanandus? Vis mihi esse Medicus? mecum quære Medicum: Nam vt hoc euidenter ostenderet Dominus, à Spiritu sancto, quem donauit fidelibus suis, dimittit peccata, nõ meritis hominũ, quodã loco sic ait resurgens à mortuis, Accipite Spiritũ sanctum: & continuò subiecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos Sed audi Spiritum. Quid estis vos? Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum, Nescitis, quia corpora vestra templum est in vobis Spiritûs sancti, quem habetis à Deo.

Math. c. 12. Grego. Hom. 33. in Euang. Augustin. lib. 1. quæst. Euangel. Hieronym. in Matth. Hilarius can. 12. in Math. Augustin. Hom. 23. ex 50. cap. 9. Peccata per Spiritum sanctum remissa sunt.

Quoad secundum. Baptismus non solùm criminum mors est ac sepultura, sed & vita ac coronã virtutum. Baptismus, splendor est animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum. Baptismus carnis est abiectio, Spiritûs assectatio. Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluuium, lucis communicatio. Baptismus, vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni clauis, vitæ commutatio; Seruitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conuersio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus, omnium De, beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum. Porrò quẽadmodum Christus, huius dator, multis ac diuersis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur. Donum vocamus, gratiam, Baptismum, vnctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lauacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quouis nomine appellamus. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aquâ sepelitur. Vnctio, quia sacer & regius. Illuminatio, quia splendor & claritas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lauacrum, quia abluit. Sigillum, quia conseruatio est, ac dominationis significatio. Potest quidem Catechumenus virtutem attingere, imò & sanctitatem delibare. Sed audi Theologum. Quãdiu in Catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo es Intrare te oportet, atrium pertransire. Sancta contueri, in Sancta sanctorum prospicere, cum Trinitate coniungi. Quid est autem Deo virtutum coniungi, quàm choro cingi virtutum: cum enim vnus sit spiritus, vnus etiam est animus, infusione ipsa, seu mysticâ transfusione deificatus. Summus enim sacerdos, vt loquitur Dionys. ad Dei similitudinem omnes homines saluos fieri cupiens, annuntiat Deum, ad nostra infirma descendere dignatum: nosque sibi iungendo ignis instar, quos iunxeris, iuxta singulorum propositum atque aptitudinem, sibi similes facere. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. At verò Pontifex, eum qui tam sublimium ac tam cœlestium munerum sacro fuerit desiderio & amore captus, trino sanctæ crucis signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit: ipse verò ad adoptionis matrem proficitur. Pontifex autem supernè astans, ter illum mergit, hac trinâ illius mersione & emersione, tres beatitudinis diuinæ personas inclamans. Diuinoq; ac Deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimæ communionis participẽ facit. Vtpotè splẽdore virtutũ exornatũ, ideoq; dignatũ honore mysteriorũ.

Gregor. Nazian. orat. 40. post init. Quot titulis baptismus insignitus sit. Greg. cit. med. Dionys. lib. de de Eccl. Hier. cap. 2.

C D

Quoad tertium. Magna quidem participatio Spiritûs sancti in remissione peccatorum, in virtutum infusione: cum charitas diffundatur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus nobis & cum charitate vniuersa virtutum sequatur circumstantia: sed maxima in communicatione charismatum. Vnde Tertul. baptizandos, sic alloquitur. Igitur benedicti quos gratia Dei expectat, cum de sanctissimo lauacro noui natalis ascendiris, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de patre, petite de Domino gratias, distributiones charismatum subiiciente, petite, & accipietis, inquit. Quæsistis enim, & inuenistis: pulsastis, & apertũ est vobis. Petebant enim & obtinebãt: Quòd dæmonia expellis, ait ille, quòd medicinas facis; quòd reuelationes petis Fideles igitur illo æuo, non solùm in virtutum, sed & in distributione Charismatum

Tertul. lib. de bapt. cap. 20. Tertul. lib.

de spect. c. 19. Augustin. lect. 1.

Charismatum passim participes Ideò dicit Paulus, Participes facti Spiritûs sancti. Omnia enim dona, vt exponit Aquinas, dantur ex amore, & ideò istam participationem attribuit Spiritui sancto. Est autem participatio, partem capere. Solus namque Christus Spiritum sanctum habuit ad plenitudinem. Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Alij verò sancti de eius plenitudine receperunt. & participes facti sunt, non quidem substantiæ, sed distributionum eius, supra cap. 2. Et variis Spiritûs sancti distributionibus. Et. 1. Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Vnusquisque igitur proprium donum habebat ex Deo: vnus quidem sic, partem tollebat ex donorum seu charismatum thesauro: alius prophetiæ gratiam, alius gratiam sapientiæ. Et illa dicitur maxima participatio Spiritûs sancti, non quod præcipua, vel optima; sed quòd præsentiæ diuinæ signum sit euidentius, & illustrius supremæ miraculum potentiæ.

Charismata olim baptizatis distributa.

PVNCTVM IV.

Gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum.

NVllum Dei verbum quod bonum non sit, seu, vt ex Græcis καλὸν ῥῆμα, pulchrum ac præclarum: sed non omne quod veritate lucet, placet etiam suauitate: non enim gustatur, quod minatur, nec quod flagellat, delectat. Quid est ergo bonum Dei verbum quod gustatur? Verbum promissiuum, quod non solùm dicitur cum fructu, sed & cum gustu recipitur. Primò ergo, bonum, dum promittit bona: secundò, melius dum spiritualia promittit, vtpote meliora: tertiò, optimum, dum æterna promittit, nimirum optima.

Quoad primum. Sunt apud Deum & flagella castigationis, sunt & consolationis vbera: illa dicuntur dura, quia amara: ista dicuntur bona, quia iucunda & grata: illa, mala sunt pœnæ; ista, bona sunt misericordiæ: illa sunt luctui, ista gustui. Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius. Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam. Tu igitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer, & planget eum omnis Israël, & sepeliet. Hucusque duro sermone mala minitatus est Deus: nunc emollit & sermone bono promittit mitiora. Iste enim solus inferetur de Ieroboam in sepulchrum, quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israël. Bonum Dei verbum, quia pacis non afflictionis. Nam, Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli: quia Dominus locutus est. Iste autem priuilegio sublatus, regióque donatus & honoratus sepulchro. Omnis ergo Dei sermo bonus, sed non omnis gratus & acceptus: omnis quidem verus, sed non omnis faustus. Vnde dixit Ezechias ad Isaiam increpantem ac comminantem: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax & veritas in diebus meis. Non respuebat veritatem, sed expetebat pacem. Veritas nonnunquam onerosa, quia malorum nostrorum prænuntia. Onus quod vidit. Habacuc Propheta. Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies: vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniustitiam contra me? Sed bona ac læta, cum pacem annuntiat, dum prosperitatem præstat ac felicitatem. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. Sicut enim edictis probis inscribebatur, Bonum factum. Sic & lætis nuntiis præmittebatur. Bona verba. Bona enim censentur, quæ bona pollicentur ac felicia. Ita apud Ioelem: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos vltra opprobrium in Gentibus. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret, bona verba, fausta nuntia, vtpote bona terræ, vitæ commodo, pacem ac prosperitatem promittentia.

3. Reg. c. 14

Bonum verbum quod pacis, & non afflictionis.

4. Reg. c. 20.

Habacuc. cap. 1.

Zach. c. 1.

Ioel. cap. 2.

Quoad secundum. Si bona sunt verba quæ promittunt carnalia bona, meliora sanè ac iucundiora quæ promittunt spiritalia. Baptismus à Ioanne denuntiatus, (verba sunt Tertulliani) iam tunc habuit quæstionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cœlestíne is baptismus esset, an verò terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, vtpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porrò quantulâ fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, diuinum quidem eum baptismum fuisse, mandato tamen non & potestate, quòd & Ioannem à Domino missum legimus in hoc munus, ceterùm humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat: aut daret & Spiritum sanctum & remissionem delictorum, si cœlestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. Etiam ipse Dominus, nisi ipse priùs ascenderet ad Patrem, aliter negauit Spiritum descensurum id quod Dominus nondum conferebat, Seruus vtique præstare posset? Ergo non erat cœleste, quod cœlestia non exhibebat. Circumcisio quidem instituta est antè legem, non enim ex Moyse, sed ex Patribus, tamen inserta est legi, nec altiùs se vel sublimiùs extulit. Baptismus Ioannis, post legem inductus est, legi tamen adiunctus, nec melius aliquid ex se vel nobilius contulit nihil promisit spiritale, quia nihil habuit cœleste, quod mentem purgaret, quod sanctitatem infunderet. Ioannes, ait Augustinus, typum in se legis, quæ Christum longè per signa & indicia monstrabat, ostendit, & ideò misit ad Christum duos de Discipulis suis. Ioannes dirigit ad Christum, lex mittit ad gratiam, & per Euangelij fidem veterem desiderat adstrui veritatem. Bono veteris legis, terrena sunt ac carnalia, sed verorum, id

Tertullian. l. de baptismo cap. 10.

Baptismus Ioãnis mandato cœlestis, non effectu.

Augustin. serm. 21. de sanct. lvlt. med.

id est spiritualium cœlestiúmve promissiua. Iam ergo impletur in Christiano, quod Iudæo promissum est; sed isti in vmbrâ, illi in gratiâ. Atque hæc baptismi gratia, vt loquitur Gregorius Nazianzenus, & facultas est, non orbem terrarum, vt olim, aquis obruens, sed vnius cuiusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens. Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est, animo & corpore, constamus; quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque rebus constat baptismus, aquâ scilicet & Spiritu; illâ visibili & corporeo modo accepta, hoc verò incorporeo & inuisibili concurrente: illâ typicâ, hoc verò & intimos animi sinus purgante. Qui primæ natiuitati opem & adiumentum ferens, ex veteribus nouos, ex humanis diuinos efficit. Nam, vt compendio dicam, nihil aliud esse vim & facultatem baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ ac purioris viuendi rationis pactum cum Deo initum. Vis illa spiritalis est, vita illa cœlestis: vetera enim transierunt, & facta sunt omnia noua.

Gregorius Nazianzen. orat. 40. cit. med.

Quoad tertium. Hîc stillam prælibamus, sed nondum ipsam occupamus copiam. Bonum Dei verbum, quo naturæ commoda promittuntur; melius, quo conferuntur beneficia gratiæ; optimum, quo redduntur præmia gloriæ. Per primum, seruatur quidem vita, sed animalis & vmbratilis, quæ non tam hominum vita, quàm pecudum. Diuitibus autem seculi huius præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, & thesaurizent sibi veram vitam. Quasi ista vita carnalis tam fallax sit, quàm dubia. Per alterum, datur quidem vita spiritalis, quâ dulcedo gustatur cœlestis. Festinemus, ait Augustinus, cœleste manna suscipere. Istud enim manna, provt vult quisque, talem saporem sapit. Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se: Fiat tibi secundùm fidem tuam. Et tu ergo si verbum Dei, totâ fide & totâ deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras: manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris. Vita igitur tam bona, quàm & vera; sed nondum perfecta, quia nondum beata; nec vlla beata, si non æterna. Per vltimum igitur consignatur quod est optimum, beata scilicet æternitas, seu æterna felicitas. Felix Sacramentum aquæ nostræ, ait Tertullianus, quâ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Optimè, Aquæ nostræ, Id est Christianæ. Ceteræ enim infructuosæ sunt, aut etiam exitiosæ. Ecqua, inquit Gregorius Nazianzenus, talis est legalis atque vmbrosa purgatio per temporarias aspersiones vtilitatem afferens, ac per vitulæ cinerem pollutos lustrans? Ecquid eiusmodi gentiles celebrant? quorum ego ceremonias omnes & mysteria meras nugas esse censeo, tenebrosúmque dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmentum, temporis ope ac præsidio fultum, & fabulis furtim obtectum. Verbum improbum, tamque dolosum quàm & falsum. Sed enim, vt loquitur Tertullianus, nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatum,

1. Timoth. cap. 6.

Augustin. serm. 91. de temp. vers. fin.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 1.

Gregorius Nazianzen. orat. 39. post init.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 5.

A eadem efficaciâ idolis suis subministrant: sed viduis aquis sibi mentiuntur. Verùm si de solâ naturâ aquis, quòd propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur, quanto id veriùs aquæ præstabunt per Dei auctoritatem, à quâ omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quæ potior religio quàm Dei viui? Ne quis durius credat Angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandi adesse, cum Angelus malus profanum commercium eiusdem elementi in perniciem hominis frequentet. Angelum aquis interuenire, si nouum videtur, exemplum futuri præcucurrit. Piscinam Bethsaidam Ange- B lus interueniens commouebat: obseruabant, qui valetudinem querebantur. Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat, eâ formâ, quâ semper carnalia in figurâ carnalium antecedunt. Proficiente itaque hominibus gratiâ Dei, plus aquis & Angelo accessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant. Præstant enim natiuitatem immortalem, ad æternæ vitæ felicitatem.

Aquæ ethnicæ, Iudaicæ, & Christianæ.

C

PVNCTVM V.

Virtutésque seculi venturi.

AD bonum Dei verbum pertinent virtutes, δυνάμεις, seu potestates futuri seculi, cum non solùm gustum præstent; sed & satient appetitum. Gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi. Itaque virtus dicitur dupliciter, vt aduertit Augustinus. Primò enim virtus illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet. Secundò, virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est. Et hæc quidem non excluditur à Paulo, sed D illa pro certo proponitur. Sunt enim δυνάμεις, vires, potestatésque. In quibus primò, gustus præmittendus: secundò, fructus decerpendus: tertiò, sinus adimplendus.

Augustin. lib. de moribus Eccl. cap. 11.

Quoad primum. Christus ad discipulos suos: Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nempe, vt dixit Augustinus: Istos amatores dicit veri & inconcussi boni. Illo enim cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit, Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, quod est iustitia: & illâ aquâ de quâ quisquis biberit; vt E idem dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed in eâ sententiâ, tria notanda sunt. Primum est, beatos dici, quasi beatificandos, seu beatitudinis ac felicitatis candidatos: quomodo enim beati iam, si adhuc miseri: quomodo iam gaudent, si adhuc lugent; seu defleant peccata sua, seu lugeant aliena? Sic enim, vt ille dixit, ad æternam beatámque tendimus vitam; primitùs peccata nostra damnando, deinde benè viuendo: vt post condemnatam vitam malâ, gestámq; bonam mereamur æternâ. Non enim frustrà mihi videtur quinquagesimus Psalmus esse de pœnitentiâ, centesimus de misericordiâ & iudicio: cẽtesimus quinquagesimus de laude

Augustin. lib. 1. de ser. Dom. in mont. c. 2.

Augustin. præfat. Psal. 150. vers. fin.

laude Dei in sanctis eius: tria quippe in nobis fiunt, vocatio, iustificatio, & glorificatio. Et ad hoc pertinere arbitror quod Dominus ait, Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die consummor. In cruce enim de principibus & potestatibus triumphauit, in sepulchro requieuit, in resurrectione exultauit. Pœnitentia cruciat, iustitia tranquillat, vita æterna glorificat. Alterum est, in rebus spiritualibus, idem esse esurire ac sitire. Ita sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Sed pungitur vtrumque, quia sine vno vel altero, incompletum dicitur conuiuium. Ita, Ad inuicem litigantes, (verba sunt Augustini) quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum: non statim audiunt, sed adhuc eis dicitur, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Quomodo quidem edatur, & quisnam modus sit manducandi istum panem, ignoratis. Verumtamen nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum: in Christo manere, & illum manentem in se habere. Tertium, per hæc verba, non solùm amorem exprimi, sed & ardorem accendi. Non vobis sufficit, ait Hieronymus, velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famen: vt sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus. Vis ergo saturari, vis beati, plenámque consequi iustitiam? Gustus præmittendus est: non solùm amanda iustitia, sed & sollicitè quærenda, auidè degustanda.

Eccles. cap. 24.

Augustin. Tract. 26. in Ioan. vlt. med.

In rebus spiritualibus, idem edere & bibere.

Hieronym. in cap. 5. Matth.

Quoad secundum. Prima beatitudo apud vtrumque Euangelistam: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Pauperes, Græcè πτωχοὶ, mendicantes: viri videntes paupertatem suam, sentientes egestatem suam, mendici, sed humiles, ideóque virtutem diuinam, ad muniendam infirmitatem suam, per Spiritum sanctum reclamantes. Ideò, ait Chrysostomus titul. radicitùs euellere superbiam, quia hæc fuit radix, & fons malitiæ vniuersæ, contra quam ponit humilitatem, velut quoddam stabile fundamentum, quà subiecta, cum stabilitate, alia superædificantur. Duplex lignum in paradiso, vnum vitæ, mortis alterum; vt homo vel ex gratiâ viueret diuinâ, vel ex proprio rueret arbitrio. Quem fructum decerpsit? mortis & damnationis, quia sibi viuere voluit, iugum excussit, tentanti succidit. Quid ergo Christus? lignum mortis suscepit, quæ non rapuit exoluit, & vitæ fructum, ori quidem nunc amarum, sed suauissimum restituit. Amarum satis, ait Augustinus, & peramarum est poculum legis, in tantum vt populus Dei, non ille qui in Moyse baptizatus est in mari & in nube, sed Christianus populus qui in spiritu & aquâ baptizatus est, non possit bibere de istâ aquâ. Si verò ostendat Deus lignum quod mittatur in hanc amaritudinem, vt dulcis fiat aqua legis, potest de illâ bibere Christianus. Quod est istud lignum quod Dominus ostendit? Salomon demonstrat, cum de sapientiâ dicit: Quia lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Si ergo

Chrysost. Hom. 15. in Matth.

Augustin. serm 91. de temp. cir. med.

A lignum sapientiæ Christi missum fuerit in lege, tunc efficitur aqua amara dulcis, & amaritudo legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis, & tunc potest bibere populus Dei. Vnde constat, quòd si quis sine ligno vitæ, id est, sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentiâ spiritali bibere voluit de legis literâ, per amaritudinem moriatur. Quod sciens Apostolus Paulus dicebat, quia litera occidit, hoc est apertè dicere, quia aqua amara occidit, si non per dulcedinem in spiritum conuertitur. Lignum ergo in aquam mittitur, vt in dulcedinem commutetur. Tunc enim amaritudo ab aquâ B tollitur, quando crucis lignum baptismi Sacramento coniungitur. Mirum quòd Christus lignum mortis susceperit, & in poculum conuerterit dulcedinis, dum inde fructum vitæ decerpi, seu gratiæ desumi voluit auxilium. Si viuas ex te, seu ex arbitrio, morieris, aqua enim sine cruce amara, lex diuina sine spiritali subministratione, grauis est, onerosa, importabilis: iugum excuties, Ægyptum repetes. Si viuas ex Christo moriente, mutaberis in virum alterum; tanta quippe agendi facilitas aderit, quanta viuendi suauitas. Scis ipse, ait Cyprianus Donato, nec prædico in proprias laudes. Otiosa iactatio est, quamuis non iacta- C tum possit esse, sed gratum, quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur; vt iam non peccare, esse cœperit fidei; quod antè peccatum est, fuerit erroris humani, Dei est, inquam, Dei est omne quod possumus: inde viuimus, inde pollemus, inde sumpto & concepto vigore, hîc adhuc possit futurorum indicia prænoscimus.

Aqua ligno crucis indulcata.

Cyprian. lib. 2. epistol. 2.

Quoad tertium. Sicut prima beatitudo, est in humilitate diuinum continuò emendicante subsidium, sic & vltima ferè in puritate, humanum perpetuò emundante contagium. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. D Prima beatitudo, quia prima ad beatitudinem dispositio. Venit Filius Dei in homine, ait Augustinus, & humilis factus est. Præcipitur tibi vt sis humilis, non tibi præcipitur, vt ex homine fias pecus. Tota humilitas tua est, vt cognoscas te. Similem equidem factum pecudi, non tamen pecudem; sed hominem Dei mendicum continuo egentem gratiæ diuinæ subsidio. Vltima verò beatitudo, seu ferè vltima, quia vera humanæ mentis est purgatio. Mundus autem Deus, vti Hieronymus dixit, à mundo corde concupiscitur. Templum enim Dei non potest esse pollutum: & hoc est quod dicitur, Quoniam ipsi Deum videbunt. Sexto autem loco posita est E cordis munditia, quia die sexto homo conditus, sed deprauatus per culpam, & reparandus per gratiam. Vnde immundus homo: per terrenæ rei concupiscentiam, quâ non solùm cor sordidatum est, vtpote rei commistum inferiori; sed & coangustatum, vtpote terrenis addictum desideriis. Quomodo igitur mundandus? per Spiritûs sancti gratiam, quâ non solùm repurgatur fimus concupiscentiæ, sed & animæ sinus dilatatur. Nam prius amabamus terram, (verba sunt Augustini) Illud enim Vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere, vt gratis colatur Deus; sed

Augustin. Tract. 25. in Ioan. vlt. med.

Hieronym. in cap. 5. Matth.

sed quia aliquid dat in terrâ, ideo diligitur. A Quid amas, vt Deum non ames? Dic mihi. Ama si potes aliquid quod ipse non fecit. Circumspice vniuersam creaturam, vide vtrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo creatorem impediaris, nisi eâ re quam creauit ipse quem negligis. Angustus est animus, quem terrena delectant, quem occupant infima: nec tamen vnquam impletus, dum nouorum semper licet non meliorum auidus. Loquitur Deus: Dilata os tuum, & implebo illud. Angustias pateris in te,(ita Augustinus) propter Deum recentem constitutum in corde tuo: frange vanum simulacrum, deiice de conscientiâ tuâ fictum idolum, dilata os tuum amando, B & adimplebo illud, quoniam apud me est fons vitæ. Inde adimplendus animæ sinus, & per gratiæ riuum, deducendus in abyssum gloriæ. Tantum tibi, ait Cyprianus, ad licentiam datur, quantum gratiæ spiritualis augetur. Non enim (qui beneficiorum terrestrium mos est) in capessendo munere cœlesti mensura vlla vel modus est. Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia refrenatur. Hæ sunt gratiæ vires, hæ dotes gloriæ; quæ inchoantur in hoc seculo, & in futuro consummantur.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 79. sub fin.

Angustus animus terrenis seu infimis detentus.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 80. vlt. med.

Cyprian. epist. 2. lib. 1.

C

PVNCTVM VI.

Et prolapsi sunt.

GRæcè *παραπεσόντας*: qui post baptismum susceptum, post solemnem fidei professionem, post tot Dei promissa, tot collata beneficia, corruerunt, fidem abiecerunt, religionem violarunt, mentem polluerunt. Est igitur triplex prolapsio, apostasiæ, idololatriæ, culpæ lethiferæ.

Quoad primam. Ille prolabitur, qui fidem D deserit; qui de culmine sanctitatis, ad quam per baptismum euectus erat, qui de veritatis arce, ad quam per Christianismum admissus erat, deiicitur, & in infidelitatem recidit. Ita Tertullianus de Marcione. Habet planè & Ecclesias, inquit, sed suas; tam posteras, quàm adulteras quarum si censum requiras, facilius apostaticum inuenias, quàm Apostolicum; Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. De iis nempe dici potest, quod ille de Valentinianis: Frequentissimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex E apostatis veritatis. Apostata igitur Marcion, dum veram, seu antiquam & Apostolicam abiecit fidem, & nouam induxit impietatem. Meritò dixerim, ait ille, Morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus; non credendo, quod creditum Christianos facit. Et eò magis mortuus es, quò magis non es Christianus; qui cum fuisses, excidisti, rescindendo quod retro credidisti: sicut & ipse confiteris in quadam epistolâ; & tui negant, & nostri probant. Igitur rescindendo quod credidisti, iam non credens rescidisti: non tamen quia credere desiisti, rectè rescidisti. Fuit ergo fidelis, & factus est infidelis: Christianus fuit, & factus est atheus: non quod Deum non habuerit, sed quod priùs Dei veri cultor & Christi, multos subinde & incertos tanquam desertor inuexerit. Marcion, ait Optatus Mileuitanus, subtili seductione verborum, morbis obscurè serpentibus, corrupit fidei sanitatem: introducendo duos Deos, & duos Christos. In quantam ille prolapsus impietatem! quid verò si in deteriorem deuolutus, profecit in peius, triáque tandem intrusit principia: Deum vnum superiorem, alterum inferiorem, tertium diabolum? Homo apostata, vir inutilis. Vtpote tam vanus, quàm & perfidus. Sed nihil nobis cum Marcione. Hebræos culpat Apostolus, aut rogat, negátque rursus iaciendum fundamentum, quia seruandum est integrum, nec per apostasiam perfidiamve subruendum. Rogat ergo, ne corruant: Ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Culpat, si corruant: Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. Cum enim variis premerentur persecutionibus, & à suis contribulibus vrgerentur; facilè deserebant fidem seu collectionem, & ad auitam, superstitiosam licet, redibant consuetudinem.

Quoad secundam. Lapsi vocati sunt non ij solùm qui per apostasiam deseruerunt, sed & qui ceciderunt in idololatriam: quasi negatores etiam desertores sint, vel certè non multo sint meliores. Agnoscisne qui sint Dei serui, quos diabolus infestet? qui sint Christiani, quos antichristus impugnet? Neque enim quærit illos, quos iam subegit; aut gestit euertere, quos iam suos fecit: eos pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare. Sed quot illic lapsi, gloriosâ confessione sunt restituti? Steterunt fortes, & ipsô dolore pœnitentiæ facti ad prœlium fortiores, vt appareat nuper sublatos esse, & nouæ atque insuetæ rei pauore trepidasse. Ita quippe, vt refert ipse Cyprianus, Statutum iampridem, vt qui in persecutionis infestatione supplantati ab aduersario & lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis vrgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Sicut ergo Iudæi tentati, vt in antiquam redirent Synagogam: sic & Gentiles iam fideles tentati, vt auitam repeterent idololatriam. Inde tormentis vexati, inde catastis & equuleis probati; quibus multi non tam cedentes quàm infracti labebantur; parùm enim si pauentes iam non confitebantur, sed & palam negabant, acertámque prætentabant. Nemo volens, ait Tertullianus, negare compellitur. Negationem porrò quanta compellunt ingenia carnificis & genera pœnarum. Tamen, vt & ille resoluit: Non admittit status fidei necessitates. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad Sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum: tamen nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi Martyrij, quàm euadendæ passionis & implendi officij. Illi ergo

Tertullian. lib. 4. aduers. Mar. c. 5.

Tertullian. lib. aduers. Val. cap. 1.

Tertullian. lib. de carne Christ. c. 2.

Dij multi à Marcione sunt intrusi.

Optat. Mileuit. lib. 4. aduer. Parm.

Apud Epiph. hæres. 42.

Prouerb. c. 6.

Heb cap. 3. & 10.

Cyprian. lib. 1. epistol 11

Cyprian. epist. 2.

Lapsi qui in persecutione prostrati.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. vlt.

Tertullian. lib de cor. mil. cap. 11.

ergo lapsi qui in persecutione prostrati, qui in tentatione deiecti; qui sacrificare maluerunt, quàm supplicium tolerare; negare quàm implere martyrium; qui fidem maculassent idololatriâ, qui religionem coactâ licet & extortâ temerassent inconstantiâ.

Quoad tertiam. Inter lapsos etiam seu prolapsos veniunt, qui facinus scelúsque committunt, quod luctuosâ expiandum sit pœnitentia: nam παράπτωμα, graue delictum est, seu mortale peccatum. Actio est pœnitentiæ, ait Augustinus, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet: & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac pœnitentiâ, maiorem quisque in se seueritatem debet exercere: vt à se ipso iudicatus, non iudicetur à Domino. Sicut idem Apostolus ait: Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Labitur quis, cum de gradu veritatis, de pietatis statu deiicitur. Quòd si Episcopus, (verba Tertulliani) si Diaconus, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Inde & lapsus carnis. Lapsus in fœminam, Ait Tertullianus de Apelle. Id est, In alteram fœminam impegit. Et alibi, In mulierem carne lapsus, dehinc in Virginem Philumenem spiritu euersus est. Deinceps & lapsus seu casus conscientiæ graui peccato irretitæ, seu facto enormi implicatæ. Notandum est enim quòd non dicit lapsi simpliciter, sed prolapsi, id est totaliter lapsi. Ita Aquinas. Quamuis enim Græca lectio in id non cogat, Apostolica tamen inuitat intentio. Mens enim Apostoli est facinus exprobrare, scelus exaggerare; nec reo duntaxat succensere, tanquam ingrato, & accepti oblito beneficij, sed & delicto grauiori onerato: vt qui gratiam baptismi irritam fecerit, vitámque mortali intercedente peccato deleuerit. Cum etiam ignorantes Dominum, ait Tertullianus, nulla exceptio tueatur à pœnâ, quanto cognitum despici periculosum est? Despicit porrò qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quódque iam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum potest ei placere, cuius munus sibi displicet? Ita in Dominum non modò contumax, sed etiam ingratus apparet.

Augustin. li. 50. Hom. 50. cap. 3.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 3. & cap. 30.

Tertullian. lib. de anim. cap. 6.

Aquin. lect. 1.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 5.

Ingratus grauioris reus sceleris.

PVNCTVM VII.

Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

NOn solùm non honorantes, sed & infamantes. Græcè παραδειγματίζοντας: non solùm despicientes, sed & ludibrio exponentes & opprobrio. Lapsi igitur vel prolapsi, peccantes post baptismum, acceptæ illudunt gratiæ: Christum negantes, exponunt infamiæ: baptismum eierantes, rursus Christum morte ac cruce conficiunt.

Quoad primum. Ludunt reuera & illudunt, qui acceptam prodigunt gratiam, quique post pœnitentiam polluunt conscientiam. Vnde Patres Elibertini Concilij: Si post pœnitentiam, inquiunt, fuerint mœchati, placuit vlterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominicâ communione videantur. In quibus duo notanda sunt. Primum est, faciles fuisse indulgentésque erga Catechumenos, seu nondum baptizatos, quasi peccata naturæ potius corruptæ nondúmque reformatæ quàm personæ forent imputanda. Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Ecclesiam accesserit, placuit, ei baptismum non negari, eo quòd in veterem hominem deliquisse videatur. Alterum, Christianis iam perfectis, id est, baptizatis ac confirmatis seueriores fuisse & inclementiores. Placuit, eis manum imponi, & fieri Christianos. Perfectos scilicet consummatósque. Ita, Si Diaconus regens plebem, aliquos baptizauerit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Nimirum per Confirmationem. Iis ergo, vt indignis, toties in eo Concilio negatur, vel in fine dandam esse communionem. Quia duriùs seueriusve, si quid admissum sit post baptismum, vindicatur. Magis, ait Tertullianus, merebitur fructum pœnitentiæ, qui nondum eo vsus est, quàm qui iam & abusus est; magisque sapient remedia prima, quàm exoleta. Nimirum Dominus ingratis benignus magis, quàm ignaris; & citius reprobatis misericors, quàm nondum probatis; vt non magis irascatur contumeliis clementiæ suæ, quàm blandiatur; & non libentiùs extraneis eam impertiat, quam in filiis perdidit; cum gentes sic adoptauerit, dum Iudæi de patientiâ ludunt. Quid est igitur Filium Dei ostentui habere? ludere rursus & illudere: ipsum traducere, risui habere & lusui. Ludit enim qui peccatum repetit, qui redit ad vomitum.

Concil. Elib. can. 3.

Canone 45.

Can. 39. & 77.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 10.

Quoad secundum. Parùm sit Christum exponere ludibrio, quid verò & opprobrio; nec in lusum duntaxat, sed & in contemptum traducere? non in contumeliam tantùm, sed & blasphemiam impingere. Tria autem hominum genera Christum blasphemabant, Ethnici, Hæretici, lapsi. Hymenæi autem & Alexandri crimen, si & in isto, & in futuro æuo irremissibile est, blasphemia scilicet, (agnosce Tertullianum) vtique Apostolus non aduersùs terminum Domini sub spe veniæ dedisset Satanæ, iam à fide in blasphemiam mersos. Vnde & naufragos eos iuxta fidem pronuntiauit, non habentes iam solatium nauis Ecclesiæ. Illis enim venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt. Cæterùm, Ethnici, & Hæretici quotidie ex blasphemiâ emergunt. Sed & si dixit, Tradidi eos Satanæ, vti disciplinam acciperent non blasphemandi; de cæteris dixit, qui, illis traditis Satanæ, id est, extra Ecclesiam proiectis, erudiri haberent blasphemandum non esse. Vides tria blasphemantium genera, Ethnicorum, qui in Christum non crederent; Hæreticorum, qui peruersè crederent; lapsorum, qui contra fidem professionémque agerent, seu, vt ille loquitur, De fide in blasphemiam impingerent. Et primis quidem ignoscebatur facilè, quia quid faciebant, nesciebant: Hæreticis non ægrè parcebatur, quia non tam ex nequitiâ delinquebant, quàm ex ignorantiâ:

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 13.

Tria blasphemantium in Christum genera.

ignorantiâ: lapsis autem blasphemis, venia passim denegata. De primis ac secundis: Ethnici & Hæretici quotidie ex blasphemiâ emergunt. De vltimis, Illis venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt. Quasi lapsus iste tam grandis tam enormis, irremissibilis esset, casus tam grauis, esset hoc in æuo irreparabilis. Adigebantur ergo Christiani, non solùm vt Christum negarent, sed & suppliciis compellebantur tandem vt & ipsum blasphemarent. Prospexerat Dominus & hanc vim, (ita Tertullianus) plerúmque in expugnatione nominis subsecuturam, vt qui se Christianum negasset, ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare. Sicut non olim pro auspice cum totâ fide quorundam colluctatum hoc modo horruimus. Primò enim, confessi, solebant percuti, & gladio animaduerti: tum & tormentis ad negandum compulsi: postremò, viribus omnibus, ad blasphemandum inducti.

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 9.

Quoad tertium. Tria dicit Paulus, dum dicit, Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei. Quid enim rursum, nisi iterum: non solùm grauiter, sed & Frequenter, vt loquitur Aquinas, peccare. Seu post leuiores lapsus, casusve tolerabiliores, aut minus intolerabiles, peccata sua, extremâ & infandâ cumulare apostasiâ. Quid sibimetipsis, nisi in semetipsis? Quasi patibulum in cordibus suis erigentes, & ibi Christum affigentes. Quid denique crucifigentes, nisi cum dedecore & horrore perimentes? Maledictus enim qui pendet in ligno, quasi maledicendus qui pendet in patibulo. Tria igitur sunt obseruanda. Primum per gratiam suam viuere in cordibus nostris: alterum, per culpam nostram lethalem seu mortalem interire: tertium, per apostasiam, non occidi solùm sed & crucifigi, non solùm cum opprobrio, sed & cum maledicto derelinqui. Quia verò vna Christi mors est in cruce, non dixit Paulus, Rursum occidentes aut interimentes Filium Dei; sed sicut ad indignitatem sceleris, dixit, Filium Dei; sic & ad criminis enormitatem, dixit, Crucifigentes. Quando quis ex iustis seu iustificatis peccat mortaliter, sine dubio Christum trucidat crudeliter: cum verò fit Apostata, tandémque infidelitatem, aut ingratitudinem nefandâ congerit apostasiâ, crucifigit sibimet Filium Dei; dum non solùm Dei Filium esse pernegat; sed & cum detestatione & execratione proculcat. Ibi dicet peccatorem seu præuaricatorem, Filium Dei conculcare, & sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum ducere, & spiritui gratiæ contumeliam facere. Sed cum hic per lapsos seu prolapsos, insigniores intelligeret peccatores, maximè verò negatores, desertorésque, noluit subtiliùs distinguere, sed placuit apostasiam quasi extremam, per extremam etiam ignominiam absoluere. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Non solùm ludibrio immolantes & opprobrio, sed & ipsum tanquam cruciarium, seu morte ac cruce dignum detestantes. Apostatæ namque Christum maledictis incessunt, & indignis verbis non solùm morte sed & cruce conficiunt. Ita sibimetipsis crucifigunt Christum, dum ipsum in animis suis cum ignominiâ perimunt & infamiâ. Ita Tertul. Quid de homine Christum redimis in homine, in quo Christus est? Non aliter & Simon facere tentauit, cum pecuniam Apostolo obtulit pro Spiritu Christi. Audiet ergo & iste, qui se redimens, Christi Spiritum redemit, pecunia tua tecum sit in interitum. Quis enim talem abnegatorem non spernat? Sicut ergo Christus ab homine redimitur in homine, sic & ab homine crucifigitur in homine; dum spiritus eius non extinguitur solùm, sed & cum horrore ac dedecore perimitur.

Aquin. lect. 1.

Christus crucifigitur, cum spiritus eius interimitur.

Heb cap. 10.

Tertullian. lib. de fug. in per. c. 12.

PVNCTVM VIII.

Impossibile est enim eos, rursus renouari ad pœnitentiam

QVos? Prolapsos scilicet, seu post tot ac tanta relapsos beneficia. Ibi posuit vim, totámque seriem dictorum in hoc direxit, vt ingratitudinem infidelitatémque cumularet, spémque renouationis eleuaret præsumptionémque regenerationis. Sed vt vim perspicias, totámque capias sententiam, singula verba, singulis paragraphis elucidanda sunt.

PARAGRAPHVS I.

Impossibile est.

NOn quicquid dicitur impossibile, subtrahitur potentiæ seu diuinæ seu humanæ: sed nonnunquàm difficultatem importat, nonnunquàm potestatem eleuat & attenuat. Posse, vel non posse, ait Gregorius Nazianzenus, non vno modo dicitur: variam enim ac multiplicem significationem habet. Nonnunquam enim secundùm virium defectum dicitur, & certi temporis ac personæ ratione habitâ: vt quòd puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut cum aliquo dimicare Luctabitur enim fortassè aliquando, & cernet, & cum hoc dimicabit, etiamsi cum altero nequeat. Interdum de eo dicitur, quod sæpenumerò contingit, vt illud, Non potest ciuitas abscondi suprà montem posita: fieri enim potest vt quædam ciuitas abscondatur, maiori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente. Impossibile etiam dicitur, quod minimè æquum est; rationique consentaneum: cuius generis est illud, Non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu præsens est sponsus; siue eum intelligas qui corporeis oculis cernitur (neque enim ærumnæ atque afflictionis tempus erat illud tempus, quo Christus nobiscum versabatur) siue eum vt Verbum spectes. Quid enim eos corporeo modo eos ieiunare necesse est, qui sermone purgantur? Quartâ significatione hoc fieri non posse dicitur, à quo voluntas nostra abhorret: cuiusmodi est illud, Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui ea excipiebant. Quoniam enim ad morborum depulsionem vtrumque accedere necesse est, nempe vt & ægroti fidem, & Medici vim & facultatem medendi afferant: idcircò alterum deficiente altero minimè contingebat. Iam illud quoque impossibile dicitur, quòd naturâ quidem

Gregorius Nazianzen. orat. 36. cit. med.

Posse ac non posse quot modis dictum sit.

dem impossibile est, Deo autem volenti possibile. Quo in genere est illud, Eundem hominem bis nasci non posse, nec acu camelum admitti. Quid enim prohibeat quominus hæc fiant, si Dei voluntas ita tulerit? Præter hos omnes modos, impossibile dicitur, quod nullâ omninò ratione fieri potest. Vt impossibile dicimus, Deum malum esse, aut omninò non esse (hoc enim Dei impotentiam potius atque imbecillitatem, quàm potentiam argueret) aut vt sit quod non est, aut vt bis duo, simul & quatuor sint & decem. Nihil tam varium ac polysemum, ac posse, vel non posse: cum multa dicantur vno sensu impossibilia, quæ alio sensu reperiantur possibilia. Esse enim homo iustus non potest, nisi norit & velit, (verba sunt Augustini) & erit omninò qui plenè voluerit: sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratiâ spiritûs sanetur, & adiuuetur vt possit. Potest homo iustitiam habere si velit, & tantum velit quantum expedit: sed non potest iustitiam habere, nisi per gratiam; per quam plenè velit, ac perfectè possit.

Augustin. epist. 144. in fine.

Paulus verò non semel idem verbum protulit, sed eundem ferè semper sensum tenuit. Ita hoc eodem capite, Impossibile est mentiri Deum. Et cap. 10. Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Denique cap 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quibus non indicatur aliqua difficultas, sed absoluta demonstratur impossibilitas. Monens námque discipulos, (verba sunt Tertulliani) omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere, nec rusus fundamenta pœnitentiæ iacere ab operibus mortuorum. Impossibile est enim, inquit, eos qui semel illuminati sunt, & donum cœleste gustauerunt, & participauerunt Spiritum sanctum, & verbum Dei dulce gustauerunt, Occidente iam æuo cum occiderint, rursus reuocari in pœnitentiam, refigentes cruci in semetipsos Filium Dei, & dedecorantes. Terra enim quæ bibit sæpius deuenientem in se humorem, & peperit herbam aptam his propter quos & colitur, benedictionem Dei consequitur. Proferens autem spinas, reproba, & maledictioni proxima, cuius finis in exustionem. Hoc qui ab Apostolis didicit, & cum Apostolis docuit, nunquam mœcho & fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat. Optimè enim legem interpretabatur, & figuras eius iam in ipsâ veritate seruabat. Trifariam igitur aliquid impossibile dicitur eodem sensu, sed aliquo gradu dirimitur. Primum est, quod nullo prorsus modo possibile est, sed omninò impossibile, vt, Deum mentiri. Id enim nec est, nec esse vllatenus potest. Alterum, quod nusquam fit, nec fieri potest secundùm disciplinam Ecclesiasticam: ita secundùm Tertullianum, Disciplina Apostolorum propriè quidem instruit ac determinat principaliter sanctitatem omnis erga templum Dei Antistitem, & vbique de Ecclesiâ eradicantem omne Sacrilegium pudicitiæ, sine vllâ restitutionis mentione. Tertium, quod nunquam fit, & fieri non potest ex decreto diuino, statuto, ac beneplacito: sine fide enim nullus vnquam placuit Deo, nec potuit, nec potest, nec poterit. Impossibile est pecudum sanguine peccata deleri: quia Deus fidem elegit ad dilectionem, nec alium

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 20.

Impossibile absolutè dici potest trifariàm.

Tertullian. ibidem.

sanguinem, ne humanum quidem, quàm filij sui ad iustificationé admisit. Hoc igitur dicitur impossibile penes Apostolum, quod nunquam fuit, & nunquam erit, quia nec voluit Deus, nec statuit.

PARAGRAPHVS II.

Renouari.

Rvrsus renouari, seu, vt habent Græca ἀνακαινίζειν, Renouare. Dicit, Rursus. Quia dixit, Semel. Ita, Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. Quid verò est innouari, nisi nouum fieri? Quid ergo rursus, renouari, nisi rursus nouum fieri? Et quidem Sacramentum illuminationis, Sacramentum etiam innouationis est. Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Renati autem, ait Augustinus, ex aquâ & Spiritu sancto, qui audiunt ab Apostolo: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: sicut filij lucis ambulate. Et iterum, nos autem qui diei sumus, sobrij sumus. Qui ergo renati sunt, noctis fuerunt, & diei sunt: tenebræ fuerunt, & lumen sunt. Homines nascuntur in tenebris, quia mortis nascuntur hæredes ac damnationis: natiuitas illa prima, carnalis est, quia pertinet ad veterem hominem, nec minus ignorantiam subolet quàm concupiscentiam. Principia natiuitatis nostræ, sunt damnatæ vetustatis vestigia: non minùs cœci nascimur quam infirmi, quia non minùs vetustate nascimur, quàm cupiditate prægrauati. Quia igitur natiuitas illa carnalis reperitur deformis, alia nunc exigitur tam noua quàm spiritalis, quæ scilicet alios homines faciat, nouos scilicet ac spiritales, vno verbo, Christianos pariat. Itaque simul homo illuminatur in baptismo & innouatur, dum simul & fidei donatur luce, & in Dei regeneratur adoptione; alius iam, quia ex Deo natus. Quemadmodum enim nos primum creauit, (ita Gregorius Nazianzenus) ita creatos instaurauit ac refinxit, & quidem figmento diuiniori, primúmque figmentum superanti. Nam, Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Quod natum ex homine, humanum est; quod ex Deo natum, diuinum est. Qui sunt, inquit Augustinus, secundùm carnem nati? Dilectores mundi, amatores seculi. Qui sunt secundùm spiritum nati? Amatores regni cœlorum, dilectores Christi: desiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum. Illi sunt, qui iam non terrena, sapiunt, sed diuina.

Augustin. Tract. 11. in Ioan. cir. med.

Principia natiuitatis, sunt vetustatis vestigia.

Gregorius Nazianzen. cap. 40. cir. med.

Augustin. Tract. 11. in Ioan. vlt. med.

Et Paulus quidem non tam Sacramentum tangit regenerationis, quàm effectum exponit innouationis. Quid enim necesse erat iterationem prohibere baptismi, seu repetitionem interdicere Sacramenti; cum nullus quæstionem moueret circa baptismum, nec quis ipsum, nisi ritum solemnem susciperet? Vnus omninò baptismus est nobis, ait Tertullianus, tam ex Domini Euangelio, quàm ex Apostoli literis; quoniam vnus Deus, & vnum baptisma, & vna Ecclesia in cœlis. Sunt apud Iudæos, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum,

Tertullian. lib. de baptis. cap. 15.

torum, sed superstitiosa: apud Christianos, salutifera baptismatum doctrina est, sed non repetundorum: sicut enim baptismus sanguinis repeti non potest, sic & baptismus fluminis non potest iterari: nam sicut vna mors pro Christo, sic & vna natiuitas in Christo. Regeneratio spiritalis vna est, ait Augustinus, sicut generatio carnalis vna est. Et quod Nicodemus Domino ait, verum dixit, quia non potest homo cum sit senex, redire rursum in vterum matris suæ & nasci. Ille quidem dixit, quia homo cum sit senex, hoc non potest, quasi, & si infans esset, posset. Omninò enim non potest, siue recens ab vtero, siue annosâ iam ætate, redire rursum in materna viscera & nasci. Sed sicut ad natiuitatem carnalem valent muliebria viscera ad semel pariendum: sic ad natiuitatem spiritalem valent viscera Ecclesiæ, vt semel quisque baptizetur. Equidem, vt & ille dixit, Intellexit Nicodemus natiuitatem carnis: sed tu intellige natiuitatem spiritûs, & responde, Iam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo, non me poterit iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Vna enim natiuitas est de terrâ, alia de cœlo: vna est de carne, alia de spiritu: vna est de mortalitate, alia de æternitate: vna est de masculo & fœminâ, alia de Deo & Ecclesiâ. Sed ipsæ duæ singulæ sunt, nec illa potest repeti, nec illa. Non ergo definit Paulus, quod cuique notum, & nulli dubium: vnde non dicit, Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt seu baptizati, iterum baptizari, quod nulli dicebant, aut contradicebant; sed, impossibile est, semel baptizatos, iterum innouari, quod nonnulli præsumebant: quasi quod semel factum fuerat, rursum fieret; vel alia superesset gratia, quæ culpam omnem, & omnem pœnam tam facilè dilueret, quàm citissimè, vt iam actum fuerat, per cutem, animam ablueret; in eamque nouitatem, per depulsam vetustatem restitueret. Non possunt ergo ministri, non possunt Apostoli eo modo renouare prolapsum post baptismum: sicut enim non ei possunt nouam seu aliam conferre natiuitatem, sic & non possunt aliam nouitatem, seu immunitatem à culpis & pœnis inducere, absque aliqua satisfactione vel in Sacramento pœnitentiæ vel in lucrandis indulgentiis.

Augustin. Tract. 12. in Ioan. post init.

Augustin. Tract. 11. in Ioan. cit. med.

Innouatur homo, cum ab omnibus culpis & pœnis omnibus liberatur.

PARAGRAPHVS III.

In pœnitentiam.

CAutè incedendum est, fœdus seruandum sollicitè, munus minimè violandum: Idque, vti dixit Gregorius Nazianzenus, cum nulla iam posthac altera regeneratio sit, nec instauratio, nec in veterem statum restitutio: quamlibet maximè eam multis cum gemitibus & lachrymis requiramus: quibus licet cicatrix ægrè tandem obducatur: præstat tamen secundâ purgatione minimè indigere, verùm in primâ consistere, quæ omnibus communis est & labore vacua, cunctisque ex æquo patet, tam seruis, quàm heris; tam egentibus quàm copiosis; tam abiectis, quàm sublimibus; tam genere claris, quàm ignobilibus & obscuris;

Gregorius Nazianzen. orat. 40. cit. med.

A tam ære alieno obstrictis, quàm iis qui nihil æris alieni conflarunt, non secus atque aëris haustus, & lucis profusio. Expendit Gregorium suum Nicetas, adducitque non Paulum duntaxat, definientem, Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, rursus renouare ad pœnitentiam. Sed & Athanasium, disserentem, asserentémque, Eum, qui ad meliorem frugem se receperit, quanquam finem peccandi faciat, inustas tamen vulneris cicatrices habere: eum autem qui baptizatur, veterem hominem exuere ac renouari, supernè videlicet per Spiritûs sancti gratiam progenitum. Duplex igitur purgatio, prima, quæ fit B in Catechumenis; altera, quæ fit in Christianis iam baptizatis: prima dicitur indulgentia, quia gratis remittuntur omnia debita, seu culpæ, seu pœnæ: altera dicitur pœnitentia, quia pœnæ exiguntur grauissimæ ad delendas non solùm omnes culpas, sed & omnes relictas impressorum delictorum reliquias: quanquam enim vtrobique ignoscat Deus, quanquam vtrobique remittat; in primâ tamen remittit per aquæ Sacramentum, in secundâ, per luctum ærumnosæ remittit ac laboriosissimæ pœnitentiæ. Graue est autem, vti dixit Gregorius, facilioris medicinæ loco difficiliorem & molestiorem adhibere, ac proiectâ misericordiæ C gratiâ, suppliciis seipsum obnoxium reddere, atque admissa peccata correctione vitæ compensare. Quantam enim lachrymarum vim impendemus, vt ea cum baptismi fonte exæquari possit.

Athanas. apud Nicet. Schol.

Duplex purgatio, prima clementiæ, altera pœnitentiæ.

Gregorius orat. 40.

Quid porrò ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, renouare ad, seu in pœnitentiam? non enim renouatione itur ad pœnitentiam, sed pœnitentiâ ad renouationem contenditur: sicut nec indulgentiâ itur ad ablutionem, sed ablutione peruenitur ad indulgentiam. Neque ego, ait Tertullianus, renuo diuinum beneficium, id est, abolitionem delictorum, initiatis aquam omnimodo saluum esse; sed vt eò peruenire contingat, elaborandum est. Prima quidem desi- D deratur pœnitentia, sed per aquam, seu diuinam obsignatur indulgentiam. Sicut enim Ioannes, ait ille, antepræcursor Domini fuit, præparans vias eius: ita & Angelus baptismi arbiter superuenturo Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre & Filio & Spiritu sancto. Sicut ergo prima pœnitentia disponit ad regenerationem, sic & secunda ducit ad renouationem, sicut igitur non regeneratione ad pœnitentiam baptismalem, sed baptismali pœnitentiâ peruenitur ad regenerationem: sic E & pœnitentiâ difficili ad renouationem, non verò renouatione ad difficilem contenditur pœnitentiam. Ideò ergo apertè dicendum, & exertè definiendum, Christianos prolapsos de baptismali innocentiâ, pœnitentiâ, licet graui, licet difficili, extra Sacramentum & Indulgentias, tam non posse rursum renouari, quàm nec iterum posse regenerari.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 6.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 6.

Alius indulgentiæ locus est, alius pœnitentiæ.

APPEN



APPENDIX.

De rigatione.

CVR noluit Deus prolapsum renouari per pœnitentiam, cur non placuit in pristinum statum renouari? Quia terra toties rigata, si quidem fecerit fructum, benè; sin autem, pessimè; nam vt ingrata & infrugifera, damnanda erit ad incendium. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas, ac tribulos; reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem; nempe, vt aduertit Ambrosius, Fructiferæ terræ, cœlestibúsque imbribus irrigatæ adæquauit proficientem animam in sanctorum germinum floribus, dicens, Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem. Hìc quippe declarat, quòd hi ad quos eius sermo fuit, susceperunt & combiberunt verbum cœlestis doctrinæ, & sæpiùs per legem, per Prophetas perceperunt, & nec sic prompti facti sunt germina fidei proferre. Addidit autem de bonâ terrâ, in quam cecidit semen verbi Dei, germinans, ait herbam opportunam. Nihil sic opportunum, sicut fides in Filium Dei, & vita optima. Sed si riganda est anima, velut terra dubia, in aquâ consistendum est, dicendúmque primò, Christianum per aquam saluum fieri; secundò per aquam non solum cute tenus irrigari, sed & in corde: tertiò, proficientem, deputari gloriæ, deficientē verò gehēnæ destinari.

Ambrof. in Paulum.

Quoad primum. Christiani omnes, pisces sunt mystici, ideóque vitam ex aquis trahunt, totámque ex ipsis hauriunt substantiam. Nos, ait Tertullianus, pisciculi secundùm ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aquâ nascimur, nec aliter quàm in aquâ permanendo salui sumus. Prima natiuitas ex terra: primus homo de terrâ terrenus: sed quid terra sine aquâ nisi puluis, quem ventus proiicit, quem fructus deserit. Ideò Psaltes: Anima mea, velut terra, sine aquâ tibi. Non mihi, (vt exponit Augustinus) sed tibi. Sitire tibi possum, me irrigare non possum. Abundat mare, inundat, copiosum est: fluctuat, sed amarum est. Discreta est terra, apparuit arida anima mea: irriga eam, quia velut terra sine aquâ tibi. Idcircò terra per aquam temperanda est, seu anima per gratiam instauranda. Quid vtique, ait Tertullianus, ista materia tantæ dignationis meruerit officium? vt opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima suppetit, & quidem à primordio. Nam vnum ex his est, quæ antè omnem mundi suggestum impolitâ adhuc specie penes Deum quiescebant. In primordio (inquit) fecit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, Spiritus Dei super aquas ferebatur. Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; dehinc dignationem, quòd diuini spiritûs sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis. Ordinato dehinc per elementa mundo cum incolæ darentur, primis aquis præceptum est animas proferre. Primus

Tertullian. lib. de baptis. cap. 1.

Augustin. In Expos. Psalm. 142. circa med.

Tertullian. lib de baptis. cap. 3.

Homo terra, sed aquis temperata.

A liquor, quod viueret, edidit, ne mirum sit in baptismo si aquæ animare nouerunt. Nam ipsius quoque hominis figulandi opus, sociantibus aquis absolutum est. De terrâ materia conuenit, non tamen habilis, nisi humida & succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore, limo temperarant. Vide igitur terram, & aquam, sed attende quod attendit Augustinus. Terra fruges, & aqua produxit pisces. Duos quippe spiritus esse, vnum Dei, alterum huius mundi, Apostolus dicit. In comparatione autem piscium sanctos dicimus, qui in aquâ baptismatis viuunt. Ideò pisces benedictionem primò consequi meruerunt, quia fideles in Sacramento baptismatis consequi

Augustin. serm. 134. de temp. vlt. med.

B meruerunt. In eo igitur elemento nascuntur sancti seu Christiani, in eo benedicuntur: in ipso gratiam accipiunt, nec aliter quàm in acceptâ permanendo gratiâ, salui fiunt.

Quoad secundum. Duplex aqua, vna in administratione Sacramenti, altera in detestatione peccati: illa, indulgentiæ, ista, pœnitētiæ. Quoad illam: Fratres & dicuntur, & habentur, qui vnū Patrem agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnum lucem expauerunt veritatis. Ita Tertullianus. Nota, Biberunt. Alludit enim ad Sacramentum aquæ, & inde poculum haurit indulgentiæ. Mergebâtur enim olim in regenera-

Tertullian. cap. 39. Apologet.

C tionis lauacro, sepeliebantúrque, vt ille loquitur in mortis symbolo: adeo vt non solùm sub illo laterent diluuio, velut mersi & obruti; sed & de illo biberent, diceréntque: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Inde susceptores adhibiti, quasi sponsores beneuoli, qui mersum subleuarent, sepultum suscitarent, susciperent saluandum, & in portum deducerent. Quoad istam verò: Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. O qui insultas, ait Augustinus, inuito de ad istum

Psalm. 68.

D panem. Non enim audes te dicere non esse peccatorem. Discute conscientiam, ascende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis, vide vtrum audeas innocentiam profiteri. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum est indulgentia, vbi eris? quò ibis? Certè & pro te factum est, vt pauper iste panem sicut cinerem manducaret, & potum suum cum fletu misceret. Non te iam delectat tale conuiuium? Te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit, Redite præuaricatores ad cor. Nolo mortem impij, tantùm vt re-

Augustin. con. 1. in Psalm. 101. vlt. med.

Anima culpam emendat, dum sperat veniā.

E uertatur & viuat. Hoc proculdubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam: & sperans vitam, non negligis medicinam. Manduca igitur cinerem velut panem, & potum tuum cum fletu misce: per hoc conuiuium, venies ad mensam Dei. Toties meminit conuiuij, quia panis manducatur lachrymarum, & potus fletuum bibitur. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Non amaritudo, (ita exponit Augustinus) sed panis suauis erant ipsæ lachrymæ, sitienti mihi illum fontem: quem quia bibere nondum poteram, auidiùs meas lachrymas manducabā.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 4. cit. med.

Die

Die quippe ac nocte factæ sunt mihi lachrymæ meæ panis. Cibum istum qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt: panis autem lachrymarum & die & nocte comeditur. Bibitur simul & comeditur, dum non solùm corpus, sed & animus perfunditur. Animam penetrat, rigatq; dũ salutiferos effundit admissæ culpæ fletus, dignos facit fructus pœnitentiæ.

Tertul. lib. de Bapt. c. 8. Quoad tertiũ. Rigatur ergo anima, & immisso vel emisso purgatur diluuio: inde aut diuinæ pacis colligenda est fructificatio, aut imminentis iræ timenda denuntiatio. Quemadmodum enim, vt dixit Tertullianus, post aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (vt ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba in terris adnuntiauit, & cum oleâ reuersa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritalis effectûs, terræ, id est carni nostræ, emergenti de lauacro post vetera delicta, columba Spiritûs sancti aduolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, vbi Ecclesia est arcâ figurata. Sed mundus rursus deliquit, quo malè comparetur baptismus diluuio. Itaque igni destinatur, sicut & homo qui post baptismum delicta restaurat, vt hoc quoque in signum admonitionis nostræ debeat accipi. Itaque, Cum timore, vti dixit Chrysostomus, audiamus Dei eloquia? cum timore, & multo tremore. Nam cum dixisset Paulus, fieri non posse, vt qui lapsi sunt, iterum, reuertantur ad pœnitentiam, subiungit, Terra enim venientem super se imbrem bibens, & germinans herbam opportunam illis propter quos colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. Non sunt hæ minæ Pauli, non sunt verba hominis: sunt Spiritûs sancti, sunt Christi, qui in ipso loquitur. Estne ergo aliquis mũdus ab his spinis? Quòd si etiã essemus mundi, ne sic quidem confidere oporteret, sed timere & tremere, ne in nobis germinẽt spinæ. Cum tem toti penitùs simus spinæ & tribuli, vndenam dic quæso confidimus, & supini ignauique reddimur; Quid est quod nos facit socordes & ignauos? Si is qui videtur stare, debet timere ne cadat: qui cecidit, quàm debet esse sollicitus vt resurgat? Si Paulus timet ne cum aliis prædicauerit, ipse fiat reprobus, qui est adeò probus: nos qui iam facti sumus reprobi, quamnam assequemur veniam, cum nihil timeamus; sed tanquam consuetudinem Christianismum impleamus, & eo leuiter defungamur? Timeamus ergo, ô dilecti, reuelatur enim ira Dei de cœlo, non solùm aduersùs impietatem, sed etiã aduersùs omnem iniquitatem & paruã & magnam. Si agricolæ, inquit, operâ non fuisses cultus, si imbribus, non esses rigatus, non esset tantum malum. Sæpè bibisti & accepisti, cur pro fructibus alia produxisti? Semper bibimus, sed humorem statim perdimus, & propterea spinas producimus. Terra, inquit, sæpè venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam, accipit benedictionem à Deo. Dicit, Deum auctorem esse omnium: neque enim sunt manus agricolarum quæ ipsam terram excitant ad fructus ferendos, sed Dei iussus. At in spinis non dixit, pariens spinas, neque hoc vtili vsus est nomine. Quid ergo? Proferens spinas. Quasi dicas, faciens erumpere & expellens, quasi luxurians reproba est, & maledicto proxima: cuius finis est in combustionem: si permaneat, inquit, vsque in finem.

Baptismus quomodo diluuio comparatus.

Chrysost. orat. 10.

DILVCIDATIO III.

De mitigatione.

MIra Pauli industria, quâ terret simul & mulcet, pungit & lenit, minatur solaturque. Terræ quidem, ait Athanasius, probatæ feracique, benedictum fuisse à Deo iam dixit: infructuosam verò & sterilem, non execrabilem dixit, sed execrationi propinquam, ne penitùs desperemus. Nam qui fuerit maledicto propinquior, poterit, si velit, ab hoc per pœnitentiam procul abscedere. Nec sanè, Qui comburitur, dixit, sed cuius in combustionem est finis, Hoc est, qui ad finem vsque in prauis facinoribus perseuerat, vt queat à sterilitate secedere, & sentes ipsos comburere; & probus effici debet, & benedictionis particeps fieri. Infirmus Ioannis baptismus, idcircò nullis minis oneratus. Ipse, inquit Tertullianus, sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo: Qui de terrâ est, de terrâ loquitur: qui de supernis venit, super omnes est, Item in solâ se pœnitentiâ tinguere, venturum mox qui tingueret in spiritu & igni. Scilicet, quia vera & stabilis aquæ fides quâ tinguitur in salutem? simulata autem & infirma, igni tinguitur in iudicium. Baptismus ergo Christi, nec suscipitur infructuosè, nec impunè contemnitur. Vide, inquit August. ne te ignis exurat, ne aqua corrũpat. Propterea & in sacramentis & in catechizando & in exorcizando adhibetur priùs ignis. Nam vnde plerumq; immundi spiritus clamant, Ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum: vt ab igne ad aquam, ab aquâ ad refrigerium. Vide, tantùm ne ab aquâ ad iudicium. Terra enim ebibens imbrem super se sæpè venientem, & respondens culturæ, Deo benedicente, peruenit ad segetis maturitatem; spinas autem proferens, vel herbas noxias, nec parens agricolæ, sed fallens irrito labore, prope est vt luat, maledictionémque incurrat ac combustionem. Sed quid ad iudicium? quidni potius ab aquâ ad refrigerium? Vides, ait Chrysostomus, quantum habet consolationem quod dicitur: Est, inquit, maledicto proxima, non maledictum. Qui autem nondum incidit in maledictum, sed propè est, etiam procul esse potest. Quamobrem si spinas exciderimus & exusserimus, poterimus frui bonis innumerabilibus, & probi effici. Meritò autem peccatum appellauit tribulum: nam vnde id tenueris, fecit & mordet: & visu etiam est deforme & tectum. Cum ergo eos satis tetigisset, & terruisset, ac pupugisset, rursus curat ac medetur, ne eos plus quàm par sit deiiciat, ignauósque reddat ac supinos. Quid ergo dicit? Non hæc dicimus tanquam qui vos condemnauerimus, nec vt qui existimemus vos esse plenos spinis, sed vt qui timeamus ne hoc accidat. Melius est enim vos verbis terrere, ne reipsâ doleatis: & hoc maximè est

Athanas. in Paulum.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 10.

Augustin. Enarr. in Psal. 65 vlt. med.

Chrysost.

Minæ bonis verbis temperatæ ac mitigatæ.

est Pauli prudentiæ. Et non dixit, existimamus, nec coniicimus, nec expectamus, nec nec speramus. Sed quid? Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Hæret verbo Græco πεπείσμεθα, persuasi sumus. Quod plus est quam, Confidimus: persuasus enim est, qui conuictus est, nec vllo pacto est dubius.

Cur verò persuasus est Paulus, conuictusque? Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministrastis. In quibus, vt aduertit Aquinas: ostendit fiduciam quam de ipsis habebat, & subdit rationem confidentiæ. Quia enim multa quæ dura videbantur de statu illorum dixerat, modò ne ex illis desperarent, ostendit quâ intentione hoc dixerit, scilicet vt ipsos à periculis retraheret. Ne credatis, inquit, quòd ego tales vos reputem: etsi enim sic loquimur, hoc est, vt reddamus vos cautos. Cum ergo dicit, Non est iniustus Deus, assignat rationem confidentiæ. Ratio enim quare ipse de his confidat, hæc est, quia recordatur multorum bonorum, quæ ipsi fecerunt. Homo enim qui cadit post gratiam, dupliciter potest se habere. Vno modo, quòd in malo perseueret, & tunc Deus omnes iustitias eius obliuiscitur. Alio modo, quòd pœniteat, & tunc bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur illi ad meritum. Sed duplex est meritum, condigni, & congrui: & de isto dicit, quod iustum est, id est congruum, quod homo, qui multa bona facit, mereatur. Et isto modo non obliuiscitur Deus operis & dilectionis. Equidem tantam ἀκρίβειαν non requirit Apostolus, nec tamen illam respuit: siue enim gratia seruetur illæsa, siue post lapsum seu post peccatum reparetur, tam de præteritis spondet, quàm de futuris, & Dei dona iubet esse arbitri merita. Id namque Deus pollicitus est? ideóque iniustus esset Deus, si quod promisit, & ad quod obstrinxit se, non redderet. Debet enim fidem suam liberare, & nostram fidelitatem promissis præmiis munerare. Quoniam igitur à præsentibus non multa habebat, (ita Chrysostomus) quæ dicere, à præteritis constituit consolationem, & dicit, Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministrastis. Papè quomodo eorum recreat & confirmat animam, res veteres reuocans in memoriam, & redigens ad necessitatem non expectandi Deum esse oblitum. Quamobrem omninò coëgit expectare illa quæ erant futura. Aut hæc enim dicit de bonâ vitæ agendæ ratione, aut de remuneratione, Nec de se solùm hoc dicit, sed etiam de omnibus. Non enim dixit, Confido: sed Confidimus de vobis meliora, & viciniora saluti.

Tria tamen addenda sunt. Primum est, Paulum non solùm laboris meminisse, sed & dilectionis: Quicquid enim, vt dixit Aquinas, non est ex charitate, non est meritorium. Et ideò non dicit tantùm operis vestri, sed addit, dilectionis: quia etiam sicut dixit Gregorius, Non est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est? si operari renuit, amor non est. Alterum, non solùm dixisse, Qui ministrastis sanctis, sed & addidisse. Et ministratis: Quia, vt ait ille, in omnibus est necessaria continuatio. Non solùm ministrandum per amorem, sed & vsque in finem perseuerandum est: non solum adhærendum bono, sed & ab illo non desistendum. Tertium denique non tantùm respexisse vitæ finem humanæ, sed & Christianæ consummationem iustitiæ, operaque omnia in Deum, vt in scopum retulisse. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Græca, εἰς τὸ ὄνομα. In nomen. Quasi factorum finem faciendorúmque. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi. Bonũ est necessitatibus sanctorũ seu Christianorũ communicare, pauperibus ministrare? sed optimum, propter Dei nomen, propter honorem Christi, suum adimplere ministerium. Si ergo temperat sententiam suam Paulus, mitigatque; dum sperat meliora, & ad ipsa prouocat? non quod iam crederet bonos, sed quod perfectos perciperet: desciuerant enim à fidei feruore, sed à fidei professione non defecerant. Considera diligentiùs, ait Augustinus Cresconio Grammatico, ne fortè inuenias in Latinæ locutionis auctoribus, quibus Grammaticorum artificialia seruiunt, non semper istum gradum quod antè positum est augere, sed aliquando contrario superferri. Cuius locutionis exemplum interim mihi ex Apostoli epistolâ occurrit, quam scripsit ad Hebræos. Cum enim loqueretur de benedictione terræ, quæ acceptâ pluuiâ fructum reddit, denique subiecit, Proferens autem spinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima est, cuius finis in vstionem. Quod ne illis quibus loquebatur optasse videretur. Confidimus autem, inquit, de vobis, fratres charissimi, meliora & hærentia saluti. Attendis certè quomodo hîc dixerit, Meliora: non quia bona erant quæ suprà dixerat, proferre spinas & tribulos, & vstionem mereri, sed magis quia mala erant, vt illis deuitatis meliora eligerent & optarent: hoc est, bona tantis malis contraria. Non ista petit, sed bona, quæ dicit meliora.

Aquin. Lect. 3.

Iustitia diuina suis suffulta promissis.

Chrysost. orat. 10.

Aquin. Lect. 3.

Coloss. c. 3.

Augustin. lib. 3. cont. Cresccon. cap. 74.

Comparatiua pro positiuis nonnũquam posita.

DILVCIDATIO IV.

De promissione.

VOtum Apostoli, seu animi studium. Cupimus autem vnumquemque vestrûm eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem: vt non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones. Segnes sunt, qui sine igne, sine feruore: sed remissi, frigidi, ac languidi. Dicit ergo velle se ac multum percupere, vt primam resumant charitatem, quasi delassatam erigant pietatem; vt vnusquisque sollicitè & impigrè, idem demonstret studium, & exemplo suo frigescentem torpentémque proximum excitet Cupimus, inquit, (apud Chrysostomum) Non solùm ergo studemus, nec ad verba vsque volumus. Sed quid? Cupimus vos adhærere virtuti,

Chrysost. orat. 10.

Spes Christiana bonis operibus adimplenda.

virtuti, non tanquam priora condemnantes, sed de futuris timentes. Et non dixit, Tanquam priora condemnantes, sed præsentia. Estis enim dissoluti, facti estis segniores. Sed vide quàm placidè id ostendit, & non feriit. Quid enim dicit? Cupimus autem vnumquemque vestrûm eandem ostendere sollicitudinem vsque in finem ad expletionem spei vestræ. Spes, inquit; portat: ipsa recreat: ne affligamini, ne desperetis, ne sit vestra spes superuacanea. Negligentiam igitur arguit, pungit socordiam, sed modestè, ac discretè: sed eò faciliùs impetrat; quò mitius imperat, ac defectum prudentiùs lapsumque dissimulat. Adhærete virtutibus Christianis, studete bonis operibus tam ardenter feruentérque quàm & perseueranter: sic enim complebitur spes vestra, sic merces reposita, securior habebitur ac certior. Ne ignaui efficiamini, desides, torpentésque: sed illos æmulemini, qui diuinis credentes indubitanter promissis, & ea constanter expectantes, cœlestis facti sunt, fientque hæreditatis. Circa hoc igitur tria sunt (secundùm Aquinatem) Quia primò ostendit suum desiderium: secundò, subdit imminens periculum: tertiò, declarat per exemplum. Non sitis pigri; sed magis imitamini, accipiendo exemplum à Prophetis. Per fidem enim formatam & patientiam, acquiritur hæreditas promissa. Tum ad singularem procedit promissionem, imò communem, quia credentibus omnibus factam reddendámque contendit. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens? Nisi benedicens benedicam te, & multiplicabo te: & sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum. Sed in vtroque iuramento paulùm sistendum est, diuino scilicet & humano.

Aquin. lect. 3.

PVNCTVM I.

De diuino.

IVrauit Dominus, certum est, quia Dauid affirmauit, Paulus confirmauit: sed an propriè. Multa quippe in Scripturis sanctis dicta sunt sunt de Deo, quæ metaphoricè sunt exponenda. Tria igitur requirenda sunt. Primum, an verè iuret Deus: secundum, per quid iuret: tertium, propter quid iuret.

Quoad primum. Aliud est iurare verum, & aliud iurare verè. Ille enim verum iurat, qui veritatem iureiurando confirmat; ille autem verè iurat, qui maioris alicuius potentiorisve auctoritatem in testem aduocat ac vindicem. Quod igitur verum dicat Deus, quodque fidem obstringat ad veritatem; nulli dubium esse potest: nam vt exertè pronuntiat Paulus, nullusque reclamat apertè, Impossibile est mentiri Deum. Quod autem verè iuret

A ac propriè, potest esse cuius dubium: quam enim ille potestatem aduocabit vltricem, qui nullum agnoscit iudicem, nullum vindicem, aut digniorem, aut veriorem? Quid enim Dominus? Ecce ego iudico inter ouem & ouē, & hircos & arietes. Ecce ego iudico. Magna securitas, ait Augustinus, ipse iudicat, securi sunt boni. Iudicem ipsorum nullus aduersarius corrumpit, nullus aduocatus circumuenit, nullus testis illudit. Sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. Non talis iudicat, cui aliquid abscondatur. Nunquid enim

Augustin. Tract. de ouib. cap. 7.

B Deus iudicans, quæsiturus est testes, per quos discat quis sis? Vnde potest falli quis sis, qui nouerat quid esses futurus? Te interrogat, non alium de te, Dominus, inquit, interrogat iustum & impium. Interrogat autem te, non vt discat à te, sed vt confundat te. Iurat ergo Deus, eo modo, quo interrogat, id est suo seu diuino. Inclamat Deus, Adam, vbi es? scilicet, ait Tertullianus, ignorans vbi esset? & causato nuditatis pudore, an de arbore gustasset interrogat, scilicet incertus. Immò nec incertus admissi, nec ignorans loci. Enimuerò oportebat conscientiâ peccati delitescentem, euocatum prodere in conspectum Domini, non solà nominis inclamatione, sed cum aliquâ iam

Tertullian. lib. 2. aduers. Marc. c. 25.

C tunc admissi sugillatione. Nec enim simplici modo, id est, interrogatorio sono legendum est, Adam, vbi es? Sed impresso & incusso, & imputatiuo, Adam, vbi es? id est, in perditione es, id est, iam hîc non es, vt & increpandi & dolendi exitûs vox sit. Interrogat reuera, sed tanquam iudex reum, tanquam Dominus discipulum, tanquam vindex miserum: verius tamen meliusve aberrantem increpat, iniquitatem exprobat indignitatémque. Sic ergò reuera iurat Deus, sed tanquam supremus rerum Dominus, tanquam iudex in corruptibilis, tanquam testis infallibilis. Propterea

Eo modo iurat Deus, quo & interrogat.

D Pastores audite verbum Domini: Viuo ego, dicit Dominus Deus. Videte, inquit Augustinus, vnde cœpit. Tanquam iuratio est Dei; testificatio vitæ suæ: Viuo ego dicit Dominus. Mortui sunt Pastores: sed securæ sunt oues, Viuit Dominus, Viuo ego Dominus Deus. Verum est iuramentum, sed diuinum: quod si spectetur quoad firmitatem, promissionis proprium est; si verò promittentis subodoretur infirmitatem, non est proprium: sicque semper veritatem retinet, nec semper possidet

Augustin. Tract. de Pastoribus

E proprietatem.

Quoad secundum. Non solùm veritatem affirmat Deus, sed & iuramento suo, quasi inuicto laborantem confirmat testimonio. Iurat ergo reuera, sed iurat per seipsum, veritatemque per verum, seu verum, per veritatem confirmat. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Inde ergo Paulus: Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens, nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Sed tria difficultatem ingerunt, concutiuntque veritatem. Primum est, iuramentum istud non à Deo editum

Genes. cap. 22.

tum; sed ab Angelo. Et vocauit Angelus Domini Abraham secundò de cœlo, dicens, Per memetipsum iuraui. Verùm cum Angelus addit, Dicit Dominus palàm ostendit, non se iuramenti auctorem esse, sed relatorem: Deum esse arbitrum facti, se verò nuntium. Alterum est, quod in verbo diuino, nuda sit iuratio; in Apostolico autem testimonio sit occulta exsecratio, Nisi benedicens benedicam te. Verùm in Græcò non est εἰ μὴ, Nisi Sed ἦ μὴν Verè. Vnde Ambrosius legit, Profectò, benedicens, benedicam tibi. Quocirca soli iurationi, non autem exsecrationi locus relictus est. Tertium, in Genesi deesse geminationem, simplicémque subesse benedictionem. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, Verùm si forsan deest in Hebræo, non in Græco deest, quo vsus est Apostolus. Vnde & apud Ambrosium eodem vsum authentico: Benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum. Quasi ingens sit benedictio, vehemensque multiplicatio. Sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris. Iurauit Dominus, nec semel iurauit. Quid est, ait Augustinus, Iurauit Dominus? Ergo Dominus iurat, qui prohibet hominem à iurando! An fortè ideò magis hominem prohibet à iurando, ne periuria prolabatur: & ideò Deus magis iurat, quia non potest esse periurus? Homo enim qui per consuetudinem iurandi potest linguâ in periurium prolabi, benè prohibetur iurare. Tanto enim longius erit à periurio, quanto erit longè à iurando. Qui enim iurat homo, falsum & verum iurare potest: qui autem non iurat, falsum iurare non potest, quia omnino non iurat. Cur ergo non iuret Dominus, quando Domini iuramentum, promissionis est firmamentum? Iuret omninò. Quid ergo tu facis cum iuras? Testaris Deum. Hoc est iurare, Deum testari: & ideò molestum, ne ad aliquam falsitatem testem adhibeas Deum. Si ergo tu iurando testaris Deum, cur ergo non & Deus iurando testetur Seipsum? Viuo ego, dicit Dominus, iuratio Dei est. Sic iurauit de semine Abrahæ: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam audisti vocem meam, & non pepercisti filio tuo vnico propter me, nisi benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est ad labium maris, & benedicentur in semine tuo omnes. Et semen Abrahæ? Christus, Semen Abrahæ, accipiens carnem de semine Abrahæ. Iurat ergo Deus, sed per supremam veritatem, dum per suam iurat Maiestatem.

Iurat Deus, sed suo modo, id est, diuino.

Augustin. in Expos. Psal 109. vlt. med.

Quoad tertium. Promittit Deus, & promissum suum addito fulcit iuramento. Possessionem tibi Dominus pollicetur, (verba sunt Ambrosij) & quodam sacramenti promittit vinculo, vt constantiam tuam firmet. Neque enim ideò Deus iurat, quòd fide credentis indigeat, aut testimoniorum, adstipulationibus destitutus, suffragium sacramenti requirat, sicut homines qui fidem nobis adsciscimus sacramento, & ideò iuramus, vt credamur vera esse. Deus autē & cum loquitur fidelis est, cuius sermo sacramentum est. Non enim propter sacramētum fidelis Deus, sed propter Deum etiam sacramentum fidele est. Quare igitur Scriptura iurantem

Ambros. in lib. 1. de Abel & Cain. c. vlt.

A Deum inducit? Quia nos vsu quodam mortalium claudimur, & velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis inoluuimus, aut velut cochleæ quæ nisi intra testæ operimentum sint, spirare non possunt, nec aërem liberum capere aut sustinere: sic nos non nisi intra quædam humanæ consuetudinis latibula terrena versamur. Vnde quia illud verius solemus credere, quod iureiurando firmatur: ne nostra claudicet fides, iurare describitur. Qui ipse non iurat, sed iurantium iudex, & vltor est periurantium. Non iurat quidem ob auctoritatis inopiam, sed iurat ob præstantiam Maiestatis: non vt veritatem reddat veriorem

Iuramētum Dei, fidei humanæ firmamētū est.

B sed tutiorem? non vt fidelitati suæ caueat, sed fidei nostræ; non vt promissionem suam certiùs adimpleat, sed vt dubitationem nostram firmiùs muniat. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum. Hîc, inquit Chrysostomus, comprehendit etiam fideles. Proptera meminit huius promissionis quæ facta est communiter. Dixit ac promisit, & promissioni adiecit iusiurandum. Nam quoniam apud homines hoc vi-

Chrysost. orat 11.

C detur esse credibilius, nempe iuramentum, propterea ipsum quoque addit. Vides quòd non suam spectat dignitatem, sed quomodo hominibus persuadeat; & de se indigna sustinet, vt qui velit plenam & certam afferre probationem. Iurat ergo Deus, non sui causâ, sed nostri? & quod Maiestati suæ derogat, nostræ procurat. Iurauit Dominus veritatem, & non pœnitebit eum. Quid est, iurauit? (ait Augustinus) promissum per seipsum firmauit. Quid est, non pœnitebit eum? Non mutabit. Hoc enim sic promisit, vt non mutet: quomodo dicitur & illud, Iurauit Dominus & non

Augustin. Enarrat in Psal. 131. cit. med.

D pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Sic & hoc quia ita promissum est vt non mutaretur, quia necessariò futurum erat, & permansurum, dixit, Iurauit Dominus veritatem, & non pœnitebit eum. Non solùm voluntatem suam non mutabit, sed nec rem promissam: quia promissionem factam, seu consilium decretumve immoto firmauit sacramento.

PVNCTVM II.

De humano.

E IVrat Deus Dauidi: Iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum. Iurat Dauid Deo: Sicut iurauit Domino. Aliud igitur iuramentum diuinum, aliud humanum. Sed ex his dicendum est primò, posse hominem iurare cum laude: secundò, debere iurando, diuino conformare se iuramento: tertiò, non tam amare iuramentū, vt officium pietatis, quàm vt infirmitatis remedium.

Psal. 131.

Quoad primum. Iuramentum non solùm licitum est, sed & honestum. Habes exemplum, ait Aquinas, quòd iuramentum de se non est illicitum: quia scriptura nihil Deo attribuit, quod de se sit peccatum: intendit enim Scriptura, nos ad Deum ordinare & ducere. Ephes. 5. Estote

Aquin. Lect. 4.

A 5. Estote imitatores Dei; sicut filij charissimi. Non tantùm igitur licitum, sed & honestum, quod virtutis actum induere possit, & præmium laudis recipere. Inde vbi Dauid dixit, Sicut iurauit Domino. Statim addit, Votum vouit Deo Iacob. Quasi iuramentum ac votum eiusdem virtutis sint, eiusdemque sint religionis. Ad quam rem, ait Augustinus, Memento Domine Dauid? Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Ergo ad hoc memento, vt impleat quod promisit. Ipse Dauid vouit tanquam in potestate habens, & rogat Deum vt impleat quod vouit. Est deuotio vouentis, sed

Augustin. Enarrat. in Ps. 131. post init.

B est humilitas deprecantis. Nemo præsumat viribus suis se reddere quod vouerit. Qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat vt reddas. Nihil gratius ei possumus offerre, quàm iure iurare. Iurare, est firmè promittere. Attendite votum hoc, id est, quod vouerat quo ardore vouerit, quo amore, quo desiderio: & tamen ad hoc implendum, Dominum deprecatus est dicens, Memento Domine Dauid. Ille quidem qui voluntatem excitauit ad vouendum, sic & facultatem tribuit ad implendum: tamen sicut vouere, sic & adimplere, iurantis est, obtestantisque. Vnde & ille, Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Quasi enim quæreremus, ait

Quod vouetur, diuino impletur auxilio.

C Augustinus, quod esset, iuraui: adiunxit, & statui. Hoc enim appellauit iuramentum, quod statuit per sacramentum, quia ita debet esse mens fixa in custodiendis iudiciis iustitiæ Dei, vt sit omninò pro iuratione quod statuit. Fide autem custodiuntur iudicia iustitiæ Dei: cum sic Deo iusto iudice, nec rectè factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum. Bonum opus, iuramentum, imò & sactum, vnde & sacramentum: sed diuinum est munus; quia non tam arbitrij placitum est, quàm officium fidei: quod enim vouetur, diuino impletur auxilio.

Augustin. con. 23. in Psalm. 118. tit. med.

D Quoad secundum. Iuramentum diuinum, non tam iurandi auctoramentum est, quàm piè ac sanctè exemplum iurandi. Quod Deus tantopetè commendat, ait Tertullianus, etiam humano more sub deieratione testatur. Quid est autem deierare nisi sanctè ac piè iurare? Sicut & peierare, impiè iurare ac sacrilegè. Descendit igitur ad humanum morem Deus, vt homo ad diuinum ascendat morem; iactum veritatis ostendit Deus, vt homo fidelitatis officium perficiat. Seruauit vtique Dominus quod iurauit: (verba sunt Ambrosij) vt & tu quod iuraueris, ita noueris esse seruandum; vt quia per eum iuras qui non mentitur, scias eum futurum, si mentiaris, vltorem. Permittitur tibi iurare, sed forma ac

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 4.

Ambros. lib. 1. de Abel & Cain c. 10.

E regula tibi sancti proponitur iuramenti: improbi namque ac sacrilegi, non auctor est Deus, sed vltor. Mira est sapientia beati Pauli (ita Commentator Ambrosius) Per vices enim laudibus attollit eos ad quos scribit, per vices terroribus accidentis historiæ terret; ne infideles essent, & minùs creduli promissioni Dei. Per vices verò eos exempli hortatur ad patientiam & fidem; & vt indubitanter credant, non solùm Deo dicente, verum etiam iurante per semetipsum. Et dum ei multa suppeterent exempla sanctorum, qui per patientiam hæreditarunt promissiones Dei: præcipuè fidelis Abrahæ vsus est exemplo propter dignitatem personæ illius, & propter quod maximè in eo istud contigerit: qui longanimiter ferens, adeptus est in filiis suis repromissiones, non modò præteriti temporis, quæ in populo Dei impletæ sunt, sed magis etiam in futurum pronuntians in filios fidei Abrahæ, cuius filij sunt quos bonitas Dei de lapidibus gentium suscitauit, & fecit eos in fide esse filios Abrahæ. Nunc exemplum proponit Domini iurantis, nunc serui promissum, iuramentumque tam fideliter captantis quàm & feliciter: sed vbique, sicut promissionem intimat credentibus, sic & imitationem à fidelibus postulat.

Comment. Ambros.

Filij Abrahæ in promissione cōprehensi.

Quoad tertium. Bonum quidem iuramentum: sed eo modo quo medicina, quæ licet bona, toleratur tamen potius quàm amatur: non enim quæritur à sanis, sed infirmis impenditur. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quibus tria sunt expendenda, Primum est, quod homines per maiorem sui iurant. Et hoc quidem rationabiliter: vt aduertit Aquinas) Nihil enim aliud est iurare, nisi dubium confirmare. Sicut ergo in scientiis nihil confirmatur, nisi per id quod est magis notum, ita quia nihil certius est apud homines, quàm Deus, ideo per ipsum tanquam per maius & certius iuratur. Et ipse Deus per maiorem iuraret, si haberet superiorem: sed quia non est alius Deus, per seipsum iurat, & iurando nullum omninò alium esse Deum confirmat. Hic ergo defectus in humano iuramento, quòd homo hæreat in dubio, potentiorisque ac melioris egeat suffragio. Sed si primum in defectu est, & alterum est in effectu. Cum enim dicit, Ad confirmationem, ponit effectum iuramenti, qui, (vt & ille ait) in hoc consistit, quod per iuramentum quid confirmatur. Sicut enim in scientiis, quando resoluitur vsque ad prima principia demonstrabilia, quiescitur; ita diuinâ lege introductum est, quòd cum peruenitur ad primam veritatem, est status: quod fit, quando ipsa in testimonium inuocatur, Exod. 22. Applicabitur ad Deos, & iurabit. Tertium est de vsu, sicut secundum de effectu, & primum de defectu. Ad quid inuentum est iuramentum? ad controuersiam sopiendam. Et hoc malum, quòd disputent homines ac litigent. Sed hoc amoto malo, iuramentum non est necessarium. Optandum ergo vt nulla sit controuersia, vt non sit necessarium tanti mali remedium. Mentiri, ait Hieronymus, atque iurare lingua tua prorsus ignoret: tantusque in te sit veri amor, vt, quidquid dixeris, iuratum putes. De quo Saluator ad Discipulos suos ait: Ego autem dico, nō iurare omninò. Sit autem sermò vester, est, est non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. In omni igitur actu, atque verbo, quieta mens & placida seruetur: semperque cogitationi tuç, Dei præsentia occurrat. Si non essent homines mali, mendaces, perfidi, isto non egerent remedio; quod nonnunquam emplastrum potius iniquitatis est, quàm veritatis suffragium. Permittitur tamen, probationibus deficientibus, iurare ac deiecrare: sed sicut deieranti magna iniungitur reuerentia, sic & peieranti tremenda vindicta indicitur.

Aquin. Lect. 4.

Aquin. Ibidem.

Hieronym. epist. 14 circa med.

Probandus effectus iuramenti; abusus damnandus.

DILVCIDATIO V.

De spe.

EXcidit nobis Tertulliani liber, inscriptus, De spe fidelium. Solus remansit titulus: sed ex ipso titulo liquet aliam esse hominum spem, & aliam spem fidelium: illi enim humana sperant, id est carnalia ac temporalia; isti, diuina, id est, spiritalia & æterna desiderant & expectant. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus: qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad inter ora velaminis, vbi præcursor pro nobis introit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Spes igitur fidelium tuta est ac firma non minus quàm anchora, imò magis tuta & firma quàm anchora: minus enim dicit Paulus, sed plus conferendum concludendúmque relinquit. Tria sunt igitur, in quibus anchora naualis vincitur à spe Christianâ. Primum est, quia illa in imò figitur, ista in summo: alterum, quia illa nauim moratur ne in portum tendat, ista animam ad cœlum subleuat: tertium quia illa innititur arenæ, ista diuinæ Prouidentiæ.

Calab. li. 11. Quoad primum. Anchora quidem de prorâ iacitur, vt stent in littore puppes: sed quò iacitur? Anchoras in profundum iecerunt. Et quò profundiores, eò tutiores. Versamur in hoc mundo, tanquam in solo, turbinibus concitamur, agitamur tempestatibus: iacienda est anchora, quâ stare possit nauis, ac constare? Sed quò iacienda? Homines, non tam iaciunt quàm in imum profundumque deiiciunt; & eo se tutiores putant, quo ditiores, quo magis infirma ista ac terrena bona cumulant: fideles verò non tam proiiciunt quàm erigunt, seque immotos credunt ac securos, dum terrena constanter despiciunt, incessanter suspiciunt cœlestia. Illi cogitant temporalia, & amittunt æterna, isti spirant æterna, & terrena etiam in spem & contra spem recipiunt. Quia enim dicit Apostolus ad Timotheum, Promissionem habens vitæ præsentis & futuræ: ne, inquit Augustinus, putarent illi qui intelligunt super egenum & pauperem, recipiendos quidem se esse in cœlum, sed negligi in terrâ; & non sperarent, nisi quod futurum est in æternum, quod autem præsens est putarent Deum non curare in sanctis & fidelibus suis: vbi Psaltes dixit quod maximè expectare debemus, Dominus conseruet eum, & viuificet eum, respexit & ad istam vitam: Et beatum, inquit, faciat eum in terrâ. Erige ergo oculos in hæc promissa Christianâ fide: non te deserit Deus in terrâ, & aliquid promittit in cœlo. Multi enim mali Christiani inspectores ephemeridarum, & inquisitores atque obseruatores temporum & dierum, cum cœperint ibi obiurgari à nobis, vel à quibusdam bonis melioribusque Christianis, quare ista faciant, respondent: Hæc propter tempus hoc necessaria sunt, Christiani autem sumus propter vitam æternam. Propterea in Christum credimus, vt det nobis vitam æternam: nam vita ista temporalis in quâ versamur, ad curam ipsius non pertinet. Relinquitur ergo, vt hoc breuiter dicant, vt propter vitam præsentem Diabolus colatur. Respondit illis ipse Christus: Non potestis duobus dominis seruire. Et alium colis propter id quod expectas in cœlo, & alium colis propter id quod expectas in terrâ. Quanto melius vnum colis, qui fecit cœlum & terram? Qui curauit vt esset terra, imaginem suam non negligit in terrâ.

(Augustin. Enarrat. in Psal. 40. post init.)

(Qui fecit terrena, imaginem suam in terrâ non deserit.)

Anima etiam Christiana non nutat tantùm, sed & natat. Mutatio enim voluntatis, vt dixit Seneca, indicat animum natare alicubi atque alicubi apparere, prout tulit ventus. Itaq; firmâ tutaque fundanda est anchorâ: nam, vt idem dixit & ibidem. Non vagatur quod est fixum ac fundatum. Sed vbi figenda est anchora? An in imis & infimis bonis, Id agunt mali, & pereunt. An in summis æternisque, Id agunt boni, & bonis suis consulunt. Modò, inquit Augustinus, si amicus tuus intraret in domum tuam, & inueniret te in loco humido frumenta posuisse, qui fortè sciret naturam corruptionis frumentorum quam tu nescires: daret tibi huiusmodi consilium, dicens: Frater, perdis quod cum magno labore collegisti in loco humido posuisti, paucis diebus ista putrescunt. Et quid facio, frater? Leua in superiora. Audires amicum suggerentem, vt frumenta leuares de inferioribus ad superiora; & non audis Christum monentem, vt thesaurum tuum leues de terrâ ad cœlum, vbi non hoc tibi reddatur quod seruas: sed serues terram, accipias cœlum; serues mortalia, accipias sempiterna? Ibi ergo figendus est animus, Deique regnum principaliter quærendum à nobis Christianis, Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Hæc animæ Christianæ anchora, firmiter constantérque retinenda.

(Sen. epist. 35.)

(Augustin. con. 1 in Psalm. 48. circa med.)

Quoad secundum. Anchora quidem naualis, fundat firmatque, sed & tenet detinetque nauim, ne portum tangat; spes verò, seu anchora cœlestis, animam in cœlum promouet. Stemus, ait Tertullianus, expedit ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Retinacula ista sunt spei nostræ. Retinacula quia retinentia. At spem habemus, velut anchoram animæ, tutam; nec solùm fulcientem, sed, Et incedentem vsque ad interiora velaminis. Quid incedentem? Procedentem. Cum enim adhuc simus in mundo, vt loquitur Chysostomus, & è terrâ nondum excesserimus, ostendit iam esse in promissis. Nam per spem iam sumus in cœlis. Expectate, inquit: omninò enim erit. Sicut enim anchora naui appensa, non sinit eam circumferri, etiamsi venti eam quatiant innumerabiles, sed appensa firmam reddit & stabilem: ita etiam spes. Non tamen dixit, Sumus intus: sed ipsa est ingressa. In ipsis enim qui sunt defessi & debent spe portari, conuenienter hoc Paulus posuit. Anchoram autem non dixit absolutè, sed firmam ac stabilem; quæ ingreditur interiora velaminis, id est quæ peruadit vsque ad cœlum: Vt autem non solùm sit spes,

(Tertullian. lib. de cult. fæmin. cap. 13.)

(Chrysost. orat. 11.)

(Præcursor & secutor eandem tenent viam.)

spes, sed etiam valdè vera: post iusiurandum ponit etiam aliam per res ipsas demonstrationem, nempe quod Præcursor pro nobis introiit Iesus. Non dixit solùm, Introiit; sed, vbi Præcursor pro nobis introiit, vtpote quòd nos quoque debeamus eò peruenire. Non est enim multum interstitium inter præcursorem, & eos qui sequuntur. Nam & præcursorem & eos qui sequuntur, oportet esse in eadem viâ, & consequi. Hoc ergo mirum, quod spes animam teneat immobilem, & tamen promoueat; quòd firmam præstet ac stabilem, & tamen excitet, conducat & inducat. Vnde, vt ait Ambrosius, Apostolus gloriatur, dicens: Quia spe salui facti sumus. Saluat enim spes, sicut & fides, de quâ dicitur: Fides tua te saluum fecit. Ergo creatura quæ non sponte, sed in spe vanitati subiecta est, spe saluatur, sicut & Paulus cum sciret lucrum sibi esse mori, vt cum Christo esset solutus corpore, permanebat in carne propter eos quos Christo acquireret. Spes autem quid est, nisi futurorum expectatio? Vnde ait, Spes autem quæ videtur, non est spes. Non enim quæ videntur, sed quæ non videntur æterna sunt. Illa est spes nostra quæ incedit, ducitque ad æterna & inuisibilia; quæ iam occupauit Christus; nec solùm viam demonstrauit quâ sequamur, sed & gratiam quâ assequamur; imò & gloriam quâ fruamur, præparauit. Seipsum enim obtulit in sacrificium, & adhuc intercedit apud Patrem: Pontifex enim in æternum pro nobis factus est secundùm Melchisedech ordinem.

Ambros. epist. 39.

Quoad tertium. Figitur quidem anchora, sed in arenâ, quâ nihil mobilius, sed spes nostra, diuinâ nititur Prouidentiâ. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus. Non contentus fuit Deus affirmare, voluit & iurare. Si solùm dixisset, si solùm promisisset, res tam infallibilis fuisset, quàm & inuiolabilis: non enim falli potest summa veritas, nec decipere summa bonitas, nec deficere aut impediri potestas infinita: quid ergo, si confirmat iuramento, spemque nostram, seu rem promissam, firmissimo illigat vinculo? Vanæ spes hominum in hoc seculo, ait Ambrosius, qui ea quæ non sunt, tanquam quæ sint, sequenda arbitrentur. Itaque inanes & vacuæ rerum species tamquam in somno venerunt, abierunt, adstiterunt, euanuerunt. Circumfusæ & dispersæ sunt, teneri videntur, & non tenentur. Denique vbi quis audiuit dicentem: Surge qui dormis, & de seculi istius somno exurrexit: falsa hæc intellexit omnia: euigilauit, & fugit somnium, fugit potestas, abiit cura patrimonij, formæ venustas, bonorum studium. Hæc enim somnia sunt, quibus non mouentur qui vigilant corde, sed dormientes exagitantur. Vadatur hunc sermonem meum sanctus vir Ioseph, non esse perpetua nec diuturna quæ sunt huius seculi, qui ab initio nobilis genere, censu diues ignobilis seruulus, (& quod ipsam seruitij vilitatem acerbat) degeneris domini ære emptum mancipium. Spes igitur mundanæ, leues, auolaturæ: sed illæ quæ diuinis subnixæ sunt promissis, securæ sunt, inuiolabiles, duraturæ. Intolerandæ, ait ille, præsumptionis videretur, dicere Deo, Suscipe me, nisi promissum eius adiungeret, Secundùm eloquium tuum: hoc est, Vt hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus, quoniam nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographum mortis, tu fecisti chirographum vitæ. Ergo non confundas ab expectatione suâ seruulum tuum, quia in te spero. Spes enim non confundit. Et si tribulamur, patientiam subministra, vt ferre possimus: vt quia te expecto, non opprimar infirmitatibus, non succumbam tentationibus, non affligar procellis, in quibus est probanda patientia, vt probatio consequatur spem, quæ confirmat & roborat, quæ non confundit. Hoc est, frangimur frequenter laboribus, fatigamur: sed si spes desit, confundimur, & totâ mente turbamur. Esto enim sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas: si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur si fides desit, cuius radix spes est. Ideóque qui benè sperat, dicit: In te confido, non erubescam. Et benè ait, Confido. Robur enim spei nostræ, & quædam sperantis auctoritas, confidentia est. Spera igitur semper, & nemo te ab expectatione confundit. Expectatio nostra, vita æterna est: expectatio nostra, est regnum Dei, Angelorum consortium, benedictiones sunt spiritales. Spera quotidie. Finem ista res non habet, nescit inducias. Valida consolatio, & vt habet Græcum παράκλησις, exhortatio potentissima: nauali etenim anchora deficit, spiritalis illa nusquam confundit.

Ambros. epist. 19.

Spes mundanæ, leues, auolaturæ sunt.

Ambros. in Psalm. 118. octon. 14.

CAPVT



CAPVT SEPTIMVM.

Summa.

CHristus ſponſor teſtamenti melioris,& nobilioris auctor Sacerdotij factus eſt; nec per Aaron,ſed per Melchiſedech adumbratus.

TEXTVS.



I C enim Melchiſedech, Rex Salem,Sacerdos Dei ſũmi,qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham:primùm quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt, Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei,manet Sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filiis Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis: quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit. Sine autem vllâ contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur. Et hîc quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia viuit. Et (vt ita dictum ſit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech. Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Tranſlato enim Sacerdotio, neceſse eſt vt & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de quâ nullus altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.Et amplius adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius,& inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum eſt non ſine iureiurando (alij quidem ſine iureiurando Sacerdotes facti ſunt; hic autem cum iureiurando,per eum,qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum:tu es Sacerdos in æternum)in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum

perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo. Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.

EXEGESIS LITERALIS.

EXCLVSO Sacerdorio Leuitico, æternum Chriſti Sacerdotium ſtabilitum eſt; cuius virtus æterna eſt, cuius tanta poteſtas eſt, quanta & vtilitas.

Hic enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham: &c. Voluebat myſterium in animo, ſed filum abruperat ex inſtituto; vt attentionem acueret, tantive capacem redderet Sacramenti. Reſumit ergo, aitque Chriſtum ingreſſum in ipſa Sancta Sanctorum, ad cœlorum ſcilicet intima ſeu ſuprema ſubleuatum: factus eſt enim à Patre Sacerdos in æternum, non tamen ſecundum Aaronis, ſed ſecundùm Melchiſedech ordinem: id eſt, eò præcellentiorem, quò ſublimiorem. Nunc ergo aggreditur, & quod non tam promiſerat quàm attigerat, exequitur. Fert ſane Apoſtoli animus, quid inter Nouũ Vetuſque Teſtamentum interſit, oſtendere. (Comment. Athanaſ.) Quod etiam ſtatim in ipſis Epiſtolæ primordiis prætulit, inquiens: Olim quidem locutus eſt Patribus Deus per ſeruos Prophetas, nobis verò in filio, id eſt, in Nouo Teſtamento. Et quoniam auditores infirmi erant & imbecilli, ad quos iſtiuſmodi perſcribebat, vtpote qui ægrè ferrent preſſuras, hos interea collapſos animo reficit. Et cum eos ſatis ad tolerantiam reuocaſſet, rurſum de Noui Teſtamenti præſtantiâ ſermonem inducit. Sed vide quàm prudenter id agat. Oſtendit enim Melchiſedech, qui Chriſtum præfiguraret, dignitate Abraham anteire. Non enim ſi illum non anteiſſet, fuiſſet benedictis hunc proſecutus, vel eius decimas excepiſſet. Quanto igitur magis vetus ille Melchiſedech Chriſtus, ceteros ſuâ magnitudine anteibit? Ita Commentarius Athanaſius. Primùm quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt, Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum &c. Pendulam abſoluit orationem, & hiantem animam, ſenſim ac paulatim ad Chriſtum ipſum deducit. Hic ergo Melchiſedech, Sacerdos Dei altiſſimi, qui obuiauit Abrahæ de cæde Regũ reuertenti, cui & benedixit, à quo & decimas ſpoliorum accepit: ille, qui primùm ex interpretatione nominis dicitur Rex iuſtitiæ: tum & dominatione ciuitatis præcipuæ, Rex intelligit pacificus: ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, ſine patre ſine matre, ſine genere & ſtirpe in diuinis intro- (Melchiſedech quomodo in ſacris introductus ſcripturis.) ductus ſcripturis; in quibus nec quãdo natus ſit refertur, nec quando mortuus, ſicque Filij Dei ſimilitudinem geſtans, & imaginem eius in his omnibus præfigurans; & in eo etiam repræſentat, quod ſacerdotium eius ex iiſdem ſcripturis in æternum conſiſtat. Intuemini autem, quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filiis Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis: quamquam & ipſi

B exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit. Sine vllâ autem contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur &c. Attendite & expendite, quantus ſit iſte, cui Abraham Patriarcha decimas de opimis obtulit ſpoliis, in quas ſcilicet meliora quæque ac præſtantiora deſtinauit. Et ij quidem qui Leuitico funguntur ſacerdotio, iubentur à populo decimas accipere ſecundùm legem, id eſt à fratribus ſeu, ſeu eiuſdem gentis & generis homi-

C nibus, quamquam & ipſi ex eodem Patriarcha Abraham ſint exorti: ille verò qui inter eos nuſquam recenſetur, vt qui ex ipſorum maioribus oriatur, accepit decimas ab Abrahamo oblatas. Quantus & ille, qui ipſummet, cui factæ erant promiſſiones, benedixit: ſine vllâ autem controuerſiâ, minor à maiore benedicitur, à potiore ac digniore, ideoque meliore: quod enim excellentius, id melius dicitur. Oſtendit, ait Ambroſius, & honorabiliorem eſſe illum ex communi omnium iudicio: omnibus enim luce clarius videtur, quòd minor à maiore benedicitur. (Ambroſ. id Paulum.) Proinde melior eſt typus Chriſti, etiam

D eo qui promiſſiones habebat.

Et hîc quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia viuit. Et (vt ita dictum ſit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech &c. Et quidem ſecundùm legem, homines mortales, decimas accipiunt: in ſcripturâ autem, nec mortis Melchiſedech, nec ſucceſſoris vlla fit mentio. Quin, vt ita dicam, ipſe Leui, qui decimas accipit, in Abrahamo patre decimas Melchiſedech obtulit Sacerdoti: quando enim decimas dedit Abraham, Leui cum totâ ſua tribu, adhuc erat in lumbis eius, & per eum decimas pendebat oblatas. Abraham enim decimato, vt loquitur Aquinas, decimatus eſt etiam Leui. (Aquin. lect. 2.) Cum totâ ſcilicet poſteritate ſuâ, ac proſapiâ: quando enim dedit, pro ſe, ſuiſque obtulit. Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit)

accepit (quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm Aaron dici? &c. Si ergo consummatio, τελείωσις, perfectio, iustificatio, & naturæ damnatæ reconciliatio expectanda erat ab antiquis sacrificiis: (tempore enim Leuitici sacerdotij, Lex data est, & per sacras exposita ceremonias) quid vltra fuit opus, vt alius diuersusve oriretur Sacerdos, & non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech diceretur? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & Legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu est, de quâ nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est &c. Cessit ergo Sacerdotium Leuiticum meliori ac præstantiori: at ablato Sacerdotio & in dignius excellentiúsque translato, cessit etiam Lex: indiuidua quippe Sacerdotij & Legis est concordia. Diuersum igitur à priori seu veteri admittendum est Sacerdotium: ille namque, ad quem εἰς ἀεὶ dicitur, Tu es Sacerdos in æternum, cum filius sit Dauid, ideóque de tribu Iuda sit exortus; in quâ Sacerdotium non est institutum: constat in Christo & per Christum de tribu in tribum esse translatum. Et amplius adhuc manifestum est: si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos, qui non secundùm Legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Et inde clariùs manifestiúsque concludendum, Legem auferendam seu transferendam? quod si alius exurgat Sacerdos iuxta typum Melchisedech, qui non secundùm legem carnalis successionis creatus sit, sed secundùm virtutem diuinam quæ vitam ipsi præstat immortalem, ex Dauidico nimirum oraculo: Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit prioris mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim enim ad perfectum adduxit Lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum &c. Hoc est quod concludendum est, tanquam clarum manifestúmque. Vno enim abrogato, alterum admittendum est? per quod introducimur ad Deum, dum perfectam assequimur iustitiam. Reprobatio, ait Chrysostomus, est abrogatio & deletio eorum quæ vim habebant & valebant. Profuit quidem, & valdè profuit, sed ad reddendum perfectos nihil profuit. Quid est enim, Nihil ad perfectum adduxit? Neminem fecit perfectum.

Indiuidua Sacerdotij & Legis concordia.

Chrysost. orat. 13.

Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt; hic autem cum iureiurando, per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum,) in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Iesus &c. Et in quantum, non sine iureiurando, Iesus Sacerdos factus est (nam alij quidem sine iureiurando facti sunt Sacerdotes, Christus autem factus est Sacerdos, cum iureiurando Dei Patris, qui, Dauide teste, dixit ad Deum, Tu es Sacerdos in æternum: non enim solùm id dixit,

A sed & iurauit, quod ratum fixumque esse voluit) in tantum nobilioris ac præstantioris Testamenti fideiussor mediatorve institutus est. Sicut ille permanet, ait Ambrosius, sic etiam & lex quam attulit, permansura est, in quâ est vera peccatorum remissio, & perpetuæ perceptio gratiæ. Parùm interest siue Legem dicas, siue Sacerdotium: vnum enim pactum est, secundùm institutionem vnum, & testamentum. Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis &c. B Et Sacerdotes quidem Leuitici, etiam summi, plures facti sunt, eo quod non permanerent, sed alij per mortem aliis succederent: Christus autem eò quod Sacerdos in æternum à Patre constitutus sit, nunquam ad alium per successionem transit eius Sacerdotium. Vnde & eos qui ad Deum per ipsum accedunt, potest saluare ad perfectum. In Græco, εἰς τὸ παντελές. Gratiam conferre potest & gloriam: semper viuens, semperque pro saluandis intercedens, & perpetuum pro ipsis exercens Sacerdotium. Talis enim decebat, vt C nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offendo &c. Nos per se commendat, nos per se Deo Patri reconciliat. Oportebat enim vt talis esset nobis Pontifex, tam omni plenus iustitiâ, quàm ab omni alienus malitiâ, nullâ peccati inquinatus maculâ à peccatorum vitâ & moribus longè positus, & suprà creaturam omnem, non solùm humanam, sed & Angelicam, seu spiritalem sublimatus: qui non egeret, sicut Pontifices Leuitici, quotidie pro peccatis propriis D hostias offerre, deinde pro aliis hoc enim fecit semel, cum seipsum pro nostris peccatis obtulit. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: Sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum. Lex enim admittit Pontifices peccatores, infirmos, & in lapsum seu peccatum pronos: Sermo autem iurisiurandi, quod post Legem fuit, Dauide scilicet pronuntiante, filium constituit in æternum perfectum. Aduertè disiunctionem (ait Athanasius (Ibi enim lex dicitur, hic iusiurandi sermo: id est, firmissimus, verissimúsque. Ibi homines, & seruitute omnes obstricti, hîc filius simul & E Dominus. Illi infirmi, hoc est, delinquentes & peccato obnoxij, ac morti subiecti: hic in æternum perfectus, sempiternus, & potens: nec solùm cum inter homines ageret, sed perpetuò delicti est expers. Idcircò dignus semper Pontifex & acceptus.

Ambros. in Paulum.

Sacerdotiũ Christi nec cessat, nec ad alium migrat.

Athanas. in Paulum.

DILVCIDA

DILVCIDATIONES
in Caput Septimum.

MEntem ostenderat Apostolus, sed sermonem non tam suppresserat, quàm distulerat. De quo nobis grandis sermo. En ergo sermo ille interpretatu quidem difficilis, sed effatu vtilis, cum imago sit, & Christiani similitudo Sacerdotij.

DILVCIDATIO I.
De Melchisedech.

PRopositus est Melchisedech, tanquam Christi typus, seu æterni Sacerdotij: sed multa sunt elucidanda, circa personam, regiam, genealogiam.

PVNCTVM I.
De personâ.

IN personâ tria spectanda sunt, antiquitas, dignitas, sanctitas: hæc enim si non sunt à Paulo clarè demonstrata, certè sunt indicata.

Hieronym. epist. 126. init. Quoad antiquitatem. Non solùm antiqua, sed & Famosa quæstio, vt loquitur Hieronymus, super Pontifice Melchisedech: vt quis ἀνώνυμος docere conatus sit, eum qui benedixerit tanto Patriarchæ: diuinioris naturæ fuisse, nec de hominibus æstimandum. Et ad extremum ausus est dicere, Spiritum sanctum occurrisse Abrahæ, & ipsum esse; qui sub hominis figurâ visus sit. Si sic esset, non tam scrutanda antiquitas esset, sed æternitas veneranda. In fronte Geneseos, ait ille, in primâ Homiliarum Origenis reperi scriptum de Melchisedech: in quâ multiplici sermone disputans, illuc deuolutus est, vt eum Angelum diceret: iisdemque pene argumentis, quibus alius scriptor de Spiritu sancto, ille de supernis virtutibus est locutus. Iam quidem æternus non esset tamen antè omnes homines editus. Temperat Theodotus apud Tertullianum nec minus tamen penes ipsum aberrat Ipse, inquit, introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto; ex Mariâ Virgine conceptum pariter & natum; sed hunc inferiorem esse quàm Melchisedech, eò quod dictum sit de Christo: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Nam illum Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem: eò quòd agat Christus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipsorum factus: Melchisedech facere pro cœlestibus Angelis atque virtutibus: nam esse illum vsque adeò Christo meliorem: vt apator sit, ametor sit, agenealogetus sit; cuius neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit. Nugæ & fabulæ: vnde & inter hæreticas fabulas à Theodoreto numerata. Vana igitur Hæreticorum opinio: sed quanta Iudæorum traditio? Quia semel, (verba sunt Hieronymi) opusculum nostrum, vel quæstionum Hebraicarum, vel traditionum congregatio est; propterea, quid Hebræi de hoc sentiant, inferamus. Aiunt hunc esse Sem filium Noë: & supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac vsque vixisse: omnesque primogenitos Noë, donec Sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse Pontifices. Sed vltima verba suspectam reddunt traditionem &, humanam, id est infirmam opinionem faciunt: nec enim Abel aut Abraham erant primogeniti, & tamen sacerdotio functi sunt, dum sacrificarunt ex officio; ille ante Noë, iste etiam post Noë. Imò quid moratur Sem apud Chananæos, vtpote extraneos: cum maximè Melchisedech ille sit. Cuius generatio non annumeratur in eis. Scilicet in posteris Sem: adeò illi tam regione diuersi quàm genere Verti me ad Hippolytum. (verba sũt Hieronymi) Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emisenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, contra Arium clarissimâ tubâ bellicum cecinit; & deprehendi, horum omnium opiniones diuersis argumentationibus ac diuerticulis ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent, Melchisedech hominem fuisse Chananæum. Certè, si Sem & Melchisedech, eadem esset persona; tam certa nobis esset antiquitas, quàm nota posteritas: sed cum vir ille Chananæus, sine patre sine matre, imò sine initio sit introductus: manifestum est quidem fuisse coæuum Abrahæ: sed multò seniorem, vel paulò iuniorem definire, si non temerarium, certè non est tutum.

In Supplem. Tert. c. vlt.

Hieronym. in trad. Heb. sup. Genes.

Non soli primogeniti antiquo functi Sacerdotio.

Hieronym. epist. 126. post init.

Quoad dignitatem. Non solùm Rex fuit, sed & Sacerdos Dei summi. Id est Dei veri: qui idcircò dicitur excelsus seu altissimus, quia dignitas seu maiestâs ex summo supremóve concipitur imperio. Et quidem terra Chanaam, referta erat idolis, seu Diis falsis, ideóque & sacrificulis tam variis, quàm & vanis. Sed Melchisedech verus Dei veri adorator, ideò sacrificator dignissimus. Erat enim Sacerdos Dei altissimi. Nec mirum inter Chananæos reperiri aliquem verum ac legitimum Dei excelsi cultorem, cum inter Idumæos, Iob Sacerdos fuerit Dei summi, totiesque sacrificauerit. Nec immeritò, ait Gregorius, inter Hebræorum vitas, in auctoritatis reuerentiam vita iusti Gentilis adducitur; quia Redemptor noster sicut ad redemptionem Iudæorum & Hebræorum venit, ita vtrorumque vocibus prophetari voluit: vt per vtrumque populum diceretur, qui pro vtroque populo quandoque pateretur. Vir itaque iste summis virtutibus fultus, sibi notus erat & Deo: qui si non flagellaretur, à nobis nullatenus agnosceretur. Solus sanè sibi notus

Genes. c. 14.

Greg. præf. in Exposit. cap. 2.

Tria dignitatis sacerdotalis insignia.

Melchisedech, & Deo: qui si non nominaretur, à nobis nullatenus agnosceretur. Scimus tamen vtrumque legitimum fuisse sacerdotem, & omisso Iobo, tria veri sacerdotij vestigia in Melchisedech deprehendimus. Primum est, quod panem & vinum obtulerit; alterum, quòd Abrahæ benedixerit; tertium, quod decimas acceperit. At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt: & dedit ei decimas ex omnibus Hæc enim tria sunt sacerdotalis dignitatis seu priuilegia seu insignia. Nec mirum, ait Hieronymus, si Sacerdos Dei altissimi describatur absque circumcisione, & legalibus ceremoniis, & genere Aaron: cum Abel quoque, & Enoch, & Noë placuerint Deo, & victimas obtulerint: & in Iob volumine legerimus, quòd ipse & oblator munerum fuerit, & Sacerdos & quotidie pro filiis suis hostias immolarit: & aiunt ipsum quoque Iob non fuisse de genere Leui, sed de stirpe Esaii. Quomodo autem Noë inebriatus in domo suâ, & nudatus atque derisus à Mediano filio, typum Saluatoris præbuit, & Cham populi Iudæorum: Samson quoque amator meretricis & pauperis Dalilæ, multo plures hostium mortuus quàm viuus occidit, vt Christi exprimeret passionem: omnesque penè sancti & Patriarchæ & Prophetæ, in aliquâ re figuram expresserunt Saluatoris: sic & Melchisedech, eo quòd Chananæus fuerit, & non de genere Iudæorum, in typum præcessit Sacerdotis filij Dei. Solus quippe & Rex fuit & Sacerdos, & antè circumcisionem functus sacerdotio, vt non Gentes ex Iudæis, sed Iudei à Gentibus sacerdotium acceperint; neque vnctus oleo sacerdotali, vt Moysi præcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate; neque carnis & sanguinis victimas immolauit, & brutorum animalium sanguinem desterâ suscepit, sed pane & vino simplici puróque sacrificio, Christi dedicauit Sacramentum.

Genes. c. 14.

Hieronym. epist. 126.

Quoad sanctitatem. In tantum sanctus, in quantum iustus. Rex autem iustitiæ fuit, ideoque non solùm iustus, sed & iustissimus iuxta ac sanctissimus. Ante legem Moysi scriptum in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, (ita Tertullianus) quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Nam vnde Noë iustus inuentus, si non illum naturalis legis iustitia præcedebat? Vnde Abraham amicus Dei deputatus, si non de æquitate & iustitiâ legis naturalis? Vnde Melchisedech Sacerdos Dei summi nuncupatus, si non antè Leuiticæ legis sacerdotium Leuitæ fuerunt, qui sacrificia Deo offerebant? Vt non iam ad Moysi legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus & Gentibus exhibuit, & repromissam per Prophetas in melius reformauit. Melchisedech ergo summi Dei sacerdos incircumcisus, & non sabbatizans, ad sacerdotium Dei allectus est. Quasi ex prærogatiuâ sanctitatis, seu pro pietatis excellentiâ. Quis enim hic, & quantus est, ait Auctor apud Augustinum, ad cuius comparationem minor dicitur Abraham, quem constat in omnibus fidelibus, signum habere nobilitatis ac fidei. Quâ enim iustitiâ, quibus operibus plus posset mereri, quàm meruit Abraham. Qualis namque Abraham, & cuius meriti est, qui antè mandata Saluatoris impleuit, quàm prædicarentur? Apostolus hospitalitatem sectandam magnopere docet: hanc Abraham sic & deuotè excoluit, vt videatur ab hoc didicisse Apostolus prædicandam. Quis autem ambigeret regulam traditionis Dominicæ, quâ benedicuntur subiecti à Domino, illum meliorem esse iis, qui benedicuntur? Denique qualis ille & quantus, qui ob lucem sanctitatis in suspicionem venit diuinitatis; qui Angelus putatus est, qui supremâ maiestate, vel Angelicâ subnixus puritate? Imò qualis & quantus, qui typum gessit Christi, qui summi mysterium prætulit sacerdotij? Cum enim, vti dixit Ambrosius, ab Aaron per genus ducta successio, generis magis teneret hæredes, quàm iustitiæ consortes, propterea ad typum illius Melchisedech, quem in Veteri Testamento legimus, verus Rex pacis, verus Rex iustitiæ venit: hoc enim habet nominis interpretatio. Delineauit, nimirum ille, quod Christus consummauit; quod prætulit ille per sanctitatem, per potestatem Christus contulit.

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. 2. & cap. 3.

Multi sine Mosaicis ceremoniis Deo grati.

Auctor quæst. vtriusque testa men. q. 109.

Ambros. epist. 25.

PVNCTVM II.

De Regiâ.

Videas summum Pontificem, ac præclarum Regem; nec tamen minùs pium teneas aut humilem. Eos enim à societate Christianæ humilitatis non debemus excludere, (verba sunt Ambrosij) qui ampla prædia, magnifica patrimonia, & multas in hoc seculo possident facultates? cum in populo Dei multi semper qui diuitiis benè vterentur extiterint, nec vllo modo vel dici vel cogitari licet quòd Abraham & Isaac & Iacob, quorum se esse Deum Dominus protestatus est, ideò verâ humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod vir sacratissimus Melchisedech, Domini & Saluatoris nostri præferens formam, non fuerit perfectè humilis, quia & sacerdotio eminebat & regno. Vel quod beato Iob ideò virtus ista defuerit, quia erat magnus; ille inter omnes Orientales. Absit ab animis fidelium tam religiosa persuasio, vt cuiquam sanctorũ, quibus Deus & diuitias est largitus & honores, ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur vel opulentia obfuisse vel dignitas, cum eis ad huius virtutis prouectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio sit super terram, & tam abundantia quàm inopia, materia soleant esse peccati, cum vel diues extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam, extiterunt tamen omni tempore, & in nostrâ quoque ætate non desunt sicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Vnus ergo ex illis Melchisedech, qui Rex quidem, sed Rex Pacis; cuius virga, sit æquitatis virga? sicut vita, norma sit sanctitatis. Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso

Ambros. epistol. 31.

Tam inopia quàm abundantia peccati sunt materia.

Chrysost. orat. 12.

regressó à cæde Regum. Cum breuiter Paulus totam posuisset narrationem, (ita Chysostomus) eam mysticè est contemplatus. Et primùm à nomine. Primum quidem, inquit, interpretatur Rex iustitiæ. Sedech enim dicitur iustitia, Melchi autem Rex. Deinde autem Rex Salem, à ciuitate. Hoc est, Rex pacis. Vides etiam in nominibus accuratã diligentiam? Non enim appellatio vana, vel vacua nomenclatio.

Et quidem quod Melchisedech Rex fuerit pacificus, nec tam armis fretus quàm sacrificiis, inde patet, quod Regibus vicinis vndiquaque perstrepentibus, & ad cædẽ ignéque accinctis; ipse quietus manserit, sacro potius quàm cruento intentus ministerio, dissidiorum pacator potius quàm bellorum incentor. Factum est in illo tempore, vt Amraphel Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti, & Chodorlahomor Rex Elamitarum, & Thadal Rex Gentium, inirent Bellum contra Bara Regem Sodomæ, & contra Bersa Regem Gomorrhæ, & contra Sennaab Regem Adamæ, & contra Semeber Regem Seboim: contraque Regem Balæ, ipsa est Segor. Et egressi sunt Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, Rexque Adamæ, & Rex Seboim necnon & Rex Balæ quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle syluestri: scilicet aduersùs Chodorlahomor Regem Elamitarum, & Thadal Rex Gentium, & Amraphel Regem Sennaar, & Arioch Regem Ponti: quatuor Reges aduersus quinque. Quid inter tot Reges Melchisedech, tam turbulentos quàm & pugnaces? Cogitat cogitationes pacis; & sacrificio suo tam sedulus, quàm & pius aduigilat. At verò Melchisedech proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit. Deus enim est, in quo, vt loquitur Ambrosius, benedixit Melchisedech Abraham Patrem multarũ gentium, dicens Benedictus Abraham Deo sũmo, qui fecit cœlum & terram. Rex verè pacificus, verè religiosus, suo assiduus officio. Sed iam inde sese aperit regia Melchisedech, nec solùm ex patriâ, sed & ex bellantium Regum sese viciniâ exerit. Nam si vir ille Chananæus fuit, & inter Chananæos suos regnauit, sequitúr regiam eius sitam fuisse in terrâ Chanaam: si autem iuit obuiam Abrahæ reuertenti à cæde Regum, & illi occurrit venienti, concluditur, regiam eius ab aliis Regum deuictorum seu prouinciis, seu regionibus, seu ciuitatibus non fuisse longè dissitam.

Geneſ. c. 14.

Ambros. l. 1, Hexam. c. 3.

Regia Melchisedech. in terrâ Chanaam posita.

Rex quidem fuit Salem: sed quæ illa Salem? Dicunt Melchisedech hominem fuisse Chananæum, (ita apud Hieronymum) Regem vrbis Hierosolymæ, quæ primùm Salem, postea Iebus, ad extremum Ierusalem appellata sit. Ita colligit ille sub initium epistolæ, sed sub finem dispergit: quod enim priùs dixerat, non ex propriâ, sed ex alienâ retulerat sententiâ. Salem autem, ait ille, non, vt Iosephus, & nostri omnes arbitrantur, esse Hierusalem nomen ex Græco Hebraicóque compositum, quod absurdum esse, peregrinæ linguæ mixtura demonstrat; sed oppidum iuxtà Scythopolim? quod vsque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi Palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam: de quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum est: venit

Hieronym. epist. 126.

Hieronym. sub fin.

A Iacob in Socoth, id est in tabernacula, & fecit sibi ibi domos atque tentoria, & transiit in Salem, ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terrâ Chanaam. Considerandum namque est, quòd Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persecutus est vsque Dan, quæ hodie Pameas appellatur, non de viâ Hierusalem, sed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere fuerit: de quo in Euangelio quoque legimus. Erat autem Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert, vtrum Salem, an Salim nominetur? cum vocalibus in medio litteris perrarò
B vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditissimis Gentis illius didicimus: qui in tantum non recipiunt, Spiritum sanctum, vel Angelum fuisse Melchisedech; vt etiam certissimum hominis nomen adscribant. Et reuera stultum est, id quod in typo dicitur, sic quosdam referre ad ἀναγωγὴν, vt historiæ auferant veritatem, & dicant non fuisse Regem, sed in imagine hominis Angelum demonstratum: cum in tantum nitantur Hebræi, Mel-
C chisedech Regem Salem ostendere, vt ante hoc scriptum referant. Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ei: haud dubium quin Abraham: postquam reuersus est à cæde Chodor Laomor, & Regum, qui cum eo erant in valle Saue: hæc est vallis Regis, de quâ statim sequitur: Et Melchisedech Rex Salem, protulit panem & vinum. Si ergo hæc ciuitas Regis, est & vallis Regis, siue, vt Septuaginta transtulerunt, Campus; quem hodie Aulonem Palæstini vocant manifestum est hominem fuisse, qui in terrenâ: & valle, & vrbe regnauerit.

Sic eruatur anagogia, vt non euertatur historia.

Scio dirutam euersámque ciuitatem, regiáque in ipsis non tam hærentem, quàm laten-
D tem ruinis: sed quod ciuitates prostratæ, dein reparatæ? quot ædificia, si non restituta in totum, certè pristinum statum subolentia? Sichem & Salem, quæ Latinè & Græcè Sicima vocata est, ciuitas Iacob, nunc deserta est, ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos iuxta sepulchrum Ioseph, quam habuerit Abimelech, & seminauit in ea salem: sicut in libro Iudicum scriptum est. Postea verò instaurata est à Hieroboam, vt Regnorũ narrat historia: & sita in finibus tribûs Ephraim. Iosephus verò Salem esse affirmat, in quâ regnauit Melchisedech, quæ postea dicta est Solyma. Salem tamen ciuitas Sicimorum, quæ est Sichem. Filius enim Emor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen
E acceperat. In his tria subnotanda sunt. Primum est, Reges olim dictos, non solùm ethnarchas, sed & toparchas, quasi locorum seu oppidorum dominos seu Principes. Inter quinque Reges, numerari Regem Balæ; Quæ est Segor. Quid verò Segor? Audi Lot. Est ciuitas parua: numquid non modica est, & viuet anima mea? Idcircò vocatum est nomen vrbis illius Segor. Alterum, Abrahamum non longè inde cõmoratum. Dixit ergo Abraham ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter Pastores meos & Pastores tuos: fratres enim sumus. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur antequam subuerteret Dominus

Hieronym. de lo. Heb.

Toparchæ olim sicut & ethnarchæ reges dicti.

Geneſ. c. 19.

Geneſ. 13.

Gènes. c. 22. Sodomam, sicut paradisus Domini, & sicut A Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque Lot regionem circa Iordanem. Tertium, Salem, quæ est in tribu Ephraim, & Salem quæ est in tribu Beniamin, longo itinere separari, nec facile alteram alteri, fauore auxiliari extemporaneo. Die autem tertio, Abraham, eleuatis oculis, vidit locum procul. Quomodo igitur tam subito, & ex loco tam dissito, Abraham:

Genes. cap. 14. Irruit super eos nocte: reduxitque omnem substantiam, & Lot Fratrem suum cum substantiâ illius? Concludendum igitur regiam Melchisedech, non aliam esse quàm Salem, quæ & Sichem, seu Sicima, vel Sichima; quæ in itinere Abrahæ reuertenti à cæde Regum posita? vt ipsi facilè ac percommodè occurrere potuerit Princeps Sichimorum, humanitatisque, simul & officium pietatis impendere.

PVNCTVM III.

De genealogiâ.

Tertullian. cap 10. Apolog. ALiud est genealogiam non habere, aliud nos illam latere, vel in scripturis authenticis non existere. Ante Saturnum, ait Tertullianus, Deus penes vos nemo est. Ab illo census totius, vel potioris, vel notioris diuinitatis. Tamen si homo Saturnus, vtique ex homine: & quia ab homine, non vtique de cœlo & terrâ. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum & omnes possumus videri. Quis enim non cœlum & terram, matrem ac patrem venerationis & honoris gratiâ appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti, vel ex inopinato apparentes de cœlo superuenisse dicuntur? Proinde Saturnum repentino aduentu vbique cœlitem contigit dici. Nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Itaque quod de origine constiterit, & de posteritate conuenit. Etiam Iouem ostendemus tam hominem, quàm ex homine? & deinceps totum generis examen tam mortale, quàm seminis sui par. Inducitur Saturnus, tanquam Deus de machinâ, cum sine genealogia fingitur: tamen nec sine patre, nec sine matre; cum per homines satus, & inter homines conuersatus. Saturnum enim, quantum litteræ docent, ait ille, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Seuerus, aut Cornelius Nepos, neque alius Commentator eiusmodi antiquitatum, alud quàm hominem promulgauerunt. Certè quando dicit Apostolus, generationem Melchisedech non annumerari inter Hebræos, tanquam extraneos, innuit inter suos numerari; à quibus sicut naturam trahit sic & ducit genealogiam. Nemo igitur, vt Ambrosius loquitur, vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis adserat. Nam & illum Melchisedech per quem Abraham hostias suas obtulit, non Angelum vtique secundùm Iudaica ludibria intelligit Ecclesia: sed virum sanctum, ac Sacerdotem Dei, qui typum gerens Domini, & sine patre, & sine matre, & sine generationis enarratione describitur.

Saturnus tanquam Deus de machinâ inductus.

Tertullian. Ibidem.

Ambros. lib 3. de fide cap. 5.

Si Pontifex Melchisedech, tam ex hominibus assumptus, quàm pro hominibus constitutus. Nec id negarunt Hebræi, sed sensum in alium commutarunt. Audere vos, ait illis Iustinus Martyr, in Ecclesiam Regem dictum esse, interpretari, non ignoro. Quod autem errore seducti sitis, ex verbis ipsis statim vobis demonstrabo. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, dictum est &, Tu Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Enimuerò quod Ezechias sacerdos non fuerit, neque æternus Dei sit Sacerdos, nec vos quidem ipsi aduersando asserere audebitis. Quod autem de B nostro Iesu dictæ sunt, etiam voces ipse declarant Nam dicendo, Iurauit Dominus, & non ducetur pœnitentiâ: Tu Sacerdos in æternum, iuxtà ordinem Melchisedech: Iuramento interposito propter incredulitatem vestram, Antistitem sacrorum eum Deus, secundùm ritum Melchisedech, esse renuntiauit: hoc est, quomodo Melchisedech Sacerdos altissimi à Mose scriptus est, atque is eorum, qui cum præputio erant, sacerdos fuit, & ei qui in circumcisione fuit, & antè circumcisionem sibi decimas obtulit, Abrahæ benedixit: eodem modo sempiternum sacerdotem à se ordina- C tum, & Dominum à Spiritu sancto vocatum; illum Deus eorum qui in præputio sunt, fore eosque simul qui in circumcisione ad ipsum accessuri, id est ei crediturі, atque benedictionem ab eo petituri essent, suscepturum, illisque benedicturum esse significauit. Non igitur negatur homo, sanctus Melchisedech, sed per ipsum repræsentatur alius homo. Plenius, ait Hieronymus, id tractatum est in epistolâ ad Hebræos, quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum, quod iste Melchisedech, id est, Rex iustus, Rex fuerit Salem, id est, Rex pacis, sine patre, sine matre: & quomodo hoc intelligendum sit, vno sta- D tim verbo explicatur: ἀγενεαλόγητος? non quòd absque patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundùm vtramque naturam & patrem habuerit & matrem; sed quòd subitò introducatur in Genesi occurrisse Abraham à cæde hostium reuertenti, & nec antè, nec postea eius nomen feratur adscriptum.

Iustin. dial. cum Tryph. cit. med.

Hebræi prauè sacerdotium Christianorum interpretati.

Hieronym. epist. 126.

Tria igitur inde concludenda sunt. Primum est, Melchisedech non priuari genealogiâ, sed in scripturis, quibus generationes Patriarcharum recensentur, tamque maiorum quàm & mino- E rum docentur origines, non recitari. Quid enim ἀγενεαλόγητος, Non genealogizatus, Nisi non nominatus in genealogiâ populis Israelitici, non per scripturam diuinam inter Patriarchas, aut capita familiarum numeratus: cum enim esset ex aliâ prosapiâ, illius ordinem ac seriem non texuit scriptura sacra, sed aliis texendam reliquit, & hominem citrà genealogiam intulit produxitque. Alterum, Melchisedech planè alium esse à Sem, cuius persona non solùm nobis, sed & prosapia seu genealogia in scripturis sacris accuratè & exactè descripta. Hæc sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Iapheth. De Sem nati sunt, patre omnium filiorum Heber, frater Iapheth maiore: Filij Sem: Ælan & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. Isti filij Sem, secundùm cogna

Genealogiæ in sacris, descriptæ scripturis.

Genes. cap.

cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis. Tertium, inductum sic Melchisedech sine vllâ genealogiâ, vt Christum prænuntiaret, æternumve repræsentaret sacerdotium. Melchisedech autē, ait Hierony. Apost. ad Hebr. sine patre & matre commemorans, ad Christum refert, & per Christum ad gentium Ecclesiā; omnis enim capitis gloria, refertur ad membra: eò quod præputium habens, Abrahæ benedixit circumcisio, & in Abraham Leui, & per Leui Aaron, de quo postea Sacerdotium. Ex quo colligi vult, Sacerdotium Ecclesiæ habentis præputium, benedixisse circumcisio Sacerdotio Synagogæ. Denique quod ait; Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: mysterium nostrum in verbo ordinis significatur. Ille ergo sine patre, sine matre, sine nuptiis seu sine filiis, expers principij & finis, initij & stirpis, vt figuram impleret, Christianúmque integrè ac perfectè referret Sacerdotium.

Hieronym. de lo. Heb.

AVCTARIVM.

De sacrificio Christiano.

CHristus quidem Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: sed aliud Sacerdotium, & aliud sacrificium: illud enim, potestas est, sacra faciendi, distribuendique: istud autem, mysterium est, ritu sacro & actu præcipuo celebrandum, communicandumque? in quo sic auctoritas præsit, vt non desit sanctitas. Christus autem duo celebrauit sacrificia: cruentum vnum, alterum incruentum: vnum redemptionis, alterum religionis: vnum in effuso sanguine, alterum in pane & vino. Ita in Sacerdote Melchisedech, (verba sunt Cypriani) sacrificij Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura diuina testatur, & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis ex personâ Patris ad Filium, dicens: Antè Luciferum genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedech Sacerdos summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum: suum scilicet corpus & sanguinem. Ex quibus tria sunt deducenda: primum est, ordinem, non esse aliud quàm sacerdotium; ideóque, sicut duplex sacerdotium, sic & duplicem ordinem: vnum quidem secundùm Aaron, alterum, secundùm ordinem Melchisedech: vnum apud circumcisos, alterum, apud incircumcisos. Secundùm est, ordinem seu sacerdotium Melchisedech constitutum esse in potestate panem & vinum ritu mystico offerendi, & ex illo sacro, benedicendi, seu bona apprecandi. Tertium, typum fuisse in Melchisedech, sed complementum in Christo: quod enim ostensum est in illo, in isto est adimpletum; quod adumbratum in illo, in isto est consummatum. Vt ergo, ait ille, in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit? & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

Duplex ordo, sicut & duplex sacerdotium.

Cyprian. ibidem.

Porrò mentionem non fecit Apostolus sacrificij incruenti, quia sermo erat de sacrificio redemptionis, non de sacrificio religionis. Habuit enim Iudaica religio sacra sua, sacrificia scilicet ac Sacramēta; habet & religio Christiana sua mysteria; sicut enim nulla religio sine sacrificiis, & signis mysticis; tum vt homines, eiusdem ritûs consortes & cultûs, certis colligentur symbolis, cum vt Deo supremum oblato sacrificio protestentur obsequio: sic & religio Christiana, proprium debuit habere sacrificium, quod Deum coleret; & sacramenta seu signa sacra ac mystica, quibus Christianos suis imbueret mysteriis, & eos ab alienis secerneret. Sed sicut Sacramentum pendet in suo effectu ab alio fontali principio, sic & sacrificium Christianum, pendet enim vtrumque ab aliquo singulari sacerdotio, quod virtute suâ nos sanctificet, & propriâ auctoritate nos Deo reconciliet. Quæstio est igitur vnde sanctificatio illa seu reconciliatio sit expectanda, an ex Leuitico sacerdotio, an ex Christiano. Sed ad solutionem non plus iuuabat sacrificium incruentum, quàm sacramentum; imò nec plus afferebat quàm spes aut fides: cum hæc omnia cruento nixa sint sacrificio, quod suâ vi perfectionem inducit, virtutemque tam in signa sacra diffundit, quàm in bona opera. Nec tamen sacrificium incruentum penitus à Paulo suppressum est, sed potius expressum est; sicut enim Christus dictus est Sacerdos in æternum, ob virtutem quâ semper pollet pollebitque in æternum, dum seipsum repræsentat immolatum, dum se exhibet in sacrificium, dum interpellat, dum perficit; sic & Pontifex secundum ordinem Melchisedech appellatus est. Sed tria sunt spectanda primum, quòd Christus dictus sit à Deo, factusque Pontifex, Græcè ἀρχιερεὺς, quod Princeps Sacerdotum sit à Patre constitutus, ideóque & alios habeat sacerdotes, qui sequantur, Christianóque fungantur sacerdotio. Alterum, id non posse dici de sacrificio Redemptionis, cum sicut vnus Deus, sic & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris: torcular enim ille calcauit solus, solus pro nobis crucem pertulit. Tertium denique, aliis relinqui locum in sacrificio religionis. Nam si Iesus Christus, vt Cyprianus loquitur, Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesiâ Deo Patri,

Religio nulla sine sacramentis & sacrificiis.

si

si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.

Certè nullibi alia forma sacrificandi secundùm ordinem Melchisedech; imò ibi forma sacrificandi præscripta est, cum producta est materia sacrificij. Neque enim, vt dixit Hieronymus, carnis & sanguinis victimas immolauit, sed pane & vino simplici puróque, Christi dedicauit Sacramentum. Sed difficultatem rei præmio exagerat, dicens: Super quo multus nobis sermo est, & ininterpretabilis: nō quia Apostolus non potuerit id interpretari: sed quia illius temporis non fuerit. Verumtamem si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat ineffabile confitetur: quanto magis nos vermiculi & culices, solam debemus scientiam inscitiæ confiteri, & amplissimam domum paruo quasi foramine ostendere. Vocalis est scriptura diuina, non eloquio solùm, sed & silentio, & inde mirabilis. Sicut enim cum tacet initium & finem Melchisedech, æternitati fauet Christiani sacerdotij: sic & cum sermonem supprimit, granditatem sacrificij exprimit Christiani. Quod enim ait: Tu es Sacerdos in æternum secundùm Melchisedech: mysterium nostrum, ait ille, in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, idest corpore & sanguine Domini Iesu. Quocirca non minus mirum, nec leuius mysterium in silentio Pauli, quàm in eloquio: vt per ea quæ scripsit, intelligamus, quæ non scripsit, & dicta capiamus & dicenda. De Melchisedech, ait Augustinus, in epistolâ quæ inscribitur ad Hebræos, multa & magna conscripta sunt. Ibi quippe primum apparuit sacrificium; quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum, impleturque illud quod longè post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundùm ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus. quæ illis vmbris prænotabantur.

Hieronym. epist. 126.

Scriptura & eloquio vocalis & silentio.

Hieronym. in trad. Hebraicis.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 22.

Ad principium igitur recurrendum est, & mysterium recolendum in vmbrâ & figurâ adhuc absconditum. Recurre ad Genesim: (ait Hieronymus) & Melchisedech Regem Salem, huius Principem inuenies ciuitatis: qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit. Ibi quippe primùm, nostrum apparuit sacrificium, & quod promisit Melchisedech, Christus exhibuit. Idem quippe ritus, sed longè alius effectus est; dum non nudus panis, nec solum vinum nobis proponuntur in symbolum: sed dum corpus & sanguis Christi, sub symbolo panis & vini, tam ineffabiliter quàm & iugiter Deo pro nobis offeruntur in sacrificium. Vtrobique panis sanctificatus fuit, sed in nostro mysterio, non solùm legitimâ sanctificatione, sed & operatione diuinâ commutatus. Vtrobique sacrificium, & instructum ex immolatis præsanctificatisve conuiuium: sed in nostro sacrificio, panis qui de cœlo descendit, sanguis qui in Deo subsistit non solùm apponitur; sed & editur & bibitur. Suis enim Discipulis dans consilium, (ita loquitur Irenæus) primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosis, nec ingrati sint, eum qui ex creaturâ panis est, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex eâ creaturâ quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & Noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Sedulò igitur secernendum est sacrificium crucis, & sacrificium altaris: illud enim, sacrificium redemptionis est, quæ cum sit vniuersalis omnium, sacrificium etiam ab omnibus aliis ritè offerentibus, non Leuiticis solùm, sed & ceteris communiter præfiguratum est: istud verò, sacrificium religionis, quæ cum specialis sit Christianorum, singulariter etiam in antiquissimo Melchisedech seu sacrificio seu epulo demonstratum. Summo studio volumus comprobare, (verba sunt Ambrosij) quòd antiquiora sunt Sacramenta Ecclesiæ, quàm synagogæ. Antiquiora quippe docet lectio Genesis: Synagoga enim ex lege Moysi principiū sumpsit. Abraham verò longè anterior, qui victis hostibus, & nepote proprio recepto, cum potiretur victoriâ, tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea quæ Abraham veneratus accepit. Certè & Abraham Sacerdos fuit, sed ordinis inferioris, idcóque præcelliorem agnouit sacerdotem. Quis, ait ille, habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit: Melchisedech. Ipse ergo auctor Sacramentorum. Christus ergo vno donatus sacerdotio, tam excellenti, quàm & eminenti, sed duplici operatus est sacrificio, vno, quod soli seruauit sibi in æternum: altero, quod nobis communicauit in perpetuum: inde inde solemne simul ac iuge sacrificium? quod simul sit & alimentum animæ, & ornamentum Ecclesiæ.

Quod promisit Melchisedech, Christus exhibuit.

Irenæus lib. 4. aduers. hær. cap. 32.

Ambros. lib. de initiand. cap. 8.

Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 3

DILVCIDATIO II.

De decimis.

INstat Apostolus, nec conditionem duntaxat viri commendat, sed & animi renouat attentionem. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filiis Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ: cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur quia viuit. Et, vt ita dictum sit, per Abraham & Leui, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.

1 Tria in his elucidanda sunt. Institutio decimarum, distributio, solutio. Decimatio enim tam actiua esse potest quàm passiua: tam imponendo, quàm & exsoluendo. Sit ergo

PVNCTVM

PVNCTVM I.

De institutione.

TAm antiqua ferè decimarum origo, quàm primitiarum, quasi æqua vtrarumque institutio. Et in epistolâ quæ inscribitur ad Hebræos locus quidam, (ita Augustinus) diligenti consideratione dignissimus. Cum enim per Melchisedech, in quo huius rei futuræ figura præcesserat, discerneretur Sacerdotium Christi à Sacerdotio Leui: Videte ergo, inquit, B qualis hic sit cui & decimam partem Abraham dedit de primitiis Abraham Patriarcha. Dixit Augustinus, De primitiis. Quod Paulus, De præcipuis. Sicut enim in primitias, sic & in decimas, seligebantur quæ erant præcipua; ἀκροθίνια: offerebantur quippe meliora ac præstantiora: quid enim primitiæ, nisi primæ seu præcipuæ? Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui; & de adipibus eorum. Inde culpa Cain; imò vt notauit Ambrosius: Duplex culpa: vna, quòd post dies obtulit; altera, quòd non ex primis C fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia. Obtulit, inquit, fructus terræ, non à primis fructibus, primitias Deo. Hoc est primitias sibi priùs vendicare, Deo autem sequentia deferre. Ita in Exodo: Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. Nec distinxit Deus, nec dixit præcipuas: nam sicut ambæ eiusdem sunt iuris, sic ambæ eiusdem debent esse generis: licet videantur primitiæ, Deo vt creatori; decimæ verò, liberatori debitæ. Ita Iacob, Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, D & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum: cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Seu, vt legit Ambrosius: omnium quæ mihi dederis, decimam decimabo ea tibi. Δεκατοῦν enim, id est decimare, tam dantium est, quàm accipientium. Ita apud Lucam Christus, Decimatis mentam. Ex omnibus enim, meliora seligebant, & Deo non tam dabant, quàm reddebant. Quid est enim, vt Ambrosius dixit, fideliter decimas dare, nisi vt nec peius, nec minus aliquando Deo quis offerat, E aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotiis, aut de ipsâ venatione suâ? Quia de omni substantiâ quam Deus homini donat, decimam partem sibi seruauit, & ideò non licet homini retinere illud quod Deus sibi reseruauit. Tibi dedit nouem partes, sibi verò reseruauit decimam partem: & si tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet à te nouem partes. Violata quippe iustitia compensanda est.

Augustin. lib. 10. de Genes. ad litt. cap. 19.

Genes. c. 4.

Ambros. lib. 1. de Abel & Cain cap. 7. & 10.

Exod. c. 22.

Genes. c. 28.

Primitias creatori, decimas liberatori.

Ambros. serm. 34.

Iam inde igitur aperitur ratio seu institutio decimarum, cum pars decima sit apud omnes

A etiam & Gentiles perfectionis & magnitudinis non solùm nota, sed & regula, ideóque Deo, vt bonorum omnium auctori ac Principi reseruata ac consecrata. Apud Aristidem. Themistoclem posteriora semper prioribus excipiebant maiora, &, vt est in prouerbio, alius eum relinquebat fluctus, alius comprehendebat, donec per aquas decumanas victor euasit. Quid, vndas decumanas? magnas, imò maximas. Inde & adagium; Decumani malorum fluctus. Quid enim Græci τρικυμίαν, Fluctum tertium. Latini dicunt, Decimum. Seu decumanum. Quasi maximum ac difficillimum. Sic & mari fides infamis, (ita Tertullianus) dum & flabris æquè mutantibus, de tranquillo probum, de flustris temperatum, & ex templo de decumanis inquietat. Nam, vt dixit Seneca: Primùm æqualitas perit: nondum tempestas, sed iam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus. Primò enim iacentes fluctus, stupentésque, Græci μαλακίαν vocant, tum in altum exurgentes, postremo quasi in immensum; cum primò venti quasi nulli, vel modici, dein & turbulenti violentique. Inde fluctus decumani, dum turbatur mare, inquietatúrque, & in montes gurgitésque resoluitur. Inde & decumana seu decimiana, seu decimâ, quæ maxima & amplissima. Sed quid his te onerem? Sat sit inde dictas decimas, quòd summam Deo reseruent, quod partem maximam, decimam scilicet ad honorem consecrent. Scito tamen eas non minus ad fauorem obtinendum quàm ad reddendum honorem dedicatas. Mos enim, vt cum in hostem quis irrueret, aut rem susciperet difficilem, vouere decimam seu spoliorum, seu prædarum, & solemni ritu reddere. Ita apud Plutarchum: Cernis Deum, cædium, bellorum, & prædarum primitiis decimisque circumdatum. Quibus tria simul concepta. Primum est, eandem ferè esse primitiarum ac decimarum originem: alterum, decimas Deo liberatori redditas: tertium, templorum tholis vt plurimum appensas. Ita præclarissimus Poëta: Tertiaque, arma patri suspendet capta Quirino. Quid tertiâ? opima, eximia, spolia seu arma præcipua & optima: eadem enim tertia, quæ maxima. Græcè κάλλιστα. Prima ac præstantissima. Ita Romulus apud Liuium: Hæc tibi victor Rex, regia arma fero, templumque & sedem opimis spoliis dedico. Sic enim illi à periculo aliquo liberati, & gratiis acceptis non ingrati.

Aristid. in Plat.

Tertullian. lib. de Pall. cap. 2.

Sen. epist. 53.

Decumana seu decimâ quæ maxima.

Plutarch. in Comment. de Pyth.

PVNCTVM II.

De distributione.

REdit Abraham de bello, saluus de periculo, vtpote à Deo protectus ereptusque, idcircò decimas distribuit seu votiuas, seu vltroneas. Hic enim Melchisedech, Rex Salē, Sacerdos Dei sūmi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei, & decimas omnium diuisit Abraham. Deo enim dedicatæ sunt decimæ, idcircò per manum Sacerdotis, quasi mediatoris in cœlum efferendæ. Sacerdos enim

vt exponit Aquinas, medius est inter Deum & populum. Debet enim aliquid populo conferre, scilicet spiritualia; & aliquid ab ipso accipere, scilicet temporalia. 1. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, non magnum est si carnalia vestra metamus. Inde dicitur Genes. 14. quòd quatuor Reges vicerunt quinque Reges, & captiuum duxerunt Loth nepotem Abrahæ. Isti quatuor Reges sunt quatuor vitia principalia, opposita quatuor virtutibus cardinalibus, quæ captiuum detinent affectum nepotem rationis, victis quinque sensibus corporis. Qui enim superat & liberat affectum, debet confortari à Sacerdote per bona monita. Et benedixit ei: nam Deus benedicit auctoritate, Sacerdos autem ministerio. Et decimas diuisit, scilicet Abraham: id est, rectè distribuit. Nec refert quòd datio decimarum sit ex lege. Ceremonialia enim veteris Testamenti, sunt quædam determinationes præceptorum iuris naturalis, & præceptorum moralium. Quantum igitur ad hoc, quod habebant de iure naturali, seruabatur ante Legem tantùm pro voto obseruantium, & sine aliquo præcepto. Quod enim aliquid offeratur Deo in recognitionem creationis, & Dominij, hoc est naturale: sed quòd offeratur vitulus, & hœdus, hoc est ceremoniale. Similiter de iure naturali est, quòd ministri seruientes Deo, sustententur à populo, sicut enim patet Genes. 47. hoc seruabatur etiam apud Gentiles. Sed determinatio huius partis est per Legem. Leuit. 27. Omnes decimæ Domini sunt. Quicquid enim habet homo, à Deo accepit: & totam perfectionem suam à Deo expectat. Numerus quippe denarius est perfectus, quia consurgit ex partibus suis aliquotis, quia vnum, duo, tria, quatuor, faciunt decem. Vsque ad ipsum ascendit numerus, & omnes alij non sunt nisi quædam repetitio, & additio super denarium. Omnes ergo sunt imperfecti, vsque dum perueniatur ad ipsum. Vt ergo significaret, quòd à Deo est complementum omnis perfectionis, ideò dedit decimas. Nimirum, vt dixit Paulus, De præcipuis. De selectis. Cui & decimas omnium diuisit. Spoliorum scilicet, sed meliorum, decumanorúmque.

Aquin. lect. 1.

Lex scripta determinatio est iuris naturalis.

Distribuit ergo Abraham non sociis belli, sed Dei ministris: nam & ipse Melchisedech, etiam ἀρχιερεὺς dictus est, vt qui inferiores sub se contineret Sacerdotes, quos tanquam subditos diuino adhiberet ministerio. Intuemini quantus hic cui & decimas dedit de præcipuis Abraham. Ἀκροθίνια, ait Chrysostomus, dicuntur spolia. Nec dici potest quòd illas ei dederit vt qui esset socius belli. Propterea enim dixit, obuiauit regresso è cæde Regum. Domi inquit, sedebat, & dedit ei primitias eorum quæ suis laboribus acquisierat. Agnouit Abraham auxilium Dei, Quo protegente, hostes in manibus eius. Et idcircò rependit beneficium, sacris ministris impensum. Vbi enim aliquis occurrebat, vt Aquinas resoluit, vnusquisque dabat ei propriâ sponte quod sibi videbatur. Sicut Abraham quodam prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi. Et similiter Iacob decimas vouit se daturum, quamuis non videatur decimas vouisse quasi aliquibus ministris exhibendas, sed in diuinum cultum, putà ad Sacrificiorum consummationem. Vnde signanter dicit, offeram tibi decimas. Per Legem autem decimæ præceptæ sunt, maxime quæ ad sustentationem ministrorum destinatæ: erant enim & aliæ in refrigerationem pauperum reseruatæ. Præceptum, ait ille, partim quidem erat morale, inditum naturali rationi: partim autem erat iudiciale, ex diuinâ institutione robur habens. Quod enim eis qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victûs ministraret: ratio naturalis dictat, sicut & his qui communi vtilitati inuigilant. Vnde dicitur Malach. 3. Inferte omnem decimam in horreum meum: vt sit cibus in domo meâ. Sic ergo Paulus: Et quidem de filiis Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm Legem. Decimas sumere, seu, vt ex Græco ἀποδεκατοῦν, Decimare. Quid verò, Mandatum habent. Decretum id constitutúmque. Si enim potestas Clero facta est accipiendi, populo distribuendi, ex imposito præcepto relicta est necessitas. Ius est Sacerdotale, & quasi regale munus. Tanta Sacerdotij est exuperatio, (ita Chrysostomus) vt qui honore sunt pares à maioribus, & habent eundem sui generis Principem, sint multò meliores & præstantiores aliis. Decimas quidem certè ab illis accipiunt. Quando ergo inuentus fuerit aliquis ab his ipsis decimas accipiens, an non hi quidem locum teneat laicorum, ille autem inter Sacerdotes? Nec hoc solum, sed ne iis quidem erat par honore, sed ex alio genere. Quamobrem non dedisset decimas alienigenæ, nisi multus fuisset honor. Papè quid effecit? Vidisti quippe excellentiam. Vidisti quantum intersit inter Abraham & Melchisedech, qui fert typum nostri Pontificis: & ostendit excellentiam fuisse potestate, non necessitate. Ille enim dedit decimam: quod quidem est Sacerdotis.

Chrysost. orat. 12.

Aquin. 2. 2. quæst. 87. art. 1. ad 3.

Decimæ per Legem veterem præceptæ.

Aquin. art. 1. in corp.

Chrysost. orat. 11.

PVNCTVM III.

De solutione.

SOlutæ sunt decimæ, & adhuc persoluendæ. Est enim hæc differentia, inter ceremonialia & iudicialia Legis præcepta, (vti docet Aquinas) quòd ceremonialia illicitum est seruare tempore Legis nouæ: iudicialia verò, etsi non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato; & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur; si statuantur auctoritate corũ, quorum est condere Legem. Ita igitur determinatio decimæ partis persoluendæ, est auctoritate Ecclesiæ, tempore nouæ Legis instituta, secundùm quandam humanitatem: vt scilicet non minùs populus nouæ Legis ministris Noui Testamenti exhiberet, quàm populus Veteris Legis ministris Veteris Testamẽti exhibebat. Quãtũ igitur ad determinationẽ decimæ partis, erat iudiciale: sed conueniebat cum ceremonialibus præceptis, quæ principaliter instituta erant ad significandũ aliquid futurum. Qui enim decimam dat, quæ est perfectionis signum, eo quod denarius sit primus limes numerorum; nouem sibi

Aquin. 1. 2. quæst. 87. art. 1. in fin. corp.

Decimæ quo iure sint persoluendæ.

sibi partibus reseruatis, protestatur, quasi in A quodam signo, ad se pertinere imperfectionem; perfectionem verò quæ erat futura per Christum, esse expectandam à Deo. Licet autem præceptum de decimis persoluendis, significet aliquid in futurum: non tamen ceremoniale præceptum est, sed iudiciale. Sic ergo patet quòd ad solutionem decimarum homines tenentur: partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Certè nihil excipit Deus, cum omnem exigit decimam; sed nobis fauet, dum carnalem adauget substãtiam. Deus enim, vt dixit Augustinus qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens: Inferte omnem decimam in hortis meis, & probate me in his, dicit Dominus, Si non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructum vsque in abundantiam. O homines stulti: quid mali imperat Deus, vt non mereatur audiri? Sic enim dicit, primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre mihi. Si tardiùs dare peccatum est, quanto peius est, non dedisse? Et iterum dicit: Honora Dominum Deum tuum de tuis iustis laboribus, deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ; vt repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundabunt. Non præstas hoc gratis, quod citò recipies magno cum fœnore. Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola: quodcumque te pascit ingenium, Dei est; & vnde decimas expetit, vnde viuis: de militiâ, de negotio & de artificio redde decimas.

Augustin. serm. 219. de temp. init.

Certè non tam solutio est, quàm redditio: dum enim soluimus quod debemus, reddimus quod vouemus, imò quòd habemus; cum nihil non acceperimus, nihil non petierimus. Quid enim habes, quod non accepisti; non solùm in spiritualibus gratiis, sed & in bonis carnalibus? Non nobis sufficit, ait Ambrosius, quòd nomen Christianum præferamus, si opera Christiana non faciamus. Decimas nostras annis singulis de cunctis fructibus, pecoribus, &c. Præcipit erogandas Dominus. Frumenti, vini, & olei partem offerte primùm in Ecclesiâ, reliquam per cæcos, claudos, debiles, leprosos, & orphanos, & per viduas, peregrinos & aduenas diuidere debetis. Similiter facite de omni peculio vestro, de omni fructu vestro. Quoties nouum facis panem de messe tuâ, primùm affer ad Ecclesiam pro benedictione: reliquam verò tecum retinere poteris pro te, & tuâ familiâ: sic fac de vuâ, & de omni labore tuo. Hoc est, non se iactare Christianum, sed probare: non titulum præferre, sed piis operibus, & veris virtutibus asserere. Ille enim, vt Augustinus dixit, verè Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentiùs venit, qui de fructibus suis non gustat, nisi priùs ex ipsis Deo aliquid offerat; qui decimas annis singulis erogandas pauperibus dedit, qui Sacerdotibus suis amorem impendit, qui omnes homines sicut seipsum diligit. Ille bonus Christianus est, qui quando ad Ecclesiam venit, & oblationem quæ in altari mittatur, exhibet; & pauperibus secundùm quòd vires habet, argentum porrigit aut buccellam. Sin autem, non solùm

Ambrosi. ser. 33. circa med.

Augustin. serm. 216. de temp. circ. med.

bonus non est, sed & iniquus est; & Deum inhonorans, & seipsum fraudans. Cum enim, ait ille, decimas dando & cœlestia & terrena possis munera promereri, quare per auaritiam duplici benedictione te fraudas? Audi ergo indeuota mortalitas. Nosti, quia Dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium conditori? Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem; non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negas auare. Quid faceres, si nouem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? Quid auide supputas? Nouem tibi partes retractæ sunt quia decimam dare noluisti. B Hæc est enim Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Datur impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitiâ prohibetur; quia à Domino Deo sibi dare vult omnia, & non vult ei quæ possidere videtur, offerre. Quid si diceret Deus? Meus est homo quem feci, mea est terra quam colis, mea sunt & semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, mei sunt imbres & pluuiæ, meus est solis calor: & cum omnia mea sint elementa viuendi, tu qui manus accommodas, solam decimam mereberis. C Sed quia nos piè pascit omnipotens Deus, amplissimam minùs laboranti tribuit mercedem, sibi tantùm decimam vendicans nobis omnia condonauit.

Augustin. serm. 219. de temp. cit. med.

Qui decimas negat, Deum inhonorat, & seipsum fraudat.



APPENDIX.

De Leui.

MIRUM, quod ille qui nondum est, decimetur; & ille qui semper est, non decimetur. Decimatus est Leui, D Christus non est decimatus: dum ille in Abraham, iste in Melchisedech repræsentatus est.

Obseruandum est primò, fuisse apud Hebræos tria decimarum genera. Primum earum quas singuli patres familias colligebant, quotannis comedebántque cum Leuitis, tribus anni temporibus. Ita in Deuteronomio. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terrâ per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur: & comedes coràm Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & E Leuites qui intrà portas tuas est. Alterum earum quas tertio quoque separabant anno; pupillisque communicabant & viduis. Ita ibidem. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas. Veniétque Leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur. Tertium earum quæ Leuiticæ tribui reseruatæ. Ita alibi: Filiis Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Et de his decimis agit Paulus, cum ait. Et quidem de filiis Leui

Deute. c. 14.

Num. c. 18.

Leui sacerdotium accipientes, mandatum habens decimas sumere à populo secundùm legem: id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Sed obseruandum secundò, ex iis etiam decimis, alias decimas separatas, datásque capiti sacerdotum, seu summo Pontifici, velut decimas decimatum. Ita ibidem. Præcipe Leuitis, atque denuntia: Cum acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum: tam de areis, quàm de torcularibus, & vniuersis, quorum accipitis primitias offerte Domino, & date Aaron Sacerdoti. Inde obseruandum est tertiò, solùm Aaronem seu summum Pontificem decimatum non fuisse, summámque decimarum omnium in ipsum confluxisse, vt & omnibus subueniret pauperibus, & indigentibus etiam Sacerdotibus succurreret. Ita apud Esdram. Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri. Traditæ enim illæ Aaroni, seu Pontifici, sed in œconomiam seu custodiam. Ita, Locutus est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam. Sic igitur, In veteri lege, (vt resoluit Aquinas) speciales quædam decimæ deputabantur subuentioni pauperum. Sed & in nouâ lege decimæ dantur Clericis, non solùm propter sui sustentationem, sed etiam vt ex eis subueniant pauperibus, & ideò non superfluunt: sed ad hoc sunt necessariæ.

Decimæ decimatū Pontifici reseruatæ.

2. Esd. c. 10.

Num. c. 18.

2. 2. quæst. 87. art. 3. ad 1.

Iam ergo non mirum quod Laici deferant Leuitis, quanquam & omnes illi fratres sint, vtpote eodem patre sati. Sic enim in lege constitutum est. Nec id mirum quod Pontifices ipsi seu summi Sacerdotes à Leuitis accipiant, quamquam omnes eiusdem stirpis consortes, & eiusdem honoris participes: sed hoc mirum quòd Abraham Patriarcha Princeps Patrum, ideóque & Pater sacerdotum decimas soluerit: id denique maximè mirandum, quod & ipse Leui, qui adhuc erat in lumbis Patris, qui necdum natus nec conceptus, qui nihil adhuc erat in rebus, decimatus sit, id est, decimas & ipse licet caput Sacerdotum aliquando futurum exsoluerit. Lex quippe Principi seu capiti sacerdotum decimas attribuit, sed eas illi non imponit: permittit accipere, non permittit tribuere. Ne fortè igitur, ait Athanasius, hæc legis inquiant sacerdotes, Quid illud nostra intererit, si ab Abraham ipso per Melchisedech exactæ sunt decimæ? Ita respondet. Quia illius exemplo decimatus est Leui, qui nostri sacerdotij obtinet principatum. Melchisedech verò ille, qui decimas accipit, nonne Leui est potior, à quo videtur per Abraham decimas capere: Et, vt breuiter dicam, quasi dictum castigat Apostolus, tanquam facinus audax visum, vt Leui decimaretur, qui nondum in lucem prodierat. Et vt ita dictum sit, per Abraham, & Leui, qui decimas accipit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis Patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech. Confirmat quemadmodum decimatus sit Leui, aitque: Cum enim ab Abraham progenitore acceptæ sint decimæ, & à Leui exiguntur virtute, tanquam qui in Abrahæ adhuc lumbis consisteret, futurúmque esset, vt huius ex semine, etsi nondum genitus fuerat,

Athanas. in Paulum.

Leui caput veteris sacerdotij, à nouo decimatus est.

A procrearetur: non Leuitæ dixit, sed Leui, vt præstantiam præferret. Hæc est igitur Christi præstantia, & exinde sacerdotij nostri iam in typo demonstrata. Christus enim, vt Ambrosius dixit, verus Melchisedech, verus Rex pacis, verus Rex iustitiæ. Sine Patre, sine Matre, sine generationis enumeratione, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: quod & ad Filium Dei refertur, qui Matrem in illâ diuinâ generatione nesciuit, Patrem in hoc Virginis Mariæ partu ignorauit: ex solo Patre natus ante secula, ex Virgine solâ ortus in hoc seculo. Initium dierum habere vtique non potuit, qui erat in Principio. Quomodo vitæ finem haberet, qui vitæ auctor omnibus est? Ipse Principium & finis omnium. Sed refertur & ad exemplum, vt tanquam sine Patre & sine Matre sacerdos esse debeat, in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia, & virtutum prærogatiua. In nouo sacerdotio nec carnis ratio nec generis est, sed virtutis.

Ambros. epist. 15.

B

Verùm si decimatus est Leui per Abraham, quia erat in lumbis illius: quidni decimatus est & Iuda, qui adhuc erat in lumbis Patris, quando obuiauit ei Melchisedech? Et si decimatus est Iuda, quidni & ipse Christus decimatus est, vtpote ex ipsâ tribu exortus? Si enim hoc valet ad istam distantiam quantum præemineat sacerdotio Leuitico Sacerdotium Christi, (agnosce Augustinum) quòd sacerdos Christus per illum præfiguratus est, qui decimauit Abraham, in quo & ipse Leui decimatus est, profectò Christus ab eo non est decimatus. At si propterea decimatus est Leui, quia erat in lumbis Abrahæ; & propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porrò autem si non secundùm animam, sed tantùm secundùm carnem accipimus Leui fuisse in Abraham, ibi erat & Christus, quia & Christus secundùm carnem ex semine est Abrahæ, & ipse itaque decimatus est. Quid est ergo quod affertur pro magnâ differentiâ sacerdotij Christi à sacerdotio Leui, quòd Leui decimatus est à Melchisedech, cum esset in lumbis Abrahæ, vbi & Christus erat: vnde pariter decimati sunt: nisi quia necesse est intelligamus secundùm aliquem modum ibi Christum non fuisse? Vterque equidem fuit in lumbis Abrahæ, sed modo diuerso: idcircò, vnus decimatus fuit, alter non fuit. Secundùm rationem quippe illam seminalem, vt ille loquitur, ibi fuit Leui, quâ ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundùm quam rationem non ibi erat Christi caro, quamuis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Leui nec Christus in lumbis Abrahæ secundùm animam, secundùm carnem verò & Leui & Christus: sed Leui secundùm concupiscentiam carnalem, Christus autem secundùm solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine & visibilis corpulentia & inuisibilis ratio, vtrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam vsque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit: ratio verò conceptionis eius non à semine virili, sed longè aliter ac desuper venit. Ille igitur decimatus est in Abraham, qui natus est de Patre per legem menti

C

Augustin. lib. 10. de gen. ad lit. cap. 19.

D

Augustin. eodem lib. cap. 20.

E

Cur Christus non sit in Abrahæ lumbis decimatus.

menti repugnantem : non autem ille ibi decimatus est, cuius caro inde non feruorem vulneris,sed materiam medicaminis traduxit.Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit : illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur. Vulnus præuaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur : medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali in solâ materiâ corporali per diuinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, & sine falsitate resurrectionis exemplum; Tam clarè, quàm & verè.

DILVCIDATIO III.

De benedictione.

TRia in Melchisedech contemplanda sunt, tam eximia quàm & singularia. Primum est, virum fuisse eminentis contemplationis. Considerare libet Melchisedech illum Pontificem charissimum Deo, qui nequaquam inanium Deorum,sed altissimi, æternique Dei Sacerdos fuit. Non enim sine ratione sapientiâ diuinâ illustres viri, Melchisedech non modo amicum Dei, verumetiam Sacerdotem Dei appellarunt : siue vt prudentioribus apertè indicarent, non modò ipsum ad verum ac sempiternum Deum esse conuersum, verùm & cæteris ad veram & solam supremámque Deitatẽ prouehendis, auctorem ducémque fuisse. Ita Dionysius, seu quiuis alius. Ita Paulus, Intuemini quantus sit hic. Contemplamini, à Græco θεωρεῖτε. Considerate, & spectate virum eximium, diuinæ auctorem disciplinæ, vitæ ducem contemplatiuæ. Nempe enim, ait ille, & aliis gentibus, nunquam præfuerunt alieni aliqui Dij, sed vnum illud ac singulare principiũ. Ad quod sanè obsequentes ducebant Angeli præfecti singulis Gentibus. Melchisedech ergo tanquam Gentium Episcopus, coryphæus credentium; illuminans ac consummans, dirigens ac perficiens, cognitionis sublimatus præstantiâ, contemplationis prærogatiuâ donatus. Alterum est, illum excellentis fuisse puritatis, vt qui nuptiis valedixerit, nec actione minùs quàm contemplatione Angelis accesserit. Virgines, ait Ignatius, solum Christum præ oculis habete. Memor sum sanctitatis vestræ, sicut Heliæ, sicut Iesu Naue, sicut Melchisedech, vel eorum qui in castitate de vitâ exierunt.Non detraho cæteris beatis,qui nuptiis copulati fuerunt, qui non libidinis causâ, sed posteritatis subrogandæ gratiâ coniuges habuerunt. Tales non spernit, sed virgines præponit, tanquam Deo propinquiores. Ad cuius imaginem, ait Dionysius,dum nostra quoque sacrosancta functio se componit, eique similis euadere pro viribus nititur, Angelicum decorem veluti in figuris consequetur, formas inde capiens, ac illum ad summum totius sacræ functioni auctorem Deum, eius freta adminiculis scandens.

Dionys. lib. de eccl.Hier. cap. 9.

Dionys. Ibidem.

Melchisedech contemplatiuus & Virginitatem professus.

Ignat. epist. ad Philadelph.quæ est 9.

Dionys. lib. de eccl.Hier. cap. 8.

A Tertium denique, fuisse illum Regem simul ac Sacerdotem, quod perrarum fuit, & in Israël nusquam permissum. At verò Melchisedech, Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi, vt qui typum gereret Christi, regnúmque eius referret ac sacerdotium. Cum euidentèr dicat Apostolus Paulus, ex semine Dauid secundùm carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid, (ita Augustinus) aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare vtique non debemus. Cuius fœminæ quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quòd cognata eius esset Elizabeth, quam dicit de filiabus Aaron, firmissimè tenendum est carnem Christi ex B vtroque genere propagatam, & Regum scilicet & Sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica vnctio figurabatur : id est, chrisma,vnde Christi nomen elucet, tanto antè etiam illâ euidentissimâ significatione prænuntiatum.

Augustin. l.2.de cons. Euan. cap.2.

Porrò Abraham non solùm Sacerdos fuit, sed & Propheta,testante Deo,& dicente:Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est. Equidem Prophetæ nomen sicut & Sacerdotis non vbique idem, seu eiusdem significationis. Nonnunquam enim Sacerdotes dicti sunt viri principes.Sic in libris Regum : Ioab Filius Saruiæ erat super exercitum : filij autem Dauid C Sacerdotes erant. Id est, primores, illustriorésque. Sic & in Genesi. Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, Princeps exercitûs, vir Ægyptius. Et Pharao : Dedit illi vxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Quis ille enuchus, qui fructum tollat coniugij; quis ille Sacerdos, qui ducem agat belli, ducátque exercitum? Nomina ista, tituli sunt honoris ac familiaritatis, ex Hebræo deriuati. Vox enim Cholien, Sacerdotem significat & Principem, noménque personis summatibus, seu viris delegat illustrioribus. Sic etiam Propheta, vox polysema est : tamen sicut Abraham verus fuit D Sacerdos, sic & verus Propheta, id est spiritu inundatus diuino, & sacro ductus instinctu. Et quidem quod Sacerdos fuerit,inde patet, quod toties, probante Deo, imò & imperante sacrificauerit. In lege enim naturæ, principes ciuitatum, imò & capita familiarum, sicut ius habebant gladij, sic & ius prætendebant Sacerdotij : ideò vel gerebant officium, vel alios ad gradum euehebant quos censebant idoneos: id enim non solùm operis eximij est, sed & muneris publici. Quod autem Propheta, inde liquet, quod à Deo instructus, imò & cum Christo conuersatus, didicerit mysteria, multa E præuiderit.Ita Sabinus apud Ambrosium:Quod inquit, secundùm diuinitatem maiorem non habet, scriptum est : Abrahæ cum repromisisset Deus, quoniam nullum alium habebat maiorem, per quem iuraret, iurauit per semetipsum. Filius autem est is, de quo in scripturâ dicitur, quoniam ipse visus est Abrahæ. Vnde & ait: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et ipsemet Ambrosius : Accipe, inquit, Christum secundùm diuinitatem, minorem non posse dici. Ipse loquitur ad Abraham : per meipsum iuraui. Ostendit autem Apostolus, eum qui per se iurat, minorem esse non posse. Ergo maiorem non habuit Christus,& ideo per se iurauit,

Genes. c.20.

2.Reg.c.8.

Genes.c.39.

Genes. c.41.

Abraham verus Sacerdos,& verus Propheta.

Ambros. In Discept.cõt. Pallad.

Ambros. lib. 2. de fide cap.4.

Et benè addidit: Homines enim per maiorem se iurant, quia homines maiorem habent, Deus non habet. Aut si volunt de Patre dictum videri, reliqua non cohærent: Neque enim Pater visus est Abrahæ, nec Deo Patri pedes lauit, sed ei in quo futuri hominis est figura. Denique Filius dicit: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Ipse est ergo qui per se iurauit, quem Abraham vidit. Ipse enim cum Abraham conuersatus, & Abraham ab illo de futuris informatus mysteriis.

Hoc igitur spiritu prohetico ductus Abraham, & sacro impulsus instinctu, Melchisedech agnouit coluítque vt superiorem, seu altioris ordinis Sacerdotem: ideóque non solùm B Panis & Vini Sacrificio tanquam venerator affuit, & tanquam approbator communicauit, edendo partem ac bibendo: sed & decimas obtulit Pontifici Christiano, seu summo Sacerdoti, tanquam digniori. Denique & ab eo benedictionem accepit, tanquam oblati sacrificij perfectionem consummationemve. Et benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham. Et hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine vllâ autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. In quibus notandum est primò, triplicem esse benedictionem: primam, quâ benedicit Deus hominem; C alteram, quâ homo benedicit Deum; tertiam, quâ homo benedicit hominem. Deus quidem benedicit homini, dum illi benefacit; benedicere enim Dei, est benefacere; sicut & dicere, facere est. Benedicit homo Deo, cum laudat, cum magnificat, cum gratias petit, aut gratias agit. Benedicit homo homini, dum apprecatur bona, dum ad ea quæ fausta sunt, gratulatur. Notandum est secundò, vltimam illam benedictionem esse triplicem, priuatam, Propheticam, Sacerdotalem. Priuatam, vt cum Simeon senex benedixit Mariam & Ioseph: propheticam, vt cum Isaac aut Iacob filios suos, vel etiam Salomon benedicit po- D pulum: Sacerdotalem, vt cum Pontifex tanquam Dei vicarius ac minister ex publico benedicit officio. Et Apostolus quidem non solùm loquitur de humana benedictione, sed & publicâ, quâ Sacerdos accepto fungitur ministerio. Verùm, notandum est tertiò, benedictionem Sacerdotalem non solùm apprecatione factam fuisse, sed & gratulatione Et quoad apprecationem: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & E misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabúntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Sacerdotalis, solennisque illa est benedicendi forma, vtpote à Deo ipso præscripta, sed & aliis nonnunquam verbis concepta. Quoad gratulationem verò, Melchisedech ad Abraham: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Quibus nihil precatur de futuris, sed de præteritis gratulatur;

Multiplicia sunt benedictionum genera.

Num. cap. 6.

Genes. c. 14.

sed dum piè gratulatur, comprecatur efficacissimè. Quando enim, vt dixit Chrysostomus, Deus benedicitur, & aguntur illi gratiæ ab hominibus: tunc vberior ab illo solet istis benedictio dari, propter quos ipse benedicitur. Benedicens enim Deum, debitorem ipsum facit maioris benedictionis. Denique vocem adiuuabant, benedictionémque firmabant; manus vel in cœlum attollendo, vel eas ad populum extendendo, vel super benedicendorum caput imponendo. Decimatus est Abraham, ille talis ac tantus benedictusque à Melchisedech: igitur Melchisedech melior digniórque Sacerdos Abrahamo ipso, cui tanta sunt promissa: sine vllâ enim controuersiâ, minor à maiore benedicitur, inferior à superiore: hic enim de honore præcipuo, seu de publico munere agitur.

Chrysost. Hom. 29. in Genes.

DILVCIDATIO IV.

De consummatione.

INsurgit ex præmissis Apostolus, concluditque: Si ergo consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat: (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. Insistit iisdem vestigiis, & in iisdem persistit argumentis. Et sua ratio talis est (inquit Aquinas) Si Sacerdotium Leuiticum fuisset perfectum, per cuius ministerium erat administratio legis, non fuit necessarium, quòd surgeret alius Sacerdos secundùm alium ordinem, per quem etiam alia Lex ministraretur, sicut per Leuiticum, lex vetus. Sed surgit alius Sacerdos secundùm alium ordinem, scilicet secundùm ordinem Melchisedech: ergo illud imperfectum erat. Sicut ergo surgit Sacerdotium aliud, ita necesse est surgere aliam legem. Sed tria disquirenda sunt. Primum, Quid sit consummatio. Alterum, Quomodo populus Legem acceperit sub Sacerdotio Leuitico. Tertium, Quanta sit Legis ac Sacerdotij concordia.

Aquin. lect. 3.

Quoad primum. Consummatio, Græcè τελείωσις, perfectio est; perfectio autem, est sanctificatio: in tantum enim aliquis perfectus est, in quantum sanctus. Et in quantum exigit remissionem peccatorum, dicitur reconciliatio in quantum addit infusionem virtutum, dicitur innouatio: in quantum nos transcribit in amicos Dei, & regni filios, in quibus chorus sanctorum perfectus est, dicitur consummatio. Rogo vt omnes vnum sint, sicut & Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et egò claritatem quam dedisti mihi, dedi eis; vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum. Summa hæc prouectio est, supremáque perfectio. Quod enim addidit, vt sint consummati in vnum, ostendit eò perduci reconciliationem, quæ fit per mediatorem, vt perfectâ beatitudine, cui iam nihil possit adiici, perfruamur. Sed quis ille mediator, nisi Christus ipse, qui sacrificio, seu Sacerdotio æterno, nos Patri

Ioan. cap. 17

Augustin. Tract. 110. in Ioan. circa med.

Patri reconciliauit, nos iustificauit, nos glorificauit? Cum enim addidit, (ait ibidem Augustinus) Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum: se mediatorem inter Deum & homines breuiter intimauit. Quod enim ait, Ego in eis, & tu in me; ita dictum est ex personâ mediatoris: sicut illud quod Apostolus ait, vos Christi, Christus autem Dei. Sacerdos quidem medius inter Deum & homines est positus: sed quæritur quis nos in cœlum euehat, quis ad Deum perducat; quis sanctificet, quis beatificet. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat: cum nempe dixisset de Melchisedech, (ita Chrysostomus) & ostendisset quantum esset Abrahamo melior & præstantior, & magnam pronuntiasset differentiam: hinc deinceps demonstrat quid intersit inter testamentum, & quod illud quidem est imperfectum, hoc verò perfectum. Et nondum ad res ipsas accedit, sed interim depugnat ex Sacerdotio & tabernaculo. Hoc ipsum enim dico, inquit, Cur non fuit secundùm ordinem Aaron? & illud, Quid opus fuit, magnam habet emphasim. Nam si esset quidem Christus, quod ad carnem attinet, secundùm ordinem Melchisedech, deinde fuisset Lex, & quæ erant Aaronica, verisimiliter dici posset, hæc vt quæ sint perfectiora illa dissoluere, vt quæ superuenissent. Si autem Christus est posterior, & alium accipit typum Sacerdotij, est perspicuum id fuisse vtpote quòd illa essent imperfectiora. Ponamus enim, inquit, verbi causâ, omnia fuisse impleta, & nihil esse imperfectum in Sacerdotio, Quid ergo opus erat vt diceretur secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron? Cur dimisso Aarone alterum induxit Sacerdotium, nempe Melchisedicum, si consummatio ac perfectio erat per Leuiticum Sacerdotium: nempe si rerum, & vitæ dogmatum perfectio per Leuiticum Sacerdotium erat. Vno verbo, si Leuiticum perfecisset Sacerdotium, non superuenisset Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: at non gratis aut frustra superuenit: ergo consummatio seu perfectio, non à Leuitico, sed à Christiano fuit Sacerdotiò.

Chrysost. orat. 13.

Si Leui perfecisset, Christus non superuenisset.

Quoad secundum. Tria sunt obseruanda. Primum est, per Legem non solum intelligendum Decalogum, sed & omnia cōprehendenda esse instituta & præcepta, quæ per Moysen data sunt populo Israëlitico; siue illa iudicialia sint, siue ceremonialia. Ita Christus: In Lege, inquit, vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Quid in Lege vestrâ? Mosaicâ scilicet, seu Moysi à Deo data, & per Moysen populo Iudaico. Ne enim moueat quod ait, in Lege vestrâ scriptum est; & ideò quisquam existimet non fuisse illam Legem Dei, quia non dictum est in Lege Dei: sciat ita dictum esse in Lege vestrâ, tanquam diceret, in Lege quæ vobis est data, à quo nisi à Deo? En quoad iudicialia. Quoad ceremonialia verò: Non legistis in Lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt. Vide, ait Chrysostomus, quanta posuit. Locum, vbi dicit, In templo. Tempus, cum dicit, Sabbatis. Legis remissionem, cum dicit, violant, & non solùm soluunt.

Augustin. Tract. 36. in Ioan. in fine.

Chrysost. Hom. 40. in Matth.

A Et quòd non solùm liberantur à pœnâ, sed à culpâ liberati sunt: vnde dicit, Sine crimine sunt. Totam illam Legem accepit populus, Mosaicam scilicet, seu moralem, seu iudicialem, seu ceremonialem, quia totam per Moysen à Deo tenuit. Alterum, particulam sub, Græcè ἐπί, tempus designare, seu certam importare temporis circumstantiam. Ita in Actibus: Surgens vnus nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Quid est, sub Claudio? tempore Claudij: seu Claudiò imperante ac regnante. Sic apud eundem Lucam, Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha. Quia enim, ait Gregorius, Ioannes illum prædicauit, qui simul Rex & Sacerdos existeret; Lucas Euangelista prædicationis eius tempora non solùm per regnum, sed etiam per Sacerdotium designauit. Cum scilicet Tetrarchæ fratres, & Pontifices quasi semestres ministrarent: non enim tunc minus attenuatum Sacerdotium, quàm regnum; vt Reges strictis continerentur regionibus, Pontifices certis mensibus fungerentur. Tertium, inde firmandū argumentum Paulinum, Christianúmque confirmandum Sacerdotium. Certant enim contemporántque Lex & Sacerdotium: populus enim sub Sacerdotio Leuitico Legem accepit: id est, sub eodem tempore, Legem accepit, & Sacerdotiū in Lege contentum, cum sit pars Legis ceremonialis nō modica, ideóque simul data. Igitur Sacerdotium Leuiticum, non adduxit perfectionē seu consummationē per Legem: cum opus fuerit alium superuenire Sacerdotem; secundum ordinem diuersum, qui nos iustificaret sanctificarétque. In eo, inquit Athanasius, & populus ipse Legem accepit: hoc est, iussus est huiuscemodi Sacerdotio vti, & ad eius ritum intendere. Cur ergo si quæras illud eiectum est, quia impotens certè & inualidum erat.

Actuum cap. 11.

Gregorius in Euang.

Pontifices semestres in Anna & Caipha.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Simul aduenerunt Lex & Leuiticum Sacerdotium, simul etiam discedunt; nouâ Lege accedente, & nouo superueniente Sacerdotio. Tanta quippe Legis & Sacerdotij concordia est, vt simul subsistere debeant, aut simul cedere: sicut enim Sacerdotium fulcitur mandato Legis, sic & Legis transgressio, Sacerdotis officio diluitur: igitur si transferatur Sacerdotium quod populus accepit, & Lex etiam quam simul & eodem accepit tempore, transferatur necesse est. Quomodo enim legitimum auferri posset vel transferri Sacerdotium, dum Lex adhuc viuens vigensque obstaret ac reclamaret? Tria autem sunt obseruanda. Primum est, signanter dici, Sacerdotio. Non verò, Sacerdote. Lex enim, vt aduertit Aquinas, non respicit personam Sacerdotis: vnde mortuo Sacerdote, non mutatur Lex: sed mutato Sacerdotio mutatur totus modus, & ordo regiminis. Alterum, excellenter dici, Translato. Non, mutato. Non enim desiit in totum Lex, non desiit Sacerdotium, sed in aliud transiit. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu est, de quâ nullus alteri præsto fuit. Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster, in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Dictum est, Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. At ille, ἐφ' ᾧ, ad quem

Aquin lect. 3.

Non fit Legis au: Sacerdotij destructio, sed translatio.

quem id dictum est, non erat de tribu Leui, sed de tribu Iuda, vtpote filius Dauid, ideo non de tribu Sacerdotali, sed potius de Regali exortus: vnde sequitur non quidem destructio Sacerdotij, sed translatio; nec solutio Legis consequitur, sed adimpletio. Tertium denique, sic translatum Sacerdotium, vt meliori cesserit ac perfectiori, vt in nobilius transierit excellentiusque: in id enim semper tendit Apostolus, & idem concludit. Nam Aaron, ait Ambrosius, primum post datam Legem Sacerdotem de tribu Leui esse, nulli dubium est. Ideò Sacerdotium quo functus est Leuiticum nominauit. Quo Sacerdotio Leuitico multo melior Melchisedech in ordine Sacerdotali factus est, qui typum gerebat Sacerdotis nostri. Nequaquam enim dixisset, Secundùm ordinem Melchisedech, si illud Sacerdotium Aaron melius fuisset, sub quo populus Iudæorum Legem susceperat. Si igitur Sacerdotij translatio est, necesse est & Legis esse translationem. Neque enim Sacerdos potest sine Testamento esse, & sine Lege, & sine præceptis. Is enim in quo, ait, id est, de quo hæc dicta sunt, Dominum scilicet significans Saluatorem, de aliâ tribu est. Oportebat quippe vt etiam tribus mutaretur, de Sacerdotali in Regalem, vt eadem ipsa sit & Regalis & Sacerdotalis. Primum enim fuit Regale Sacerdotium Melchisedech: secundum etiam fuit Sacerdotale in Aaron: tertium in Christo fuit etiam Regale: qui Rex erat semper, Sacerdos autem factus est, quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit. Illic enim inauguratio, istic administratio.

Ambros. in Paulum.

DILVCIDATIO V.

De reprobatione.

INstat Paulus confirmátque, Legem veterem abrogandam commutandámque, Sacerdotium excludendum transferendúmque. Et amplius adhuc manifestum est: si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos, qui non secundùm Legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. Hoc igitur clariùs manifestiusque declaratur ac probatur. Nam si superueniat alius Sacerdos, non secundùm carnalem Legis veteris successionem, sed ad instar Melchisedech, secundùm spiritualem, vitam perpetuam sine solutione, ideóque sine successione præstantem. Testatur enim id Deus, loquens per Dauidem ad filium suum, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Introductio melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Inde infert clarissimè, iustéque nouum Sacerdotium Leuitico præfert. Quia enim superiùs posuit vnam rationem, (ita Aquinas) ad probandum quod Sacerdotium Christi præfertur Leuitico, & ipsum euacuat, ideò hîc ponit aliam, in quâ ostendit rationem euacuationis, & transmutationis illius. Et ratio sua talis est; Si nouus Sacerdos surgit, hoc non erit secundùm Legem carnalis mandati, sed secundùm Legem vitæ æternæ, & insolubilis. Et huius ratio est, quia primus fuit secundùm Legem illam: oportet ergo quòd nouus sit secundùm aliam Legem: si tamen surgit aliquis nouus. Sed dicendum est quòd surgit alius nouus, secundùm spiritualem virtutem, per quam generatur in nobis vita perpetua: ergo reprobatio fit præcedentis mandati. Tria igitur in his elucidanda sunt. Primum, Quid reprobatio præcedentis mandati: alterum, Quæ ratio fœderis reprobati: tertium, Quid spei melioris introductio.

Mandatum carnale quoad successionem, spirituale quoad significationem.

Aquin. lect. 3.

Quoad primum. Non reprobatur, nisi quod damnatur; non damnatur, nisi quod malum est: sed mandatum non erat malum, ergo non erat reprobandum. Reprobatio igitur, Græcè ἀθέτησις, abrogatio est, cum vis demitur Legis, cum eliditur. Facta est reprobatio, id est, vt exponit Athanasius, commutatio quædam & repudiatio præcedentis mandati, id est, anticipantis Testamenti. Lex enim, quæ dominatum olim obtinuit, tandem perdidit; & quæ viguit, meliori ac perfectiori locum concessit. Cessationem Sabbatorum, ait Augustinus, iam quidem superuacuam ducimus ad obseruandum ex quo spes reuelata est nostræ quietis æternæ: non tamen ad legendum & intelligendum, quia propheticis temporibus cum essent ista, quæ nobis hoc tempore patefacta sunt, non tantum sermonibus, sed & actionibus præfiguranda & prænuntianda, illo signo quod legimus, res ista prænotata est quam tenemus. Legem ergo pro conditione temporum reformauit Deus in hominis salutem, & in melius innouauit. Vt opinor enim, ait Tertullianus, vnius & eiusdem Dei vtraque pronuntiatio & dispositio est, qui tum quidem in primordio sementem generis emisit indultis coniugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec nouæ disciplinæ materia proficeret: nunc verò sub extremitatibus temporum cõpressit quod emiserat, & reuocauit quod indulserat: non sine ratione prorogationis in primordio, & pastinationis in vltimo. Propterea syluam quis instituit, & crescere sinit, vt tempore suo cadat. Sylua erit vetus dispositio, quæ ab Euangelio nouo deputatur, in quo & securis ad radices arboris posita. Sic & oculum pro oculo, & dentem pro dente, iam senuit, ex quo iuuenuit. Malum pro malo nemo reddat. Puto autem etiam in humanas constitutiones atque decreta, posteriora pristinis præualere. Castrata nonnunquam legum licentiâ, pro temporum differentiâ: Sicut sapiens dispensator, (vti docet Aquinas ex Augustino) vnâ & eadem dispositione, & prouidentiâ, secundùm diuersitatem temporum, & personarum dat alia & alia præcepta: sicut & alia hyeme, & alia æstate, alia pueris, alia senibus, alia perfectis, alia imperfectis, & tamen est eadem prouidentia: ita diuinâ Prouidentiâ immobili permanente, mutata est Lex propter mutationem temporum: quia antè aduentum debuerunt dari præcepta, quæ figurarent venturum; sed post aduentum, quæ significent venisse. Data sunt illis præcepta, sicut pueris: in nouo autem Testamento, sicut perfectis. Vnde Lex dicitur pædagogus, quod est propriè puerorum:

Athanas. in Paulum.

Augustin. lib. 6 cont. Faust. cap. 4.

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 6.

Aquin. lect. 3.

Castrata legum licentia pro temporum differentiâ.

puerorum: & si in lege dicitur aliquid quod A sonet perpetuitatem; hoc est ratione figurati. Reprobatur ergo Lex, seu abrogatur, repudiatúrque, dum potentiam amittit seu efficaciam, dum ligare seu obligare desinit conscientiam: non quia mala, sed quia mortua, seu vi dirigendi ac cogendi iam destituta.

Quoad secundum. Tres adducit Paulus reprobationis, seu euacuationis rationes: infirmitatem & imperfectionem. De primâ, Audi diligenter (ait Chrysostomus) Non dixit quòd sit vitiosum & prauum mandatum, sed propter infirmitatem eius. Porrò autem alibi quoque ostendit eius imbecillitatem, quando dicit, In B quo infirmabatur per carnem: non est ergo imbecillum, sed nos. Infirmitas quidem non tam in diuinâ lege, quàm in carne nostrâ: verùm & illa eatenus infirma, quatenus curandis infirmitatibus nostris, & vulneribus persanandis minus est idonea. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis. Infirmitatis plena, virtutisve egentia. De secundâ, non censuit Paulus, legem fuisse, vel etiamnum esse planè inutilem; cum multiplices legis vel moralis vel ritualis vtilitates docuerit. Ecce, inquit Tertullian. & testimonium perhibet legi, & causâ delicti eam C excusat. Quid ergo dicemus; Quia Lex peccatum? Absit. Erubesce Marcion: Absit: abominatur Apostolus criminationem Legis. Sed ego delictum non scio, nisi per Legem. O summum ex hoc præconium Legis, per quam licuit delictum latère! non ergo Lex seduxit; sed peccatum per præcepti occasionem. Quid Deo imputas Legis, quód Legi eius Apostolus imputare non audet? Atquin & accumulat, Lex Sancta; & præceptum eius iustum & bonum: Si autem & spiritalem confirmat Legem? vtique & figuratam, vtique & propheticam. Debeo enim & hinc constituere Christum in Lege figuratè prædicatum, quo nec à Iudæis omnibus poterit agnosci. In quo igitur inutilitas D Legis? in quo & infirmitas. Cum enim ex se nec per præcepta; nec per sacrificia, veram poterit inducere iustiam, cum purgare non valuerit conscientiam; quid vltra vsum eius expectamus; aut feramus imperium? De tertiâ, dum imperfectionis meminit, non ei vitium impingit, sed perfectionis defectum. Quare enim sit infirmum, ait Aquinas, & inutile mandatum, ostendit Paulus, cum dicit: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex, nec iustitiæ scilicet, nec patriæ. Illud quippe dicitur infirmum, quod non potest exequi effectum suum: proprius autem Legis & Sacerdotij, est iustificare: hoc autem Lex non potuit facere. Hoc & inutile dicitur, quod E non valet ad finem consequendum: hoc autem non potest Lex, quia non adducebat ad beatitudinem, quæ finis est hominis. Erat ergo imperfecta, sed perfecta fuit per Christum: Qui scilicet indidit virtutem, & ad finem adduxit. Reprobatio igitur fit præcedentis mandati, vt inconuenientis, vt minimè sufficientis, imò & deficientis; íamque obseruatio illius non solùm inutilis, sed & vana; cum non solùm effectui inidonea, sed & tempori incongrua.

Chrysost. orat. 13.

Galat. c. 4.

Tertull. l. 5. adu. Marc. cap. 13. vera iustitia nec præceptis inducta, nec sacrificiis.

Aquin. Lect. 3.

Quoad tertium. Si nouus surgit Sacerdos, non secundùm successionem carnalem, sed secundùm virtutem spiritualem; vtique per illum introductio fit melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Quid enim nos diuidit à Deo, quid disiungit, nisi peccatum, seu contractum, seu perpetratum? Remoto igitur peccato, proximamus ad Deum, spe iam ipsque nos per gratiam introducendos in gloriam: talis quippe finis Legis, certúsque Christiani effectus Sacerdotij. Quid est, inquit Chrysostomus, Nihil ad perfectum adduxit Lex? Neminem fecit perfectum, si ei non obediatur. Quanquam nec si audita fuerit, perfectum reddiderit & virtute præditum. Interim autem non hoc dicit, quod hîc dicitur, sed quod non valuerit, nec vim habuerit. Et meritò: ita enim sitæ erant litteræ: Hoc fac, & illud non fac: solùm subiicientes, non etiam vim & potestatem afferentes. Spes autem non est eiusmodi. Quid est ergo reprobatio? Eiectio. Reprobatio est abrogatio & deletio eorum quæ vim habebant & valebant. Quamobrem ostendit quòd vim habuit & valuit, sed deinde fuit habita despectui, quoniam nihil effecit. Nihil ergo Lex profuit? Profuit quidem, & valde profuit, sed ad reddendum perfectos nihil profuit. Lex enim nihil reddit perfectum. Ideò dicit, omnia erant typi, omnia vmbra, circumcisio, sacrificium, sabbatum. Non potuerunt itaque animam persuadere, propterea cedunt & abscedunt. Introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Nam illa quoque spem habebant, sed non talem. Sperabant enim, si Deo placuissent, se terram habituros, & nihil graue passuros. Hîc autem speramus, si Deo placuerimus, nos non terram possessuros, sed cœlum potius, quod est hoc melius & præstantius: speramus fore vt simus propè Deum, ad ipsam sedem veniamus paternam, ei ministraturi cum Angelis. Lex quidem vim habebat ad obligandum, sed ex se vim non habebat ad iustificandum, sanctificandumve. Beatus tamen pronuntiatur, qui Legem meditatur? quia non tam officium Legis operari per obsequium, quàm per affectum scrutari debet Legis spiritum. Quid enim faceret beatum hominem, ait Tertullianus, quàm in Lege Domini voluntas eius? & in Lege Domini meditabitur die ac nocte. Quam Legem non duritia promulgauit auctoris, sed ratio summæ benignitatis, populi potius duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis: vt nihil de arcanis attingam significantis Legis, spiritalis scilicet & propheticæ, & in omnibus penè argumentis figuratæ. Sic ergo, Scribit Apostolus Paulus, (ex Ambrosio) quia nullum ad perfectum adduxit Lex. Nullum scilicet eorum, qui eam carnaliter intelligunt & operantur: eos verò qui eam spiritaliter intelligunt & operantur, ad perfectionis culmen sine dubio erigit. Perfecti Patriarchæ, perfecti Prophetæ; Sed spiritales viri, & per Legem, meliorem addiscentes redemptionem, spemque meliorem concipientes.

Chrysost. orat. 13.

Lex vim habebat ad obligandū, sed non ad sanctificandum.

Tertull. lib. 2. aduers. Mar. c. 19.

Ambros. in cap. 6. Apo. cal.

DILVCIDATIO VI.

De interpellatione.

MVlta quidem simul congerit Apostolus, sed per ea, vnicum, oblationis scilicet, seu interpellationis scopum respicit. Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt) hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum: in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluaret in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deū, semper viuens ad interpellandum pro nobis. En quò ducat Apostolus, & in quo sistat: vt Christus, sacrificio solemni, seu sacerdotali officio, sanctificet saluetque electos suos orando & interpellando. Sed tria in Paulo spectanda sunt: firmitas, perpetuitas, efficacitas: sic enim indicata sunt, vt sint etiam elucianda.

Quoad firmitatem. Res solemnis & ardua, fides autem nostra imbecillis & tarda. Vides ergo, ait Chrysostomus, quòd hîc sic fuerit iuramentum necessarium. Quamobrem superiùs iam multa est philosophatus, quòd Deus iurauerit vt esset certior & plenior persuasio. Ecce igitur alia differentia: neque enim hæc temere & leuiter sunt promissa, inquit. Sed in quantum non sine iureiurando, (alij quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt) hic autem per iusiurandum, per eum qui dixit ad illum, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum: in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Tanto scilicet melioris testamenti, quòd iurauerit eum semper futurum. Ita in re simili. Disposui testamentum selectis meis. Quod testamentum, inquit Augustinus, nisi nouum testamentum; Quod testamentum, nisi quo renouamur ad nouam hæreditatem? Quod testamentum, nisi cuius hæreditatis desiderio & amore cantamus canticum nouum? Disposui, inquit, testamentum electis meis: Iuraui Dauid seruo meo. Quàm securus loquitur iste qui intelligit, cuius os seruit veritati? Quoniam dixisti, securus loquor. Si securum me facis, quia dixisti: quanto securiorem, quia iurasti? Dei quippe iuratio, promissionis est confirmatio. Videamus ergo quid iurauerit Deus, qui solus securus iurat, quia falli non potest. Iuraui, inquit, Dauid seruo meo: Vsque in æternum præparabo semen tuum. Semen Dauid quod est, nisi semen Abrahæ; Et semini tuo, inquit, quod est Christus. Et nos sumus semen Abrahæ, sicut Apostolus ait: Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem hæredes. Sic ergo accipiamus, Vsque in æternum præparabo semen tuum, non tantùm illam carnem Christi natam ex Mariâ Virgine, sed etiam nos omnes credentes in

Chrysost. orat. 13.

Augustin. con. 1. in. Psal 88. post init.

Solus Deus iurat securus.

A Christo. Si in æternum caput, in æternum gloriantur & membra, vt sit ille Christus integer in æternum: Vsque in æternum præparabo semen tuum. Inde testamentum immobile, quia promissum inuiolabile. Audisti, ait ille, confirmationem tuam: audi securitatem tuam, si te in membris Christi esse cognoscis. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar. Expectas vt iterum iuret Deus? Quoties iuraturus est Deus, si semel iurando mentitur? Vnam iurationem pro vitâ nostrâ habuit, qui pro nobis ad mortem vnicum suum misit. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: Semen eius in æternum manebit. In æternum
B manet semen eius, quia nouit Dominus qui sunt eius. Manebit promissio mea, implebitur iuratio mea. Semel iuraui in sancto meo, intus in secreto quodam, in ipso fonte, vnde Prophetæ biberunt, qui nobis hæc eructauerunt: Semel iuraui, inquit, si Dauid mentiar. Semel loquitur Deus, & idipsum non repetit, manétque immobile quod promisit, quia loquitur ex veritate. Semel iurat Deus, nec iterat, quia stat inuiolabile quod iurauit, nec minus enim firmitate constat, quàm veritate. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum. Tam immutabile promissum,
C quàm iuramentum inuiolabile: quia quæ de labiis procedunt diuinis, non possunt esse irrita: quasi leuitate animi, aut potentiori virtute, cassa reddita. Ita ille: Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tuâ? Non quòd reuocet in dubium, sed quod effectum sollicitet, certò, ne dicam & necessariò secuturum. Vnde ergo firmitas & immutabilitas noui Sacerdotij? non solùm ex promisso, sed & iuramento, quo cauit Deus, & omni occurrit dubitationi. Alij sine iureiurando facti sunt Sacerdotes; ideóque mobiles, imò & exclusi, quasi sententia mutauerit, vel obrepserit pœniten-
D tia. Christus autem cum iureiurando factus est Sacerdos: & in quantum maiori solemnitate, seu ampliori firmitate Sacerdos institutus est, in tantum melioris testamenti, & nobilioris Sacerdotij fideiussor declaratus.

Quoad perpetuitatem. Alij plures facti sunt Sacerdotes, quia non minus mortales, quàm mobiles: hic autem cum immortalis sit, secundùm virtutem vitæ insolubilis, sempiternum habet Sacerdotium: illi ad tempus, hic vero perpetuus; licet enim ministros habeat tanquam vicarios, quoad commemorationem sacrificij, & dispensationem mysterij; nullos tamen habet successores, quoad
E institutionem Sacerdotij: quamuis enim mortuus sit Christus Sacerdotium tamen non amisit, sed communicauit ministerium. Idem ille fuit Sacerdos & viuus & mortuus & suscitatus quia Sacerdotium eius perpetuum, Græcè ἀπαράβατον, nusquam enim officium transiit ad alium. Inde dicitur secundùm similitudinem, seu secundùm ordinem Melchisedech: imò dicitur assimilatus filio Dei, quia eiusdem quidem titûs, sed typus in Christum conspirat, in quo tanquam incomplemento consummat Sacerdotium. Sciendum est enim (ex Aquinate) quòd solet dici, quòd posteriora assimilantur prioribus, &

Augustin. con. 2. in Psal. 88. post init.

Psal. 131.

Psal. 88.

Christus ministros habet, non tamen successores.

Aquin Lect. 1. in cap. 6.

& non è conuerso. Et ideo ne credatur quòd Sacerdotium Christi sit posterius Sacerdotio Melchisedech, hoc remouet Apostolus: quia etsi Christus inquantum homo natus sit post eum, tamen inquantum Deus, & Filius Dei est ab æterno. Et ideò Melchisedech secundùm omnia ista, assimulatus est illi, qui est filius Dei: & hoc inquantum manet Sacerdos in perpetuum: quia non fit mentio de fine Sacerdotij eius, nec successoris ipsius. Perpetuus ille, sed in typo? Christus verò, perpetuus in officio; ille in figurâ, iste in re figuratâ. Sed excellentia Sacerdotij vicarios prouocat, pulsatque in conscientiâ, tanquam perpetui ministros sacrificij. Quid enim Sacerdos noui Testamenti, nisi Angelus Domini? ideóque sine carne & sanguine; licet dispensator carnis & sanguinis, sed tam immortalis quàm incorruptibilis. An ignoras, ait Chrysostomus, quid sit Sacerdos? Angelus vtique Domini est. Non ex seipso loquitur: nam si per illum non operatur Deus, neque lauacrum habes, neque mysteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Nisi hanc tu habeas opinionem, spes tua inanis facta est: non es Christianus. Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipse operatur; salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Quid inde? Concludit & ille. Oportet ergo & eos quorum est Sacerdos longe esse meliores, & quantum ni Aaronem & Christū interest, tantū interesse inter nos & Iudæos. Ecce enim in superis habemus victimā, in superis Sacerdotē, in superis hostiā. Eas offeramus hostias quæ in illâ curâ possint offerri: non amplius oues & boues, non amplius sanguinē & nidorem. Hæc omnia sunt abolita, & pro eis introductus est cultus rationalis. Quid est autem cultus rationalis? Quæ per animam offeruntur, quæ per spiritum. Spiritus: inquit, est Deus, & eos qui ipsum adorāt, in spiritu & veritate oportet ad orare. Cultus rationalis, dum non carnalis iam, sed spiritalis: omnia quippe sanctos, tanquam apud Angelos, tam spiritalia quàm cœlestia, ideóque tam immortalia quàm incorruptibilia.

Chrysost. in Mor. Hom. 2. in cap. 1. 2. ad Timoth.

Chrysost. in Morat. 11.

Quoad efficacitatem. Talis interpellatio, qualis & postulatio, quæ quando est efficax nunquam fructu careat & effectu. Nam, ait Augustinus, de Domino Iesu Christo dictum est, quod interpellat pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Euidēter quippe de eo dicitur: Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris. Interpellatio illa, certa aduocatio est, & indubita petitionis seu salutis impetratio. Inter immortalem quippe iustum, ait Gregorius, & nos mortales iniustos apparuit mediator Dei & hominum: vt quia per ima nostra longè distabamus à summis, in seipso iungeret ima cum summis: atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. Hunc ergo beatus Iob per totius Ecclesiæ significationem loquens, mediatorem requirit, qui cum dixisset, Quis mihi tribuat adiutorem aptē subdidit, Vt desideriū meum omnipotens audiat. Sciebat quippe, quòd ad requiem liberationis æternæ, humanæ preces, nisi per aduocatum

Augustin. epist. 54. q. 5.

Gregorius lib. 22. Moral cap. 13.

A suum audiri non possent. De quo per Ioannem Apostolū dicitur. Aduocatū habemus apud Patrē Iesum Christū iustum. De quo Paulus Apostolus dicit: Christus Iesus qui mortuus est pro nobis, imò qui & resurrexit, qui est in dexterâ Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Vnigenito enim filio pro homine interpellare, est apud coæternū Patrem seipsū hominē demonstrare: eique pro humanâ naturâ rogasse, est eandē naturâ in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus: quia quod damnari in electis noluit, suscipiēdo liberauit. Porrò, Tria de Christo dicta sunt ab Apostolo. Primùm est, saluare in perpetuū accedentes ad B Deū, id est in æternā felicitatem adducere; tamque perfectā salutem parere, quàm & perpetuā. Alterū, saluare per semetipsū, quamuis enim alij postulent pro nobis, quasi mediatores seu intercessores inter nos miseros & Iesum iustum constituti; tamē non nisi per Christū accedimus ad Deū, nec per aliū aut gratiæ aut gloriæ recipimus beneficiū. Tertiū, semper viuere ad interpellandū pro nobis, continuū peragere Sacerdotis officium & inexhaustum offerre passionis meritum, quoadvsque cōpleatur numerus C electorum, beneficiorumq; cumulus augeatur. Quando enim vt Sacerdos, (ita Chrysost.) tunc etiam interpellat & intercedit. Vnde dicit, Et potest saluare. Propterea ergo seruat, quia non moritur, non habet, inquit successorem. Si autē non habet successorem, potest etiam omnes defendere, & eorum esse patronus. Ne timeatis, neq; dicatis, Certè nos diligit, fiduciam habet apud Patrem, sed non sēper viuit: sēper enim viuit, & seruat in perpetuum. Quid est in perpetuū? Non hic solùm, inquit, sed illic quoque eos seruat qui per ipsū accedunt. Quid est in perpetuū? non solùm ad tempus, sed etiam illic in vitâ futurâ. Quomodo seruat? semper viuens ad D interpellandum pro nobis

Interpellatio continua certa est aduocatio.

Chrysost. orat. 13.

DILVCIDATIO VII.

De perfectione.

NEcessarius nobis talis aduocatus, patronúsque immortalis ac perpetuus. Talis enim decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sa- E cerdotes infirmitatem habentes. Sermo autem iurisiurandi qui post legem est, filium in æternum perfectum. Hic tria facit Apostolus: omnes imperfectiones excludit à Christo: omnes in eo perfectiones includit: ostendit nihil illo sublimius, nihil excellentius.

Quoad primum. Lex constituit homines non Angelos in Sacerdotes, ideóque fragiles, infirmos, multis lapsibus, multis obnoxios imperfectionibus. Idcircò præcepit Sacerdotes imò & Pontifices prius offerre pro peccatis suis, deinde pro peccatis populi sui, id est, à seipso tanquam infirmo homine & misero peccatore incipere. Dixit Moyses ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo

Leuit. c. 9.

tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo: cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eo sicut præcepit Dominus. Statimque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro peccato suo: cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui. Quomodo reconciliabit populum Deo, nisi prior ipse reconcilietur? quomodo expiabit, nisi prior expietur? Ergo orabat pro se, ait Aquinas: nec tantùm semel, sed frequenter. Et huius ratio est, quia lex instituit homines Sacerdotes habentes infirmitatem. Quid infirmitatem? Prauam cupiditatem, innatam delinquendi ac labendi pronitatem. Nec enim homines licet labiles, licet peccatores, infirmos licet atque imperfectos excludit à Sacerdotio; sed permittit fungi, & indulto vti ministerio. At verò Christus, Non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Non pro seipso, ait Chrysostomus, quomodo enim pro se offerret, sed pro populo. Sacerdotes pro se semper offerunt: qui autem non habet peccatum, cur pro se offerat, aut sæpè pro alijs? Est igitur duplex infirmitas: naturalis vna seu corporalis, altera moralis: illa defectum quidem importat, sed ista peccatum perpetrat. Quoad primam, Christus, vt Paulus dixit, crucifixus est ex infirmitate. Quoad alteram, ne quidem natus est in infirmitate: nullâ infectus labe peccati, nullâ pronitate peccandi, nulla imperfectione morali. Solus ille est, qui mortalis fuit, & inter homines mortales ab omni peccato, ab omni næuo immunis fuit. Vnde solus dignus Sacerdos, qui tanquã Sol præluceat inter omnes Sacerdotes, nec dignitatem duntaxat, sed & æternitatem sui obtineat Sacerdotij. Sicut enim videmus in naturalibus, quæ sunt signa spiritualium, quòd incorruptibilia non multiplicantur sub eadem specie, vnde non est nisi vnus Sol: ita in spiritualibus in Veteri Testamento, quod fuit imperfectum multiplicati fuerunt Sacerdotes. Et hoc fuit signum, quod illud Sacerdotium erat corruptibile, quia incorruptibilia non multiplicantur in eadem specie. Sed iste Sacerdos, scilicet Christus, est immortalis, sicut Verbum Patris æternum, ex cuius æternitate redundat etiam æternitas in corpus eius, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: manet enim in æternum, habetque Sacerdotium sempiternum: & ideò solus Christus est verus Sacerdos, alij autem ministri eius. Si mortuus fuit ex infirmitate, nunc viuit ex virtute, nulli cedens infirmitati, nulli succidens defectui.

Aquin. Lect. 4.

Chrysost. orat. 13.

Duplex infirmitas, corporalis & moralis.

Aquin. Lect. 4.

Quoad secundum. Parùm sit quod imfectionibus careat, quid verò quòd omnibus polleat perfectionibus? Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex. Itaque, inquit Athanasiaster, ὅσιος religiosus & sanctus est, qui nihil eorum quæ facere debeat, intermittit: ἄκακος verò & innocens, qui caret malignitate: neque enim, inquit, eius in ore inuentus est dolus: incoinquinatus, segregatus à peccatoribus: Legis enim, inquit, Sacerdotes, etsi in ceteris polleant sanctitate, pro naturâ tamen humanâ, nequitiæ arguuntur, nec prorsus sunt à delinquentibus ipsis seiuncti, quippe qui & ipsi sint peccatis obnoxij. Pontifex verò hic noster, omni est virtute Superior, & à peccatoribus ipsis penitus alienus. Est igitur sanctus purúsque, & ideò sacris obeundis maximè idoneus: innocentemque dicit, nequitiæ omnis, & omnis expertem versutiæ. Impollutum, nullâ labe fœdatum, nullâ sorde inquinatum. Segregatum à peccatoribus, eum nempe ab ipsorum moribus & consuetudinibus eximit. Ponit igitur, ait Aquinas, quatuor conditiones de ipso, quæ debent esse in Sacerdote legali. Primò quòd sit sanctus. Leuit. 21. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt. Hanc autem perfectè habuit Christus. Sanctitas enim importat puritatem consecratam Deo. Christus autem à principio conceptionis suæ Deo consecratus fuit. Luc. 1. Quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur. Secundò, quòd sit innocens. Leuit. 22. Custodiant præcepta mea, vt non subiaceant peccato. Propriè autem dicitur innocentia, puritas ad proximum. Psalm. 25. Innocens manibus. Christus autem summè innocens fuit, vtpote qui peccatum non fecit. Psalm. 25. Ego autem in innocentiâ meâ ingressus sum. Tertiò, quòd esset impollutus: & hoc quoad Leuit. 21 Homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offerat panes Dei sui. De Christo autem dicitur in figurâ Exod. 12. Erit autem agnus sine maculâ. Quartò, quod non commisceretur cum coinquinatis. Leuit. 21. Non commiscebit stirpem generis sui, vulgò gentis suæ. Christus autẽ fuit perfectissimè à peccatoribus segregatus. Psalm. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit. Quod quidem verum est, quantum ad similitudinem vitæ. Nihil simile, vel commune cum illis habuit, cum fuerit sanctus sanctorum, & in totum perfectus. Sermo autem iurisiurandi, qui post Legem est, filium in æternum perfectum. Constituit scilicet, dum erigit in Sacerdotem, tam sanctum quàm innocentem, nullo vnquam peccato inquinatum, nullo vnquam inquinandum: sed in eadem puritate, in eadem semper sanctitate permansurum.

Athanas. in Paulum.

Aquin. Lect. 4.

Quatuor conditiones Sacerdotibus congruentes.

Quoad tertium. Adeò sanctus, adeò à peccatoribus & eorum segregatus imperfectionibus, vt supra creaturam omnem spiritalem, nedum corpoream sublimatus sit, & ad dexteram Dei collocatus. Excelsior, ait Ambrosius, factus est cælis, excelsior Angelis, & melioris testamenti factus est sponsor, ipse qui erat prioris. Sed quomodo factus sit, considera. Primùm quòd purificatione factâ considet in dextera magnitudinis in excelsis, tanto melior factus Angelis. Vbi purificatio, hostia: vbi hostia, corpus: vbi corpus, oblatio: vbi munus oblationis, ibi sacrificium passionis. Excelsior quoque cælis factus quomodo sit ostenditur. Immaculatus, inquit, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet quotidie necessitatem, sicut Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo, sicut scriptum est. Nemo excelsior factus dicitur, nisi qui in aliquo fuerit humilior. In eo igitur excellentior factus est, sedendo ad dexteram Patris, in quo se, minor Angelis factus, obtulit

Ambros. lib. 3. de fide cap. 5.

Fit ille excelsior, qui fuit humilior.

obtulit passioni. In quo passus est, nisi in corpore? In quo Sacerdos, nisi in eo quod Sacerdotali assumpsit ex genere? Sacerdos enim aliquid debet offerre, & secundùm legem in Sancta intrare per sanguinem. Et quia sanguinem taurorum hircorúmque repudiauerat Deus, hunc vtique Sacerdotem per suum sanguinem, in Sancta Sanctorum cæli summa penetrantem oportebat intrare, vt æterna nostrorũ esset ablutio peccatorum. Idem ergo Sacerdos, idem & hostia, & sacerdotium. Quomodo ille peccato affinis, qui sublimis in cœlo, omnibus supereminens spiritibus, & paterno throno insidens? B Cum vero factus est, ait Athanasius, perspicuum est secundùm carnem de Christo id dici. Nam vt Deus, perpetuò est in cœlo sublimior. Modicum quid citra Angelos minoratus, sed supra ipsos in æternum exaltatus: tanto illis dignior & excellentior, quanto Sanctior. Accipe igitur, (ex Ambrosio) quia ipse Princeps est Sacerdotum, pater iurauit de eo, dicens: Tu es Sacerdos in æternum. Rectè in æternum, quia alij temporales omnes sub peccato: hic autem impræuaricabile habet Sacerdotium.

Athanas. in Paulum.

Ambros. lib. de fugâ secu. cap. 3.

A Omnes sub morte, hic autem semper viuens: quoniam qui saluare alios potest; ipse perire quemadmodum posset? Talis enim, inquit, nobis decebat. Recta locutio. Siquidem & apud eos qui verborum & elocutionum delectum habuerunt, huiusmodi inuenitur, dicente eorum aliquo, locum editiorem quàm victoribus decebat, capit. Quod ideò non præterij; vt sciamus quia Apostolus non naturalibus magis quàm vulgatis aut secundùm artem vtitur verbis. Talis ergo, inquit, nobis decebat, vt esset Sacerdos iustus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Hoc est igitur Verbum, quod suprà cælos habitans illuminat omnia. Vnde & vnctus naturaliter legitur à Deo patre: quia lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc est Verbum Dei, in quo est magnum Sacerdotium; cuius Moyses in illo vestimento Principis Sacerdotum, indumenta describit intelligibilia; quòd virtute suâ induit mundum, & tanquam eo amictus fulget in omnibus.




CAPVT OCTAVVM.

Summa.

Rationem aperit institutionis veterum Sacrificiorum: ostenditque vmbram cessisse lumini, figuram detulisse Christo vt vero Pontifici.

TEXTVS.



Capitvlvm autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cælis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat: si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundùm legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda, testamentum nouum; non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terrâ Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum

superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit propè interitum est.

A

EXEGESIS LITERALIS.

COLLIGIT in summam quæ iam dicta sunt, præcellentiamque astruit noui Testamenti, ex antiqui exclusione seu defectione.

Capitulum autem super ea quæ dicuntur, &c. Recapitulanda sunt ea quæ diximus, & paucis contrahenda, maximè quæ dicta sunt de Sacerdotij Christi præcellentiâ. Apud Athanasium. Caput autem super ea quæ dicuntur. Caput semper quod summum est dicitur. Cum enim quis sit paucis complexurus quæ magis sunt propria, breuiter inquit & summatim se verba facturum; Vti & caput, & si breue aliquid sit, principale tamen est corporis membrum, & cæteris proprius. Ait itaque hoc loco Apostolus, caput est super ea quæ dicuntur, id est, quod præstantius dicam & breuius. Quid porrò? Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cælis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo &c. Hoc est ergo quod dicere volo & imprimere. Pontifex noster talis est, vt in excelsis sedeat ad dexteram Maiestatis, ideóque omnibus superemineat Pontificibus. Cui enim dicitur, Tu es Sacerdos in æternum; eidem dicitur, sede à dextris meis. Ille enim minister, Græcè λειτουργὸς, sacrorum administrator, futurorúmque bonorum dispensator: sedens præsidensque in illo vero tabernaculo, quod non arte humanâ fixum est, sed diuinâ virtute stabilitum. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat: si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundùm legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium &c. Quidni in cœlo, tanquam in sanctuario suum exerceat sacerdotium, impleatque ministerium? Sed cum omnis Pontifex constitutus sit, ad offerenda dona & Sacrificia, necesse est vt habeat aliquid quod offerat, interpellando, & eandem pro electis suis repræsentando hostiam. Si autem de genere terrestrium esset Pontificum, nequidem Sacerdotis fungeretur officio, vel ferretur in ministerio, quandoquidem iam essent alij per legem constituti, qui iniunctum implerent ministerium: illi enim per eas ministrabant ceremonias, quæ res figurabant cælestes; erant namque vmbra rerum spiritalium, & veterum figuræ sacrificiorum. Horum enim Sacrificiorum, ait Commentator Ambrosianus, omnia Leuitici Sacerdotij sacrificia signa fuerunt: quia lex per Moysen data, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est.

Athanas. in Paulum.

B

Christus in cœlo tanquã in Sanctuario.

C

D

Comment. Ambros.

Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte &c. Tale namque oraculum accepit Moyses: Inspice, inquit, & fac omnia secundùm formam in monte tibi propositam. Aliud ὑπόδειγμα, aliud verò τύπος. Exemplati deseruiunt. Id est figuræ præeunti, seu subobscuræ delineationi. Hic verò, secundùm exemplar κατὰ τύπον, ideam imitandam. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est; quod in melioribus promissionibus sancitum est. Nam si illud priùs culpâ vacasset: non vtique secundi locus inquireretur &c. At verò nobilius Sacerdotium nactus est, & excellentius officium consecutus, tantoque sublimius, quanto melius digniusque testamentum est, cuius ipse mediator est sponsórque: potiora namque sunt cælestia terrenis, æterna caducis: at sicut istis pactis vetus testamentum conuentis, sic & nouum illis firmatum est. Si enim nihil defuisset priori, nullus relictus fuisset posteriori locus. Probat (ait Aquinas) quod illud testamentum, cuius Christus est mediator, melius est: & facit talem rationem. Si primum testamentum non habuisset culpam, non quæreretur aliud ad corrigendum defectũ ipsius: sed quæritur, ergo est melius. Docet enim quod ignorabatur quoad disciplinam, supplet quod desiderabatur quoad gratiam. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda, testamentum nouum; non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terrâ Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus &c. Dixerat prius testamentum non vacare culpâ, seu, vt ex Græco, non esse irreprehensibile. Probat: Vituperans enim eos, Græcè est μεμφόμενος, arguens, reprehendens eos, quibus prius testamentum consignatum est? reprehendens, inquam, velut contumaces, sed per infirmum illud testamentum minimè sanabiles. Dicit ergo Deus per Hieremiam Prophetam, se pactum nouum cum electis suis initurum. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor, &c.

Testamenti pactis ac promissis cõfirmatum.

Aquin. Lect. 1.

E

Hoc

Hoc ergo pactum, hoc noui promissum Testamenti. Promittit enim Deus se scripturum legem suam, non iam in lapidibus aut membranis, sed in tabulis cordis carnalibus, salutiferamquè sui notitiam non codicibus impressurum sed mentibus, se protecturum electos suos & omnia eorum peccata obliteraturum. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est. Ex textu Ambrosiano: Dicendo autem nouum, antiquauit primum. Et ex Commentario. Sumens à Propheta fiduciam Paulus, amplius in illud testamentum inuehitur, commodè ostendens quoniam nostra nunc florent, illa vetusta sunt, & propè interitum. Nostra vigent, illa verò disparent, abeunt, pereúntque

Comment. Amb.



DILVCIDATIONES in caput octauum.

PAVCIS textum absoluimus, &, vt ita dicam ex Paulo, contraximus in compendium. Capitulum super ea quæ dicuntur. Sed summa est eorum quæ dicenda sunt, & pluribus pertractanda: etsi enim nonnulla elucidata sunt, alia tamen sunt enodanda.

DILVCIDATIO I.

De ministerio.

IAm hoc dictum est, iterúmque dicendum. Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cælis. Hoc summum, sicut & præcipuum. Breuis quidem dictorum complexio, sed sublimis dicendorum præfatio. Tria autem in Pontifice consideranda sunt, suggestus, munus, & actus. Tria enim ista ministerium promouent, complent officium.

Quoad primum. Eminet Pontifex, dum præsidet, dum sedem tenet honoris, & in apicem præfulget dignitatis. Ita Optatus Mileuitanus, inter enormia Felicis crimina. Donatum, inquit, annorum septuaginta Episcopum hominem, innocentem spoliare ausus est Episcopali nomine, & officio & honore. Tria quidem in Episcopo spectanda sunt. Prius enim nominabatur, tum & applicabatur ad officium; postremò in honoris sede collocabatur. Poterat nominari, & non applicari; poterat applicari, & non collocari: sed si collocatus fuisset, & in suggestum sublimatus, fastigium occupabat, nec de sede poterat deturbari vel deiici, quin & honore priuaretur, spoliaretur dignitate. Apud nos, ait Tertullianus, pleniùs atque instructiùs præscribitur vnius matrimonij esse oportere qui alleguntur in ordinem Sacerdotalem. Vsque adeò quosdam memini digamos loco deiectos; id est, depositos, degradatos, exauctoratos, tam honore quam & sede priuatos. Linguas vestras acuistis in gladios, ait Optatus, quas mouistis in mortes, non corporum, sed honorum. Iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? Valent quidem membris, sed ereptæ portant funera dignitatis. Inuenistis Diaconos, Presbiteros, Episcopos: fecistis laicos. Deuterium, Partenium, Donatum, & Getulicum, Dei Episcopos, linguæ gladio iugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerunt postea homines, sed à vobis occisi sunt in honoribus Dei Sacerdotes. Si cuncta malignitate quadam ordinasse vos constat, vt in vnâ specie operis, species alias impleretis: vt dum Presbyter aut Episcopus deiicitur, sic populus caperetur. Hoc est quod ille vocat, Viuum homicidium, quia viuebant homines, sed interibant Sacerdotes, vtpote de loco deiecti, & permisti populo, aliis in locum eorum intrusis. Tria igitur consideranda sunt. Primum est, & Presbytero suam fuisse sedem sed inferiorem & secundam ab Episcopo. Sciant, ait Tertullianus, in Asiâ Presbyterum qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Honoris loco excidisse, fastigio dignitatis. Alterum, Episcopo primam sedem altiorémquè sedem reseruatam; & illum inde dictum præsidem seu præsidentem. quod non solùm prior sederet, sed & altior emineret. Præscriptio Apostoli, ait ille, digamos non sinit præsidere. Quid est præsidere, sedem honoris occupare, dignitatis apicem conscendere. Intendunt enim Episcopi, & è loco excelso prospiciunt. Tertium, deiectos, seu depositos, notâ inustos infamiæ, & quasi vsurâ vitæ priuatos: cum enim de throno subliminore deturbarentur, & solio altiore, & ad ipsos ablegarentur laicos, quibus imperitarant aliquando, dum sacra ministrarant mysteria; indignius & intolerabilius erat superuiuere, quàm in contemptu, seu sine gradu viuere. Eucharistiæ Sacramentum, ait Tertullianus, non de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus. Vbi verò de sede deiecti, ibi etiam functione destituti? nec tam ad vitam seruati, quàm ad miseriam & ignominiam. Quæstio est igitur de honoris sede, sed principalis, quam obtinuerunt etiam Pontifices Leuitici quandiu potestatem tenuerant quasi regiam: quod enim apud nos ecclesiasticus concessus, hoc apud illos antiquum synedrium. Sed quantumuis sustuleris Pontifices, nunquam talem effeceris, vt in cœlum ipsum subleues, & in diuino colloces solio. Nos ergo, Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis. Considere enim, vti dixit Athanasius, maximè congruit Deo. Sed aduerte quòd cum humilia pleraque de Christo explicasset Apostolus, cuiusmodi sunt illa, cum intercessiones dicit hunc facere, & quotquot istiusmodi sunt & humana: mox ad celsiora conscendit, dixitque hunc in dexterâ sedis magnitudinis considere, quod vtique diuinæ est maiestatis. Sedem enim & magnitudinis thronum paternum dicit: vel quia Pater ipse magnitudinis sit id nomen sortitus, vel simpliciter quia maximus ille & sublimior Dei thronus, dicitur sedes.

Quoad secundum. Munus est officium ipsum, agendi potestas, auctoritas præsidendi. Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus,

Optat Mileuit lib. 2. vlt. med.

Tertullian. lib de exhort. art. c. 7.

Optatus lib. 2. aduers. Parm.

Viuum honoris & dignitatis homicidium.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 17.

Tertullian. l. 1. ad Vxo. cap. 7.

Tertullian. lib. de coro. mili. cap. 3.

Athanas in Paulum.

Deus, & non homo. Sanè Christū multū extulit, cum dix it, consedere in dexterâ magnitudinis in cælis: sic enim magnificentia eius, non solùm super omnes iudices, super omnes Reges, super omnes Pontifices, sed & super omnes cælos, super omnes Angelos, super omnes thronos eleuata est. Sedere, iudicantis est, regnantisq; sedere ad dexteram, est spiritualia & æterna, tanquam potiora dispensantis; sedere ad dexteram magnitudinis, est associationem quandam sibi ad ipsam Deitatem vindicantis. Et talis noster est Pontifex, Rex & Iudex sublimis omnium, etiam Angelorum. Quomodo ergo nunc, Minister sanctorum? Sed quomodo interpellat ille & postulat, cui data est omnis potestas, cui auctoritas omnis concredita? Sic iudicis imperium obtinuit, sic Regis ascendit thronū, vt & Sacerdotis retineat impleatque officium. Sic ergo ministrat, dum administrat, dum acquisita sacrificio suo dispensat merita, non modo supplici, sed officio Sacerdotali. Semel enim, ait Chrysostomus, functus est munere Sacerdotali, & deinceps sedit. Ne existimes eum stare apud superos, & esse ministrum: ostendit rem esse dispensationis. Nam quomodo fuit Seruus, ita etiam Sacerdos & Minister. Sed quomodo cum factus esset Seruus, non mansit Seruus; ita etiam cum factus esset Minister, non mansit Minister: non est enim Ministri sedere, sed stare. Hoc ergo tacitè significat magnitudinem sacrificij, si vnum cum esset suffecit, & semel oblatum tantum potuit, quantum non potuerunt omnia. Talis eius virtus ac tanta, vt etiamnum duret, perseverétque in perpetuum. Adhuc enim administrat, adhuc dispensat immensa & infinita tanti sacrificij merita. Vbinam? Vbi habitat: non enim in manufactis sanctis habitat Iesus, sed in templo excelso, & vero tabernaculo, in quo & interpellat, & hostiam semel immolatam semper repræsentat. Stabile illud officium est, sicut & nobile ministerium, cum tam solemne sit quàm & publicum; nec iam in tabernaculo nobili terris affixo, sed in templo sublimi stellis conspicuo, non arte humanâ, sed diuina virtute firmato. Hoc sane est quod recapitulandum est, inculcandúmque. Condescendit enim sancta scriptura nostræ infirmitati, (verba sunt Ambrosij) nostræque consuetudini, quatenus imbecilla instrueretur humanitas, quando vsque ad illam secretam gloriam diuinitatis, hominum non poterat cogitatio peruenire. Igitur victori filio, & per sanctam incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis consessus offertur, vt per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur. Nam hoc verbo, sedere, illud designatur, vt caput nostrum Christus ad Patris cognosceretur dexteram collocatum, id est diuinæ maiestatis sublimatum: in quâ parte ponendi sunt, qui à perfidis, eiusdem Saluatoris munere segregantur. Humilia tamen, humana diuinis eadem scriptura commiscet, eundem Deum ostendens, quem & Pontificem. Nec alium esse qui sedet ad dexteram Dei, nisi eum qui est sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo. Hoc munus eius ministerium est, sed sacrosanctum, cuius virtus in omnes influit, omnes fulcit: sicut enim proprio fungitur officio, sic & suo non alieno fulcitur auxilio.

Chrysost. orat. 13.

Ambrosius [illegible]

Ministerium Christi Sanctum est officium.

Quoad tertium. Habet officium, habet & actum. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. Certè, vt dixit Chrysostomus: Sacerdos non est absque sacrificio: oportet ergo eum quoque habere sacrificium. Itaque cum dixisset quòd sit apud superos, dicit & ostendit vndique quòd sit Sacerdos, ex Melchisedech, ex iuramento, & ex eo quòd offerat sacrificium. Quid enim prodest, Sacerdotium habere, & non habere sacrificium? Hoc est officium possidere, & actum non exercere? Facit igitur Apostolus talem rationem: (ita Aquinas) Omnis Pontifex ad hoc constituitur, vt offerat munera & hostias, & secundùm hoc dicitur Minister sanctorum. Christus autem est Pontifex: ergo necesse est habere aliqua quæ offerat. Non est necesse, vt omnis actus Pontificis cruentus sit: non enim ad immolandas mactandasve solummodo hostias constitutus est, sed & ad offerenda munera. Hostia namque est de animalibus, ait ille, munera verò de quocumque alio. Leuit. 21. Incensum & panes Dei sui offerunt. Quia ergo necesse fuit Christum habere quod offerret, ipse seipsum obtulit. Duplex igitur offerendi modus, cruentus, & incruentus: primus per effusionem sanguinis, alius per expressionem effusionis. Sed vt hostiæ cruentæ nonnulla exstarent vestigia, quæ antiquam repræsentarent victoriam; vulnera seruauit Christus in corpore, & sine cruce corpus suum in æternum crucifixit. In eo manent insignia vulnerum, ait Ambrosius, vestigia cicatricum, Dominus palpanda obtulit. In quo non solùm fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit, quòd vulnera suscepta pro nobis inferre maluit, abolere noluit, vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens. Talem scilicet Pontificem, sedentem simul & offerentem. Ita in Apocalypsi: Vidi in medio throni agnum stantem quasi occisum. Vbi ille, si tamen ille: Agnus, inquit, non occisus, sed tanquam occisus visus est, quia mortem in transitu gustauit, & paulopost resurgens iam non moritur, mors vltra ei non dominabitur. Agnus, sed viuus: in quo enim viuus, iam non moritur; sed in quo Agnus, etiamnum offertur: Agnus enim hominem, quem Christus assumpsit, designat. Hoc igitur habet, quod offerat, quo placet iram Patris, crucisque referat victoriam. Ita Agnus ipse: Ego sum primus & nouissimus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum. Et habeo claues mortis & inferni. Primus namque & nouissimus ipse est, quia sicut finem non habebit, sic nec initium habuit. Qui autem clauem alicuius domûs habet, quem vult intromittit, & quem vult ab ingressu domûs repellit. Per clauem ergo potestas Filij Dei intelligitur. Claues igitur mortis & inferni ipse possidet, quia quos vult à damnatione mortis perpetuæ misericorditer liberat, & quos vult in eodem mortis periculo damnationis, iusto iudicio remanere sinit. Sic ipse interpellat, vt & ipse iudicet: sic administrat, vt & ipse imperet.

Chrysost. orat 14.

Aquin. Lect. 1.

Duplex offerendi modus, cruentus & incruentus.

Ambros. lib. 10. in Luc. vers. fin.

Ambros. in cap. 5. Apocalyp.

Amb. in c. 1.

Dilvcidatio

DILVCIDATIO II.

De oraculo.

VNdique Paulus argumenta colligit, quibus muniat Sacerdotium Christi; nihilque relinquit intactum, vt antiqua Sacerdotij Leuitici deiiciat sacrificia. Ministrarunt illi in tabernaculo suo, sed figuratiuo & vmbratico. Nunc autem melius sortitus est ministerium. Græcè λειτεργίαν, sacrum officium: sed tanto differentius, quanto excellentius. Sicut responsum est Moysi. En oraculum à Deo non tam interroganti redditum, quàm ministranti exhibitum. Christus nunc sedet residétque in cœlo: nam si esset super terram: Nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundùm legem munera. Si sic offerret, quemadmodum alij Sacerdotes Leuitici, mortales ac terreni, reuera non offerret, nec suum exercere posset Sacerdotium; quandoquidem locum tenerent, & alium remouerent illi, qui munera secundùm legem offerunt, nec aliud genus quàm Sacerdotale, ad altare, iuxta ius, admittunt. Qui sunt illi? Qui exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quod in melioribus promissionibus sancitum est. Ex hoc igitur oraculo, tria nobis insinuata sunt. Primum est, Sacerdotium Leuiticum tantum distare à Sacerdotio Christi, quantum vmbram à corpore. Alterum, Christi Sacerdotium, Leuiticum consummare Sacerdotium. Tertium, melioribus confirmatum esse promissionibus.

Quoad primum. Deseruiunt illi, Græcè λατρεύουσι, dum Deo seruiunt in sacrario. Deseruiunt, sed exemplari, Græcè ὑποδείγματι, & vmbræ cœlestium. Sunt enim illi à Deo constituti, vt adumbrent cœlestia, & suo modulo spiritalia delineent. Hîc, ait Chrysostomus, necesse est mentem erigere, & Apostolicam contemplari prudentiam. Rursus enim ostendit differentiam Sacerdotij. Qui exemplari, inquit, & vmbræ deseruiunt cœlestium. Quænam hîc dicit cœlestia? Spiritualia. Nam etsi mysticè fiant super terram, sunt tamen digna cœlestibus. Quando enim Dominus noster Iesus Christus proponitur mactatus & immolatus, quando aduenit Spiritus, quando hîc adest qui sedet ad dexteram Patris, quando fiunt filij per lauacrum quando sunt ciues eorum qui sunt in cœlis, quando illic habemus patriam & ciuitatem, & ex ciuitatis instituto vitæ agendæ rationem, quando ab eis quæ hîc sunt sumus peregrini & hospites, quomodo non sunt hæc cœlestia? Quid verò, non sunt hymni cœlestes? Non quæ apud superos canunt chori virtutum incorporearum, ea nos quoque qui infra sumus loquimur illis consonantia? Nunquid & ara est cœlestis? Quomodo? Nihil habet carnale. Sunt spiritualia omnia quæ sunt proposita. Non in cinerem, non in fumum, non in nidorem diffunditur sacrificium, sed splendida lætioráque efficit quæ sunt proposita. Quomodo autem

Chrysost. orat. 14.

Omnia cœlestia apud nos, quà spiritualia.

A non sunt, quæ fiunt mysticè, cœlestia? Nam quando dicit, Si quorum retineant peccata, sunt retenta; si quorum remiserint, remittuntur, & claues habent regni cœlorum, quomodo non sunt omnia cœlestia? Qui exemplari, inquit, & vmbræ deseruiunt cœlestium. Terrestris Synagoga, quæ carnalibus vacabat seu corporalibus; Ecclesia verò cœlestis, quæ spiritualibus vacat ac cœlestibus. Tamen sicut terrena Hierusalem, cœlestem repræsentabat; sic & quod in Synagogâ fiebat, functionem adumbrabat spiritalem: terrena quippe subobscura sunt diuinorum æternorúmque simulacra. Nihil otiosè dicit Apostolus, (verba sunt Ambrosij) Ideò dixit,

B Sancti hunc mundum iudicabunt, vt ostendat & alterum: quia & Ioannes Apostolus, Nolite, ait, diligere hunc mundum. Et Dominus in Euangelio: Sic, inquit, dilexit Deus mundum. Quid enim tam apertum, hunc mundum superioris esse imaginem certâ ex causâ? Est enim & Hierusalem inferior, & illa superior, quam matrem nostram vocat idem Apostolus. Est & inferior paradisus, in quo homo positus, mandatum & vt operaretur, & vt custodiret, accepit: est & ille cœlestis, in quo raptus Apostolus audiuit verba arcana. Hîc imagines, illic veritates: hîc vmbræ & figuræ, illic res ipsæ, quæ non iam ad speciem, sed ad faciem exhibitæ.

Ambrof. in cap. 6. 1 epist. ad Corinth.

C Quoad secundùm. Oraculum accepit Moyses, cum esset consummaturus tabernaculum. Vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. In quo tria notanda sunt. Primum est, exemplar, Græcè τύπον, non hîc aliud esse quàm ideam seu formam, ad imitandum operaudumve propositam. Alterum, formam illam fuisse Moysi in monte Sina expositam. Dixit Dominus ad Moysen. Ascende ad me in montem, & esto ibi: dabóque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi. Cúmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini su-

Exod c. 24.

D per Sinai. Ingressúsque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ibi autem: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Inspice, & fac secundùm exéplar, quod tibi in monte monstratum est. Tertium denique, consummationem seu perfectionem omnium in exemplari constitutam, ideóque per montem, ad cœlum ipsum, vnde forma præscripta est, prouchendam: sic enim consummatur tabernaculũ, dum ad exemplum conformatur. Cum enim, vt aduertit Athanasius, quæ oculis intuemur acriùs ipsi perspicimus, quã ea quæ audiẽdo ediscimus, propterea Moysi Deus vniuersa aperuit. Nec solùm tabernaculi formã, sed quemadmodũ esset

Exod c. 25.

Athanas. in Paulum.

E etiam immolandũ, & cultus alij peragendi & ritus. Omnia quidem aperuit Deus Moysi, sed & omnium illi typũ ostendit & scopũ: quò scilicet tenderent, & quomodo, Sacerdotalem Christi functionem exprimerent, tanquam perfectionẽ ac consummationem Leuitici ministerij. Ita Christus iam iã moriturus, id est, suũ cõpleturus sacrificium? Dixit, Consummatum est. Quid, ait Augustinus, nisi quod prophetia tanto antè tempore prædixerat? Deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi

Augustin. Tract. 119. in Ioan. in fin.

sumendi eam: peractis omnibus quæ vt peragerentur expectabat, Inclinato capite tradidit spiritum. Quis ita dormit, quando voluerit; sicut Iesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem ponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? Quis ita cum voluerit, abit; quomodo cum voluit, obiit? Sed hæc omnia præmeditata sunt, nec fortuito accidunt aut fato, sed ex consilio eueniunt. Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Pascha, ait ille, non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum: opportunissimè tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia vtrarumque linguarum. Quia enim pati Græcè πάσχειν dicitur, ideò pascha passio putata est, velut à passione hoc nomen sit appellatum: in suâ verò linguâ, hoc est, in Hebræâ, pascha transitus dicitur: propterea quia tunc primum pascha celebrauit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ouis ad immolandum ducitur Christus; cuius sanguine illitis postibus nostris, id est cuius signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius seculi tanquam à captiuitate vel interemptione Ægyptiaca liberamur: & agimus saluberrimum transitum, cum à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili seculo ad eius fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus. Hoc itaque nomen, id est, pascha, quod Latinè transitus nuncupatur, velut interpretans nobis beatus Euangelista: Ante diem, inquit, festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Ecce pascha, ecce transitus. Vnde & quò? De hoc scilicet mundo ad Patrem. Spes membris in capite data est, quòd essent illo transeunte sine dubio secutura. Finis ergo legis Christus, vt ait Apostolus, ad iustitiam omni credenti. Finis perficiens, non interficiens: finis quousque eamus, non vbi pereamus. Sic omninò intelligendum est, Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse est finis noster, in illum est transitus noster. Sicut antiqua omnia ipsum delineant, sic & noua omnia in ipsum collineant: in ipso perficiuntur omnia sacrificia, in ipso fideles omnes non ad interitum, sed ad regnum transferuntur. Hoc exemplar quod in monte monstratum est, sine quo nihil perfectum in lege, nihil consummatum; sanguinis enim eius, clauis est paradisi; salus, æterni effectus Sacerdotij.

Augustin. Tract. 55. in Ioan. init.

Fideles transeunt ad Patrem, infideles ad iudicem.

Quoad tertium. Sacerdotis est firmare pacta, per sacrificia; promissa vindicare, rata præstare fixáque. Vides, inquit Chrysostomus, quanto ministerio melius est ministerium: siquidem illud est figura, hoc autem veritas. Sed hoc nihil proderat audientibus, neque eos afficiebat lætitiâ. Propterea dicit id quod maximâ lætitiâ eos afficiebat: Quod in melioribus repromissionibus sancitũ est. Cum enim id extulisset à loco, & Sacerdote, & sacrificio, tunc ponit & quid intersit inter Testamentum. Et vide cuiusmodi ponit ea quæ ipsum muniunt. Cum enim nos in cœlum sustulisset, & ostendisset quòd pro templo cœlum habemus: cœlestis enim est Ecclesia, & nihil aliud quàm cœlum: deinceps etiam meritò extollit Sacerdotium, idque ponit, quod eos maximè afficit lætitiâ, dicens, Quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Vnde hoc constat? Ex eo quod ipsum quidem est eiectum, illud verò eius loco introductum. Propterea enim dominatum obtinet, quòd sit melius. Nam sicut dicit: Si per ipsum erat consummatio, quid opus fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem? Christus noui Testamenti mediator est, noui sponsor regni, noui institutor Sacerdotij, seu antiqui restitutor: qui & sacrificio crucis pacta firmauit conuenta, & sanguinis pretio præmia comparauit æterna. Facta sunt promissa Iudæis, sed carnalia; nobis spiritualia: illis, temporalia, nobis, æterna: illis, terrena; nobis, cœlestia. Assignat igitur causam, (Aquinate iudice) quare ministerium hoc maius est. Omnis enim Sacerdos mediator est: iste autem mediator est melioris fœderis, scilicet hominis ad Deum. Mediatoris enim est extrema conciliare: iste verò ad nos diuina attulit, quia per ipsum facti sumus diuinæ consortes naturæ. Ibi promittebantur temporalia, hic autem cœlestia. Sic ergo istud melius, quantum ad id quod Dominus promittit hominibus. In illo dicuntur quædam quæ pertinent ad cultum Dei, & ista sunt ceremonialia: quædam verò quæ ad rectitudinem vitæ, & ista sunt præcepta moralia, quæ manent, alia verò non. In isto autem adduntur consilia illis præceptis, quæ dantur perfectis, qui sunt capaces spiritualium: & sic manent præcepta eadem, sed promissa diuersa. Caduca sunt illa, ista stabilia. Vtrisque quidem terra promissa est; sed illis, terra morientium; nobis, terra viuentium. Mitibus, ait Leo, atque mansuetis, humilibus ac modestis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidenda terra promittitur, Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Nec parua est æstimanda hæc aut vilis hæreditas, tanquam à cœlesti habitatione discreta sit, cum regnum cœlorum alij intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus & in possessione danda mansuetis, caro sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloriâ vestietur, in nullo iam spiritui facta contraria, & cum voluntate animi, perfectæ vnitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo, interioris hominis erit quieta & intemerata possessio, tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impedietur obstaculis, quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperiũ sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites pace perpetuâ, & nihil vnquam de eorum iure minuetur; cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; vt periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, sit honori.

Chrysost. orat. 14.

Aquin. lect. 2.

Iudæis terra morientium promissa, Christianis terra viuentium.

Leo Hom. in festo omn. sanct.

DILVCI

DILVCIDATIO III.

De Testamento.

DVplex Testamentum, antiquum & nouum: illud culpâ non vacat, istud abundat gratiâ. Sed quomodo culpa in Testamentum diuinum admittenda?

PVNCTVM I.

De culpâ.

CLarè definit Paulus, cum ait. Nam si illud prius culpâ vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Verùm per culpam non intelligit peccatum quod expectet veniam; sed defectum, qui gratiam desideret. Bonum ergo Testamentum, sed adhuc imperfectum. Ita Paulus innuit, quando dixit de Christo: Melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Antiquum ergo bonum, sed nouum melius: repromissiones antiqui bonæ nec ingratæ, sed noui meliores. Nam si illud culpâ vacasset, non vtiquè secundi locus inquireretur. Si perfectum esset, si nihil ei deesset, si nullum admitteret defectum; non desideraretur aliud quod esset melius, non aliud quod esset perfectius subrogaretur. Sine vllo igitur scrupulo defectus in antiquo Testamento ferendus est: imò nec vnus, sed triplex: vnus in promissis, alter in sacrificiis, tertius in Sacramentis.

Quoad primum. Promissa premimus potius quàm præcepta; quia Pauli vocem audimus meliores ptementem promissiones. Nunc enim, vti dixit Chrysostomus, ostendit dilucidiùs disertis verbis, Testamentum ipsum eiectum esse. Quomodo? In melioribus repromissionibus. Vbi enim, dic quæso, est inter cœlum & terram æqualitas? Tu autem considera quomodo illic quoque dicit, In promissionibus: ne tu id quoque accuses. Etenim illic, Per quam spem Deo appropinquamus, inquit meliorem, ostendens quòd illic quoque sit spes, & hîc meliorem promissionem: tacitè significans quòd illic quoque promiserit. Vtrobique promissiones sunt, ideóque sperandæ & expectandæ, sed aliæ aliis meliores, aliæ aliis nobiliores. Christiani enim sumus, & ad hoc fidem, ac pietatem sumus professi; non vt terrenis studeamus, sed vt diuinis hæreamus & æternis: hoc bonum Christianorum, hoc & studium: non enim sic temporibus renuntiant, vt nihil inde delibent; cum panem petant quotidianum, & promissionem vindicent huius vitæ præsentis & futuræ. Sed tria sunt eis iniuncta, quibus agnoscantur, nec ab Ethnicis tantùm, sed & à Iudæis, Deum verum colentibus, & ab eo terrena bona petentibus secernantur. Primum est, ne de istis sint solliciti. Ideò dico vobis, ait Christus discipulis suis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, A & corpus plusquam vestimentum? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Laborem non proscribit Christus, sed excludit sollicitudinem: non inducit socordiam, sed humanam pungit diffidentiam, semper inhiantem, & industriæ potius suæ ac vigilantiæ, quàm diuinæ acquiescentem Prouidentiæ, nunquam sanis obtemperantem consiliis. Præcipitur ergo nobis, ait Hieronymus, ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudore vultûs præparamus nobis panem: ergo labor exercendus est, sollicitudo B tollenda. Non præscribitur aduersùs laborem corporalem, sed aduersùs spiritualem sollicitudinem: cura enim abigitur superflua, & mens in Deum optimum, creatorem omnium, administratorémque non hominum solummodo sed & passerculorum ptouidentissimum, erigitur: nec boni temporalis possessio, sed seculi labentis sollicitudo interdicitur. Alterum, vt æternis bonis intenti sint acquirendis. Quærite ergo primùm regnum Dei. Quid est primum? ante omnia, & super omnia. Et hæc omnia adiicientur vobis. Sunt enim accessoria quæ sunt temporalia, æterna verò sunt principalia. Hic, inquit Augustinus, C manifestissimè ostendit non hæc esse appetenda, tanquam talia bona nostra, vt propter ea ipsa debeamus benè facere, si quid facimus; sed tamen esse necessaria. Quid enim interfit inter bonum quod appetendum est, & necessarium quod sumendum est, hac sententiâ declarauit Christus, cum ait, Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Regnum ergo Dei; bonum nostrum est: & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus, quæcumque facimus. Sed quia in hac vitâ militamus, vt ad illud regnum peruenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non D potest: Apponentur vobis hæc, inquit, sed vos regnum Dei primùm quærite. Cum enim dicit illud primum, significauit quòd hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum: necessarium autem propter illud bonum. Tertium; denique, vt viam arripiant, quâ tendant in patriam. Quærite ergo regnum Dei, & iustitiam eius. Regnum Dei, ait Chrysostomus, est retributio bonorum operum: iustitia autem eius, via pietatis, per quam itur ad regnum. Sacrificandam sacrificium iustitiæ; & sperandum E in Domino. Quærentibus enim primum regnum Dei & iustitiam eius: id est, hæc præponentibus cæteris rebus, vt propter hæc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo, ne illa desint, quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Et ideò cum dixisset, Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: non dixit, deinde ista quærite, quamuis sint necessaria: sed ait, hæc omnia apponentur vobis: id est, consequentur. Ita Augustinus.

Quoad secundum. Sacrificia quidem annuntiabant Saluatorem, sed non præstabant salutem. Inter omnia enim ait Leo, opera misericordiæ Dei, quæ ab initio saluti sunt impensa mortalium,

Chrysost. orat. 14.

Matth. c. 6.

Hieronym. in Matth.

Æterna principalia sunt, temporalia accessoria.

Augustin. lib. 2. de ser. Dom. in mo. c. 16.

Chrysost. Hom. 16. oper. imperf.

Augustin. lib. 2. de ser. Dom. in mo. cap. 17.

mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quàm quod pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim Sacramento vniuersa præcedentium seculorum mysteria seruierunt, & quicquid hostiarum differentiis in propheticis signis & legalibus institutis, sacrâ dispensatione variatum est, hoc prænuntiauit dispositum, hoc promisit implendum: vt nunc imaginibus figurisque cessantibus hoc prosit credere iam effectum, quod antea profuit credidisse faciendum. Erant igitur sacrificia figuratiua, non operatiua: prophetiam resonabant, sed non mundabant conscientiam; promittebant, sed non exhibebant. Idcircò Christus expectandus: vt figura, ait ille, in veritatem, prophetia in manifestationem, & Lex in Euangelium verteretur: vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque Sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum. Nunc enim carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui, Domine, implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victimâ sacrificium, ita vnum de omni gente sit regnum. Nihil igitur adhuc perfectum, sed quiduis perficiendum; nihil adhuc impletum completumve, sed adimplendum. Sicut enim corpus, vt aduertit Aquinas, nunquam perfectè quiescit, sed semper mouetur, quousque pertingat ad locum suum; sic quandiu habetur aliquid imperfectè, non quiescit desiderium, sed semper tendit vltra, vsque dum veniat ad perfectum. Inquirebatur ergo locus melioris ab homine, qui desiderabat; sed magis à Deo, qui propter nostræ salutis desiderium dicitur inquirere. Nam si illud prius culpâ vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Sic enim Lex dicitur non vacasse à culpâ, quia homines in ipsa relinquebantur culpâ. Sacrificia quidem vera, sed inefficacia: nihil enim ad perfectum adduxit Lex; peccatum quidem aperuit, sed non aboleuit, nec abstulit.

Leo serm. 3. de pas. Dom. à lim.

Vnum sacrificium pluribus & multiformibus demonstratum.

Leo serm. 8. de pas. Dom. vers. fin.

Aquin. lect. 2.

Quoad tertium. Sacramenta specie præclara, sed virtute destituta. Quia Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Omnia enim, (vt Leo loquitur) quæ secundùm Legem, siue in circumcisione carnis, siue in diuersitatibus hostiarum, siue in Sabbati obseruantiâ præcesserunt, Christum testificata, Christi sunt gratiam prælocuta. Et ipse est finis Legis, non euacuando significationes ipsius, sed implendo. Qui licet idem sit auctor veterum, qui nouorum; figuratarum tamen promissionum Sacramenta mutauit, quia promissa perfecit, & denuntiationibus cessationem imposuit, quoniam denuntiatus aduenit. Quando dicitur Lex data per Mosen, non reiicitur tanquam mala; sed cum additur gratia per Iesum Christum, ostenditur inualida; nec per Mosen, sed per Saluatorem erigenda. Euangelicis certè sanctionibus, ait ille, multum vtilitatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad nouam

Leo ser. 14. de pass. Dom. vlt. med.

Leo serm. 6. de ieiun. 10. mens. à limine.

A obseruantiam transferuntur: & ex ipsâ Ecclesiasticâ deuotione demonstratur, quòd Dominus Iesus Christus non venit Legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nuntiabatur aduentus; & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum, ratio pietatis instituit, in eadem apud nos formâ, in quâ sunt condita, perseuerant: & quæ vtrique Testamento erant congrua, nullâ sunt mutatione variata. Non sunt ergo reprobata mandata quæ in moribus, sed potius ampliata: sed mutata Sacramenta quæ in ritibus, quia sicut numero breuianda, sic & facto cumulanda. In præceptis B enim moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta, vt perfectiora & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem. Reprobatio igitur & euacuatio non in præceptis est, sed in signis, in Sacramentis, non tanquam malis & reprehensibilibus, sed tanquam otiosis & inutilibus. Nam si illud primum culpâ vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Hoc est, vt exponit Ambrosius, si illud primum inculpabiles fecisset obseruatores suos, nunquam secundo locus relinqueretur: sed quia illud non fuit perfectum, inuentus est locus C aptus secundi Testamenti. In quo scilicet signa salubriora: in quo Sacramenta, multitudine pauciora, virtute efficaciora, referant Saluatorem, salutem conferant.

Præcepta moralia non mutata, sed ampliata.

Leo ser. 14. de pas. Dom.

Ambros. in Paulum.

PVNCTVM II.

De gratiâ.

GRatiæ abundatia nouo Testamento reseruata. Vituperans enim eos, dicit, Ecce D venient dies, dicit Dominus. Sed quid, Vituperans eos? Græcè μεμφόμενος, Reprehendens. Accusans, obiurgansque? Quasi rebelles, contumacésque. Sit igitur

PARAGRAPHVS I.

De reprehensione.

MEns Pauli, est ostendere Testamentum antiquum non vacare culpâ, seu, vt ex Græco, non esse irreprehensibile, non fuisse inculpabile, quacumque tandem de causâ. Quomodo probat? Vituperans enim eos, dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus. Reflectit Chrysostomus, aitque; Non dixit, Vituperans ipsum, sed E vituperans ipsos. At inde tria requirenda sunt. Primum, vnde constet probatio Apostoli: alterum, quantum instet obiurgatio Iudæi: tertium, in quo præstet innouatio Testamenti.

Chrysost. orat. 14.

Quoad primum. Non solùm probat Paulus quod affirmat, sed & exertè ac validè confirmat. Cum dicit, Vituperans enim eos, probat, ait Aquinas, veritatem consequentis, scilicet quòd inquiritur locus Testamenti. Aliquid enim potest conuenire Legi dupliciter: vel secundùm se, vel ratione illorum quibus data est, & sic dicitur habere culpam propter duo. Primum

Aquin. lect. 2.

Primum, quia non dabat virtutem ad purgandum commissa: secundò, quia non dabat gratiam adiutricem advitandum peccata. Duplex virtus Legis: prima, peccato intercedere, ne committatur, altera pro peccato intercedere si committatur. Per primum, fit vt homo non inducatur in tentationem; per alteram, fit vt à peccato per remissionem eruatur. In hoc autem est prædestinatis, (vt Augustinus loquitur) adiutorium littera, quia iubendo & non iuuando admonet infirmos confugere ad spiritum gratiæ, si Lege legitimè vtantur, quibus bona est, id est vtilis: alioquin per se ipsa littera occidit, quia iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos præuaricationis facit. Lex ergo vetus dupliciter deficiebat: primò, quia non tam impediebat quàm augebat peccatum: secundò, quia peccatis admissis nullum afferebat remedium. Inde igitur infirma & inualida, non tamen ex culpâ suâ, sed ex humanâ concupiscentia; idcircò non tam vituperanda Legis impotentia, quàm hominis contumacia: imò ista sola culpâ, quæ frustrat Legem, & peccandi præuaricandique subornat occasionem. Sine hominem, ait Augustinus, gratiam Dei non solùm, quia peccauit vt absoluatur, verum etiam ne peccet vt adiuuetur, exposcere. Qui enim dicit, Quod nolo malum, hoc ago, non est locus vt dicat, Dimitte nobis debita nostra; sed, ne nos inferas in tentationem. Vnusquisque autem tentatur, sicut ait Apostolus Iacobus à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus: hoc malum est, de quo ait Paulus, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ bonum. Hoc malum est in corpore mortis huius: hoc malum non fuit in paradiso antè peccatum, quia nondum erat hæc caro corpus mortis huius. Iure ergo reprehenditur homo, & ex delicto conuincitur, quia iniquitas voluntatis est humanæ, non diuinæ Legis: tamen & inde Legis ostenditur infirmitas, quæ nec occurrere peccato potest committendo, nec commisso succurrere: idcircò iustissimè Lex melior quæritur ac perfectior.

Augustin: l. 1. op. nch. num. 94.

Lex peccatis medendis nullum ex se continebat remedium.

Augustin. num. 67.

Quoad secundum. Lex quidem probatur infirma, & ex causâ tamen obiurgatur peccatum, dum vt iniquum reprobatur. Lex imperat quid homo debeat facere: & si non faciat, culpandus est obiurgandúsque, quia vitio suo non vult facere. Sed quomodo, inquis, (ita apud Augustinum) meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omninò alius vnde tale ac tantum munus habeatur? Hoc dicunt, qui in suis malignis operibus corrigi nolunt. Præcipe mihi quid faciam: & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit. Si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est, vt det quod non dedit. Rectè autem corriperer, si meâ culpâ non haberem: hoc est, si possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem. Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle: & non potius ipsum rogas, vt in me operetur & velle? Quid igitur ad hæc? Respondemus, ait ille, Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis;

Augustin. lib. de corrept. & gra. cap. 4.

Augustin. cap. 5

A etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo Medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, vt cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es, & maius vitium corripi nolle, quia malus es: quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, vt neque laudentur neque vituperentur. Quod ergo vult pro se fieri qui corripi non vult, & dicit, ora potius pro me; B ideò corripiendus est, vt faciat etiam ipse pro se. Inde instat Scriptura diuina, obiurgat, vituperat, quia malum, dum iniquum est. Patiantur homines se corripi, ait Augustinus, quando peccant: nec de ipsâ correptione contra gratiam argumententur, nec de gratiâ contra correptionem; quia & peccatis iusta pœna debetur, & ad ipsam pertinet iusta correptio quæ medicinaliter adhibetur, vt nempe excitentur homines ad maioris orationis affectum.

Qui corripi non vult inde debet corripi excitetur ad orandum.

Augustin. eodem lib. cap. 14.

Quo ad tertiũ. Testamentũ nouum confundit innatam cupiditatem, sanctam infundit charitatem, seu bonam ac rectam facit voluntatem: C abstulit timorem, cruciantem amorem attulit inflammantem. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Nolite, inquit, timere mortem: subiecit spem, ait Augustinus, inflammauit charitatem, Mortem timetis? Prior morior. Ne vel capillus vester pereat, formidatis? Prius integer in carne resurgo. Ducebantur & occidebantur, cadebant & stabant. Bona primi testamenti exhauriuntur in hac vitâ, quâ finitâ, nihil vultra sperandum: sed si nihil est quod speretur, est quod reformidetur. Secundi bona testamenti aperiuntur in morte, quâ contingente, nihil iam timendum, nihil non sperandum est: ibi enim desinit cupiditatis vitium, & exurgit regnum charitatis. Ad hoc D ergo laborat Christianus, vt extirpet cupiditatem, & ædificiet charitatem, ad hoc orat, ad hoc aduigilat. Si enim, ait ille, exauditus fuerit in eo quod dicere iussi sumus, Ne nos inferas in tentationem, proculdubiò nullâ decipietur inscitiâ, nullâ cupiditate vincetur. Propterea per Prophetam dictum est, Si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet, & cetera huiusmodi, vt cum inuenissent in seipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium.

Augustin. Enarr in Psal. 140. vlt med.

Augustin. lib. 1. op. inch. n. 93.

PARAGRAPHVS II.

E

De prædictione.

PRædicit Ieremias Propheta. Ecce dies venient: dicit Dominus: & feriam Domui Israël & domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terrâ Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego Dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vultra vir proximum su-

Ierem. c. 31.

um, & vir Fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Paulò aliter in Paulo, à quo testimonium partim ex Græco, partim etiam ex Hebræo collectum est. Itaque dicendum est primò de versionis concordantiâ: secundò, de temporis circumstantiâ: tertiò, de prædictionis sermonisve intelligentiâ.

Quoad primum. Parùm interest, si legas ex Latino, Ecce dies venient. Aut ex Græco, vel etiam ex Hebræo, Veniunt. Sunt enim dies venientes, qui iam sunt in proximo, sed nondum in curriculo; qui accedunt, sed nondum excurrunt. Iam à prædictione certi sunt, sed in reuolutione recensendi. Ecce. Nihil est certius. Idcircò addit, Dicit Dominus. Ecce, quasi iam adsint. Venient dies. Seu, vt legit Aquinas. Dies veniunt Etsi ignoti, sunt tamen præfixi. Sed quid: Et ego neglexi eos: quod Paulinæ lectionis est. Et ego dominatus sum eorum quod est nostræ versionis? An idem negligere ac dominari? Non idem: sed vnum per alterum intelligere licet aut interpretari. Deus ergo custodit fideles, regitque & curâ fouet paternâ: rebelles verò terret ac punit; inobedientes abiicit, nec iam officium pietatis, sed seueritatis exercet imperium. Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Ita Dauid, Spreuisti omnes discedentes, vel quod de Græco, (vt aduertit Augustinus) diligentiùs videtur expressum, Ad nihilum deduxisti omnes discedentes à iustificationibus tuis, quia iniusta cogitatio eorum. Ideò ergo clamauit, Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper, quia in nihihilum redigit omnes discedentes à iustificationibus suis. Quare autem discedunt? Quia iniusta est, inquit, cogitatio eorum. Ibi acceditur, ibi disceditur. Omnia enim opera vel mala, vel bona, à cogitatione procedunt: in cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est: Cogitationibus, ait Apostolus, accusantibus, aut etiam defendentibus. Vbi autem felix est, qui in cogitatione miser est? Aut quomodo ibi non est miser, qui ad nihilum redactus est? Quid porrò in nihilum redigi, nisi in æternum proiici exitium? Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. Ita igitur qui spernunt Dominum, spernuntur à Domino: sicut & qui glorificant Dominum, glorificantur à Domino. Neglexerunt me, ideo & eos neglexi, dicit Dominus, eos abieci, & in perpetuum addixi interitum. Ideò igitur dicit, Et ego neglexi eos: illud enim, vt exponit Aquinas, aliquis dicitur negligere, quod permittit perire. Et ego dominatus sum eorum: id est, puniendo ostendi me esse Dominum ipsorum. Vltus sum iniuriam, & in pœnam, despotico vsus sum imperio. Curam deposui paternam, & sic eos habui, quasi æterno destinatos exitio. Cetera non tam discordant mysteriis, quàm verbis dissonant.

Augustin. con 24. in Psal. 118. vuit. med.

Bona & mala ex cogitatione procedentia.

Psal 14.

Aquin. Lect. 2.

Quoad secundum. Quomodo dicit: Ecce dies veniunt Græcè ἔρχονται. Statimque addit: Post dies illos, dicit Dies illos, dabo Legem meam in visceribus eorum? Quo pacto dies, & post dies? Clariùs, ait Athanasius, hoc loco ostendit fuisse antiquum illud repudiatum. Deum enim inducit per Hieremiam dicentem: Aliud quoddam instituam testamentum, & nouum, id est, nuper omninò institutum. Haud tamen in eam hæc sententiam protulit, vt Iudæi accipiunt, quòd Esdras Propheta innouarit scripturam. Non enim hæc est noua effecta, sed antiquo & suo statu permansit. Quid porrò post dies illos, quosnam hos dicit? Ferunt nonnulli hos esse, in quibus ex Ægypto abeuntibus Hebræis, Lex est per Moysem tradita. Mihi verò videtur de his diebus nunc dicere, de quibus & superiùs dixit, Ecce dies veniunt. Cum itaque, inquit, hi dies aduenerint, testamentum disponam. Ex his tria sunt colligenda. Primum est, Iudæos hoc abusos testimonio, vt Legem vindicarent, imò eneruarent promissionem: non enim tunc nouum initum est pactum, nec scriptura innouata, etsi forsan restaurata; nec in cordibus scripta, sed in codicibus. Alterum est, idem esse, Ecce dies venient &, post dies illos. Quid enim, Ecce dies venient, siue veniunt? nisi tempus constitui, quo adimpleto, pactum firmandum sit. Quid &, post illos dies, nisi tempus elabi, quo pertransito, sit fœdus ineundum? Nam quod de Lege fecerunt, non aduertunt eam non post Hieremiam, sed multò antè latam datámque. Tertium, non aliud tempus notari, quàm tempus nouæ Legis, & quasi post aliquantum spatium, Deo notum, & à seculo præstitutum designari. Quoniam enim semper accusabant, ait Chrysostomus, Ecce, inquit, dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum. Non vetus aliquod testamentum. Nam ne hoc possent dicere, tempus quoque præscripsit. Non enim absolutè dicit, Secundùm testamentum quod feci Patribus eorum, ne id dicas quod factum fuit Abrahamo, aut quod factum fuit Noë. Sed quodnam, inquit? Non secundùm testamentum quod feci Patribus eorum, qui erant in exitu: & ideò subiunxit, In die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terrâ Ægypti, quoniam ipsi permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Hoc ponit tanquam defensionem, ostendens causam propter quam eos dereliquit. Reprobato enim antiquo testamento, nouum institutum est, aliisque sancitum promissis: non enim Iudæis, sed Christianis repromissum.

Athanasii Paulum.

Nouum testamentum non Iudæis, sed Christianis promissum.

Chrysost. orat. 14.

Quoad tertium. Contextus paucis verbis euoluendus est, dein & nonnullis paragraphis resoluendus. Ecce tempus veniunt Id est, vt exponit Aquinas, Tempus gratiæ Quod tempus est noui testamenti. Et consummabo super domum Israël & super domum Iuda, testamentum nouum. Apud nos, Et feriam fœdus nouum. Initur enim pactum, cum feritur, percutiturve. Tulit itaque Abraham oues & boues, & dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. Seu, Inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Siue quod ferirentur pecudes, cum pactum ferè nullum esset incruentum; siue quod percuterentur dexteræ fœderatorum, quasi in vnum iungerentur ambæ. Mos fuit, (ita Interpres Aristoph.) dexteras inuicem dare fidei, & fœderibus firmandis Sic initur fœdus, sic persi

Aquin Lect. 2.

Genes. c. 21.

Quid ictum fœdus percussumve. perficitur. Non secundùm testamentum quod A feci Patribus eorum. Non secundùm testamentum vetus, seu fœdus antiquum quod pepigi cum Patribus eorum. In die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terrâ Ægypti. Illo scilicet tempore, quo eos in desertum traduxi, sed & pactum cum eis constitui. Quniam ipsi non permanserupt in tabernaculo meo; & ego neglexi eos dicit Dominus. Liberaui populum de seruitute, eum lege donaui, innumerisque cumulaui beneficiis; nec tamen steterunt promissis, nec in pactis manserunt conuentis: proinde illos abieci vt ingratos, puniui vt perfidos. Quia hoc est testamentum B quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas. Hoc est igitur pactum nouum, primo testamento melius, & multò perfectius: non iterum Legem meam incidendo lapidibus, sed cordibus, seu tabulis cordis carnalibus imprimendo; frangendo duritiam animorum, & obedientiam ipsorum exprimendo. Et ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Non eos negligam, sed diligam; & ipsi me colent & diligent. Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque Fratrem suum, C dicens, Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me, à minore vsque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Tunc repleta erit terra scientia Domini, tamque paruis quàm magnis infusa & Dei gratia; quâ peccata obliterabuntur omnia, nec iam ad pœnam imputabuntur æternam. Primum igitur abrogandum est, iam nouum iam tunc designatum. Et hîc, ait Ambrosius, magna distantia est inter Legem & Legem, inter Scripturam & Scripturam, inter litteram & gratiam. Nam littera Legis Scripta est in tabulis lapideis, quos Moyses ipse fregit, dum vidit populum antè vitulum ludentem: gratia verò D data est in corda credentium per Spiritum sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus credentium.

Ambros. in Paulum.

PARAGRAPHVS III.

De consummatione.

FActum est igitur testamentum nouum, imò perfectum consummatúmque. Et consummabo. Græcè συντελέσω, perficiam, Ita ex Paulo. Et ex Septuaginta διαθήσομαι, disponam. Inde διαθήκη, dispositio, maximè quæ firma & valida. sic enim testamentum humanum dicitur extrema dispositio, quia à nullo infringen- E da: sic & pactum dicitur testamentum, quia violandum non est; nec impunè, si temerè, rescinditur. Sed inde tria sunt requirenda. Primum est, quomodo sit consummatum: alterum, cum quibus sit firmatum: tertium, in quo præ antiquo commendandum.

Quoad primum. Scripturam non tam variat Paulus quàm explicat. Quantum enim ad perfectionem noui testamenti, (vt exponit Aquin. dicit, Consummabo nouum testamentum: & dicit, Consummabo, quod sonat perfectionem.) Vtitur enim eo verbo Aposto-lus ad designandum perfectionem noui testamenti: fuit enim nouũ testamentum perfectum. Fixum ratumque; effectũ suum plenè & integrè sortiturũ. Inspice paululum, ait Augustinus, in eo testimonio quod per Prophetam de hac re præclarissimè dictum est: Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, Quid ad hæc dicemus? Nempe in veteribus libris nusquam aut difficile præter hunc propheticum locum legitur facta commemoratio testamenti noui, vt omninò ipso nomine appellaretur: nam multis locis hoc significatur & prænuntiatur futurum, sed non ita vt etiam nomen legatur expressum. Considera igitur diligenter quam differentiam inter duo testamenta, id est vetus & nouum, Deus esse testatus sit. Inde & in isto prophetico testimonio, Consummabo, inquit, testamentum nouum. Qui est consummabo, nisi implebo. In primo, adumbratio est? in altero, consummatio: quod enim illud iubet, istud perfectè adimplet. Cum enim, vti dixit Augustinus, generationis reatus regenerationis indulgentiâ fuerit absolutus, obediendum est iustitiæ spiritui? cui consentite, nec obediendum est concupiscentiæ carnis, contra quam certare debemus: ita sanè vt ipsam quoque obedientiam piam, donum Dei esse meminerimus, quod promisit per Prophetam, dicens: dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes. Quod quid est aliud quàm obedientes? Non deerat equidem qui diceret, sed deerat qui perficeret: cum enim ortus hominis esset in vitio, visco scilicet detentus cupiditatis: sicut edere non poterat opera vitæ, nisi viuificaretur; sic & opera non poterat facere iustitiæ, nisi iustificaretur. Quinimò, sicut oculus etiam sanus, videre non potest, nisi illuminetur à luce, sic & animus etiam iustificatus, parere non potest, nisi iuuetur à sole iustitiæ. Surde, (ait ille Iuliano) audi Apostolum gratias agentem Deo, quòd eius doctrinæ obediunt. Quandoquidem non dicit, Gratias Deo, quia prædicta est vobis doctrina eius, sed quia obedistis. Non enim omnes obaudiunt Euangelio, sed quibus datum est, vt obaudiant: sicut nosse mysterium Regni cælorum vobis datum est, ait Dominus, illis autem non est datum. Non ergo ex corde, hoc est ex voluntate obedissent, non præpararetur voluntas à Domino; alioqui mendaciter ei, de hac re Apostolus gratias agit, si hoc ipse non fecit. Erat igitur qui compelleret ad obediendum, sed non erat qui perfectè obediret, aut impleret præceptum. Res igitur remanebat imperfecta, quia non perfectè adimpleta. Inde igitur consummanda erat, vnde deficiebat, seu vnde non faciebat, vt nimirum iam haberet effectum, & quod iubet verbis: factis exprimeret.

Augustin. lib. de spir. & litt. cap. 19.

Quod iubet testamentũ vetus, nouũ adimplet.

Augustin. lib. 2. op. inch. n. 128.

Augustin. num. 130.

Quoad secundum. Si testamentum est nouum, non cum Iudæis initum, sed cum Christianis: non quod Iudæi sint exclusi, sed quòd credentes omnes seu fideles, in ipsis sint inclusi Christianis. Dicit Paulus, Super domum Israël & Iuda. Sed nunquid, ait Aquinas, datur tantùm Iudæis? Non. Roman. 9. Non omnes, qui sunt ex Israël, hi sunt Israelitæ. Et sequitur, Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in

Aquin. Lect. 2.

Aquin. Lect. 2.

in semine. Illi ergo qui sunt sortiti gratiam Dei, sunt Israël per fidem, & Iuda per confessionem. Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem Nomina ista mystica sunt, vtpote symbolica, vnum sonantia, & alterum repræsentantia. Et congregabuntur filij Iuda & Filij Israël,& ponent sibimet caput vnum Cum facti huius figuram, ait Augustinus, ipse Dominus per eandem Osee scripturam euidenter aperiat, cumque Apostolicæ litteræ hanc prophetiam completam in noui testamenti, prædicatione testentur; quis est qui audeat dicere, non propterea iussum & factum, propter quod se iussisse & Prophetam fecisse, ipse in sanctis litteris, qui iussit, exponit? Ait enim Apostolus: Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit nos,non solùm ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus:sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & erit in loco, vbi dictum est eis: Non populus meus vos, ibi vocabuntur Filij Dei viui.Hoc ergo de Gentibus prophetatum Paulus ostendit. Vnde & Petrus scribens ad Gentes Propheta quidem ipso non nominato, prophetiam tamen eius verbis suis inserit, dicens: Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur. Huic itaque prophetiæ tam manifestæ, ipso rerum effectu declaratæ, quisquis contradicit;non solùm propheticis, verumetiam Apostolis litteris? nec solùm quibuslibet litteris, verumetiam rebus impletis, & clarissimâ luce perfusis impudentissime contradicit. Fideles omnes, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus collecti, in vnum coeunt, & vnum caput agnoscunt: omnes enim Christiani sub vno Christo constituti. Quid ergo est, ait Augustinus, nisi omnes pertinentes spiritaliter ad domum Israël, & ad domum Iuda:hoc est, ad filios Isaac,& ad semen Abrahæ? Ipsa est enim promissio quâ ei dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est domus Israël vel domus Iuda propter Christum, qui venit ex tribu Iuda. Domus Filiorum promissionis hæc est, non operum propriorum, sed beneficij Dei. Hoc enim Deus promittit quod ipse facit: non enim ipse promittit,& alius facit; quod iam non est promittere, sed prædicere. Omnes ergo domus Israël, & domus Iuda: neque enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israël, sed omnes quibus dicitur in Psalmo, pro susceptione matutinâ, hoc est pro luce nouâ, testamenti scilicet noui: Vniuersum semen Iacob glorificate eum: timeat eum omne semen Israël.Vniuersum omninò semen, prorsus omne semen promissorum atque vocatorum, sed eorum qui secundùm propositum vocati sunt. His quippe facta sunt promissa.

Augustin. lib. 22. cont. Faust. cap. 89.

Domus Israël & Iuda pro credentibus seu fidelibus.

Augustin. lib. de spi. & litt. cap. 24.

Quoad tertium. Bonum quidem primum testamentum laudandumque, sed nouum præ antiquo commendandum. Cum enim dicit, Non secundùm testamentum quod feci Patribus eorum, describit, ait Aquinas, nouum testamentum per differentiam ad vetus. Posset enim aliquis dicere, Nunquid istud nouum est veteri simile? Ideò quasi respondens dicit,Non: Quia non secundùm id, quod feci cum Patri-

Aquin Lect. 3.

A bus eorum. Deinde cum dicit, In die quâ apprehendi manum eorum, ostendit defectum veteris testamenti. Vetus enim testamentum traditum est seruis, & infirmis: seruis quidem, quia de seruitute Ægypti, & quantum ad hoc dicit, vt educerem illos de terrâ Ægypti: infirmis autem quia per se non poterant se iuuare, & quantum ad hoc dicit, Apprehendi manum eorum: quod est infirmorum. Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, quia scilicet non erat scriptum in cordibus eorum. Aliud ergo longè melius testamentum inductum est, quod seruitutem dissipet,releuet infirmitatem: id est, quod

B cupiditatem comprimat, infundat charitatem. Cum enim dixisset, ait Augustinus, Non secundùm testamentum quod feci Patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti. Vide quid adiunxit: Quia ipsi non perseuerauerunt in testamento meo. Vitio eorum deputat quòd in testamento Dei non permanserunt, ne Lex quam tunc acceperunt, culpanda videatur. Ipsa est enim quam non venit Christus soluere, sed implere. Non tamen per eandem Legem iustificatis impiis,sed per gratiam: hoc quippe agit viuificans spiritus, sine quo littera occidit. Si

C enim data esset Lex quæ posset viuificare, omninò ex Lege esset iustitia: Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ex hac promissione, hoc est ex Dei beneficio ipsa Lex impletur, sine quâ promissione præuaricatores facit: vel vsque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit; vel certè in solâ voluntate, si timor pœnæ suauitatem libidinis vicerit. Nouum ergo testamentum in eo præstat veteri, quod non solùm manum retrahat à malo, sed & animum à desiderio per gratiam reprimat. Ideò enim nouum quia innouat hominem reformatque, dum vitium euacuat in-

D clitum,natiuamque purgat concupiscentiam.Ergo illud vetus erat, ait ille, quia hoc nouum est. Vnde igitur illud vetus, hoc nouum, cum Lex eadem impletur per testamentum nouum, quæ dixit in veteri, Non concupisces? Quia ipsi, inquit, non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per litteram iubentem & minantem minimè sanabatur, dicitur illud testamentum vetus: hoc autem nouum,propter nouitatem spiritûs quæ hominem sanat a vitio vetustatis. Sed ergo testamentum nouum veteri confertur, vt tamen

E præferatur, sicut virtus Legi, sicut spiritus carni: vetus enim veteris est hominis, ideoque languentis & infirmi: nouum verò, hominis noui, seu de spiritu renati, ideoque potentis ac validi. Ad illud enim, testamentum ait Augustinus, generatio pertinet, ad hoc autem regeneratio. Vnde ibi peccata patrum redduntur in filios, hîc autem generationis vinculo soluto, non in patris,sed in suo peccato, si commiserit, quisque morietur.

Augustin. lib. de spi. & litt. cap. 19.

Vnde dici vetus, aut nouum testamentum.

Augustin. eodem lib. cap. 20.

Augustin. lib. 3. oper. inch. n. 86.

PARA

PARAGRAPHVS IV.

De inscriptione.

LEges, vt legi possint, inscribuntur; vt intelligi possint, exponuntur. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israël, post dies illos, dicit Dominus, dando Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Lex igitur noua scribitur, sed in cordibus: intelligitur, sed à diligẽtibus: custoditur, sed à colentibus Deum secundùm spiritum

Athanas. in Paulum.

Quoad primum. Docuit Christus, non tamen scripsit; imò non tam auribus quàm cordibus locutus est. Prodeant nunc Iudæi in medium, ait Athanasius, & ostendant quo vnquam tempore Legem sine scriptis acceperint. Nam vel post ex Babylone regressum, litteris exarata Lex illis per Esdram imposita est. Constat tamen Apostolos in scriptis nihil accepisse, sed Spiritûs Legem cordibus admisisse: & ideò Christus his vsus est verbis, Paracletus veniens suggeret vobis omnia, & docebit vos omnia. Scribitur quidem Lex & legitur, sed in corde, non in lapide. Attẽde quod sequitur, ait Augustinus, & vide quantâ luce fiat perspicuum, quod sibi videntes nolunt homines intueri, Quia hoc testamentum est, inquit, quod ordinabo domui Israël; post dies illos, dicit Dominus, dabo Leges meas in cor illorum, & in mente eorum scribam eas. Nec ob aliud arbitror in eo loco Apostolum voluisse commemorare testamentum nouum. Vbi enim ait, Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis; quia non attamento, sed spiritu Dei viui: ibi etiam ait, Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litteræ, sed spiritûs; nisi quia istam intuebatur prophetiam, cum diceret, Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, quoniam hîc dictum est, In cordibus eorum scribam eas: vbi nominatim promissum est nouum testamentum. Scribit, enim & inscribit, dum spiritualiter mentem innouat, & efficaciter inclinat voluntatem. Quid sunt enim Leges Dei, ait ille ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritûs sancti, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo Legis est, & præcepti finis. Nam quia veteris testamenti promissa terrena sunt, licet (exceptis Sacramentis, quæ vmbra erant futurorum, sicut est Circumcisio & Sabbatum, & aliæ dierum obseruationes, & quarumdam escarum ceremoniæ, & multiplex sacrificiorum sacrorumque ritus quæ vetustati carnalis Legis iugóque seruili congruebant) talia contineãt præcepta iustitiæ, qualia nunc quoque obseruare præcipimur, quæ maximè duabus illis tabulis sine figurâ adumbratæ significationis expressa sunt, sicut est, Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces & si quod est aliud mandatum quod in hoc sermone recapitulabatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum: tamen quia in eo, sicut dixi, promissa terrena & temporalia recitantur, quæ bona sunt huius corruptibilis carnis, quamuis eis sempiterna atque cœlestia ad nouum scilicet testamentum

Augustin. lib. de spi. & litt. cap. 20.

Augustin. eodem lib. cap. 21.

Nouus dicendi modus & scribendi.

A pertinentia figurarentur; nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est, intelligibile bonum, cum dicitur, Dabo Leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Nouus dicendi modus & scribendi, sed nouo dignus testamento.

Quoad secundum. Non solùm cordibus inscribitur Lex illa, sed & mentibus imprimitur: intelligitur enim, sed à diligẽtibus. Modus quippe tradẽdi, vt docet Aquin. duplex est. Vnus per exteriora, sicut proponẽdo verba ad cognitionẽ alicuius: & sic traditum fuit vetus testamentum. Alio modò, interiùs operando: & hoc modo datum est nouum testamentum quia consistit in

Aquin Lect. 2.

B infusione Spiritûs sancti, qui interiùs instruit. Quia autem non sufficit tantùm cognoscere, sed requiritur operari: primò illuminat intellectum ad cognoscendum, & ideò dicit, Dabo Leges meas in mentem eorum: & dicit in plurali, propter diuersa præcepta & consilia. Et hoc facit Spiritus sanctus. 1. Ioan. 2. Vnctio eius docebit vos. Tum & ad benè operandum inclinat affectum, & quantum ad hoc dicit In corde eorum superscribam eas: id est, super cognitionem scribam charitatem. Primus tradendi modus, humanus est, & methodo congruus: alter planè diuinus, ac Deo proprius. Tria igitur obseruanda sunt, quibus iste modus planè est ab illo

Duplex modus tradendi, humanus & diuinus.

C distinctus. Primum est, quod Leges humanæ stylo scribantur, aut graphio: nostræ verò, digito diuino: alterum, quòd illæ codicibus inscribantur, aut incidantur marmoribus, istæ mentibus imprimantur & cordibus: tertium, quod primæ exponantur oculis legendæ, diuinæ seponantur intrinsecùs animis capiendæ. Hic Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris quæ plenitudo Legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur, vt ex fide viuentes per dilectionem benè operemur. Sed ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi ergo Lex extrinsecùs

Augustin. lib. de sp., & litt. cap. 16.

D posita est quâ iniusti terrerentur, hîc intrinsecùs data est quâ iustificarentur. Capiunt, qui diligunt: plenitudo enim Legis, charitas est; charitas autem, hominis sanctificatio: Hæc autem, ait idem Augustinus, non in tabulis conscripta lapideis, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Lex ergo Dei est charitas. Huic prudentia carnis non est subiecta, neque enim potest: sed ad hanc prudentiam carnis terrendam, cum in tabulis scribuntur opera charitatis, Lex est operum & littera occidens præuaricatorem. Cum autem ipsa charitas diffunditur in corde credentium, Lex est fidei, & spiritus viuificans dilectorem.

Augustin. cap. 17.

E Illud ergo extra hominem scribitur, vt eum forinsecùs terrificet; hoc in ipso homine, vt eum intrinsecùs iustificet. Carnales enim tabulas cordis dixit Apostolus, non carnalis prudentiæ, sed tanquam viuentis sensúmque habentis in comparatione lapidis qui sine sensu est. Lex ergo nostra seu Christiana, legitur à fide, capitur à charitate: non enim qui in manifesto Iudæus est, sed qui in occulto; qui coram Deo Christianus est; qui charitatem excolit, qui Legem regalem ex animo perficit

Quoad tertium. Deum colunt, qui Legem eius custodiunt, sed iuxta spiritum & veritatem. Itaque triplex consideratio inducenda est, &

animo retinenda. Quidam enim omninò non cuſtodiunt, vt infideles ſeu Ethnici: alij cuſtodiunt, ſed non eo modo quo cuſtodienda eſt, vt carnalis Iudæi: alij denique ritè ac piè cuſtodiunt, quia eo animo quo perficienda eſt. Illi igitur non faciunt, ſed reiiciunt: iſti in ſpecie faciunt: hi corde & opere, imò opere, quia corde, perficiunt, quia opere ſimul & veritate diligunt. Ita Chriſtus Samaritanæ: Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod neſcimus, quia ſolus ex Iudæis eſt. Sed venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorant eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorent eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quid Samaritani, niſi exteri, qui quod colunt, neſciunt. Quid Iudæi, niſi domeſtici, qui ſciunt quod colunt, ſed ſecundùm ſonum colunt litteræ, non ſecundùm ſpiritum gratiæ. Aberrant illi à veritate, dum Legem repudiant: claudicant iſti in lege, dum ſecundùm carnem obſeruant. Salus quidem à Iudæis, quia ex ipſis natus eſt Chriſtus, qui ſenſum aperuit, ſpiritum addidit, & Legem expoſuit ſecundùm veritatē: ſed nec Ethnici nec Iudæi veri erāt adoratores, quia illi falſi, iſti cultores vmbratici: illi colebant ex errore, iſti ex carne diligebant. Nuſquam illi populus Dei, quia populus diaboli: iſti populus quidem Dei, ſed ingratus, ideóque & reiectus: aliis in locum eorum introductis, qui Deum colant in Patrem, & Legem eius iuxta ſpiritum cuſtodiant. Ero illis in Deum, & illi erunt mihi in populum. Id ſanè, ait Athanaſius, per Euangelium effectum eſt. Nam qui antea Deos colebant, idolorum erāt ſeruituti addicti. Nunc veri Dei habitā notione, illi in populum conceſſerunt. Ipſi me non ex carne, ſed ex corde diligent, Legemque meam non ſecundùm ſpeciem cuſtodient, ſed ſecundum veritatem; non iuxtà ſonum, ſed iuxta ſpiritum, ideóque verè ac legitimè Patrem colent; & inde benefactorem ſentient, glorificatoremque. Vbi ſignificauit eos, (verba ſunt Auguſtini) non forinſecùs terrentem Legem formidaturos, ſed intrinſecùs habitantem ipſam Legis iuſtitiam dilecturos: ſtatim addidit & mercedem, Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hoc eſt illud quod de Deo ait ille, Mihi autem adhærere Deo bonū eſt. Ero, inquit, illis in Deum, & ipſi erunt mihi populus. Quid hoc bono melius, quod hac felicitate felicius, viuere Deo apud quem eſt fons vitæ, & in cuius lumine videbimus lumen. Hoc enim & ipſe promittit dilectoribus ſuis dicens: Qui diligit me, mandata mea cuſtodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & oſtendam meipſum illi. Vtique in formā Dei quā æqualis eſt Patri; non in formā ſerui, in qua ſe & impiis oſtendet. Tunc enim fiet quod ſcriptum eſt, Tollatur impius vt non videat gloriam Domini. Quando ibunt ſiniſtri in ignem æternum, iuſti autem in vitam æternam. In eo merces, In eo finis, in eo perfectio felicitatis, in eo beatæ vitæ ſumma conſiſtit.

Soli ſpirituales, veri adoratores Dei.

Athanaſ. in Paulum.

Auguſtin. lib. de ſpi. & litt. cap. 22.

PARAGRAPHVS V.

De cognitione.

Mirum quod nouum teſtamentum pactū ſit, non tamen ſit oneroſum, ſed planè gratuitum, conditiones non tam exigens quàm ſtatuens, promiſſionéſque perfectè & integrè adimplens. Sed in magis mirum, quod iam ab Adami lapſu prælibatum ſit, ſed non niſi in aduentu Chriſti, imò in morte eius conſecrandum, dedicandumque in eius ſanguine. Exinde ergo excurrit proficitq; Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque Fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Quoniam omnes ſcient me, à minimo vſque ad maiorem eorum. Dixi exinde excurrere ac proficere: primo, per publicam Euangelij prædicationem: ſecundò, per arcanam Dei irradiationem: tertiò, per æternam animi glorificationem.

Quoad primum. Hucuſque notus in Iudæa Deus, imò vix notus apud Iudæos Deus: ſed Chriſto à mortuis rediuiuo, notus vbique Deus, & apud Chriſtianos familiariſſimus. A paruo, inquit, ad magnum eorum me ſcient, & non dicent, Cognoſce Dominum. Ecce, ait Chryſoſtomus, aliud quoque ſignum. Quando enim factum eſt hoc, niſi nunc? Nam quod noſtrum quidē eſt, eſt manifeſtū: quod autem eſt illorū, nequaquam eſt manifeſtū, ſed angulo incluſum. Hic igitur oſtendit, quòd nos dignatur maioribus & magis ſpiritualibus. In omnem enim, inquit, terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc eſt, non dicet vnuſquiſque proximo ſuo, Cognoſce Dominū. Non tollit diſtinctionem docentium & audientium, ſed fidem inſtruit credentium; non iam requirentium; magiſtros, ſed ipſos inuenientium tanquam Angelos è cælo lapſos, ſeu vbique gentium à Deo datos. Cum enim dixiſſet, (ita Auguſtinus) Et ero illis in Deo, & ipſi erunt mihi populus: continuò addidit: Et non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum, & vnuſquiſque Fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, quia omnes cognoſcent me à minore vſque ad maiorem eorum. Nunc certè iam tempus eſt teſtamenti noui, cuius per Prophetam facta eſt promiſſio per hæc verba, quæ ex illā prophetiā commemorata ſunt. Cur ergo adhuc dicit vnuſquiſque ciui ſuo & Fratri ſuo, Cognoſce Dominum? An fortè non dicitur, cum Euangelium prædicetur, & eius ipſa ſit prædicatio, vt hoc vbique dicatur: Nam vnde ſe Apoſtolus Gentiū dicit eſſe doctorem, niſi quia hoc fit quod ipſe ait, Quomodo inuocabunt in quem non crediderūt? Aut quomodo credent ei, quē non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Cum ergo nunc iſta prædicatio vſquequaque crebreſcat, quomodo tempus eſt teſtamenti noui, de quo Propheta dixit: Et non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum, & vnuſquiſque Fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, quia omnes cognoſcent me à minore vſque ad maiorem eorum: Quia iam tempus non iam velādi, non quærendi, ſed inueniendi. Quia repleta eſt terra ſcientiā Domini, ſicut aquæ maris operiētes. Et volabunt in humeros Philiſthijm per mare, ſimul prædabuntur filios oriētis, Idumæa & Moab præceptū manus eorū, & filij Ammō obedientes erunt. Nulla igitur cauſanda notitiæ diuinæ inopia, circūuolitantibus vbiq; prædicatoribus, & gloriam Dei, Chriſtique gratiā, non ſolùm omni terræ, ſed & omni creaturæ, id eſt, omni homini enarrantibus. Non ſunt loquelæ, neq; ſermones, quorū non audiātur voces eorū Per quos enim, ait Auguſt. non auditæ ſunt Euange

Chryſoſt. orat. 14.

Auguſtin. lib. de ſpi. & litt. cap. 24.

Nulla nunc cauſando notitia diuinæ inopia.

Iſaiæ c. 1. 11.

Auguſtin. Expoſ. 1. Pſal. 19. poſt init.

Euangelistarũ cum omnibus linguis Euangelium prædicarẽt:Cũ fidẽ seminarẽt,veritatẽ annuntiarent,& diuinam insinuarent scientiam.

Quoad secundum. Promissio hæc ad filios pertinet noui testamenti, id est ad electos, qui veri sunt promissionis filij,tanquam hæreditatis diuinæ, seu æternæ felicitatis candidati : eósq; si non solos docet, certè vt præcipuos cæli ac Christi discipulos. Sed in his tria sunt obseruanda. Primum est illuminationem illam non fieri per publicam prædicationem, sed per arcanam irradiationem: Vos vnctionem habetis à B sancto, & nostis omnia. Seu, vt legit Augustinus. Et vos vnctionem habetis à sancto, vt ipsi vobis manifesti sitis. Vnctio spiritalis, inquit, ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in vnctione visibili. Hanc vnctionem Christi qui habent, dicit omnes cognoscere malos & bonos, nec opus esse vt doceantur, quia ipsa vnctio docet. Et non habetis necessitatem vt aliquis vos doceat, quia vnctio ipsius docet vos de omnibus. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine, sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui doceat, inanis fit strepidus noster: quibus enim vnctio illa intus non loquitur, indocti sunt. Christus docet, inspiratio ipsius docet. Magisteria forinsecùs, adiutoria quædam sunt & admonitiones: cathedram in cælo habet, qui corda docet. Propterea ait & ipse in Euangelio, Nolite vobis dicere Magistrum in terrâ: vnus est Magister vester Christus. Alterum est, illam irradiationem efficacem nunquam inanem reddi & irritam: non enim sic monet Deus vt non audiamus, non sic nos docet vt non capiamus. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Quid est, inquit Augustinus, omnis qui audiuit D à Patre, & didicit, venit ad me:nisi, nullus est qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit: profectò omnis qui non venit non audiuit à Patre, nec didicit: nam si audiuisset & didicisset, veniret. Neq; enim vllus audiuit ac didicit, & non venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in quâ Pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Vincit Deus resistentiam, dum flectit duritiam; infundit doctrinam, discutit ignorantiam. Ipsa sunt Christiana, ait Augustin. Iuliano, & gratiæ efficacis sacramenta abscondita sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis. In quibus ô si esses, nec quasi magnus in tuâ virtute confideres, profectò intelligeres. Tertium, non solùm per doctrinam seu disciplinam illam illuminari animam, sed & inflãmari. Ibi enim est & ipse filius. (verba sũt Augustini) quia ipse est verbum eius per quod sic Pater docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi Spiritus Patris & Filij: neq; enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est vtique Spiritus Sãctus, de quo Apostol. dicit: Habentes autem eundem spiritum fidei. Sed ideò Patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus Vnigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus. Pater filium producit, vt Sol emittit radium: Filius

Augustin. Tract. 3. in ep. Ioan. cir. med. & v. fin.

Inanis strepitus, si spiritualis non est auditu.

Augustin. lib. de 1. prædi. sanct. c. 8.

Augustin. lib. 1. op. inch. n. 57.

Augustin: lib de præd. sanct. cap. 8

A Spiritũ sanctũ amorẽ ve, vt radius ardorẽ, ideóq; doctrina non solùm lucida est, sed & flammea.

Quoad tertium. Cessabit tandem doctrina, cum gloria regnabit, & perfecta constabit sciẽtia, Dicendum est ergo, (ex Aquinate) quòd hoc quod dicitur hic, potest dupliciter intelligi. Vno modo, de præsenti statu, & sic non verificatur vniuersaliter de omnibus, sed tantùm de primis fundatoribus noui testamenti, scilicet Apostolis, qui immediatè fuerunt instructi à Deo, quãdo aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Tunc quippe Apostoli facti sunt perfectè cognoscẽtes, & non aliis instructi, sed simul à Christo acceperunt scientiã infusam. Alio modo quòd referatur ad statũ patriæ futurum, ad quã per nouum testamentũ introducimur, non per vetus: & sic vniuersaliter verum est, quod hic dicitur. Quid ergo, nunquid Angelus illuminat Angelum? cur ergo & beatus beatum nõ illuminat? Duplex est cognitio in beatis Angelis: vna quæ beatos facit, scilicet cognitio diuinitatis, quæ sola beatos facit. Alia est, quæ est omniũ, quæ sũt aliud à Deo, cuiusmodi sũt effectus Dei, & ista non beatificant. Quantum ergo ad primã, vnus non docet alium: quia vnus non beatifica- C tur mediante alio, sed à Deo immediatè. Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Sed quantum ad alia, quæ est aliquorũ mysteriorum, vnus docet alium: & hoc fortasse vsq; ad finem mũdi, quandiu durat executio effectuum Dei, & ideò addit, dicens, Cognosce Dominum. q. d. non accipit Dei cognitionem. Habuerunt quidem fidem Dei plenam & integram, sed nondum promissam noui mercedem testamenti: habuerunt perfectam mysteriorum diuinorũ cognitionem, sed nondum beatam contemplationẽ. Quid ergo est, ait Augustin. Omnes à minore vsq; ad maiorem eorum: nisi omnes pertinentes spiritaliter ad domum Israël, & ad domũ Iuda. Quos enim prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Omnes ergo hi prædestinati, vocati, iustificati, glorificati, cognoscent Dominum gratia testamenti noui, à minore vsque ad maiorem eorum. Sicut enim Lex factorum scripta in tabulis lapideis, mercesque eius terra illa promissionis, quam carnalis domus Israël cum ex Ægypto liberata esset accepit, pertinet ad testamentum vetus; ita Lex fidei scripta in cordibus, mercesque eius species contemplationis, quam spiritalis domus Israël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad testamentum nouũ. Tunc fiet quod dicit Apo- E stolus, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia euacuabitur, illa scilibet paruulorum scientia in quâ hic viuitur, quæ ex parte est per speculum in ænigmate. Cum autem venerit quod perfectum est, & totum hoc quod ex parte est, fuerit euacuatum, tunc qui assumptà carnẽ, carni apparuit, ostendet seipsum dilectoribus suis: tunc erit vita æterna, vt cognoscamus vnum verum Deum; tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus sicut & cogniti sumus. Tunc non docebit vnusquisq; ciuem suum, aut Fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent eum à minore vsque ad maiorem eorum. Id est, omnes omninò beati, nullo dempto, beatam sunt æternámque vitam accepturi.

Aquin. Lect. 3.

Aquin. Ibidem.

Augustin. lib de spi. & litt. cap. 24.

Beati omnes tandem diuinitatis cõtemplationẽ accepturi.

PARAGRAPHVS VI.

De remissione.

PEccatum, vnum opus est, quod citò transit: triplex tamen secum onus vehit: iniquitatem, pœnalitatem: indignitatem. Perfectam igitur remissionem: & integram peccati contracti abolitionem promittit, cum ait: Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor.

Quoad iniquitatem. Non tam actus est, quàm habitus: est enim reatus ab actu transacto contractus, à quo quis exinde dicitur iniquus, & tandiu à verâ alienus institiâ, quandiu non remittitur. Reatus, ait Augustinus, hominis voluntate non tollitur, etsi voluntate sit factus. Innocentia, magnum hominis bonum, quæ tamen hominis voluntate perdi potest, non potest reddi: & reatus magnum innocentiæque contrarium, quod tamen potestas hominis cum sit voluntarium posset inferre, nec possit auferre. Debemus quippe illum recolere, qui & pœnitentiam egit, & reus remansit, quia veniam non accepit: sicut & illum de quo Dominus ait, Non remittetur ei, sed reus erit æterni peccati. Perditâ per primum peccatum innocentiâ, rei omnes nascimur, id est, iniqui, ideóque damnabiles; impij dicimur, diuinæque tenemur obstricti iustitiæ, donec regeneremur in Christo; id est, donec moriamur peccato, & in Deo renascamur. Nouimus enim Christum, (verba sunt Augustini) in similitudine venisse carnis peccati, quoniam in vera carne venit, sed non sicut alij homines in carne peccati; mortuus est ergo ille similitudine peccati, quam gerebat in carne mortali: ac si mysterium nostræ salutis impleuit, vt nos peccato moreremur, cuius ille similitudinem gessit; ideo in morte ipsius baptizamur, quia sicut in illo vera mors facta est, ita in nobis vera fit remissio peccatorum. Hic ergo sunt & paruuli, quicumque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Hæc est vera gratia, dum reo, damnatóque tribuitur venia, dum offensa remittitur. Attende, ait ille, Ex vno omnes in condemnationem. Quo vno, nisi delicto? Hæc enim explanat Apostolus, cum adiungit: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Nos intelligamus Apostolum, & videamus ideò dictum iudicium ex vno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Inclamat Apostolus condemnatis, & quasi sub ictu positis, vtpote reatu obstrictis, replicatque, Gratia, Gratia. Rei eratis, nunc iustificati: id est, iniqui eratis & iniusti per peccatum Adami, & iusti facti estis per Christi beneficium. Fauet enim Deus, indulgétque per Christum, dum peccatum gratiâ suâ abolet: Quia propitius ero iniquitatibus eorum. Quid est enim propitiari, nisi misereri? quid porrò misereri, nisi reo, seu misero veniam largiri ac gratiam.

Augustin. lib 6. oper. inch. n. 19.

Reatus per gratiam seu veniam remissus.

Augustin. lib. 2. oper. inch. n. 215.

Augustin. lib. 1. de pec. mer. & remiss. cap. 7.

Quoad pœnalitatem. Deleta est quidem iniquitas omnis, sed nondum omnis ablata pœnalitas: nihil quidem damnationis iis qui sunt in

A Christo, non nihil tamen tribulationis iis qui sunt in seculo: ideo nundum videtur integra venia, quia nondum tota pœna censetur remissa. Quid est venia, quid gratia, nisi abolitio? seu, vt ait Seneca: Pœnæ meritæ remissio. Cum nulla persistat præteritorum memoria, cum tota cõstat & integra debitorum indulgentia. Videtur ergo recordari peccatorum, cum non totam remittit pœnam, sed diuidit, dum punit in hoc mundo? nec tam meritum euacuat supplicium, quam commutat. Agnoscite cum Ecclesiâ Dei, ait Augustinus, Quia corpus corruptibile aggrauat animam. Cantate cum Ecclesiâ Dei,

B Homo vanitati similis factus est, dies eius velut vmbra prætereunt. Neque enim qui est, ad similitudinem Dei factus, fieret, nisi per peccatum similis vanitati, vt ætatum cursu & mortis incursu, velut vmbra dies illius præterirent. Enimuero hæreditaria ipsa generis humani ab infantibus vsque ad senes calamitas testis est, vt dies eius & in laboribus gemerent, & sicut vmbra transirent: quæ miseriæ non haberent conditionem supplicij, nisi traherentur contagione peccati. Non dico, ideò miseri sunt nascentes, vt conuincantur rei; sed dico potius, ideò conuincantur rei esse, quoniam sunt miseri. Pecca-

C ta ne sequantur suppliciis præcedentibus vis caueri, cum soleant & debeant suppliciis sequentibus peccata præcedentia vindicari. Quid ergo? reatus quidem culpæ remissus est, non tamen dimissus pœnæ cruciatus: facta est igitur propitiatio iniquitatis, sed nonnulla residua est peccati commissi commemoratio, cum assidua sit supplicij debiti inflictio, continuaque animæ etiam iustificatæ afflictio. Ideò Deus non solùm dicit, Quia propitius ero iniquitatibus eorum. Sed addit, Et peccatorum eorum iam non memorabor. Non solùm auferam omnem iniquitatem, sed & omnem pœnalitatem, gratiam conferam integerrimam.

Sen. lib. 1. de Clemẽt. c. 7.

Augustin. lib. 6. op. inch. n. 27.

Peccatum ex illato deprehensum supplicio.

D Quoad indignitatem. Quamuis iustus non affligeretur, quamuis etiam nunquam moreretur; tamen quandiu innatâ manet infectus concupiscentiâ, indignus apparet gloriâ; cum non sit à Deo, sed à diabolo, tam indigna cœlo est, quàm peccato proxima. Hanc, ait Augustinus, concupiscentiam carnis, per quam nascitur, & cum quâ nascitur homo, cohiberi Apostolus præcepit, nec regnare permittit; eamque peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originem ducit, & quisquis eius motibus ad illicita consenserit, peccat: quæ tunc nulla erit in nobis, quando immortale corpus habebimus. Ideoque cum posset dicere, non regnet

E peccatum in vestro corpore, cur addit, & ait, In vestro mortali corpore, nisi vt tum speraremus istam, quam vocat, concupiscentiam non futuram, quando mortale non habebimus corpus? Extrema igitur deleri debent peccati vestigia, vt nulla supersit peccati memoria: non enim pœnæ duntaxat abolendæ sunt, sed & reliquiæ penitùs expungendæ; vt exulet tota cupiditas, & integra regnet charitas: hoc enim promittit excellentia noui testamenti, huc tandem Christi gratia prouehit. Cum testamentum nouum Propheta promitteret, (ita Augustinus) non secundùm testamentum quod priùs factum est populo Israël ex Ægypto liberato, dico nihil eum de sacrificiorum, vel quorumcunque

Augustin. lib. 1. de sp. & litt. cap. 25.

Sacra

Sacramentorum commutatione dixisse, quamuis & ipsa sine dubio fuerat secutura, sicut secutam videmus, quod multis aliis locis eadem prophetica scriptura testatur: sed tantummodò istam commendasse distantiam, quòd leges suas daturus esset Deus in mentem eorum qui pertinerent ad hoc testamentum,& eorum scripturus in cordibus: vnde Apostolus sumpsit, Non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus: sempiternámque mercedem iustificationis huius, non terram de quâ pulsi sunt Amorrhæi & Zethæi, & aliæ Gentes quæ ibi commemorantur, sed ipsum Deum cui adhærere bonum est, vt bonum Dei quod diligunt, Deus sit ipse quem diligunt:inter quem & homines nisi peccata non separant, quæ non nisi per eandem gratiam dimittuntur.Vnde cum dixisset,omnes enim cognoscent me à minore vsque ad maio- A rem eorum, mox addidit; Quia propitius ero iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabor vltra. Per legem ergo factorum dicit Dominus, Non concupisces:per legem fidei dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere. Cum igitur hæc appareat distantia veteris & noui Testamenti: quòd lex ibi in tabulis, hîc in cordibus scribitur;vt quod ibi forinsecùs terret, hîc delectet intrinsecùs; ibique fiat præuaricator per occidentem literam,hîc dilector per viuificantem spiritum: non ideò dicendum est quòd Deus adiuuet nos ad operandam iustitiam, atque operetur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate, quia præceptis iustitiæ forinsecùs insonat auribus nostris, sed quia intrinsecùs incrementum dat diffundendo charitatem per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc Christi gratia, hæc gloria Christiani.

Notanda primi ac secundi testamenti distantia.




CAPVT NONVM.

Summa.

Iteratio veterum sacrificiorum, infirmitatis conuictio est: vnica Christi oblatio, indubitatæ dignitatis ac virtutis sacrificij probatio.

TEXTVS.



HABVIT quidem & prius, iustificationes culturæ, & Sanctum seculare: Tabernaculum enim factum est primum, in quo candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum,Tabernaculum,quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium:de quibus non est modò dicendum per singula.His verò ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodò in cibis & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in Sancta, æternâ redemptionis inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum; & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum

ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideò noui Teſtamenti mediator eſt; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lectò enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aquâ, & lanâ coccineâ, & hyſſopo; ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam Tabernaculum & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis. Non enim in manufacta Sancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: hic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.

A

EXEGESIS LITERALIS.

A Sacerdotio ad teſtamentum, à teſtamento deſcendit ad ſacrificium: oſtenditque antiquos ritus, conatus fuiſſe inualidos: ſolum Chriſti ſanguinem peccatis abluendis aptum & efficacem.

Habuit quidem & prius, iuſtificationes culturæ, & Sanctum ſeculare. Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta &c. Dixit fuiſſe, Qui offerrent ſecundùm legem munera, qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cœleſtium. Tales erant Sacerdotes primi Teſtamenti, in Moſaico miniſtrantes Tabernaculo, & cœleſtia præfigurantes myſteria. B Nunc reſumit exponitque: primum ſiquidem teſtamentum, habuit inſtituta ſua ad cultum diuinum pertinentia, Sanctum κοσμικὸν mundanum, ſeu tabernaculum ſed terrenum, mundiale, non cœleſte: prima enim pars tabernaculi ſic erat diſpoſita, in quâ λυχνία, candelabrum eſſet poſitum: & menſa, in quâ panes, coràm Domino propoſiti: & hoc Sanctum vocatum eſt ſeu ſanctuarium. Prius maluit dicere quàm vetus, licet & vetus eſſe concluſerit. Honorauit legem, ait Chryſoſtomus, & noluit eam dicere nominatim veterem, verumtamen hoc dixit. Dicendo enim nouum, veterauit prius. Vide quemadmodum quod erat occultatum aperuit ipſam mentem Prophetæ. Sed

Chryſoſt. orat. 14.

A non vno id in loco mirandum eſt, cum ſit vbique conſpicuum: poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro &c. Poſt ſecundum autem velum, alterà pars tabernaculi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum: vbi θυμιατήριον, altare thure fragrans proximè collocatum & quaſi attiguum: ibi & arca teſtimonij, auro intus & foris obducta puriſſimo. In quâ vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſupérque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non eſt modò dicendum per ſingula &c. In arcâ autem fœderis erat vrna aurea, manna plena, B & virga Aaron, quæ pro cautione collati germinauerat Sacerdotij: erant & legis tabulæ, pacto ſolemni Moyſi conſignatæ, ſed ad latus collocatæ: & ſuper ipſam arcam erant duo Cherubin maieſtatem diuinitatémque ſpirantia, & alis ſuis, propitiatorium, ſeu opertorium, arcæ obumbrantia. Quæ quidem omnia, imò & ſingula ſuis redolent myſteriis, ſed non pertinent ad ſuſceptam materiam. Patefacit hoc loco, ait Athanaſius, non oculis ſolùm & obtutu hæc terminari, præferréque duntaxat quod eſſe videntur, ſed ænigmata quædam eſſe & argumenta, ad quæ contemplanda perſpiciendaque longiori ſit opus tempore.

Pars duplex tabernaculi: anterior ac poſterior.

Athanaſ. in Paulum.

His verò ita compoſitis; in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes,

ſacrifi

sacrificiorum officia consummantes &c. His A itaque sic dispositis ordinatisque, in priorem quidem Mosaici tabernaculi partem, solebant quotidie Sacerdotes introire & sacra peragebant ministeria, suaque obeuntes officia. In secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum &c. In posteriorem autem tabernaculi descripti partem, introibat princeps Sacerdotum semel anno: non tamen sine sanguine, quem pro suis, & populi offerebat ignorantiâ. Sed quod nulli pateret aditus in Sancta sanctorum, nisi B semel in anno, solique Pontifici, mysticè significatum est, insinuatúmque à Spiritu sancto, nondum manifestatam esse cœlorum viam, stante adhuc veteri lege, & Christi gratiam expectante. Propterea dicit, hæc ita constructa sunt, vt discamus, quia Sancta sanctorum, hoc est cœlum, quod inaccessibile mortalibus solere esse, iam adiri posset. Ita Ambrosius. Nondum via propalata cœli, quia nondum gratia Christi reuelata: nullus accessus, quia nullus introitus tunc cognitus: nunc verò gratia palam prædicata est, & Christo semel cœlum ingresso, non solùm deuictâ morte triumphauit, sed & nobis aditum æternitatis reserauit. Quæ C parabola est temporis instantis: iuxtà quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis &c. Illud sanè quod priore significabatur tabernaculo, gerebatur etiam illo tempore, tuncque fiebat eodem ordine: in illo enim parabola seu figura veteris erat legis, secundùm quàm munera offeruntur & hostiæ, quæ non possunt offerentem seu ministrantem iustificare, non enim veram & internam conferre possunt iustitiam. Quid enim in sacro illo ministerio, nisi ciborum & D potuum, multiplicúmque lotionum, & corporalium seu externarum munditiarum obseruatio; iussa quidem, imò & imposita, donec veniret Christus, qui leuaret opus, veterémque legem in melius reformaret? Cum esset Lex graue admodum iugum, ait Athanasius, iure imposita dixit. Nec tamen hæc erat perpetuò permansura, sed vsque ad tempus correptionis, hoc est vsque ad primum Christi aduentum, qui vniuersa hæc erat emendaturus, cultumque verum & spiritalem inducturus.

Ambrosf. in Paulum.

Via cœli non alia quàm Christi gratia.

Athanaf. in Paulum.

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in Sancta, æternâ redemptione inuentâ &c. Sicut autem antiquus Pontifex per primum tabernaculum introibat in secundum; sic & Christus verus Pontifex, non præsentium bonorum terrenorumve, sed futurorum ac cœlestium, adueniens, apparensque per humanam carnem, sed digniorem excellentiorémque, vt pote virtute diuinâ formatam, nec terrena labe fœdatam; ideóque non per sanguinem alienum, sed per proprium sanguinem; nec semel in anno, sed semel omninò, cœlum introiuit; nobisque & solidæ lytrum redemptionis, & perpetuæ felicitatis pretium contulit. Illud, Inuenta, ait Chrysostomus, est ex his quæ sunt valde dubia, & ex iis quæ sunt præter expectationem, nempe quomodo per vnum introitum æternam inuenit redemptionem. Inuentor Christus & largitor. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? &c. Dixi, æternâ redemptione, seu verâ sanctificatione: nam si sanguis hircorum & taurorum, legalem confert expiationem peccati commissi: si cinis vaccæ rufæ, ῥαντίζουσα, aspergens inquinatos, immundosve, corporalem affert purgationem, seu externam & vmbraticam purificationem: quanto magis sanguis Christi, qui Spiritu sancto mouente & agente, semetipsum ἄμωμον, ab omni reprehensione & imperfectione alienum, Deo in hostiam obtulit; animam nostram purgabit à peccatis lethiferis, vt sanctificati, sanctè etiam Deo viuenti seruiamus, & æternæ accedamus redemptioni? Et ideò noui Testamenti mediator est; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis &c. Christus non emundator carnis, sed mentis sanctificator: & ideò noui Testamenti mediator est, vt morte interueniente in solutionem abolitionémque veterum transgressionum; vt qui vocati sunt, seu ad vitam prædestinati sunt æternam, promissam accipiant felicitatem, & æternam adeant hæreditatem. Et dicit, vocati, ait Aquinas, quia hoc munus non est ex operibus, sed ex vocatione Dei. Et dicit, æternæ hæreditatis, id est, æternæ gloriæ, quæ est hæreditas nostra.

Chrysoft. orat. 15.

Si sanguis pecorũ purgat carnem, quanto magis Christi sanguis mũdat mentem.

Aquin. lect. 4.

Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est &c. Dixi, morte intercedente: nam vbi de proprio agitur testamento, mors eius qui testatus est, requiritur: testamentum enim morte testatoris ratum efficitur fixúmque: nondum enim valet, nondum robur obtinet, testatore adhuc in vitâ superstite. Quod ait infirmum esse testamentum viuente testatore: hoc significat, quòd quamdiu viuit testator, potest immutare sententiam, & alios atque alios hæredes adducere in hæreditatem suam. Ita Commentator Ambrosianus. Vnde E nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandata legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aquâ, & lanâ coccineâ, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio &c. Inde igitur nec primum testamentum licet vmbraticum sine cæde & sanguine sancitum est. Vbi enim Moyses è libro omnia legis mandata recitauit vniuerso

Comment. Ambrof.

uerso populo, sanguine accepto, librum ipsum & omnem aspersit populum, dixitque: Hic sanguis testamenti, quod pepigit vobiscum Deus, meoque confirmauit ministerio. Etiam tabernaculum ipsum, & omnia sacri vasa ministerij sanguine similiter aspersit: & omnia ferè secundùm legem purificantur in sanguine: & sine sanguinis effusione, nulla est peccatorum remissio, transgressionúmve abolitio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis. Non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis &c. Sic ergo dispositum, sic & iussum, vt illæ spiritualium rerum vmbræ, ὑποδείγματα, animalium sanguine mundarentur; res verò spirituales nobiliori sanguine sanctificarentur: non enim in sanctuarium manufactum introiuit Iesus more Aaronico, sed in ipsum cœlum, quod vmbratico illo repræsentatū erat tabernaculo, gratiámque & gloriam nobis suo sanguine peperit. Introiit, inquam, in ipsum cœlum, vt Deum adiret, fructúmque passionis ac mortis reposceret. Neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit &c. Neque vt instauret sacrificium ad Deum placandum, sicut fiebat ritu Mosaico, alioquin iam à mundo condito pati cœpisset & mori, sed qui sanguinem semel fusum continuò repræsentet ad salutem hominum actu Pontificio. Christus enim in sanguine non alieno sed proprio litauit semel in fine temporum, peccatúmque aboleuit, sed eandem victimam coram Deo sistit in perpetuum. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. Et sicut diuinâ sententiâ decretum est, semel omnibus hominibus semel moriendum, post hoc autem expectandum esse iudicium: sic & Christus semel tantùm offerri debuit & mori, ad auferenda peccata multorum nempe credentium: postea verò, non auferendis peccatis, sed meritis recensendis videbitur, felicitatémque & immortalitatem iis largietur, qui viriliter egerint, & constanter pertulerint. Apparebit secundò, (ita Athanasius) nil vltrà deferens peccatorum, sed vt iudex adueniet saluti futurus se expectantibus.

Christus semel oblatus, eandem semper repræsentat hostiam.

Athanas. in Paulum.



DILVCIDATIONES
in caput nonum.

RECVRRENDVM est ad initium, instaurandúmque iudicium: multa quippe in excursu dilabuntur, quæ de texto non tam expositione subitaneâ, quàm sedulâ eruuntur inquisitione: ideóque non summatim iam, sed verbatim resumenda.

DILVCIDATIO I.
De tabernaculo.

MOysem & Aaronem præ oculis habuit Apostolus, ideóque non templum produxit à Salomone constructum, sed tabernaculum exstructum à Moyse scriptis digessit. Sed cum illius multæ sint partes, multæ etiam dictorum esse debent animaduersiones. Sit ergo

ANIMADVERSIO I.
Habuit quidem & prius &c.

PRius, seu primum, nihil interest, cum vtrumque Græco conueniat & competat instituto. Sed quid prius, seu primum? Habuit quidem & prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Quid & iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Vbique enim locus dubitandi relictus est & elucidandi.

Quoad primum. Illud, prius. Nondum attingit tabernaculum, sed antiquum comprehendit testamentum, cuius pars non ignobilis ipsum Moysis tabernaculum. Sacerdotium enim comparat cum sacerdotio, testamentum cum testamento, primum cum secundo, seu antiquum cum nouo, & noui seu nostri præstantiam commendat eminentiámque. Habuit ergo prius. Quid prius? primum testamentum Mosaicum, veteri innixum legi, suisque suffultum ceremoniis. Ostendit ex Sacerdote, (verba Chrysostomi) ex Sacerdotio, ex testamento, quòd illud finem sit habiturum. De cætero ostendit ex figurâ ipsius tabernaculi. Bonum est igitur vt dicamus hunc locum altius repetentes. Quid ergo dicit? Habuit quidem & prius. Quid prius? Testamentum. Maluit dicere prius, quàm vetus, quia noluit offendere Iudæos, legis & fœderis plusculum studiosos. Deficiebat Lex, inquantum non sufficiebat; consenescebat, nec infirmitatis solummodo defectum contrahebat, sed & auctoritatis incurrebat exitium: nec tamen id dicit Paulus, nisi acceptâ ex testimonio prophetico fiduciâ; nec tam concludit in mortem, quàm in senectutem. Non enim, ait ille, nouum absolutè abrogauit & cessare fecit vetus testamentum, sed vt quod consenuerit. Nusquam alibi legitur, Testamentum nouum. Vnde nullibi de veteri concluditur. Sed scitè Paulus ansam arripuit, & inducto nouitatis testimonio, vetustatis infirmitatísque noxam peritè deduxit. Illud enim vetus erat, ait Augustinus, quia hoc nouum est. Nam propter veteris hominis noxam quæ per literam iubentem & minantem minimè sanabatur, dicitur illud testamentum vetus: hoc autem nouum, propter nouitatem spiritûs quæ hominem nouum sanat à vitio vetustatis. Nec ob aliud arbitror in eo loco Apostolum voluisse commemorare testamentum nouum, nisi quia istam intuebatur propheticam: vbi nominatim promissum est testamentum nouum. Optimè igitur conclusit

Chrysost. orat. 15.

Id dicitur deficere, quod inuenitur non sufficere.

Chrysost. orat. 14.

Augustin. lib. de sp. & litt. cap. 20.

clusit Apostolus ex promissione noui Testamenti, aliud veterascere, senssimque euanescere: sed ne id durum videatur quia insolitum, medetur, dicendo, Habuit quidem & prius.

Quoad secundum. Fuerunt in illo testamento, Iustificationes culturæ. Græcè λατρείας, quibus scilicet coleretur Deus, populusque in vnam componeretur Ecclesiam: Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd tam vetus quam nouum Testamentum ad hoc instituta sunt, vt per ipsa anima accedat ad Deum. Ad hoc autem duo sunt necessaria, scilicet recessus à peccato; & vnio ad Deum. Primum fit per iustificationem, secundum per sanctificationem: & in vtroque testamento fit iustificatio, & sanctificatio. Habuit enim & prius iustificationes culturæ, scilicet latriæ secundùm Græcum. In veteri enim fuerunt quædam ablutiones per quas mundabantur, non quidem à maculâ peccati, sed à quibusdam irregularitatibus, quibus impediebantur à cultu Dei: sicut ex tactu mortui vel alicuius immundi non poterant intrare tabernaculum, nisi expiati per aliquas ablutiones. Et ideo dicebantur iustificationes culturæ, quia scilicet per ea fiebat idoneus ad cultum diuinum. Sed & sanctificatio eorum erat. Habuit & Sanctum. Sed sicut per Sanctum intelligendum est tabernaculum: sic & per iustificationes culturæ, illæ præsertim intelligendæ sunt, quæ sacri ministerij, seu Leuitici sunt Sacerdotij. Dicuntur tamen iustificationes, mandata Dei, quorum obseruatione quis iustus efficitur; licet iustitia non legi, sed spiritui tribuenda sit; sicut ille nouit, qui non arbitrio suo, sed diuino sanctus agnoscitur beneficio. Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis. Græcè σφόδρα. Vnde, apud Augustinum, nonnulli etiam Latini codices non habent, Nimis, sed valdè. Valdè vtique præcepit hoc Deus, & valde oportet Dei custodire mandata. Sed humilis pietas vel pia humilitas, & fides non immemor gratiæ, quid adiungat attende: vtinam, inquit, dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas. Præcepisti quidem tu, sed vtinam quod præcepisti, fiat mihi. Vbi audis vtinam, vocem optantis agnosce: & agnitâ voce optantis, depone superbiam præsumentis. Quis enim se dicit optare, quod sic habet in arbitrij potestate, vt nullo indigens adiumento id possit efficere? Ergo si optat homo quod præcepit Deus: vt det ipse quod præcepit, rogandus est Deus. A quo enim optandum est, nisi ab illo patre luminum: à quo omne datum optimum & omne donum perfectum, sacrâ Scripturâ teste, descendit? Propterea ergo optat dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei. Vnde dirigi, nisi gratiâ Dei. Alioqui legem Dei habebit, non vbi gratuletur, sed vbi confundatur.

Aquin. lect. 1.

Augustin. con. 4. in Psalm. 118. cir. med.

Qui optat auxilium nō inflat arbitrium.

Quoad tertium. Sane quod sanctum est, profanum non est: quomodo igitur, Sanctum seculare? Seu κοσμικόν. Mundanum? Seculare seu mundanum est, quod est de hoc mundo, seu de hoc seculo: quod adhuc terrenum ac carnale, nondum diuinum ac cœleste seu spiritale. Ita Christus de discipulis suis. Non sunt, inquit, de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Hoc enim (vt exponit Augustinus) regeneratione collatum est. Nam generatione

Augustin. Tract. 108. in Ioan. init.

A de mundo erant, propter quod iam eis dixerat, Ego vos de mundo elegi. Donatum est eis, vt sicut ipse, nec ipsi essent de mundo: eos ipso liberante de mundo. Ipse autem de mundo nunquam fuit: quia etiam secundùm formam serui de Spiritu sancto ipse natus est, de quo illi renati. Nam si propterea illi iam non de mundo, quia renati sunt de Spiritu sancto: propterea ille nunquam de mundo, quia natus est de Spiritu sancto. Sicut quicquid pertinet ad veterem hominem, seculare seu mundanum est, sic & quod ad veterem legem pertinet: sed modo diuerso: illud enim mundanum & seculare, quia damnabile damnatúmque: istud verò seculare seu mundanum, quia terrenum adhuc nondum cœleste seu spiritale. Opponit enim Apostolus vtrumque testamentum, & vtrumque tabernaculum: contenditque primum fuisse seculare adhuc & mundanum, quia terrestre, humanóque factum opificio; alterum cœleste ac diuinum, quia spiritale, & diuino suffultum auxilio. Illa ergo sanctificatio, ait Aquinas, potest dici secularis, quia temporalis erat, & non perpetua. Sed litera Græca non sic accipit, quia dicit Sanctum mundanum. Vnde est differentia inter testamentum nouum & vetus, quia licet vtrumque sit corporale, tamen nouum continet gratiam, & sacrum est, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus salutem secretiùs operatur, quod non erat in veteri testamento, quoniam in se nullam continebat gratiam. Quid ergo, non erat sacrum? non erat sanctum? Erat, sed significatione, non operatione. Quid est enim, Iustificationes? Symbola, ait Chrysostomus, aut ritus qui tunc erant. Tota illa sanctitas symbolica, typica, ritualis, ceremonialis; non in re, sed in specie: tota dignitas in repræsentatione, non in sanctificatione: vmbra enim deseruiebat cœlestium, & gratiæ præludebat spiritualium. Ita Paulus cum iubet fugere secularia desideria, κοσμικὰς ἐπιθυμίας, monet cœlestia quærere, appetere spiritalia.

D: mūdo sūt qui de Spiritu Sancto nondū sunt renati.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 15.

ANIMADVERSIO II.

Tabernaculū enim factum est primum &c.

Dixit tabernaculum Mosaicum fuisse sanctum, licet adhuc mundanum: nunc resumit, ac diuidit in duas partes: primam ac secundam. Tabernaculum enim factum est primum. Quid primum tabernaculum? Prima pars tabernaculi à Moyse constructi, secundùm exemplar quod illi in monte monstratum est. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd Dominus in deserto præcepit fieri tabernaculum, quod haberet triginta cubitos, vel passus in longitudine, & decem in latitudine; ita quòd ostium erat ad orientem, ante quod dependebat velum super quatuor columnas, & quoddam tentorium in quo erat altare holocaustorum: sed de hoc nihil ad propositum, quia Apostolus de hoc non facit aliquam mentionem. Sed in tabernaculo versùs occidentem, spatio decem cubitorum longitudinis, & decem latitudinis, appendebatur velum super quatuor columnas, &

Aquin. lect. 1.

Duæ partes Mosaici tabernaculi principales.

& istud diuidebat partem vnam decem cubitorum ad alia viginti cubitorum. Pars autem viginti cubitorum dicitur sancta, & tabernaculum primum: sed illa decem dicitur Sancta Sanctorum, & tabernaculum secundum. Primum, dicebatur, Sancta, Quod dicitur Sancta. Alterum per antonomasiam & excellentiam, dicebatur. Sancta Sanctorum, Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum; porrò in primò tabernaculo, seu priore tabernaculi Mosaici parte, tria erant constituta.

Exod. c. 25. Exod. c. 37.

Primum est. Candelabrum, In quo erant candelabra. Ita in Exodo: Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium. Et de Beseleel: Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cuius vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant: sex in vtroque latere, tres calami ex parte vnâ, & tres ex alterâ: tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, spherulæque simul & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, spherulæque per singulos simul & lilia: & spherulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte vno. Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, vniuersa ductilia ex auro purissimo. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa vbi ea quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. Ex quibus patet vnum quidem fuisse candelabrum, sed multa luminaria, & quasi multa candelabra ex vno stipite surgentia, & ad australem partem simul collucentia. Ex vno enim longo hastili, (vt obseruat Aquinas) procedebant sex calami, quasi sex brachia, scilicet tres à dextris, & tres à sinistris. Et sic in summitate erant septem rami, & in quolibet erat vna lucerna, quæ ardebat. Item, in quolibet calamo erant quatuor, scilicet, calamus, qui erat ex tribus partibus quasi tribus petiis, scilicet scyphi, sphærulæ, & lilia; quia ibi duæ partes iungebantur. In fine cuiuslibet partis erat quasi quidam scyphus, in quo duo scyphi, iunguntur in nucis modum, & duæ sphærulæ volubiles, & duo quasi folia lilij hinc & inde. Totum hoc corpus vocatur à Paulo ἡ λυχνία, Candelabrum. Non insubidè tamen dici possunt candelabra, quia vnius candelabri multa sunt brachia, quasi ex vno corpore, seu vno stipite surgentia.

Multa brachia ex vno candelabro procedentia.

Aquin lect. 1.

Exod. c. 35. Exod c. 37.

Secundum est, quod è regione ad partem aquilonarem positum. Et mensa. Sic in Exodo. Quisquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperauit. Tabernaculum scilicet, & tectum eius: Mensam cum vectibus & vasis. Et de Beseleel: Fecit & mensam de lignis Setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum & semissem, circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum, ipsique labio coronam auream intertasilem quatuor digitorum, & super eandem, alteram coronam auream. Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor

A angulis per singulos pedes mensæ contra coronam: misitque in eos vectes, vt possit mensa portari. Ipsos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro. Et vasa ad diuersos vsus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. En tota mensæ supellex. Candelabrum aureum ad meridiem. (ait Aquinas) In parte aquilonari erat mensa aurea in modum altaris. Ex quibus discis tria. Primum est, mensam ad aquilonem fuisse collocatam, sicut candelabrum ad meridiem. Alterum, mensam fuisse auream, sicut & candelabrum aureum: sed mensam tantùm auro tectam, B candelabrum verò, totum auro fusum. Tertium, mensam fuisse in modum altaris exstructam erectamve. Ita apud Augustinum. Sermo habitus ad mensam sancti Cypriani. Quia ibi immolabatur, manducabaturque, dum mensæ Dominicæ & sacrificium celebrabatur & conuiuium. Quod videtis, ait Augustinus, totum orbem terrarum Christianos implere, exhibet verax iuratio Dei. Inuenimus enim in sanctis Scripturis Dominum iurasse, quando ei vsque ad immolationem dilecti filij obediuit Abraham. Itemque in Psalmis de Domino Iesu Christo prophetatum est, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æter- C num secundùm ordinem Melchisedech. Qui nouerunt Scripturas, sciunt quid protulerit Sacerdos Dei excelsi, quando benedixit Abraham. Non oportet vt hoc memoremus propter catechumenos. Fideles tamen agnoscunt, quemadmodum ante prophetatum sit, quod modò videmus impleri.

Aquin. lect. 1.

Augustin. serm. 10 ex Parisiens. cap. 2.

Mensa Christianorum quomodo prædicta.

Tertium, panes. Et propositio panum. Ita in Exodo. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Hæc quippe simul iuncta, & in id vsus mensæ destinatus. Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus. Et, posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam Septentrionalem extra D velum, ordinatis coràm propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi. Itaque, In parte aquilonari erat mensa aurea, super quam ait Aquinas, ponebantur in Sabbato duodecim panes calidi, & super quemlibet thus lucidum in patenâ aureâ. Et stabant illi panes, qui dicebantur propositionis vsque ad diem Sabbati. Vbi oportebat illos admoueri, & reponebantur alij in loco illorum. Ex quibus tria deducenda sunt. Primum est, panes fuisse numero duodecim, sex ex vnâ parte, & sex ex alterâ, & sic totam mensam compleuisse. Alterum, singulis Sabbatis, veteres sublatos, recen- E tesque substitutos. Tertium, positos coram Domino, seu ante faciem Domini, siue in conspectu arcæ expositos, & inde dictos panes propositionis. Inde. Et propositio panum. Ita in libris Regum: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi: Ex hac historiâ, à Christo etiam Domino recitatâ, tria desumenda sunt. Primum est, dictum fuisse sanctum panem seu sanctificatum; non solùm quia offerebatur Deo, sed & quia coram arcâ, quæ, Sanctum dicta

Exod. c. 25. Exod. c. 35. Exod. c. 40.

Aquin. lect. 1.

Quomodo panes propositionis dispositi.

1. Reg. c. 21.

dicta est, proponebatur;vnde dignitatem desi- A
meret,& legalem contraheret sanctitatem. Alterum, opponi panibus laicis, non solùm quia sancti, sed & quia in vsum duntaxat Sacerdotum, non autem laicorum concessi. Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? Tertium, indultum quidem necessitati, sed nihil detractum puritati. Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Non debet quidem dari laicis; sed quia sanctis datur mundisve, quod ex vnâ B profanatur viâ, sanctificatur ex alterâ.

Matth.c.12.

1.Reg. c.21.

ANIMADVERSIO III.

Post velamentum autem secundum &c.

DVo tabernacula, seu duæ vnius tabernaculi partes præcipuæ ac principales. Sanctum, & Sancta sanctorum. Quasi eximiè sanctum, sanctitate præstantissimum. In eo etiam duo erant vela: vnum exterius, quod Sanctum separaret ab atrio: & hoc primum. Alterum, C interius quod Sanctum, a Sancto sanctorum determinaret: & hoc secundum. Facies & velum, quod appendes ante quatuor columnas de lignis Setim. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonij, quo & Sanctuaria, & Sanctuarij sanctuaria diuidentur. Facies & tentorium in introitu tabernaculi. Hoc primum, vtpote in aditu positum: alterum, secundum, situ intimum secretumque. Post secundum autem istud velamentum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum. Extructum scilicet, erectumque. In eo tabernaculo, arca maximè prospectanda, tanquam illius corporis anima. Sed & tria post illam consideranda sunt. D Vnum, quod iuxta illam: alterum, quod intrà; tertium quod extra. Sed vt liberior pateat accessus arcæ contemplandæ: adiacentia priùs sunt exponenda.

Exod.c.26.

Duo vela in tabernaculo appensa.

Primum quod occurrit in Paulo, Aureum habens thuribulum. Bene, Habens, non continens: quia & extrinseca habemus & intrinseca, inhærentia & adiacentia: sed ea sola continemus, quæ nobis sunt intima. Thuribulum illud non erat intra arcam, imò nec intra Sancta sanctorum: erat tamen iuxta, quasi supellex illius, & vsui ipsius dedicatum. Tria igitur demonstranda sunt. Primum est, quid sit illud thuribulum: alterum, vbinam positum: ter- E tium, cuinam vsui dispositum. De primo: pro thuribulo, in Græco est θυμιατήριον: quod non est aliud quàm locus seu foculus, in quo fit suffitus. Ita Tertullianus de thure & sanguine. Quem quidem & ipsum, inquit, proinde examinatorem Christianorum adhiberi vt foculum, vt acerram, oportebat. Proinde enim probarentur sanguinem humanum appetendo, quemadmodum sacrificium respuendo. Quid ergo θυμιατήριον? altare thymiamatis: de quo in Exodo. Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis setim, habens cubitum

Tertullian. in Apolog. cap.9.

Exod.c 30.

longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua. Quid illa craticula, quàm thuribulum? quod & aureum, quia totum auro circumtectum purissimo. De secundo, ibidem: ponesque altare contra velum, quod antè arcam pendet testimonij coram propitiatorio quo tegitur testimonium, vt loquar tibi. Contra velum, non intra velum. De tertio. Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans, manè. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coràm Domino in generationes vestras. Ita tandem: posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum, & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi. Recenset igitur Apostolus, quæ ostensa sunt ac præcepta Moysi, sed rem ordine promouet. Primo enim occurrit altare incensi, quod quidem non est intra velum, sed contra seu iuxta; sicque ipsum contingit, vt non sit à secundo tabernaculo seiungendum. Ita coniunxit Augustinus, imò nec velo diuisit. Hucvsque, inquit, secundis Sacerdotibus licebat intrare. Interius autem, id est, in Sanctum sanctorum intrà velum quatuor columnarum, erat arca testimonij deaurata. Antè arcam verò, id est, inter arcam & velum positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum, aureum vtique appellans quod erat inauratum. Ad hæc Sancta Sanctorum nisi summo Sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum. Seruiebat quidem inferendo incenso, secundùmque thure seu odore replebat tabernaculum: sed contra velum, non intra: semel enim tantùm in anno intra velum intrabat Sacerdos, sed quotidie obnubilabat tabernaculum.

Altare incensi contra velum interius positũ.

Exod.c.40.

Augustin. quæst.174 in Exod.

Alterum, quod ad arcam, sed intra illam. Tabulæ testamenti. Ita in Exodo, posuit & testimonium in arcâ. Quid est, posuit testimonium? Posuit legem, quâ Deus voluntatem suam populo Hebræo testatus est. Ita, Deus ipse Moysi: Pones in arcâ testificationem, quàm dabo tibi. Ita in Psalmis: Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israël. Id est, legem testificantem. More enim suo repetit, (vt aduertit Augustinus) Nam quod est suscitauit testimonium; hoc est, legem posuit: & quod est, In Iacob; hoc est, in Israël. Nam sicut ista duo nomina sunt hominis vnius, ita Lex & vetus testimonium duo sunt nomina rei vnius. Sed peccatum suscitatum est per testimonium, quod est Lex, vt appareat quod latebat: posuit autem legem, dictum est, tanquam iugum peccatoribus: vnde dicitur, Quia iusto non est Lex posita. Testimonium est est igitur, inquantum aliquid probat; lex autem, inquantum iubet, cum sit vna eademq; res. Nam & illud quod tam insigni & pleno tantis significationibus opere tabernaculum constitutũ est, tabernaculum testimonij nominatur, in quo erat velamen contra arcam legis, sicut velamen contra faciem ministri legis, quia in illâ dispensatione parabolæ & propositiones erãt. Ea quippe quæ prædicabantur & faciebãt, velatis signi- ficatio

Exod.c.40.

Exod.c.25.

Psalm. 77.

Augustin. in Expos. Psa. m. 77. cit. med.

Lex clarum voluntatis diuinæ testimonium.

ficationibus condebantur, & non reuelatis manifestationibus cernebantur. Sed de illis seu testamenti seu testimonij tabulis, clarè in Deuteronomio. In tempore illo dixit Dominus ad me:Dola tibi duas tabulas lapideas,sicut priores fuerunt, & ascende ad me in monte: faciésque arcam ligneam,& scribam in talibus verba quæ fuerunt in his quas antè confregisti, ponésque eas in arcâ.Reuersúsque de monte, descendi,& posui tabulas in arcam,quam feceram,quæ hucvsque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. Sunt illæ tabulæ testamenti, quæ scilicet inito pacto sunt Moysi consignatæ, & intra arcam reconditæ; ideoque & illa nunc arca testimenti, nunc arca testamenti, nunc arca testimonij dicta est, quia tabulæ legis seu fœderis intra ipsam asseruatæ.

Deuteron. cap. 10.

Tertium, quod extra arcam, sed circa. Vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat. Et quidem de manna. Dixit Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino, ad seruandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum. De virgâ autem. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis Principibus tribuum,virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ: nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsum familias continebit: ponésque eas in tabernaculo fœderis coràm testimonio, vbi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga eius. Quas cum posuisset Moyses coràm Domino in tabernaculo testimonij: sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus. Sed tres emergunt difficultates. Prima est, quòd dicitur quidem Aaroni, Sume vas vnum. Non tamen additur, Aureum. Sed intelligendum potius, quàm addendum, cum omnia sacri ministerij vasa essent aurea. Altera, quod non dicitur hæc reposita fuisse in arcâ, imò apertè contradicitur. In arcâ autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cum egrederentur de terrâ Ægypti. Quid est, pepigit fœdus? Quando legem dedit Dominus filiis Israël. Tunc enim conditum est testamentum. Erant igitur solæ tabulæ intra arcam conclusæ:cætera verò extra quidem, sed circa posita. Ita in Deuteronomio: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: vt sit ibi contra te in testimonium. Cum arcâ igitur, & intantum in eâ, inquantum circa eam posita, quasi collateralia: vt & illa quæ ad ferendum testimonium reposita. Tertia, quænam fuerit virga Aaronica? Primò constat illam fuisse amygdalinam, vt patet ex foliis ac floribus. Secundò, virgam fuisse pastoritiam, seu ramum arboreum, quasi sceptrum rusticanum,

Exod. c. 16. Num. c. 17. Virga Aaronis in signū asseruata. 3. Reg. c. 8. 2. Paral. c. 5. Deuter. c. 31. Multa circa arcam apposita.

Sceptrum patris tui sume tecum. Ita Dominus ad Aaron. Hoc nempe sceptrum familiare apud Iudæos, apud quos officium pastorale auitum & domesticum. Viri pastores sumus, ab infantiâ nostrâ vsque in præsens, & nos & patres nostri. Nec affectatum induxit Ioseph mendacium, sed per veritatem perduxit ad vtilitatem. Tertiò, non aliam fuisse Moysis virgam, & aliam Aaronis: sed à Moyse primum gestatam; & ab Aarone pro suo vindicatā Sacerdotio. Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb: apparuitque ei Dominus. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tuâ? Respondit: Virga, Pastoritia scilicet. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël: & virgam quâ percussisti fluuium, tolle in manu tuâ, & vade, &. Tulit ergo Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei. Inde nūc virga Moysis dicta est, nunc Aaronis. Virgam quoque hanc sume in manu tuâ, in quâ facturus es signa: &, Dixit Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti. Nec mirum, ramum dici virgam, maximè rusticanam. Sic enim nobilis Poëta de ramo: Ille admirans venerabile donum, fatalis virgæ: Et vbi folia dilatata, & amygdalæ enatæ, nisi in flagellis & scidiis? Cum igitur vnius & eiusdem tribus essent Moyses & Aaron:imo Aaron esset senior, tamque dignitate prouectus quàm ætate,virga illius dicta est,quia collato vindicata Sacerdotio:imò, Virga Dei nuncupata.

Num. c. 18. Genes. c. 46. Exod. cap. 3. & 4. Exod. c. 17. Num. c. 20. Exod. c. 14. Exod. cap. 7. Exod. cap. 4.

ANIMADVERSIO IV.

Et arcam testamenti &c.

HOc nobilissimum Mosaici ornamentum tabernaculi. Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro:superque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. Tria igitur requirenda sunt. Primum, ex quo compacta:alterum, quonam protecta: tertium, quo tandem redacta?

Quoad primum. Ita in Exodo: Arcam de lignis Setim compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos:latitudo,cubitum & dimidium:altitudo, cubitum similiter ac semissem. Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris: faciesque supra coronam auream per circuitum: & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere vno, & duo in altero. Facies quoq; vectes de lignis Setim, & operies eos auro. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis: qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Ponesque in arcâ testificationem quam dabo tibi. Inde arca fœderis dicta, ex legis nimirum custodiâ. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:Ego Dominus qui apparui Abraham,Isaac, Iacob, in Deo omnipotente. Pepigique fœdus cum eis,vt darem eis terram Chanaam.Et assumam vos mihi in populum, & ego ero vester Deus.

Exod. c. 25. Exod. cap. 6.

Exod. c. 37. Deus. Firma quippe constantia fœderis, ex fidâ Legis custodiâ. Ita igitur, Fecit Beseleel arcam de lignis Setim ? vestiuitque eam auro mundissimo intus & foris, & fecit illi coronam auream per gyrum: Tria igitur in arcæ fabricâ præcipuè sunt spectanda; primum est, compactam fuisse ex ligno pretiosissimo, quod neque hisceret, neque computresceret. Alteram, totam fuisse auream, seu vndequaque inauratam, vt nullâ ex parte lignum, sed aurum solum inclaresceret. Tertium, fuisse illam per gyrum seu circuitum coronatam. Itaque cum negat Tertullianus arcam fuisse coronatam, non fabricam sepctat, sed ablegat luxuriam; quâ frondes floresque spargebantur, nec tam in lætitiæ symbolum, quàm in auctoramentum imponebantur idololatriæ. Quis denique Patriarches, inquit, quis Prophetes, quis Leuites, aut Sacerdos, aut Archon, quis vel postea Apostolus, aut Euanlizator, aut Episcopus inuenitur coronatus ? Puto nec ipsum Dei templum, nec arca testamenti, nec tabernaculum martyrij, nec altare, nec candelabrum: quibus vtique & in primâ dedicationis solemnitate, & in secundâ restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset. Quid coronari? Herbis scilicet coronatiis, floribus insertis, aggestisque frondibus, luxuriam & idololatriam subolentibus.

Tertullian. lib. de corô. mil. c. 9.

Corona florea, non autem arcæ denegata.

Exod. c. 25. Quoad secundum. Ita in Exod. Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & medium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo. Duos quoque Cherubin aureos & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandantes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in quâ pones testimonium quod dabo tibi: Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubin, qui erunt super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël: &, Fecit & propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidij in longitudine; & cubiti ac semis in latitudine. Duos etiam Cherubin de auro ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorij: Cherub vnum in summitate vnius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubin in singulis summitatibus propitiatorij, extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuò & illud respicientes. Eminent duo Cherubin necnon inhærent. Et intulerũt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, Sancta sanctorum subter alas Cherubin: ita vt Cherubin expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. Hoc est ergo quod celebrat Apostolus, commendatque, Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium. Sed in his tria sunt requirenda. Primum, cur dicantur Cherubim gloriæ? Tantumdem est ac si illa dicantur gloriosa, dum spirant magnificentiam, & gloriam protecto conciliant oraculo. Quid est Cherubim gloriæ? (ait Chrysostomus) Hoc est gloriosa, quæ sub Deo obumbrant propitiatorium. Hæc omnia

Exod. c. 37.

2. Paral. c. 5.

Quomodo Cherubin circum arcã dispositi.

A erant magnifica & præclara ingrati Iudæorum animi monimenta. Sed hæc quoque verbis extollit, vt maiora esse ostendat quæ sunt postea. Alterum, cuiusnam formæ fuerint ac figuræ? Et quidem quoad Cherubinos templi Salomonici, res videtur certa. Sculpsit quoque Cherubin, quasi in similitudinem hominis stantis? &, Ipsi autem stabant erectis pedibus; & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. Figura illa humana est, & ad effigiem virilem composita. Sed cum illa sit imitatio Mosaici tabernaculi, & sanctuarij repræsentatio: idem concludendum est de primis Cherubinis, vtpote gloriosi, ideóque sub humanâ potius figurâ, quàm sub belluinâ commendandis. Tertium, quomodo illi circum arcam essent dispositi? Propitiatorium occludebat arcam: Cherubin verò stabant super propitiatorium, ac totum alis expassis in gyrum circumdabant. Ita apud Iosephum Iudæum. Erant operculo arcæ impositæ effigies duæ, quæ Hebræi Cherubos vocât: Illud quippe operculũ seu propitiatoriũ, seu oraculum, cui Deus diceretur insidere, & inde non responsa solum sed & beneficia, quasi propitius placatúsque dare crederetur.

Chrysost. orat. 15.

3. Reg. c. 7.

2. Paral. 3.

B

Ioseph. lib. 3 Antiq. c. 6

C Quoad tertium. Translata fuit arca de tabernaculo in templum, & ibi diu stetit. Fuit itaque arca ibi vsque in præsentem diem. Sed dum ait, Vsque in præsentem diem, innuit, non illic fore stabilem. Ita libro secundo Machabæorum. Inuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabant: vt significatum est, & vt mandauit transmigratis. Erat autem in ipsâ scripturâ, quomodo tabernaculum & arcam iussit Propheta, diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exiit in montem; in quo Moyses ascendit, & vidit, Dei hæreditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, D & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, vt notarent sibi locum: & non potuerunt inuenire. Vt autem cognoscit Ieremias, culpans illos, dixit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit Maiestas Domini. Itaque exinde latuit, & in eâ speluncâ adhuc delitescit. Tria de arcâ relata sunt, quæ vera sunt, aut vero similia: primum, quòd occlusa esset, sed sine claue: alterum, quòd portata, sed sine lassitudine: tertium, quòd formidanda, sed sine vulnere. Sed hæc appellent alios, modò credulos non subornent. Quoad Paulum, sat E sit spectare Cherubin gloriæ propitiatorium obumbrantia, seu oraculum protegentia. Super arcam enim duo Cherubin, (ita Aquinas) qui tangebant se duabus alis, & tangebant aliis duabus latera tabernaculi. Inter duas autem alas quibus tangebant se, erat tabula aurea eiusdem longitudinis & latitudinis, & arca, scilicet duorum cubitorum in longitudine, cubiti & semis in latitudine. Vnde erat quasi sedes, de quâ Deus exaudiret ad repropitiandum populo. Psal. 79. Qui sedes super Cherubin. Benè, quasi sedes: nec enim vera sedes Dei, cuius nullus est situs. Sed quasi sedes: quasi inde emineat præsideatque Alia sanè requiri

2. Paral. c. 5.

2. Machab. cap. 2.

Arca per Ieremiam Prophetam abscondita.

Aquin. Lect. 1.

possent, si ad institutum essent Pauli: sed alia nolo, vel ad scopum reduco. Absistendum igitur, concludendúmque ex Athanasio. Propitiatorium erat arcæ operculum, vt fieri ex sacris litteris certior poteris, cauendúmque ne id præter aliud existimes. Hoc autem Christum præfigurabat, qui nostrorum est prauorum facinorum conciliator effectus. Sed de cæteris. Non est modò dicendum per singula.

Athanas. in Paulum.

ANIMADVERSIO V.

His verò ita compositis &c.

PAulus ad institutum suum accedit cominùs, ostenditque Leuiticum Sacerdotium, tam imperfectum esse quàm infirmum. His namque sic dispositis ordinatisque: In priori quidem tabernaculo, semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem, semel in anno, solus Pontifex, sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Tria sunt ergo, quæ defectum produnt, ne dicam & vitium. Primum, quod subinde, imò quotidie Sacerdotes sua instaurarent ministeria: multiplicatio, infirmitatem arguit. Alterum quod Pontifex semel quidem in anno solus introiret, sed offerret pro suâ & populi ignorantiâ: oblatio indignitatem conuincit. Tertium, viam sanctorum significatam quidem, sed nondum propalatam: significatio promittit quidem, sed rem non tribuit; spem fouet, sed rem non exhibet.

Quoad primum. Quotidie Sacerdotes introibant in tabernaculum, suaque ob bant ministeria. Quàm infirma igitur, quæ polleant quidem multitudine, sed virtute careant? Verùm tres emergunt difficultates. Prima est, quod sacrificia non peragerentur in tabernaculo, sed in atrio, extra primum velum: ibi enim altare holocausti sub dio positum, imò omnibus expositum. Id quidem certum: sed non est necesse ibi sacrificium offerri, vbi sacrum peragitur officium. Nam & summus Pontifex semel in anno in secundum introibat tabernaculum, nec tamen ibi cruentum offerebat sacrificium. Sed quod in primo inchoarat, consummabat in secundo. Ita Sacerdotes sacrificabant quidem in atrio, consummabant intabernaculo, orantes, litantésque. Altera, quòd cum dicit, Semper, inquit pluries in die, non solùm quotidie Sacerdotes introisse. Pontifex enim semel in anno: at illi semper, id est, etiam in die sæpissimè. Id quidem verum, sed Paulus non solùm sacrificia, sed & sacra complexus est ministeria: vt manè & vesperè offerre thymiama: non enim solùm in cremandis victimis, sed & in donis offerendis constitutum est & Pontificis & Sacerdotis officium. Ita de Zacharia: Factum est cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ antè Deum, secundum consuetudinem Sacerdotij, sorte exiit, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini. Tertia denique difficultas, quod eadem

Luc. cap. 1.

instantia fieri possit aduersus mysteria Christiana, id est, non solùm aduersus Sacramenta nostra, sed & aduersus incruentum sacrificium; cum enim hæc semper repetantur, nonne similiter infirmitatem suam testantur, ne dicam & inutilitatem? Instantia est, sed iniusta, cum maxima sit inter vtrumque distantia. Nam apud Iudæos, hostiæ diuersæ, nedum diuersis modis offerebantur, quia non sufficiebat vna, imò quælibet deficiebat; idcirco plures simul non tam ad operationem congerebantur, quàm ad significationem. Apud nos verò, vnica est hostia, idem Christus, vnum & crucis & altaris sacrificium: Christus enim Sacerdos à Deo secundùm ordinem Melchisedech institutus est, vt seipsum non cruentè solùm offerret, sed & incruentè, id est, eandem victimam sub duplici specie, in cruce scilicet & in altari sisteret. Sed cum sacrificium crucis sit redemptionis sacrificium, semel tantùm oblatum, quia pretium redemptionis totum est vnicâ oblatione comparatum: sacrificium autem altaris, cum sit sacrificium religionis, subinde commemorari debuit ac repræsentari: tum quia Deus per illud modo colitur supremo, tum quia fructus per Christum acquisitus crucifixum, modo proprio distribuitur. Itaque non solùm debet quotidie repeti, quia iuge sacrificium est, sed & in die potest nonnunquam iterari, quia solemne religionis ac deuotionis nostræ ministerium. Illud quoque volumus custodiri, (ita Leo) vt cùm solemnior festinitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere basilica simul vna non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: quum plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties basilicam, in quâ agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, vt quædam pars populi suâ deuotione priuetur, si vnius tantùm missæ, more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte conuenerint.

Apud Christianos vnica est hostia.

Leo epist. 81. c. 2. quæ est ad Diosc. Alexand.

Quoad secundum. Tria à Paulo notata sunt. Primum, quod Pontifex semel in anno in secundum introiret tabernaculum. Alterum, quod solus introiret. Tertium, quod non introiret sine sanguine, quem pro suâ & populi offerret ignorantiâ. De primo, cum ait Paulus, Semel. Intelligit semel tantùm, seu non plus quàm semel: vnâ duntaxat vice, nec subinde eodem anno repetendâ. Ita apud Tertullianum, Leo semel Pater est. Nec vltra. Sic & de pœnitentia secundâ. Collocauit Deus in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundò; sed amplius nunquam, quia proximè frustrà. Non enim & hoc semel satis est? Semel igitur, id est, non nisi semel. Ita Seneca: Naturam, inquit mutare, difficile est, nec licet semel mixta nascentium elementa conuertere. Non ergo semel & iterum, sed semel tantùm: vnicâ vice, nec amplius iterandâ. Opponit enim Paulus Leuiticum Sacerdotem, & summum Pontificem, quòd ille frequenter imò & semper introiret in primum

Tertull. lib. de anim. cap. 46.

Tertull. lib. de pœnit. cap. 7.

Sen. lib. 2. de Irâ cap. 10.

mũ tabernaculũ;iſtè verò non ſæpè, ſed perrarò, ſemel ſcilicet duntaxat in anno, introiret in ſecundũ tabernaculũ. De ſecundo, ſi altare incenſi poſitũ fuiſſet intra velum ſecundum, non ſolus introiſſet Pontifex, imò nec ſemel in anno; niſi excipias, dicaſque, introiſſe cum aliis in thure, ſolum verò & ſemel in ſanguine. Incendet ſuper illud incenſum continuationis, (ita Auguſtinus) in conſpectu Domini, in progenies eorum. Continuationis incenſum dicit, quod continuatim fieret, id eſt, nullo die prætermitteretur: cum de altari præciperet incenſi, id eſt, in quo incenſum tantùm poneretur, non holocauſtũ, non ſacrificium, non libatio; prædixerat idipſum incenſum quotidie poni debere: nunc autem dicit, Et depropitiabit Aaron vel exorabit ſuper cornua eius ſemel in anno, de ſanguine purificationis delictorum. Vnde intelligendum eſt, hoc quod ſemel in anno iubet fieri ad propitiandum Deum ſuper cornua altaris incenſi, id eſt, vt de ſanguine purificationis delictorum, victimarum ſcilicet quæ offeruntur pro delictis ſemel in anno, tangantur cornua altaris incenſi: non pertinere ad appoſitionem altaris incenſi, quam quotidie fieri iuſſerat. Illa enim fiebat aromatibus, non ſanguine, & quotidie, non ſemel in anno Sed tria reclamant, obſtántque. Primum quod altare incenſi, contra velum eſſet poſitum, non intra: & eatenus intra, quod iuxta, ſeu non vltra. Ita Ionathas ad puerum. Ecce ſagittæ vltra te ſunt. Id eſt, propè, ei quippe oppoſitum, Ecce ſagittæ vltra te ſunt. Ite ergo contra, quod iuxta, ſeu circa. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt. Alterum, quod & alij Sacerdotes in ordine vicis ſuæ, ponerent incenſum, non ſoli Pontifices: vt patet ex Zachariã. Tertium, quod Paulus vulgares Sacerdotes opponat in tribus ſummo Pontifici: quòd illi pluries etiã in die introirent, Pontifex ſemel in áno: quod illi nõ ſolũ pluries, ſed & plures ſimul introirent, Pontifex ſolus: quòd illi ſine ſanguine, Pontifex non ſine ſanguine. Itaque vnicus tantùm introitus, & ſoli Pontifici, in ſecundum tabernaculum eſt permiſſus. Vides, áit Chryſoſtomus, typos tanquam fundamentum priùs iactos; (& hoc de tertio) Nam ne dicerent, Quomodo vnum ſacrificium? oſtendit id fuiſſe multis ante ſeculis, ſiquidem quod erat ſanctius, erat vnum & reuerendum. Et quomodo. Sacerdos ſemel offerebat. Et rectè dixit, Non ſine ſanguine. Et pulchrè dixit, Non ſine ſanguine. Non ſine ſanguine quidem, non tamen hoc ſanguine. Non erat enim tantũ quod agebatur negotium. Oſtendit ergo futurum ſacrificium, quod non igne conſummatur, ſed à ſanguine magis oſtendatur. Nam quoniam ſacrificium vocauit crucem, quæ non habet ignem, nec ligna, neque ſæpè offertur, ſed ſemel oblata eſt in ſanguine, oſtendit quòd vetus quoque ſacrificium eſſet huiuſmodi. Semel offerebat in ſanguine: quem offerret pro ſe & populi ignorantiis. Non dixit, peccatis, ſed ignorantiis; ne nimis ſibi placerent, & eſſent elatiores. Nam etiamſi non lubens peccaſti, ſed tamen inuitus ignoraſti, & ab hoc nemo eſt purus. Vbique igitur quod ſuum eſt oſtendit, nempe quòd Chriſtus eſt longe melior & præſtantior Pontifex. Si enim à noſtris peccatis fuit

Auguſtin. lib quæſt. in Exod. q. 133.

1. Reg. c. 20.

Matth. c. 21.

Vnus tantũ introitus per annum Pontifici permiſſus.

Chryſoſt. orat. 15.

A ſeparatus, quomodo pro ſe obtuliſſet? Ita *ille*. Sed & omnia peccata intelligenda ſunt. Quoad tertium. Vni quidem Pontifici aditus in Sãcta Sanctorum permiſſus, quia Lege durante, nondum manifeſtata via quâ cœlum adiretur; nondum gratia publicata, quâ veniretur ad Chriſtum. Exponit, ait Aquinas, quid ſignificatur per hoc. Sciendum eſt enim quod in primo tabernaculo intrabant Sacerdotes quotidie, ſed in ſecundo quod erat vltra velum, non niſi Pontifex ſolus ſemel in anno. Vnde quantum

B ad miniſtros illos, erant ibi duo: vnum, quod in primo, quotidiè intrabant: aliud, quod antè ſecundum erat eis velum. Vnde interpoſitio veli, ſignificat, quod cæleſtia erant eis velata. Item, quod non intrabant, ſignificat, quod vetus teſtamentum non eſt via intrandi cœlum ante aduentum Chriſti. Dicit, ergo dico quod hoc ſic perfectum eſt 2. Petri 1. non humana volũtate allata eſt aliquãdo Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines, & hoc eſt contra Hæreticos qui dicunt vetus teſtamentum non eſſe à Spiritu ſancto ſed à Deo malo. Durante enim veteri teſtamento, via ſanctorum, id eſt Chriſtus qui

C dicit Ioan 41. Ego ſum via, nondum venerat: Inde Chriſto mortuo: Velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum. Duo autem fuiſſe vela intelliguntur, (vt obſeruat Origenes vnum quod velabat Sancta Sanctorum, aliud exterius, ſiue tabernaculi, ſiue tẽpli. In paſſione ergo Domini Saluatoris, velum quod erat à foris, conſciſſum eſt à ſurſum vſque deorſum, vt ab initio mundi vſque ad finem conſciſſo velamine, myſteria publicentur, quæ vſque ad aduentum Domini rationabiliter fuerunt occultata. Cum autem venerit quod perfectum eſt, tunc auferetur etiam ſe-

D cundum velum, vt videamus etiam, quæ interiùs ſunt occulta, ſcilicet veram arcam teſtamenti. Quid ſi ipſummet velum interius ſciſſũ eſt, & inde via ſanctorum, non vmbratilium iã, ſed verorum, cœlorumve propalata? Quamuis enim nonnulli ex antiquis tenerent fidem Chriſtianam, & ſub figura, ſeu ſub vmbra, veram lucem deprehenderent: nondum tamen manifeſta cœlorum via, nodum gratia exertè ac publicè prædicata. Ieſus autem iterum clamans voce magnâ, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt. In quo ſatis oſtendit, (vt aduertit Auguſtin.) tunc eſſe ſciſſum, cum emiſit ſpiritum. Si enim non addidiſſet, Et ecce: ſimpliciter dixiſſet: Et velum templi ſciſſum

E eſt. Fudit ſanguinem, & redemit hominem: obliterata eſt peccatorum memoria, & propalata Sanctorum via. Hominem ſanguine ſuo redemit Chriſtus, (verba ſunt Tertulliani) traditus in mortem, mortem autem crucis. Totum hoc, vt nos à peccatis lucraretur. Sol ceſſit diem emptionis noſtræ. Apud inferos emancipatio noſtra eſt, & ſtipulatio noſtra in cælis. Subleuatæ ſunt portæ ſempiternæ, vt introiret Rex gloriæ, Dominus virtutum, hominem de terris, immò ab inferis, mercatus in cœlos.

Aquin. Lect. 1.

Non vetus teſtamentũ, ſed nouum, via eſt intrandi in cælum.

Matth. c. 27.

Origen. Tract. 35. in Ioan.

Auguſtin. lib. 1. de cõ. Euan. c. 19.

Tertull. lib. de fugin in Perſ. c. 12.

ANIMA

ANIMADVERSIO VI.

Quæ parabola est temporis instantis &c.

PArabola illa instanti tempori, seu legi veteri attemperanda. Iuxtà quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem: solummodo in cibis & potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis. In quibus tria elucidanda sunt. Primum est, Quàm infirma virtus Legis veteris: alterum, Quænam forma sanctificationis tertium, Quanta eius duratio.

Quoad primum. Erant signa sacra ac mystica apud Iudæos, ideóque vera Sacramenta & Sacrificia: quid enim sanctius, quã quod suprema sanxit auctoritas? quid & verius, quàm quod prima veritas instituit? Sed sicut apud nos aliæ sunt ceremoniæ & sanctiores & digniores, sic & aliæ sunt causæ & vtiliores & efficaciores. Talis quippe differentia est inter Sacramentum & Sacramentum, inter sacrificium & sacrificium, qualis testamentum inter & testamentum distantia. Respice in testamentum tuum. Redde quod promisisti: (ita Augustinus) tabulas tenemus, hæreditatem expectamus Respice in testamentum tuum, non illud vetus: non propter terram Chanaam rogo, non propter inimicorum temporalem subiectionem, non propter filiorum carnalem fœcunditatem, non propter diuitias terrenas, non propter salutem temporalem. Respice in testamentum tuum, quo promisisti regnum cœlorum. Iam agnosco testamentum tuum. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israël & domui Iuda testamentum nouum, non secundùm testamentum quod disposui Patribus eorum, Tantum igitur absunt Sacramenta & Sacrificia, quantum differunt testamenta. Primum quippe κοσμικὸν, seculare ac mundanum, alterum cæleste ac diuinum: cæleste dico ac diuinum, quod mundum supergreditur, nec suprà humanam duntaxat, sed & supra Angelicam erigitur potestatem. Baptismus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? Ex æquo diuidit, nec medium inter hæc duo agnoscit. Illud enim ex hominibus quicquid infra Deum; illud è cælo, quod iuxtà Deum, diuinæ scilicet naturæ consortium: non enim per cælum, inspexit fastigium cæli, sed Dei intellexit commercium. Vnde Iudæis dicentibus: Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: panem de cælo dedit eis manducare. Respondit Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verũ. Panis enim Dei est, qui de cælo descẽdit, & dat vitam mundo. Vitam scilicet non pereuntem ac terram, sed cælestem ac diuinam. Per Moysem quippe, vti dixit Augustinus, promittebatur regnum, & terra fluens Lac & Mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & cetera omnia; temporalia quidem, in figurâ tamen spiritalia: quia veteri homini in veteri testamento promittebantur. Attendebant ergo promissa per Moysem, & attendebant per Christum. ille plenum ventrem promittebat in terrâ, sed cibo qui perit: iste promittebat cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Verus ergo ille panis est, de quo paulò antè locutus sum: operamini cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ergo & illud manna hoc significabat, & illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis: qui significabatur, contemnitis? Illa est igitur differentia, quod illa gratiam significabant figurabántque & gloriam, ista causant & præstant. Illa vera, quia veram promittunt vitam, ista conferunt: illa diuina, & ex speciali institutione, ista ex cælesti operatione: illa somnum captant, hæc spiritum subministrant. Si enim discernimus duo testamenta, (verba sunt Augustini) vetus & nouum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa. Hæc dicimus, vt omnes de nouo testamento discatis, non inhærere terrenis rebus, sed cælestia adipisci. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Saluatorem. Sed quare terrena primò promitti oportebat? Quia non primò quod spirituale est, sed quod animale: postea, inquit, quod spiritale. Nihil ergo spiritale, in antiquis Sacramentis aut sacrificiis Mosaicis, nihil cæleste; sed quicquid erat, mundanum erat, seculare, terrenum, animale. Idcircò Paulus de illis donis ac sacrificiis, tria simul congerit. quibus vnum & idem exprimit: nempe veram seu diuinam iustitiam non esse ab illis expectandam. Si enim perfectum non faciunt, iustum non faciunt sanctumve. Si iustum faciunt, sed non iuxta conscientiam, internam veramve non conferunt iustitiam. Denique, si nec ipsum sanctificant ministrantem, quomodo ipsum participantem sanctificant; Quod ergo superiùs dixerat, (verba sunt Athanasij) confirmat Apostolus: videlicet tabernaculum illud quod Sacerdotes ingrederentur, parabolam, hoc est figuram fuisse & vmbram temporis pro Lege astantis, antè Christi aduentum: quo tempore huiusmodi hostiæ immolarentur infimæ adeò & imbecillæ, vt nequeant secundùm conscienriam, id est, secundùm interiorem hominem, consummare eos qui sic offerebant.

Quoad secundũ. Omnia Sacramẽta, si vera sũt, sacrant, omnia sacrificia, si legitima sũt impetrãt, ad hoc enim instituta sunt, nec falsa & inania signa sunt, si vera sunt & legitima. Dico, si vera & legitima, vt excludam sacra, imò profana Gentilium Mysteria; quæ enim immolant Gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo; ideóque non tam consecrant, quàm conspurcant Quis enim, vt dixit Tertullianus, immundis spiritibus operatus, non consparcatus & construpatus incedit? Sicut enim ibi nulla religio est, sed pura, imò impura superstitio, sic & immunda sunt omnia, polluta ac polluentia. Quæ autem, vt & ille dixit potior religio, quàm Dei viui? At duplex illius status: vnus per seruum, alius per filium institutus. Vtrobique Sacramenta vtrobique sacrificia, tam vera, quàm & legitima,

Marginal notes:
Augustin. Enarrat. in in Psal. 73. vlt. med.
Matth. c. 21.
Ioan. c. 6
Augustin. Tract. 25 in Ioan. vit. med.
Illud cæleste quod spirituale, diuinum supremumque.
Augustin: Enarrat. in Psal. 73. post init.
Athanas. in Paulum.
Tertull. lib. de Idolol. cap. 1.
Tertull. lib. de baptis. cap. 5.

tima, vtpote Deo vero, & ritu sacro, & debito cultu oblata. Licet enim ad significandum ac repræsentandum fuerint instituta, non tamen minùs vera ac legitima erant sacra, ideóque iuxta naturam suam, seu statum suum sacrantia: imò in tantùm significant, in quantum per legatem suam purificationem, spiritalem repræsentabant sanctificationem. Nam & Synagoga, figura erat Ecclesiæ; vera tamen synagoga; quæ per congregationem Iudæorum, conuocatione figurabat Christianorum. Sacerdotiū Leuiticum, typus Sacerdotij Christiani; sed typus non fuisset, nisi certum ac verū fuisset Sacerdotium. Verùm cum maior sit distantia inter seruū Dei, & inter filiū Dei, quā inter terrena ac cælestia; sic & inter antiqua sacra ac noua, maior differentia est, quàm inter carnalia & spiritalia. Ita Ioannes baptizator apud Ioannem Euangelizatorem Qui desursum venit, super omnes est: Qui est de terra, de terrâ est, & de terrâ loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est. Quid est, de terrâ loquitur, terrena scilicet. humana, carnalia. Ita Christus ipse Nicodemo. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis? Quid terrena? Quod natum est ex carne, caro est. Quid porrò cælestia? Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Oportet nasci denuo, non tamen carnaliter, seu humano modò, sed spiritaliter, seu modo diuino. Ergo, (concludit Augustinus) seorsum est gratia Dei, seorsum est natura hominis. Naturam hominis interroga: vsitata ista hominum discit. Quid nouit, nisi terram de terrâ? Humana loquitur, humana nouit, humana sapit. Carnalis carnaliter æstimat, carnaliter suspicatur. Ecce est totus homo. Veniat gratia Dei: assumat mentem humanam, conuertatur ad lucem suam: incipit iam dicere, quod Apostolus dicit. Non ergo, sed gratia Dei mecum. &c. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Concludendum est ergo duplicem esse sanctificationem: vnam carnalem seu humanam: spiritalem seu diuinam: illam quæ fiat per ceremoniam legalem; istam, quæ per supernaturalem fiat gratiam. Illa, inquit Augustinus, carnalia sunt Sacramenta, quæ fuerunt vmbræ futurorum. Et id quidem ex Paulo, qui vniuersaliter eas vocat iustitias carnales, iustificationes sanctificationesve mūdanas seu humanas. Et iustitiis carnis. Duplex enim iustitia: vna quæ mentis, altera quæ carnis; illa interior, exterior ista; illa in specie, ista in re; illa iuxta ceremoniam, ista iuxtà conscientiam. Sed quod vniuersaliter definiuit, singulatiter in tribus distribuit. Solummodo in cibis & potibus, & variis baptismatibus. Exacta quidem ministri Leuitici obseruantia: sed in quibus? in rebus carnalibus, & id. Solummodo vt ne bibat vinum, cum ministrat; quid tollat aut comedat, cum sacrificat: quomodo & quando corpus abluat, cum in tabernaculum intrat ac sanctuarium. Nihil de conscientiâ, nihil de verâ munditiâ, sed externa omnia, ac carnalia. Lex, inquit, (apud Athanasium) & Legis ipsius instituta, humanis solùm sunt rebus imposita, vtpote quibus & vesci homines debeant, & in potu vti, & in variis baptismatum modis.

Tanta inter vtrumque ritum, quanta inter seruum & Dominum distantia.

Ioan. cap. 3.

Ioan. eod. c.

Augustin. Tract. 14. in Ioan. circ. med.

Augustin. serm. 15. de verb. Apost cap. 6.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Si culpa, corrigenda est; si vitium, emendandum. Vsque ad tempus correctionis impositis. Tribus verbis, tria sunt indicata. Primum, ceremonias illas non semper duraturas, sed, Vsque ad tempus. Alterum, non tam indultas esse, quàm, Impositas Ad ceruicem penitus supinandam, gentemque aliquatenus sanctificandam. Tertium, illas rectificandas tandem, id est, in meliorem statum, & modum sublimiorem reformandas. διόρθωσις enim Græcè, idem quod Latinè rectificatio. Sed & tria requirenda sunt, quando reformandas, à quo, & quomodo? Hæc & illa omnia ab eodem indicata sunt seu Athanasio, seu Vulgario. Carnis iustificationes, inquit, erant præcepta quædam, quæ carnem abstergerent. Nec tamen hæc erant perpetuò permansura, sed vsque ad tempus correctionis, hoc est vsque ad primum Christi aduentum, qui vniuersa hæc erat emendaturus, inductur ūque cultum verum & spiritalem. Cum esset autem Lex graue admodum iugum, iure Imposita dixit, sicut & in Apostolorum Actis est scriptum. Quid tentatis imponere iugum discipulis quod neque Patres vestri portauerunt. Duratio igitur vsque ad primum Christi aduentum: ipse enim noua fecit omnia, dum in cultum spiritalem, & cælestem statum transtulit. Omnia, ait Tertullianus, de carnalibus in spiritalia renouauit Dei gratia, superducto Euangelio expunctore totius retrò vetustatis; in quo & Dei Spiritus, & Dei Sermo, & Dei ratio approbatus est Dominus noster Iesus Christus: Spiritus quo voluit, sermo quod docuit, ratio quâ venit. Docuerat & Ioannes discipulos suos adorare. Sed omnia Ioannis Christo præstruebantur; donec ipso aucto (sicut idem Ioannes prænuntiabat, illum augeri oportere, se verò minui) totum præministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideò nec exstat in quæ verba docuerit Ioannes adorare, quòd terrena cælestibus cesserint. Qui de terrâ est, inquit, terrena fatur: & qui de cælis adest, quæ vidit, eá loquitur. Et quid non cæleste, quod Domini Christi est? Hæc ergo reformatio, hæc innouatio: quod Christiana religio, publica sit cælestium seu spiritualium professio: non quòd sancti seu Christiani, panem non petant, sed quòd sic petant; vt non appetant: non enim panem petunt propter panem, sed propter salutem: nec desiderant aut postulant temporalia, nisi propter æterna, vnde terrena capiunt nisi propter cælestia. Neque enim, vti dixit Augustinus, ideò debemus euangelizare, vt manducemus: sed ideò manducare, vt euangelizemus: nam si propterea euangelizamus, manducemus, vilius habemus Euangelium quàm cibum: & erit iam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in euangelizando. Quæcumq; enim res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quàm id propter quod quæritur: & ideò illud primū est propter quod rē istá quæris, non ista res quam propter aliud quæris. Quapropter si Euāgeliū & regnū Dei propter cibū quærimus, priorē facimus cibū, & posterius Euangeliū: id est, regnū Dei: Bonorū spiritaliū sectatores sumus, tanquā nostrorū, terrenorū dispensatores,

Athanas. Ibidem.

Tertull. lib. de orat. cap. 1.

Terrena non postulanda, nisi propter cælestia.

Augustin. lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 16.

tanquam carnalium: amamus illa, tanquam promissa æternæ felicitatis præmia, toleramus ista, tanquã necessaria miseræ seruitutis adminicula.

ANIMADVERSIO VII.

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum &c.

Leuiticum ministerium, ducebat ad bona præstantia, dum pro iis intecedebat: nec enim sacrificiis suis gratiam petebat aut gloriam, sed pluuiam aut victoriam. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æternâ redemptione inuenta. Introducti igitur sumus in sancta: sed à quo, quomodo, & quamdiu sumus introducti?

Quoad primum. Qui nos introducit, Christus est: sed assistens, & assistens Pontifex futurorum bonorum: hæc enim tria indicare volũt aliquid, demonstrare volunt aliquid. De primo, Christus quidem heri & hodie & ipse in secula, non tamen semper assistens seu adueniens. Non dixit γενόμενος, (verba sunt Chrysosto.) id est, cum factus esset, sed παραγενόμενος, id est, cum accessisset: hoc est, cum hoc ipsum venisset, non alteri successisset. Non prius accessit, sed simul venit. In aliis Pontificibus, prius est instrui, dein & fungi: Christus autem hoc ipso quod accessit seu aduenit, suo idoneus fuit ministerio. De secundo, non solum Rex seculorum natus est, sed & Pontifex hominum: non enim distulit officium, sed ab ipso exorsus est vtero, gratúmque Deo obtulit sacrificium. Eius enim mens & cogitatio, ait Athanasius, vt ad terras descenderet huiusmodi fuit, vt pontificatum iniret. Huius rei gratiâ venit: ideò enim naturam assumpsit humanam, vt ipsam immolaret, idcircò factus est homo, vt Pontifex fieret. De tertio, non ducit ad temporalia & carnalia noster Pontifex, sed ad æterna introducit & spiritalia. Ad imaginem terreni, ait Augustinus, pertinet vetus testamentum, ad imaginem cælestis nouum testamentum. Sed ne quisquam putaret ab alio factum esse hominẽ terrenum, ab alio cælestem; ideò Deus ostendens se esse vtriusque creatorem, etiam vtriusque testamẽti se esse voluit auctorem: vt & terrena promitteret in veteri testamento, & cælestia in nouo testamento. Sed tamdiu primus homo terrenus es, quamdiu terrena sapis. Numquid quoniã puero dantur quædam puerilia lucra, quibus puerilis animus auocetur; propterea grandescenti non excutiuntur è manibus, vt aliquid iam vtilius tractet, quod grandem decet. Inhærere ergo terrenis, quamuis ea Deus donet, non debes. Veruntamen non quia eis inhærere non debemus, aliũ ea dare, nisi Deum, credere debemus. Ipse ea dat, sed noli pro magno expectare ab eo bonũ, quod dat & non bono. Nam si pro magno ea daret, malis ea non daret. Ideo autem ea voluit dare & malis, vt discant boni aliud ab eo quærere, quod non dat & malis. Hæc dicimus, Fratres, vt omnes de nouo testamento discatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum nouũ testamentum nondum fuerat reuelatum; quanto inexcusabiliùs terrena sectantur, quibus iã promissa cælestia in nouo testamẽto reuelata sunt? Vsus quidem permissus pro necessitatis mẽsurâ, appetitus prohibitus ex regulâ sanctitatis: licet petere & accipere, nõ licet iis studere & inhærere. Christus enim aduenit adstititq; Pontifex nõ horũ bonorũ, sed futurorũ, id est æternorũ.

Chrysost. orat. 15.

Athanas. in Paulum.

Augustin. Enarrat in Psal. 73. post init.

Vsus terrenorum licitus, appetitus horum illicitus.

Quoad secundum. Tria facit Apostol. Seponit, proponit, exponit: seponit alienum sanguinem: proponit ampliorem virtutem perfectioremq; exponit propriũ esse Christi Domini sanguinem. De primo. Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum. Ita in Leuitico: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum. Suscipietq; ab vniuersâ multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro se & pro domo suâ, duos hircos stare faciet coràm Domino in ostio tabernaculi Domini. His ritè celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo suâ, immolabit eum: assumptoq; thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est suprà testimonium, & non moriatur. Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad orientẽ. Cumque mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli. Equidem vnius hirci meminit, immolati, & vnius vituli, non hircorum aut vitulorum: sed Paulus, vt aduertit Aquinas: Dicit pluraliter, vitulorum & hircocorum, non quòd simul essent plures, sed quia Pontifex per diuersos annos pluries intrabat. Hoc autem excludit Apostolus quia non sic Christus introiuit. De secundo, Non quidem introiuit Iesus per sanguinem hircorum aut vitulum: sed per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis. Tria sunt proposita. Primum, quod hoc tabernaculum sit amplius & perfectius: alterum, quod non sit manufactum: tertium, quòd non huius creationis. Sed quodnam est illud tabernaculum? Corpus Christi, maximè dum mortale, quia tabernaculum est peregrinantium. Carnem hic dixit (ait Chrysost.) Rectè autem dixit maius & perfectius, siquidẽ & Deus verbum & vniuersa operatio Spiritûs in eo habitat. Perfectius enim, vt in quod non cadat reprehensio, & quòd maiora rectè gerat. Non huius autem creationis: non esset enim ex Spiritu si homo ipsum construxisset. Quanto dignius & excellentius Mosaico tabernaculo: cum illud non sit manufactum, id est, non humano constructum opificio? De tertio, exponit tandem Apostol. apertè, quod subobscurè proposuit. Sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta. Initiauit nobis Christus viam nouam per tabernaculum diuinum, per carnem, per sanguinem, non tamen alienum, sed proprium, semel intrauit in Sancta cælestia. Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti (vt Leo loquitur) tam potens fuit ad priuilegium, tam diu es ad pretium; vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum

Leuit. c. 16.

Aquin Lect. 3.

Chrysost. orat. 15.

Illud non manufactũ quod non humano extructum opificio.

Leo serm. 12. de pass. Dom. cit. med.

suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Quam itaque sibi in huius Sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem; Dicant, quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sint redempti. Quis est qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam in odorem suauitatis? Aut quòd vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quòd Pontifex verus altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit?

Quoad tertium. Per illam carnem, seu per illum sanguinem, redemptio nostra sed æterna, est inuenta. Illud, inuenta, ait Chrysostomus, est ex iis quæ sunt præter expectationem: nempe quomodo per vnum introitum æternam inuenit redemptionem. Nihil difficilius, nihil operosius, quàm vt damnati ad gehennam, cælum ipsum ascenderent & occuparent gloriam: sed id aggressus est Christus: suscepit negotium, & modum inuenit; mortem deleuit inflictam, & in æternam nos salutem asseruit. Patebat quidem omnibus cælum, sed latebat adeundi modus Patria quidem in oculis posita, Sed via miseris damnatisque incognita. Christiano, ait Tertullianus, cælum ante patet, quàm via: quia nulla via in cælum, nisi cui patet cælum. Paradisus in prospectu, sed aditus sine aditu: idcircò Christus nobis necessarius, qui complanaret viam, & ianuam nobis reseraret. Quas, ait ille, mihi potestates ianitrices adfirmas iuxta Romanam superstitionem, Ianum quendam & Forculum & Limentinum? quas à cancellis ordinas potestates? Si vnquam legisti apud Dauid, Auferte portas Principes vestras, & subleuentur portæ æternæ; & intrabit Rex gloriæ. Si autem audisti apud Amos, Quia ascensum suum ædificat in cælos, & profusionem suam fundat in terras. Scito & ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, & introitum exinde complanatum vestigiis Domini, & introitum exinde reseratum viribus Christi. Nam & si adhuc clausum putas cælum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic vnusquisque feret secum. Tria sunt in Christo Saluatore ac Pontifice nostro: beneuolentia, ad volendum; sapientia, ad inueniendum, potentia, ad faciendum. Voluit humanum redimere genus, & viam inuenire, quâ rediret in patriam: idcircò crucem erexit, & clauem in morte imbuit & sanguine. Saguis Christi, ait Hieronym. clauis est parad si. Multi volunt, nec inueniunt; inueniũt alij, nec faciũt aut præ incuria, aut præ impotentiâ. Christus quod voluit, inuenit, quod inuenit, & fecit, imò inuenit, dum fecit. Ita apud Tertullianum: Lucullus, nouæ frugis auctor, quia inuentor & demonstrator. Inuenit igitur ille viam, dum fecit, & ostendit dum totum ille primus præcepit gloriam, & electis seu membris suis reddendam promisit. Sed quanta vis diuini & immaculi illius sanguinis! Semel fusus est, semel oblatus; & infracta est miseranda captiuitas, æterna felicitas comparata. Quamdiu ergo hæc. Quamdiu stabit Christus, quamdiu durabit Deus. Cœlum ipsum, nedum terrena omnia transeunt: qui semel admissus, qui semel introductus in cælum, viuet in æternum.

Chrysost. orat. 15.

Tertull. lib de scorp. cap. 10.

Via cœli Dominicis complanata vestigiis

Hieronym. epi. ad Dardan.

Tertull. 11. in Apolog. cap. 11.

ANIMADVERSIO VIII.

Si enim sanguis hircorum & taurorũ &c.

INstat Apostolus, confirmátque æternitatem redemptionis, per virtutem sanguinis. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Tria sunt in hac pericope: positio, prælatio, intentio; positio cineris, prælatio sanguinis, & intentio seruitutis.

Quoad primum. De sanguine hircorum & taurorum seu vitulorum iam dictum est, quod erat dicendum: nisi quod tauros nunc dicit, quos dixit vitulos: sed & vitulam vocat, quam Moyses vaccam appellat: hæc enim licet ætate plus minúsve præuehant, non tamẽ mutãt speciem. Sed iam casus ponendus est Locutus est Dominus ad Moysẽ, & Aaron, dicẽs: Ista est religio victimæ quam constituit Dominus: Præcipe filiis Israël, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in quâ nulla sit macula, nec portauerit iugum: tradetísque eam Eleazaro Sacerdoti: qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium: & tingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburésque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus quàm sanguine & fimo flammæ tradiiis. Lignum quoque cedrinum, hyssopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatúsque erit vsque ad vesperum Sed & ille qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit vsque ad vesperum. Colliget autẽ vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est. Cumque lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, vestimenta sua, immundus erit vsque ad vesperum. Habebunt hoc filij Israël, & aduenæ qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: aspergetur ex hac aquâ die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio asper us non fuerit, septimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israël: quia aquâ expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aquâ lustrationis aspersus. Hæc igitur aqua lustralis, de quâ Paulus, Cinis vitulæ aspergens, inquinatos sãctificat ad emũdationẽ carnis. Seu, vt ex Græcis, Cinis vitulæ aspergens cõmunicatos, sanctificat ad puritatẽ carnis. In casibus nimirũ: quibus contrahebatur legalis immũditia, quibusve

Num. c. 19.

Ecclesiæ Iudaicæ inquinationes & sanctificationes.

persona sacris participandis, inhabilis redderetur. Tria igitur sunt obseruanda. Primum est, in Ecclesiâ Iudaicâ fuisse inquinationes, contaminationésque: alterum, illos per sanctificationes seu purificationes fuisse deletas: tertium ipsas omnes legales fuisse seu externas: cute tenus, & in specie, vtpote carnem, seu hominem exteriorem emundantes. Negligentiæ peccata, ait Augustinus, etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Benè, videbantur. Non enim veræ tollebantur maculæ peccati lethalis, sed pœnæ duntaxat auertebantur imminentis impendentisve supplicij: omnia in figurâ, idcircò externa omnia & apparentia. In veteri quippe lege, vti resoluit Aquinas, duplex munditia obseruabatur. Vna quidem spiritualis, quæ est immunditia culpæ: alia verò corporalis quæ tollebat idoneitatem ad cultum diuinum: sicut leprosus dicebatur immundus, vel ille qui tangebat aliquod morticinium: & sic immunditia nihil aliud erat, quàm irregularitas quædam. Ab hac igitur immunditiâ ceremoniæ veteris legis habebant virtutem emundandi: quia huiusmodi ceremoniæ erant quædam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas prædictas immunditias, ex statuto legis inductas. Et ideo Apostolus dicit ad Heb. 9. quòd sanguis hircorum, & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Et sicut ista immunditia quæ per huiusmodi ceremonias emundabatur, erat magis carnis quàm mentis: ita enim ipsæ ceremoniæ, iustitiæ carnis dicuntur ab ipso Apostolo: Iustitiis, inquit, carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Ab immunditiâ verò mentis, quæ est immunditia culpæ, non habebant virtutem expiandi; & hoc ideò, quia expiatio à peccatis nunquam fieri potuit, nisi per Christum, qui tollit peccata mundi: vt dicitur Ioan 1. Et hoc est quod Galat. 4. Apostolus vocat ea egena, & infirma elementa: infirma quidem, quia non possunt à peccato mundare: sed hæc infirmitas prouenit ex eo quòd sunt egena, id est, ex eo quòd non continent in se gratiam.

August. lib. de nat. & grat. c. 17.

Aquin. 1. 2. q. 103. art 2. in corp.

Quoad secundum. Nulla ferè comparatio est, collatio modica, summa prælatio. Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Quæ comparatio sanguinis brutorum, & cineris animalium, cum sanguine & morte Christi Dei filij: Cinis quidem vitulæ mundæ, sed Christus totus & mente immaculatus & corpore. ἄμωμος, irreprehensibilis, inuituperabilis. Sanguis quidem per legem effusus; sed Christus, non alium, sed semetipsum obtulit Deo patri; nec per alium, quàm per Spiritum sanctum obtulit. Si igitur sanguis irrationalis potuit mundare carnem, quà carnalis: quanto magis, sanguis diuinus, poterit mundare mentem quà purissimus; nec iam ab immunditiis legalibus, sed ab operibus mortuis, à peccatis lethalibus? Si enim, inquit, (apud Chrysostomum) carnem potest mundare sanguis taurorum, multò magis sordes animæ absterget sanguis Christi. Nonne cum audieris, Sanctificat, magnū quid existimes, adnotat & ostendit quid intersit inter vtramque sanctificationem, &

Chrysost. orat. 15.

A quemadmodum hæc quidem, est sublimis, illa verò humilis: & dicit meritò id ita esse, siquidem ille est sanguis taurorum, hic autem Christi. Nec fuit contentus nomine; sed etiam modum ponit oblationis: Qui per Spiritum sanctum, inquit, semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc est, hostiam immaculatam, mundam à peccatis. Hoc enim est per Spiritum sanctum, non per ignem, aut aliqua alia. Rectè autem dixit, Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis: Si quis enim tetigisset mortuum, polluebatur; & hic si quis tetigerit opus mortuum, polluitur per conscientiam. O miserandus Iudæorum status,

Quàm miserandus Iudæorum status,

B quorum lex obstringere conscientiam, non tamen poterat illam ex se soluere; cuius onus grauabat animam, munus non subleuabat! O quàm Sanctus Christianorum cœtus, à quo arceantur peccata per censuram, in quo per gratiam deleantur. Nullus igitur, ait ille, habens opera mortua huc ingrediatur. Si enim eum qui mortuum corpus tangebat non oportebat ingredi, multò magis eum qui opera habet mortua: est enim pollutio grauissima. Mortua autem sunt opera omnia quæ vitam non habent, quæ tetrum spirant odorem. Quomodo enim corpus mortuum ad nullum sensum est

Chrysost. in Mor.

C vtile, sed etiam molestiâ afficit eos qui appropinquant: ita etiam peccatum statim ferit facultatem ratiocinandi, & nec ipsam quidem mentem sinit quiescere, sed etiam ciet tumultum, & eam perturbat. Dicitur pestis enata corrumpere corpora. Talis est etiam peccatum. A peste nihil differt, non aërem primum corrumpens, deinde corpora, sed statim in animam insiliens. Non vides eos qui peste laborant, quomodo inflāmantur, quomodo agitantur & circumuoluuntur, quomodo fœtore & tetro odore sunt pleni, quàm turpis est eorū aspectus, quàm toti sunt immundi: Tales sunt omnes qui peccant, etiamsi non videant. Sed sicut nullum tam grande malum quod non superet culpa

D peccatoris, sic nullum tam enorme peccatum quod non expiet gratia Saluatoris. Est ergo, vt concludit Augustinus, omninò peccatum quod contra iustitiam mouetur, sed non damnabile quod per gratiam excusatur.

Augustin. tract. de sept. vitiis.

Quoad tertium. Sanguis Christi est, Agni immaculati, per Spiritum sanctum oblatus, ex summâ bonitate, ex supremâ effusus charitate. Quantus iste, & quantum à sanguine taurorum & vitulorum sublimatus! Sed accipe aliud nec minùs dignum, nec minus diuinū. Ille enim mundabat, (vt obseruat Aquinas) vt posset accedere ad figurale ministerium, sed sanguis Christi

E ad spirituale obsequium Dei. Et ideò dicit Apostolus, ad seruiendum Deo viuenti. Deus enim vita est: qui ergo vult dignè seruire Deo, debet esse viuens sicut & ipse. Ideò enim ab operibus mortuis emundatus, ideò à peccatis omnibus iustificatus vt in iustitiâ & sanctitate, seruiat Deo viuenti omnibus diebus suis, id est dignè ac perfectè colat, illumque in æternum diligat. Triplex namque vita est: vna pœnitentiæ, quæ figurata est per atrium: altera, gratiæ, quæ per primum tabernaculum: tertia, gloriæ, quæ per alterum est repræsentata. In atrio enim locus mortificationis; in primo tabernaculo, locus orationis; in secundo,

Aquin. lect. 3.

secundo, locus contemplationis: in illo purgatio est, in isto, illuminatio; in hoc porrò vnio, beata visio, diuina fruitio. Quicquid id est, sicut per Christum, peccatis nostris morimur, sic & veram adipiscimur vitam. Euidentissimum igitur signum noui testamenti, in iuuencâ rufâ, præfiguratum est. Iuuenca enim rufa carnem Christi significat. Sexus fæmineus est, propter infirmitatem carnis; rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quod autem sine vitio dicitur hæc iuuenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam ceteræ hostiæ figurabant, vbi similiter sine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Et non est superpositum super eam iugum. Non enim subiugata est iniquitati, cui subiugatos inueniens liberauit, & eorum vincula dirupit, vt ei dicatur, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Super illius quippe carnem non est positum iugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Cur autem non ad Aaron, esd ad Eleazarum, nisi fortè ita præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros huius Sacerdotij passionem Domini peruenturam? Et accipiet Sacerdos lignum cedrinum & hyssopum & coccinum, & immittet in medium combustionis iuuencæ. Lignum cedrinum; sp es est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus, fides, quæ cum sit herba humilis, radicibus hæret in petrâ. Coccinum, charitas, quod feruorem spiritûs igneo colore testatur. Sed non satis dignè, festinantes, dicere de tanto Sacramento valemus. Sufficit, inde nobis spiritalem suppetere mundationem: nec id sufficit, cum verum sit certúmque, inde nobis cælestem accedere & accrescere sanctificationem: vitam dari, ac gloriam cumulari.

Augustin. lib. quæst. sup. Num. q. 33.

Vacca rufa assumptæ figura naturæ.

ANIMADVERSIO IX.

Et ideò noui testamenti mediator est &c.

De testamento agitur, quod dicitur διαθήκη: quâ voce vsi sunt Septuaginta Interpretes, & pro Hebræâ, Berith: quæ peccatum in genere significat, promissionem, conuentionem; in specie verò etiam proprium designat testamentum. διαθήκη enim, dispositio est: nulla autem dispositio notabilior & insignior, quàm quæ extrema, cum & prouido facta sit consilio, sitque perpetuò permansura. Christus ergo testamenti mediator est, imò & testator, sed noui: cum illud sanxerit, nec alieno sanguine, sed proprio, id est morte suâ, ratum illud firmúmque fecerit. Tria autem de proprio testamento definit Apostolus. Primum est, testamentum, morte testatoris confirmandum: alterum, inde nec primum seu antiquum sine sanguine dedicatum: tertium, sine sanguinis effusione, nec remissum peccatum vnquam, nec tabernaculum emundatum.

Quoad primum. Dixerat, sanguinem Christi conscientiis mundandis efficacem: inde probat verum esse Pontificem, verum & non

A testamenti mediatorem: vt qui pacta constituerit, promissaque morte sanxerit ac sanguine. Et ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris: testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioqui nondum valet, dum viuit qui testatus est, ideò Christus mortuus est, vt quod Lex vetus non potuerat, impleret ipse ac perficeret; transgressiones scilicet, dato pretio, pœnisq; exsolutis aboleret, vt promissâ electis hæreditatem, æternamque stabiliret felicitatem. Idcircò igitur passus tandémque mortuus: quia testamentum quidem viuentis ordinatur voluntate, sed testantis morte confirmatur. In omni enim testamento est aliquid quod promittitur, (ita Aquinas) & aliquid per quod testamentum confirmatu r. In nouo autem testamento, promittuntur cælestia & spiritualia: sed ista promissio per mortem Christi confirmata est. Et ideò Christus mediator est noui testamenti, vt repromissionem æternæ beatitudinis ac hæreditatis æternæ recipiant qui vocati sunt. Dicit, vocati: quia hoc munus non est ex operibus, sed ex vocatione Dei. Rom. 8. Quos autẽ prædestinauit, hos & vocauit. Vnde dicit, æternæ hæreditatis, id est æternæ gloriæ, quæ est hæreditas nostra. Istã porrò hæreditatẽ habemus per mortẽ Christi, vnde dicit, vt morte intercedente. Huius quippe mortis effectus, est redemptio à præuaricatione peccati; quæ virtute prioris testamenti non poterat remoueri. Sed contra: quia Dauid & alij sancti habuerunt remissionem peccatorum. Respond. non virtute Sacramentorum veteris Legis; sed in fide Christi: Cum ergo dicit, Vbi enim testamentum est; probat illud quod supposuit, scilicet quòd nouum testamentum sit confirmatum per mortem Christi interuenientem: nouum quippe testamennon haberet robur, nisi interuenisset mors Christi. Mors autem testatoris ad duo necessaria est; primò, vt testamentum habeat firmitatem; quia cum sit expressiuum vltimæ voluntatis, potest semper mutari antè mortem: vnde dicit, quòd testamentum confirmatum est in mortuis, id est per mortem: & isto modo confirmatum est nouum testamentum per mortem Christi. Matth. 26. Hic est sanguis meus noui testamenti, scilicet confirmator & dedicator. Secundò necessaria est mors testatoris ad hoc, vt testamentum valeat, & habeat efficaciam. Vnde dicit, Alioquin nondum valet: quia nullus potest petere aliquid, nec etiam hæres hæreditatem ex vi testamenti, nisi post mortem testatoris. Ideò igitur Christus sanguinem fundere voluit, ideò voluit mortem interponere, vt hæreditas tam esset certa, quàm æterna felicitas. Poterat enim Iudæus dicere, (iat Ambros.) Et ego hæres sum, quoniam sub Lege sum. Lex autem vetus dicitur testamentũ. Vbi autẽ testamentũ est, ibi hæreditas. Et licet dictum sit, quia testamentum non valet, nisi mors intercedat testatoris, id est, quoniam testamentum non valet quamdiu viuit testator, sed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia Dominus locutus est de

B

C

D

E

Aquin. Lect. 4.

Ambros. ep. 11 43.

Iudæis, & ait: Facta est hæreditas mea mihi sicut Leo: hæredes eos negare nolumus. Sed sunt hæredes sine re, sunt & cum re. Et dicuntur hæredes testatore viuente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam hæredes paruuli, qui nihil differunt à seruulo, quoniam sub curatoribus sunt & actoribus. Ita, inquit, & nos eramus Iudæi sub elementis mundi huius seruientes. Postquam verò venit plenitudo temporis, & Christus aduenit, iam non sumus serui, sed liberi si credamus in Christum. Ergo dedit illis spem hæreditatis, possessionem negauit. Habet nomen hæredis, vsum non habent: quia sicut paruuli hæredes nomen nudum hæreditatis non auctoritatem vsurpant, iubendi ius non habent: quia plenitudinem suæ ætatis expectant, vt à curatoribus liberentur.

Quoad secundum. Quid mirum, testamentum nouum, morte testatoris confirmatum; cum & antiquum, quod non tam testamentum quàm pactum, quia tamen vmbra & figura noui ac veri testamenti, cæde sancitum sit animalis & sanguine. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aquâ, & lanâ coccineâ & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Ita in Exodo. Venit Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; respondítque omnis populus vnâ voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini: & manè consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israël, & obtulerunt holocausta, immolauerúntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Sed inde tres emergunt difficultates. Prima est, quod vitulorum quidem mentio fiat, non tamen & hircorum. Quomodo ergo Paulus, Accipiens sanguinem & hircorum. Respondeo, vitulos quidem in victimas pacificas oblatos Domino; sed & hircos pro peccato immolatos, totósque igne absumptos. Et obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Duplex ergo sacrificium, hircorum vnum in holocausta, alterum vitulorum in victimas pacificas. Secunda, quòd nullum aquæ, vel lanæ coccineæ, vel hyssopi sit vestigium. Respondeo, aquam sanguini immissam, vt facilè diluceretur, & longè latéque spargeretur in vniuersum populum: fasciculus autem ex hyssopo & lanâ coccineâ secundùm ritualem expiationem collectus, inseruiebat aspersioni, aderatque semper respergendo sanguini. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum. Tertia, quod populum quidem Moyses aspersisse dicatur, non tamen & librum. Quomodo igitur capiatur quod dictum est. Ipsum quoque librum & omnem populum aspersit. Respondeo, stipulationem fuisse inter expositionem libri, & populi responsionem: tanquam inter illum iubentem & ipsum spondentem: vnde vterque respergendus, & sanguine diluto mixtove sanciendus: hic enim sanguis fœderis, quo pactum inter Deum præcipientem, & populum obedientem dedicatum est. Quamobrem, ait Athanasius, & liber & populus asperguntur. Nimirum vt pretiosum sanguinem præfiguraret, quo sumus ipsi & corda hæc nostra aspersi, quæ profectò nobis pro codicibus insunt, vti & superiùs dixit, Dedit leges in cordibus eorum. Vt & baptismi aquam designaret: hunc enim & sanguis & aqua conficiunt. Hyssopum verò intelliges eò inductum, & lanam, quòd hoc densius sit & bibulum: quin etiam & lanam nominat coccineam, quod colore ipso figuram sanguinis præferat.

Quoad tertium. Vbique sanguis interuenit ad purificationem, quia nihil non gerit testamenti noui repræsentationem. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij similiter aspersit; & omnia penè in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Sed prima inde exurgit difficultas, quod tabernaculum cum ipsis λειτουργίας sacri ministerij vasis, nondum exstructum esset, cum pactum initum est, testamentumve à Moyse dedicatum. Respondeo, illa non esse coniuncta tempore, sed similitudine. Et omnia sanguine similiter aspersit. Paritas mundationis seu sanctificationis eiusdem necessitas, non tamen simultas temporis. Altera, quod in consecratione tabernaculi, fiat quidem vnctionis mentio, non tamen aspersionis. Et assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur. Respondeo, fusiùs id dici & clariùs exponi in Leuitico. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis, & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. Fecit Moyses vt Dominus imperauerat. Tulit vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili suâ. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius. Ita, Assumens vnguentum, & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius ac vestes eorum. Coëunt igitur vnctio & aspersio, simulque interueniunt. Tertia difficultas, quomodo hæc duo cohæreant, Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur. Tum, Et sine sanguine non fit remissio. Cum enim ait Paulus, omnia penè: Nonnulla excipit, quæ aquâ expiari poterant, aut igne, sed sine sanguine. Cum verò addit, Sine sanguinis effusione non fit remissio. Nihil excipit: si enim nulla remissio sine sanguine, nulla mundatio: cum ergo dicit ferè omnia, & non absolutè omnia? Respondeo, aliud fuisse secundum legem purgationem immundi, aliud remissionem peccati: illa enim nonnunquam in sanguine, nonnunquam sine sanguine, sed in igne aut aquâ, ista nunquam sine sanguine: quamuis enim remissio tantùm esset legalis, id est, comminantis legis euasio; non tamen fiebat sine cæde & sanguine: mors enim

Marginalia: Exod. c. 24. — Tres difficultates ex textu emergentes. — Athanas. in Paulum. — Exod. c. 40. — Leuit. cap. 8.

Mors morte redimenda, transgreſſio ſanguine diluenda.

enim temporalis, animalis morte redimenda, A transgreſſio ſanguine diluenda. Quid porrò, ſi illud penè: Non cum omnia, lungatur. Sed cum. Mundantur. Quaſi dicatur, ferè mundantur. Cur illud, penè, ait Chryſoſtomus, cur id ſic correxit? Quoniam illa non erant perfecta mundatio, neque perfecta remiſſio: ſed ſemi perfecta, & in minimâ parte. Hîc autem, Hic eſt, inquit, ſanguis noui Teſtamenti qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Vbi igitur liber? Emundauit illorum mentes. Ipſi itaque erant libri noui teſtamenti. Vbi autem vaſa miniſterij? Ipſi ſunt. Vbi autem tabernaculum? Ipſi ſunt rurſus: Inhabitabo enim, inquit, in illis, & inambulabo. At lanâ coccineâ non aſpergebantur. Quamobrem? B Emundatio enim non erat corporalis, ſed ſpiritualis, & ſanguis ſpiritualis. Hoc ſanguine nos non Moyſes, ſed Chriſtus aſperſit. Hoc ſanguine ſpirituali aſperſi ſunt electi, hac virtute in æterna perducti tabernacula.

Chryſoſt. orat. 16.

ANIMADVERSIO X.

Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari &c.

Bona conſecutio, legi innixa & auctoritati: ſed optima concluſio, dignitate ſuffulta & auctoritate. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis. Non enim in manu facta ſancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum; ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. In hac pericope, tria ſe offerunt, animaduerſione digniſſima. Primum, Quænam ſint cœleſtia: Alterum quomodo mundanda: tertium, quando.

Quoad primum. Sicut totum vniuerſum in duas partes quaſi principales diuiſum eſt, cœlũ ſcilicet ac terram; ſic & totum hominum corpus in duas ſortes diſtributum eſt, in electos nimirum ac reprobos, quorum illi cœleſtes, terreſtres iſti, vtpote vel ad imaginem cœleſtis, vel ad imaginem hominis terreſtris reſpondentes. In principio temporis, ait Ambroſius, cœlum & terram Deus fecit. De qualitate autem & de ſubſtantiâ cœli ſatis eſt ea promere quæ in Eſaiæ ſcriptis reperimus, qui mediocribus & vſitatis ſermonibus qualitatem naturæ cœleſtis expreſſit; dicens, quòd firmauerit cœlum ſicut fumum, ſubtilem eius naturam, nec ſolidam cupiens declarare. Ad ſpeciem quoque eius abundat quod ipſe de cœli firmamento locutus eſt, quia fecit Deus cœlum ſicut cameram. Quod ſimiliter ſignificatur, cum legitur, Quia cœlum Dominus extendit. Extenditur enim vel quaſi pellis ad tabernacula habitationéſque ſanctorum; vel quaſi liber, vt plurimorum ſcribantur nomina, qui Chriſti gratiam fide & deuotione meruerunt, quibus dicitur, gaudete

Ambroſ. l. 1. Hexam. cap. 6.

Electi cœlo, reprobi terræ comparati.

quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. De terræ quoque vel qualitate vel poſitione tractare nihil prodeſt ad ſpem futuri, cum ſatis ſit quod ſcripturarum diuinarum ſeries comprehendit, quia ſuſpendit terram in nihilo. Reprobi, homines nihil, idcircò terræ comparati, quaſi infimi, abiecti, reprobandi conculcandi: electi, homines pretij immenſi, idcircò cœlo collati, quaſi ſupremi, glorioſi, ſpectandi, honorandi. Iſta duo hominum genera, in ſemine Abrahæ comprehenſa ſunt: non enim omnes qui ſunt ex Iſraël, ij ſunt Iſraëlitæ. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris. Seu, vt iam dictum erat, Sicut puluerem terræ. Quid enim arena, niſi puluis quem proiicit ventus à facie terræ? Sed & triplex ratio ex Ambroſio deſumenda eſt, cur electi dicendi ſint homines cœleſtes. Prima, ex deſtinatione. Ita Chriſtus: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Hæc enim, vti dixit Hieronymus, iuxtà præſcientiam Dei accipienda ſunt, iuxta quam futura iam facta ſunt. Regnum percipiunt, quod ordinatum eſt deſtinatúmque, cæleſtem adeunt hæreditatem, ſicut & reprobi eunt in locum ſuum. Secunda, ex conuerſatione. Ita Tertullianus. Coronatur vulgus, & eſt omnis pu- C blicæ lætitiæ luxuria captatrix: ſed tu peregrinus mundi huius, ciuis ſuper Ieruſalem. Noſter, inquit, municipatus in cælis. Habes tuos cenſus, tuos faſtos: nihil tibi cum gaudiis ſeculi; imò contrarium debes. Inde igitur reprobi proni ſemper in concupiſcentiam ſecularium gaudiorum, inde & electi per gratiam oppoſitis addicti ſtudiis: ſicut enim illorum oblectatio in terris eſt, ſic & iſtorum in cœlis conuerſatio. Tertia denique, ex habitatione. Ibi enim requies laboris, & ſedes beatitudinis. In ſpe fidelium, ait ille non de terrenâ, ſed de cœleſti promiſſione eſt quæſtio. In ciuitate diuini operis Hieruſalem, D quam & Apoſtolus matrem noſtram ſurſum deſignat, & politeuma noſtrum pronuntians, alicui vtique ciuitati cœleſti deputat. In totum igitur cœleſtes electi, ſicut & in totum reprobi terreſtres. Inde Paulus: Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium, his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis. Quænam illa cœleſtia? Quæ cœlo deſtinata, quæ cœlo digna, quæ in cœlo permanſura. Non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum. Eadem ergo vera, quæ cœleſtia: cætera enim vmbratilia ſunt & imaginaria: electi, tantâ veritate, quantâ & luce prædiri. Homines ergo fideles, ait Aquinas, E gerunt imaginem cœleſtium, in quantum mente conuerſantur in cœlis. Sunt illa ἐπουράνια, ſeu τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, qui patrem inuocant, ſed cœleſtem, qui cœlum ſuſpirant, & ipſum tandem inhabitant.

Quoad ſecundum. Alia ſunt exemplaria, ὑποδείγματα καὶ ἀντίτυπα: alia, ſunt vera: in illis enim ſimilitudines, in iſtis veritates: in illis, delineationes; in iſtis, conſummationes: in illis, terrena; in iſtis, cœleſtia: illa enim vmbræ deſeruiunt cœleſtium, iſta gratiæ & gloriæ ſanctorum proficiunt. Neceſſe eſt ergo exemplaria cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia

Geneſ. c. 22.

Matth. c. 25. & ibi Hieronym.

Tertullian. lib. de cor. mil. cap. 13.

Tertullian. lib. 3. aduerſ. Mar. c. 24.

Aquin. lect. 5.

cœlestia melioribus hostiis quàm istis. Mundanda sunt terrena, mundanda sunt & cœlesta, sed hostiis sibi correspondentibus, vt terrena scilicet terrenis; cœlestia verò tanquam meliora, melioribus etiam hostiis, cœlestibus nimirum mundentur sanctificentúrque. Quomodo mundatum est mundanum terrenumve tabernaculum? mundanis & terrenis hostiis, vitulorum sanguine hircorumque. Quomodo mundandum verum ac diuinum tabernaculum? verâ ac diuinâ hostiâ, per Christum scilicet in cruce immolatum. Antiqua omnia in vmbrâ & figurâ posita, idcirco typica, & ad prototypum ipsum aspirantia; noua, veritatem obtinent, cœlestémque retinent claritatem. B Illic quidem, ait Chrysostomus, corpus extrinsecùs mundabatur, erat enim mundatio corporalis: hîc autem quoniam spiritualis est mundatio, mundatio ingreditur animam; non solùm aspergens, sed etiam instar fontis irrigans. Et in illis quidem ipsam aspergebat superficiem, & qui aspergebatur rursus abluebatur: in animâ autem non sic, sed ipsi essentiæ admiscetur sanguis, ipsam reddens robustam & castam, & deducens ad ipsam quæ explicari non potest pulchritudinem. Quoniam ergo mors videbatur esse res execranda, & maximè ea quæ suscipiebatur per crucem, dicit eam emundasse, idque pretiosâ emundatione, & C quæ erat in rebus maioribus. Propterea præcesserunt sacrificia, propter hunc sanguinem: propterea agni: propterea facta sunt omnia. Quomodo igitur sunt exemplaria eorum quæ sunt in cœlis? Quomodo autem vocat nunc ea quæ sunt in cœlis? Num cœlum, aut Angelos? Nihil horum: sed nostra. Nostra quippe sunt in cœlis, & nostra sunt cœlestia, etiamsi peragantur in terrâ. Nam Angeli quoque sunt in terrâ, sed dicuntur cœlestes: & Cherubim apparuerunt in terrâ, sunt tamen cœlestia. Mundanda sunt omnia, & terrena & cœlestia, Iudaica & nostra: sed illa, talibus hostiis, quæ cutem purgent, mentem non reforment; ista, D melioribus hostiis, quæ veram afferant sanctitatem, & in æternam felicitatem adducant. Non enim in manu facta sancta Iesus introiuit, exemplaria ἀντίτυπα verorum; sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Plurimi quidem, (ita Athanasius) templum existimabant Iudæi, quod Hierosolymis erat, vtpote cui nusquam terrarum aliud nullum par esset, cum pulchritudine, tum & ornatu, tum ædificij varietate & sumptu. Et quoniam præsentibus & corporalibus bonis hi traherentur, iniunxerat Deus vt permagnificum illud construeretur: vnde vel ab vltimis terræ finibus, E templi huius visendi gratiâ, Hierosolymam homines confluebant. Paulus itaque quemadmodum in hostiis & immolationibus egerat, quas penitus ex Christi morte inductione sustulerat: ita hoc loco, cum templo cœlum opposuisset, arguit quanto vtraque hic inter se differant interuallo. Proinde legis Pontifices dicit sancta manufacta adiisse, quæ proculdubio certiora quædam & vera præfigurarent, id est cœlum ipsum: hoc enim certò hæc præferunt sancta. Christum verò cœlum hoc fuisse ingressum: nec solùm ex his differre à Pontificibus legis Christum demonstrat, A sed hunc ipsum nostrum Pontificem Deo fatetur propinquiorem. Nam etsi prisci Pontifices illi per signa quædam Deum videbant, at Christus hunc ipsum spectat & intuetur; & præsens alloquitur, & in faciem illi & vultum apparet. Quid porrò illud, pro nobis? Quia pro nobis Christus cum hostiâ & immolatione est cœlum ingressus.

Chrysost. orat. 16.

Similia congeniis hostiis emundanda.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Cum dicit ille, Cum immolatione, non intelligit nouam, sed antiquam: vnica enim hostia, quæ semel quidem immolata, sed semper repræsentata: semel ad conflandum pretium, semper ad fructum dispensandum. In veteri tabernaculo, ait Ambrosius, Sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare consueuerant: in secundum tabernaculum semel in anno summus intrabat Sacerdos. Quod euidenter ad Hebræos recolens, seriem veteris testamenti explanat Apostolus Paulus. Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron quæ aruit, & postea refloruit, & thymiamaterium. Quò spectat hoc? vt intelligatis quid sit secundum tabernaculum in quo vos introduxit Sacerdos, in quod semel in anno summus Sacerdos intrare consueuit. Semel intrauit Iesus, semel introduxit: vnâ enim oblatione, vnâ immolatione, & æternam adiit claritatem, & acceptam distribuit æternitatem. Nunc enim in cœlo: vt appareat, neque sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Mundati sunt igitur electi, & in æternum mundati, vt qui in cœlum sublimandi. Sed quando? In consummatione seculorum, in vltimâ mundi ætate, in ipsâ mundi senectute, in quâ per hostiam suam seu per humanam naturam visus est, per quam & crucifixus; vt peccatum destitueret, ipsúmque virtute antiquâ seu vsurpatâ spoliaret tyrannide. Potuit quidem ille per hostiam suam apparere, ab ipsa mundi constitutione, sed noluit: tum vt gratia Saluatoris requireretur, pro legis impotentia; cum vt via sterneretur, per figuras & Prophetias: denique, vt mundo senescenti, & incurabili morbo laboranti, talis mitteretur medicus, tam salutaris tamque peritus, vt non solùm præcedentia sanaret mala quanquam desperata, sed & subsequentia quanquam iam enata cohiberet; qui non solùm præsentaneam conferret sanctitatem, sed & in æternam felicitatem perduceret. Ipse enim mundat, dum emundationem seu sanctificationem non inchoat solùm, sed & consummat, imò & in æternum confirmat: non enim incipit tantummodo, sed & sanctitatem puritatémque largiri, & in cœlis impertiri non desinit. Vides, ait Chrysostomus, quàm multæ sint differentiæ. Semel differt à sæpè. Quòd in sanguine intrarit proprio, differt ab ingressu in alieno. Multum interest. Ipse ergo est sacrificium & Sacerdos & hostia. Nam si hoc non esset, & multa offerre oporteret sacrificia, sæpè oporteret crucifigi. Nunc autem semel in consummatione seculorum.

Ambros. lib. 4. de Sacra. cap. 1.

Cur Christus non tam citò missus.

Chrysost. orat. 17.

rum. Quamobrem in consummatione seculorum ? post multa peccata. Quoniam ergo ab initio multa fuerunt peccata, meritò tunc apparuit.

ANIMADVERSIO XI.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori &c.

CVr Christus plus quàm semel crucifigatur, cum quiuis homo non plus quàm semel moriatur? Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Secundò, sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. Paucula verba, sed plura mysteria, & pluribus inquisitionibus, & obseruationibus euoluenda.

Primò igitur cur ait Apostolus, statutum hominibus semel mori, cum multi sint virbij, vt pluries mortui? Nec enim aliquos excipit Paulus, cum illos omnes & singulos vtpote mortales opponit Christo, semel duntaxat, & non vltra mortuo. Sic & Christus semel oblatus est. Semel tantùm mortuus, semel tantùm crucifixus. Respondeo primò, Apostolum loqui de publico damnatæ naturæ supplicio: vni enim illa morti adiudicata est, nec post exitum reuocanda ad supplicium. In quocumque die comederis, morte morieris. Vna natiuitatis ianua est, vna & mortis clausula. Inde mortem finem omnium quæstionum definit Tertullianus, aitque: publicâ totius generis humani sententiâ, mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox: hoc spopondit omne quod nascitur: vt iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere; sed hæretici magis Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modò non pertinere, verùm nec peruenire. In hoc scilicet se à supernâ & arcanâ potestate legatum, vt immortales, & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induerint. Decretum igitur illud nititur mortis merito, nec supplicium exigitur persoluto damnationis debito. Secundò, intueri communem hominum mortalium consuetudinem, quæ nusquam præscribit aduersùs diuinam potestatem; nec impedit quominus aliquos sine morte perducat ad beatam immortalitatem; alios ad miseram ex morte reducat mortalitatem. Statutum est semel mori. Quod quidem, vt resoluit Aquinas, verum est de communi consuetudine, licet aliqui fuerint resuscitati, qui postea mortui sunt. Tertiò, Paulum sibi satis adesse, satisque sententiam suam munire ac tueri. Statutum est hominibus semel mori, posthac autem iudicium. Loquitur ergo de illâ morte, quam subsequitur iudicium, seu de quâ non iam ad mortem, sed aut ad æternam damnationem, aut ad æternam resurgitur, pro malis aut bonis meritis felicitatem. At illa sanè vnica est, & consignata tumulo, & iudicio reposita. Causam explicat, ait Athanasius, cur semel obierit Christus, quia vnam, inquit, mortem redemit. Erat namque hominibus sic præstitutum, vt semel morte naturæ concederent, vnde & semel ille pro cunctis est mortuus. Et quoniam vniuersos erat mors complexura, propterea è vitâ ille extedere voluit, vt morte nos liberaret. Immò significare hîc nititur Apostolus, eam Christum fuisse mortem perpessum, quæ nobis esset in supplicium dedita. Verumtamē cum illi in Deo accederet vera humanitas, quemadmodum semel homines moriuntur, deinceps & iudicium sequitur, sic & ille semel est vitâ perfunctus. Semel ille obiit, tum & ad vitam æternam, tanquam Dominus, non iudicandus, sed iudicaturus resurrexit.

(Margin: Genes. 2. 17. — Tertull. lib. de anim. cap. 50. — Publica vnius mortis in humanū genus sententia. — Aquin. lect. 5. — Athanas. in Paulum.)

Secundò, cur dixit, Christum semel oblatum ad peccata multorum exhaurienda, cum vnâ oblatione peccato non omnia solùm, sed & omnium aboleuerit? Est enim propitiatio pro peccatis nostris, sed & pro totius mundi, vnde Isaias: Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Cur igitur Apostolus, multorum dixit, & non omnium? Respondeo primò, multos & omnes non opponi, vbi omnes sunt multi, & multi sunt omnes. Ita Augustinus Iuliano. Cum verò multos, ait, non vis intelligi omnes; ideò existimans fuisse dictum à Paulo, Multos, ne omnes intelligerentur, poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes non omnes gentes ei fuisse promissas, quia dictum est alio loco, patrem multarum gentium genui te. Est autem sanus intellectus, ideò sic locutam Scripturam, quia possent esse aliqua omnia, quæ non sunt multa. Sicut omnia dicimus Euangelia, & tamen breui numero, id est quaternario continentur. Et rursus possunt esse aliqua multa, non tamen omnia. Sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt: Non enim omnium est fides, ait Apostolus. Quod autem dictum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes: & Patrem multarum gentium posui te: easdem omnes, multas, & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cum dictum est: per vnum in omnes transisse peccatum: & postea, per vnius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi qui & omnes. Similiter cum dictum est: per vnius iustificationem in omnes homines, ad iustificationem vitæ. Et rursus dictum est, per vnius obedientiam iusti constituentur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi: non quia omnes homines iustificantur in Christo, sed quia omnes qui iustificantur, non aliter possunt iustificari quàm in Christo: ex primâ enim origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam nisi ad mortem: & nemo ad vitam, nisi per Christum; & nemo per Christum, nisi ad vitam. Secundò, multos esse, quorum non sunt exhausta peccata, sed solum originis vitium. Cum enim, ait ille, dicuntur omnes ex vno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex quâ fiunt à figulo, alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam; alia in contumeliam, id est, quæ ad luendum debitum relinquuntur: vt filij gratiæ id sibi donari sciant, quòd si exigeretur, non esset indebitum. Tanta est igitur illa Christi oblatio, tantæque virtutis, ac tanti pretij; vt non solùm multis maculam

(Margin: Isai. c. 53. — August. lib. 6. contr. Iul. cap. 24. — Multi & omnes nō semper oppositi. — August. lib. 2. op inch. num. 128.)

culam abſterſerit innatam, ſed & multis aliis peccata omnia, id eſt, quæ non ſolùm origine vitioſa, ſed & quæ propriâ voluntate contracta ſunt, abſterſerit. Tulit namque Christi gratia originalis peccati reatum, ſed rem inuiſibilem inuiſibiliter tollit: dimittit enim cuncta peccata, quæ homines malè viuendo inſuper addiderunt: iudicium quippe ex vno delicto in condemnationem, quia & vnum illud quod à naſcentibus trahitur, ad æternam damnationem eſt, ſi non remittatur. Non talem hoc ſolum gratia dimittit, ſed cum ipſo dimittit & cætera. Tertiò denique, obuio ſenſu ac plano intellectu capiendum Apoſtolum: non enim erant iuſtificati, non omnes glorificati, qui potius plures dicendi quàm omnes: ſunt enim oues Chriſti, ex quibus plurimi non ſunt; ideóque nec inter ſaluandos prædeſtinatóſve computandi. Fides pugnat, ait Auguſtinus, & quando fides, carnem nullus expugnat. Quia etſi laniatur, etſi laceratur: quando perit, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt? potens homo non poteſt perdere quod emit auro ſuo, & Chriſtus perdit quod emit ſanguine ſuo? ſed hoc totum non ad hominis, ſed ad Dei gloriam referatur. Sunt igitur & alij multi, imò & plurimi: Quibus, vt & ille dixit, vulnera ſua demonſtraturus eſt Chriſtus, non vt eis dicat ſicut Thomæ quia vidiſti credidiſti, ſed vt conuincens eos veritas dicat ecce hominem quem Crucifixiſtis, ecce Deum & hominem quem credere noluiſtis, videtis vulnera quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis, qui non eſtis redempti pretio ſanguinis mei, non eſtis mei. Itaque, vt concludam ex Aquinate: Mors noſtra eſt effectus peccati: ſed mors Chriſti eſt deſtructiua peccati. Ideò dicit Apoſtolus, ad multorum exhaurienda peccata, id eſt remouenda. Nec dicit, omnium, quia mors Chriſti, etſi ſit ſufficiens pro omnibus, non tamen habet efficaciam, niſi quantum ad ſaluandos: virtus Dei, & Chriſti eius infinita eſt, nec vllo contenta termino, ſed ſicut Deus creauit quos voluit, ſic & Chriſtus vocauit ad ſe quos voluit, iuſtificauit, glorificauit.

Auguſtin. lib. 2. op. inch. n. 97.

Auguſtin. ſerm. 8. ex patiſ. cit. med.

Aquin. lect. 5.

Tertiò, dixerat Apoſtolus ſtatutum hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata. Verùm, Secundò, ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem. Semel quidem mortuus eſt, ſed non ſemel repræſentandus eſt: ſicut enim, homini mortuo reſtat adhuc comparere & de factis ſuis iudicari, ſic & Chriſto paſſo reſtat apparere & dominari in medio inimicorum ſuorum. Quid igitur, ſecundo? altero aduentu & vltimo. Sed inter primum & ſecundum, triplex diſcrimen obſeruandum. Primum, quod vnus fuit cum peccato quod tolleret, alter ſine peccato quod exſolueret. Quomodo apparuit in primo? Per hoſtiam ſuam. Ideò enim mortalis apparuit,

A ideò in ſimilitudinem carnis peccati, quia factus hoſtia pro peccato, quia peccatorum noſtrorum ſarcinâ oneratus & debito. Quomodo apparebit in ſecundo? Sine peccato. Ideò immortalis apparebit, ſedebitque in ſede maieſtatis ſuæ, non iudicandus iam, ſed iudicaturus regnaturuſque. Statutum eſt quippe, ait Ambroſius, hominibus ſemel mori: & poſt mortem iudicabitur vnuſquiſque ſecundùm merita ſua. Sic & Chriſtus ſemel mortuus eſt pro peccatis alienis. Et ideò quia voluntariè, & non neceſſariè mortuus eſt pro peccatis alienis. Et B ideò quia voluntariè, & non neceſſariè mortuus eſt, dicitur oblatus. Secundo verò aduentu apparebit ſine peccato. Omnis quippe hoſtia pro peccato, dicitur peccatum. Non enim erit tunc hoſtiâ pro peccato, quia peccatum non erit; ſed iuſtitia, ſiue in remuneratione iuſtorum, ſiue in retributione peccatorum. Alterum, quod vnus fuit in ſpem, alter in ſalutem: per primum enim appropinquauit regnum Dei, per ſecundum regnum Dei confeſtim manifeſtandum eſt. Secundo, apparebit in ſalutem. C In primo, ſaluti viam aperuit, in altero ſaluabit electos ſuos & integrós, quibus & immortalitatis quoad carnem & felicitatis quoad mentem, copiam præſtabit æternam. Tunc ergo deſtituetur peccatum, cum reſtituetur homo totus, ſicut antè peccatum; cum mors in æternum morietur, & vnum tam æternæ quàm beatæ vitæ regnum ex omnibus conſtituetur credentibus. Si in cælos aſcendit Chriſtus, ſimul aſcende: (verba ſunt Gregorij Nazianzeni) conſtantibus vel excipientibus Angelis te adiunge. Portis, vt attollantur ac ſublimiores fiant, impera, quò Chriſtum à paſſione ſubli- D miorem capiant. His, qui propter corpus & paſſionis ſigna, quæ in deſcenſu non allata, ſecum aſcendens tulit, mente dubiâ & ancipiti ſunt, atque ideò percunctantur, Quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſponde, Dominus fortis & potens, cum in iis omnibus, quæ ſemper fecit, & facit, tum in præſenti bello ac trophæo, pro humanâ naturâ erecto. Attollendæ igitur portæ, quia totum corpus electorum ſeu ſaluatorum cum Chriſto ſuo inducendum, & cum gloriâ recipiendum ac magnificentiâ. Tertium, quod vnus apparuit dormientibus, alter appa- E rebit vigilantibus, patienter, perſeueranterque expectantibus. Apparebit expectantibus ſe. Sicut enim incredulis & impiis apparebit quidem, ſed in damnationem; ita credentibus ſperantibuſque in ſalutem apparebit. Apparebit ſecundo, qui ſemel obiuit; (ita Athanaſius) ſed vt iudex adueniet ſaluti futurus ſe expectantibus. Id eſt, in ſe cum ſpem tum fidem habentibus, operientibus illius aduentum, pro cuius dignitate duxerint & vitam. Iis maximè ὀφθήσεται, manifeſtus erit ac conſpicuus, qui videbunt Chriſtum ſicuti eſt; qui videbunt non ſolùm in formâ ſerui, ſed & in formâ Dei: qui videbunt non in quem pupugerunt, ſed in quem crediderunt.

Ambroſ. in Paulum.

Gregorius Nazianzen. orat. 42. vlt. med.

Cur attollendæ ſint cælorum portæ.

Athanaſ. in Paulum.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Summa.

MInisterij Mosaici demonstrat insufficientiam, sacrificij Christiani redundantiam: ad constantiam inuitat & patientiam.

TEXTVS.



MBRAM enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinentes, numquam potest accedentes perfectos facere: alioqui cessassent offerri: ideò quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Vt faciam Deus voluntatem tuam. Superiùs dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti: nec placita sunt tibi, quæ secundùm Legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat. In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vnâ enim oblatione, consummauit in sempiternũ sanctificatos. Cõtestatur autẽ nos & Spiritus S. Postquam enim dixit Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, post dies illos, dicit Dominus, dando Leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque Fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est qui repromisit) & consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum: non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magis, quanto videritis appropinquantem diem. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens Legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis

deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſactificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: & in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem, ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit. Iuſtus autem meus ex fide viuit: quòd ſi ſubſtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

A

EXEGESIS LITERALIS.

CHRISTVS vno crucis ſacrificio nos reconciliauit Patri, & conſecrauit ſanctitati; in quâ firmiter perſtãdum eſt, & pro quâ cõſtanter quiduis tolerandũ.

Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere &c. Apparebit Chriſtus in ſalutẽ: Domini enim eſt ſalus: nec à Moyſe expectanda, nec à Lege antiquâ: in Lege quippe illâ veteri totâ ferè ceremoniali, vmbra quidem erat bonorum ſpiritualium, cæleſtiumve non autem rerum ipſarum ſubſtantia. Vnde nec mirum ſi per ſingulos annos eaſdem hoſtias iugiter repetat, nec vnquam accedentes offerenteſve perfectos ſeu iuſtos faciat: imò dum ſemper iterat, euidenter demonſtrat tentare ſe potius quàm præſtare. Alioquin ceſſaſſent offerri: ideò quòd nullam haberent vltrà conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum, per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata &c. Certè ſi potuiſſent ſacrificia illa animam iuſtificare, aut mundare conſcientiam, ceſſare debuiſſent: vt quid enim repetantur, ſi iuſtificationis effectum, ſeu fructum ſanctificationis, in cultoribus ſuis ſacrificantibuſve conſequuntur? Sed in ipſis ceremoniis, accuſatio quidem peccatorum eſt, non tamen purgatio. Quî enim fieri poteſt, vt ſanguine ipſo brutorum animalium mundetur conſcientia & vera concilietur iuſtitia? Impoſſibile, ex conditione oblatorum. Quod verum eſt, ait Aquinas, propriâ virtute. Sed ſi alicui dimittebantur, hoc erat virtute ſanguinis Chriſti, qui in illo præfigurabatur. Ex fide ſcilicet ac ſpe in Chriſtum venturum. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti? corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Vt faciam Deus voluntatem tuam &c. Quoniam igitur infirma erant ſacra illa ac inualida: Chriſtus naturam aſſumens humanam, cauſam aduentûs ſui declarat apud Prophetam, dum imbecillitatem & infirmitatem veterum accuſat ſacrificiorum: demonſtrátque præſentiam ſuam planè neceſſariam, vt apprimè ceremoniis illis, tandem reprobandis abrogandiſque, adumbratam. Superiùs dicens: Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm Legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel &c. Cum enim hæc, quæ ſuperius relata ſunt, dixit Chriſtus, paratumque ſe ad nouum ſacrificium, per ſe, Deo Patri gratiſſimum: primum, id eſt Moſaicum abrogat, vt ſecundo, id eſt ſuo locum faciat: hæc quippe diſpoſitio diuina, hæc æterna conſtitutio; vt electi ſanctificarentur per oblationem corporis Chriſti ſemel factam, & per ſanguinem crucis mundaretur. Quid illud eſt primum? (ait Athanaſius.) Sacrificia & immolationes. Quid verò ſecundum? Patris voluntas, id eſt; Chriſti corporis per crucem immolatio. Eiiciuntur itaque priora illa, vt confirmetur quæ fit per Chriſti mortem oblatio; quam voluit quidem & acceptam habuit Pater. In quâ Patris voluntate, per Chriſti corporis oblationem ſumus ſanctificati, quæ ſemel effecta ſit. Credentes namque nos & fideles ex vnigeniti oblatione ſanctificati, hanc ipſam ſumus, Patre volente, ſanctificationem adepti.

B

C

Lex vmbra, non ipſa verorum cauſa bonorum.

Aquin. Lect. 1.

Athanaſ. in Paulum.

Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dexterâ Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vnâ enim oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos &c.

&c. Nec solùm per singulos annos sumus Pontifex, sed & per singulos dies quiuis Sacerdos astat ministrátque, ministerium suum repetens, & easdem sæpè offerens hostias, vtpote peccatis abluendis inualidas: Christus autem, vnâ hostiâ semel in remissionem peccatorum oblatâ, tanquam finem sui officij, conquiescit; æternámque dignitatem, ac summam sibi asserit potestatem: de reliquo, regnum suum prouehens, & inimicam atterens potentiam, donec cedat in totum, & in æternum euanescat. Cur enim vltra laboret, aut ministret cum per vnicam oblationem, de se tam acceptam, quàm & sufficientem, opus suum B absoluerit, sanctificatos, sanctificandósque, ἁγιαζομένους, eos omnes qui iustificandi erant ac sanctificandi, in æternum, perfecerit. Si ergo, (vt concludit Chrysostomus) remisit peccata per vnum sacrificium, non est amplius opus secundo: vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Tanta vis est crucis, cruentive sacrificij. Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando Leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iàm C non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato &c. Ipse Spiritus sanctus, ea quæ iam à nobis dicta sunt, suo probat testimonio. Nonne enim prædixit per Ieremiam Prophetam, in nouo testamento, non solùm Legem inscribendam mentibus, sed & remissionem credentibus indulgendam? Vbi autem peccatorum omnium abolitio, iam vacat cessátque oblatio pro peccato, pretio scilicet persoluto. Habentes itaque Fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ; & abluti corpus aquâ mundâ &c. Nunc ad paræneism. Cum igitur iam nobis acquisita sit per Christi sanguinem sancta cælestia ingrediendi fiducia: ea enim via est, quàm recenter permanentérque statuit Christus, primus cælum ingressus, nobísque aditum patefecit perpetuum, per carnem suam, sanctuarium velamen, ipsum tamen morte seu scissione reuelantem. Cum tanta, inquam, nobis, per Christum Sacerdotem magnum, fidelémque diuinæ dispensatorem familiæ sincerè contendamus ad E sancta consistamúsque plenâ fide, ac spe certissimâ: mundantes conscientiam, non legalibus aspersionibus, sed gratia diuinâ, & in munditiâ per lauacrum sacrum acceptâ perseuerantes. Teneamus fidei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est qui repromisit) & consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum: non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis,

Chrysost. orat. 18.

Quanta nobis per Christum acquisita sit fiducia.

A iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Teneamus eam spem, quam in baptismo testificati sumus, nec in proposito per diffidentiam titubemus: dabit enim Deus fideliter, quod liberaliter repromisit: & spectemus considerémúsque inuicem ad excitandum studium charitatis, pietatísque officium: Christianum cœtum non deserentes, vt solent quidam audentque, sed potius vos mutuò consolantes confortatésque; & tanto instantius constantiúsque, quanto certius cognoscitis accelerare supremum magísque ac magis appropinquare iudicium. Si enim ab acceptâ recedamus veritatis notitiâ, si collectionem deseramus abiiciamúsque professionem, nulla nobis residua est hostia, quasi pro nouis peccatis iteranda: sed formidabilis quædam damnationis sententia, & ignis pœna, impios, inimicósve deuorantis, reposita. Hostia, inquit, vltra non est: hoc est, vt exponit Ambrosius, crux secunda vltrà non est. Vnicâ namque oblatione perfecit in perpetuum eos qui sanctificatur, non sicut Iudaicæ: cautos nos volens efficere, ne vltra vel crucem Christi, vel hostias Iudaicas expectemus pro peccatis.

Irritam quis faciens Legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est & spiritui gratiæ contumeliam fecerit &c. Si quis abiecerit Legem Mosaicam, & ad Deos transierit alienos, sub duorum vel trium testimonio, indubitato addicitur exitio: quanto grauiore & acerbiore dignus habebitur supplicio, impius ille qui Dei filium citauerit per contemptum, sanguinem quo nouum sanctium est testamentum velut immundum reputauerit, cuius D iam virtute mundatus fuerat, & à peccatis suis emaculatus, denique Spiritum sanctum cum probro proiecerit, & opprobrio? Qui enim accepta beneficia non rectè dispensat, beneficum proculdubio afficit contumelia. Venerat ille apud te mansurus, tu verò pro eo diabolum admisisti, Et hoc est Spiritui gratiæ iniuriam inferre. Ita Commentator Athanasianus Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis &c. Nouimus, cuius illa vox sit, Vindicta mihi reseruata: & ego reddam rependamque. Et cuius sit illa comminatio, Iudicium exercebit Dominus in populum suum. Audite & attendite. Quis enim non timeat, imò quis non horreat iudicari ab illo, cuius tam inflexibilis iustitia est, quàm vita immortalis? Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam &c. In memoriam re-

Ambros. in Paulum.

Comment. Athanas.

uocate priora conuersionis vestræ tempora A quando fidem fessi ac baptizati, dura sustinuistis persecutionum tribulationúmque certamina: partim quidem opprobriis palam expositi, partim verò talia ferentium participes per mutuam sympathiam effecti. Nam & iis qui pro Christi nomine vincti erant, compassi estis, & direptionem facultatum vestrorum non solùm patienter tulistis, sed & hilariter. Cur enim non contemnatis substantiam terrenam, cum sciatis non caducam sed æternam vobis in cælis esse repositam? Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt B voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem &c. Itaque, ne abiiciatis, neque excidere finatis tantam fiduciam, quæ magno muneranda est præmio; sed constanter pergite: patientia enim vobis planè necessaria est; vt cum secundùm rectam Dei voluntatem perseueranter sustinueritis, promissam recipiatis hæreditatem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide viuit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ &c. Sed longum adhuc tempus restat. Imò modicum, & valdè modicum. Adhuc paululum sustinete, & statim apparebit ille qui venturus expectatur: proculdubio non tardabit. Iustus autem meus fide viuit, spéque animam suam in mediis malis erigit ad constantiam: quod si defecerit, sesequè subduxerit, iam iniustus erit, mihique displicebit. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed filij in acquisitionem animæ. Nos verò non sumus ex iis qui se subducunt ex ignauià in perditionem suam, sed ex iis qui ex constantià fideliter fortiterque omnia ferunt ad æternam salutem. Hoc propheticum testimonium, ait Ambrosius, intulit Apostolus, ad exhortationem fidei. Sicut displicebit qui dubitat, ita qui crediderit, viuet in fide suà rectà. Quapropter credamus venire velociter iudicem Christum, & præparemus nos obuiam in bonis actibus, ne simus subtractionis filij à luce sempiterna, sed acquisitionis in gloriam cum sanctis, in die magno, audientes vocem desiderabilem, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi.

Patientia promissis obtinendis necessaria.

Ambrosi. in Paulum.



DILVCIDATIONES
in caput Decimum



QVID vobis non attulit Christus, aut quæ bona per vnicum non contulit sacrificium? Quid porrò Lex per tot sacra & sacrificia? Vmbram, non ipsam verorum bonorum substantiam: adeò indigens, adeò impotens. Sit ergo

DILVCIDATIO I.

De indigentià.

INdigentem dixi, nedum insufficientem. Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Tota ille ferè in ceremoniis posita, tota in figuris, quæ multum promitterent, nihil tamen exhiberent. Quid igitur vmbra, quid bona futura?

Quoad primum, vmbra, rudis delineatio corporis est, nec aliquid certum continet aut solidum, sed certi potius ac solidi priuatio, nudam exhibet corporis apparentiam. Inde vmbras dicimus, Tenues sine corpore vitas, caua sub imagine formæ volitantes. Corpora nimirum inania, quæ prospicimus, vt leues nebulas, laruasque volatiles. Par leuibus ventis, volucrique simillima somno. Ex iis prima imaginis delineatio, quasi nata à corporis adumbratio. Quid enim vmbra, nisi naturalis pictura, sed adhuc rudis & impolita. Nam, vt dixit Chrysostomus, quandiu quidem tanquam in pictura circumagit quispiam colores, est quædam vmbra. Postquam autem florem quispiam deleuerit, & colores illiuerit, tunc fit imago. Quid ergo Lex? Vmbram habet, picturam habet: sed virtutis eget ac roboris. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd Apostolus ex conditione & ritu veteris Legis concludit ipsum defectum. Per peccatum quippe fit priuatio futurorum bonorum, ad quæ se habet Lex vetus, sicut vmbra ad corpus. Exhibet enim repræsentationem, sed virtutem non continet. Exemplaria, ait Chrysostomus, solum habent typum, non virtutem. Quomodo in imaginibus figuram hominis habet imago, non virtutem. Quo fit vt verum & figura habeant inter se aliquid commune: par est enim figura, virtus nequaquam. Erat igitur & par typus: erant enim sancta: virtus autem, & alia non eadem. Erat itaque id quod fiebat, accusatio infirmitatis, non ostensio virtutis. Sunt Sacramenta, sunt sacrificia, imò propè innumera, sed vmbratilia, sed inefficacia: imò quo maiora numero, eò minora merito: sicut enim in vmbrà, quò maior apparentia est, eò minor efficacia: sic & quo quantitas amplior sacrificiorum, eo euidentior infirmitas In hoc ergo tota Lex posita, quod futura bona subobscurè & imperfectè delinearet, at ipsa neutiquam præstaret: non enim continebat præsentia, sed futura tantummodò promittebat.

Chrysost. orat. 17.

Aquin Lect. 1.

Chrysost. in Mot.

Antiqua quo numero p.ur, eò mi. nora merito.

Quoad secundum, Imago opponitur vmbræ, vnde concluditur imaginem non esse inanem, sed in se virtutem, certamque continere efficaciam. Non negarim, imaginem sumi posse pro figurà, parabolà, allegorià. Non admittetur, exemplorum adæquatio, licet imagini congruentissima, si fuerit saluti nocentissima: elisa est enim verissimè. hoc magis modo tota substantia sacramenti. Per imaginem nimirum intelligit adumbrationem seu repræsentationem, sed inanem, cui propterea totam opponit sacramenti

Tertullian. lib. de pudic. cap. 9.

menti substantiam. Possunt tamen coire veritas & imago, similitudo & realitas possunt conuenire. Ita ille de prophetiâ Ezechielis: Hanc quoque, inquit, prædicationem scio qualiter concutiant in allegoriæ argumentationem. Non tamen posset de ossibus figura componi, si non idipsum & ossibus eventurum esset. Nam etsi figmentum veritatis in imagine est; imago ipsa in veritate est sui; necesse est esse priùs sibi, quo alij configuretur. De vacuo similitudo non competit: de nullo parabola non conuenit Et ad ipsos imperij Romani Consiliarios. Vnde hæc, oro vos, Philosophis aut Poëtis tam consimilia? non nisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, vt de prioribus: ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt. Si de suis sensibus, iam ergo Sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet: numquam enim corpus vmbra, aut veritatem imago præcedit. Nec conuenire solùm possunt, sed & in vnum concurrere suppositum: Quasi, ait Tertullianus, non & figura, & similitudo, & effigies substantiæ quoque accedant. Benè autem quod & alibi Christum, imaginem Dei inuisibilis appellat Apostolus. Nunquid ergo & hîc quà in effigie eum Dei collocat? Æquè non erit Deus Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus. Vtrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies & similitudo & figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie & imagine, quà filius Patris verè Dei prædicatus est, etiam in effigie & imagine hominis, quà filius hominis, verè hominem inuentum. Et aduersus Praxeam. Vacua & inanis res est sermo Dei, qui filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est, Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo? Hic certè est, qui in effigie Dei constitutus. In quâ effigie Dei? Vtique in aliâ non tamen in nullâ. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in suâ effigie. Igitur stat imago cum ipsa substantia: imò constat imaginem nonnunquam esse ipsammet substantiam: nihil enim aliud corpus, Stoicâ linguâ, quàm ipsamet substantia. Illic ergo, quando imaginem audis, (ita Basilius) splendorem gloriæ intellige. Quis verò est splendor ille, & quæ gloria? Ipse hoc statim Apostolus exponit, dicens, & character substantiæ. Ad hunc modum quæ de imagine dicuntur magnificè ac Deo competenter sumpto, diuinitatis nobis vnitatem commendant.

Tertullian. lib. de resur. car. cap. 30.

Tertull. c. 47. Apol.

Imago & veritas in vnum concurrunt suppositum.

Tertullian. l. adu. prax. cap. 7.

Basil Hom. cont. Sabel. & Adrian.

Quoad tertium. Duo mala incurrimus, iniquitatem in mente, mortalitatem, in corpore: idcircò duo nobis bona sunt expectanda, duobus malis opposita: sanctitas in mente, immortalitas in carne: sed à quonam expetenda sunt aut expectanda? Cum longè esset à nobis immortalis & iustus, (verba sunt Augustini) tanquam à mortalibus & peccatoribus, descendit ad nos, vt fieret nobis proximus ille longinquus. Et quid fecit. Cum haberet ipse duo bona, & nos duo mala: ille duo bona, iustitiam & immortalitatem: nos duo mala, iniquitatem, & immortalitatem? Duo attende: Iustus est, immortalis est. In duobus tuis malis, vna est culpa, altera est pœna. Culpa est, quòd iniustus es: pœna est, quòd mortalis es. Ille vt esset proximus, suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam. Et si suscepit, delendam suscepit, non faciendam. Suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam deleuit & pœnam. Mala quidem nostra iã inceperunt ab Adamo, bona verò nostra, non nisi à Christo speranda: ab Adamo enim peccatores facti sumus omnes, & inde mortales, damnati, mente ac carne deprauati; à Christo autem, iusti constituimur, dum efficimur Christiani, & inde non solùm auspicamur salutem, sed & in spem felicitatis inauguramur immortalitatisq; Quid ergo futura bona? quæ excludunt mala præterita, quæ Legem fugiunt, & Christum ipsum mediatorem tangunt auctoremque. Quid enim Lex? Vmbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Infirma vmbratilis, inanis, & vacua. In Christo, imago est, corpus est, seu ipsa sperandorum bonorum substantia. Ita Paulus agens de ceremoniis Mosaicis. Quæ sunt, inquit, vmbra futurorum, corpus autem Christi. Tantum ergo distat inter veterem legem & nouam seu Christianam, quantum inter vmbram & corpus, seu quantum inter rudem delineationem, & ipsammet rei substantiam. In Lege enim veteri bona salutis & felicitatis præmia subostensa sunt in vmbris ac figuris, non tamen præstita: sed in nouâ Lege, non solùm promittuntur, sed & conferuntur: nunc enim gratia datur, & gloria; nunc sanctitas imprimitur menti, & immortalitas carni non repromittitur solùm, sed & præfigitur: qui enim carnem manducat immortalem, iam delibat immortalitatem. Est ergo Lex vmbra veritatis, sed egena sanctitatis, quia virtutis vacua: gratia enim & veritas, iustitia & immortalitas à Christo, qui sic imago Dei est, vt sit & ipse Deus, non solùm iustus, sed & iustificans, non solùm sanctus, sed & sanctificans. Fides enim, vti dixit Basilius, quæ erat in Mosem, & in nube, velut vmbra fuit & figura. Est enim figura rerum expectandarum adumbratio, rectè præmonstrans quod futurum est. Velut Adam figura erat futuri, & Christus figuratè dictus est lapis, & aqua promanans è petrâ, figura erat viuificæ potentiæ Verbi. Et manna typus erat viui panis, qui de cælo descendit; & serpens pro signo positus, typus erat salutiferæ passionis per crucem consummatæ. Ceterùm, mare & nebula ad præsens quidem tempus, inducit ad fidem admirationis, ad futurum autem tanquam typus venturam gratiam præsignauit. Sunt igitur futura bona, quæ ventura; quæ tandem à Christo collata ac conferenda. Nunc enim res ipsæ & veritates, quæ iam inchoatæ sunt in hoc seculo, & in futuro consummandæ.

Augustin. serm. 37. de verb. Dom. cap. 3.

Coloss. c. 2.

Nunc datur gratia & gloria prælibatur.

Basil. lib. de Spi. sanct. cap. 14.

DILVCIDA

DILVCIDATIO II.

De impotentia.

PArùm sit Legem fuisse insufficientem, quid verò remittendis impotentem peccatis? Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Quid igitur? actum est de salute Iudæorum, cum ita constitutum sit de remissione præcedentium peccatorum? Nec interest, siue cum Græcis legas, Impossibile est auferre peccata. Siue cum Latinis, auferri peccata. Etsi enim alia flexura, eadem tamen sententia. Tria igitur elucidanda sunt primum, cur Paulus sanguinem taurorum & hircorum speciatim iniiciat: Alterum, quam prætendat impossibilitatem: tertium, quam spem salutis Iudæis relinquat.

Quoad primum. Solemnem elegit Apostolus expiationem, vt si ostendat illam esse peccatis expiandis impotentem, facilè ac promptè de ceteris concludat sacrificiis. Ita igitur in Leuitico de summo Pontifice. Non ingrediatur sanctuarium, nisi hæc antè fecerit. Vitulum pro peccato offeret: suscipiétque ab vniuersa multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro se & pro domo suâ, duos hircos stare faciet coràm Domino in ostio tabernaculi testimonij. Cumque mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intrà velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, vt aspergat è regione oraculi, & expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Supplex quidem hostia, sed simplex figura. Sic enim, (ex Tertulliano) & duorum hircorum, qui ieiunio offerebantur, faciam interpretationem. Nonne illi vtrumque ordinem nominis Christi, qui iam venit ostendunt? Pares quidem atque consimiles, propter eundem Domini conspectum; qui non aliâ venturus est formâ, vt qui agnosci habet à quibus & læsus est. Vnus autem eorum circumdatus coccino, maledictus, & computatus, & omnibus contumeliis afflictus, extra ciuitatem crucifixus est. Alter verò pro delictis oblatus, & Sacerdotibus tantùm templi in pabulum datus, secundæ repræsentationis argumenta signabat: quâ delictis omnibus expiati Sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiæ, Dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur, ieiunantibus ceteris à salute. Si igitur tam solemnis expiatio, rudis tantùm fuit peccatorum remittendorum adumbratio: si nuda beneficij figura fuit, non ipsa rei substantia: quid de ceteris pronuntiandum sperandumve sacrificiis, quæ minoris cultûs, minoris apparatûs, minoris & effectûs? Ita apud Michæam. Quid dignum offeram Domino? Numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Hæc omnia licet in immensum, licet in infinitum aucta, Deo digna non sunt; ideóque nec eius

Leuit. c. 16.

Tertullian. lib. aduers. Iud. cap. 14.

Solemnis expiatio rudis tantùm adumbratio.

Mich. cap. 6.

A placare iustitiam possunt, nec impetrare misericordiam. Non enim, vti monet Tertullianus, eget Deus conditor vniuersitatis, odoris aut sanguinis alicuius: hæc enim Dæmoniorum pabula sunt. Quid ergo, Taurorum & hircorum? Id est, sicut nullo thuris, odore, sic & nullius prorsus animalis pecorisve sanguine: omninò veteris Legis seu sacrificio, seu ministerio.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. 2.

Quoad secundum. Impossibilitas ista absoluta non est, nec tamen difficultas subroganda: sed impossibile Paulus dixit, quod Deus non constituit; quod si tamen instituisset, non solùm possibile reddidisset, sed & B facile. Sine pompâ, ait Tertullianus, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumptu homo in aquâ demissus, & inter pauca verba tinctus. Si igitur aqua delicta diluit, quia ad hunc effectum à Deo est in baptismo instituta: æque sanguis taurorum & hircorum peccata deleret, si Deus ita decerneret. Spectat igitur conditionem oblatorum, id est, hircorum & vitulorum sanguinem; qui diuinâ quidem institutione posset quicquid esset constitutum circa remissionem peccatorum: propriâ autem virtute, nihil potest, quia nihil est institutum. Cum enim remittere peccata non possit nisi solus Deus: id solum valebit, quod C ad hunc effectum destinarit: Cetera computanda non sunt vtpote inualida, imò computanda sunt inter impossibilia. Ex oblatorum igitur vtilitate, vt loquitur Athanasius, & morbi ipsius magnitudine, dicta sua confirmat Apostolus. Perinde ac si quispiam medendi peritus, si elephantico morbo affecto cuiquam in medelam dari linostosam herbam perspexerit, dicat. Impossibile est vt hæc herba ab elephantico morbo hunc liberet. Millies repetantur vetera illa sacrificia, & in oceanum sanguinis cogantur simul omnia: nullum tamen vnquam peccatum auferent, nunquam tollent reatum criminis: in figuram enim D instituta sunt, non ad efficaciam. Cum de sacrificiis enim præciperet Deus offerendis pro peccato, (verba sunt Augustini) in quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed vmbra futurorum, eadem ipsa sacrificia, easdem ipsas hostias, easdem ipsas victimas, eadem ipsa animalia quæ admonebantur mactanda pro peccatis, in quorum sanguine sanguis Christi figurabatur, peccata Lex appellat: vsque adeò vt in quibusdam locis scriptum sit ita, vt Sacerdotes immolaturi ponerent manus suas super caput peccati, id est, super caput victimæ immolandæ pro peccato. Tale ergo peccatum, id est, sacrificium pro peccato, factus est Dominus noster Iesus Christus. E Qui non nouerat peccatum, meritò liberat ad hac seruitute peccati. Venit in carne, hoc est, in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati, non habens vllum omninò peccatum: & ideò factus est verum sacrificium pro peccato, quia nullum habebat ipse peccatum. Verum sacrificium pro peccato, imò & vnicum.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 2.

Athanas. à Paulum.

Augustin. Tract. 41. in Ioan. cir. med.

Christus verum & vnicum pro peccato sacrificium.

Quoad tertium. Fuerunt quidem iusti in veteri testamento, fuerunt & sancti, sed nec sancti nec iusti fuerunt ex veteri testamento: licet enim alia non haberent Sacramenta, nec alia prætenderent sacrificia: alio tamen modo

modo intelligebant, & per ea in Christum ipsum contendebant, pro peccatis expiandis aliquando passurum immolandúmque. Quia enim mysterium incarnationis & passionis Christi, vt resoluit Aquinas, nondum erat realiter peractum, veteris legis ceremoniæ non poterant in se continere realiter virtutem profluentem à Christo incarnato & passo, sicut continent Sacramenta nouæ legis, & ideò non poterat à peccato mundare. Poterat tamen mens fidelium tempore legis per fidem coniungi Christo incarnato & passo, & ita ex fide Christi iustificabantur: cuius fidei quædam protestatio erat huiusmodi ceremoniarum obseruatio, inquantum erant figura Christi. Et ideò pro peccatis offerebantur sacrificia quædam in veteri lege: non quia ipsa sacrificia à peccato emundarent, sed quia erant quædam protestationes fidei quæ à peccato mundabant. De ratione, nihil moror. De re autem, Non ambigamus, ait Leo, quòd cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam & Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes, omnésque sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritûs sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratiâ, nulla vnquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: vt eadem semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorum. Tria igitur obseruáda sunt. Primum, tam in religione Iudaicâ, quàm in Christianâ, fuisse omnibus eadem Sacramenta, sed non eadem omnibus beneficia. Patres nostri omnes per Moysen baptizati sunt: sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Cum Apostolus dicit, Non in omnibus, erant ergo, (vt concludit Augustinus) ibi aliqui in quibus beneplacitum est Deo. Et cum essent omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorũ virtus est. Sicut & nunc iam reuelatâ fide quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti baptizatis commune est lauacrũ regenerationis, sed ipsa gratia, cuius ipsa sunt Sacramenta, quâ membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Alterum, Sacramenta in vtraque religione instituta fuisse ad sanctificationẽ, sed legi suæ, ac conditioni germanæ competentẽ. Moyses enim visibilibus Sacramentis, vt ille loquitur, per ministerium suum sanctificat: Dominus autem inuisibili gratiâ per Spiritũ sanctum, vbi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratię, visibilia Sacramenta quid prosunt? Quicquid fiebat in lege Mosaicâ, externum erat, ideo delebat quidem peccatum, sed externum, cui scilicet per Moysen seu per legem imposita; quomodo ferè in monasticâ disciplinâ, quæ tota de se externa est, vtpote in verbis ac ceremoniis posita. Quicquid autem fit in lege Christianâ, internum est; aut si quid externum, totum charitati procurat, ministrat spiritui. Tertium, differentiam charismatum ac donorum, non esse quærendam à lege, sed à fide petendam. Erant enim profectò ait Augustinus, etiam in illo populo qui intelligerent, habentes fidem quæ postea reuelata est, non ad legis literam, sed ad gratiam spiritûs pertinentem. Non enim

Aquin. 1. 2. quæst. 103. q. 2. in corp.

Leo serm. 1. de Pentecost. circ. med.

Veteres Moysi obseruationes, solemnes fidei protestationes.

Augustin. in exposit. Psalm. 77. post init.

Augustin. lib. quæst. in Leuit. q. 84.

Augustin. in Expos. Psalm. 77.

A

B

C

D

E

sine ipsâ fide fuerunt, qui eius in Christo futuram reuelationem præuidere & prænuntiare potuerunt, cum & illa vetera Sacramenta significatiua fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem? non & populus? Imò verò etiam qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adiuuabãtur gratiâ, vt intelligerent quod audiebant. Sed vtique Sacramentum regni cœlorum velabatur in veteri testamento, quod plenitudine temporis reuelaretur in nouo. Vulgares quidẽ Iudæi, signis adhærebant, sistebantque in ceremoniis: viri spirituales in sacrificiis diuinis Christum spectabant, & inde purgationis sanctificationisque expectaban beneficium. Sacrificia facienda præcipiuntur: quæ si per seipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi. Si autem res ipsæ quarum hæc Sacramenta sunt inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum. Ita Augustinus.

Augustin. lib. quæst. sup. Num. quæst. 15.

DILVCIDATIO III.

De disquiparantiâ.

Sacrificium Mosaicum præ insufficientiâ labat & impotentiâ: sacrificium Christianum redundat, dum non solùm sufficit ad omnes, sed & omnes suâ gratiâ perficit. Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest Lex accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: eo quòd nullam habent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Et omnis quidẽ Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem offerens hostias, quæ nunquã possunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedũ eius. Vnâ enim oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos. Tria dicit Apostolus. Primum, in sacrificiis Mosaicis, commemorationem subesse peccatorum, non purgationẽ: alterum, in sacrificio Christiano, sanctificationem pręesse non temporariam, sed sempiternam: tertium, semper Moysen offerre, nec quicquam proficere; Christum semel duntaxat offerre, & omnes perficere.

Quoad primum, Ita cautum in Leuitico. Postquam emũdauerit Sanctuariũ, & Tabernaculũ, & altare, tunc offeret hircum viuẽtem: & positâ vtraq; manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Recordatio peccatorum est & accusatio, non tamen purgatio. Tota quippe ceremonia, in imprecationem desinit, non impetrationem, emissionémq; promittit non dimissionem. Sed tres hîc animaduerto difficultates. Prima est, Quid sit emundare Sanctuarium, & Tabernaculum, & altare, quasi hæc polluantur, nec minus in statum pristinum restituantur quàm homines peccatores? Ita sanè Gentiles apud Tertullianum: Ipsos etiam Deos suos lauationibus efferunt. Cæterum, villas, domos, templa, totasque vrbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim. Sed & per ipsum

Leuit. c. 16.

Tertullian. lib. de baptis. cap. 5.

Tertullian. lib. de Spect. cap. 15.

Quomodo loca sacra, immunda & mundanda.

Leuit. cap. 4. & 5.

Iacob. cap. 5.

Aquin. 1. 2. quæst. 103. art. 2. in fin. corp.

Ierem. c. 11.

Tertullianum: Loca per ea quæ illic geruntur, simul inquinamenta combibunt, & tum alterò respuunt. Non igitur loca inquinantur per semetipsa, sed per homines peccatores; sicut nec propter semetipsa mundantur aut sanctificantur, sed ad imprimendam hominibus reuerentiam, demendámque insolentibus audaciam. Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. Dicuntur igitur pollui, dum sed munditiâ minui, aut reuerentiâ propter continuas circumstantium ac commeantium culpas maculasve, maximè si graues & enormes, creduntur destitui. Et expiabit sanctuarium & tabernaculum testimonij atque altare, Sacerdotes quoque & vniuersum populum. Vt sua nimirum sanctuario & tabernaculo maiestas reddatur, restituaturque dignitas, vniuerso populo renouato, repurgatóque. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, vt oretis pro filiis Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Secunda, quòd ibidem non solùm commemoratio præcipitur peccatorum, sed & ipsorum exprimitur purgatio. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coràm Domino mundabimini. Nec obstat, quod dicitur, orabit sacerdos, & remittetur ei. Ita enim in Leuitico semel & iterum: Quasi, vt dixit Aquinas, peccatum dimittatur non vi sacrificiorum, sed ex fide & deuotione offerentium. Nam & in nostris Sacramentis, orationi locus simul & expiationi relictus est. Orent presbyteri super eum, & alleuiabit eum Dominus; & oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis sit, remittentur ei. Peccatum ergo iuxtà cuiusque modum ac statum intelligendum est: est enim duplex peccatum, vnum legale, quod contra legem commissum est; alterum reale, quod per fidem notum. Dimittebantur ergo peccata, sed legalia seu externa, seu per legalem remissionem, intentata diuertebantur supplicia: nam pro grauioribus criminibus, non offerebatur sacrificium, sed præsentaneum inferebatur supplicium. Sciendum est igitur, (ex eodem Aquinate) quod hoc ipsum, quòd veteris legis ceremoniæ à corporalibus munditiis expiabant, erat in figurâ expiationis à peccatis, quæ fit per Christum: per sanctitatem enim externam, interna significata est; & per præsentaneam mortem, æterna est repræsentata. Tertia denique, quòd Apostolus de vnico agat sacrificio, ideóque nihil cæteris detrahat ac sacrificiis. Tria sunt in veteri testamento consideranda: primum, Lex moralis, seu decem præcepta decalogi; alterum, ceremoniæ Iudæis impositæ: tertium, sacrificia Deo oblata. De primo egit Apostolus in epistolâ ad Romanos: de altero, in epistolis ad Galatas & Philippenses: ostenditque nec ab illis, nec ab istis exortam esse iustitiam. Restabant sacrificia: reclamabantque, tanquam veræ religionis officia, ideóque & veræ purgationis non obiecta tantùm aut symbola, sed & organa. Sed inclamat Deus per Ieremiam Prophetam, improbátque: Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? Elegit igitur Apostolus solemniorem expiationem, vt cum ostenderit nudam & vacuam fuisse ceremoniam, concludat à nullis prorsus sacri-

A ficiis sperandam esse iustitiam. Absoluta igitur ceremonia: Cum portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto. Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lauabit vestimenta sua, & corpus aqua, & sic ingredietur in castra. Mundata sunt quæ sunt à foris, sed quæ intus, immunda.

Leuit. c. 16.

Quoad secundum. Definiuit Apostolus de summo Pontifice: nunc & de quolibet Sacerdote, sicque omnibus ritibus, omnibus omninò sacrificiis Mosaicis, virtutem demit & vniuersalem in Christum ipsum reducit auctoritatem. Et omnis quidem Sacerdos
B præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius: vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Quid, omnis Sacerdos? Quiuis: non solùm summus, sed & infimus. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd in lege erant duo solemnia sacrificia: vnum in die expiationis, quod fiebat per solum summum Pontificem: aliud erat iuge sacrificium, in quo vnus agnus offerebatur in manè,
C & alius in vesperè, de quo num. 28. & de isto intendit hic Apostolus. Dicit ergo, omnis Sacerdos ad differentiam sacrificij expiationis, quod tantùm per summum Sacerdotem fiebat: sed in ista, omnis Sacerdos præsto est totâ die ministrans, & sæpè offerens easdem hostias, quia semper offerebat agnum: quæ scilicet hostiæ feriales, non poterant Sacerdotes auferre peccata. Cum ergo dicit, Hic autem, scilicet Christus, qui est agnus immaculatus, offerens vnam hostiam pro peccatis, auferentem scilicet peccata, quia semel pro peccatis nostris semetipsum obtulit: Sedet, non tanquam minister sicut Sacerdos legalis, qui semper præsto est,
D sed tanquam Dominus. Et hoc in sempiternum. Et ideo dicit quòd vnâ oblatione consummauit, id est perfecit, quod fecit reconciliando nos Deo tanquam principio. Consummauit ergo sanctificatos in sempiternum, quia hostia Christi quâ Deus est & homo, habet virtutem æternam sanctificandi. Quanta vis illius oblationis, quæ iam ab ipsâ mundi constitutione sanctificare electos cœpit, & illos glorificare non desinit in æternitate? Ad auferendum ludibrium, quo, vt loquitur Leo, captiuæ mentes superbienti diabolo seruiebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes pro-
E pheticas poterat natura nostra reparari, sed adiicienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem nouis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena, vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertineret: nec turbarent nos sed potius cõfirmarent mysteria, pro temporum ratione variata, quum fides quâ viuimus nullâ fuerit ætate diuersa. Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ

Aquin. lect. 1.

Leo serm. 3. in Nat. Dom. vlt. med.

Dominicæ natiuitatis tardirate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in vltimâ mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit, facienda, quæ facta; & Sacramentum salutis humanæ in nullâ vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt Apostoli, hoc annuntiauerunt Prophetæ; nec serò est impletum, quod semper est creditum. Non itaque nouo consilio Deus rebus humanis, nec serâ miseratione consuluit, sed à constitutione mundi vnam eandémque omnibus causam instituit. Gratia autem Dei, quâ semper est vniuersitas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minus adepti sint, qui in illud credidêre promissum, quàm qui suscepêre donatum. Regnant cum Christo omnes sancti, vtriusque testamenti; sed regnum illud æternum per Christum occupant: non enim ex vi legis, quæ externam duntaxat afferebat sanctificationem, & temporariam promittebat compensationem: sed ex vi fidei, quæ veram affert sanctitatem, & sempiternam confert hæreditatem, æternum illud regnum sunt consecuti. Sicut vnum electorum omnium corpus est, sic & vnus spiritus, quo sanctificati sunt primi & vltimi: vnus namque & idem spiritus semper & vbique agit, sanctificatósque ac sanctificandos, cuiuscumque ætatis, cuiuscumque conditionis, cuiuscumque temporis gratiâ suâ perficit & gloriâ.

Passio Christi ab initio cœpit operari, nec vnquâ desinit.

Quoad tertium. Multum mouet in peccatis auferendis Lex Mosaica, nec promouet: semel sacrificat Christus, & omnia protinus consummat. Vide abundantiam (ait Chrysostomus) Vna est hæc hostia, illæ autem multæ: ideò autem nec validæ, quia sunt multæ. Quid enim, dic quæso, opus erat multis, cum vna sufficiat? Propterea igitur multæ, & quòd semper offeruntur, ostendunt eos nunquam mundari. Quomodo enim medicamentum cum fuerit validum, & efficiens sanitatis, & valens omnem morbum propulsare, semel impositum efficit vniuersum. Quomodo ergo si semel impositum confecerit vniuersum, vim eius ostendit quòd non amplius imponatur, & hoc est eius opus quòd non amplius imponatur. Sin autem semper imponatur, est perspicuum quòd sit signum quòd nullam vim habuerit: est enim virtus medicamenti, semel imponi, & non sæpè. Ita hîc quoque cur tandem iisdem semper curantur hostiis? Nam si essent liberati ab omnibus peccatis, non offerrentur hostiæ quotidie: erant enim constitutæ vt semper offerrentur pro populo vniuerso, & vesperè & interdiu. Erat itaq; id quod fiebat, peccatorum accusatio, non solutio: accusatio infirmitatis, non virtutis ostensio. Nam quoniam prima nihil valuit, alia quoq; offerebatur: & quoniam ipsa nihil efficiebat, rursus alia: quod ergo semper, arguit imbecillitatem. In Christo autem contrà semel est oblatus, Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Quid est destitutio? Abrogatio, abolitio, contemptio, non habet amplius fiduciam: Destitutum est enim peccatum, quòd quidem debebat pœnam suscipere, non suscepit autem. Expectabat fore vt omnes de medio tolleret, ipsum est de medio sublatum. Extinctum est, destructúmque. Si ergo, (concludit ille) remisit peccata per vnum sacrificium, non est amplius opus secundo. Vbi enim horum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Quid ergo, morbis nouis, non sunt innouanda remedia, peccatis iteratis iteranda non sunt sacrificia? Tria sunt adnotanda. Primum est, constituendum aliquod sacrificium, & ipsum vnicum, quia principale ac fontale, quod virtutem omnem contineat; & quod de se non solùm ad auferenda peccata omnia, sed & ad omnia conferenda valeat beneficia. Alterum, inde deriuari ac formari tam sacrificia quàm & Sacramenta, quæ infirmitates nostras curant, iniquitates nostras, non iam comparando pretium, sed fructum dispensando, & iteratis malis iterata subministrant remedia. Tertium, vnicum hoc sacrificium non solùm operari per sacra Christianorum; sed & per omnia sanctorum opera, qui Christum sub figuris suspicerent à Deo institutis crucifigendum, & inde optatum referrent remediū. Non enim, vt dixit Leo, quia secundùm inscrutabile propositum Sapientiæ Dei, nouissimis diebus Verbum caro factum est, ideò salutiferæ Virginis partus, extremi tantùm temporis generationibus profuit, & non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud secula priora sanctorum, sacrâ fide vixit, & placuit: & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omninò Sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus & iustificatio fuit; quæ sicut expectabatur multis Prohetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere præsentata. Vnicum igitur est crucis sacrificium, non solùm ad omnia munera, sed & ad opera omnia; nec ad omnes solùm temporum differentias, sed & ad omnes electorum gratias sufficientissimum pollentissimúmque; cum immensæ sit virtutis, & dignitatis infinitæ: sed inde exundant Sacramentorum fluuij, inde manant operum bonorum riui; qui inde meritum hauriunt, inde beneficium conferunt, aut referunt prœmium.

Chrysost. orat. 17.

Chrysost. orat. 18.

Leo serm. 1. de pass. dom. post init.

Vnicum sacrificium Christi, suâ vi ad omnia sufficientissimum.

DILVCIDATIO IV.

De displicentiâ.

ORdinauit quidem Deus sacrificia Mosaica, non tamen & amauit; non enim ipsa propter cultum instituit retinendum, sed propter Christum prospexit intuendum. Ideò ingrediens in mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus voluntatem tuam. Aufert primum, vt sequens statuat. In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Tria sunt requirenda, primum, quomodo displiceat, aut non placeat quod instituit ipse: alterum, in quo capite scriptum sit de Christo, cum in nullo libro non sit de ipso scriptum: tertium, quomodo illi aptatum sit corpus ad sacrificium.

Quoad primum. Sacrificia illa non placent A Deo, & cum non solùm non desit voluntas, sed & adsit voluntas, displicent, non tamen vt mala, sed vt ad peccatum delendum & iustitiam conciliandam inefficacia, ideoque nec bona, & inde reprobanda, abolendaque. Antiqui enim, vt obseruat Augustinus, quando adhuc sacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei: multi scientes, sed plures ignorantes. Nam Prophetæ & sancti Patriarchæ nouerant quod celebrabant. Cætera autem multitudo iniqua carnalis sic erat, vt fieret de illa quod significaret posteriora ventura: & venit Christus sublato illo sacrificio primo, sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum, cæterarúmque victimarum: noluit illa Deus. Quare illa noluit, quare primò voluit? Quia illa omnia quasi verba erant promittentis: & verba promissiua, cum venerit quod promittunt, non iam enuntiantur. Tamdiu quisque promissor, donec det: cum dederit, mutat verba. Non dicit adhuc, dabo quod se daturum dicebat; sed dicit, dedi, mutauit verbum. Quare illi primò placuit hoc verbum, & quare illud mutauit? Quia temporis sui verbum fuit, & pro tempore suo placuit. Quando promittebatur, tunc dicebatur; cum autem datum est, quod promissum est, ablata sunt verba promissiua, data sunt completiua. Sacrificia ergo illa, tanquam verba promissiua ablata sunt. Quid est quod datum est completiuum? Corpus quod nostis. Videte quando dictum est, Christus enim ille est Dominus noster, modò loquens ex membris suis, modò loquens ex personâ suâ. Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti. Quid ergo? Nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit: Corpus autem perfecisti mihi. Ideò illa noluisti, vt hoc perficeres: illa voluisti, antequam hoc perficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est quod promissum est. Hoc promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. Tria igitur obseruanda sunt. Primum est, Paulum, omnia sacrificiorum collegisse, & in vnum compegisse. Oblationem, & hostiam, holocautomata, & pro peccato; nihil celauit, nihil dissimulauit; vt cum dona & munera oblata, inferiora sint donis, dona sacrificiis præstantiora; etiam in sacrificiis seligat meliora seu digniora, & omnia simul expungat. Alterum, omnes illos cultus, seu sacros ritus repræsentatiuos fuisse, figuratiuósque, vt qui promitterent Saluatorem, non exhiberent salutem; vt qui tanquam publicis cautionibus, seu diuinis pollicitationibus, fidem facerent indulgendæ iustificationis, sed qui ad auctorem acquirendæ remitterent sanctificationis. Tertium, promissionem re exhibitâ inutilem esse, adumbrationem veritate manifestata, non inanem solùm, sed & nullam remanere, vtpote luce appetente depulsam. In illo tempore erat Dauid, ait Augustinus, quando sacrificia victimarum animalium offerebantur Deo, & videbat hæc futura tempora. Si voluisses, inquit, sacrificium dedissem vtique: Holocaustis non delectaberis. Nonne in his vocibus nos agnoscimus? Erant illa sacrificia figurata, prænuntiantia vnum salutare sacrificium. Audi enim quid dicat curam gerens pro peccato suo, & ignosci sibi volens malum quod fecit: Holocaustis, inquit, non delectaberis. Prorsus spernit taurum, hircum, arietem, iam non est tempus vt hæc offerantur. Oblata sunt cum aliquid indicarent, cum aliquid promitterent; venientibus repromissis, promissiones ablatæ sunt. Displicent igitur omnia illa sacra & sacrificia, quia non solùm, Saluatore veniente, signa sunt inania, sed & falsa, vt quæ adhuc præfigurent Christum venturum, & ipsum accusent Deum infidelitatis aut infirmitatis: quasi promissa sua soluere noluerit, aut implere non potuerit.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 39. circa med.

Tamdiu quisque promissor est, donec dator.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 50. vers. fin.

B

Quoad secundum. Nullus liber sacer seu diuinus, in quo de Christo scriptum non sit, cum ipse finis sit legis, & præcipua inspiratæ scripturæ materia. Ita Christus ipse, de primo scriptorum auctorumve: Si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Non ait Christus, (vt Augustin. aduertit) Moyses enim & de me scripsit, vt & alia quæ ad Christum non pertinerent, scripsisse crederetur. Sed ait: De me ille scripsit: vt omnem scripturæ illius intentionem, non nisi ad intelligendam Christi gratiam perscrutando C consuleremus. Quid ergo, & Paulus, seu Dauid de Moyse intelligendus est, aut Moyses in Dauide recensendus? Plerique, ait Hieronymus, existimant, sicut in altercatione quoque Iasonis & Papisci scriptum est, in Hebræo haberi: In filio fecit Deus cœlum & terram: de Christo, qui tam in ipsâ fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est, quàm etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cœli & terræ conditor approbatur. Vnde & in Psalterio de seipso ait: In capite libri scriptum est de me, id est, in principio Geneseos. Sed in his tria sunt obseruanda. Primum est, per librum non intelligendum aliquem singularem ac priuatum, sed D scripturam ipsam totam & integram. Nos, ait Augustinus, scripturæ canonicæ auctoritatem sequentes, vbi legitur, Scriptum est enim in libro Psalmorum, vnum Psalmorum librum esse nouimus. Fieri enim potest, vt aliquâ consuetudine literarum Hebraicarum vnus liber dicatur, qui constat ex pluribus: sicut ex Ecclesiis pluribus vna constat Ecclesia, & ex pluribus cœlis vnum cœlum. Non enim cœlorum aliquod prætermisit qui dixit, Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Sunt etiam qui vniuersas omninò scripturas canonicas vnum librum vocent, quòd valde mirabili E & diuinâ virtute concordent: & hinc esse dictum, In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam: prophetia enim videtur esse, non facta narrans, sed futura prænuntians. Non enim ait, quod fecerim, sed vt faciam, siue vt facerem voluntatem tuam. Alterum, per caput libri, intelligendam esse totius scripturæ summam: tota enim scriptura in Christum collimat, nuncque sublimitatem annuntiat, nunc humilitatem. Ita Christus ipse ad Iudæos: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Quas scripturas? Omnes & vniuersas. Summam exprimite, totam colligite: In capite libri scriptum est

Augustin. lib. 16. cont. Faust. c. 11.

Hieronym. tradit. Heb. in Genes.

Augustin. præfat. in Psalm. 150.

Tota scriptura, liber vnus integer.

Ioan. cap. 5.

est de me. In capite libri: non Ieremiæ, ait A Hieronymus, non Isaiæ, sed in omni Scripturâ sanctâ, quæ vnus liber appellatur. Tertium, totam Christi vitam, in hoc positam, vt quæ placita erant Deo, faceret semper, & voluntatem eius tandem compleret per mortem. Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. Tanquam enim ei diceretur, Cur moreris si non habes peccatum, cui debeatur mortis supplicium? (ita apud Augustinum) continuò subiecit: Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite, eamus hinc. Discumbens enim cum discumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit: quò, nisi ad illum locum vnde fuerat tradendus ad mortem, quia nullum habebat meritum mortis? Sed habebat vt moreretur mandatum patris, tanquam ille de quo prædictum erat: Quæ non rapui tunc exoluebam: mortem sine debito soluturus, & nos à morte debitâ redempturus. Summa igitur Scripturæ in hoc posita, vt præfiguret prænuntietque Christum passurum, humanúmque genus, Deo sic disponente, cruce ac morte redempturum.

Hieronym. in cap. 29. Isaiæ.

Augustin. Tract. 89. in Ioan. in fin.

Quoad tertium. Oportebat Christum pati, & ita non solùm hominem fieri, sed & passibilem mortalémque. Sicut enim, ait Ambrosius, C testamentum vetus venit non soluere, sed implere, ita nouum certificare. Sed sicut omnis veritas in nouo est testamento, ita & Lex per Moysem data, figura legis est veræ. Ergo illa Lex veritatis exemplar est. In exemplari enim agni sanguis effunditur, in veritate Christus immolatur. Meritóque Apostolus cum præmisisset vitulorum immolationem secundùm legem, adiecit: Necessarium itaque est exemplaria cœlestium his mundari: nam ipsa cœlestia melioribus hostiis. Non enim in manufacta sancta intrauit Christus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, & nunc apparet vultui D Dei pro nobis. Vt cognoscamus autem quia legem nouam dedit Dominus Iesus, habes dicentem Spiritum: Hoc autem est testamentum quod testabor ad eos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas, & peccati & iniustitiæ eorum non ero memor. Vbi ergo remissio, iam non oblatio pro peccatis. Quo euidenter ostenditur, omnem veritatem in Euangelio contineri, quia Lex Dei in sensibus hominum & in cordibus scribitur, non in tabulis lapideis. Qui ergo præcepta Dei non habent in cordibus suis, non habent legem, siue quia inueteratur in Iudæis, renouatur in nobis, vmbra est, non veritas: vt E cum fiat oblatio pro peccatis secundùm legem, non fiat remissio peccatorum. Impossibile est enim sanguine taurorum & hircorum peccata mundari. Mendax ergo erat illa remissio, donec remissionis veritas adueniret. Quid inde manifestius, quàm Ioannis Euangelistæ sententia, qui ait: Quia Lex per Moysen data est, gratia autem veritas per Iesum Christum facta est? πρὸς ἀντίθεσιν τὸ δὲ legis, retulit veritatem. Nam cum sit, Autem, disiunctio, intelligendum est disiunctionem ideò interpositam, quia si veritas fuisset in lege, non fuisset gratia facta per Christum. Apud Iudæos non est Lex Dei, quia non

Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. oct. 18.

recipiunt veritatem. Lex quippe Dei spiritalis est, sicut Apostolus dixit. Non habent ergo veram legem, qui eam non acceperint spiritaliter. Quod autem non verum, mendax est: quod mentitur, occidit. Litera ergo quæ occidit, mentitur; spiritus qui viuificat verus est. Oportebat ergo Christum venire, vt veritatem afferret, vt legem adimpleret, vt diuinam voluntatem per propriam mortem perficeret: ideóque non solùm ei corpus dandum, sed & aptandum: quod nimirum tale esset, vt passibile esset ac mortale, seu morti ac passioni idoneum. Sed his, tria sunt. Primum est, In Psalmo, secundùm vulgatam versionem, haberi, Aures autem perfecisti mihi. Aures enim audientes sunt, seu B obaudientes quamquam apud Septuaginta sit σῶμα, Corpus. Ita Augustinus. Nunquid exponendum est, inquit, Sacrificium & oblationem noluisti, Corpus autem perfecisti mihi? Et verè fratres mei attendite illa ablata, hæc impleta. Vbi sunt sacrificia illorum? Certè perierunt, certè ablata sunt nunc. Reprobamus modò: quia si modò velis facere, intemporale est, non est opportunum, non congruit. Parum igitur interest, siue legas ex Hebræo: Aures autem perfodisti mihi. Siue ex Græco, Aures autem perfecisti mihi. Modò intelligas obedientiam excipiendis mandatis adimplendisque non accinctam tantùm, sed & addictam. Alterum, sic corpus Christi formatum sicque aptatum, vt non solùm figeretur cruci, sed & sisteretur in altari. Erant illa sacrificia figurata, ait Augustinus, prænuntiantia vnum salutare sacrificium: nec nos dimissi sine sacrificio sumus, quod Deo offeramus. Quodnam illud? Quid est, ait ille, quod datum est completiuum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis: quod vtinam qui nostis omnes, non ad iudicium noueritis. In hoc corpore sumus, huius corporis participes sumus, quod accipimus nouimus, & qui non nostis noueritis; & cum didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Perfectum est nobis corpus, perficiamur in corpore. Perfectum scilicet quod vsui suo, seu fini præconcepto aptissimum. Tertium, omnia sacrificia, crucis vel altaris præfiguratiua, præsente corpore cessasse, & in illud crucis, vel istud altaris, per adimpletionem veritatis, seu corporis perfectionem commeasse. Vnum enim & idem corpus est, quod & per modum æternæ redemptionis exponitur in patibulo, & quod per ritum religionis perpetuæ editur in cœnaculo: illic extra portam, hîc intra Ecclesiam: illic in medio sicariorum, hîc in medio discipulorum: illic spiritum emittens, hîc spiritum distribuens. Oportebat, ait Leo, vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immolatione agni diuinitùs per Moysen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nuntiarant; vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentiâ veritatis, antiqua obseruantia, nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.

Corpus aptum, quod passioni & morti idoneum.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 39. in med.

Augustin. Enarrat. in Psal. 50. vers. fin.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 39.

Leo serm. 7. de pass. Do. post init.

Hoc est ergo quod Christus, ingrediens mundum dicit, Ecce venio: vt faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, vt sequens statuat. Prima abierunt, & facta sunt omnia noua: secundùm voluntatem Patris electos per filium suum sanctificantem.

DILVCIDATIO V.

De fiduciâ.

COncludit Apostolus ex prædictis, aitque. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, per carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ,& abluti corpus aquâ mundâ. Vnde tria edisserenda sunt. Primum, vnde nata nobis fiduciâ: secundum, quænam nobis via sit complanata:tertium, quomodo ineunda illa ac sequenda.

Quoad primum. Cum ait Paulus, Itaque, Præmissa respicit reducitque,tanquam fiduciam nostram acuentia. Superiùs dicens, quòd hostias, & oblationes, & holocautomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, tunc dixi, ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam. In quâ voluntate sanctificati sumus, vel oblationem corporis Iesu Christi semel. Quid ergo nos,ait Chrysostomus, non quotidie offerimus? offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam: & ipsa est vna, non multæ. Quoniam multis in locis offertur, multíne sunt Christi? Nequaquam,sed vnus vbique est Christus: & vnum corpus. Illam nunc quoque hostiam offerimus, quæ tunc fuit oblata: sed hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est: Hoc enim facite,inquit,in mei recordationem. In his ergo quæ præcedunt, ostendit inutilia esse sacrificia ad perfectam puritatem & mundiriam, & esse typos ac figuras, & multum deficere. Ostenditque ex abundanti ea non nunc cessasse, sed statim in ipso Christi aduentu; & quemadmodum ea non tandem soluit & aboleuit Christus; sed priùs fuerunt tunc soluta & abolita,& tunc ipse aduenit. Sacrificium enim, inquit, & oblationem noluisti. Tunc dixi, ecce venio. De quonam hoc dictum est? De nullo alio, quàm de Christo. Quid est enim, vt faciam voluntatē tuam? Vt me ipsum, inquit, tradam: hæc est Dei voluntas, cum nec eius esset voluntas ab initio. Quis enim hæc, inquit, requisiuit ex manibus vestris? Quomodo ergo iussit ipse? Se ad eorum captum demittens. Sicut enim dicit Paulus, Volo omnes homines sicut meipsum esse in continentia. Et rursus dicit, Volo iuniores nubere, filios procreare. Duas ponit voluntates: sed non ambæ sunt eius, etiamsi iubeat. Ita hìc quoque, non erat eius princeps voluntas, quòd fierent sacrificia. Audi Deum dicentem: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Quid de gregibus tuis adhuc cogitas? (ait Augustinus) Si de talibus cogitabatis, iam auferte cogitationes vestras à talibus rebus: nihil tale Deo offerre cogitetis. Quæstio est de principe Dei voluntate, quâ iustificati sumus, quâ sumus sanctificati. Habentes itaque fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Christi, accedamus.Cum ostendisset,ait Chrysostomus, interesse inter Pontificem & sacrificia, & tabernaculum,& testamentum, & multum interesse: siquidem illa sunt temporalia, hæc verò non temporalia: illa quidem propè apparentia, hæc verò manentia: illa quidem imbecilla, hæc verò perfecta:illa quidem typos ac figuras, hæc verò veritatem. Quoniam ergo omnia illa minora, hæc autem maiora,propterea dicit, Habentes itaque, fratres, fiduciam. Fiduciam vndenam? Sicut peccata, inquit, efficiunt & afferunt pudorem, ita fiduciam affert & facit, quòd omnia sint nobis remissa, & quòd facti simus cohæredes.In introitum sanctorum.Quid hìc dicit, Introitum? Cœlum & progressum ad cœlestia. Habemus Sacerdotem magnum Iesum, qui penetrauit cœlos, qui interpellat pro nobis, & eandem hostiam quam semel obtulit & maximè Deo placuit, semper repræsentat. Habemus Pontificem non minùs misericordem quàm fidelem, nec minùs benignum quàm magnum, nec minore præditum potestate, quàm bonitate. Habemus itaque fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Nobis facta est spes bona ingrediendi in Sancta, per voluntatem Dei, per Christi sanguinem: quo aditus nobis ad æternam factus est gloriam.

Quoad secundum. Via nobis complanata est, sed noua ac perpetua Initiauit, id est, vt exponit Aquinas, inchoauit nouam viam nobis. Et est noua, quia ante Christum nullus inuenit eam, quia, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Et ideò qui vult ascendere, debet ipsi, tanquam membrum capiti, adhærere. Mich. 2. Ascendit, pandens iter ante eos. Inchoauit viam nouam & viuentem, id est, semper perseuerantem, in quo apparuit virtus Deitatis, quia semper viuit. Sed quæ sit ista via ostendit, subdens. per velamen, id est, per carnem suam. Sicut enim Sacerdos per velum intrabat in Sancta Sanctorum, ita si volumus intrare Sancta gloriæ, oportet intrare per carnem Christi, quæ fuit velamentum Deitatis: non enim sufficit fides de Deitate, si non adsit fides de incarnatione. Ita Christus discipulis suis: Creditis in Deum, & in me credite. Non sufficit credere in creatorem, etiam in redemptorem credendum est: quia hæc est vita æterna,vt homines cognoscant Deum,& quem misit Iesum Christum. Vnus quidem est Deus, in quem credendum est, verus & solus: sed Verbum caro factum est, homo Iesus Christus, Deusque, quâ Dei Filius, sed incarnatus. Saluator enim, vt obseruauit Leo, humani generis Iesus Christus, condens eam fidem, quæ & impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis & operum miraculis imbuebat, vt idem Christus & vnigenitus Dei & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem, & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo hominem solum

Marginalia: Chrysost. orat. 17. & orat. 18. — Aliud nova oblatio, aliud antiquæ recordatio. — Augustin. Enarrat. in Psalm. 49. vlt. med. — Chrysost. orat. 19. — Aquin. lect. 2. — Ioan. c. 14. — Leo Hom. de transf. Dom. initio. — In quo perfecta sit doctrina Euangelica.

ſolum credidiſſe, quum vtrumque pariter confitendum: quia ſicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas. At verò ſicut ſummus Pontifex ſanctuarium ingrediens, gerebat nomina filiorum Iſraël ſuo ordine diſpoſita; ſic & magnus ille Sacerdos, diuinæ domui ſeu cœleſti familiæ præpoſitus, Eccleſiæ ſcilicet militanti ac triumphanti, cœlum ſcandens, electorum omnium nomina detulit, non in laminis, ſed in cœlis ipſis deſcripta. Si quò minus dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipio vos ad meipſum, vt vbi ſum ego; & vos ſcitis. Et quo vado ſcitis: & viam ſcitis. Et cum ei dixiſſet Thomas: Domine neſcimus quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire? Reſpondit ei ei Ieſus: Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Nam, vt docuit Auguſtinus, Ipſe ibat ad ſeipſum per ſeipſum, nos ad ipſum per ipſum, imò verò & ad Patrem & ipſe & nos. Sed ipſe per ſeipſum, & ad ſeipſum & ad Patrem, & nos per ipſum & ad ipſum & ad Patrem. Quis hæc capit, niſi qui ſpiritaliter ſapit? Sed Deo donante capit qui capit, & eo donante credit qui nondum capit.

Ioan.c.14.

Auguſtin. Tract.69. in Ioan. cit. med.

Quoad tertium. En igitur via, quæ incunda eſt & ſequenda. Sed quomodo? Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, adſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ. Iam præiuit Chriſtus, dum primus aſcendit; ſed viam patefecit, dum ipſam aperuit. Quam initiauit: hoc eſt, vt exponit Chryſoſtomus, quam conſtruxit, & à quâ incepit. Initiatio enim ſeu dedicatio eſt. Siquidem nunc apertæ ſunt portæ cœlorum, quod nec Abrahami quidem tempore contigit: nam prima via erat mortis, ducens ad inferos: hæc autem vitæ: nec tamen dixit vitæ, ſed eam appellauit viuentem. Accedamus ergo cum vero corde. Quinam accedamus? Si quis ſanctus, fide & ſpiritali adoratione. Tria ſunt hæc, treſque defectus Moſaici ſeu Iudaici ſtatûs denotantia. Accedamus. Quinam? Qui ſancti ſunt, qui fide, qui ſpiritali adoratione præditis. Quis ergo primus Iudæorum defectus? Accedebant, ſed non vero corde. Cum enim omnes eſſent ex conditione legis ſerui, non filij; non accedebant ex animo, ſed aut affectu inducti commodi terreſtris, aut inducti metu temporalis ſupplicij. Cor non erat verum ac ſincerum, ſed fictum adulterinúmque. Vnde, ait Hieronymus, dicitur à Domino: Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo. Non enim virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet. Ad Deum, propter Deum accedendum eſt: aliàs enim non eſt accedere ad Deum, ſed fugere ſupplicium, aut commodum conſulere. Accedamus ergo. Quinam? ſancti: id eſt Chriſtiani, qui adoptionis ratione ſunt filij; qui Patrem inuocant, ſed cœleſtem; qui hæreditatem expectant, ſed immarceſſibilem. Qui vero corde accedunt, quia ex animo Deum quærunt, quia non ſolùm ſedulo quærunt ac continuò ſed & propter ipſum cætera deſpuunt. Alter Iudæorum defectus. Accedebant, ſed non in

Chryſoſt. orat. 19.

Tres defectus Iudaici ſtatus à Paulo correcti.

Hieronym. in cap.5. Matth. lib.1. Comm.

plenitudine fidei: nondum enim fides plena erat ac perfecta. Quicquid retrò fuerat, ait Tertullianus, aut Impletum, vt Prophetia; aut perfectum, vt fides ipſa. Vnde ille, Nondum, inquit, patientia in terris, quia nec fides ſcilicet. Plena ſcilicet ac perfecta. Accedamus igitur, ſed, In plenitudine fidei. In perfectione fidei & expletione. Græcè πληροφορία. Totam imbibentes fidem, perfectámque continentes certitudinem. Tertius denique Iudæorum defectus, quòd Deum quidem adorarent verum, ſed labiis honorarent & externis ceremoniis, non Spiritali adoratione Sed rituali obſeruatione: mundantes quod deforis, & immundam geſtantes conſcientiam. Accedamus ergo, ſed, Adſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ. Malam deponentes conſcientiam, munditiámque fouentes in aquâ receptam: ſed in aquâ mundâ, corpus quidem attingente, ſed & animam ipſam abluente per gratiam. Commonefacit, ait Athanaſius, quemadmodum minimè nobis in deſperationem ſit concidendum, ſi fidei fuerimus plenitudinem conſecuti. Hoc eſt, ſi fidem ſumus certiorem adepti, quauis ex parte perfectam. Sed cum de fide diſſeruiſſet, oſtendit nunc non fidem ſolùm, ſed vitam etiam virtute excultam requiri. Iudæi námque corpore & carne aſpergebantur, nos corde & animo, & ita vt nil nobis ſimus nequitiæ conſcij. Abluti corpus aquâ mundâ, baptiſmi ſcilicet aquâ. Mundâ verò, quia puros efficiat, abſtergatque à labibus. Reſpergimur enim virtute ipsâ vel Spiritûs gratiâ, qui nobis in lauacro remiſit peccata & fortitudinem condonauit.

Tertullian. lib de orat. cap 1.

Tertul. c.6. de pat.

Athanaſ. in Paulum.

DILVCIDATIO VI.

De conſtantiâ.

Benè eſt quòd accedamus, ſed neceſſe eſt quòd ad fidem addamus ſpem charitatémque, & in iis conſiſtamus perſiſtamuſque. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, fidelis enim eſt qui promiſit. Et conſiderantes inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum. Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam: & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Solet Paulus à dogmaticâ tranſire ad parænecticam; à doctrinâ ad ethicam: ſed ſicut illam, ſic & iſtam ſolet abſoluere. Fidem præmiſit, imo fidei plenitudinem: nunc ad plenam animi fiduciam tria ſubiungit: ſpem ſcilicet, charitatem, firmitatémque, permanentiam ac conſiſtentiam.

Quoad ſpem. Quid confeſſi ſumus, quid profeſſi? Sperare nos carnis reſurrectionem, vitam expectare æternam. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: fidelis enim eſt, qui repromiſit. Magna ſunt iſta; ſed magnus ille qui promiſit, cuius tanta poteſtas, quanta & bonitas; optimus, maximus; qui non fallit in verbis, nec in promiſſis deficit. Ità Auguſtinus ad Catechumenos, mox profeſſuros. Quod audituri eſtis, inquit, hoc credituri;

Auguſtin. l.1.de Symb. ad Catech. cap.1.

turi: & quod credideritis, hoc etiam linguâ A reddituri. Ait enim Apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hoc est enim symbolum quod recensuri estis, & redditori. Ista verba quæ audistis, per diuinas scripturas sparsa sunt, sed inde collecta, & ad vnum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret: vt omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit. Nunquid enim modò solùm audistis, quia Deus omnipotens est? Sed incipitis eum habere patrem, quando nati fueritis per Ecclesiam matrē. Inde ergo iam accepistis, meditati estis, meditati retinuistis vt dicatis: Credo in Deum Patrem omnipotentem. B Deus omnipotens est. Prorsus omnipotens pater noster. Facit quicquid vult, ipsa est omnipotentia. Nemo resistit omnipotenti, vt non quod vult, faciat. Prius stabilienda erat omnipotentia diuina, vt melius procederet fides, spes firmius consisteret. Quis enim crederet carnis resurrectionem, quis speraret hæreditatis non terrenæ, sed cœlestis & æternæ consecutionem: nisi prius statueret, Deum facere quicquid vellet, & implere quicquid promitteret? Resurrecturam ergo omnem carnem, rationalem scilicet creaturam, fideliter teneamus. Hæc est summa fidei nostræ, quæ separat ab infidelibus. Neque enim C de pecudibus vel cæteris animantibus, quibus non est attributa imago Dei, fas est disputare. Ista enim omnia ad vsus nostros creata esse cognoscimus. Sed quemadmodum non resurgit nobis cum nostra corruptio, neque infirmitas: ita nec ea quæ sunt necessaria nunc nostræ infirmitati. Qualia futura sunt corpora nostra, Paulus Apostolus dicit. Seminatur, inquit, in corruptione, resurget in incorruptione: seminatur in infirmitate, resurget in virtute: seminatur in contumeliâ, surget in gloriâ: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Incorruptio hæc, virtus & gloria & spiritus viuificans, faciet nos, D sicut ipse Dominus promittere dignatus est, æquales Angelis Dei: vt viuamus cum ipsis in vitâ æternâ, in vnâ immortalitate ac sempiternâ patriâ. Et hoc sequitur etiam in isto Sancto Symbolo, quod post resurrectionem carnis credamus. Non nobis iam dominabitur corruptio immortaliter viuentibus, & cum ipsâ æternâ vitâ manentibus. Neque enim indigebimus illic vestimento, vbi erimus immortalitate vestiti: nec cibus nobis deerit, quando ipse panis viuus, qui propter nos de cœlo ad terras vsque descendit, sui præsentiâ nostras animas satiabit: nec potus nobis deerit, præsente fonte vitæ. Saturabit enim nos ab vbertate E domûs suæ, & torrente deliciarum suarum corda nostra rigabit. Nulla ibi negotiatio, nulla seruitus, nullum opus. Quid igitur illic acturi sumus? Illud quod scriptum est: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis: vt contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? Bona Domini. Quæ bona? Possumus exprimere illud quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit?

Omnipotentia Dei, basis fidei ac spei tutissima.

Augustin. Li. de symb. ad Catech. cap 11. & 12

Quoad charitatem. Non satis est non titubare in fide, aut à spe non declinare: charitate incedendum est proficiendúmque. Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum. Nullum bonum, ait Chrysostomus, quod non sit charitas. Eam igitur inter nos confirmemus. Quomodo enim ferrum ferrum acuit, ita etiam conuentus auget charitatem. Nam si lapis lapidi attritus, ignem emittit: quanto magis anima animæ admixta? Non dicit ad æmulationem, sed ad prouocationem charitatis, vt magis diligant & diligantur. Nec est nobis opus laboribus, neque sudoribus, si nos alter alterum diligamus. Via est quæ suâ sponte ducit ad virtutem. Quomodo enim in viâ publicâ, si quis inuenerit initium, ab ipso ducitur, nec duce opus est: ita etiam in charitate, solum apprehende initium, confestim ab ipso duceris & dirigeris. Habet aliquis fidem, candidatus est salutis: habet spem, germanus est charitatis, sed si charitatem non habet, nec amicus Dei est, nec Christi discipulus. In hoc cognoscent, inquit, omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Tanquam diceret, ait Augustinus, Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem quæ hominibus pecoribúsque communis est, verumetiam linguas, Sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant: sed quoniam charitatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Inde & ipsemet Christus: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Ideò mandatum nouum, quia exuto vetere, induit nos hominem nouum. Ipsa est dilectio ab omni mundanâ dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, Sicut dilexi vos. Hanc dilectionem nobis donat ipse qui ait, Sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. Ad hoc enim nos dilexit, vt & nos diligamus inuicem. Idcirco igitur Paulus: Consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum, Attendamus ea quæ sunt proximi, expendamusque, non inuidiæ zelo, sed piæ studio beneuolentiæ; non ad suscitanda cupiditatis incentiua, sed ad prouocanda charitatis opera. Charitas, ait Chrysostomus, proximo malum non operatur: malum non cogitat. Cogitabit quispiam ipse apud se, quemadmodum in se sit affectus. Sibi non inuidet. Omnia bona sibi precatur: se præponit omnibus: pro se vult omnia facere. Si ergo in alios quoque afficiamur, omnia sunt vincula, non sunt inimicitiæ. Non est auaritia & plura habendi cupiditas. Quis enim vt plus habeat se voluerit fraudare? Nemo. Sed contra communia omnia possidebimus. Et si hoc faciamus, locum non habebit iniuriæ acceptę recordatio. Quis enim in animam induxerit seipsum odisse, & à se sibi illatæ iniuriæ meminisse?

Chrysost. orat. 19. & in Morali.

Ioan. Tract. 65. in Ioan. vers. finem.

Discretio bonorum non per fidem, sed per charitatem.

Augustin. eod. Tract.

Chrysost. in Mor.

Quoad firmitatem. Bonum sic amplectendum, vt non deseratur; sic excolendum, vt non relinquatur. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam: sed

sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Sicut vniri ac coniungi, pietatis est? sic & deserere ac discedere, impietatis Aliqui autem, obseruat Aquinas, Ecclesiæ collectionem deserunt tripliciter: scilicet propter persecutiones apostatantes à fide. Et isti significantur per illos, de quibus dicitur Ioan. 6. Quòd abierunt retrò, & iam cum illo non ambulabant. Secundò, mali Prælati, qui dimittunt oues in periculo. Aliqui verò ex superbiâ, quia cum possent esse vtiles ad regendum, cum notâ superbiæ ab aliis se separant. Et fortè tales erant in tempore illo, ideò dicit, Sicut consuetudinis est quibusdam. Hi sunt qui segregant se ab aliis, spiritum non habentes, quasi sub specie maioris perfectionis. Non solùm tales erant in tempore illo, sed & plures. Ob tale quid, ait Tertullianus, extra gregem datus est, vel & ipse fortè irâ, timore, æmulatione, quod denique sæpè fit, dedignatione castigationis abrupit. Quid, extra gregem? Extrà congregationem, extra collectionem, extra cœtum seu conuentum. Sed aliud est, extra gregem dari, quod est communicari: aliud extra gregem abrumpere, quod est abire, discedere, gregem deserere, Quod sæpè fit. Siue dedignatione castigationis, siue instigatione ambitionis, siue persecutionis infestatione. Factâ tribulatione, & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Attende quod dictum est: (ait Hieronymus) Continuò scandalizatur. Est enim aliqua distantia inter eum, qui multis tribulationibus pœnisque compellitur Christum negare, & eum qui ad primam persecutionem statim scandalizatur & corruit. De iis sermo est, qui radicem non habent, qui firmitatem non retinent. Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Multi enim, vti dixit Gregorius, boni operis initia proponunt, sed mox vt fatigari aduersitatibus, cœperint, inchoata derelinquunt. Sunt igitur illi gregis refugæ, apostatæ veritatis, proditores Christi, fidei desertores. Idcircò Paulus non solùm stantes ad constantiam adhortatur ac perseuerantiam, sed & improbos abominatur, dum æternum ominatur supplicium. Sed consolantes. Græcè παρακαλοῦντες ἀλλήλους, Adhortantes inuicem. Adhortatio est ad constantiam in pressurâ demonstrandam: consolatio de gloria ex patientiâ tentationis tribulationisque reportandâ. Et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Mercedis scilicet ac retributionis. Magis enim ac magis appropinquat semper dies ille, qui præmium bonis, & malis assignat supplicium. In hoc loco, ait Ambrosius, non solùm admonuit Apostolus, sed etiam culpauit & terruit vnitatem charitatis scindentes. Tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Quem diem designat, nisi diem iudicij, in quo singulorum merita examinantur. Dicit enim alio loco: Dominus propè est, nihil solliciti sitis, id est, de terrenis: Et iterum, Nunc proprior est nostra salus, quàm cum credidimus. Semper enim dies ille procedit acceditque, ne dicam, apparatum suum maturat, acceleratque.

Aquin. Lect. 6.

Tertull. lib. de pudicit. cap. 7.

Hieronym. in cap. 13. Matth.

Gregorius Homil. 13. in Euang.

Constantia in angustiis, & pressuris retinenda.

Ambros. in Paulum.

DILVCIDATIO VII.

De vindictâ.

PErstat Apostolus, instátque deterendis Apostatis. Irritam quis faciens Legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindicta, ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Tria proponit Apostolus, & relinquit exponenda: peccati meritum, titulum iudicij, cumulum supplicij.

Quoad primum. Argumentatur Paulus à præuaricationis enormitate, seu comparationis inæqualitate? quanto enim amplior dignitas Legis, tanto maior transgressionis indignitas. Irritā quis faciens Legem Moysi. Græcè ἀθετήσας. Qui abiecerit, qui deseruerit, Diis alienis seruiendo, apostasiam committendo per idololatriā. Sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Tria simul congerit, quibus punitionē efficit formidabiliorem. Sine vllâ miseratione. Quanta seueritas, quæ inexorabilis. Duobus vel tribus testibus. Quanta celeritas, quæ facilis. Moritur. Quanta demum asperitas, quæ exitialis? Ita in Deuteromio. Cum reperti fuerint apud te, intra vnam portarum tuarum quas Dominus Deus dabit tibi, vir aut mulier qui faciāt malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius, vt vadant & seruiant Diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi: & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse reperteris, & abominatio facta est in Israël: educes virum ac mulierem, qui rem, sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Et priùs. Si surrexerit in medio tui Propheres, aut qui hominum vidisse se dicat, & prædixerit signum atque potentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris. Propheta ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro: & auferes malum de medio tui. Si tibi voluerit persuadere Frater tuus, clam dicens: Eamus, & seruiamus Diis alienis: non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis & occultes eum, sed statim interficias. Sit primùm manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo. Nulla personæ consideratio est, nulla pœnæ dilatio, nulla mitigatio iustitiæ. Non licet dissimulare crimen in vxoribus, in amicis, in filiis, in filiabus: non licet illud in vrbibus integris tolerare; statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora. Sit tumulus sempiternus. Non ædificabitur amplius. Iam ergo insurgit Apostolus, agitque

Deuteron. cap. 17.

Deuter. cap. 13.

Valida à Lege ad Legē, à punitione ad punitionem consequentia.

agitque, à minori ad maius supplicium argumentando. Si quis abiecerat Legem Mosaico promulgatam ministerio, sine vllâ tergiuersatione, sine vllâ exceptione, subinducto duorum vel ad summum, trium hominum testimonio, præsentaneo luebat supplicio. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Ibi difficilis venia est, nec facilis misericordia; sed statim luitur, peccatúmque sequitur supplicium. Quanto igitur ille iustiùs duriùsque vapulabit, qui non iam seruum, sed Dominum conculcauerit, qui sanguinem, quo sancitum est nouum testamentum, & per quem ipse mundatus est, tanquam immundum ac profanum reputauerit, & Spiritui gratiarum omnium auctori, atrocissimam irrogarit iniuriam. Quomodo enim, ait Chrysostomus, nullam habemus rationem eorum quæ conculcantur: ita etiam qui nullam habent Christi rationem, & sic peccant. Factus es corpus Christi, & das te diabolo conculcandum. Et sanguinem, inquit, communem duxerit. Quid est communem? Hoc est immundum, aut nihil amplius habere quàm cetera. Et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Fecit te filium: tu autem vis fieri seruus. Venit, apud te habitauit: tu autem ad te introduxisti cogitationes malas. Ex eo ergo quod est terribile, constringit animas: & simul ostendit differentiam & supplicium, & eis dimittit iudicium, vtpote quod res sit manifesta. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia? Tria simul exponit mala, non minùs horribilia, quàm enormia: Filium Dei conculcare, sanguinem Christi quasi pollutum seu profanum reputare, Spiritui sancto iniuriam irrogare: tum inferendum relinquit, concludendúmque.

Chrysost. orat. 10.

Quoad secundum. Si quæstio est de Moyse, producenda est illius sententia: imò diuinum est oraculum, ore Moyse prolatum. Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Scitis vnde desumpta sit sententia, nostis quis dixerit, quis protulerit. Vultis inter inimicos Dei, impiósque, quibus vindicta illa denuntiata est, computari? Vultis eodem fulmine atteri? Nec dicatis vos esse de populo Dei. Quomodo enim estis de populo Dei, si fidem eius abiicitis, si Legem spernitis? Audite igitur Moysem iterum dicentem. Iudicabit Dominum populum suum, & in seruis suis miserebitur. Tritæ sunt illæ sententiæ, & in ore omnium positæ, sed nescio an ab omnibus intellectæ. Verè iudicabit vindicabitque populum suum; dum in seruis suis miserebitur. Illius enim appendere merita, seu bona seu mala, & illis reddere præmium, istis supplicium rependere. Et faciet, cum accepto tempore, & die constituto, vnicuique secundum propria merita retribuet. Reducit igitur in memoriam πυρὸς ζῆλον, ardorem ignis deuorantis, tremorem festinantis iudicij, æstuantisque supplicij, nec iam promittit misericordiam, sed vindictam prædicit tam imminentem, quàm inexorabilem. Remittit eos iudicio diuino, quasi desperata sit plaga: nec eos respirare sinit aut sperare, quasi

Deuteron. cap. 32.

A vindicta iam non solùm destinata sit, sed & parata: sicut enim cum bono bonus est, sic & cum malo seu inimico truculentus. Faciens pacem, ait Tertullianus, sed & condens mala; pœnitentiam malens, sed & Hieremiæ mandans, ne pro populo peccatore deprecaretur. Quoniam si ieiunauerint, inquit, non exaudiam deprecationem eorum. Et rursus, Et tu ne adoraueris pro populo, & ne postulaueris pro his in prece & oratione, quoniam non exaudiam in tempore quo inuocauerint me, in tempore afflictionis suæ. Et adhuc supra, idem misericordiæ prælator quàm sacrificij, Et tu ne adoraueris pro populo isto. Et, ne postulaueris misericordiam consequi eos. Et, ne accesseris pro his ad me, quoniam non exaudiam, vtique misericordiam postulantes, vtique ex pœnitententiâ flentes & ieiunantes, & afflictationem suam afferentes Deo. Et qui licet patiens, tamen per Esaiam comminetur patientiæ finem. Tacui, nunquid & semper tacebo, & sustinebo? Quieui, velut parturiens exsurgam, & arescere faciā. Ignis enim præcedet ante faciē ipsius, & exuret inimicos eius, non solùm corpus, verùm & animas occidens in gehennam. Ita premendi sunt impij, ita deterrendi. Quamuis enim cæcos omnes Deus illuminare possit, quamuis mortuos omnes suscitare: quis tamen ita demens, vt quis sibi effodiat oculos, aut vitam eripiat, sub spe futuri beneficij. Potest & omnibus desertoribus salutarem concedere pœnitentiam, vt ad mentem redeant, & recipiant veniam: quis tamen tam amens, vt fidem abiiciat, religionémque sub restitutionis præsumptione reuersionisve deserat? An quia Petrus calcauit maria, quis tam insanus est, vt se exponat discrimini? An quia Lazarus, vel si quis alius ad vitam rediit, quis tam bardus est, vt ipsam abiiciat, & prætendat eam iterum consequi? Non sunt istæ Leges, sed exceptiones, Legem aut consuetudinem excedentes: gratiæ sunt, sed insolitæ; idcircò non ad vulgarem sensum, aut vsum communem non sunt deducendæ.

Tertull. lib. de pudicit. cap 2.

B

C

D

Exceptiones Legem ac consuetudinem excedentes.

Quoad tertium. Iam non concludendum relinquit Apostolus, sed concludit ipse, nec timorem solum imprimit, sed & horrorem verbis suis incutit. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Tria sunt in iudicio humano, quæ timorem minuere possunt, & horrorem comprimere. Primum est, quia declinari potest ac vitari, seu præ sontis potentiâ, seu præ iudicis ignorantiâ. Alterum, quia terminatur in morte, nec in æuum futurum grauiore etiam punitione protelatur. Tertium, quia etsi pœnas ingeminet, non tamen alias habet quàm mundanas, quæ respectu vltra mundanarum diuino furore accensarum, imaginariæ sunt ac propè nullæ. Contra, tria sunt in iudicio diuino, quæ metum inferunt, & auferunt solatium. Primum est, quod sicut nullus suffugere scientiam eius potest, sic & nullus possit eius potentiam vincere: nec flecti potest, nec corrumpi: adeò iustus, adeò oculatus est. Secundum, quod sententia eius tempore limitata non sit, sed à morte recrudescat, & in æternitate conualescat. Tertium, quod pœnæ nō solùm culpæ, sed & iustitiæ cōmēsuratæ sint ac

E

potentiæ:

potentiæ: & cum culpa sit in Deum ipsum A commissa, & diuina iustitia non minùs infinita sit quàm potentia: pœnæ illæ nonnihil infiniti continent, non solùm ex æternitatis seu perpetuitatis duratione, sed & ratione grauitatis. Vide ergo quid subiungit Apostolus, (Verba sũt Chrysostomi) Incidemus, inquit, in manus Domini, & non in manus hominum. In Dei manus incideris: illud est terribile: nihil autem in manus hominum incidere. Quando viderimus, inquit, aliquem hîc puniri, ne timeamus, sed propter futura horreamus. Nam secundùm misericordiam eius, ita & ira eius. B Et super peccatores requiescet furor eius. Culpa quidem momentanea, sed pœna æterna: hoc quidem durum, tamen & iustum est. Vnde Petro stupenti, dicentique: Scire velim quomodo iustum sit vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Respondet Gregorius: Hoc rectè diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed futura pensaret. Iniqui enim cum fine deliquerunt: quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant suppli- C cio, qui in hac vitâ nunquam voluerunt carere peccato. Et instanti, percontantique, quomodo crudelitas illa non sit, sed iusta seueritas; cum ad nullam correctionem sit, sed ad æternam punitionem: iterum Gregorius. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia verò iustus est, ab vltione iniquorum in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, suâ quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt; scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis perspiciant supplicia quæ euaserunt: quatenus tanto magis in æternum gratiæ diuinæ debito- D res se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt. Id quidem mirabile, sed non minùs terribile: sicut enim beati fruentur vitâ Dei, quantum fas est finitis infinito frui; sic & damnati vindictâ Dei punientur, quantũ possibile est creaturis immēso & æterno affici supplicio.

Chrysost. orat. 20.

Gregorius lib. 4. dial. cap. 44.

In Deo iusta seueritas, nulla est crudelitas.

DILVCIDATIO VIII.

De rapinâ

IMpios, desertorésque deterruit, nunc bonos erigit, fidelésque. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum E certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Illuminati sunt, quando baptizati, seu in admirabile Dei lumen vocati. Sed ex hac luce tria exurgunt: ardor inimicæ persecutionis: amor diuinæ possessionis: honor æternæ retributionis. Ex hac illuminatione, rapinam bonorum cum gaudio sustinent, dum meliorem certiorémque præuident repositam in cælo substantiam.

Quoad primum. Quæstio est, sed pia, vtpote Iobo à Deo proposita Per quam viam spargitur lux, & diuiditur æstus super terram. Ipse quippe, vt loquitur Gregorius, via est, qui ait. Ego sum via, veritas & vita. Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per eius præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem conuenienter dixit, quia per Apostolorum voces non angustata neque coarctata, sed latè fulgens lux prædicationis emicuit. Sed postquam spargi lux dicitur, potest conuenienter intelligi quòd per æstum persecutio designatur quia vt lux prædicationis inclaruit, mox a perfidorum cordibus ardor persecutionis exarsit. Nam quod per æstũ persecutio exprimitur, dominicus sermo testatur, de iactatis seminibus super terram, dicens: Sole orto æstuauerunt omnia, & quia non habebant radicem, aruerunt. Quod paulò post cũ exposuit, æstum persecutionem vocauit. Sparsâ igitur luce æstus super terram diuisus est, quia clarescente vitâ fidelium, accensa est crudelitas perfidorum. Diuisus namque æstus erat, quando nunc Hierosolymis, nunc Damasci, nunc in aliis longe regionibus persecutio sæuiebat. Scriptum quippe est: Facta est in illâ die persecutio magna in Ecclesiâ quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ. Quia ergo nunc hîc, nunc illic persecutio excreuerat, hi qui lucem veritatis agnouerant, quasi sub ardore diu si æstus anhelabant. Quod contigit in Christo, hoc fit & in Christiano. Christus illuminatur, ait alter Gregorius; immò potius fulgore suo nos illuminat. Quid est, illuminatur? id est baptizatur: idem enim baptizari & illuminari. Vnde subdit. Christus baptizatur, simul & nos descendamus, vt cum ipso pariter ascendamus. Ioannes baptizat, & accedit Iesus. Illuminandus scilicet. baptizandusve At quando tentari cæpit Christus, nisi quando baptizatus fuit? Ipsũ Dominum, ait Tertullianus, post lauacrum statim tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus ieiuniis functum. Idcircò enim ad baptismum adhibuit ieiunium, vt subsecuturis tentationibus munimenta præstrueret, vt fidelibus suis exempla suggereret: licet enim desit nonnumquam vexatio manifesta, numquam tamen deerit occulta tentatio. Quia igitur cum lux spargitur, (verba sunt Gregorij) mox ab occulto aduersario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt, rectè subiungitur: Diuiditur æstus super terram. Hostis námque callidus quos iustitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit: vt plerumque plus se vrgeri tentationibus sentiant, quàm tunc cum lucis internæ radios non videbant; post lucem autem æstus sequitur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur. Rectè verò etiam diuidi æstus dicitur: quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac iuxtà positis vitiis fatigantur. Priùs enim conspersionem vniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Rectè igitur Paulus in mentem

Grego. lib. 29 Moral. cap. 12.

Vbi fulgor virtutis, ibi ardor persecutionis.

Gregor Nazianz. orat. in san. lum.

Tertull. lib. de baptis. cap. 20.

Grego. lib. 29. Moral. cap 11.

reducit priorem feruorem, proponitque pristina conuersionis seu professionis tempora, quibus ad omnes accincti erant persecutiones, ad omnes erant tentationes tribulationésque expediti. Rememoramini autem dies pristinos, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Alij palam ac publicè tracti, traductique, & quasi ad spectaculum expositi: alij vexatis tribulatisque, & animis & factis compassi.

Quoad secundum. Astruit quod asseruit. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Aliorum afflictiones vestras fecistis, bonorum possessiones quasi alienas neglexistis: cognoscentes confidentésque thesaurum vobis vtiliorem stabilioremque in cœlis repositum. Præstantissimi Medici, ait Chrysostomus, cum profundam fecerint incisionem, & per plagam dolorem intenderint, id quod laborat consolantes, turbatámque fouentes & recreantes animam, non amplius aliam adhibent incisionem, sed & datam mitibus leniunt medicamentis, & quæ doloris multum possint adimere. Hoc nunc quoque fecit Paulus, cum eorum concussisset animos, & facta mentione gehennæ eos compunxisset, & eis fidem fecisset, quòd eum omninò perire oportet qui Dei gratiam affecit contumeliâ, & ex Moysis legibus hoc ostendisset quòd sint perituri, & magis etiam aliis obsignasset testimoniis, & dixisset horrendum esse incidere in manus Dei viuentis: ne multo metu in desperationem adducta anima, dolore absorberetur, eos consolatur per laudes & adhortationem, & eis domesticam affert æmulationem. Magna est enim quæ per facta fit consolatio. Et qui sic hortatur, maximè hortatur à domesticis. Neque dicit solum certamen, sed addidit magnum. Nec dixit tentationes, sed certamen, quod est nomen encomij, & laudum maximarum. Non possum, inquit, dicere, quòd hæc quidem passi estis, sed doluistis, imò verò etiam valde lætati estis. Et hoc significauit, dicens, Socij facti eorum qui sic patiuntur. Nòn dixit, Fertis meas afflictiones, sed vestras estis reueriti, & mea vincula estis commiserati. Insistit Græcis legitque δεσμοῖς, non δεσμίοις. Nam & vinculis meis compassi estis. Siue præteritis, & apud ipsos iniectis, siue præsentibus recentibúsque. Sed & ad omnes extendi potest contribules, vt omnibus compaterentur fratribus, & cum vexatis tribulatisque simul affligerentur. Deinde (subdit Chrysostomus) affert etiam causam, non solùm eos adhortans ad certamina, sed etiam vt à fide non labent. Videntes, inquit, vestras diuitias diripi tolerastis: eas enim quæ nondum apparebant vidistis tanquam quæ apparerent, quod sinceræ erat fidei: & factis ipsis eam ostendistis. Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Papè quàm certa & plena fidei persuasio! At rapere quidem erat fortasse violentiæ eorum qui rapiebant, nec potuisset quisquam prohibere. Quamobrem nondum est hoc perspicuum, quòd propter fidem passi estis rapinam. Atqui hoc quoque

Chrysost. orat. 21.

Iudæi Apostolicis vinculis aliquãdo compassi.

Chrysost. Ibidem.

A est perspicuum. Licebat enim si voluissetis non pati rapinam, si non credidissetis. Sed quod est longè maius, fecistis, nempe vt ea etiam ferretis cum gaudio: quod quidem totum erat Apostolicum, & dignum magnis illis animis, qui flagellari gaudebant: Et illud suscepistis, ostendit voluntariam eorum tolerantiam. Elegistis, inquit, & suscepistis cognoscentes vos habere in cœlis meliorem & manentem substantiam: id est firmam ac stabilem, non ita sicut hæc pereuntem. Qui enim fert cum gaudio, ostendit se habere mercedem aliquam, & quod ea non sit damnum, sed prouentus. Talis erat temporum status, talis & rerum prouentus; vt fideles terrena omnia despicerent,
B solámque fruitionem diuinam, æternamve prospicerent possessionem. Præsume, oro te, ait Tertullianus, nihil tibi opus esse, si Domino appareas: imò omnia habere, si habeas Dominum, cuius omnia. Cœlestia recogita, & terrena despicies. Fidelibus nulla cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei, qui lilia agri tantâ gratiâ vestit, qui volatilia cœli nullo ipsorum labore pascit, qui prohibet de crastino victu vestitúque curare, spondens scire se quid cuique seruorum suorum opus sit. Onera sunt ista Christiani, impedimenta fidei, speique retinacula, ideóque contemnenda.

C Quoad tertium. Populum Israëliticum alebat spes hæreditatis terrenæ, populum Christianum animat merces felicitatis æternæ. Nullus fidelium, ait Augustinus, dubitauerit, transitum illius populi per mare rubrum figuram fuisse baptismi nostri: vt à diabolo & Angelis eius, qui nos tanquam Pharao & Ægyptij, luto carnis obnoxios vel vt laterum operibus atterebant, duce Domino Iesu Christo, cuius tunc figuram Moyses gerebat, per baptismum liberati, Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & equitantem proiecit in mare. Superbiam & superbum delenit in baptismo. Hæc omnia submersa sunt in mari
D rubro, quia illi consepulti sumus per baptismũ in mortem, qui cruentâ morte, quâ peccata nostra consumerentur, baptismum consecrauit. Restat autem post baptismum transitus per eremum, per vitam quæ agitur in spe, donec veniamus ad terram promissionis, terram viuentium, vbi nobis est portio Dominus, in æternam Hierusalem; quia donec veniamus, tota ista vita eremus nobis est, & tota tentatio. Sed in eo qui vicit seculum, vincit omnia populus Dei. Nam sicut in baptismo, tanquam hostes à tergo insequentes, præterita peccata delentur: si post baptismum, in itinere vitæ huius,
E cum escam spiritalem manducamus, & potum spiritalem bibimus, omnia nobis aduersantia superamus. Sicut factum est, sic fit. Admiratione stupentes tanquã lapides fiunt inimici Ecclesiæ, donec transeamus ad patriam. Sed & qui resistere tentauerint, sicut tunc Amalech in extentis manibus Moysi, ita nunc in signo crucis Dominicæ superantur. Atque ita introducimur atque plantamur in monte hæreditatis Domini, qui ex paruo lapide, quem vidit Daniel, creuit & impleuit vniuersam terram. Templum enim Dei sanctum est, ait Apostolus, quod estis vos. Et ne quisquam respiceret ad terrenam Hierusalem, vbi templum istud figuram quandam gessit:

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap 4.

Augustin. serm. 2. ex nouis.

Terra nobis promissa Christianis, non morientium, sed viuentium.

gessit: significauit de regno æterno se dicere, quod est æterna hæreditas Dei, æterna Hierusalem. Inde igitur Paulus: Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem habet. Græcè μισθαποδοσίαν: Retributionem. Sed magnam, quia diuinam, quia æternam: cui studendum est, insistendumque. Non dixit, Amisistis fiduciam vestram, & rursus acquirite: (verba Chrysostomi) sed quod efficiebat, vt essent firmiores & robustiores. Eam, inquit, habetis. Nam id quidem quod est amissum rursus acquirere, maiori opus habet labore: quod autem possidetur non perdere, non ita. Nolite ergo, inquit, amittere confidentiam vestram, quoniam erat multa eorum apud Deum fiducia. Quæ magnam, ait, habet remunerationem. Propemodum dicens: Si in cælo cognoscitis vos habere substantiam, id est facultates, sed meliorem, nihil hic quærite. Cum Christo nomen dedistis, cum fidem suscepistis, non solùm terrena omnia despexistis ex animo, sed & possessa vobis tam iniustè, quàm inhumanè tolli ac diripi vidistis cum gaudio: scientes, fidentesque hæreditatem manere, imò habere vos immarcessibilem. Nolite igitur tantam amittere confidentiam: sed viriliter agite, fideliter persistite.

Chrysost. orat. 21.

DILVCIDATIO IX.

De patientia.

RESumit Apostolus, absoluitque; Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones. Adhuc enim modicum aliquantulum: qui venturus est, veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide viuit. Quòd si substraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij, in perditionem; sed fidei, in acquisitionem animæ. Porrò patientia, non solùm malorum est, verùm & bonorum: sed malorum illatorum, & bonorum dilatorum. Vtrobique quidem patientia necessaria est. Sicut enim mansuetudo, vt Aquinas definit, est moderatiua iræ, ita patientia ponit modum in tristitiis, vt scilicet non excedant modum rationis. Sed in malis, dicitur æquanimitas: in bonis, longanimitas: in vtrisque fidelitas ostenditur.

Aquin. lect. 4.

Quoad æquanimitatem. Tanta virtus, malorum patientia, vt etiam philosophis ipsis non videatur sola, præcipua tamen ab illis censeatur, & apprimè viro bono necessaria: cum enim omnibus sit malis obnoxius, omnibus expositus incommodis: tam non potest viuere sine patientiâ, quàm nec sine animâ: tam non potest virtutem excolere, quàm nec aërem sine istâ trahere. Prospera, ait Seneca, in plebem ac vilia ingenia deueniunt: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Semper verò esse felicem, & sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Magnus es vir: sed vnde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exercendæ virtutis? Inde illi vnicæ ferè studuêre virtuti, nempe comparandæ patientiæ ac conseruandæ: & inter varias sectarum libidines inter, diuersas sententiarum æmulationes, non solùm dignitati eius subscripsêre, sed & necessitati. Quoniam igitur, ait Basilius, antiquorum virorum nonnullæ studiosæ actiones factáque, vel memoriæ beneficio, vel Poëtarum, vel Historicorum scriptis custodita ad nos vsque penetrant: ex his nobis non omninò aliqua deerit vtilitas. Verbi gratiâ: Homo quidam in foro Periclem probris omnibus incessebat: is autem minimè curare visus toto ferè die sustinuit. Deinde vesperi iam discedentem cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ studio amitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo concitatus, mortem se iurauit illaturum. Ille verò contrà, se patienter laturum iurauit, placatúmque & ei quamuis infesto se conciliatum iri. Quamobrem valde quidem ad nos excitandos refert, vt talia virorum iram cohibentium exempla nostram subeant memoriam. Neque enim tragœdiæ credendum omninò, dicenti: Ira manus inimicas armabit. Verùm irasci nullo modo, tutius esset: quod si fieri non poterit, ratione saltem ira moderanda, nec longiùs efferri permittenda. Sed rursus ad exempla laudabilia redeamus. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cæcidit, hic autem minimè commotus, furentem debacchari, & iram satiare permisit, ex quo cum totum ex plagis tumidum ac contusum reddidit. Vbi verò ille credendo destitit, nihil aliud fecisse Socrates dicitur, quàm fronti propriæ inscripsisse: Talis fecit, veluti statuæ cuidam auctoris nomen, & eo modo sese vindicasse. Exempla quidem sunt ista hominum, non tamen documenta fidelium: argumenta sunt Philosophorum, non tam triumphantium quàm insultantium, & illatam iniuriam, non tam diuinâ voluntate, quàm humanâ vanitate solantium. Vera patientia, fortunâ non regitur, sed prouidentiâ; nec typho, sed Deo obsequitur. Alios habemus magistros, Christum & eius Apostolum, quos ad excolendam adhibemus patientiam. Quod subiungimus, Fiat voluntas tua: est illa Dei voluntas, quam Dominus administrauit, prædicando, operando, sustinendo. Sic enim, ipse pronuntiauit, non suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad exemplaria prouocamur, vt & prædicemus, & operemur, & sustineamus ad mortẽ vsque. Quid verò Paulus? Nolite amittere confidentiam vestram: patientia enim vobis necessaria est. Sed ad quid necessaria? Vt voluntatem Dei faciatis. Hæc vera patientia; non caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ erudita doctore. Aduersa omnia æquanimiter ferre, patienter sustinere: vt Christo conformeris, vt obsequaris Deo; qui nihil horum non voluit, nihil non disposuit. Fili, ait Basilius, patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, vt velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, vt in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Illa non tolerantia Philosophorum, sed Christiano patientia; quæ mala suffert vt à Deo optimo illata, quæ humanam calamitatem in diuinam refert voluntatem.

Sen. lib. de prouid. c. 4.

Basil Hom. de legend. lib. Gentil.

Exempla Philosophorum, certa non sunt documenta Christianorum.

Tertullian. lib. de orat. cap 4.

Basil. admonit. ad fil. spiritual.

Quoad secundum. Patientia non solùm in malis, sed & in bonis est exercenda. Per patien-

Basil. ibidem.

tiam enim, vti dixit Basilius, expectatur futurorum bonotum spes, & quod non videtur, quasi quod videtur amplectitur. Spes certè, cum differtur, affligit animam, & inde ostendit patientiam non minùs expectandis bonis, quàm malis tolerandis esse necessariam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Magna quidem bona sunt vobis promissa, sed dum moram trahunt, angunt animam. Patientia igitur necessaria est, non solùm vt mala toleretis illata, sed & bona expectetis promissa. Et in hoc Philosophi deficiunt, dum proficiunt Christiani: illi enim totam patientiam in tolerandis præsentibus malis exhauriunt, isti patientiam suam diuinis etiam promissionibus de futuris bonis seu sanctis venturis suffulciunt. Patientiâ vobis opus est: (ita Chrysostomus) vt in iisdem maneatis, ne quod est vobis traditum abiiciatis. Nullo alio vobis opus est: sed ita state, vt instetis; vt cum ad finem perueneritis, accipiatis promissionem Vno solo vobis opus est, vt expetetis dilationem. Iam omnia tulistis certamina, vincula, afflictiones, rapta sunt vestræ facultates. Quid ergo? De cætero ad hoc statis, vt coronemini: hoc solum ferte, coronæ futuræ dilationem. O magnitudo consolationis! Vt si quis dicat athletæ qui omnes prostrauit & expugnauit, neque vllum habet aduersarium cum quo decertet, & deinde sit coronandus, & non ferat illud tempus quo venit agonotheta, & imponit coronam: ille autem non tolerans vult exire & fugere, vt qui non ferat sitim & æstum. Ipse ergo Paulus hoc tacitè significans quid dicit? Adhuc enim modicum aliquantulúmque, qui venturus est veniet, & non tardabit. Nam ne dicerent, Et quando veniet? eos consolatur ex scripturis. Vbi solatium adhibetur, medela vel ad tolerandum malum, vel ad bonum expectandum censetur adhuc necessaria: non enim æquanimitas sola, sed & ipsa longanimitas expectanda Christiano, & ex animo exercenda. Natura quippe mutabilis, (vt Leo loquitur) & de peccati labe mortalis, licet etiam iam redempta & sacro baptismate sit renata in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora procliuis. Corrumperetur carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio: quia sicut illi nunquam deest, vnde corruat; ita semper præsto est, vnde subsistat: dicente Apostolo, Fidelis Deus, qui vos non patietur tentari supra id quod potestis, sed faciet prouentum, vt possitis sustinere. Quamuis ergo Dominus protegat bellatores, & milites suos ille qui potens est in prælio, cohortetur & dicat; Nolite timere, quia ego vici mundum: sciendum tamen est, hoc incitamento formidinem sublatam esse, non pugnam; & retruso aculeo timoris, causam manere certaminis: quod ab hoste versuto, terribiliter quidem furore persecutionis mouetur, sed innocentibus specie pacis infertur. Vbi enim in aperto sunt pugnæ, in manifesto sunt & coronæ. Et hoc ipsum alit atque accendit patientiæ fortitudinem, quòd sicut proxima est, ita est & vicina promissio.

Chrysost. orat. 21.

Patientia bono etiam expectando necessaria.

Leo serm. 7. de ieiun. decimi mens.

Sicut homini nunquam deest vnde corruat, ita semper præsto est vnde subsistat.

Quoad tertium. Non tardat Dominus pro-

A missum suum, quia non protelat vltra conditum terminum: moram tamen facit, dum extremam mundo prodacto nondum imponit clausulam. Interim viriliter agendum est, fideliterque sub spe retributionis, imò quasi sub imagine præsentis insistendum. Adhuc modicum aliquantulum: qui venturus est, veniet, & non tardabit: Iustus autem meus ex fide viuit. Auctoritas ista, vt obseruat Aquinas, sumpta videtur de Habacuch secundo. Tamen principium sumptum est de Aggeo, capite secundo. Quod ideò fortè fecit, quia vtrunque intellexit de eodem aduentu. Habacuch enim sic dixit, Adhuc visus procul: Aggeus autem, Adhuc modicum.

B Et ideò vtitur verbis vnius, quasi verbis alterius. Vel etiam potest dici, quod loquitur quasi ex seipso, cui non minus credendum est, quàm Prophetæ. Ideò ergo dicit, Modicum, & aliquantulum, quantum ad breuitatem temporis: etsi enim multum sit quoad nos, breue tamen est quoad æternitatem. Psalm. 89. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Veniet ergo citò, & non tardabit. Iacob. 5. Ecce iudex ante ianuam assistit. Qui autem sint remunerandi, ostendit, cum subdit; Iustus autem meus ex fide viuit: solis enim iustis debetur remuneratio. Sed est duplex iustitia:

C vna, quoad humanum iudicium: altera, quoad diuinum: & istam iustitiam requirit Deus: & ideo dicit, Iustus meus: scilicet iustitiâ, quæ ad me ordinatur: id est, qui est mihi iustus, & propter me. Respicit equidem Paulus vaticinium, sed testimonium, non tam ad sonum exprimit, quàm expendit ad sensum: ideóque si nonnulla in verbis diuersitas est, nulla prorsus contrarietas est in sententiis. Hæc porrò dicta sunt ad Hebræos: communis tamen admonitio ad multos ex iis qui hîc sunt (ita Chrysostomus) congregati. Quonam modo? Ad eos qui sunt pusilli & abiecti animi, & ad eos qui non sunt patientes. Nam quando viderint malos res suas benè gerere,

D si autem suas malè, dolent, tristitiâ afficiuntur & ægrè ferunt, quòd illorum non videant supplicium & vltionem, & quòd laborum suorum expectent mercedem. Adhuc modicum aliquantulúmque, Qui venturus est veniet, & non tardabit. Et nos ergo hæc dicamus ignauis & socordibus: omninò erit punitio, omninò veniet. Iam est in foribus resurrectio. Salua sunt vobis vestra præmia, & tam citò, quàm & certò reddenda. Adhuc paululum, & quem inuocatis, exurget in auxilium; quem expectatis, veniet ad iudicium, nec in longum differet. Qui ergo verè fidelis est, fide patientiam suam erigit, spe conceptam acuit patientiam: non se diuinæ

E subducit voluntati, quia primæ veritati, & immensæ fidit bonitati. Scitis, ait Leo, & Deo docente cognoscitis, ad æternum vobis gaudium profuturam diuinorum obseruantium mandatorum. In quibus exequendis quia humana fragilitas plerumque lassescit, & in multis per lubricum suæ infirmitatis offendit, misericors & pius Dominus remedia nobis & adiutoria dedit, per quę veniā obtinere possimus. Quis enim tot illecebras mundi, tot insidias diaboli, tot deniq; pericula suæ mutabilitatis euaderet, ni si clemētia æterni Regis mallet nos reparare, quā perdere. Vtpote acquisitionis filios, non perditionis.

Aquin. lect. 4.

Nunc vltimum tempus, quod respectu æternitatis est momentaneum.

Chrysost. in Mor.

Leo serm. 4. de ieiun. decimi mens.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Summa.

SAncti Patres, seu fideles Hebræi, multa per fidem egerunt aut pertulerunt; promissa tamen non sunt, sine nobis Christianis; nisi per spem, assecuti.

TEXTVS.

EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei; vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem,& non inueniebatur,quia transtulit illum Deus: antè translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedenti ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est hæres institutus. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, nesciit quò iret. Fide demoratus est in terrâ repromissionis, tanquam in alienâ, in casulis habitando,cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam prætèr tempus ætatis:quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. Iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus,sed à longè eos aspicientes,& salutantes,& confidentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de quâ exierunt, habebant vtique tempus reuertendi:nunc autem meliorem appetunt, id est,cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat,qui susceperat promissiones;ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen:arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide Iacob, moriens singulos filiorum Ioseph benedixit:& adorauit fastigium virgæ eius Fide Ioseph,moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem,& non timuerunt Regis edictum.

Fide

Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis: inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. Fide celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiua, tangeret eos. Fide tranſierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati ſunt. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione viros ſuos. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.

EXCVRSVS IN LITERAM.

Breviter in literam pernoliandum eſt, diligentérque remeandum ad intelligentiam: pauca ſunt enim, quæ ſimplici contenta ſint expoſitione: plurima verò, quæ vel hiſtoricâ, vel allegoricâ ſuffulta ſint exegeſi.

Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium &c. Dixerat, Iuſtum ex fide viuere, in mediis animum malis, diuiniſque fidere promiſſis. Probat, Fides enim, certa perſuaſio eſt eorum quæ ſperantur, & vera eorum quæ non ſpectantur conuictio. In hac enim teſtimonium conſecuti ſenes &c. Et de hoc antiqui iuſti, bonum in literis ſacris conſecuti ſunt teſtimonium. Fide intelligimus optata eſſe ſecula verbo Dei; vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent &c. Fides non minus præteritorum eſt, quàm futurorum. Ita per fidem nouimus, mundum ſolo Dei conſtructum imperio. Prius enim informis & inuiſibilis, vtpote incompoſitus & horridus: dein excultus & exornatus. Cum ſecula audis, ait Athanaſius, vel quæ ſecula hæc complectuntur, intelliges. Nec ſecus cum tempora dicimus, & quæ temporibus his includuntur, accipimus. Sunt iſta ſeculorum ac temporum volumina. Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur &c. Per fidem, Abel vberiorem hoſtiam obtulit, quàm Cain & per eam iuſtitiæ ſingularis iudicium, ſeu oblationis gratiſſimæ teſtimonium à Deo retulit: imò & per fidem, etiam mortuus loquitur, dum clamantem Deus vleiſcitur ſanguinem. Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit &c. Propter eandem fidem, tranſlatus eſt Henoch raptusve, nec mortem expertus communem: nec amplius viſus, quia de humano ſublatus eſt commercio. Atquin ante tranſlationem, teſtis Scriptura, illum ambulaſſe cum Deo, igitur & ei placuiſſe: ſed nemo placere poteſt, niſi per fidem, ergo qui teſtimonium habuit poſſedit & meritum. Fide Noë, reſponſo accepto de iis quæ nondum videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domûs ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt hæres eſt inſtitutus &c. Sic & Noë, diuino, de iis quæ nondum videbantur, admonitus oraculo, vocémque ſeu reuelationem reueritus, arcam exſtruxit ſaluandæ familiæ; per quam arcam, incredulos conuicit exitio ſeu diluuio digniſſimos: veræque iuſtitiæ hæres eſt inſtitutus. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in terrâ repromiſſionis, tanquam in alienâ, in caſulis habitando, cum Iſaac & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim

Athanaſ. in Paulum.

Henoch merito fiddi, de humano ſublatus commercio.

A

B

enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus &c. Abraham vocatus à Deo qui prius Abram, iussus est exire de terra suâ, & in eam venire, quam in possessionẽ erat accepturus, promptè per fidem obediuit, exiitque, nesciens quo eundum, seu quo tandem esset loco consistendum. Per eandem, diuinis scilicet credens fidensque promissis, velut aduena, in terrâ promissâ conuersatus est, tanquam in alienâ, in tentoriis habitans, sicut Isaac & Iacob, cum illis, tanquam eiusdem hæreditatis promissæ, seu perpetuæ possessionis consortibus, stabilem ciuitatem, cuius Deus auctor ac conditor, expectans. Auctor huius ciuitatis, ait Aquinas, est ipse Deus, non humanæ artis sapientia. Ista ciuitas habet fundamenta, in quo significat eius stabilitatem.

Aquin. Lect. 3.

Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis &c. Sic & Sara, cum esset sterilis, & ætatem iam prætergressa generationi competentem, virtutem accepit suscipiendo fouendóque semini habilem; Deum namque, qui promiserat, veracem censuit. Inde ergo posteri ab vno, idque effœto, prognati sunt, tanto numero, vt computari vix possint ac numerari. Potestne enim fieri, dic mihi, ait Chrysostomus, vt hic huius aut illius numeret maiores? Tam miranda fœcunditas, quàm obdurata sterilitas. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis Deus ciuitatem &c. Omnes isti ex vno exorti, in fide mortui sunt, terrâ quidem promissâ, sed non possessâ; credentes quidem suam aliquando futuram, sed id à longè prospicientes, confitentésque, se aduenas & peregrinos, hospites non ciues super terram: qui enim se tales agnoscunt se patriam quærere, terramve despicere. Nam si Chaldæam respexissent, quid obstabat quominus ad ipsam redirent. Meliorem igitur desiderant, scilicet cœlestem, id est, cœlum ipsum aspirabant. Quapropter tanto honore illos Deus dignatus est, vt eorum se Deum diceret, & ipsos vt amicos haberet ob talem fidem charissimos: illis enim tanquam præcipuis extruxit ciuitatẽ, quam per imaginem seu figuram adumbrauit. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est, Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit &c. Abraham impulsus fide, pietate inductus, accinxit se ad filium immolandum licet vnigenitum: ille, inquam, qui promissa susceperat in ipso complenda filio; nec tam hostia desideraretur, quàm probaretur obedientia. Fecit tamen, cogitans apud se reputansque, Deum posse mortuum filium suscitare: vnde & eum recepit viuum, sed in magni typum mysterij. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit &c. Eadem fide animatus Isaac, futura bona, Iacob & Esau, pollicitus est: & Iacob moribundus, vnumquemque filiorum Ioseph benedixit, & per filij potestatem, Christi diuinitatem prospexit. Et ipse Ioseph, vicinus vitam finiens, de egressione filiorum Israël vaticinatus est, & ossa sua de Ægypto in terram à Deo promissam transferri comprecatus. Adeò enim, ait Athanasius, hic credidit liberandos aliquando ex Ægypto Israëlitas esse, & alio esse his demigrandum, vt eos sit obtestatus, quatenus eius vt ossa secum & cineres tunc asportarent, cum esset inde his abeundum.

Chrysost. orat. 23.

Deus, iustorum Deus, tanquã amicorum.

Athanas. in Paulum.

Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem &c. Eadem fide inspirati parentes Moysi, & aliquid grande ex pueli vultu ominati, occultauerunt illum tribus mensibus, cœlaruntque, mandatum Regis de necandis masculis minimè veriti. Et ipse Moyses, postquam adoleuit, renuit dici filius filiæ Pharaonis, adoptionémque factam, regiamque contempsit cognationem; magis amans afflictionum cum populo Dei perpeti, quàm temporalem oblectationem cum peccato vel periculo consequi, improperium Christi magis honorificum reputans, quàm omnes Ægyptiorum opes: prospiciebat enim futuram liberationem, & per illam æternam attendebat retributionem. Requies enim & remissio, ait Chrysostomus, est peccati. Exsului scilicet à peccato, & frui cœlo. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij deuorati sunt &c. Eadem fide cum vniuerso populo discessit ex Ægypto, furorem Regis minimè reformidans, Regem enim contempsit visibilem; inuisibilem intuitus, ratusque protectorem, tulit omnia pericula, pertulit incommoda. Sic & celebrauit Pascha, fecitque effusionem sanguinis: ne Angelus primogenita vastans & exterminans, quemquam suorum tangeret lædéretve. Et ipsi etiam cum Moyse transierunt mare, & eadem fide vel siccam terram euaserunt: quod ausi Ægyptij, sunt absorpti. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit

Chrysost. orat. 26.

periit cum incredulis, excipiens exploratores A cum pace &c. Muri Iericho cesserunt fidei, & circumdati, die septimo ceciderunt. Fidei suæ merito, Rahab non periit cum incredulis, exploratorésque hospitio suscepit, dimisítque cum vitæ suæ periculo.

Quantum fuerit Rahab meretricis meritum.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello: acceperunt mulieres de B resurrectione mortuos suos &c. Quid congeram plura fidelium priscorum exempla? Quis enim finis, si singula suggeram, dicámque de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, cæterísque Prophetis, qui per fidem diuinarum promissionum, expugnarunt regna, iusta pronuntiarunt iudicia, promissam occuparunt terram, concluserunt ora leonum, vim ignis compresserunt, gladium euaserunt hostilem, lethalémque morbum effugerunt; bellicam demonstrarunt fortitudinem, aciem inimicam dissiparunt. Inclaruerunt etiam mulieres fide, filiosque suos receperunt de resurrectione venientes. Alij autem distenti sunt, non suscipientes re- C demptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ &c. Alij flagellis pulsati, taureisque cruciati: nolentes à morte redimi, nec ferentes à vexatione liberari; meliorem vitam sperantes, beatam scilicet immortalitatem. Alij ludibria subierunt, alij verbera, alij induerunt vincula, & in carceres sunt detrusi. Alij lapidati sunt, dissecti sunt, expositi periculo, gladio occisi. Cir- D cuierunt in ouinis pellibus, aut caprinis: rebus omnibus destituti, angustiis ac pressuris obsessi: quorum conuersatione ac participatione dignus non erat mundus: errauerunt in solitudinibus & montibus, latitaueruntque in speluncis & terræ cauernis. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Et hi omnes iustitiæ testimonium per fidem promeriti, bona tamen promissa non sunt assecuti: ex quo nobis cōtigit singulare eximiumque Prouidentiæ, E ne sine nobis perficerentur, consummatamve consequerentur gloriam. Cur, inquit apud Commentatorem Athanasianum, pusillo animo estis, si certando exagitati, nondum sitis pro susceptis laboribus mercedem adepti? quandoquidem quos diximus sancti, & si testimonium per fidem sunt nacti, Deo perplacuisse, nihil tamen adhuc cœlestium promissorum sint consecuti. Vt non sine nobis consummarentur: hoc est, vt non sine nostro honore & gloriâ.

Quāta priscorum fidelium supplicia.

Comment. Athanas.



RECVRSVS AD *intelligentiam.*

PATIENTIA vana est aut infirma, nisi fide munita, spe sit suffulta. Nondum patientia in terris, ait Tertullianus, quia nec fides scilicet. Idcircò Paulus qui ad patientiam hortatus fuerat, ipsam statuit fidei substantiam, variisque exemplis acuit animi constantiam. Sed qualis illa fidei substantia? Recurrendum est, exponendumque quid sit fides, & quid possit.

Tertullian. lib. de patient. cap. 6.

EXPOSITIO I.

De substantiâ.

DE fide agimus, sed Christianâ, seu de virtute, quæ in religione prima, in salute præcipua: dicimusque primò, fundamentum esse, quo res sperandæ substant: secundò, argumentum, quo res obscuræ dilucescunt: tertiò, testimonium, quo fideles animæ innotescunt. Dicimus, quia sic ex Paulo Apostolo dicendum didicimus definiendúmque. Est autem fides sperandarum substantia rerum. En quoad primum. Argumentum non apparentium. En quoad alterum. In hac testimonium consecuti sunt senes. En quoad tertium.

Igitur quoad primum. Si fidem definiret Paulus in scholâ, diceret esse accidens: sed quia definit ex cathedra, dicit esse substantiam, seu subsistentiam. Ita in Græco ὑπόστασις ἐλπιζομένων. Quid verò ὑπόστασις, nisi substantia, seu subsistentia, realis substantialisque existentia? Nondum enim vsus nominum distinctionem receperat, vel Paulus ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν notis propriis distinxerat. Nunc, ait Hieronymus, pro dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum Præsule & Campensibus, nouellum à me, homine Romano, nomen exigitur. Qui quæso, ista Apostoli prodidere? quis nouus Magister Gentium Paulus hæc docuit? Tota secularium literarum schola, nihil aliud hypostosim, nisi vsiam, nouit. Taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur. Aut, si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: sed, mihi credite, venenum sub melle latet. Græci tamen minùs scrupulosi, substantiam seu οὐσίαν, volunt rem esse communem & indefinitam, personam verò seu ὑπόστασιν, rem singularem seu contractam, & ita naturam distinguunt & subsistentiam: sed id non tam vsu linguæ, quàm Ecclesiæ sensu definiunt. In mysticis enim dogmatibus enarrandis, vt loquitur Basilius, plerique sunt, qui nullo discerniculo distinguunt nomen communius τῆς οὐσίας, à significatiuâ ratione τῶν ὑποστάσεων. Paulus dixit, Fidem esse ὑπόστασιν: & Interpres vertit, Substantiam. Quid igitur aliud hypostasis, quam

Hieronym. epist. 57.

Hypostasis tam pro substantiâ quàm pro subsistentia.

Basil. epist. 43.

quam substantia, natura, essentia? Fides substantia est, non scholastico more; sed iure Apostolico: dicitur enim substantia, crediturque, & sperandarum seu speratarum substantia seu subsistentia & inexistentia rerum; quia bona quæ sperantur, per illam subsistunt; licet enim futura sint expectantur, sunt tamen existuntve iam dum spectantur quasi præsentia: tantâ enim certitudine creduntur, quasi iam ipsâ comprehenderentur veritate: tantâ firmitudine stabiliuntur, quasi iam præsentaneâ fruerentur realitate. Nam, vti dixit Chrysostomus, quoniam quæ sunt in spe videntur esse huiusmodi vt non possint consistere, fides eis donat substantiam, id est vt consistant; vel potius non donat, sed ipsum est eorum essentiæ: vt exempli causâ, non aduenit resurrectio, neque est in substantiâ, id est non consistit: sed spes facit vt ea consistat in nostrâ animâ. Hoc est rerum substantia. Quæ res sperantur à Christianis, nisi quæ in cœlis putantur repositæ? Spes nostra, ait Augustinus, non est de isto tempore, neque de hoc mundo est: neque in eâ felicitate qua excœcantur & homines qui obliuiscuntur Deum. Hoc nosse primitùs, & Christiano corde tenere debemus, non ad præsentis temporis bona nos factos esse Christianos, sed ad nescio quid aliud quod Deus iam promittit, & homo nondum capit. Sed illud nescio quid tam certò credit Christianus, quia Deus promittit; ac si iam teneret, iamque illud apprehenderet, vsurparet oculo, animoque occuparet. Fides ergo; dum certam pronuntiat veritatem, spem firmat fundatque, dum immotam stabilitatem, subsistentiamque præstat seu consistentiam. Nobis enim, ait ille, tanquam infantibus, in hac carne atque in infirmitate iacentibus, & magnum est quod promittitur & non videtur: & erigitur fides quâ credimus, vt mereamur videre quod credimus. Quicumque autem irridet hanc fidem, vt ideò putet non sibi esse credendum quia non videt: quando venerit quod non credebat, erubescit.

Chrysost. orat. 21.

Augustin. ser. 54. de verb. Dom. cap. 11

Augustin. Ibidem.

Quoad secundum. Fides quidem spem fulcit, dum rem quasi facit existentem: sed quomodo id faciat, ni mentem conuincat, & redigat in captiuitatem? Benè ergo & appositè Paulus, cum dixit, Est autem fides sperandarum substantia rerum. Statim addidit: Argumentum non apparentium. Græcè ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Sicut enim eorum est quæ sperantur, sic & eorum quæ non videntur: sed sicut illa fundat, sic & ista demonstrat. Quid enim ἔλεγχος, nisi conuictio, ostensio, demonstratio: sicut enim illa firmat licet futura ac si iam præsentia essent & existentia; sic & illa repræsentat licet obscura, ac si perspicua essent & euidentia. Papè (exclamat Chrysostomus) quali dictione vsus est Apostolus, dicens, Argumentum non apparentium, id est eorum quæ non videntur. Argumentum enim est ex iis quæ sunt valdè manifesta. Fides ergo, inquit, est aspectus eorum quæ non sunt manifesta, & ea quæ non videntur deducunt ad eandem certam ac plenam persuasionem, ad quam quæ videntur. Neque ergo in iis quæ videntur licet fidem

Chrysost. orat. 21.

A non habere: neque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertiùs fuerit quispiam persuasus quàm de iis quæ videntur, non potest esse fides. Differunt quidem fides & spes in tribus. Primum est, quòd illa sit mentis, ista voluntatis: alterum, quod illa non solùm bonorum sit, sed & malorum; ista verò, bonorum sit duntaxat quæ desiderantur, non quæ reformidantur malorum: tertium, quod illa non solùm sit futurorum, sed & præteritorum, imò & quorundam præsentium; ista verò, venturorum duntaxat, seu futurorum. Sed & in tribus etiam conueniunt. Primum est, quòd vtraque virtus sit Theologica, Philosophis scilicet incognita, & solis nota Christianis, non tam Philosophis quàm Theologis: alterum, quòd vtraque non solùm ad colendum Deum, sed & ad fruendum beatifico bono sit necessaria: tertium, quòd vtraque tantam certitudinem nacta sit, quantam veritatem. Verùm in hoc præcellit fides, sicut & præcedit; quòd sicut spes ab ipsâ veritatem accipit, sic & ab ipsâ desumit certitudinem. Spes enim firma, quia fides tam certa quàm vera est; dum rem inuisibilem, quasi visibilem prospicit; dum rem tangit & attingit: etsi enim absentia sit corporis in re, mente tamen sit præsentia virtutis in fide. Hanc quodammodo absentiam corporis sui, ait Augustinus, & præsentiam virtutis suæ in omnibus gentibus in illâ muliere significauit, quæ fimbriam vestimenti eius tetigerat, cum requirit, dicens, Quis me tetigit? Tanquam absens, requirit; tanquam præsens, sanat. Turbæ te, inquiunt Discipuli, comprimunt: & dicis, Quis me tetigit? Quasi enim sic ambularet, vt à nullo prorsus corpore tangeretur, ita dixit, Quis me tetigit? Et illi, Turbæ te comprimunt. Et tanquam diceret Dominus, Tangentem quæro, non prementem. Sic etiam nunc est corpus eius, id est, Ecclesia eius. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum. Si enim eius corpus sumus, quod tunc corpus eius in turbâ patiebatur, hoc patitur Ecclesia ipsius. A turbis premitur, à paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. Multi carnales, fideles pauci, qui veram habeant fidem, certam teneant spem; & inuisibilem incomprehensibilémque, tanquam videntes, tangentesque sustineant. Quid est enim spiritaliter tangere, nisi veraciter constantérque credere? Vnde, vt & ille obseruauit, mulieri post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes eius: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem. Quod vides, hoc solum me esse putas. Noli me tangere. Quid est? Hoc est, me solum esse putas quod tibi appareo. Noli me sic credere, hoc est noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem: tibi nondum ascendi, nam inde nunquam recessi. In terrâ non tangebat, stantem, & quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit: sic tangitur ab eis, à quibus benè tangitur.

In quibus fides & spes differant, in quibus conueniant.

B

C

Augustin. serm. 6. de verb Dom. cap. 3.

D

Augustin. Tract. 26. in Ioan. circ. med.

E

Quoad tertium. A fide, à spe, non solum ordienda est iustitia, sed & prouehenda. Initium enim substantiæ, seu veræ fidei & spei inconcussæ, initium est iustitiæ; & illâ cum istâ simul adolescit & crescit. Omnibus in rebus, ait Basilius, priusquam ad eas aggrediamur, viam

Basil. in constit. monast. cap. 16.

A periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace &c. Muri Iericho cesserunt fidei, & circumdati, die septimo ceciderunt. Fidei suæ merito, Rahab non periit cum incredulis, exploratoresque hospitio suscepit, dimisitque cum vitæ suæ periculo.

Quantum fuerit Rahab meretricis meritum.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos &c. Quid congeram plura fidelium priscorum exempla? Quis enim finis, si singula suggeram, dicámque de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, cæterisque Prophetis, qui per fidem diuinarum promissionum, expugnarunt regna, iusta pronuntiarunt iudicia, promissam occuparunt terram, concluserunt ora leonum, vim ignis compresserunt, gladium euaserunt, hostilem, lethalémque morbum effugerunt; bellicam demonstrarunt fortitudinem, aciem inimicam dissiparunt. Inclatuerunt etiam mulieres fide, filiosque suos receperunt de resurrectione venientes. C Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in meloris, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ &c. Alij flagellis pulsati, taureisque cruciati: nolentes à morte redimi, nec ferentes à vexatione liberari; meliorem vitam sperantes, beatam scilicet immortalitatem. Alij ludibria subierunt, alij verbera, alij induerunt vincula, & in carceres sunt detrusi. Alij lapidati sunt, dissecti sunt, expositi periculo, gladio occisi. D Circuierunt in ouinis pellibus, aut caprinis: rebus omnibus destituti, angustiis ac pressuris obsessi: quorum conuersatione ac participatione dignus non erat mundus: errauerunt in solitudinibus & montibus, latitaueruntque in speluncis & terræ cauernis. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Et hi omnes iustitiæ testimonium per fidem promeriti, bona tamen promissa non sunt assecuti: ex quo nobis cōtigit singulare eximiumque Prouidentiæ, E ne sine nobis perficerentur, consummatamve consequerentur gloriam. Cur, inquit apud Commentatorem Athanasianum, pusillo animo estis, si certando exagitati, nondum sitis pro susceptis laboribus mercedem adepti? quandoquidem quos diximus sancti, & si testimonium per fidem sunt nacti, Deo perplacuisse, nihil tamen adhuc cœlestium promissorum sint consecuti. Vt non sine nobis consummarentur: hoc est, vt non sine nostro honore & gloriâ.

Quãta priscorum fidelium supplicia.

Comment. Athanas.

RECVRSVS AD intelligentiam.

PATIENTIA vana est aut infirma, nisi fide munita, spe sit suffulta. Nondum patientia in terris, ait Tertullianus, quia nec fides scilicet. Idcircò Paulus qui ad patientiam hortatus fuerat, ipsam statuit fidei substantiam, variisque exemplis acuit animi constantiam. Sed qualis illa fidei substantia? B Recurrendum est, exponendumque quid sit fides, & quid possit.

Tertullian. lib. de patient. cap. 6.

EXPOSITIO I.

De substantiâ.

DE fide agimus, sed Christianâ, seu de virtute, quæ in religione prima, in salute præcipua: dicimusque primò, fundamentum esse, quo res sperandæ substant: secundò, argumentum, quo res obscuræ dilucescunt: tertiò, testimonium, quo fideles animæ innotescunt. Dicimus, quia sic ex Paulo Apostolo dicendum didicimus definiendúmque. Est autem fides sperandarum substantia rerum. En quoad primum. Argumentum non apparentium. En quoad alterum. In hac testimonium consecuti sunt senes. En quoad tertium.

Igitur quoad primum. Si fidem definiret Paulus in scholâ, diceret esse accidens: sed quia definit ex cathedra, dicit esse substantiam, seu subsistentiam. Ita in Græco ὑπόστασις ἐλπιζομένων. Quid verò ὑπόστασις, nisi substantia, seu subsistentia, realis substantialisque existentia? Nondum enim vsus nominum distinctionem receperat, vel Paulus ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν notis propriis distinxerat. Nunc, ait Hieronymus, pro dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum Præsule & Campensibus, nouellum à me, homine Romano, nomen exigitur. Qui quæso, ista Apostoli prodidere? quis nouus Magister Gentium Paulus hæc docuit? Tota secularium literarum schola, nihil aliud hypostosin, nisi vsiam, nouit. Taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur. Aut, si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: sed, mihi credite, venenum sub melle latet. Græci tamen minùs scrupulosi, substantiam seu οὐσίαν, volunt rem esse communem & indefinitam, personam verò seu ὑπόστασιν, rem singularem seu contractam, & ita naturam distinguunt & subsistentiam: sed id non tam vsu linguæ, quàm Ecclesiæ sensu definiunt. In mysticis enim dogmatibus enarrandis, vt loquitur Basilius, plerique sunt, qui nullo discerniculo distinguunt nomen communius τῆς οὐσίας, à significatiuâ ratione τῶν ὑποστάσεων. Paulus dixit, Fidem esse ὑπόστασιν: & Interpres vertit, Substantiam. Quid igitur aliud hypostasis, quam

Hieronym. epist. 57.

Hypostasis tam pro substantiâ quàm pro subsistentia.

Basil. epist. 43.

quam substantia, natura, essentia? Fides substantia est, non scholastico more; sed iure Apostolico: dicitur enim substantia, crediturque, & sperandarum seu speratarum substantia seu subsistentia & inexistentia rerum; quia bona quæ sperantur, per illam subsistunt; licet enim futura sint expectantur, sunt tamen existuntve iam dum spectantur quasi præsentia: tantâ enim certitudine creduntur, quasi iam ipsâ comprehenderentur veritate: tantâ firmitudine stabiliuntur, quasi iam præsentaneâ fruerentur realitate. Nam, vti dixit Chrysostomus, quoniam quæ sunt in spe videntur esse huiusmodi vt non possint consistere, fides eis donat substantiam, id est vt consistant; vel potius non donat, sed ipsum est eorum essentia: vt exempli causâ, non aduenit resurrectio, neque est in substantiâ, id est non consistit: sed spes facit vt ea consistat in nostrâ animâ. Hoc est rerum substantia. Quæ res sperantur à Christianis, nisi quæ in cœlis putantur repositæ? Spes nostra, ait Augustinus, non est de isto tempore, neque de hoc mundo est: neque in eâ felicitate quâ excæcantur & homines qui obliuiscuntur Deum. Hoc nosse primitùs, & Christiano corde tenere debemus, non ad præsentis temporis bona nos factos esse Christianos, sed ad nescio quid aliud quod Deus iam promittit, & homo nondum capit. Sed illud nescio quid tam certò credit Christianus, quia Deus promittit; ac si iam teneret, iamque illud apprehenderet, vsurparet oculo, animoque occuparet. Fides ergo, dum certam pronuntiat veritatem, spem firmat fundatque, dum immotam stabilitatem, subsistentiamque præstat seu consistentiam. Nobis enim, ait ille, tanquam infantibus, in hac carne atque in infirmitate iacentibus, & magnum est quod promittitur & non videtur: & erigitur fides quâ credimus, vt mereamur videre quod credimus. Quicumque autem irridet hanc fidem, vt ideò putet non sibi esse credendum quia non videt: quando venerit quod non credebat, erubescit.

Chrysost. orat. 21.

Augustin. ser. 54. de verb. Dom. cap. 11.

Augustin. Ibidem.

Quoad secundum. Fides quidem spem fulcit, dum rem quasi facit existentem: sed quomodo id faciat, ni mentem conuincat, & redigat in captiuitatem? Benè ergo & appositè Paulus, cum dixit, Est autem fides sperandarum substantia rerum. Statim addidit: Argumentum non apparentium. Græcè ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Sicut enim eorum est quæ sperantur, sic & eorum quæ non videntur: sed sicut illa fundat, sic & ista demonstrat. Quid enim ἔλεγχος, nisi conuictio, ostensio, demonstratio: sicut enim illa firmat licet futura ac si iam præsentia essent & existentia; sic & illa repræsentat licet obscura, ac si perspicua essent & euidentia. Papè (exclamat Chrysostomus) quali dictione vsus est Apostolus, dicens, Argumentum non apparentium, id est eorum quæ non videntur. Argumentum enim est ex iis quæ sunt valdè manifesta. Fides ergo, inquit, est aspectus eorum quæ non sunt manifesta, & ea quæ non videntur deducunt ad eandem certam ac plenam persuasionem, ad quam quæ videntur. Neque ergo in iis quæ videntur licet fidem

Chrysost. orat. 21.

A non habere: neque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertiùs fuerit quispiam persuasus quàm de iis quæ videntur, non potest esse fides. Differunt quidem fides & spes in tribus. Primum est, quòd illa sit mentis, ista voluntatis: alterum, quod illa non solùm bonorum sit, sed & malorum; ista verò, bonorum sit duntaxat quæ desiderantur, non quæ reformidantur malorum: tertium, quod illa non solùm sit futurorum, sed & præteritorum, imò & quorundam præsentium; ista verò, venturorum duntaxat, seu futurorum: Sed & in tribus etiam conueniunt. Primum est, quòd vtraque virtus sit Theologica, Philosophis scilicet incognita, & solis nota Christianis, non tam Philosophis quàm Theologis: alterum, quòd vtraque non solùm ad colendum Deum, sed & ad fruendum beatifico bono sit necessaria: tertium, quòd vtraque tantam certitudinem nacta sit, quantam veritatem. Verùm in hoc præcellit fides, sicut & præcedit; quòd sicut spes ab ipsâ veritatem accipit, sic & ab ipsâ desumit certitudinem. Spes enim firma, quia fides tam certa quàm vera est; dum rem inuisibilem, quasi visibilem prospicit; dum rem tangit & attingit: etsi enim absentia sit corporis in te, mente tamen fit præsentia virtutis in fide. Hanc quodammodo absentiam corporis sui, ait Augustinus, & præsentiam virtutis suæ in omnibus gentibus in illâ muliere significauit, quæ fimbriam vestimenti eius tetigerat, cum requirit, dicens, Quis me tetigit? Tanquam abiens, requirit; tanquam præsens, sanat. Turbæ te, inquiunt Discipuli, comprimunt: & dicis, Quis me tetigit? Quasi enim sic ambularet, vt à nullo prorsus corpore tangeretur, ita dixit, Quis me tetigit? Et illi, Turbæ te comprimunt. Et tanquam diceret Dominus, Tangentem quæro, non prementem. Sic etiam nunc est corpus eius, id est, Ecclesia eius. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum. Si enim eius corpus sumus, quod tunc corpus eius in turbâ patiebatur, hoc patitur Ecclesia ipsius. A turbis premitur, à paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. Multi carnales, fideles pauci, qui veram habeant fidem, certam teneant spem; & inuisibilem incomprehensibilémque, tanquam videntes, tangentesque sustineant. Quid est enim spiritaliter tangere, nisi veraciter constanterque credere? Vnde, vt & ille obseruauit, mulieri post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes eius: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem. Quod vides, hoc solum me esse putas. Noli me tangere. Quid est? Hoc est, me solum esse putas quod tibi appareo. Noli me sic credere, hoc est noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem: tibi nondum ascendi, nam inde nunquam recessi. In terrâ non tangebat, stantem, & quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit: sic tangitur ab eis, à quibus benè tangitur.

In quibus fides & spes differant, in quibus conueniant.

Augustin. ferm. 6. de verb Dom. cap. 3.

Augustin. Tract. 26. in Ioan. cir. med.

Quoad tertium. A fide, à spe, non solum ordienda est iustitia, sed & prouehenda. Initium enim substantiæ, seu veræ fidei & spei inconcussæ, initium est iustitiæ; & illâ cum istâ simul adolescit & crescit. Omnibus in rebus, ait Basilius, priusquam ad eas aggrediamur, viam muñire

Basil. in constit. monast. cap. 16.

munire debet ac præſtruere ea, quæ in Deum A
fides eſt, eique comes vnà ſpei alacritas adiungenda; quò videlicet & fide fultas animi vires ſuffulciamus, & ſpei alacritate animo ad res honeſtas erectiores ſimus. Neque enim in rebus bonis conatus humanus, ſublatâ ope diuinâ, perfectè vnquam, quod vult, poterit adipiſci: neque item viciſſim diuinum præſidium ad nos nullo noſtro ſtudio venturum putandum eſt. Sed ad perfectum virtutis cumulum coniuncta ſimul eſſe vtraque hæc oportet, & humanum ſtudium, & auxilium cœleſte fidei operâ aſcitum & comparatum. Hæc prima mentis humanæ vita eſt, prima & Chriſtianæ virtutis, veræ ſanctitatis, pietatiſque linea. Illum B
enim, vt Aquinas docet, per quod iuſtificatur homo, eſt fides. Rom. 3. Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti. Cuius ratio eſt, quia per hoc eſt homo iuſtus, quòd ordinatur in Deum: illud autem per quod, primò homo ordinatur in Deum, eſt fides: & ideò dicit, Iuſtus meus ex fide viuet; ſcilicet iuſtitiâ quæ ad me ordinatur. Nec ſolùm per fidem iuſtitia, ſed etiam per fidem iuſtificatus viuit. Sicut enim per animam viuit corpus, ita anima per Deum. Vnde ſicut per illud, per quod primò vnitur anima corpori, viuit corpus; ita per id per quod primò vnitur Deus animæ, viuit anima: hoc autem eſt fides, quia fides principium in vitâ ſpirituali. C
Inde ergo teſtimonium conſecuti ſunt πρεσβύτοι. Antiqui fideles, ſeniores ſancti, qui in ſcripturis ſacris noti, inter iuſtos, & amicos Dei recenſiti. Sed vnde illi clari, vnde tantum & veræ ſeu diuinæ iuſtitiæ conſecuti ſunt teſtimonium? Quod fidem verbis adhibuerint diuinis, quòd ſpem in promiſſis conſtituerint. A fide, à ſpe vitam exorſi ſunt ſpiritalem, cœleſtémque proſecuti iuſtitiam. Iam Chriſtum proſpectabant, in illum ſperabant, & ex illa fide, ex illâ ſpe, Chriſtianam initiabant iuſtitiam: licet enim Hebræi & genere & nomine, re tamen ſeu fide, ac ſpe, id eſt, iuſto titulo, & vero teſtimonio Chriſtiani. In hac teſtimonium D
conſecuti ſunt ſenes: id eſt, vt exponit Athanaſius, In ipſâ fide teſtimonium excèpere tantopere priſci omnes, vt pro confeſſo habitum ſit Chriſto morem geſſiſſe. Sed & alij veniunt ab oriente & occidente, & recumbunt cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Videmus Iudæos reprobatos, ait Auguſtinus, videmus Chriſtianos ab oriente & occidente vocatos ad quoddam conuiuium cœleſte, vt recumbant cum Abraham & Iſaac & Iacob: vbi panis iuſtitia, vbi potus ſapientia. Attendite ergo fratres: hoc enim eſtis, ex hoc populo eſtis; iam tunc prædicto, nunc præ- E
ſentato. Eſtote ergo corpus Chriſti, non preſſura corporis Chriſti. Habete veſtimenti fimbriam, quam tangatis, vt à profluuio ſanguinis, id eſt, à carnalium voluptatum fluxu ſanemini. Veſtem putate Apoſtolos, ſub texturâ vnitatis adhærentes lateribus Chriſti. In his Apoſtolis erat tanquam fimbria, minimus & nouiſſimus Paulus: ipſo dicente, Ego ſum minimus Apoſtolorum. In veſte nouiſſimum & minimum, fimbria eſt. Fimbria cum contemptu aſpicitur: ſed cum ſalute tangitur.

Bonum opus ſimul & humano ſtudio & cœleſti auxilio.

Aquin. lect. 4. cap. 10.

Fides vera mentis & virtutis linea eſt.

Athanaſ. in Paulum.

Auguſtin. ſerm. 6. de verb. Dom. cap. 4.

EXPOSITIO II.

De intelligentiâ.

Fides non ſolùm fulcit, ſed & intelligit: ſicut enim ſpem erigit noſtram; ſic & reuelatam percipit veritatem. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Et congruè quidem id commendat & aptiſſimè: tum vt præteritis futura ſtatuat, cùm vt obſcura ex apertis eliciat. Doctrina enim in veteri teſtamento, duplex fuit (vt aduertit Aquinas.) Vna apertè poſita: alia verò, ſub velamine figurarum & myſteriorum velata fuit. Prima, de vnitate Dei & creatione mundi: ſecunda, de myſterio incarnationis & reparationis. Vnde ſicut ipſi in memoriam creationis colebant Sabbata, ita nos in memoriam reſurrectionis ſeruamus Dominicam. Quantum ergo ad doctrinam de mundi creatione dicit Apoſtolus, Fide intelligimus. Sed in eo tria ſunt exponenda. Opus, modus, & ſcopus.

Quoad primum. Opus grande & arduum, ideóque in fronte ſymboli propoſitum Chriſtiani. Tantum quippe opus agnoſcimus, cum credimus Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: id eſt rerum omnium, tam cœleſtium quàm terreſtrium, tam ſpiritalium quàm corporalium. Ipſe, ait Auguſtinus, fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, inuiſibilia & viſibilia. Inuiſibilia, ſicut ſunt in cœlis ſedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Archágeli, Angeli. Fecit in cœlo viſibilia, Solem, Lunam, ſtellas. Suis animalibus terreſtribus ornauit terram, impleuit aërem volatilibus, terram ambulantibus & ſerpentibus, mare natantibus: omnia impleuit ſuis creaturis propriis. Opus præmeditatum ab æterno, & Deo dignum. In principio creauit Deus cœlum & terram. Decens namque eſt, vt exponit Baſilius, accommodatúmque principium ei, qui mundi conſtitutionem ſit enarraturus, ſuæ narrationi vt præſtruat principium, quo res conſpicuæ ac ſubiectæ oculis in ſuum quæque ordinem diſtributæ ſunt & diſtinctæ. Etenim cœli terræque tradenda creatio eſt, non vtique euentu fortuito aut caſu exorta, perinde vt quidam ſunt opinati: ſed originem ab ipſo Deo atque cauſam ſumpſit. Cuiuſmodi eſſe debet auditus, dignus vt ſit percipiendâ eorum quæ dicuntur magnitudine? Sed tanti iſtius Scriptoris ſenſa profundiora etſi non aſſequamur per mentis noſtræ imbecillitatem: at certè auctoritati dicentis fide omni digniſſimæ attenti, nihil inuiti aſſentiemur illius dictis. Non inquirimus ratione, ſed fide intelligimus. Fidei, inquit Chryſoſtomus, generoſa nobilitas, & iuuenili opus habet animâ, & quæ omnia exuperet ſenſilia, & humanarum rationum pertranſeat imbecillitatem. Fieri enim non poteſt vt aliter ſit fidelis, niſi qui ſe extulerit ſuprà omnem communem conſuetudinem. Cum ergo dicit Paulus, Fide intelligimus. Rationem non producit, ſed fidem: noſque & à profanis ſecernit, & ſanctis coniungit. Seculares Philoſophi,

Aquin. Lect. 2.

Auguſtin. lib. 1. de ſymb ad catech. cap. 1.

Baſil. Hom 1. in Hexam. limine.

Chryſoſt. orat. 22.

Fidem requirit Paulus non rationem.

Philosophi, rationis acumine opus hoc mundi disquirunt, nos fide percipimus veritatis: seniores sancti, fide crediderunt, & nos eadem fide credimus: sicut enim diuersa nobis vitæ regula, sic & alia à Philosophis doctrinæ forma; tamque diuersa ratio, quàm aduersa conuersatio. Accessistis ad Dominum, ait Augustinus, credere festinate: & operam date apprehendere per bonam conuersationem quod credidistis. Non enim propter præsentem vitam efficimini Christiani, sed propter futuram vitam, quam vobis credentibus, & in se perseuerantibus, Dominus Christus ipse largitur. Quid ergo primò omnium credendum, quid proponendum? Vt credatis, ait ille, in Deum Patrem omnipotentem, inuisibilem, immortalem, Regem Sanctorum, visibilium & inuisibilium creatorem: & quicquid alind dignè de illo vel ratio sincera, vel Scripturæ sanctæ auctoritas loquitur. Vestra societas est commercium spiritualium, vt similes sitis negotiatoribus, bonam margaritam quærentibus. Hæc est charitas, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est vobis. Ad hanc peruenitur ex fide, quæ in Symbolo continetur. Fideles sumus, Christiani sumus; credimus etiam quod nescimus: sed melior religiosa ac pia credulitas, quàm profana ac temeraria curiositas. Non dicimus, Scio; sed, credo: fide intelligimus, non inquisitione; definimusque Sanctius esse credere simpliciter tutiusque, quàm subtiliter contendere.

Augustin. serm. 9. ex nouis in fine.

Augustin. serm. 75. de diuers. init.

Quoad secundum. Opinati sunt Philosophi licet pauci, mundum quidem à Deo conditum: sed de modo, id solis notum Christianis. Fide intelligimus optata esse secula verbo Dei. Quid verbo? Græcè ῥήματι. Verbum illud non mentis est, sed voluntatis; quo iussit, fecitque; nec minus tamen ratione disposuit quæ fecit, quàm virtute fecit quæ disposuit. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Statuit ea in æternum & in seculum seculi, præceptum posuit & non præteribit. Habes tria simul collecta. Primum est, verbum illud tam virtutis esse, quàm rationis. Ipse dixit, & facta sunt. Alterum, verbum Dei, quo facit producitque, non aliud esse quàm Dei imperium. Ipse mandauit, & creata sunt. Tertium, præcepto regere quod fecit, summóque administrare consilio. Statuit ea in æternum & in seculum seculi, præceptum posuit & non præteribit. Per quid facta sunt? (ait Augustinus) per verbum. Nemo dicit, nemo mandat, nisi verbo. Statuit ea in seculum seculi omnia cælestia, omnia superiora. Nemo quidem dicit, nisi verbo; nemo mandat, nisi verbo: sed Deus solus est, cuius verbum virtutis est, sicut & æternitatis imperium. Fides hæc, ait ille, & salutis regula: credere in Deum Patrem omnipotentem vniuersorum Creatorem, Regem seculorum, immortalem & inuisibilem: ipse est quippe Deus omnipotens, qui in primordio mundi cuncta ex nihilo fecit, qui est ante secula, qui fecit & regit secula. Non enim tempore augetur, aut loco discinditur, aut aliquâ materiâ concluditur aut terminatur. Sed manet apud se & in seipso plena & perfecta æternitas, quam nec comprehendere humana cogitatio potest, nec lingua enarrare. Quid manet apud se? Virtute innatâ, tam plenâ potestate, quàm æternitate perfectâ. Nemo quærat, ait Lactantius, ex quibus sit ista materies, aut vnde tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit: omnia enim fecit ex nihilo. Exorsus enim Deus fabricam mundi, filiū præfecit operi vniuerso, eóque simul & consiliatore vsus est & artifice in excogitandis, ordinandis, perficiēdisque rebus: quoniam is & prouidentiâ & ratione & potestate perfectus. Non igitur audiendi sunt Poëtæ, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum atque elementorum: postea verò Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus & confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter & ornasse. Credant nihil efficere posse, nisi ex materiâ subiacente ac paratâ: in quo errore etiam Philosophi fuerunt. Deus tamen facit ipsam materiã, quia potest: nam si non potest, Deus non est. Homo facit ex eo quod est, quia definitæ ac modicæ potestatis. Deus autem facit ex eo quod non est: quia potestatis est immensæ, quæ fine ac modo caret. In eo modo caligāt Ethnici, delirant aut aberrant Philosophi: soli capiunt, vt & soli sapiūt Christiani. Fide intelligimus, intelligimus. Quinam? non exteri, sancti, seu Hebræi seu Christiani: quia ex litteris sacris accepimus. Quidnam? Aptata esse secula verbo Dei. Totum hoc vniuersum, solo Dei imperio, tantâ coaptatum industriâ, quantâ ex nihilo sui creatum esse potētiâ. Fideliter credite in Deum Patrē omnipotentem. (verba sunt Augustini) omnipotentem quippè Deum credimus, qui omnia faciens factus non est: & ideò omnipotens ēst, quia de nihilo fecit quæcumque fecit. Non enim eum aliqua materies adiuuit, ex quâ demonstraret artis suæ potentiam, sed ex nihilo cuncta creauit. Hoc est enim esse omnipotentem, vt non solùm fabrica ipsa, sed etiam materies ab illo inueniatur esse, qui non habuit initium vt esset. Omne enim quod est, ab illo est: ipse autem à seipso est, qui non ab aliquo factus est. Fecit ergo facta non factus, creauit creaturam non creatus: qui etiam ipsi creaturæ conuenientibus gradibus per diuersas ordinationes constituit potestates. Cuncta quæ voluit, imò quia voluit fecit; & illa quæ fecit decentissimè, regit sapientissimè.

Augustin. in Expos. Psal. 148. circ. med.

Augustin. serm. 14. ex va. hact. ined.

Lactant. lib. 2. diui. instit. cap. 9.

Homo facit ex eo quod est, Deus ex eo quod non est facit.

Augustin. lib. 2. de symb. ad cat. cap. 3.

Quoad tertium. Mundus quidem aptatus est, partibus sibi decoriter conuenientérque respōdentibus: sed vbi priùs, quàm fructui, & habitationi priùs coaptatus quàm generationi. Terra autem erat inanis & vacua. Seu, vt habent Græca. Terra autem erat inuisibilis & incomposita. Aquis nimirum obuoluta, & tenebris obsita. Qui factum putas, ait Basilius, vt vtrisque citra alterutrius discrimen & delectum iam conditis cœlo terraque, cœlum quidem suis constitit partibus perfectum, terra autem, imperfecta atque inculta? aut quid illud omninò est, terram inornatam fuisse & inconditam? Quam item ob causam inconspicua erat & inuisibilis? Sanè is apparatus, ea demum structura terræ exacta fuisse censetur atque perfecta, cum vberem ex se primum edidit fructuum copiam, cum ex eâ omnigenûm stirpium suppullulauit & emersit omnimoda germinatio. Atqui duas ob causas inuisibilem dixit terram: aut quia nondum erat is qui spectaret illam & contemplaretur,

Basil. Homi. 2. in Hexa. post init.

Terra quomodo priùs inuiſibilis & incondita.

plaretur, homo: aut quod cerni tum non poſſet, nimirum immerſa aquæ, quæ ſupernatans ipſius ſuperficiem quaquauerſum adoperuerat. Nondum enim erant aquæ in ſuas aggregatæ ſtationes, quas poſtea aggregatas, Deus maria nuncupauit. Inuiſibile igitur quid eſt ? Tum id quod oculis carneis videri non poteſt, cuiuſmodi eſt mens noſtra: tum id quod naturâ quidem eiſdem conſpici poteſt, obiectu tamen corporis occultatur; vt ferrum, quid in alto gurgite iacet: hoc modo nunc inuiſibilem terram dictam eſſe putamus circumfusâ aquâ velatam. Adde his & lucem nondum exortam fuiſſe: abſentiâ cuius haud mirum videtur, ſi tam in mediâ mundi parte tellurem, inuiſibilem ob id ipſum etiam à ſcripturâ fuiſſe dictam, quod aër vndique ſuprà ipſam diffuſus, luce careret. Tria ſunt hæc, quibus etiam tria ſimul ſunt oppoſita. Deus enim primò lucem fecit, vt eſſet vnde videretur: tum & aquas congeſſit in maria, vt appareret arida, & eſſet quod conſpiceretur: poſtremò, factus eſt homo, vt eſſet qui contemplaretur. Mundus factus eſt vt incoleretur, animalibuſque repleretur, maximè verò hominibus. Non enim illud d ci poteſt, ait Lactantius, quòd Deus propter ſeipſum fecerit mundum: quoniam poteſt eſſe ſine mundo, ſicut fuit antea: & iis omnibus, quæ in eo ſunt, quæque generantur, Deus ipſe non vtitur. Apparet ergo animantium causâ mundum eſſe conſtructum, quoniam iis rebus, quibus conſtat animantes fruuntur: quæ vt viuere, vt conſtare poſſent, omnia his neceſſaria temporibus certis ſubminiſtrantur. Rurſum ceteras animantes hominis causâ eſſe fictas, ex eo clarum eſt, quod homini ſeruiunt, & tutelæ eius atque vſibus datæ ſunt. Hic ergo ſcopus: Deus quippe mundum propter hominem machinatus eſt, & hominem, tanquam diuini templi antiſtitem, ſpectatorem operum, rerúmque cæleſtium, propter ſeipſum operatus eſt. Sicut ergo facta ſunt ex non exiſtentibus exiſtentia, vt ſibi conſiſterent; ſic & ex non apparentibus facta ſunt conſpicua & aperta, vt vſui deſeruirent ac fructui. Quoniam ergo fides reprehenditur, (ita Chryſoſtomus) vt quæ ſit res quæ probari & demonſtrari non poſſit: propterea oſtendit quòd res maximè per fidem rectè fiunt, non per ratiocinationes. Eſt enim perſpicuum, quòd ex iis quæ non ſunt, Deus fecit ea quæ ſunt; ex iis quæ non apparent, ea quæ apparent; ex iis quæ nō conſiſtunt, ea quæ conſiſtunt. Vndenam? Quod hoc verbo fecit. Nam ratio quidem nihil tale ſuggerit, ſed contrarium, quòd ex apparentibus ſint quæ apparent. Vndenam ergo conſtat quod Deus hæc fecerit? Ratio non ſuggerit, nullus aderat quando facta ſunt. Perſpicuum eſt id eſſe opus fidei. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei. Quare fide? Quoniam ex non apparentibus, facta ſunt quæ apparent. Hoc enim eſt fides. Non erant, & creata ſunt: latebant, & facta ſunt conſpicua: humanæ habitationi, perpetuæque vtilia generationi: omnia hæc à Deo diſpoſita ab æterno, & ſolo verbo condita.

Lactant. lib. 7. diuin. inſtit. cap. 4.

Chryſoſt. orat. 22.

***

EXPOSITIO III.

De Abel & Cain.

SImul iuncti in ſermonibus, ſed longè diſcreti moribus: quantum enim ille pius, tantum iſte impius: quantum ille præſtat fide, tantum iſte à fide deuiat. Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Tria ſunt exponenda. Primum, cur Abel præponatur: alterum, quale ex fide conſequatur teſtimonium: tertium, quomodo loquatur poſt obitum.

Quoad primum. Conſulenda eſt hiſtoria, & ſi certa eſt, ad verbum, non ad placitum recolenda. Narratione enim hiſtoricâ, cum præterita etiam hominum inſtituta narrantur, non inter humana inſtituta ipſa hiſtoria numeranda eſt: quia iam quæ tranſierunt, nec infecta fieri poſſunt, in ordine temporum habenda ſunt, quorum eſt conditor & adminiſtrator Deus. Aliud eſt enim facta narrare, aliud docere facienda. Si factam adeas hiſtoriam: hoc pro certo habeas ac comperto, Cain primum eſſe inter mortales omnes genitum. Adam verò cognouit vxorem ſuam Euam: quæ concepit & peperit Cain, dicens: poſſedi hominem per Deum. Rurſumque peperit fratrem eius Abel. Seu, vt legit Ambroſius, Et adiecit parere Abel. Et inde prima ratio, cur Abel præferatur fratri, cum adiciatur, non tanquam priori, ſed tanquam nulli. Cum enim adiicitur aliquid, ait Ambroſius, quod prius erat tollitur. Idque colligitur ex Arithmeticæ portionibus, & animæ cogitationibus: addito enim numero, alius numerus abolетur ſuperior, & cogitatio accedens excludit ſuperiorem. Ergo cum adiicitur Abel, auſertur Cain. Altera ratio, quia plus virtuti defertur, quàm ætati: vnde Sem prior refertur Iapheto maiori, Iacob Eſaü ſeniori antefertur: aliud enim ordo naturæ, aliud ordo gratiæ. Quid ſibi vult mutatio ordinis, ait ille, mutatio ordinis, vt priùs meminerit ſcriptura iunioris, vbi ſcribitur vitæ ſtatus, operiſque vſus? officiorum interrogemus diſtantiam, vt colligamus cauſam prælationis. Et factus eſt Abel paſtor ouium: Cain autem operabatur terram. Operari terram vſu prius eſt, gratiâ inferius quàm oues paſcere. Hoc enim inſtar eſt cuiuſdam Doctoris & Principis. Denique peccati reus Adam, de paradiſo dimiſſus eſt voluptatis, vt operaretur terram. Rectè ergo vbi naſcuntur hi fratres, ſeruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur diſciplina viuendi, ſeniori iunior antefertur: quia etſi tempore iunior, virtute præſtantior eſt. Innocentia enim tempore poſterior eſt quàm malitia, & quadam ſuppar ætate: ſed meritorum nobilitate antiquior. Prius quidem quod animale eſt, ſed quod ſpiritale excellentius. Tertia denique, quia de fide agitur, quæ eximia in Abel, in Cain verò aut nulla reperitur aut modica: maxima in illo,

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 28.

Geneſ. c. 4.

Ambroſ. lib. 1. de Abel & Cain. cap. 1.

Ambroſ. cap. 3.

in

Chrysost. orat. 22.

in isto modica. Cum dixisset Paulus id quod A est commune, (verba sunt Chrysostomi) id de cætero agitat in personis. Vir enim inclytus & gloriâ insignis, est instar orbis terræ. Et hoc tacitè postea significauit. Postquam enim in centum aut ducentis personis hoc ex aduerso statuit, deinde vidit numerum quantitate esse pacuum, dicit de cetero, Quibus dignus nō erat mundus. Vide autem quem primum ponit, eum qui male est passus, idque à fratre: & à fratre nullâ iniuriâ affecto, sed propter Deum inuisus. Quamobrem erat illud verè fides. Quænam enim vidit miracula, vt crederet futuram sibi bonorum remunerationem? Annon B ex solâ fide elegit virtutem? Ipse igitur præiuit virtute, qui sincera fide & integrâ præcelluit.

Quoad secundum, Quod dictum est de prælatione, dicendum est & de oblatione: non enim ipsa in numero constituta est, sed in merito. Hostiam quippe meliorem maioremve πλείονα obtulit παρὰ κάιν præ Cain, quia opimam & ex omnibus selectam ouibus, prætulit. Cain, ait Ambrosius, dictus est acquisitio, quòd omnia sibi acquireret: Abel, qui omnia referret ad Deum piâ deuotus mentis intentione, nihil sibi arrogans vt superior frater, sed totum tribuens conditori quod accepisset ab eo. Duæ itaque C sectæ sunt duorum fratrum nomine compugnantes inuicem, & contrariæ sibi. Vna, quæ totum menti suæ deputat tanquam principali, & quasi cuidam cogitationis & sensûs & motûs omnis auctori, hoc est, & quæ omnes inuentiones humano adscribit ingenio. Altera quæ tanquam operatori & creatori omnium defert, & eius tanquam parentis atque rectoris subdit omnia gubernacula. Illa prior per Cain significatur, hæc posterior per Abel. Religiosus Abel, tam pietate quàm fide inclytus, Deo debitam exhibens reuerentiam, vt bonorum omnium principio. Idcircò, obtulit D de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum optima scilicet seligens, supremúmque Dei optimi agnoscens imperium. Cain auarus, non tam religione notus quàm simulatione, solitum Deo reddens sacrificium, non tam vt solueret, quàm vt peteret. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Nec de primis, nec de optimis: quia Deum quidem agnouit, non tamen coluit vt Dominum: coluit enim eum à quo reciperet, non cui seruiret. Obtulit ex fructibus terræ, non à primis fructibus primitias Deo. Hoc est, ait Ambrosius, primitias E sibi priùs vendicare, Deo autem sequentia adferre. Quid ergo mirum si sacrificium Abelis diuino honoratum est testimonio, Cainique sacrificium diuino reprobatum iudicio. Quod enim Abel sacrificium acceptum sit, & Cain refutatum: ex verbis ipsius lectionis potest colligi, quia non est litterarum arte velata historia. Nam Abel prudentem & deuotum in eo ipso indicat sermo scripturæ. Cain verò negligentem & improuidum, ac per hoc minùs deuotum. Abel ergo de pascuis potiora elegit quæ Deo offerret creatori, vt de iis vtique quæ creauerat præcipua illi offerret, vt per hoc & dedicationem suam & meritum eius probaret; vt & propriam reuerentiam, & Deum aucto-

Ambros. lib. 1. de Abel & Cain cap. 1.

Duæ sectæ iam ab initio formatæ.

Genes. c. 4.

Ambros. cap. 10.

Auctor q. ex vet. testam. apud Aug.

rem ostenderet. Hoc Cain velut rusticus præsentare non valuit: totum enim animum terræ inserens, mentis oculos ad cœlum leuare non potuit; vt quid Creatore dignum esset, respiceret, qualiacumque etiam Deo obtulerit merita. Respexit igitur Deus ad munera Abel, cuius probabat fidem; & Caini contempsit munera, cuius reprobabat impietatem. Non possumus dicere, inquit Chrysostomus, quod Abelis hostia, quæ honorabilior & præclarior, non fuerit accepta. Fuit accepta. Et dixit Dominus ad Cain. Nonne si rectè obtuleris, rectè autem non diuiseris. Abel ergo & rectè obtulit, & rectè diuisit. Sed tamen pro his quamnam accepit remunerationem? Occisus fuit à manu fratris: & condemnationem quam pater subiit propter peccatum, eam primus suscepit qui se rectè gesserat; & eo grauiora est passus, quòd & à fratre, & primus. Quomodo autem accepit testimonium quòd sit iustus? Dicitur ignis descendisse, & absumpsisse eius hostias. Nam pro eo quod est, ad Abelem aspexit, & ad eius sacrificia Dominus, incendit dixit: Respectus Abel, & quia gratus, grata eius sacrificia: Cain despectus, ideóque despecta eius munera.

Chrysost. orat. 22.

Quoad tertium. Nemo vocabilior, quàm qui omnes facit loquentes, voces reddit eloquentes, & loqui ipse non desinit. Et per illam defunctus adhuc loquitur. Primò ergo, loquitur, sumi potest passiuè: vt nonnulli legunt λαλεῖται, pro λαλεῖ. Quid ergo, loquitur? In ore versatur omnium, sermone seu laude omnium celebratur. Magna, inquit, (ita Chrysostomus) eius habetur cura & consideratio, & adhuc loquitur. Hoc est, cum sustulit, sed non cum eo sustulit gloriam & honorem. Non est ille mortuus. Quo enim grauiora quis passus fuerit, eo est maior eius gloria. Quomodo ergo adhuc loquitur? Hoc est & signum viuendi, & quòd ab omnibus canatur, in admiratione habeatur, & beatus censeatur. Loquitur ergo, cum canitur, cum tot voces habeat, quot præcones; tot vocibus præualeat quot hominibus, prædicantibus virtutem eius, fidemque mirantibus. Secundò sumi potest actiuè, vt ipse nimirum loquatur post mortem, sed per passionem potius loquatur, quàm per orationem. Fides enim effecit, vt loquitur Athanasius, vt vitâ adhuc frui Abel hic videatur, vt documento omnibus esse, & vocem ferè edere istiusmodi: Imitamini me mortales, & morem gerite creatori, sectantes iustitiam. Non secus ergo loquitur, quàm cœlum solet, cum à nobis spectatur & cernitur. Videtur enim illud quasi profari huiusmodi: Suspicite me & aduertite, vt sim clarissimis distinctum luminibus, vt me incredibilem in modum ornauerit Deus. Neque enim Abelis adeò verba proficiunt, quàm ea quæ est ipse perpessus. Vocalior nimirum expressio patientis, quàm dicentis oratio. Tertiò denique, clamat dum vindictam postulat aduersùs iniuriam. Ita Deus ad Cain. Maledictus eris à terrâ, quæ aperuit os suum excipere sanguinem fratris tui de manu tuâ. Ille enim, vt loquitur ipse Augustinus, fudit sanguinem, non excepit. Ille fudit, alia terra excepit: & ab ea terrâ quæ os aperuit & excepit, ille maledictus est: & de hac terrâ sanguis clamat. De hac enim terra dixit Dominus, vox sanguinis fratris tui clamat

Chrysost. orat. 22.

Athanas. in Paulum.

Augustin. E. in Psalm. 39. circa med.

clamat ad me de terrâ. Clamat, inquit, ad me de terrâ. Clamat ad me: sed surdus est qui sanguinem fudit, quia non viuit. Mirum quod ille qui viuus dicitur, iam sit mortuus, motu destitutus ac sensu; & ille qui creditur mortuus, sit adhuc viuus, voce præditus & virtute. Si me testem abnuis, (ita Deus apud Ambrosium) & refugis arbitrum; vox sanguinis fratris tui testis est, quæ ad me clamat. Illa te maiore auctoritate arguit, quàm si frater viueret. Benè ergo ait, vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsâ morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Est tamen terra testis, quæ cepit sanguinem. Et benè ait, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ, Non dixit, de fratris clamat corpore; sed de terrâ clamat. Etsi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis & iudex. Non tamen mediocre dogma quod ait, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me: quia Deus iustus suos audit etiam mortuos, quoniam Deo viuunt. Et meritò pro viuentibus habentur, quia etiamsi corporis gustauerint mortem, vitam tamen incorpoream capiant, luce quoque fruantur æternâ. Loquitur ergo Abel, sed non tam sermone quàm sanguine; sicut & Cain conuincitur, sed non tam verbo quàm fratricidio.

Ambros. lib. 2. de Abel & Cain. cap. 9.

Abel non sermone loquitur, sed sanguine.

EXPOSITIO IV.

De Henoch.

CAin genuit Henoch, mali oui malum coruum. Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & & ædificauit ciuitatem: vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch. An fuerit ille primogenitus, inquiri potest, sed quod patri fuerit simillimus, non potest dubitari. Eadem ciuitas, ait Augustinus, quam Cain in nomine Henoch filij sui condidit, longè latéque regnare potuit, & Reges habere non simul plures, sed suis ætatibus singulos, quos genuissent ibi successuros quicumque regnassent. Horum Regum primus esse potuit Cain, secundus filius eius Henoch: in cuius nomine, vbi regnaret, condita est ciuitas. Non enim erat consequens, vt primogeniti in regnum regnantibus succederent patribus, sed quos regnandi meritum propter virtutem terrenæ vtilem ciuitati, vel sors aliqua reperiret; vel ille potissimum succedere patri hæreditario quodam iure regnandi, quem præ ceteris filiis dilexisset. Vterque ciuitatem coluit terrenam, quia cælestem & æternam non habuit: filij hominum, rerumque cupidi mortalium: benè quidem offerentes, sed malè diuidentes: Deo dantes suum, seipsos sibi reseruantes. Quod omnes faciunt, ait Augustinus, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est non rectο, sed peruerso corde viuentes, offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis. Et hoc est proprium terrenæ ciuitatis, Deum vel Deos colere, quibus adiuuantibus regnet in victoriis & pace terrenâ; non charitate consulendi, sed dominandi cupiditate. Itaque sacrificia Henoch, nec digniora, nec gratiora, quàm Cain munera: ideóque & illi & cuius simili, dici potest, rectè offerre, non tamen rectè diuidere. Sic námque Ananias in actibus Apostolorum dum putat se rectè offerre, & non rectè diuidit, pecuniam quam obtulit, prodidit, & quam domi reseruauit, amisit. Est igitur alter Henoch, filius Iared, de quo sacra Historia. Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Ambulauitque Henoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Inde ergo Paulus. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Tria igitur de isto Henoch exponenda sunt. Primum, quo secesserit: alterum, quomodo placuerit Deo: tertium, quid crediderit.

Genes. c. 4.

Augustin. lib. 15. de Ciuit. Dei. cap 10.

Augustin. cap. 7.

Quinā benè offerunt, & malè diuidunt.

Apud Augustin. ser. 10. Append.

Genes. 5.

Quoad primum. Abel mortuus, adhuc loquitur: Henoch adhuc viuus, necdum visitur. Henoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Dilatus quidem, dum translatus, cæterùm moriturus. Translatus est Henoch & Helias, ait Tertullianus, nec mors eorum reperta est; dilata scilicet. Ceterùm morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant. Vterque raptus, vterque translatus. Itaque de vtroque tria sunt proponenda. Primum est, neutrum adhuc esse mortuum: alterum, vtrumque tandem moriturum: tertium, in locum commodum esse translatum, modóque seruatum congruo. De primo: vterque translatus est, non vt gustaret mortem, seu vt prælibaret immortalitatem. Quòd Ionas, ait ille, deuoratus à belluâ maris, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo post incolumis euomitur: quòd hodie Henoch & Helias, nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; quà tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuriâ & contumeliâ immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi quia credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta? Figuræ enim nostræ fuerunt Apostolo auctore, quæ scripta sunt, vt & Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conseruatorem, cuius etiam vestimenta, etiam calciamenta protexit. Translati sunt, rapti sunt, quia transferemur; nondum mortui sunt, quia post mortem seu translationem, iam non moriemur. Henoch placens Deo, ait Irenæus, in quo placuit corpore translatus est, translationem iustorum præmonstrans. Et Helias sicut erat in

Tertullian. lib. de anim. cap. 50.

Tertullian. lib. de res. carn. c. 58.

Iren. lib. 5. aduers. Genes. cap. 5.

erat in plasmatis substantiâ, assumptus est, assumptionem patrum prophetans. De secundo, translati sunt quidem ad vitam, sed nondum immortalem, quia nondum gloriosam beatamve: ideò tandem morituri, vt debitum exsoluant, resurgántque ad proemium. Si quidem, ait Tertullianus, Christo in corde terræ triduum mortis legimus expunctum. Quòd si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundùm scripturas, & sepultus secundũ easdẽ, huic quoq; Legi satisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus; nec ante ascendit in sublimiora cœlorũ, quàm descendit in inferiora terrarum: serui super Dominũ, & dicipuli super magistrũ? Ne quidem discipulus ille charissimus mortem euasit, sed Legem exsoluit cum omnibus mortalibus, eandem sine exceptione, sine substractione sortem subeuntibus. Obiit & Ioannes, ait ille, quem in aduentum Domini remansurum, frustrà fuerat spes. Legimus quidem plerasque aquarum genera miranda. Quænam autem & vbinam ista felicitas aquarum, quas nec Ioannes baptizator præministrauit, nec Christus ipse discipulis demonstrauit? De tertio, translati quidem, ne viderent mortem, reducendique vt gustent mortem: ista sunt certissima: sed quò translati, & vnde reuehendi, coniecturæ potius relictus est, quàm sententiæ. Multi, ait Chrysostomus, quærunt quomodo translatus sit Henoch, & cur translatus; & cur non sunt mortui, neque ipse, neque Helias, & si adhuc viuunt, quomodo viuunt, & in quo habitu. Sed superuacaneum est hæc quærere. Nam quòd ille quidem, nempe Henoch sit translatus: hic verò nempe Helias, sit assumptus, dixerunt Scripturæ. Vbi autem sunt, vt & quomodo sunt, non itidem adiecerunt. Non amplius enim dicunt, quàm quæ sunt necessaria. Nam hæc quidem translatio facta fuit statim ab exordio animæ humanæ, spem accipientis, quòd & mors dissolueretur, & Diaboli tyrannis deleretur. Trãslatus enim fuit, non mortuus, sed ne videret finem. Habemus quidem in Ecclesiastico, Translatus est in paradisum. Sed illud, In paradisum. Non est in Græco. Vnde Augustinus: Longè, inquit, aliter se habent quæstiones, quas esse præter fidem arbitratur Celestius, quàm sunt illæ in quibus saluâ fide, quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur, aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione coniicitur. Veluti cum quæritur, vbi sit nunc Helias vel Henoch, an ibi, an alicubi, an alibi? quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere. Sed accipiamus paradisum, modò intelligamus locum amœnum, talibus aptum habitatoribus non solùm seruandis, sed & celandis, qui sublucantur à mundo, necdum tamen fruantur Deo.

Tertullian. lib. de anim. cap. 55.

Qui nondum mortui tandem sũt morituri.

Tertullian. cap. 50.

Chrysost. orat. 22.

Ecclesi. cap. 44.

Augustin. lib. de pec. orig. cap. 23.

Quoad secundum, Fuit vir Propheta. Scripsisse enim nonnulla diuina Henoch, ait Augustinus, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in epistola canonicâ Iudas Apostolus dicat. Prophetia non contemnenda, nec ipso delenda diluuio. Scio, ait Tertullianus, Scripturam Henoch non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor non putauerunt illam, ante cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum oblationem *, saluam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Henoch fuisse superstitem cataclysmi Noë, qui vtique domestico nomine, & hæreditariâ traditione audierat & meminerat de proaui sui penes Deum gratiâ, & de omnibus prædicatis eius: cum Henoch filio suo Matusalæ nihil aliud mandauerit, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & aliàs non tacuisset, tam de Dei conseruatoris sui dispositione, quã de ipsâ domûs suæ gloriâ. Sed cum Henoch eadem Scripturâ etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omninò reiiciendum est, quod pertineat ad nos. A Iudæis autem potest videri propterea reiecta, sicut & cetera ferò quæ Christum sonant. Nec vtique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Duos iustos profert, confertque: Henoch & Noë: de quibus paria ferè in Scripturis dicta sunt diuinis. Nam de isto Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Et de illo. Ambulauit Henoch cum Deo. &, Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Non est amplius in mundo, quia raptus à Deo translatúsque. Ante translationem autem testimonium habuit placuisse Deo. Placuit Deo, antequam raptus translatúsque, qui cum ipso ambulauit. Nam ex testimonio diuino, Ambulauit cum Deo. Seu, vt ex Septuaginta, Benè placuit Deo. Quid est enim ambulare cum Deo, nisi secundùm eius placitum incedere, signum attendere voluntatis, & vinculum familiaritatis contrahere. Ita Sapiens: Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Et Syracides. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam. Placuit dum ambulauit cum Deo, dum ex animo coluit. Ita Michæas Propheta. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Bonus igitur & iustus, & eò magis laudabilis, quò inter malos bonus, iustus inter iniquos. Henoch placens Deo, ait Irenæus, cum esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur, & translatus est, & conseruatur vsque nunc testis iusti iudicii Dei: quoniam Angeli quidem transgressi deciderunt in iudicium, homo autem placens, translatus est in salutem. Quid porrò ad Angelos? Non illos, ait Augustinus, credendum est ita fuisse Angelos Dei, vt homines non essent, sed homines proculdubio fuisse, Scriptura ipsa sine vllâ ambiguitate declarat. Cum enim præmissum esset, quòd videntes Angeli Dei filias hominum, quia bonæ sunt, sumpserunt sibi Vxores ex omnibus quas elegerant mox adiunctum est: Et dixit Dominus Deus, Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in æternum, propter quod caro sunt. Spiritu quippe Dei, fuerant facti Angeli Dei, &

Augustin. lib. 15. de Ciuit. Dei c. 23.

Tertullian. lib. de hab. mul. cap. 3.

Prophetia Henoch. nō contemnenda.

Genes. c. 6.

Genes. c. 5.

Sapiens c 4.

Ecclesi. c. 44.

Mich. cap 8.

Iren. lib. 4. cap. 30.

Augustin. lib. 15 de Ciuit. Dei cap. 23.

Filij Dei,ſed declinantes ad inferiora, homines A dicuntur nomine naturæ, non gratiæ: dicun-& caro deſertores ſpiritus, & deſerendo deſerti. Quicquid ſit de officio Henochi, ſat ſit placuiſſe Deo ante tranſlationem, & inceſſiſſe ſecundùm ipſius voluntatem, idque ex diuino notum certúmque teſtimonio.

Quoad tertium. Ante traſlationem placuit. Deo, ergo fidem habuit; imò non minùs fide placuit quàm pietate, ideóque raptus tranſlatúſque. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator. Fide tranſlatus, ne videret mortem; fide B paſtus, vt præguſtet immortalitatem. Henoch, ait Hieronymus, tranſlatus eſt in carne: Helias carneus raptus eſt in cælum: necdum mortui & paradiſi iam coloni: quod nos imitamur ieiunio, illi poſſident Dei conſortio. Veſcuntur pane cæleſti, & ſaturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum. Hoc Dei beneficium, imò hoc fidei meritum. Nam de dormiente, ait ille, dicebat Dominus ad Martham: Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Si ſtare poteſt, vt qui credit in Chriſto, non moriatur, & etiamſi mortuus fuerit, viuat in perpetuum. C Quid iuxta corporalem mortem, excepto Henoch & Helia, nulli contigiſſe perſpicuum eſt. Qui autem fidei magitudine ſemper viuunt in Chriſto, non dormient, neque morientur. Fide viuunt iuſti, & eadem qua placuerunt Deo, adhuc viuunt Deo. Si igitur tranſlatus Henoch, & ſeruatur in diluuio Noë: non reor idcircò tranſlatum Henoch, quòd vxorem habuerit? ſed quòd primus inuocauerit Deum, & crediderit in Saluatorem: de quo Paulus Apoſtolus in epiſtolâ ad Hebræos pleniſſimè docet. Inuocauit Deum, igitur credidit; quomodo enim inuocabit in quem non crediderit? Coluit Deum, igitur & in ipſum D ſperauit; quis enim ſeruit ei à quo nihil ſperauerit. Credidit in Saluatorem, id eſt, fidem, ſpémque compleuit, & vitam percepit æternam: ſi non primus, certè primarius, aut inter primos ac præcipuos. Tota ergo fides in duobus poſita eſt. Primum eſt, credere in Deum Creatorem; qui ſic eſt à ſeipſo, vt omnia ſint ab illo: alterum, credere in Deum Saluatorem; qui ſic prædeſtinatus ſeu prælatus ſine vllo merito, vt tamen primarium ſit omnis meriti, & præmij omnis principium. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ordo verborum eſt, inquit Auguſtinus, vt te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cog- E noſcant ſolum verum Deum: Conſequenter enim & Spiritus ſanctus intelligitur, quia Spiritus eſt Patris & Filij, tanquam charitas ſubſtantialis & conſubſtantialis amborum. Credidit ergo vnum eſſe verum Deum, cuius tanta potentia in orbe condendo, quanta in homine redimendo ſapientia: qui lapſis, miſeriſve prouideret per miſericordiam, qui credentes reſipiſcentéſque iuſtificaret per gratiam, obtemperantes perſeuerantéſque per iuſtitiam glorificaret, ſed Saluatoris, ſeu Mediatoris effuſum ſanguine. Deus enim per Chriſtum adeundus, ſicut & colendus; ſpéſque omnis erigenda, ſicut & omnis merces in eum refundenda. Vide, ait Athanaſius, quàm prudenter Apoſtolus remuneratorem Deum frequenter commemoraret, vt ex Iudæis fideles in fide ſtabiliat, qui mala ingeſta puſillo animo ferrent. Magnam itaque Henoch conſtat præ ſe fidem tuliſſe, quia certò credidit pro meritis Deum, & ſi non in præſenti, in futurum tamen mercedem cuique redditurum.

Hieronym. epiſt. 1. vit. med.

Hieronym. epiſt. 152. circ. med.

Hieronym. lib. 1. adu. Iouin. circ. med.

Enochi fides fuit fides Chriſtiani

Auguſtin. Tract. 105. in Ioan. poſt init.

Athanaſ. in Paulum.

EXPOSITIO V.

De Noë.

ACtum eſt de tranſlato, nunc agendum de ſaluato: ſicut enim vterque Deo placuit, ſic & vterque euaſit è periculo. Fide Noë, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in ſalutem domûs ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres inſtitutus. Primò igitur metuit Noë, quia credidit: ſecundò, dum apparat nauigium, mundum condemnat incredulum: tertiò, inde fidelem aſſeruit iuſtitiam, vnde veram fidem præbuit. Exponenda ſunt, vt ſunt propoſita.

Quoad primum. Metuit Noë, ſed quia credidit: quis enim metuit, quod non credit? Sed ſi verè credit, piè metuit. Dominum, ait Tertullianus, ſimul cognoueris, timeas: ſimul inſpexeris, reuerearis. Fides enim ſupremæ dominationis, metum incutit æternæ damnationis: ſicut & fides ſummæ bonitatis, ſenſum extundit, motúmque exprimit diuinæ charitatis. De ipſâ námque ſeueritate Dei, (vt Auguſtinus loquitur) quæ corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt; vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, cum redamare audeat; eiúſque in ſe dilectioni etiamſi impunè poſſet, tamen diſplicere vereatur. Timor ille animi, Dei honor eſt; cum iam ſeruilis non ſit, ſed reuerentialis, filialiſque. Quid ergo dicit Apoſtolus? (verba ſunt Chryſoſtomi) Fide Noë reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domûs ſuæ. Quid, reſponſo accepto? Hoc eſt, cum fuiſſet ei prædictum. Nam alibi quoque dicit, Fuerat ei reſponſum à Spiritu ſancto. Vides parem honorem ſpiritûs: quomodo enim Deus reſpondet, ita etiam Spiritus ſanctus. Cur ergo ſic dixit? Prophetia dicitur reſponſum. De iis, quæ adhuc non videbantur, inquit, Hoc eſt, de pluuiâ veritus, & ſibi cauens, conſtruxit arcam. Ratio quidem nihil tale ſuggeſſit: nuptum enim dabant & nubebant: aër erat purus, ſigna non erant, ſed tamen ille eſt veritus. Reſponſum igitur, oraculum eſt; inſpiratio diuina, certa reuelatio; quâ quis inſtructus, admonitúſque, munus ſentiat, & in opus procedat. Ad expreſſionem pietatis diuinæ, ait Ambroſius, dicitur Noë apud Deum gratiam inueniſſe. Simul oſtenditur quòd hominem iuſtum non obumbret aliorum offenſio, quando ipſe ad totius generis reſeruatur ſeminarium, qui

Tertull. lib. de pœnitent. cap. 6.

Auguſtin. lib. de ca. tech. rud. cap. 5.

Chryſoſt. orat. 23.

Ambroſ. lib. de Noë arcâ cap. 4.

qui non generationis nobilitate, sed iustitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore honeris nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis. Clarius Noë præclarusque ex alloquio Dei, sed clarior & illustrior ex merito fidei: Deus quippe & Cainum ipsum allocutus est: sed non inde maior accessit gloria, quin & damnabilior obrepsit peruicacia: licet enim supplicij terrore nonnunquam attonitus fuerit, nunquam tamen fuit amore Dei deuinctus. Hoc quippe modò, vt dixit Augustinus, curantur ciues ciuitatis Dei in hac terrenâ peregrinantes, & paci supernæ patriæ suspirantes. Spiritus autem sanctus operatur intrinsecùs, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecùs. Alioquin etiamsi Deus ipse vtens creaturâ sibi subditâ in aliquâ specie humanâ sensus alloquatur humanos: siue istos corporis, siue illos, quos istis simillimos habemus in somnis; nec interior gratiâ mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus, à vasis misericordiæ, iræ vasa discernens; dispensatione quâ ipse nouit multum occultâ, sed tamen iustâ. Noë igitur inter amicos Dei deputatus est, quocum non solùm allocutus ore, sed & corde coniunctus: per fidem enim, non solùm timorem concepit, sed & regente Deo & agente erupit in amorem.

Noë clarior merito fidei, quàm Dei alloquio.

Augustin. lib. 15 de Ciuit. Dei cap. 6.

Quoad secundum. Non solùm beneficij commemoratio est, sed & repræsentatio supplicij. Aptauit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnauit mundum. Per arcam scilicet exstructam, aptatâmque. Et namque est perfecta consolatio & exhortatio, ait Chrysostomus, quando non solùm qui crediderunt inueniuntur probati & in bonâ esse existimatione; sed etiam qui non credunt, pati contraria. Cum ergo ait, per quam condemnauit mundum: ostendit eos dignos supplicio: qui nec per illam quidem constructionem corrigebantur, nec resipiscebant. Ita Filius Dei, de suo loquens aduentu, dicebat, Sicut in diebus Noë nubebant & nuptum dabant. Propterea Apostolus quoque eis conuenientem in memoriam reuocauit similitudinem. Henochi enim exemplum, erat solum exemplum fidei: Noë autem exemplum, etiam incredulitatis. Inde, vt obseruauit Ambrosius: Non solùm sanctus Noë abundauit Filiorum generatione, sed etiam vniuersa se effudit quàm maximè eo tempore generatio. Quod non otiosum videtur. Secuturo enim diluuio non debuit æstimari defuisse gratiam fecunditatis illi generationi, quam diluuia absorbuerunt: vt quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputetur gratiæ: quod diluuium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris auertimus Dei misericordiam. Diuinum est igitur quòd bona præmittuntur, nostrum quod mutatur. Ipse hoc declarat Deus, dicens, Non permanebit Spiritus meus in hominibus, eo quòd sunt ipsi. Hic ergo Spiritus datur hominibus, sed non permanebit. Quâ autem ratione non permanet, causa proditur, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Eadem Arca, quæ pios saluat, damnat incredulos: eadem quæ bonis azylum præstat, malis prædicat exitium. Tot enim annis exstructa est Arca vt mortales admoneret, premeretque negligentes: sed licet nonnulli diluuio occupati, ad mentem redierint, & à Deo veniam obtinuerint incredulitatis: ita plurimi impetu abrepti, & fluctu absorpti, pœnas dederunt infidelitatis, æternasque subierũt, nedum purgatorias. Ita Petrus de Christo: His, inquit, qui in carcere erant spiritibus veniẽs prædicauit, qui increduli fuerãt aliquando, quando expectabat Dei patientia in diebus Noë, cum fabricaretur Arca, in quâ pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sũt per aquam. Qui sunt illi Spiritus, nisi animæ mortuorũ hominũ. Nam & mortuis euangelizatum est. Tria igitur distinguenda sunt hominum genera: vnum eorum, qui per Arcam euaserunt, ad salutem: alterũ, eorum qui per aquam transierunt ad purgationem: tertium eorum qui per aquam perierunt, ad damnationem. Ita Psaltes: Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me: Seu, vt ex Græco ambiguo vertit Hilarius: Quando exhortaberis me. Tum ad enarrationem: Sequitur, inquit, defectionem animæ defectio oculorum. Pone igitur in expectatione aut peregrinantis viri coniugem, aut iam diu absentis Filij Patrem: quem omni tempore existimet reuersurum. Nonne ei itineri, quo venturum opinabitur, semper intendet? Nonne intentio ac visus oculorum, contuitionis ipsius expectatione deficiet? Desideria hæc in se Prophetarum Dominus testatur, cum dicit: Amen amen dico vobis, multi Prophetæ & iusti quæsierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis. Loquuntur, ergo, expectant: dicunt enim, Quando exhortaberis me? Scit ergo Propheta exhortationem hanc sanctos quiescentes in inferno desiderare: scit testante Apostolo Petro, descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noë exhortationem prædicatam fuisse. In inferno igitur quiescebãt, increduli veniã expectabãt, impij desperabãt misericordiã.

Chrysost. orat. 23.

Ambros. lib. de Noë & Arcâ cap. 3.

1. Pet. cap. 3.

Hilarius: Enarr. in Psalm. 118.

Tria hominum genera in inferno constituta.

Quoad tertium. Non solùm saluus factus Noë per Arcam cum totâ familiâ, sed & per obedientiam, veræ iustitiæ hæres institutus est; non humanæ, quæ per rationẽ, sed diuinæ, quæ per fidẽ: quæ diuinâ conceditur gratiâ, non humanâ acquiritur industriâ. Iustitiæ quæ per fidẽ est, hæres est institutus: hoc est, vt exponit Chrys. Ex eo iustus apparuit, quòd Deo credidit. Hoc enim est animæ sincere in eum affectæ, & quæ iudicat nihil esse eius verbis credibilius: sicut contrarium incredulitas. Est autem perspicuum quod fides operatur iustitiam. Tunc irridebatur, tunc probris afficiebatur & subsannabatur: sed tamen ad nihil horum aspexit. Hæc possessio seu possessio iustorũ, per fidem adhuc ambulantiũ in terrâ morientiũ, nondum per speciem cõmorantium in terrâ viuentiũ. Quod enim Noë homini iusto, (vti dixit August.) & sicut de illo Scriptura veridica loquitur, in suâ generatione perfecto (non vtique sicut perficiendi sunt ciues ciuitatis

Chrysost. orat. 23.

Augustin. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 26.

Ciuit. Dei cap. 26.

ciuitatis Dei in illâ immortalitate, quâ æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti) imperat Deus vt Arcam faciat, in quâ cum suis, id est, Vxore, filiis, & nuribus, & cum animalibus, quæ ad illam ex Dei præceptoin Arcam ingressa sunt, liberaretur à diluuij vastitate: proculdubio figura est peregrinantis in hoc seculo ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ, quæ fit salua per lignum in quo pependit mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Quæ enim in eiusdem Arcæ constructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum. Et fieri quidem potest, vt & nobis quispiam, & alius alio exponat hæc aptiùs: dum tamen ea quæ dicuntur, ad hanc, de quâ loquimur, Dei ciuitatem in hoc seculo maligno tanquam in diluuio peregrinantem, omnia referantur; si ab eius sensu qui ista conscripsit, non vult longè aberrare qui exponit. Nihil vacat in arcâ, quæ non humano, sed diuino exstructa est consilio, nihil non aut gratiam Dei; aut viri commendat iustitiam. Considera dignationem Dei, ait Chrysostomus, & ineffabilem misericordiam, quæ omnem rationem transcendit, simulque admirabilem eius ergà nos pietatem, imperantis Noë vt faceret Arcam, ordinantisque modum, quo esset construenda; atque in eâ re maximam illi consolationem afferentis, dum spem salutis per arcæ constructionem ostendit. Non tam ædificium est, quàm mysterium; nisi quod in tanto ædificio, magnum comprehensum est mysterium: sicut enim paucæ animæ per lignum saluæ factæ sunt, sic & pauci electi per lignum salui: non enim electorum salus ingenio humano, sed diuino depùtanda consilio, nec gratia aptanda operi, sed fidei. Credidit Noë, & deputatum est ei ad iustitiam: sicque non opere, sed fide gratiam obtinuit, verámque, more Patrum, seu electorum sorte adiit iustitiam. Hæc quippe est fidei iustitia, non quæ opera condemnat, sed quæ iustificat; non enim supponit præcedentia, sed ponit sequentia. Cum enim dicit Apostolus, (verba sunt Augustini) arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus Legis: non hoc agit, vt præceptâ ac professâ fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiam si Legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum.

Arca non tam ædificium, quàm mysterium.

Chrysost. Hom. 24. in Genes.

Augustin. lib. de fide & oper. cap. 14.

EXPOSITIO VI.

De Abraham.

HIc est Pater fidei nostræ Abraham summus. Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiuit, nesciens quò iret. Fide demoratus est in terrâ repromissionis, tanquam in alienâ: in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Summum dixi; nec terminum excessit cum promissionum, benedictionum summa fuerit in tanto viro collecta. Quoniam enim in Abraham præfigurabatur fides nostra, (ita Irenæus) & quoniam Patriacha nostræ fidei, & velut Propheta fuit, plenissimè Apostolus docuit in eâ epistolâ quæ est ad Galatas, dicens; Qui ergo tribuit vobis Spiritum; & operatur virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite itaque quoniam qui sunt ex fide, hi sunt Filij Abrahæ. Præuidens autem Scriptura quoniam ex fide iustificat Gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, quoniam benedicentur in eo omnes Gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. ob quæ non solùm Prophetam cum dixit fidei, sed & Patrem eorum qui ex Gentibus credunt in Christum Iesum: eo quòd vna & eadem illius, & nostra sit fides; illo quidem credente futuris quasi iam factis, propter repromissionem Dei; nobis quoque similiter per fidem speculantibus eam quæ est in regno hæreditatem, propter repromissionem Dei. Nec in speculatione duntaxat similitudo est, seu imitatio, sed & in actione. Iustè enim & Apostoli, ait ille, ex Abraham genus habentes, derelinquentes nauiculam & Patrem, sequebantur Verbum Dei. Iuste etiam & nos eandem fidem accipientes, quam habuit Abraham, tollentes crucem, quêadmodum ligna Isaac, sequimur eum. In Abrahã enim prædidicerat & assuetus fuerat homo sequi Verbum Dei. Etenim Abraham secundùm fidem suam secutus præceptum Verbi Dei, prono animo vnigenitum & dilectum filium suum concessit sacrificium Deo, vt & Deus beneplacitum habeat, pro vniuerso semine eius dilectum & vnigenitum filium suum præstare sacrificium in nostram redemptionem. Propheta ergo cum esset Abraham, & videret in Spiritu diem aduentûs Domini & passionis, per quem ipse quoque & omnes qui similiter, vt ipse credidit, credunt Deo, saluari inciperent, exultauit vehementer. Sed redeo ad Paulum: video enim multa apud ipsum difficilia, suscitare disquisitionem, & expositionem postulare.

Iren. lib. 4. aduers. hæres. cap. 38.

Irem. eod. l. cap. 13.

Fideles & speculatione & actione, Abrahæ sunt imitatores.

Primum est in primis verbis: Fide qui vocatur Abraham. An quia fide vocatur, an quia tali, vt insigni, donatur nomine? Sed non tam nomen commendat per fidem, quàm fidem per nomen illustrat. Suprà, ait Aquinas, posuit Apostolus exemplum fidei in Patribus, qui fuerunt antè diluuium, qui fuerunt communiter Patres tam Gentilium, quàm Iudæorum: hic specialiter descendit ad Patres qui fuerunt post diluuium, qui specialiter fuerunt Patres Iudæorum. A primò, ponit exemplum fidei Abrahæ, qui fuit Pater credentium. Vnde & primus accepit signaculum fidei antè Legem. Vt autem ostendat exemplum suum de Abraham, quòd magnæ auctoritatis esset: primò, ponit celebritatem nominis eius, dicens: Ille qui vocatur, scilicet à Deo. Genes. 17. Vocabetis Abraham. Item, vocatur ab hominibus. Eccl. 44. Abraham magnus Pater multitudinis Gentium. Talis ergo à Deo vocatus, & ab hominibus prædicatus, dignus est exemplo. Ille ergo qui à Deo vocatur Abraham, Græcè καλέμενος, qui tali, tantoque manifestatur

Aquin. Lect. 3.

Abraham vel ex ipso notus clarusque titulo.

ſtatur elogio. Qui enim audit Abraham, vel ex ipſo nomine, virum concipit virtutum fulgore conſpicuum, Deo & hominibus dilectũ, Geneſ. c. 17. & elogio prætermiſſo famoſiſſimum. Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem. Dixitque ei Deus: Ego ſum, & pactum meum tecum, eriſque Pater multarum Gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia Patrem multarum Gentium conſtitui te. Faciámque te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in Gentibus, Regéſque ex te egredientur. Modica quidem mutatio in litteris, Amb. lib. 1. de Abrah. cap. 4. ſed maxima in myſteriis ſignificatio. Mutat ei nomen, ait Ambroſius, litteram addidit, vt Abram vocaretur Abraham, hoc eſt de Patre vano (ſicut habet Latina interpretatio) vocaretur Pater ſublimis; Pater electus. Vanus erat, cum Deum neſciret: electus factus eſt, poſtquam cognouit Deum. Priùs quidem corde circumciſus, quàm carne, & inde non tam Iuſtin. Dial. cum Tryph. eis med. nomine auctus, quàm virtute. Ita Iuſtinus Tryphoni. Vos quidẽ, inquit, carnem circũciſi, circumciſione noſtra indigetis: nos verò, hanc habentes, nihil veſtrâ illâ opus habemus. Si namque neceſſaria eſſet, ſicut exiſtimatis, non præputiatum Deus finxiſſet Adam, neque reſpexiſſet ſuper munera præputium carnis habentis ac victimas offerentis Abelis: neque complacitum illi fuiſſet præputium Henochi, qui non eſt inuentus, propterea quod eum tranſtulit Deus. Noë principium generis, vnà cum liberis irreſectus Arcam eſt ingreſſus. Incircumciſus fuit Sacerdos altiſſimi Melchiſedech, cui etiam decimas, oblationum nomine, dedit Abraham: Abraham, inquam, qui primus circumciſionem carnis accepit, benedictione ab eo auctus; ſecundùm cuius ordinem Sacerdotem Sempiternum per Dauidem ſe Deus conſtitutum oſtendit.

Secundum, Quomodo Abraham ex fide patrium ſolum reliquerit, cum non Dei monentis iuſſu, ſed Thare Patris impulſu, Chaldæam deſeruerit, & contenderit in Meſopotamiam? Hæ ſunt autem generationes Thare: Thare ge- Geneſ. c. 11. nuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuuſque eſt Aran ante Thare Patrem ſuum in terrâ natiuitatis ſuæ in τὸ Chaldæorum. Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, & Lot Filium Filij ſui, & Sarai nurum ſuam, Vxorem Abram Filii ſui, & eduxit eos de τὸ Chaldæorum, vt irent in terram Chanaam: veneruntque vſque Haran, & habitauerunt ibi. Tum mortuo Patre: Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo Patris tui, & veni in Geneſ. c. 12. terram quam monſtrabo tibi. Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai Vxorem ſuam, & Lot Filium Fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran: & Vnde exiit Abraham, & quonam contendit. egreſſi ſunt vt irent in terram Chanaam. Verum, Apoſtolus, terminum quidem ad quem contenderet Abraham, clarè deſignauit; Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. Terminum autem à quo exiret, non æquè declarauit. Obſeruandum igitur primò, Abrahamum, non impulſu Patris, ſed Dei iubentis admonitu, patrium ſolum reliquiſſe, & contendiſſe in terram Chanaam, ſed aliquandiu in Haran commoratum, Patre Thare, ſeu ob ſenectutem ſeu ob inualetudinem detinente. Et fa- Geneſ. c. 11. cti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran. Ita Deus ad Abrahamum. Ego Dominus, qui eduxi te de Geneſ. c. 15. τὸ Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam. Terminus ergo à quo eductus, iuſſuſque in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: vrbs illa fuit, quam habuit in natiuitatem. Obſeruandum ſecundò, Meſopotamiam nonnunquam ſumi ſtrictiùs, quatenus Tygri & Euphrate concluditur: nonnunquam liberaliùs accipi, quatenus Chaldæam & Aſſyriam complectitur. Ita Stepha- Actuum c. 7. nus in concilio. Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamiâ, priuſquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ & veni in terram, quam monſtrauero tibi. Quid, In Meſopotamiâ, priuſquam moraretur in Charan? cum Charan ſeu Haran, vrbs ſit Meſopotamiæ. Sed Meſopotamia vſurpata pro ipſâ Chaldæa. Vnde ſubdit: Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitauit in Charan. Obſeruandum tertiò, propoſitum infirmitate ac morte Patris Thare ſuperuenienite abruptum interruptúmve, aliâ reuelatione, ſeu nouâ iuſſione reſumptum inſtauratúmque. Et inde, ait Stephanus, poſtquam mortuus eſt Pater eius, tranſtulit illum Deus in terram iſtam, in quâ nunc vos habitatis. Fide ergò exiuit, fide obediuit; quia voci, ſeu iuſſioni Dei obſecutus eſt, imò Deum ipſum ſecutus. Sic habes, ait Ambroſ. lib. 1. de Abrah. cap. 2. Ambroſius, Exiuit Abraham quemadmodum locutus eſt illi Deus. Supra enim habes, Exi, dixiſſe Deum, in quo apertum imperium iubentis expreſſum: hîc habes, Quemadmodum locutus eſt illi Deus. Quaſi quidam confabulationis affectus comprehenditur: omnia enim fecit quæ ſtatuta ſunt.

Tertium, Quomodo neſciret Abraham quò iret, cum ſciret terram promiſſam, & in illam à Deo eductus conductuſque pertenderet? Reſpondeo primò, terram quidem illi promiſſam, ſed nec in promiſſione, nec in iuſſione fuiſſe expreſſam. Egredere de terrâ tuâ, & veni in terram quam monſtrabo tibi. Relinque terram Geneſ. c. 12 propriam, & quære alienam? Quam? Illam quam promitto, ſed nondum demonſtro. Excidit ille, & à patriâ, ait Chryſoſtomus, & à Chryſoſt. orat. 33. domo, & exiit neſciens quò iret. Reſpondeo ſecundò, ſciſſe quidem promitti terram Chanaam, quam peteret eductus de τὸ Chaldæorum, quámque de Charan egreſſus repeteret: ſed neſciiſſe vbi tandem conſiſteret, ſeu vbi ſedem figeret. Et quid mirum, ait ille, ſi ipſe neſciit, cum eius quoque ſemen ſic habitarit? Nihil enim poſſedit in terrâ promiſſâ, ſeu ſedem vnquam fixit ſtabilem; ſed tabernaculum ſubinde mouit, locumque tenuit aduenarum iure potius, quam indigenarum certitudine. Ita Stephanus: Et non dedit illi hæreditatem in eâ, nec paſſum pedis: Reſpondeo tertiò,

Actuum c.7. nesciisse quò iret, nec dilexisse terram ad quam pergeret; sed per illam, æternam hæreditatem, seu cælestem patriam prospexisse. Per illam enim obedientiam Abrahæ, vt obseruat Aquinas, nobis designatur quòd debemus ab omni affectione carnali exire, si volumus hæreditatem nostram habere. Videmus enim quòd aliquando aliquis exit de terrâ natiuitatis suæ, & vadit alibi, vt faciat mansionem suam perpetuam. Sic non fecit Abraham, sed sicut aduena fuit in terra Chanaam, & sicut aduena mortuus est in ipsa: quod patet, quia non fecit ibi domum nec firmam mansionem, sed habitauit in casulis & tabernaculis, quæ sunt habitacula mobilia. Vnde dicit, quòd, Fide demoratus est in terrâ repromissionis, tanquam in alienâ, in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob, cohæredibus promissionis eiusdem: non quidem simul, sed successiuè. In quo datur nobis intelligi, quòd in mundo isto debemus conuersari, sicut alieni & aduenæ. Cum enim dicit, Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: ostendit quare morabantur sicut aduenæ, quia scilicet non reputabant se aliquid habere super terram, sed quærebant hæreditatem cælestem ciuitatem. Ista ciuitas habet fundamenta, in quo significat eius stabilitatem. Auctor autem huius ciuitatis est ipse Deus, non humanæ artis sapientia. Ad cuiuslibet autem ciuitatis ædificationem, duo requiruntur, Primum est, auctoritas Principis, quâ mediante fit, qui dicitur conditor eius, à quo & ipsa nomen accipit. Secundum est modus disponendi ipsam, qui commendat sapientiam artificis: & sic dicitur Deus conditor eius, & artifex. Habitabat in terrâ promissâ, tanquam in alienâ; non habitantis iure, sed more peregrinationis? quia veram suspirabat patriam quæ non solum à Deo disposita, sed & æterno fulcro subnixa, vtpote instorum seu Angelorum, seu hominum, id est, electorum omnium perpetuo destinata domicilio.

Aquin. Lect. 3.

Electi nesciunt hunc mundum, quia illum non diligũ.

EXPOSITIO VII.

De Sarâ.

ET ipsa meretur laudem, dum profitetur fidem. Fide & ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit, & præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui promiserat. Propter quod & ab vno orti sunt, & hoc emortuo, tanquam sidera cæli in multitudine, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. Tria sunt exponenda: obdurata Saræ sterilitas: laudata Abrahæ pietas: miranda familiæ posteritas.

Genes. c.11. Quoad primum. Vix nupserat Sara, iámque manifestam sterilitatis notam incurrerat. Duxerunt autem Abram & Nachor Vxores: nomẽ Vxoris Abram, Sarai: & nomen Vxoris Nachor, Melcha Filia Aran, Patris Melchæ, & Patris Iescha. Erat autẽ Sarai sterilis, nec habebat liberos. Vnde notũ illam esse sterilem? An quia non habebat liberos? Sed nec habebat Melcha Soror Sarai, & Vxor Nachor. Nam elapso

Genes. c.22. quingentorum fere annorum curriculo? Nunciatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset Filios Nachor Fratri suo. Tarditas quidem indicatur, non tamen denotatur sterilitas. Cur ergo ex duabus seu sororibus seu vxoribus, vna, nimirum Sarai, seu Iescha, (erat enim binomia) statim pronuntiatur sterilis: altera, scilicet Melcha, licet tardè Mater, non denotatur tanquam sterilis: nisi quia sterilitas Saræ, incapacitas seu inhabilitas erat naturæ; quæ non cursu diiudicanda temporis, sed habitu corporis dignoscenda. Quid verò, si vitium naturæ cumulatum sit fœturæ deliquio, tanque tributo sanguinis, quàm ætatis destitutum auxilio? Desierant Saræ fieri muliebria. Non otiosè additum, ait Ambrosius, ne putares fæminææ adhuc possibilitatis fuisse vt pareret, obducta vndique partûs fœtúsque potentia, & inducta, tam ex constitutione corporis, quàm ex imperfectione seu defectione senectutis impotẽtia. Et ipsa Sara sterilis, virtutẽ in cõceptionem seminis accepit. Græcè, εἰς καταβολὴν σπέρματος. Ad deiectionem seminis. Vt deiectum semen susciperet, sicque foueret, vt prolem ederet. Et præter tempus ætatis. Cum iam sterilis esset vitio naturæ, spes omnis adempta est ac præclusa genituræ ex senio fæminæ. Quid est, ait Chrysostomus, virtutem accepit ad deiectionem seminis? Ad semen retinendum; ad susceptionem virtutem accepit, quæ mortue affecta erat, quæ sterilis. Duplex enim erat defectus: vnus quidem ex tempore, senecta enim confirmarat; alter à naturâ, erat enim sterilis. Notanda igitur sterilitas, necnon & confirmanda, vt & potestas Dei laudaretur, fideique commẽdaretur efficacitas. Grande eundem miraculum, vt virgo concipiat, virgo pariat: sed & signum mirabile, quod sterilis virtutem seminis capiat: si enim illa intacta, ista est capiendo ac concipiendo stupida. Vnde & Angelus, vt Virginem instruat, aut fidem faciat ad sterilem prouocat. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute suâ, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Et priùs. Non erat illis Filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Vnde & Zacharias ad Angelum. Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Certè, vt dicit Ambrosius: virginem parere, diuini est signum mysterij, non humani. Dabit, inquit, Dominus ipse vobis signum: Ecce, virgo in vtero accipiet, & pariet Filium. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, vt fidem adstrueret exemplo, senioris fæminæ sterilisque conceptum Virgini Mariæ nuntiauit: vt possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Præierunt miracula sterilitatis: Vt cum videris Virginem, ait Chrysostomus, Dominum nostrum parientem, ne sis incredulus: vt cum didiceris ligatam, & emortuam vuluam diuinâ virtute ad procreationem aperiri; hinc copiosis argumentis acceptis, non admireris, audiens quòd Virgo peperit. Sterilitas viam sternit virginitati, vt incredibile non sit, aut impossibile, quòd virginitas ianuam aperit fæcunditati. Sed debet et tam obdurata sterilitas esse, quã desperata posteritas; vt & exẽplũ clarius luceat, & signum appareat illustrius. Talis igitur

Ambros. lib. de Abrah. cap. 5.

Chrysost. orat. 23.

Sterilitas præ usu virginitati, virginitas concessit fæcunditati.

Luc. cap. 1.

Ambros. lib. 1. in Luc. vlt. med.

Chrysost. Hom. 49. in Genes.

igitur fuit Sara, adeò sterilis adeò obducta, vt spem omnem prolis excluderet, virtutémque conceptionis, non iam à naturâ præsumere deberet, sed petere à gratiâ.

Quoad secundũ Fide quidem sterilitas profligata est, & fœcunditas impetrata. Sed cuius fide, Saræ, an Abrahæ; Si ad proximitatem verbi respicias, stabis à partibus Saræ; si fidei expendas dignitatem, palmam protinus Abrahæ adiudicabis & gloriam. Fide & ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit: quoniam fidelem credidit eum qui repromiserat. Cui autem repromissiones factæ sunt? Certè non Saræ, sed Abrahæ: eius ergo fides, cuius & repromissiones. Sed reuoluenda est historia, & exponenda fidei materia. Cum enim comedissent Angeli. Dixerunt ad eum: vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit. Reuertens veniam tempore isto, vitâ comite, & habebit Filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem ambo senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? Numquid Deo quidquam est difficile? Negauit Sara dicens, Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita sed risisti. Non potest ergo negari risisse Saram, potest tamen excusari. Risit enim, ait Ambrosius, adhuc nesciens quid rideret. Ideò negat se risisse, quia ignorauit. Sed qui excusat, nondum laudat. Dicendum est igitur primò, Saram non fuisse verbis Angeli in totum incredulam: quomodo enim timuit, nisi quia credidit. Dixerit quispiam, ait Chrysostomus, Quomodo fide, quæ risit? Risus quidem certè ex incredulitate: metus autem à fide. Dicere enim, Non risi, factum est à fide. Propterea ergo exinanitâ incredulitate, ingressa est fides. Fuit illa timore perterrita, quia fide conuicta. Fides Principium est timoris, ideò ergo timuit, quia credidit. Dicendum secundò, risum non damnandum, sed probandum examinandumve. Non quantum ad Abraham, (vt expendit Aquinas) & videtur quòd non credidit, quia Genes. 17. Dicitur quòd risit in corde suo, putasne centenario nascetur Filius, & Sara nonagenaria pariet? Et quantum ad Saram. Genes. 18. Dicitur quòd risit occultè: dicens, postquam ego consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Sed dicendum est, quòd quantum ad Abraham, risus eius non fuit dubitationis, sed admirationis. Vnde Rom. 4. Non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens quia quicquid promisit Deus, potens est & facere. Vnde nec reprehenditur risus eius à Deo, qui corda omnium nouit. Sara autem primò dubitauit in primâ promissione, sed quando Angelus recurrit ad potentiam Dei, cum dixit, Nunquid Deo quicquam est difficile, tunc credidit. Interrogat Maria, Quomodo fiet istud? Interrogat Zacharias: Vnde hoc sciam? Illa, quasi admirans, informatur de mysterio: iste quasi

Genes. c. 18.

Ambrof. lib. 1. de Abrah. cap. 5

Chrysost. orat. 23.

Aquin. Lect. 3.

A dubitans, multatur silentio. Quod ergo promisso ex Sarâ Filio risit Abraham (verba sunt Ambrosij) non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem, quia adorauit, & credidit. & adiecit, Si mihi centum annorum nascetur Filius, & si Sara nonaginta annorum pariet; Et dixit Abraham; Ismaël hic viuat in conspectu tuo. Non est incredulus in promissis, nec auarus in votis. Hoc est, non dubito quòd facias vt & centum annorum seni dones Filium, & naturæ auctor, naturæ metas relaxes: sed tamen etiam

B hic Ismaël, si viuat in conspectu tuo, abundat mihi gratia. Denique Dominus & probauit eius affectum, & petitionem non abnuit, & sua promissa firmauit. Dicendum tertiò, palmam non Saræ adiudicandam sed Abrahæ, cuius meritis, ipsa Sara, στεῖρα οὖσα, virtutem in conceptionem seminis accepit. Propterea quod & ab vno orti sunt, & hoc emortuo: Abrahamo scilicet, de quo ipse Paulus Rom. 4. Nec considerauit corpus suum emortuum. Quamuis enim Sara tandem crediderit, priùs tamen fuit incredula, siue dubitaret de nuntio, siue hæsitauerit de negotio. Abrahæ vero tanta, tamque laudanda docilitas, quanta

C pietas fuit, semper immota, & nuntium agnoscens, & stupens miraculum, sed diuinæ fidens potentiæ. Sicut ergo precibus Isaac, Rebeccæ sterilitas sanata; sic & fide ac pietate Abrahæ, Sara facta est ad partum habilis, quæ priùs in totum sterilis. Ita in Genesi. Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore suâ, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Quamuis enim fidei Saræ aut Rebeccæ nihil detrahat Scriptura, pietati tamen ac sanctitati virorum laudem non minùs quàm prolem assignat.

D Quoad tertium. Non omnes qui parentibus sterilibus exorti sunt, sancti sunt, imò nec fideles: cum & Esaü simul cum Iacob ex Rebeccâ prognatus sit, Et ab vno. Seu vtero, seu principio exorti sint, licet emortuo, id est, effœto & extincto. Qui tamen Filij promissionis sunt, non corruptionis, sed benedictionis; non naturæ, sed gratiæ sunt Filij. Primus omnium Christus, idcircò, non ex voluntate carnis, sed ex virtute diuinitatis conceptus & natus. Sciendum est enim, (ex Aquinate) quòd omnes conceptus miraculosi, qui fuerunt in veteri testamento, fuerunt quasi figura illius maximi miraculi, quod fuit in Christi incarnatione. Oportuit enim natiuitatem eius ex Virgine per aliqua præfigurari, ad præparandos animos ad credendum. Non tamen po-

E tuit præfigurari ex æquo, quia necessariò figura deficit à figurato. Differentia igitur est, quia Sara à Deo miraculosè accepit virtutem concipiendi, sed tamen ex humano semine. Et ideò dicitur, In conceptione seminis. Beata verò virgo, sine semine. Vnde in Sarâ virtus diuina præparauit materiam, ad concipiendum tantùm ex semine: sed in beatâ Virgine etiam præparauit illam purissimam materiam ex sanguine, & cum hoc fuit ibi virtus Spiritûs sancti loco seminis. Non enim ex virili semine, sed mystico spiramine factum est verbum Dei caro. Cum ergo dicit Apostolus, Propter quod & ab vno: ostendit quid consecutum est in Filiis

Ambrof. lib. 1. de Abrah. cap. 4.

Duplex risus, dubitationis, & exultationis.

Genes. c. 25.

Aquin. Lect. 3.

Isaac ex conceptione seminis, Christus ex virtute diuinitatis.

filiis ex virtute Dei: scilicet multiplicatio seminis. Considerenda est enim radix huius multitudinis, quæ fuit vna, scilicet Abraham. Vnde dicit, propter quod, scilicet meritum fidei. Ab vno, scilicet Abraham. Esai. 51. Vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Multiplicauit quidem familiæ posteritatem, sed non æquauit lætitiæ iucunditaté. Non enim omnes qui ex Israël sunt, hi sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes Filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui Filij carnis, hi Filij Dei: sed qui Filij sunt promissionis æstimantur in semine. Filij quidem secundùm carnem, innumeri: secundùm fidem verò, numerandi. Per Isaac enim, vti dixit Ambrosius, legitimũ Filium, illum verum legitimum possumus intelligere Dominũ Iesum Christum, quem in principio Euangelij secundùm Matthæum Abrahæ Filiũ legimus, qui verum se Abrahæ gessit hæredem, auctoris illuminans successionem, per quem Abraham respexit in cælum, & splendorem suæ posteritatis agnouit, non minùs illustrem, quàm stellarum cælestium fulget claritas. Sicut enim stella differt à stellâ in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Quomodo autem propago Abrahæ diffusa est, nisi per hæreditatem fidei, per quam cælo comparamur, conferimur Angelis, æquamur stellis: Ideò ait, Respice in cælum, & numera stellas, Sic erit semen tuum. Et credidit, inquit. Abraham Deo. Fides quidem Abrahæ posteritatem impetrauit, tam illustrem nobilémque, quàm & innumerabilé, non tamen & sanctitaté consignauit pietatémque: per claritatem enim stellarum, adumbrata est nobilitas dignitásque personarũ: & per dignitatem stirpis, præfigurata est claritas virtutum sed sicut in tanto populo pauci Reges, pauci iudices: sic & in tanto numero, præter stellas, Prophetas, Patriarchas, personásque præfulgidas, tanta est maris seu plebis arena, vt si spectari possit, non possit supputari. Plures quidẽ isti, imò innumerabiles, sed steriles & infructuosi.

Roman. c. 9.

Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 3.

EXPOSITIO VIII.

De omnibus.

DIxerat Abrahamum cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem, in terrâ promissâ, tanquam in alienâ demoratum: sed nihil de filiis memoratis subiunxerat. Resumit igitur, & ait: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eos aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et, si quidem ipsius meminissent, de quâ exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideò non confunditur vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Cum igitur dico, De omnibus, intelligo cum Paulo, De omnibus istis; id est, proximis tantùm: Abrahamo scilicet, Isaac, & Iacob: non verò de omnibus præcedentibus: tum quia illi omnes nõ sunt mortui, vt patet de Henoch: cùm quia patriam non omnes deseruerant, sed soli proximi, qui nec antiquam repetebant:

A idcircò & Deus eorum vocari voluit, & ipsos inter amicos suos placuit computari. Vt tamen & vniuersalior Apostoli propositio sit, & liberalior Dei promissio: dicemus primò de solis proximis: secundò, de omnibus præcedentibus: tertiò, de honore ac mercede à Deo, tam illis quàm & istis in cælo repositis.

Quoad primum, Tria sunt notanda. Primum est, terram Chanaam non tam Abrahæ, quàm semini eius promissã. Apparuit Dominus Abrã, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Cur non dicit tibi? Quia promissa quidem, sed non tam illi reposita quàm semini. Vide, ait Ambrosius, quomodo promisso frequenti tanquã inualidum adhuc informet atque instituat: & ipse immemor tui totum Deo deputet, nihil sibi vendicet. Inde ergo Paulus, vocat Isaac & Iacob, cohæredes repromissionis eiusdem, quia verum erant semen Abrahæ, vtpote præcipuum germẽ familiæ. Ille namque est, de quo dictum est. Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Secundum, nec illum nec istũ, promissam adiisse hæreditatem, seu terrenã accepisse possessionem: nullũ enim habuerunt in terrâ promissâ domicilium, sed subinde verterunt tabernaculum. De Isaac. Introduxit eam in tabernaculũ Saræ matris suæ & accepit eam vxorem. De Iacob: Venit in: vbi fixis tentoriis appellauit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula. Et iste tamen est, ad quẽ Deus: Terram quam dedi Abrahã & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Tertiùm, tres illos nõ tam habitatores fuisse aut inquilinos, quàm viatores. Ita Tertullianus de Ponto Euxino. Gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro. Plaustris enim & vehiculis vtebantur pro domibus, id est, non tam iis insidebant vt sedibus, quàm continuo vehebantur domicilio. Semper in viâ nusquam in patria, semper in motu, nunquam in situ; semper incedentes, nusquam consistentes. Hospites, ait Chrysost. & peregrini erant sancti. Quomodo autem & quanã ratione Vbi autem confitetur Abrahám se esse hospitem & peregrinum: Fortassis quidem ipse quoque est confessus. Confessus est autem etiam ipse Dauid se esse hospitem & peregrinum. Et Quomodo: Sicut omnes, inquit, Patres mei. Nã qui habitant in tabernaculis, perspicuum est eos fuisse hospites & peregrinos, vt qui ne haberent quidem vbi suos sepelirent. Quid verò, dicebãtne se esse hospites illius terræ, quæ est in Palestinâ? Nequaquam, sed totius orbis terræ. Et meritò. Nihil enim in eo videbant, eorum quæ volebant, sed externa omnia & aliena. Omnia gerebat Abraham ad eam quæ illic est ciuitatem. Eius quoque Filius erat huiusmodi. Quid verò Iacob, an nõ quærebat solũ panem & vestem, quæ planè sunt petitiones hospitũ, qui ad extremam deuenerunt paupertaté. Itaque, iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti. Quid est, iuxta fidem, cum fide, seu in fide: credentes quidem, sed non tenentes. Tres enim isti mortui sunt, sperantes expectantésque: sed non possessores aut Domini. Non acceptis repromissionibus. Toties terra illa promittitur, repromittitur, nunquam conceditur. Et confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Dicunt scilicet ac faciunt. Et, si quidem ipsius meminissent, quã exie-

runt

Genes. c. 12.

Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 2.

B

Genes. c. 24

Genes. c. 33.

C

Genes. c. 35.

Tertull. lib. 1 aduers. Mar. cap. 1.

Chrysost. orat. 14.

D

Prisci sancti non tam habitatores quàm viatores.

E

runt; habebant vtique tempus reuertendi. Si A enim amicum reliquissent in antiquâ patriâ, vel minimum eius retinuissent desiderium: Habebant vtique tempus reuertendi: quia, vt dixit Aquinas, propè erant. Via breuissima, & vita longissima. Itaque nulla fuisset difficultas, si vel minima voluntas affuisset. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Non terrenam, sed æternam. Hic illis animus, hic & scopus. Sed tria breuiter discutienda sunt. Primum est de Abrahamo. Confirmatus est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in possessionem. Sed aliud B est aliquid possidere ad terræ dominium, aliud aliquid emere ad vsum sepulturæ: illud enim vitæ solatiũ requirit, istud imponit naturæ terminum: illic viuis indultum, istic consultũ mortuis. Alterum de Isaaco. Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac: filiis autem cõcubinarum largitus est munera. Distinctio est inter filium liberæ, & filiũ ancillæ: ille enim hæres, non iste: sed talis hæreditas, qualis & facultas; quæ in bonis nobilibus, non autem in terris & domibus constituta, quæ si sortita possessionem, non tamẽ & dominationem. Deniq; de Iacobo. Venit in Socoth, ædificatâ domo. Transiitque in Sa- C lem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan: emitq; partem agri, centum agnis. Quin & illis videtur possedisse non solùm emptione, sed & iure belli: vnde ad filium Iosephum: Do tibi partem vnam extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Respondeo primò, illos sic fuisse peregrinos, vt haberent vnde prouiderent necessitati, honestari consulerent. Non tamen ædificabant domos splendidas, vt loquitur Chrysost. neque indulgebant deliciis & voluptatibus: neq; curam gerebant vestium: quæ sunt omnia ex iis quæ hîc sunt. Ædificabant, sed casulas, non palatia; necessarias ædes tolerabant, superflua reproba- D bant ædificia. Sic & passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos: ædificat enim, dum ad vsum nidificat necessarium. Respondeo secundò, quæstionem esse de hæreditate non de acquisitione: illa quippe conceditur gratuitò, ista pretio appenditur. Ita Stephanus: Non dedit illi hæreditatem in eâ, nec passum pedis. In hæreditatẽ scilicet, qua sicut promittitur gratis, sic & gratis redditur. At illi. Si quid acquisierunt emptionis titulo, nihil prorsus acceperunt promissionis beneficio. Respõdeo tertiò, illos, etiã in solo proprio demoratos tanquã in alieno: quasi non illic manerent, sed illac per- E transirent. Illæ enim casulæ, à cadendo dictæ, mansiunculæ erant ad tempus exstructæ, & citò relinquendæ. Cum agitaretur Abrahã aut Isaac, cedebat, ait Chrysostomus, & locum dabat, vt qui esset in alienâ. Hospites enim quæcumque passi fuerint, patiuntur, quia non sunt in patriâ. Possidebat pecunias communes omnibus accedentibus. Et cum auferretur vxor, hoc quoque ferebat, tanquam hospes & peregrinus.

Aquin. Lect. 4.

Genes. c. 23.

Genes. c. 25.

Genes. c. 33.

Chrysost. orat. 24.

Actuum c. 7.

Chrysost. orat. 24.

Quoad secundum. Aliis etiam Paulus locum reliquit, dum promissum longiùs distulit. A longè aspicientes & salutantes. Longè; Græcè πόῤῥωθεν, procul. Quomodo enim procul, quod non solùm oculis abiicitur, sed & teritur vestigiis? Quamuis enim dici possit, per longinquitatem, intelligi posteritatẽ, post annos quadringentos emergentẽ; quo tamen lõgius, eo melius: ideóq; procul aspiciunt, qui non solùm post mortem, sed & post resurrectionem prospiciũt. Non igitur solus Abraham se peregrinum fatetur in hoc mundo: non solus Isaac, nõ solus Iacob: qui dies suos, & dies patrum suorum, vocat, dies peregrinationis. Sed & omnes Sancti, omnes iusti non posteriores solùm, sed & priores in hoc mundo peregrinati sunt; nihil appetẽtes in hoc seculo, sed & spem omnem in altero reponẽtes. Prima enim est virtus, vt ait Chrysostomus, atque adeò vniuersa virtus esse huius mundi hospitem & peregrinum, & cum iis quæ hîc sunt rebus & negotiis nihil habere commune, sed ab eis pendere tanquam ab externis, sicut beati illi de quibus dicit, Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Atq; illi quidem dicebant se esse hospites & peregrinos. Paulus autem dicit longè quid amplius. Non enim dixit se hospitẽ esse & peregrinum, sed mundo mortuum, & ipsi mundum. Mihi enim, inquit, mundus crucifixus est, & ego mundo. Sed nos hîc omnia gerimus tanquã ciues, & planè viuimus tanquam ciues: & quod iusti erant mũdo, nẽpe hospites & mortui, hoc nos sumus cælo. Quod autem erant cælo viuentes & ibi ratione viuendi instituẽtes, hoc nos sumus mundo. Propterea mortui sumus, quod quæ verè est vitam abnegauimus, & hanc temporalem elegimus. Propterea Deũ irritauimus, quòd cum nobis esset propositum frui iis quæ sunt in cælis, ac ab iis quidem quæ sunt in terrâ volumus discedere; sed nõ secus ac quidam vermes à terrâ in terram, & rursus ab hac in illam circumagimur, nec parùm quidẽ volumus emergere, & neque nos à rebus humanis abducere. Quos dicit Christus beatos, diuites, an pauperes? Beati, inquit, pauperes, quoniã vestrum est regnũ Dei. Primã benedictionẽ hãc, ait Ambros. vterq; Euangelista posuit ordine enim prima est, & patens quędam generatióque virtutum: quia qui cõtempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Ab illâ, tanquam à primâ, omnes Sancti beatitudinem suam auspicati sunt, hæreditatem nõ caducam, sed æternam appetentes quærentésq; non in mundo, sed in cælo conuersati. Papæ! exclamat Chrysostomus, quanta differentia. Illi quidem quotidie parturiebant, volentes hinc discedere, & redire ad suam patriam. Nos autem contrà, si febris irruerit, omnibus dimissis, tanquam paruuli infantes plorantes mortem pertimescimus. Et hoc meritò nobis accidit. Nam quoniam non tanquam hospites hîc degimus, & non tanquam ad patriam festinamus, sed sumus tanquam euntes ad supplicium: propterea dolemus, quòd rebus non vt oportuit vsi sumus, sed ordinem euertimus. Propterea horremus sicut ij qui hominum cædes fecerunt, sicut prædones & eorum duces, sistendi iudicio, & quæcumque fecerunt, animis reputantes: propterea timent & contremiscunt. Illi autem non erant eiusmodi, sed festinabant. Paulus autem etiam ingemuit. Et nos, inquit, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati. Talis erat Abraham, & qui erant ipsius. Hospites, inquit, erant totius orbis terræ, & quærebant patriam. Ita properabant hinc excedere.

Genes. c. 47

Chrysost. orat. 24.

Cur exultent Sancti morituri, trepident impij.

Ambros. lib. 5. in Luc. cit. med.

Chrysost. orat. 24.

Quid Abraham seruo suo Caue nequando filiū meum reducas illuc. Solum scilicet natiuum, seu terrenam patriam. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Tribus verbis, tria sunt innexa. Primum est, Nunc: non esse temporis notam, sed consecutionis particulam: ac si diceret, Atqui, itaque. Ita Psalmo secūdo Et nunc Reges intelligite. Inquirebant illi patriam, sed non istam terrestrem, ergo cælestem & æternam requirebant. Alterum, non solùm, inquisisse sed & appetiisse. Nunc autem meliorem appetunt. Græcè ὀρέγονται. Quod animi suspirantis est, ac vehementis desiderij. Inde orexim mouere, vim imprimere, ardentissimum appetitum exprimere. Tertium, Paulum sibi fuisse interpretem, fidelémque commētarium. Cum enim dixisset, Nunc autem meliorem appetunt, Patriam scilicet: statim seipsum explicat, & inquirendi vel ambigendi locum amputat. Id est, cælestem. Ita Petrus, Electis aduenis Græcè παρεπιδήμοις. Regeneratis scilicet, In spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis. Græcè εἰς ὑμᾶς, Erga vos: asseruatam vobis, & in cælis repositam.

Gene.c.24.

1.Pet.c.1.

Quoad tertium. Non tam amputat Deus desideria, quàm commutat; nec munera negat, sed ampliat. Videte, ait Augustinus, quemadmodum nobis abstulit Deus gloriam, vt daret gloriam. Abstulit nostram, vt daret suā. Abstulit inanem, vt daret plenam. Abstulit nutantem, vt daret solidam. Tanto ergo gloria nostra fortior & firmior, quia in Deo. Non ergo in te debes gloriari, quod prohibuit veritas: sed quod ait Apostolus, hoc præcepit veritas: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nō negauit terram, sed meliorem destinauit; non prohibuit gloriam, sed nobiliorem repromisit. Vult nos amatores esse bonorum, sed verorum; vult nos thesaurorum esse coaceruatores, sed æternorum: filios enim cupit esse generosos, id est, opum studiosos cupidósque cælestium: nec erubescit illorū Deus vocari; imò gloriatur tanquā de filiis legitimis, cælo & Deo dignissimis sicut & de aliis, tanquā adulterinis, tanto patre, tanto & indignis protectore, suffunditur. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatē. Quibus? omnibus sanctis omnibus electis, tanquam amicis ac filiis. Quamquam enim nominentur Abraham, Isaac, & Iacob; omnes tamen similes in illis tanquam primariis recensentur, parem scilicet mercedem & honorem adepturi, & apud eandem mensam, tanquam eiusdem felicitatis consortes, & eiusdem participes hæreditatis, recubituri. Aduertat charitas vestra, inquit Augustinus quàm magnum Sacramentum. Testatur Deus & dicit: Ego sum Deus Abrahā: & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non erant alij Patriarchæ? Non erat ante istos Sanctus Noë, qui solus in toto genere humanæ cū totā domo suā meruit de diluuio liberari? Deinde postea magni quos nouimus quos sancta Scriptura cōmendat. Et illi tres nominantur, quasi cum soli promeruerint: Ego sum Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc mihi nomen est in æternum. Sacramētum grande. Ad vetus Testamentum pertineat dilectores temporalium, dilectores seculi; ad nouum Testamētum, dilectores vitæ æternæ. Ideò illa Hierusalem in terrā,

Augustin. Enarrat. in Psalm. 65. med.

Augustin. tract. 11. in Ioan. circ. med.

Cur Deus, Abraham & Isaac & Iacob vocatus sit Deus.

vmbra erat cælestis Hierusalē matris omnium nostrûm, quæ est in cælo. Et de istā ciuitate vnde peregrinamur, multa nostis, multa iam audistis. Isti igitur tres signati æternæ patriæ dilectores, cæterorum repræsentatores aut præcursores Sanctorum; in quibus gloriatur Deus, & eos dignatur admittere eiusdē ciuitatis socios, eiusdem felicitatis conscios facere. Papæ! ait Chrysostomus, quanta dignitas! Gratum illi fuit & acceptum vt vocaretur eorum Deus. Quid dicis? Vocatur Deus cæli & terræ, & tanquam magni aliquid, posuisti quòd non erubescat eorum Deus vocari. Magnum, & reuera magnum est hoc, & plenum multā beatitudine. Quomodo? Quòd vocatur quidem Deus cæli & terræ, sicut & Gentium, quatenus ea creauit & est fabricatus. Illorum autem Sanctorum non ita, sed sicut aliquid germanus amicus. Deus orbis terræ, non erubescit vocari trium Deus. Et meritò: nō enim orbis terræ, sed innumerabilium eiusmodi instar sunt Sancti. Melior est enim vnus faciens voluntatem Domini, quàm decies mille iniqui. Non erubescit Deus vocari eorum Deus: pudor est enim ipsi quando vocatur malorum Deus, & ipsum eorum pudet; sicut glorificatur, quando Deus vocatur bonorum, & proborum, & virtutem colentium. Illorum igitur trium dicitur, germanorum filiorum, tanquam verorum amicorum: nō quod illi tres essent soli, sed quod insignes essent & eximij. In illis namque tribus patribus, vt Augustinus loquitur, omnis futuri populi figura perfecta est. Illorum Deus dici voluit, non quia soli erant, sed quia in his solis impleta est integritas significandi populi futuri. Et nos designabāt illis tanquam filios, tanquam cohæredes, verósque imitatores, & ad eandem imitabant dignitatem. Simus ergo nos quoque ò dilecti hospites: (verba sunt Chrysostomi) ne Deum nostri pudeat, pudeat, inquam, & non tradat gehēnæ. Tales enim erant illi qui dicebant, Domine, nō tuo nomine prophetauimus? & tuo nomine multas virtutes fecimus? Sed vide quid illis dicat Christus. Nescio vos. Quomodo ergo punis quos nescis? Nescio aliter dixi: hoc est, vos nego & recuso. Sed absit vt nos audiamus hanc vocem exitiosam & terribilem. Nam si qui dæmones eiiciebant, & prophetias proferebant, abnegati sunt, quoniam vitam non habebant conuenientem, quanto magis nos. Et quomodo sunt negati? Verisimile est eos postea fuisse mutatos, & euasisse malos. Vnde nec prior virtus illis quidquam profuit. Non solùm enim exordia oportet habere præclara, sed finem etiam præclariorem.

Chrysost. orat. 24.

Augustin. tract. 12. in Ioan. post init.

Chrysost. in Mor.

EXPOSITIO IX.

De Parabola.

Redit ad Abrahamum tanquam nominatissimum, recingitq; ad sacrificium tam celebre, quàm & singulare. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat qui susceperat repromissiones ad quem dictum est. Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. Ratio igitur cur redeat ad Abrahamum illa est, quia actio seu oblatio istā, tā mirabilis sit, quàm & singularis: excellentia verò actionis, figura est resurrectionis:

nis: inde typus tanti expressus mysterij. Inde enim parabola, vnde figura. Vnde eum in parabolam accepit. Tria sunt, eo exponenda ordine quo sunt disposita.

A

Quoad primum. Nemo nescit historiam, nemo non reducit in memoriam: adeò illustre exemplum, adeò insigne sacrificium. Notissima pietas patris nostri Abrahæ (verba sunt Augustini) reddita est nobis in memoriam per recentem lectionem: & est quidem ita mirabilis, vt nullum cor arbitrandum sit tam obliuiosum, vt inde etiam aliquando elabi possit. Verumtamen nescio quomodo quotiescunque legitur, quasi tunc fiat, ita afficit mentes audientium. Magna fides, magna pietas, non solùm in Deum, sed etiā in ipsum vnicum filium; cùm nihil mali crediderit esse pater, quicquid de illo iusserat qui creauit. Paulus verò non solùm effert virum, sed & confert cum aliis Sanctis. Nā, vt dixit Chrysostomus, in Abele, & Noë, & Henoch solatum rationū erat pugna, & humanas rationes oportebat superare. Hìc autem nō solùm oportebat superare humanas rationes, sed aliquid amplius ostendere. Nam quæ Dei sunt, videbātur pugna cum iis quæ sunt Dei, & fides pugnabat cum fide, & iussis cum promissione. Dixit ei Deus, Egredere de terrâ tuâ, & è cognatione tuâ: & dabo tibi terram hanc: & ne passum quidē pedis ipsi dedit in eâ. Vides quomodo quæ facta sunt, pugnabant cum promissione? Rursus dicit, in Isaac vocabitur tibi semen, & credidit. Et rursus dicit, Sacrifica mihi hunc, qui erat impleturus vniuersum orbem ex semine suo. Vidisti pugnam iussorum & promissionis? Iussit contraria promissis: & neque sic caligauit iustus, neque dixit se esse deceptū. Ille audiuit contraria eorū quæ est pollicitus ab eo ipso qui erat pollicitus, & non turbabatur, sed ea faciebat tanquā conuenientia: cōtraria quidem humanis rationibus, conuenientia autē ex fide. Nihil non mirum in tanto sacrificio, nihil nō nouum. Magnus Abraham, ait Gregorius Nazianzenus, & nouæ victimæ mactator, eum, quem ex promissione acceperat, beneficij auctori offerre, victimā promptam, & alacrem, atq; ad cædem properantem. Hoc restabat Abrahæ, vt omnibus destitueretur humanæ necessitatis, & amicæ consuetudinis suauitatibus: vt qui terram promissam iam tetigerat, quā tamen non frueretur; vt qui vxorem duxerat, quæ subindè raperetur; prolem sustulerat, quæ repeteretur. Dixit Deus Abrahamo, (ita Chrysost.) Dimitte quæ videtur patriam, & veni ad alienam: suósque & domesticos non est cōplexus; sed eo affectu eum dimisit, vt si esset dimissurus alienam. Dixit ei, offer mihi filium; & ita eum obtulit, perinde atque si non haberet filium. Grādis tentatio, sed summissio mirabilis. Nouum præcepti genus est homini, inquit Augustinus, legem sceleris dare, & religiosum habere, si impium voluerit perpetrare. Abraham si parricidium fecerit, iustus est; si non fecerit, indeuot s est. Quid fit ergo, quod nonnunquam Deum nisi pietate placamus? Cupit sibi vota offerri, non crudeliter coli. Ecce inter pietatem patris & deuotionē Dei, filiū quidem, est scelus occidere, sed Deum scelestius non audire. In angusto posita est perfecta iustitia. Parricidiū iuberis vt facias, tuis te manibus orbaturus. Quid hoc est? Imperat parricidiū, qui prohibet homicidium. Iubetur filiū victimare, solatiū paternæ

Augustin. serm. 71. de temp. cap. 1.

B

Chrysost. orat. 25.

C

In quo Abrahamus aliis sanctis sit præferēdus.]

Gregor. Nazian. orat. 21., vers. fin.

D

Chrysost. orat. 24.

E

Augustin. serm. 73. de temp. init.

senectutis, & vnicum pignus posteritatis. Qui quanto serior, tanto dulcior; quanto solus aut vnicus, tanto charior & dilectus. In vtroq; senes creandæ prolis desperatio retinebat, vtpote post tempus quod natura fraudauerat, ætas in sene patre, sterilitas in aniculâ matre. Parum sit, vt sit vnigenitus ex Sarâ, parùm quòd mutuâ dilectus amicitiâ, quòd non solum senectutis solatiū, sed & posteritatis seminariū: quid verò Patriarchā agere parricidam, patrem gerere carnificē, nec tam sacrificium offerre, quàm homicidium cōmittere? Itaque, Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat. Nisi enim suaderet fides, nisi impelleret; quis tantum opus susciperet, quis tantum munus, tam charum, tamque pretiosum profunderet.

Quoad secundum. Fides illa vulgaris non est, sed illustris, heroica; quæ dubium omne depellat, & cæleste suspiciat imperium. Fides, ait Basilius, est eorum, quæ dicta sunt assentiens approbatio sine vllâ hæsitatione, cum summâ animi persuasione de eorum veritate, quæ Dei munere sunt prædicata: quam fidem, Abraham perhibetur habuisse, quippe de quo testatum sit, ipsum neutiquam incredulitate hæsitasse, sed confirmatum fuisse in fide, dantem gloriam Deo, & certissimè persuasum quòd quæcunque promiserat Deus, potens erat & facere. Sed quomodo faciet quod promisit, si causam adimplendæ promissionis, seu propagandæ posteritatis delet aut subtrahit? Ipse Apostolus nos docuit, ait Chrysostomus, dicens, arbitrans quod & à mortuis suscitare potens est Deus. Ex eadem, inquit, fide quâ credidit quòd donauit quæ non erant, ex eadem etiam mortuum suscitauerit: & persuasum habuit quòd mactatum erat suscitaturus. Erat enim æquè dubium, humanâ, inquam, ratione, & ex matrice emortuâ, senioque confectâ, & ad liberorum procreationem iam planè inutili dare filium, & suscitare occisum: sed futura præcesserat fides quæ præterierat. Ne enim existimaret quispiam quòd cum desperasset hoc facit, & per hoc iussum illam eiecit fidem; sed disceret quòd reuera hoc quoque sit fidei, dicit, quod illam quoque habebat fidem, quanquam cum eâ videretur pugnare, sed non pugnabat. Non enim humanis rationibus metiebatur Dei virtutem, sed omnia permittebat fidei. Iam acceperat per repromissionem cum nasceretur; confidebátque recepturum se illum per resurrectionem, si moreretur. Pater enim filij sui, vt dixit Augustinus, esse poterat Abraham secundùm operationem carnis, non autem creator & conditor, secundùm operationem Majestatis. Siquidem, sicut dicit Apostolus, non secundùm carnem natus est Isaac Abrahæ, sed ex promissione: non quia cum carne non erat operatus, sed quia de summâ cum desperatione susceperat: & nisi adesset promittens Deus, nihil iam senex de visceribus aniculæ coniugis sperare audebat posteritatis. Sed credidit hæsitutum, & non plangit moriturum. Eius dextera eligitur ad sacrificium, vt moreretur; cuius cor erectum est ad fidem, vt nasceretur. Non trepidauit Abraham credere quando promittebatur; non trepidauit offerre, quando exigebatur: nec fuit religio credentis contraria deuotioni obtemperantis. Hoc dico, non tibi dixit Abraham, Deus mihi locutus est,

Basil. de verâ fide.

Chrysost. orat. 25.

Augustin. serm. 71. de temp. cap. 1.

Qui potest de mortuo suscitare filium, potest de sepulcro suscitare mortuum.

quando promisit filium. Credidi, quòd mihi daturus esset Deus posteritatem. Et qualem posteritatem? Quid ergo est? Non fecit sibi quæstionem quasi de contrariis & sibi aduersantibus verbis Dei promittentis filium nasciturum & postea dicentis, occide mihi filium tuum: sed erat in corde eius semper fides inconcussa: & nullo modo deficiens. Cogitauit enim Abraham, Deum qui dedit vt ille de seminibus nasceretur, qui non erat, posse etiam de morte reparare. Amplius est enim quod iam fecerat Deus, cum qui non erat, post tantam desperationem, videbat sibi datum filium, etsi humanam infirmitatem consulas, impossibile. Adiecit itaque animum ad fidem: non credidit aliquid impossibile esse creatori; qui, quemadmodum crediderat, filium suscepit. Credidit postea iubenti Deo: iam in se, suscepto filio, probauerat Deum. Credidit suscepturus filium, credidit occisurus. Vbique fidelis, nusquam crudelis.

Augustin. cap. eod.

Quoad tertium. Fidelis quidem Abraham: sed, vt dixit Tertullianus, Fidem eius potentia probauit, quum filium immolare iussus est; ad fidei non tentationem dixerim, sed ad typicam contestationem. Quid ergo, non est tentatus Abraham? Nonne iam dixit Paulus: Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur. Tentat Deus, vt instruat; tentat diabolus, vt decipiat. Displicet tibi tentans Deus, (verba sunt Augustini) displiceat tibi tentans Christus. Sed cum tibi placuerit tentans Christus, placeat tibi tentās Deus. Est Christus enim filius Dei Deus, & cum Patre Christus vnus Deus. Vbi igitur legimus tentantem Christum? Euangelium loquitur: Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Refer nunc animum ad Deum tentantem Abraham. Agnoscitur tentator Deus, agnoscitur tentator Christus: sed tentat, vt aperiat homini, & doceat; Diabolus tentat, vt decipiat. Vbi Diabolus tentat, imminet periculum; vbi tentat Deus, apparet mysterium. Probatur ergo Abraham, dum tentatur; imò nec tentatur ad deceptionem, sed ad instructionem prouocatur. Non ad fidei tentationem, sed ad typicam contestationem. In typum, in mysterium, in figurā, in parabolam. Vnde eum & in parabolam accepit. Quid in parabolam? Hoc est, vt exponit Chrysostomus, in exemplo. Quomodo verò? Ariete mactato, hic fuit saluus. Quamobrem accepit eum per arietem, vt qui istum, pro illo mactauerit. Hæc enim erant quidam typi. Hic quippe est filius Dei mactatus: Vnde & eum, inquit, accepit in parabola, hoc est, tanquam in ænigmate, in typo ac figurā. Typus est eximij repræsentatiuus mysterij; Christi scilicet, secundum diuinitatem intacti, & secundùm humanitatem rediuiui. Nullus quidem à morte suscitatus, sed nullus etiam adhuc è sterilitate natus. Expertus Abraham posse aliquem de sterilitate nasci, persuasus fuit hominem, posse de morte suscitari. Vnde & filium in typum & exemplum recepit à morte saluum, Christum præuidit ad pœnam immolatum, sed ad vitam reuocatū. Dicit Abraham beatus, (verba sunt Augustini) Sedete hîc asinā, ego & puer proficiscemur, & cum adorauerimus, reuertemur ad vos. Quid est quod dicis beate Abraham? Ad immolandum filium vadis, & dicis quòd cum filio reuerteris. Si enim in holocaustum obtuleris vtique tecum redire non poterit. Potuit respondere beatus Abrahā: Verum dico, & offero filium, & cum filio reuertar ad vos. Tanta est fides mea, vt credam quod ille qui mihi eum de matris sterilis vtero dignatus est dare, possit etiam eum mortuum suscitare, & ideò verum dico, quia cum adorauerimus, reuertemur ad vos. Abraham ergo quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei Patris: Isaac verò, typum gessit Domini Saluatoris. Quod igitur aries occisus est, & Isaac non est occisus; ideo factum est, quia Isaac figura, & veritas non erat. In ipso designatum est, quod postea in Christo completum est. Videte Deum cum hominibus magnā pietate certantē. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, & Deus immortalem filium pro hominibus tradidit morti. Potest etiam & de beato Isaac, & de illo ariete sic intelligi, vt in beato Isaac significata sit diuinitas; in ariete humanitas Christi: & quia in passione nō diuinitas crucifixa creditur, ideò non Isaac, sed aries immolatur. Dei enim filius vel vnigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur. Concludo ex eodem Augustino. Ideò iubetur Abraham filium occidere, vt manifestetur mūdo qui iam notus erat Deo. Videte Abraham patientiā fortem, deuotione constantem, non cum aliquā ferā luctantem, sed cum naturā pugnantem. Deuotio dicebat, percute: pietas clamabat, parce. Illa reuocabat, ista prouocabat. Sed qui iusserat vt feriret, modò vociferatur vt parceret. Parce, inquit, deuote pater; parricida sine crimine parce. Tuum sacrificium quod parauceras intendi, ego quod iusseram vt obtulisses accepi. In voto probaui, quod in facto tenui. Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa.

Tertullian. lib. de patient. cap. 6.

Augustin. serm. 2. de temp. cap. 3.

Chrysost. orat. 25.

Augustin. serm. 70. de temp.

Typus Christi in Isaac præsignatus.

Augustin. serm. 73. de temp. vers. finem.

EXPOSITIO X.

De Isaac.

PAuca de Isaac, quia multa de Abraham, quocum plura sunt cōmunia. Ita in Genesi. Ortā fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech Regē Palæstinarū in Gerara: Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne descēdas in Ægyptū, sed quiesce in terrā, quam dixero tibi. Et peregrinare in eā, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuū sicut stellas cæli: dabóque posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesque seruauerit. Mansit itaq; Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur à viris loci illius super vxore suā, respondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata coniugio, imputans ne fortè interficerēt eum propter illius pulchritudinem. Paria iam de Abraham & dicta & facta. Vt autem taceret vxorem, ait Augustinus, quid mirum, aut quid prauum, si imitatus est patrem; cum eadem iustitiā defendatur, quā pater

Genes. cap. 26.

Paria ferè Abraham & Isaac sunt facta.

August. lib. 22. cont. Faust. c. 46

patet eius de simili obiecto inculpatus inuentus est. Sed iam Paulus de illo. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob & Esaü. Ideo fide, quia de futuris bonis: promittebat enim quod non tenebat, credebat quod non videbat, & inde diuinis fidebat promissis. Tria igitur exponenda sunt. Primum est quomodo benedixerit. Isaac Iacob & Esau: secundum, quid, illis benedicendo, portenderit: tertium, in quo fidem obsignauerit per benedictionem.

Quoad primum. Nota est historia, nec tamen subtrahenda. Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tuâ, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coràm Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. Abiit, & attulit, deditque matri. In his tria sunt obseruanda Primum est, geminos quidem illos fuisse; vnum tamen plus à Patre, alterum à Matre plus dilectum. Isaac amabat Esaü, eò quòd de venatione illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob nimirum probabat in illo artem venandi, mater in isto simplicitatem amabat animi. Factus est Esaü vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Seu, vt est apud Augustinum. Erat Esaü homo sciens venari agrestis: Iacob autem homo simplex habitans domum. Quod nostri, ait ille, interpretati sunt, sine dolo: siue potius, sine fictione. Græcè ἄπλαστος. Alterum, Esaü iam cessisse iuri suo, fratrique primogenita vendidisse. Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cum venisset Esaü de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Cui dixit Iacob: vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esaü, & vendidit primogenita. Primatum scilicet, seu principatum. Primatus maioris, ait Augustinus, transfunditur in minorem ex pacto & placito inter illos, eò quòd lenticulam, quam minor parauerat, maior immoderatiùs concupiuit, eóque pretio primogenita sua fratri, iuratione interpositâ, vendidit. Tertium, iam id prius diuino decretum oraculo, dictumque, Maior seruiet minori, Quod non allegoricè tantùm intelligendum est, sed & historicè. Spiritali enim intelligentiâ, vt dixit Augustinus, carnales in populo Dei significantur per maiorem filium, & spiritales per minorem, quia sicut dicit Apostolus, Non prius quod spiritale, sed quod animale, postea spiritale. Sed etiam historicâ proprietate hoc responsum inuenitur esse completum, vbi populus Israël, hoc est, Iacob minor filius, superauit Idumæos, hoc est, Gentem quam propagauit Esaü, eosque fecit tributarios per Dauid. Ex quibus concludendum est, furtum ab ipsâ Rebecca non esse perpetratum, sed procuratum mysterium; quod Isaac serò quidem agnosceret, seriò tamen confirmaret. Quoniam enim tantus Patriarcha Isaac antequam moriatur, (ita Augustinus) quærit à filio suo venationem & escam, qualem amat, pro magno beneficio, & promittit benedictionem, nullo modo vacare arbitramur significatione propheticâ: maximè quoniam festinat vxor, vt illam benedictionem minor accipiat, quem ipsa diligebat, & cætera in eadem narratione multum mouent ad maiora intelligenda vel requirenda. Porrò, quia solet ecstasis in magnarum rerum reuelationibus fieri, seu quandam mentis alienationem: in hac intelligendum est factam esse spiritalem admonitionem, vt confirmaret benedictionem suam filio minori, cui potius irascendum fuit quòd fefellerit patrem. Dixi decretum, sed præstituto tempore, & suo implendum ordine.

Quoad secundum. Benedictiones illæ, non erant simplices ac meræ apprecationes, sed prædictiones certissimæ, felices aut faustæ promissiones. Primum omnium, ait Ambrosius, discimus quantam parentibus reuerentiam deferre debeamus, cum legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat: & qui maledicebatur, maledictus erat. Ideò hanc parentibus gratiam donauit Deus, vt filiorum pietas prouocetur. Prærogatiua igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, vt benedicat te. Etsi pauper est, & non habet diuitiarum copias quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis, qua sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quàm diuitem fieri. Inde tanta cura Patriarchæ, benedictionis conferendæ, seu potius successionis prædicendæ. Ita, vocauit Iacob filios suos, & ait, Congregamini, vt annuntiem vobis quæ occursura sunt vobis in nouissimis diebus. Duorum quippe nepotum benedictione celebratâ, ait ille, vocauit Iacob filios suos. Et qui ante iuniorem seniori prætulerat, cæpit à primo, vt in illo mysterij præferret gratiam, in hoc ordinem seruaret ætatis: simul qui antè in duobus benedixerat vniuersos cum omni posteritate & progenie futurorum, ne aut superflua videretur plebis iterata benedictio, aut prior æstimaretur infirma. Meritóque repetitam magis annuntiationem eorum quæ posterioribus essent ventura temporibus, quàm benedictionem conferre se dicit. Nonne enim Ruben à quo cæpit redargui magis quàm benedici videtur? Et ideò prophetia magis quàm benedictio est. Prophetia enim annuntiatio futurorum est, benedictio autem sanctificationis & gratiarum votiua collatio. Sed iam ad rem nostram cominùs. Cuius personam gessit Isaac, ait Augustinus, quando voluit benedicere filium suum maiorem? Iam senuerat, vbi senectus, vetustas: per senectutem enim intelligo vetustatem, & per vetustatem intelligo vetus testamentum.

Marginalia: Genes. c. 27. — Genes. c. 25. — Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 37. — Genes. c. 25. — Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 37. — Augustin. quæst. 73. in Genes. — Non furtum à Rebeccâ procuratum, sed mysterium. — Augustin. lib quæst. in Genes. quæst. 79. & 80. — Ambros. lib. de bened. pat. cap. 1. — Ambros. eodem lib. c. 2. — Augustin. serm. 41. de diuers. c. 11.

Hoc ergo vetus Testamentum quia illi non intelligebant, qui sub nube fuerunt: ideo dicuntur caligasse oculi Isaac. Caligo oculorum corporis Isaac, caliginem significat mentium Iudæorum. Senectus Isaac, vetustatem significat veteris testamenti. Quid ergo, fratres? vult tamen benedicere, & maiorem filium Esaü: minorem amabat mater, & maiorem pater tanquam primogenitum: nam æqualis in ambos iustitia, sed erat charitas maior erga primogenitum. Vult ergo benedicere maiorem, quia vetus Testamentum primò promittebat. Promissiones non loquitur nisi ad Iudæos: ipsis videtur promittere, ipsis omnia polliceri. Vocantur ab Ægypto, liberantur ab hostibus, per mare ducuntur, pascuntur manna, accipiunt testamentum, accipiunt legem, accipiunt promissiones accipiunt ipsam terram repromissionis. Non mirum, quia ipse benedicere voluit primum filium. Sed sub figurâ maioris, benedicitur minor: mater enim typum gestat Ecclesiæ. Ecclesiam autem accipite, non in his solis qui post Domini aduentum & natiuitatem esse cœperunt sancti: sed omnes quoquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. Non enim ad nos pertinet pater Abraham, quia ille fuit antequam Christus nasceretur de Virgine; & nos tanto post, id est, post passionem Christi facti sumus Christiani, cum dicat Apostolus, Quia filij sumus Abrahæ, imitando fidem Abrahæ. Ergo nos imitando illum ad Ecclesiam admittimur, & ipsum ab Ecclesiâ exclusuri sumus? Hæc Ecclesia significatur in Rebeccâ vxore Isaac, hæc Ecclesia erat in sanctis etiam Prophetis, qui intelligebant vetus Testamentum, quia promissiones illæ carnales spiritale nescio quid significabant. Si spiritale, spiritales ergo ad minorem filium: quia prior est carnalis, & postea spiritalis.

Primus filius ab Isaac benedictus, quia prius Testamentum vetus quàm nouum.

Quoad tertium. Magnus planè vir Isaac, & magnarum cultor doctorque virtutum. Ipse mitis, ait Ambrosius, humilis, atque mansuetus, qui veniente Rebeccâ, hoc est patientiâ, exiuit in campum se exercere. Sapientis enim est segregare se à voluptatibus carnis, eleuare animam, atque à corpore abducere. Maximè ille sapiens, qui maximè continens. Iste enim Patriarcha, vt obseruauit Augustinus, nec vxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam, sed posteritate duorum geminorum ex vno concubitu procreatorum contentus fuit. Timuit etiam ipse periculum de pulchritudine coniugis, cum habitaret inter alienos, fecitque quod Pater, vt eam sororem diceret, taceret vxorem. Erat enim ei propinqua, & Paterno & Materno sanguine: sed etiam ipsa ab alienigenis, cognito quod vxor eius esset, mansit intacta. Sed de præteritis Paulus minus sollicitus quàm de futuris. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob & Esaii. Præsentia quidem tangens, sed futura prospiciens. Nunquid ergo omnia futura nouerant iusti? Maximè (ita Chrysostomus) Nam si ideo non reuelabatur filius propter imbecillitatem eorum qui non poterant ipsum suscipere, iis qui virtute resplendebant, reuelabatur. Multi, inquit, Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Hoc etiam dicit Paulus, quòd sciebant futura, nempe Christi resurrectionem. An non hoc dicit? Sed fide de futuris: non de futuro seculo, sed de iis quæ hic sunt futura. Quomodo enim sedens in terrâ peregrinâ, tales daret benedictiones. Futura quidem prospiciebant, nempe bona promissa, quæ nondum tangebant, sed certò credebant affutura. Verùm spiritaliter ea capiebant, non carnaliter, & per ipsa, & merita gratiæ præuidebant & præmia gloriæ, & Ecclesiæ militantis opes, & Ecclesiæ dotes triumphantis. Ipsa namque benedictio Isaac qualis est? (verba sunt Augustini) Ecce, inquit, odor filij mei tanquã odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli, & de vbertate terræ multitudinem frumenti & vini: & seruiant tibi Gentes, & adorent te Principes. Benedictio igitur Iacob, prædicatio Christi est in omnibus Gentibus. Hoc fit, hoc agitur: lex & prophetia est in Isaac: etiam per os Iudæorum Christus ab illâ benedicitur velut à nesciente, quia in eâ ab eis ipse nescitur. Odore nominis Christi, sicut ager, mundus impletur; eius est benedictio de rore cœli, hoc est, de verborum pluuiâ diuinorum: & de vbertate terræ, hoc est, de congregatione populorum: eius est multitudo frumenti & vini, hoc est, multitudo quam colligit frumentum & vinum in Sacramento corporis & sanguinis eius. Ei seruiunt Gentes, ipsum adorant Principes. Ipsum adorant filij Patris eius, hoc est, filij Abrahæ secundùm fidem, quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. Denique benedictionem promissam repetente maiore, expauit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens, miratur: & quisnam ille sit, percontatur: nec tamen se deceptum esse conqueritur, imò confestim reuelato sibi intus in corde magno Sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem. O res gestas, sed prophetice gestas: in terrâ, sed cœlitùs: per homines, sed diuinitùs. Quis enim non hîc maledictionem potius expectaret irati, si hæc non supernâ inspiratione, sed terreno more gererentur? Iacob qui maledixerit, maledictus: & qui benedixerit, benedictus est. Christus, inquam, noster etiam ex ore Iudæorum, quamuis errantium, sed tamen legem Prophetasque cantantium benedicitur, id est, veraciter dicitur: & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur.

Ambros. lib. de Isaac c. 1.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 36.

Chrysost. orat. 26.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 37.

Benedictio Iacobi Christi prædicatio.

EXPOSITIO XI.

De Iacob.

ET iste tertius, qui promissiones accepit, sparsitque benedictiones. Terram, in quâ dormis, tibi dabo, & semini tuo. Et benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Nec minus illustris fide Christi, quàm Dei benedictione insignis. Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. De morte igitur, de benedictione, de adoratione.

Genes. c. 28.

Quoad mortem. Iacob moriens. Morti proximus. Celebrata sunt morientium vaticinia non solùm apud nostros, sed & apud exteros. Ita

Ita Socrates apud Platonem. Sum iam eo loci, quo homines maximè vaticinantur in vitæ exitu. Denuntio itaque vobis, ô viri, qui me estis interfecturi, vltionem vobis statim affore post mortem meam. Ita dixit ac prædixit, ita contigit. Rem asserit & Tertullianus, redditque rationem. Ita ausim dicere, inquit, totius vltimum, totum est. Hinc euenit, sæpè animam in ipso diuortio potentius agitari, sollicitiore obtutu, extraordinariâ loquacitate: dum ex maiore suggestu, iam in libero constituta; per superfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse. Si enim corpus istud Platonicâ sententiâ carcer, cæterùm Apostolicâ, Dei templum, cum in Christo est; sed interim animam consepto suo obstruit, & obscurat, & concretione carnis inferat; vnde illi, velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est; procul dubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, & ipsâ expressione colatur; certè de oppanso corporis erumpit in apertum, ad meram & puram & suam lucem; statim semetipsam in expeditione substantiæ recognoscit, & in diuinitatem ipsâ libertate resipiscit, vt de summo emergens, ab imaginibus ad veritates. Si nondum à corpore, proximè tamen liberanda, exonerandaque carnis sarcina, aut soluenda è carceris exsoluenda, vt sensationem excutiat corpoream, & puriorem percipiat intelligentiam. Prius enim in sordibus erat, ait Aretæus, in fecibus, ac tenebris. Vt autem morbus hæc exhausit, & caliginem discussit ab oculis, dicunt quæ sunt in aëre, & nuda iam animâ, fiunt veri Vates. Quasi attenuatis humoribus, & spiritibus eliquatis. Credo equidem mentem tunc agitatorem, sed non credo vinacem; vbi excidit quidem pondus, sed opus deficit; ni vis morbi concutiat, vel fraus decipiat Diaboli. Senuerat autem Iacob, ait Ambrosius, ætate iam senuerat & moribus: sed certabant in eo impigra viuacitas iuuentutis, & tranquillitas senectutis. Est enim & senectus virens gratiâ, & iuuentus cana consiliis. Senuerat ergo Iacob, qui bonis operibus præuenit tempus longeuæ senectutis: vt fructum eius ante tempus carperet, & postrema eius in tempore non timeret. Beatus quidem & iuuenis qui benè viuit, sed magis beatus est senex qui benè vixit. Vbi autem recepti filij fructu potitus est, aliquanto exacto tempore, finem vitæ sibi appropinquare cognouit, vocauit Ioseph filium, acceptáque fide, cum paulo post infirmaretur, prophetauit. Futura præcanendo, prædicendóque futura. Dicat nunc ergo aliquis, ait ille, non beatum Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, qui penè plura cum Deo quàm cum hominibus alloquia miscebat. Videtur quidem cæcitas quibusdam esse grauis ætumna calamitatis: sed tunc quoque beatus Iacob, qui discernebat spiritu, quod oculis discernere aspectúque non poterat. Videbat futura, qui existimabatur non videre præsentia. Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto tanquam in sepulchro corpus relinquens assurrexit in se, & longè ab aliis, atque intra semetipsum se colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futuræ miscebatur ætati. Sic enim scriptum est: Annuntiabo, inquit, vobis quæ occursura sunt vobis in nouissimis diebus. Videbatur corporis implicatus impedimento, & vigilanti in futura tempora præcurrebat affectu. Qui licet membris resolutus, tamen attollens se animo & erigens spiritu, prophetico se modulamine delectabat. Nec defuit, quando in eo Spiritu sanctus loquebatur.

Plat. in Apolog.

Tertullian. lib. de Anim. cap. 53.

Vaticinia morientium vbique celebrata.

Aret. lib. 2. de morb. acut. cap. 4.

Ambros. lib. 2. de Iacob. cap. 8.

Ambros. cap. 9.

Quoad benedictionem. Singulos filiorum Ioseph benedixit. Ephraim scilicet & Manassem. Hoc enim quoq; est de veteri Sacramento, vt loquitur Tertullianus, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephraim & Manassem, Iacob capitibus impositis & intermutatis manibus benedixit: & quidem ita transuersim obliquatis in se, vt Christum deformantes, iam tunc portenderent benedictioné in Christum futurã. Certè, vt obseruauit Irenęus: Siquis actus qui sunt Iacob addiscat, inueniet eos non inanes, sed plenos dispositionum. Sed siquis attendat ad vltimos, deprehendet eos mirabiles, sed & plenos mysteriorum. Errauit & ipse Ioseph, ait Ambrosius, vt quum ad dexteram eius filium suum seniorem, & ad sinistrã ipsius, hoc est Iacob, applicuisset filium iuniorem, vt ætatis ordo benedictionis ordinem seruaret; cum extenderet dexteram suam super nepotem iuniorem, & sinistram super seniorem nepotem; & volenti filio patriam dexteram super Manassem seniorem conuertere, responderet, Scio fili, scio, & hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit. Et causam prælationis adiunxit, dicens: Semé eius erit in multitudiné Gentium. Adeò, licet impedito corporis aspectu, melius videbat, vt videntem doceret errasse. Quis enim melius videt, quàm qui videt Christum? Aut quis potest dicere oculis impeditum eum, qui videbat in Christo refulgétem Ecclesiam? Fide ergo benedicebat, dum mente bona præuidebat in Christo & in Paulo reposita. Festinabat Ioseph, ait ille, sumere benedictioné. Deniq; & filios suos obtulit, Manassé & Ephraim, quos benedixit Iacob; vt qui duodecim habebat filios, & tertius decimus erat futurus Apostolus Paulus, quasi posterior electus tertia decima tribus de Manasse & Ephraim nepotibus sanctificaretur in vtrumque diuisa, quo Paulus non extra paternatum numerum tribuum inueniretur; qui veteris Testaméti & noui egregius prædicator, paternæ benedictionis hæreditatem sibi quoque facilè profecisse comprobaret. Quàm præclara & in hoc mysteria, quòd sumens Ioseph filios suos quos susceperat in Ægypto, Ephraim ad dexteram suam, ad sinistram autem Israël patris sui, Manassem autem ad sinistram suam, ad dexteram autem Israël, applicuit eos antè patrem. Extendens autem Israël manum dexteram imposuit super caput Ephraim qui erat iunior, & stabat à sinistrâ aui: & sinistram suam posuit super caput Manasse, qui erat ad dexteram, & ita immutatis manibus benedixit eos. In quo & Ioseph naturæ ordinem seruauit, vt seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoque in Esaü priorem filium benedictionem præferre cupiebat. Sed minorem filium in typo iunioris populi credidit præferendum, sicut erat ipse à matre prælatus. Deniq; Manasses ex obliuione, Latinâ interpretatione signatur, eò quòd populus Iudæorum oblitus est Deum suum qui fecit eum. Et quicunque ex eã plebe crediderit, tanquam ex obliuione reuocatur.

Tertullian. lib. de bapt. cap. 8.

Iren. lib. 4. aduers. hæres. cap. 38.

Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 9.

Ambros. lib. de bened. patr. cap. 1.

Quanta in benedictione Ephraim mysteria.

tur, Ephraim autem fœcunditatem fidei interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrê, sicut ait ipse Ioseph, dicês, Qui auxit me Deus in terrâ humilitatis meæ. Quod proprium est populi iunioris, qui corpus est Christi, augens patrem, & Deum proprium non relinquens. Denique spiritaliter de populis hoc esse mysterium senior declarauit. Nam cum filius putaret eum errasse vitio hebetioris aspectûs, conuertere voluit manus eius dicens, Non sic pater, hic enim primitiuus est, impone dexteram tuam super caput eius: non voluit, sed dixit, Scio, fili, scio. Et hic erit in populum, sed frater eius iunior maior illo erit. Deniq; præferendum Ephraim seniori germano, etiã benedictionis serie prophetauit, dicens, In vobis benedicetur Israël, & dicetur, Faciat vobis Deus sicut Ephraim & Manasse.

Quoad adorationem. Et adorauit fastigium virgæ eius. Recolenda est historia ex Genesi. (Gen. c. 47.) Cum appropinquare cerneret Israël diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatê, vt non sepelias me in Ægypto: sed dormiam cũ patribus meis, & auferas me de terrâ hac, cõdasq; in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Israël Deum, conuersus ad lectuli caput. Est & alia adoratio, de quâ capite sequenti. (Genes. c. 48.) His ita transactis, nuntiatum est Ioseph quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filiis Manasse & Ephraim ire perrexit. Dictúmque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terrâ Chanaan: benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terrâ Ægypri antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram. Verùm adoratio ista, quamuis intentioni Apostolicæ videatur vicinior, narrationi tamen historicæ, imò & fidei propositæ non reputatur conformior: tum quia Iosephi est, non Iacobi; cùm quia pronus in terram adorat, non verò decumbentis habitu, seu de lectuli, sceptrive prospectu. Parat enim se Ioseph ad excipiendam benedictionem ritu supplicis, exhibendámque venerationem. Quod igitur habemus ex Hebræo, Adorauit Israël Deum, conuersus ad lectuli caput. Septuaginta, quibus de more vsus est Apostolus, verterunt: Adorauit fastigium virgæ eius. Fastigium sumentes pro capite seu summitate: & virgam seu sceptrum, ad lectulum iisdem trahentes literis. (Augustin. lib. quæst. in Genes. q. 102.) Facilè quidem intelligeretur, ait Augustinus, senem qui virgam ferebat eo more quo illa ætas baculum solet, vt se inclinauit ad Deum adorandum, id vtique fecisse super cacumen virgæ suæ, quam sic ferebat, vt super eam caput inclinando, adoraret Deum. Quid est ergo, Adorauit super cacumen virgæ eius: id est, filij sui Ioseph? An fortè tulerat ab eo virgam, quando ei iura-

A bat idem filius: & dum eam teneret post verba iurantis, nondum illâ redditâ mox adorauit Deum? Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filij sui, vbi figura magnæ rei futuræ præsignabatur: quamuis in Hebræo facillima huius quæstionis absolutio est dicatur, (Scepta principibus ac summatibus cur côcessa.) vbi scriptum perhibetur, Et adorauit Israël ad caput lecti, in quo vtique senex iacebat: & sic positum habebat, vt in eo sine labore, quando vellet, oraret: nec ideò tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel leuem sensum habere putandum est. Obseruandum igitur primò, sceptrum, iuri dicendo, seu inferiori regendo assignatum. Ita ille apud Apollonium, Sce-
B ptrum tenebat ad iudicia. Hastam nimirum puram, seu virgam inuentam nô Regibus tantùm, sed & Principibus, virisque summatibus, pro insigni concessam potestatis. Hastas enim Græci, vt testatur Iustinus Historicus, σκῆπτρα dixere. Quis igitur virgã seu sceptrũ negabit Iosepho, (Genes. c. 41.) quem legit tantâ donatum potentiâ. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Obseruandum secundò, virgas illas ornari seu terminari solitas oculo vigilanti, vel aliquo simili symbolo. Ita Ieremias: (Ierem. cap. 1.) Virgam vigilantem ego video. In signum scilicet vigilantiæ, seu prudentiæ symbolum, potestati, seu maiestati plurimum necessariæ.
C Obseruandum tertiò, Principes iurasse per sua sceptra. Ita Achilles iurat apud Homerum, iurat, per hoc sceptrũ. Ita Ioseph, cum iurat, per salutem Pharaonis. Iurare etiam potuit per Maiestatem Pharaonis, per auctoritatem, per sceptrum sibi à Deo suo, Pharaone interueniente collatum. Concludendum igitur Iosephum ad patrem accessisse cum sceptro suo, necnon per (Genes. c. 41.) illud, iuramentum suum confirmasse: Iacobum autem ad cuspidem seu summitatem virgæ regiæ, symbolum diuinæ intuitum Prouidentiæ, per fidem adorasse; nec tam à Iosepho, quàm ab illo, qui verè, Saluator mundi, sui expletionem expectasse desiderij. Ita in benedictione (Genes. c. 49.)
D Dan. Salutare tuum expectabo Domine. Christum scilicet venturum. Ipse senex, ait Aquinas, (Aquin. Lect. 5.) recepit sceptrum Ioseph, donec iurasset; & antequam redderet ei, adorauit: non ipsam virgam, nec Ioseph, sed ipsum Deum: ad quod motus fuit ex consideratione potestatis Christi, quam potestas Ioseph præfigurabat. Ipse enim tanquam præfectus Ægypto, portabat sceptrum, in signum potestatis Christi.

EXPOSITIO XII.

E
De Ioseph.

Iam propriam agit personam, nouamque scenam instituit. Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Cur tanta sollicitudo sepulchri? Quæ illa populi profectio? Quænam voti fuit adimpletio?

Quoad primum. Ataphiam plerique contempserunt exterorum, nostrorum aliqui non multum appenderunt. Noster animus, ait Seneca, (Seneca epist. 92. vers. fin.) vadit audacter, contemptor omnium: scit etui è cœno, scit alibi positas esse diuitias: magno modo prosilit: nec quis deinde reliquiis eius

eius futurus sit exitus, quærit. Sed vt ex barbâ capillos detonsos negligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominem, quò receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, nô magis ad se iudicat pertinere, quàm secūdinas ad editum infātem. Vtrum proiectum aues differant, an consumatur canibus data præda marinis: quid ad illum; Qui tunc quoque cum inter homines est, nullas minas timet: vllasne timebit post mortem minas eorum, quibus vsque ad mortem timeri parùm est? Non conteret, inquit, me, nec vncus, nec proiecti ad contumeliam cadaueris laceratio, fœda visuris. Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sæuitia proiecerit, dies condet. Tum laudat Mecænatem dicentem. Nec tumulum curo, sepelit natura relictos. Sed de illo dixerim, quod ille dixit de isto. Altè cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium & grande & virile, nisi illud ipse discinxisset. Sed nostros consulamus. Vtrum, ait Augustinus, prosit animæ mortui locus corporis, operosiùs inquirendum est. Ac primùm, vtrum intersit aliquid ad inferendam vel augendam miseriam post hanc vitā spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fuerint: non secundùm opinionem vtrumque vulgarem, sed potius secundùm religionis nostræ sacras litteras est videndum. Neque enim credendum est, sicut apud Maronem legitur, insepultos à nauigando atque transeundo inferni amne prohiberi, Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt. Quis cor Christianum inclinet his poëticis fabulosisque figmentis, cum Dominus Iesus, vt inter inimicorum manus qui eorum corpora in potestate haberent, securi occumberent Christiani, nec capillum capitis eorum asserat periturum, exhortans ne timeant eos, qui cum corpus occiderint, amplius non habent quid faciant. Non ergo istud pia fides nimium reformidat, tenens prædictum, neque absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit: sed nullum eorum quisquam à cælo & à terrâ separauit; quam totam implet præsentiâ sui qui nouit vnde resuscitet quod creauit. Proinde ista omnia, id est, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Quasi ataphia, aut non obsit piis, aut non prosit impiis. Tria tamen sunt dicenda. Primum est, communem naturæ sensum, ataphiam abhorrere nuditatémque, ideóque curam agere sepulturæ. Creditum est, ait Tertullianus, insepultos non ante ad inferos redigi quàm iusta percepetint. Nouimus autem, præter poëtica iura, pietatis quoque Homericæ industriam. Tanto magis enim curam sepulturæ collocauit, quanto etiam moram eius iniuriosam animabus incusauit. Quod ille dixit pietatem, tu diceres humanitatem. Ita dixit Augustinus: Corpori humando quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectum, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit. Vnde oportet vt quam potest pro carne

Ataphia ab exteris & nostris non multum quæsita.

Augustin. lib. de curâ pro mort. cap. 2.

Tertull. l. de Anim. cap. 56.

Augustin. lib. de curâ pro mort. vlt.

A proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui regebat. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt, vt corpori mortuo, sed tamen resurrecturo & in æternitate mansuro impensum eiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium. Itaque, decor funerum, honor est corporum; & quod humanitatis sensus est in Homerico Patroclo, funus de Achille in somnis flagitante; pietatis etiam motus est in bono Christiano, nô solû è Scripturis, sed & ex secreto animæ oraculo, bonum opus operante. Æquè ex bonâ parte, ait Tertullianus, cui gratiam debes, ossibus & cineribus eius refrigerium comprecaris Alterum, curam sepulturæ propter fidem ac religionem negligendam. Dicitur quidem in Psalmo, (verba sunt Augustini) posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorū bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum, sicut aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret: sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem qui ista perpessi sunt. Quamuis enim hæc in conspectu hominum dura & dira videantur: sed pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Rident hæc illi, contra quos defendendam suscepimus ciuitatem Dei. Sed si licuit de hac re Poëtis plausibiliter dicere, Cælo tegitur, qui non habet vrnam. Quāto minus debent de corporibus insepultis insultare Christiani? Tertium deniq; vbi nulla religionis iniuria, nulla iactura pietatis, sepulchrū non aspernandum, nec tam studium esse sepulturæ, quàm naturæ officium. Ita ritus Christianorum, nedum Hebræorū antiquissimus, mortuorum corpora condire, & in cœmeteriis seu requietoriis, tanquam in asylis condere; non solum vt indulgerent humanitati, sed & præluderent immortalitati. Corpora mortuorum, ait Cassianus, pigmentis condita redolentibus, in D editioribus cellulis reconduntur.

Tertull. lib. de testi. mo. anim. cap. 4.

Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12.

Cassian. lib. Collat. cap. 3. col. 15.

Quoad secundum. Ante Abraham, nullus legitur de sepulturâ suâ sollicitus, imò nullus in priscis litteris dicitur sepultus, licet mortuus. Facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran. Ex quo autem venit Abraham in terram Chanaan, & elegit locum Saræ condendæ, cura sepulturæ non modica. Vixit autem Sara centum viginti septem annis. Et mortua est in ciuitate Arbe, quæ est Hebron, in terrâ Chanaam: venitque Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum. Non solum peregrinus erat, sed si non omni iure, certè omni possessione stabili & immobili destitutus. Non petit ius palatij, sed sepulchri; imò emit, vt acquirat, nec in possessionem duntaxat sibi, sed & suis in hæreditatem, permansionémque asserat. Mortuus est in senectute bonâ: & sepelierunt eum Isaac & Ismaël filij sui in speluncâ duplici, in agro Ephron, quem emerat à filiis Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius. Et de Isaac Cōsumptus ætate mortuus est: & appositus est populo: & sepelierunt eum Esaü &

Genes. c. 11.

Genes. c. 23.

Genes. c. 25.

Genes. c. 35.

Genes.c.47. & Iacob filij sui. Vbinam ? in illo scilicet A parentum suorum sepulchro. Ita Iacob. Dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condásque in sepuchro maiorum meorum. Ita, Fecerunt filij Iacob sicut præceperat eis. Et portantes eum in terram Chanaam, sepelierunt eum in speluncâ duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. Denique Ioseph ipse: Locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Cumque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto. Prior Iacob filio Iosepho. Ait, En ego morior: & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum. Profecti sunt ergo, cum ex Ægypto educti, & in terram reducti promissam. Sed cur tantus in ipso Iosepho auitæ sepulturæ Zelus, vt proficisci velit cum peregrinis, & neglectis Ægypti copiis, cum suis condi? Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Iam egressionem futuram fide præsensit, promissionémque, licet post multos annos, ducentos nimirum adimplendam. Fide tantum præcurrit spatium, solúmque effugit inuisum, & patrium ambiit: C non quod terram quæreret, sed quod patriam, terrâ designatam promissa, prospiceret. Sancti enim per carnalia capiebant spiritalia, & per temporalia ipsi præcipiebant æterna. Qui enim sic intellexerunt, ait Augustinus, quasi præsens aliquid illis daretur pro magno, & futurum nihil quæsierunt: nec spiritaliter ea quæ carnaliter gerebantur, intelligere valuerunt: ad vetus Testamentum pertinent. Vetus Testamentum, est promissio figurata: nouum Testamentum est promissio spiritaliter intellecta. Cum enim Hierusalem quæ fuit in terrâ, pertineat ad vetus Ttestamentum, imaginem habet Hierusalem quæ est in cœlo, & pertinet ad nouum Testamentum. Liberatur secundùm vetus D Testamentum populus de Ægypto, liberatur secundùm nouũ Testamentum populus à Diabolo. Persecutores Ægyptij & Pharao persequuntur exeuntes de Ægypro Iudæos, persequuntur populum Christianum peccata ipsorum, & Diabolus, Princeps peccatorum Sed sicut Iudæos vsque mare persequuntur Ægyptij, sic Christianos vsque ad baptismum persequuntur peccata. Signa illa sunt sed per fidem spémque perlegenda. Attendite, Fratres, ait ille, & videte, liberantur per mare Iudæi, obruuntur in mari Ægyptij: liberantur Christiani in remissione peccatorum, delentur peccata post baptismum: exeunt post mare rubrum, & ambulant per eremum: sic & Christiani post baptismum nondũ sunt in terrâ repromissionis, sed sunt in spe. Seculum hoc, verè Christiano est eremus post baptismum, si intelligat quod accepit: si non solùm signa corporalia in illo fiant, etiam intelligit in peregrinatione se viuere, patriam desiderare. Si iã se putet in patria remanet in viâ: vt aut non remaneat in viâ, spetet patriam.

Genes.c.50.

Genes.c.48.

Augustin. ser 44. de diuers. cap.8.

Terra promissa, sanctorum Christianorumve patria.

Augustin. cap.9.

Quoad tertium. Votis potitus est Iosephus: sicut enim adimpleuit quod erat patri pollicitus; ita quod à suis precatus, retulit. Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum: eo quòd adiurasset filios Israël, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. Nec ablata tantùm, sed & in optato loco reposita. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israël de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph. Sed inde exurgit quæstio, quam proponit Iustinus, seu quis alius: Quomodo Moses sibi repugnantia non docuit, ossa quidem B Iosephi secum ferens, cum autem qui qui cadauer attigisset, vt impurum, pro piaculari habens. Soluitque: Quoniam moriens Ioseph, iureiurando adegerat filios Israël, ad ossa sua transferanda; & vtrumque vt seruaret, Mosæ propositum fuit, videlicet ne iusiurandum frangeret, & ne cadauer attingeret: violatione legis quæ mortuum tangere vetat, iurisiurandi religionem integram conseruauit, fieri enim non potuit vt vtrumque inuiolatum teneret, & legem, & iusiurandum. Itaque præstabiliore iuramenti obseruatione, inferiorem soluit legis obseruationem. Nam in rebus omnibus, id quod minus est, maiori præferendum est malo. Et permulta sunt huius generis in sacris litteris, quæ non imputat eis Deus tamquam peccatum, qui illa transgrediuntur, propter eam quæ interuenit necessitatem; veluti octiduana circumciso, & septiduanus Hierichuntis exercitus, & victimarum in Sabbato oblatio: quæ Sabbati complectuntur violationem. Sed nondum Lex data, cum Moyses tulit ossa Ioseph: postquam autem data est, aut voluntatem ipse Dei consuluit, aut lustrationem adhibuit facti, sicque nihil aduersùs legem admisit. Alia igitur emergit quæstio, cur scilicet solus Ioseph à famoso illo patrum suorum Abraham Isaac & Iacob sepulchro seclusus? Sed facilis responsio: nondum enim exitum Israël de Ægypto, seu reditum, possessa erat terra, nondum diuisa, nondum in partes seu portiones distributa: postea verò quæque tribus sortem suam tulit, adiitque quasi hæreditatem perpetuam, nec iam communio rerum bonorumve ac possessionum facta est, sed distributio. Itaque non in agro Ephron, sed in agro Sichem, sepeliri decuit cum filiis, quia cum ipsis oportuit recenseri. Quod autem Sichimam dicit Iacob, præcipuam dare filio suo Ioseph & addit quòd eam possederit in gladio suo & arcu: quæri potest, quemadmodum valeat ad litteram conuenire. Emit enim centum agnis possessionem illam, non cepit iure vi-E ctoriæ bellicæ. An quia Salem ciuitatem Sichimorum filij eius expugnauerunt, vt iure belli potuerit eius fieri, & iustum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores iniuriam fecerunt in eius filiâ contaminatâ? Cur non ergo illis illam terram dedit qui hoc perpetrarunt, hoc est maioribus filiis suis? Deinde si modò ex illâ victoriâ glorians, dat eam terram filio suo Ioseph, cur ei displicuerunt tunc filij qui hoc commiserunt? Cum denique etiam nunc

Exod. c. 13. Iosue c. 24.

Iustin. lib. quæst. & responsi 37.

Quo iure Iosephi ossa contacta & asportata.

Augustin. quæst. 147. in Genes.

Genes. c. 35. nunc cum eos benediceret, exprobando id commemorauit in factis eorum? Sed terra illa non tam humanâ fortitudine, quàm diuinâ virtute vindicata, Iacobóque seruata; ideóque imperio eius & arbitrio consignata. Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitatis, & non sunt ausi persequi recedentes. Sit & tertia quæstio, cur terra Chanaam tam ardenter támque instanter in sepulturam appetita? Respondeo, teneóque idem sentiendum dicendúmque quod ab ipso Augustino dictum est de Rachele matre: Ad rem pertinuit commemorare ibi sepultam matrem Ioseph, vbi Christus fuerat nasciturus. Terra illa, sancta est, in quâ Christus natus est, conuersatus, mortuus, ac sepultus. Prouisus autem, (vt dicam ex Augustino) sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur attenditur. Certè sicut priuatio sepulturæ, species est supplicij, sic & concessio, species est solatij: sed si sepulturæ concessio, species solatij est; quanto & priuilegium grandius & maius gaudiū ibi & cōdi adiungit, vbi nō sola sanctorum communio fit, sed fit etiam pia quædam meritorum per fidem ac pietatem refusio? Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit.

Augustin. quæst. 145. in Genes.

Augustin. lib. de cura pro mort. cap. 4.

EXPOSITIO XIII.

De Moyse.

NVnc ad Moysem transit, exponitque primò, vt infantem: secundò, vt grandiorem: tertiò, vt Ducem, aquas marinas non tam sulcantem quàm calcantem.

Quoad primum. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum Fides, parentum est, id est, Patris ac Matris, puerum natum occultantium. Et benè orditur à parentibus, vt scias fidem quasi domesticam & hæreditariam virtutem. Docet nos diuina Scriptura, ait Ambrosius, non solùm mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis quos volumus laudare, præcellat. Sic enim sancti Samuel mater Anna laudatur: sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Solent filij parentum mores æmulari, solent & affectiones parentum in prolem transfundi. Vnde ex Chrysologo: Parentis vitium, filiorum exitium: vitium enim seminis, vitium est totius arboris. Sed hinc prima subrepit difficultas: quomodo enim parentes Moysi fide præclari, qui infantem cælant occultántque, non quòd audissent Dei vocem, sed quod vidissent puerum esse elegantem? Quod enim videtur, non creditur; & elegantia vultus potest quidem esse causa amoris, non tamen fidei materia. Quæ fides illa, quam naturalis excitat

Ambros. lib. 1. in Luc cit. med.

Chrysost. serm. 111.

A affectus, non cælestis instinctus illuminat. Volunt parentes infantem saluum, ideóque abscondunt, quia viderunt eum elegantem, speciosum. Boni parentes, sed nondum pij, nondum fideles. Quis enim, non dico ex hominibus, sed & ex pecudibus, non amet prolem suam, etiam difformem, etiam inelegantem; quis non occultet; cum & feræ ipsæ sese exponant discrimini, & ad tuendos fouendósque catulos, nulli parcant certamini? Respondeo, Scriptura multa tacere, nec tamen arcere, sed intelligenda relinquere. Ita de Moyse. Stephanus dicit in Actibus Apostolorū, Putabat intelligere fratres suos, quod per eum

Incunabula Moysis, diuinis signis illustria.

B Deus daret illis salutem: vt per hoc testimonium, ait Augustinus, videatur Moyses iam diuinitùs admonitus, quod Scriptura eo loco tacet. Idem ergo testis sit Stephanus. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius Rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos ne viuificarentur. Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Quod Paulus dicit, elegantem Græcè ἀστεῖον, Stephanus dicit gratum Deo. Quocirca elegantia illa, gratia diuina est, quæ iam

Augustin. lib. quæst. in Exod. q. 2.

Actuū c. 7.

C relucebat in facie, puerúmque futurum aliquando portendebat liberatorem populi sui saluatorémque. Egressus est post hæc vir de domo Leui: & accepit vxorem stirpis suæ: quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Quid ergo elegantem? Insignem, Deo charum ac dilectum, ipsóque illuminante, seu signo radiante præfulgidum. Viderunt, ait Chrysostomus, elegantem & scitum infantem. Ipse aspectus eos attraxit ad fidem. Ita statim ab

Exod. c. 2.

Chrysost. orat. 26.

D initio, & ex ipsis fasciis, iusto multa infusa erat gratia, non hoc efficiente naturâ. Sed esto, ratio ista fidem non destruat, sed potius astruat: altera tamen sese exerit difficultas. Quomodo enim, Non timuerunt Regis edictum timore mortis, seu præ difficultate occultationis impleuerunt? Respondeo, non timuisse Regis edictum, sed infantis præcauisse periculum: cum enim se proderet infans, vocemque iam ederet robustiorem, exponendus tamen fuit, diuinæque ne raperetur submergeretúrque, committendus Prouidentiæ. Pha-

E rao, ait Aquinas, mandauit occidi masculos, ne multiplicarentur. Sed habetur quòd parentes Moysis, videntes ipsum elegantem, absconderunt eum mensibus tribus, quod tribuit Apostolus fidei ipsorum. Credebant enim aliquem nasciturum, qui liberaret eos ab illâ seruitute. Vnde ex elegantiâ pueri, æstimabant aliquam virtutem Dei esse in filio. Ex quo habetur, quòd licet fides sit de inuisibilibus, tamen per aliqua signa visibilia possumus niti ad ipsam. Quod autem ipsi hoc fecerunt ex fide, non ex affectu carnali, patet, quia non timuerunt Regis edictum. Vnde exponebant se periculo personarum, quod non fecissent, nisi credidissent aliquid magnum de puero. Quod autem postea ipsi exposuerunt eum, di-

Aquin. Lect. 5.

dicendum est, quòd posuerunt ipsū non ad necandum, sed ne surriperetur eis. Credebant enim probabiliter, quod fuisset interfectus, si fuisset apud eos inuentus. Tantum igitur abest, vt paruerint edicto Regis de prodendo filio & occidendo, quin & obsisterint periculo mortis, infantem iam vocaliorem humanæ sæuitiæ subtrahendo, & diuinæ committendo misericordiæ. Quamuis enim instinctus naturæ posset hoc consilium suggerere, tamen cum iam credidissent parentes puerum Deo charum, crediderunt etiam in ipsius tutelâ esse positum, & ipsius curâ protegendum. Sed hinc surgit tertia difficultas: nam si credunt puerum protegendum, si tantum diuinæ fidunt gratiæ, iam in puero nato manifestæ; cur illum exponunt, cur illum ad fluuium deferunt quasi periturum? nonne illum Deus seruare posset domi, nonne posset de metu liberare periculi? Denique, si in tutelâ reponitur diuinâ, humana cautela conuincitur superflua. Respondeo, tunc maximè diuinum agnosci ac suspici præsidium, cum desperata sunt omnia; nec tamen humanam inde arceri industriam, sed diuinam gratiam recenseri. Exposito autem illo, ait Stephanus, sustulit eum filia Pharaonis. Et latiùs in Exodo. Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei: Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam ex famulabus suis: & allatam aperiens, cernensque in eâ paruulum vagientem, miserta eius, ait: De infantibus Hebræorum est hic. Per fidem igitur parentes occultauerunt puerum tribus mensibus: & cum iam eum amplius cælare non possent, infante semet publicante, & si exploratoribus vndique circumstantibus manifestante, per eandem fidem diuinæ commendarunt Prouidentiæ. Nihil omiserunt eorum quæ boni ac pij parentes facere potuerunt; quod autem facere non potuerunt, diuinæ reliquerunt Prouidentiæ.

Actuū cap. 7. Exod. c. 2.

Quoad secundum. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm tēporalis peccati habere iucunditatem: aspiciebat enim in remunerationem: Primò igitur laudauit fidem parentum, & hoc quidem prouidè, vt & filius auitâ nobilitaretur pietate, id est, verâ nobilitate commendaretur. Sed quid hoc ad filium adulterinum, degenerem, moribus, virtutibusque dissimilem; Quæ enim vtilitas, ait Chrysostomus, ex claris probisque parentibus originem ducere, te autem bonæ vitæ expertem? Aut quod damnum fuerit, si parentes & progenitores fuerint ignobiles & obscuri, ipse autem virtutibus floreat? Iam ergo ad filium accedendum est, dicendúmque primò, Quod bonum respuerit: secundò, quod malum incurrerit: tertiò, quod de mente seu intentione id fecerit. De primò, Negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Adoptiuum scilicet, adoptatúmve. Renuit ergo vocari filius Pharaonis. In quo, tria sunt adnotanda. Primum

Chrysost. Hom. 23. in Genes.

est, Moysem à suis derelictum & vndis expositum; collectum fuisse à filiâ Pharaonis, sublatúmque in filium. Ita Stephanus: Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium. Alterum, enutritum à matre, tum & filiæ Pharaonis redditum. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puellæ, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum: adultúmque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia ex aquis tuli eum. Tertium, exinde agnitum pro filio filiæ Pharaonis, ideóque & splendido instructum cultu, & regio ritu institutum. Quamuis enim iam adoptatus, cum ex aquis eductus; tunc tamen maximè inclaruit adoptio, cum redditus: Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis. Tunc innotuit omnibus intentio filiæ Pharaonis, adultúmque adoptione primâ, seu regiâ cognatione dignum censuit. Ita Iustinus ad Græcos: Qui apud vos, inquit, Historicorum omnium illustrissimus est Diodorus, qui bibliothecam in compendium redegit, & triginta totis annis, quemadmodum ipse Scriptum reliquit Asiam & Europam propter exquisitam diligentiam peragrauit spectatórque rerum plurimarum fuit, quadraginta integris historiæ suæ editis libris, postquam in primo testatus est, in Ægypto se ex Sacerdotibus didicisse, priscum admodum atque adeò primum Legislatorem fuisse Moysem, ita de eo verbis hisce scripsit: Secundùm veterem, quæ in Ægypto fuit, vitæ institutionem, quæ fabulis sub Diis & Heroibus fuisse perhibetur, multitudini primum vt scriptis legibus vteretur & viueret persuasisse fuerunt Moysem, virum & animi magnitudine, & vitæ commoditate commendatissimum. Quid ergo respuit Moyses? dignitatem regiam, supremam auctoritatem. Cum enim Logothetes esset, rerúque præses & legum, gradum contempsit, reliquit fastigium; maluitque Hebræus credi fidelisve, quàm filius dici filiæ Pharaonis. De secundo, Magis eligens affligi cum populo Dei; quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Quod ergo malum incurrit? Exilium voluntarium, aulæ regiæ detrimentum, fauoris ac splendoris deliquium. Ille, ait Chrysostomus, pro aliis pati elegit, & lubens ac volens seipsum coniecit in tam multa pericula, cum ei liceret & piè agere & frui bonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalem peccati habere delectationem. Peccatum dixit, Nolo cum aliis affligi. Hoc, inquit, peccatum existimauit. Si ergo iste peccatum existimauit non prompto & alacri animo cum aliis affligi, magnum ergo bonum est afflictio, in quam se coniecit è regiâ. De tertiò. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. En quâ mente, seu quâ intentione. Imò, en quâ fide, cum animum in Deum & Christum erigeret, & præ bonorum cælestium amore, pro spe thesaurorum

Actuū c. 7.

Exod. c. 2.

Act. cap. 7.

Iustin. Cohort. ad Græc. cit. med.

Quod bonū respuit Moyses, & quod malum incurrit.

Chrysost. orat. 26.

rum æternorum, terrena omnia & caduca contemneret, & omnia subiret incommoda? sustineretq; opprobrium Gentis suæ, ac suæ Religionis præiudicium. In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum. Grandior scilicet effectus. Cum impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israël. In hoc igitur fides eius enituit, quod temporalium bonorum honorumque splendorem despuit, rerúmque non apparentium spem prætulit. Iste, ait Ambrosius, velut quasdam in se manus iniicit, vt interficiat voluptates sui corporis, & quemdam suæ carnis operetur interitum. Interfecit nempe Moyses Ægyptium, & fugax factus est de terrenâ Ægypti, vt declinaret eius terræ Tyrannum. Sed non ante illum interfecisset Ægyptium, nisi prius in se nequitiæ spiritalis Ægyptium interemisset, & abdicasset regalium luxu honorum, maius patrimonium æstimans thesauris Ægypti opprobrium Christi. Quod stultis quidem videtur opprobrium, nobis autem illud opprobrium Dominicæ crucis virtus Dei est atque sapientia. Quieti prævertit laborem, afflictionem honori. Et quod non temere, ait Chrysostomus, nec leuiter regiam eámque præclaram dimiserit, significauit Apostolus, dicens, Negauit: hoc est, odit, Cœlo enim proposito, erat superuacaneam admirari regiam Ægypti. Hæc enim omnia facta sunt, quòd ita tolerabat, tanquam videns eum qui non cadit sub aspectum. Animam igitur addixit ad populum liberandum: probra pro Deo sustinuit & opprobria, dum liberationem salutemve exoptatam & à Christo faciendam prospexit.

Exod. c. 2.

Actuũ c. 7.

Ambrof. lib. 1. de Abel & Cain cap. 4.

Chrysost. orat. 26.

Quoad tertium. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebrauit Pascha & sanguinis effusionem; ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum, tanquam aridam terram: quod experti Ægyptij deuorati sunt. Tria tangit Apostolus: exitum Gentis, Paschatis ritum, & maris transitum. De primo: Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis. Indignationem furorémque, abitum parando, & imbellem plebem ad discessum, obstante Rege ac reclamante, prouocando. Dicit ergo, ait Aquinas, quòd Moyses fide, id est per fidem, reliquit Ægyptum. Sicut autem habetur Exod. 2. Primò fugit de Ægypto interfecto Ægyptio, & tunc legitur eum timuisse. Secundò autem exiuit, quando simul omnes filios Israël eduxit, & in illo non timuit. Constanter enim Regem, patienterque indignationem eius ἐκαρτέρησε pertulit, sustinuit. Irrigatur ille magis, ait Gregorius Nyssenus, imperat duriora, vt non solùm luto, sed paleis stipulisque colligendis afflicti Iudæi contabescant. Percussis tamen Ægyptiis, suáque publicè ac priuatim lugentibus, educit Moyses populum diuitiis simul Ægypti abductis. Verùm cum iam tribus peragrasset diebus, videt pœnitentiâ ductum hostem, cum magno exercitu & instructissimo equitatu aduersùs se festinare. Quæ res non mediocriter imbellem populum in Moysem concitauit. At ille intrepidus, voce quidem populum, vt in Domino spem haberent, hortabatur; animo autem ad Deum penitùs conuersus, auxilium tacitùs implorabat. Quo recondito clamore creator exoratus, præsto miseris ac mirabiliter affuit. Ita inuisibilem quasi videns precabatur, ita opem quasi non tam absens esset quàm imminens præstolabatur. De secundo: Fide celebrauit Pascha & sanguinis effusionem; ne qui vastabat primitiua, tangeret eos Agnum immolauit, carnemque in esum, & sanguinem dedicauit in præsidium. Ponit historiam, ait Aquinas, quæ habetur Exod. 12. Vbi Dominus mandauit illis ante exitum filiorum Israël, scilicet eadem nocte immolari agnum, & de sanguine eius vtrumque postem, & superliminare liniri. Carnes eius assas cum azimis & lactucis agrestibus comedi, cum multis aliis, quæ obseruanda erant. Dicit ergo, Fide, id est per fidem, celebrauit Pascha, id est esum agni; & sanguinis effusionem, ad liniendum postes domorum. Et quare hoc faciebat? Ne scilicet, qui vastabat primogenita Ægyptiorum, tangeret eos. Est ille transitus Domini percutientis seu exterminantis Angeli; sed concidentis Diaboli, & Iudæi seu iusti repræsentatiuus euadentis. Multa solet Paulus interiecta probare ac confirmare, (verba sunt Chrysostomi) & est creber sententiis, talis enim est gratia spiritûs Non in verborum multitudine continet sensus, sed in verborum breuitate multam & magnam indit intelligentiam. Vide ergo, cum instar adhortationis de fide dissereret, cuius figuræ & mysterij admoneat, cuius habemus veritatem. Agnus sacrificabatur in ædibus, & sanguis illinebatur postibus, & hoc erat amolitio Ægyptij interitûs. Si ergo sanguis agni in medio Ægyptiorum, vel in tanto exitio illæsos custodiebat Iudæos, multò magis nos conseruabit sanguis Christi illitus non postibus, sed nostris animis. Etenim nunc quoque qui vastabat, in hac mediâ nocte circuit: sed armemur illo sacrificio. Quod quidem factum est, erat sanguis: quod autem rectè & perfectè gerebatur salus, & obstaculum, ac prohibitio interitûs. Timuit sanguinem Angelus, sciebat enim cuius esset typus; horruit, mortem Dominus cogitans. De tertio, Fide transierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati sunt. Tria personarum genera. Primus Moyses, qui magnâ fide præiuit, auctorque aliis fuit, hortatórque credendi: tum alij, maximè pij ac boni, ex securitate à Deo promissâ, intrepidè secuti sunt, transitumque inter medias aquas, quasi per terram siccam promeriti: tandem Ægyptij, qui ex temeritate animo conceptâ persecuti sunt, sed aquis marinis Arabici sinûs, seu Erythræi maris obruti. Deuenerunt igitur, ait Gregorius Nyssenus, sequuti Ducem Hebræi vsque ad littus, quos Ægyptii persecuti, vndique ita concludunt, vt nulla iam fuga humano consilio posset excogitari. Ante ipsos mare Erythræum erat, post ipsos validissimus atque instructissimus exercitus Ægyptiorum. Tunc summus ille vir omnium diu nitùs admonitus ad littus descendit, maréque Erythræum virgâ percussit, & subitò vt in vitro facta scissura facilè ex alterâ parte, in alteram peruenit. Sic ictû Mosaicæ virgæ in oppositam vsque ripam,

Aquin Lect. 6.

Grego Nyss. lib. de vit. Mos. post init.

Quomodo Moyses inuisibilem tanquam videns sustinuit.

Aquin Lect. 6.

Chrysost. orat. 27.

Gregor. Nyssen. lib. de vit. Mo.

hinc atque hinc cedentibus aquis scissura peruenit. Itaque facta per medium pelagus itinere, vtraque ex parte vndis aquarum quasi muris consistentibus ingreditur Deo fretus cum populo Moyses, quem Pharao impetu animi concitatus insequitur: sed mare virgâ percussum in pristinum statum reducitur, ac Ægyptios omnes obruit. Quantus vir, qui tantum eduxit populum: quanta fides, quæ tantum edidit prodigium. Illum Deus ob præstantem ipsius virtutem honore auctum (verba sunt Iustini) Principem, Imperatorem, & Legislatorem Genti suæ præposuit, cum ex Ægypto Hebræorum multitudinem in regionem suam B reuerti iustum & æquum esse duxit. Huic primum Deus, quod cælitus in sanctos homines illabitur, diuinum & propheticum exhibuit donum: & primum illum religionis nostræ Doctorem instituit. Primum scilicet Legislatorem, primarium seu præcipuum Doctorem, vnicum sui ductorem populi.

Iustin. Cohor. ad Græc. med.

EXPOSITIO XIV.

De Rahab.

C LOcus etiam mulieribus concessus est, etiã improbis, impudicis, infidelibus. Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis: excipiens exploratores cum pace. Tria igitur sunt exponenda. Primum, Qualis Rahab: secundum, In quo fides eius: tertium, Quis vrbis Hierichontinæ tandem exitus.

Quoad primum. Aduocantur & infideles adoptantúrque in fideles: sed mulier, quæ prima deliquit, prima etiam errorem expuit. Propter quod, ait Irenæus, & Osee Propheta accepit vxorem fornicationis, prophetans, D quoniam fornicando fornicabitur terra à Domino, hoc est, qui super terram sunt homines, & de huiusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione filij eius, sicut & illa sanctificata est communicatione Prophetæ. Et propter hoc Paulus sanctificatam ait mulierem infidelem in viro fideli. Adhuc etiam filios suos nominauit Propheta, Non misericordiam consecuta, &, Non populus: vt quemadmodum Apost. ait, Fiat qui non populus, populus; & ea quæ nõ est misericordiã consecuta, misericordiã cõsecuta: & eo loco eliberata, in quo vocabatur, Non populus. Sic autẽ & Moyses Æthio- E pissã accipiebat vxorem, quã ipse Israelitidẽ fecit, præsignificans quoniam oleaster insereretur in oliuam, & participans pinguedinis eius erit. Quoniam enim his qui secundùm carnem natus est Christus, à populo quidem habebat inquiri vt occideretur, liberari verò in Ægypto, id est in Gẽtibus. Ægyptus enim ab initio gentilis, quemadmodum Æthiopia: propter quod per nuptias Moysi, nuptiæ Verbi ostendebantur: & per Æthiopissam coniugem, ea quæ ex Gentibus est Ecclesia, manifestabatur. Sic ergo & Rahab fornicaria semetipsam condẽnans, quoniam esset gentilis, omnium peccatorum rea, suscepit autem speculatores, qui speculabantur vniuersam terram, & apud se abscondit Patrem scilicet & Filium & Spiritum sanctum. Et cum vniuersa ciuitas in quâ habitabat, concidisset in ruinam, canentibus septem tubicinis, in vltimis Rahab fornicaria conseruata est, cum vniuersâ domo suâ fide signi coccini: sicut & Dominus dicebat his qui aduentum eius non excipiebant, Pharisæi scilicet & coccini signum nullificant, quod erat Pascha, redemptio & exodus populi de Ægypto, dicens, Publicani & meretrices præcedent vos in regno cælorum. Habes tria simul colligenda, sed non simul resumenda. Primum est, Rahab, mulierem gentilem fuisse infidelemve, Æthiopissæ seu Ægypriæ non absimilem: alterum, illam ad veram fidem conuersam religionem scilicet Iudaicam, imò Christianam; tertium, ipsam non solùm cauponariam fuisse, sed & meretricem, seu mulierem prostitutam. Non amplius Paulus decetero ponit nomina, sed cum desiisset in meretricem πόρνην, (ita Chrysostomus) & eos pudore affecisset per qualitatem personæ, non amplius dilatat historias, ne videatur nimis prolixà vti oratione. Tria certa sunt. Primum est, illam fuisse solutam: Patris enim meminit ac matris, fratrum ac sororum, non tamen viri seu mariti. Alterum, hospitium parasse venientibus seu transeuntibus, & ita exploratoribus tanquam peregrinis & aduenis aperuit. Tertium, non ex arte solùm, sed & ex corpore quæstum fecisse, sicque famam sed malam contraxisse. Misit Iesus exploratores in Hiericho: (verba sunt Augustini) illi autem diuerterunt ad Rahab mulierem fornicariam, & ab illa occultati. Ab illa scilicet fornicaria, seu muliere meretrice, dic & peccatrice. Hoc enim peccatum videtur esse sexûs maculâ, quia non solum infametur, sed & in publicum domus reputetur opprobrium.

Iren. lib. 4. aduers. hæres cap. 37.

Tria in Rahab sunt consideranda.

Chrysost. orat. 27.

Augustin. quæst. 2 in lib. Iosue.

Quoad secundum. Recolenda ex priscis litteris historia. Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito: & dixit eis: Ite & considerate Terram, vrbemque Hiericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieuerunt apud eam. Nuntiatúmque est Regi Hiericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israël, vt explorarent terram. Misitque Rex Hiericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt. Tollensque mulier viros, abscondit, & ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt: persequimini citò, & comprehendetis eos. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domûs suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Iordanis: illisque egressis statim porta clausa est. Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier ascendit ad eos, & ait: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod siccauerit

Iosue cap. 2.

Dominus

Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, & in terrâ deorsum. In his tria circa mulierem iam fidelem adnotanda sunt: imperfectio modica: matura reflexio, sincera confessio. De primò. Cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt. Mendacium est, sed officiosum: quod licet reprobandum in perfectis, in nouitiis tamen aliquatenus tolerandum. De obstetricum mendacio, quo fefellerunt Pharaonem ne occiderent masculos Israëlitas quando nascebantur, dicentes, non ita parcere mulieres Hebræas sicut pariebat Ægyptiæ: quæri solet, vtrum talia mendacia approbata sint auctoritate diuinâ, quandoquidem scriptum benefecisse obstetricibus: sed vtrum pro misericordiâ ignoscebat mendacio: an & ipsum mendacium dignum præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices viuificando instantes paruulos, aliud Pharaoni mentiendo. Nam in illis viuificandis, opus misericordiæ fuit; mendacio verò illo pro se vtebantur ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem sed adveniam pertinere. Neque hinc auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis de quibus dictum est, Et non est inuentum in ore eorum mendacium. Quorundam enim vita longè inferior à professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata prouectu ipso & indole feruntur præsertim si beneficia nondum norunt expectare cælestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita viuunt, vt eorum conuersatio, sicut dicit Apostolus, in cælis sit, non eos existimo linguæ suæ modum quantum ad veritatem promendam attinet falsitatémque vitandam, exemplo illo debere formare. Vitium quidem veniabile in imperfectis, sed perfectis nusquam imitabile. Cum autem dico vitium veniabile, definio veniâ quidem dignum, non tamen & gloriâ. Quod enim scriptum est, ait ille, benè Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Rahab Hierichûntinâ meretrice, non ideò factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Restat itaque vt intelligamus illis mulieribus, vel in Ægypto vel in Hiericho pro humanitate & misericordiâ redditam fuisse mercedem vtique temporalem, quæ quidem & ipsa æternum aliquid etiam illis nescientibus propheticâ significatione figuraret. De secundo: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram. Audiuimus enim quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis de Ægypto. Certè, qui citò credit, leuis est corde, idcircò maturè considerandum dignéque pensandum, quid concludendum, vbi res tanti agitur momenti: sed vbi fides signis munitur & prodigiis, cedendum est, & in partes non tam fidei sollicitantis, quàm Dei fidem veritatémve inuicto pro-

Augustin. quæst. 1. in Exodum.

Mendacium officiosum tolerabile in imperfectis non tamen perfectis imitabile.

Augustin. lib. cont. mend. c. 15.

A bantis testimonio concedendum. Vt enim delectu adhibito, sicut ait Iustinus Martyr, ea secernemus quæ grata illi sunt, per donatas nobis ab eo rationis virtutes, persuasione ipsius id fit, ad fidem nos adducentis. De tertio. Dominus Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, & in terrâ deorsum. Breuis, sed celebris confessio, nuda ac sincera professio, quam memorat Dauid & Psalmis suis celebrat: Memor ergo Rahab. Quondam Gentilis, Deumque nescientis: sed iam fidelis, Dominumque fideliter ac simpliciter confitentis. Quæ est ista? (inquit Augustinus) Meretrix illa in Hiericho. Meretrix quæ suscepit nuntios, & aliâ viâ eiecit, quæ B præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est, vt per fenestram mitteret coccum, id est, vt in fronte haberet signum sanguinis Christi. Saluata est ibi, & Ecclesiam Gentium significauit. Vnde Dominus superbientibus Pharisæis dixit, Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum.

Iustin. Apol. 2. pro Christ. circ. init.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 86. vlt. med.

Quoad tertium. Rursus reuocanda est historia. Hiericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israël, & nullus egredi audebat aut ingredi. Dixitque Dominus ad Iosuë: Ecce dedi in manu tua Hiericho, & Regem eius, omnésque fortes viros. Circuite vrbem C cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollant septem bucinas, quarum vsus est in iubilæo, & præcedant arcam fœderis: septiésque circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccinis. Cúmque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maximâ, & muri funditùs corruent ciuitatis, ingredientúrque singuli per locum contra quem steterint. Tria sunt laudanda: potestas Dei, fidelitas populi, fidei dignitas. De primo. Omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque in- D crepuit, muri illicò corruerunt. Non industriâ humanâ, sed diuinâ potentiâ. Non enim, vti dixit Chrysostomus, sonus tubarum potest muros deiicere, etiamsi mille annos sonuerit. Vides igitur omnia fieri, non lege naturæ, sed præter expectationem. Nam quoniam susque deque dicebat Paulus credendum esse spei futuræ, hoc totum quod dicitur mouit, ostendens quòd non nunc solùm, sed etiam ab initio omnia miracula acta sunt & perfecta. De secundo, fidem dederant exploratores pro populo, fidē imperio Iosue seruant & vindicant. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego miseri- E cordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum & matrem, fratres & sorores, & omnia quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras à morte. Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Cúmque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam & veritatē. Itaque, dirutis muris, & vrbe captâ, ac desolatâ. Duobus viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iosue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius sunt, sicut illi iuramento firmastis. Ingressique iuuenes, eduxerunt Rahab, & parētes eius, fratres quoque, & cunctam suppellectilem ac cognatio

Iosue cap. 6.

Chrysost. orat. 27.

Iosu. cap. 2.

Iosu. cap. 6.

cognationẽ illius, & extra castra Israël manere fecerunt. Quot qui iurant, sed Sacramentum violant iuramentúmve? Idcircò nõ interdicitur quidem iurare, sed præcipitur conditiones legésque seruare, quæ cum multiplices sint ac difficiles, non iurare omninò consulitur. Non est peccatum, ait Augustinus, verum iurare. Sed quia grande peccatum est falsum iurare, longè est à peccato falsum iurandi, qui omninò non iurat. Propinquat falsæ iurationi, qui vel verum iurat. Nec satis, verum iurare, sed & quod iuramento cautum est, dummodo bonum, aut non malum, implere oportet fideliter, incunctantérque perficere. De tertio, euertit quidem Deus muros ciuitatis, sed in figuram pietatis Christianæ, seu in gratiã populi fidelis; si enim euersi sunt à Deo, merito sunt euersi fidei. Mortuo Moyse, ait Augustinus, Iesus suscepit imperium; & cessante lege, Dominus noster verus Iesus totius mundi obtinuit principatum. Iesus ergo ille qui typum Domini præferebat, veniens ad Iordanem, dixit ad populum: parate nobis cibos ad di m tertium. Diem tertium, Trinitatis agnoscimus esse mysterium. Quos ergo cibos præparare debemus, vt ad diem tertium veniamus? Videtur mihi, quòd cibus iste, fides intelligi debeat: in Christianis enim fides est, per quam in Trinitatem creditur, & ad Sacramentum baptismi peruenitur. Mittit tamen Iesus duos exploratores ad ciuitatem Hiericho, & suscipiuntur à meretrice. Iesus mittit duos exploratores, quia verus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis. Quia & reuera quid nobis aliud quod mittit verus Iesus, nisi vt diligamus Deum, diligamus & proximum? Post hæc ad ciuitatem Hiericho ventum est, & muri eius ad clamorem & populorum & sono tubarum vsque ad fundamentum deiecti sunt. Non illos pulsauit aries, non expugnauit machina; sed quod mirum est, sacerdotalis sonus, aut tubæ terror euertit. Muri qui aduersùs ferrum inexpugnabiles extiterant, sacrâ tubarum voce collisi sunt. Sed quamuis muros nemo contingeret, expugnabantur tamen forinsecùs sono iustorum, intrinsecùs habitacula peccatorum. Si enim æquo Dei iudicio & iustis aperuerunt viam, & defensionem perfidis negauerunt. Sed hæc omnia in figurâ facta esse non dubium est. Septem ergo diebus, sicut scriptura dicit, muri Hiericho sacerdotalibus tubis circundati ceciderunt. Vnde nos spiritalibus spiritalia comparantes, dicimus quòd hoc septenario numero nunc per Sacerdotes Dei non tam vna ciuitas destruitur, quàm totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis vrbis nuncupatione vniuersi mundi habitus designatur, ita septem dierum circulo totius mundi spatia distinguuntur. Muri ergo fide diruti, non solùm supremæ virtutis potestatem, sed & veræ pietatis contestati sunt dignitatem.

Augustin. serm. 10. ex Parisiens. cap. 3.

Augustin. serm. 105. de temp. ibinit.

Muri Hiericho euersi à Deo, sed fidei merito.

EXPOSITIO XV.

De Ceteris.

PRæcipuos erexit in titulum, ceteros in compendium contrahit. Sed tria sunt præmittenda. Primum est, non omnes quidem iustos seu fideles antiqui testamenti isto cõprehensos catalogo: subostensos tamen ab Apostolo. Et quid adhuc dicam. Deficiet enim me tempus enarrantem. Si tantùm illos paucos, modicum sufficit tempus: si verò reliquos omnes fideles ac iustos, Patriarchas, Prophetas, maiores & minores & innominatos, etiam vel immensum tempus deficit. Quod ergo tempus? (ait Athanasius) omne tempus. Quod & nos vsurpare cõsueuimus, cum rei magnitudinẽ volumus, de quâ dicturi sumus, exprimere. Alterum, nec illos, qui numerati sunt ac laudati, ordine tẽporis recensitos, ratione tamen virtutis ordinatos. Primò enim, vt obseruauit Aquinas, ponit Gedeonem de quo Iud. 6. quem præmittit, & quia nihil mali fecit, & quia fecit factum multum insigne. Secundò ponit Barac, qui non fuit ita insignis sicut Gedeon, cui etiam illa victoria nõ fuit reputata, sed magis mulieri, & ideò fortè postponit ipsum. Tertiò Samson, de quo videretur, quòd nõ deberet hîc numerari, si in morte peccauit interficiendo se. Quartò ponit Iephte, & istum postponit Samsoni, quia non fecit tot facta insignia sicut ille. Peccauit & iste, sed post penituit; sicut & Dauid, de quo subdit Apostolus, dicens, Et Dauid, & Samuël, & Prophetis. Ceteris nimirum, paribus fide, nec virtute imparibus. Sed coustringenda non est memoria, quæ suggerit speciem, & ordinem negligit: vbi enim quæritur opus, tempus spernitur. Tertium, Non omnes per fidem vicisse regna, ora leonũ obturasse, aut in melotis & pellibus caprinis oberrasse; fidem nihilominus hæc omnia perpetrasse: per illam enim pugnarunt omnes sancti, per illã & triumpharunt. Quidam, ait Chrysostomus, Paulum reprehendunt, quòd Barach, Samson, & Iephte in his ponat locis. Quid dicis? Cum meretricem posuerit, hos non ponet? Ne mihi aliam eorum vitam dixeris: Sed num non crediderunt, & fide resplenduerunt? Vides quòd non ferat hîc testimonium de vitâ præclarâ: non enim erat id quod quærebatur, sed fidei erat examinatio. Nam dic mihi, an non fide vniuersum cõfecerunt? Hoc prosperum, specialitérque ac principaliter proponendum & expendendum. Quidquid enim egerunt seu boni seu magni, per fidem egerunt; id est, non per propriam virtutem, sed per cælestem energiam, diuinámque potestatem. Sed iam ad singulos.

Athanas. in Paulum.

Aquin. lect. 7.

Aliud ordo temporis, aliud ratio ciuitatis.

Chrysost. orat. 27.

PVNCTVM I.

De Gedeon.

PRior quidem Barac quoad temporis ordinẽ, sed posterior quoad seriem dispositionis. Primus ergo proponitur Gedeon, de quo & hoc legitur. Venit Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas Patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit & Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime. Dixítque ei Gedeon; obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian. Respexitque

Iud. cap. 6.

que ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tuâ, & liberabis Israël de manu Madian: scito quòd miserim te. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israël: ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quasi vnum virum. Et ille, Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signû quòd tu sis qui loqueris ad me. In quo quidem nonnihil hæsitare videtur, petito signo; sed mox reimmere mentem, ac fidem resarcire iubetur, oblato sacrificio. Cui dixit Angelus Domini. Tolle carnes & azymos panes, & pone super petram illam, & ius desuper funde. Cumque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manus, & tetigit carnes & panes azymos, ascenditque ignis de petrâ, & carnes azymósque panes consumpsit: Angelus autem Domini: euanuit ex oculis eius. Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax, vsque in præsentem diem. Nihil ergo vacat in tanto viro: ideóque dicemus primò, de sacrificio oblato: secundò, de signo petito: postremò, de triumpho reuecto de Madianitis Amalecitisque.

Gedeon signum petiit & obtu it sacrificium.

Quoad sacrificium. Cum nihil vacet, nihil etiam non expendendum est, nihil non exponendum. Audiuimus, fratres, (verba sunt Augustini quòd cum sub arbore quercûs Gedeon, filius Ioas triticam messem virgâ cæderet, Angelo promittente audire meruit, quòd ipse à potestate inimicorum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum, si electus ad gratiam, cum sub vmbrâ iam tunc sanctæ crucis & venerabilis sapientiæ prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionémque sanctorum à purgamentis inanis paleæ sequestraret: quia tanquam virgâ veritatis exercitati, superflua veteris hominis cum actibus eius deponentes quasi in torculari ita in Ecclesiâ congregantur. Ecclesia enim torcular est fontis æterni in quâ cælestis vitis fructus exundat. Gedeon verò cùm audisset quòd per eum Dominus plebem suam à multitudine hostium liberaret, obtulit in sacrificio hœdum caprarum, cuius carnem, secundùm præcepta Angeli, & azyma suprà petram posuit, & in eâ ius perfudit. Quæ simul virgæ cacumine quâ gerebat Angelus Dei, contigit, & de petrâ ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur, absumptum est. Per quod indicium declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est, Bibebant autem de spiritali, consequente eos petrâ: petra autem erat Christus. Quod vtique non, ad diuinitatem eius, sed ad carnem relatû est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne suâ totius mundi peccata crucifixus aboleret; nec solû delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hædi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum: sicut scriptum est, Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerût, Quis nobis dabit carnem? Quod igitur extêdit Angelus virgâ, & tetigit petram, de quâ exiuit ignis, ostendit quòd caro Domini repleta spiritu diuino peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait, Ignem veni mittere in terram. Et iste igitur inter Prophetas recensendus est, vtpote per figuras, seu per sacrificium, nedû per verbum auguratus. Aduertit enim vir doctus & præsagus futurorum superna mysteria, (ita ille) & ideò secundùm oracula occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & septennê alium immolauit Deo. Quo facto manifestissimè declarauit, post aduentum Domini abolenda esse Gentilitatis sacrificia, solùmque sacrificium Deo Dominicæ passionis pro religione populi deferendum.

Augustin. ser. 108 de temp. à limine seu potius Ambros.

Quale mysterium in oblatione Gedeonis figuratum.

Augustin. eod. serm. cir. medium.

Quoad secundum. Mirabile secundum est, & grande mysterium; quod spectet religionem, & fidem confirmet. Quæret fortassis aliquis, ait Ambrosius, verumnam quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus informatus indiciis adhuc plura poscebat? Sed quemadmodum poterat videri quasi ambiguus incertusque tentasse, qui mysteria loquebatur? Non ergo ille ambiguus, sed prouidus, ne nos ambigeremus. Vir fortis & fidus, pleniora adhuc de Domino futuræ victoriæ documenta quærebat, dicens; Si saluas in manu meâ Israël, quemadmodum locutus es Domine: Ecce pono lanæ vellus in Areâ: & si ros factus fuerit super vellus, & super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu meâ secundùm promissa tua populum liberabis. Et ita factum est Sed adiecit postea, vt rursum ros proflueret super totam terram, & siccitas esset in vellere. Ros ergo in vellere, fides erat in Iudæa: quia sicut ros, Dei verba descendunt. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cælestis visitationis in vellere. Postea verò quàm oues quæ perierunt domûs Israël (vnde puto figuram Iudaici velleris adumbratam) oues, inquam illæ fontem aquæ viuæ negarunt, ros fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorû, meatusque suos fons ille diuinus in corda Gentium deriuauit. Inde est quòd nunc fidei rore totus orbis humescit. Est enim Propheticæ nubis pluuia salutaris, sicut & Dauid dicit: Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Hoc nobis Scripturæ diuinæ totius mundi pluuiam pollicebantur, quæ rigaret orbem sub Domini Saluatoris aduentu spiritûs rore diuini. Venit ergo iam Dominus, venit & pluuia, venit Dominus stillicidia secum cælestia deferens. & ideò iam nos bibimus, quia ante sitiebamus, & diuinum spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo præuidit sanctus Gedeon, quia verum & spiritalem rorem etiam Gentes nationesque erant fidei perceptione bibituræ, ideò diligentiùs explorauit. Credidit ille quod multi non credunt etiamnum Christiani, percepit quod nondum illi capiunt. Quidâ namque (vti dixit August. Christianos se dici volunt, & adhuc ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere, etiam temporibus nostris, temporibus nunc in areâ gratiæ, temporibus nunc reuelatæ, priùs occultatæ gratiæ, temporibus nunc in areâ manifestæ gratiæ, quæ aliquando latebat in vellere. Quidam de antiquis iustis Gedeon petiuit à Domino signû, & dixit: Peto Domine, vt vellus hoc quod in areâ pono, côpluatur. & area sicca sit. Factum est: compluitum est vellus, area tota sicca erat. Expressit nunc

Ambros. Proæm. lib. 1. de Spi. san cir. med.

Augustin. serm 2. de verb. Apost. cap. 9.

manè vellus in peluim, quoniam humilibus datur gratia: & in pelui nostis quid fecerit Dominus discipulis suis. Item petiuit alterum signum: Volo, inquit, Domine, vt vellus siccum sit, area compluta. Et hoc factum est. Repete tempus veteris Testamenti, gratia occulta est in nube, tanquam imber in vellere. Attende modò tempus noui Testamenti, discute gentem Iudæorum, quasi vellus siccum inuenis: orbis verò totus tanquam illa area plenus est est gratiâ, non occultâ, sed manifesta. Vnde multum plangere cogimur fratres nostros, qui non contra occultam, sed contra apertam gratiam manifestámque contendunt. Ignoscitur Iudæis. Quid Christiani; Quare inimici gratiæ Christi? Quare de vobis præsumentes? Quare ingrati? Quid ergo ille præponitur omnibus, quia Christi gratia omnibus bonis supponitur actionibus?

Gratia olim occulta, nunc autem manifesta.

Quoad triumphum insignis ille ac mirabilis. Elegit trecentos viros ad prælium, (ita Augustinus, vel Ambrosius iam laudatus) vt ostenderet, non in numero multitudinis, sed in Sacramento crucis mundum ab incursu grauium hostium liberandum. Trecenti enim in Græco, τ, tau, similitudinem crucis ostendunt. Gedeon ergo typum gessit Domini Saluatoris. Et quia trecenti secundùm Græcum computum crucem faciunt, ita tunc Gedeon in trecentis viris Iudæorum populum de crudelissimis populis eripuit, quomodo postea Christus per mysterium crucis genus humanum de potestate Diaboli liberauit. Non solum cum trecentis ille militibus tantum reuexit triumphum, sed & cũ hydriis fictilibus: secundum accepit à Deo, alterum proprio adinuenit ingenio. Nam & illud, ait Augustinus, quod trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles acceperunt, eisque faculas ardentes incluserunt; quibus hydriis fractis repentè lumina numerosè micantia tantam hostium multitudinem terruerunt, tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon. Non enim Scriptura dicit Dominũ admonuisse vt hoc faceret: tam grande tamen signum quis eius animo atque consilio faciendum, nisi Dominus inspirauit, qui præfigurauit sanctos suos thesaurum Euangelij luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit: Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus; Quibus in passione Martyrij tanquam vasculis fractis, maior eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios Euangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superauit. Sed repetenda ex sacris litteris historia. Igitur Ierobaal qui & Gedeon, de nocte consurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem quæ vocatur Harad: erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus & timidus est, reuertatur. Recesseruntque de monte Galaad, & reuersi sunt de populo viginti duo millia virorum, & tantùm decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi vt tecum vadat, ipse

Augustin. serm. 108. de temp. circa medium.

Gedeon in virtute Christi triũphauit.

Augustin. quæst in lib. Iud. q. 48

Iud. cap. 7.

A pergat: quem ire prohibuero, reuertatur. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui linguâ lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in alterâ parte erunt. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tuâ Madian. Diuisitque Gedeon trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc

B facite. Factum audisti, & mysterium. Quod enim Gedeon, ait Ambrosius, superaturus Madian, trecentos viros iussit hydrias sumere, & in hydriis faces accensas habere, & in dextris tenere tubas: ita nostri acceptum ab Apostolis seruare maiores, quod hydriæ sint corpora nostra figurata de limo; quæ timere non norunt, si feruore gratiæ spiritalis ignescant, & Iesu Domini passionem canore vocis confessione testentur.

Ambros. lib. 1. de Spi. san. cap. 16.

PVNCTVM II.

De Barac.

C Longa est historia, sed summa rerum personarumque sequenda vestigia. Addiderunt filij Israël facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Chanaam, qui regnauit in Asor: habuitque ducem exercitûs sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium. Clamaueruntque filij Israël ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos. Erat autem Debbora Prophetis vxor

Iud. cap. 4.

D Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palmâ, quæ nomine illo vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudicium. Quæ misit & vocauit Barac filium Abionem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israël, Vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon: Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram Principem exercitûs Iabin, &

E currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tuâ. Dixitque ad eam: Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaq; Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin Regẽ Chanaam coram filiis Israël. Itaque & Debbora Prophetis eius victoriæ pars magna fuit, cur autem Paulus solius Barac meminerit, caussa latet? sed ea solet esse Scripturarum inspiratarum præcellentia. Quærere enim, ait Iustinus, cur Propheta dictorum factorumque suorum, non adiecerit caussam, perinde est ac si dicas? Quid ita sacrarum

Iustin. Resp. 27 ad orthor.

Causa in scripturis sacris non semper expressa.

rum litterarum auctores, non eas interpretationi addictâ ediderunt? cum in ipsa rei commemoratione, significanter mens & sententia rei otinetatur. Iraque,& si causâ supprimit, reliquit tamē inquirendi & edisserēdi prouinciā.

Notandum igitur primò, numerum iustorum à Paulo laudatorum in tres classes distributum, & vltimos hæreticos virtuti, seu bellicæ destinatos fortitudini. Primum enim tempus ex mundi principio,(vt Ambrosius censuit) vsque ad diluuium,prudentiæ fuit, quo in tempore iusti nominantur: Abel à Deo iustus dictus: & Enos, hoc est, homo, ad imaginem Dei factus, sperauit inuocare nomen Domini Dei: & Enoch, qui dicitur Latinè Dei gratia, raptus ad cœlum: & Noë, qui & ipse iustus, & quædam requietis directio. Secundum tempus est Abraham,& Isaac,& Iacob, reliquorúmque numerus Patriarcharum,in quibus casta & pura quædam temperantia religionis effulsit. Immaculatus enim Isaac per repromissionē Abrahæ datus est filius, non tam corporalis partus quàm diuinæ munus præferens indulgentiæ, in quo vera immaculati figura præcessit, vt Apostolus docet, dicens: Quia Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis, sed sicut in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Vera igitur immaculati agni scilicet seu Christi figura. Audite aliud Sacramentum, Fratres charissimi, (ita August.) Hieroym. Presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Iudæis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est. Denique ab eo loco vnde beatus Abraham iussus est proficisci, tertiò die ad locū vbi Christus crucifixus est, peruenitur. Etiā hoc antiquorū relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipso loco vbi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideò caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere, Fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus. Et dignum erat vt vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiā corporaliter puluerem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. Ingeniosum ac pium: nescio an hoc tantùm. Sed redeo ad nostros, id est, vltimos sanctos. Tertium igitur tempus, (ita prosequitur Ambrosius) est in Moyse, & ceteris Prophetis. Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Isaac, Samson, Dauid, Samüel, & ceteris Prophetis, Ananica, Azaria: Misael, Daniel, Elisæo qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, perceperunt repromissiones, obstruxerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugarunt acies gladij, eualuerunt de infirmitate, fortes fuerunt in bello, castra ceperunt exterorum. Non immeritò igitur in his species fortitudinis est. Omnes quidem sancti, iusti sunt: omnes iusti, prudētes sūt, tēperantes, fortes. Sed nō omnes excellūt heroicâ fortitudine, quæ vltimis collata sāctis, seu vltimis seculis reseruata.

Notandum secundò, feminas etiam virilem assecutas fortitudinem, imò præfectas bellis, nedum viris prælatas. Nec dubites, ait Ambros. illam veterum segetem temporū, in complurium feminarum moribus fœcundasse. Nam Iuditha, manu Holofernem vicit. Ac ne vna vidua tantùm hoc opus inimitabile aliis videatur impleſſe, plures alias vel parilis, vel proximæ fuisse virtutis nequaquā dubitandū videtur. Bona enim seges plurimas spicas fructu refertas ferre consueuit. Sed quia prolixum est complecti omnes, cognoscite aliquas, & præcipuè Debboram, cuius nobis prodidit Scriptura virtutē. Hæc enim docuit non solùm viri auxilio viduas non egere, verùm etiā viris posse esse subsidio: quæ nec sexûs infirmitate reuocata, munia viuorū obeunda suscepit, & suscepta cumulauit. Denique cum Iudæi Iudicū regerentur arbitrio, qui virili non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Debboram sibi, cuius regerentur iudicio, cooptarunt. Itaque multa millia vidua & in pace rexit, & ab hoste defendit. Multi iudices in Israël, sed nulla antè iudex femina. Et ideò lectum istius puto esse iudicium, & gesta eius arbitror esse descripta, ne mulieres à virtutis officio sexûs infirmitate reuocentur. Vidua populos regit, vidua ducit exercitus, vidua Duces eligit, vidua bella disponit, mandat triumphos. Parùm fit mulierem esse populi iudicem, sed quantum esse belli Ducem, & nosse victoriam non sexui, sed virtuti deferendam. Ita illa in Cantico: Cessauerunt fortes in Israël, & quieturunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israël. Noua bella elegit Dominus. Nulla ante ipsam iudicauit, nulla ante ipsam bellauit triumphauitque: támque fortiter pugnauit, quàm sapienter iudicauit. Et in pace quidem, ait Ambrosius, nulla querimonia, nullus error mulieris inuenitur, cum plerique non mediocrium peccatorum auctores populo suo iudices extitissent. Vbi verò Chananæi, gens ferox prælio, & affluentium copiarum opima successu hostiles in populum Iudæorum animos extulerunt, vidua præ ceteris bellicos instruit apparatus. Et vt discas non publicis copiis domesticas necessitates fuisse subnixas, sed domesticis disciplinis munus publicum gubernatum, domo propriâ filium Ducem producit exercitûs: vt agnoscatis quòd possit instituere vidua bellatorem. Quem quasi mater erudiit, quasi iudex præposuit, quasi fortis instituit, quasi Prophetes victoriæ certa transmisit. Denique in mulieris manu summam fuisse victoriæ docet Barac Filius, dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo, quia non noui diem in quā dirigit Dominus Angelum suum mecum. Quanta ergo feminæ istius virtus, cui Dux dicit exercitûs, Nisi tu veneris, non ibo? Quanta, inquam, viduæ fortitudo, quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu, immò ad victoriam filium studio matris hortatur, dicens quòd in manu mulieris sit summa victoriæ? Femina prophetauit, femina triumphauit, & præliatibus intermixta copiis, imperio viros docuit militare femineo.

Notandum tertiò, victoriam belli, figuram, esse martyrij, quod non tam feriendo agitur, quàm patiendo, ideóque vtrique indicitur sexui. Noua bella elegit Dominus. Non tantum nouitate Ducis, sed & nouitate certaminis. Clypeus & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israël. Quomodo ergo fortes & strenui? sustinēdo, non aggrediēdo: in hac quippe pugnâ licet occidi, non occidere; malum pati, non inferre;

Marginal notes: Ambrof. l. de Parad. cap. 3. — Augustin. serm. 71. de temp. vlt. med. — Ambrof. lib. de parad. — Bellica fortitudo vltimis seculis reseruata. — Ambrof. lib de vid. circa med. — Strenuos ac fortes, non sexus facit, sed virtus. — Iud. cap. 5 — Ambrof. lib de vid. — Iud. cap. 5.

inferre; mori, & per exitium, triumphum reuehere. Fortes igitur ac ſtrenui, dum patientes ac pij. Secti enim ſunt, ait Ambroſ. Sicut apud Paulum habes, tentati, in mactatione gladij mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egentes, anguſtiati, & doloribus afflicti, quorum meritis non erat dignus orbis. In ſolitudinibus errantes in montibus, in ſpeluncis, & in foueis terræ. Rectè igitur in his ſpeciem fortitudinis collocamus. Qui ſcilicet fortes ſunt, dum patientes. Arma enim noſtra carnalia non ſunt, ſed ſpiritalia, ideóque vtrique ſexui, id eſt, omnibus congrua fidelibus, nec viris ſolùm, ſed & feminis. Habetis, ait Auguſtinus, virorum fortium magna exempla. Vicerunt Martyres mũdum. Inter quos Martyres mares, etiam feminæ repertæ ſunt fortiores. Ante paucos dies natalitia celebrauimus Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & Comitum. Et cum tot ibi ſint viri, quare iſtæ duæ præ omnibus nominantur, niſi quia infirmior ſecus, aut æquauit, aut ſuperauit virorum fortitudinem? Vna earum erat prægnans, alia lactans. Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tandiu hæc Perpetua lactauit, quandiu acciperet ab illo paſtore ſimul & patre bucellam lactis quâ acceptâ, dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, ſpernere patrem, non inhærere mũdo, perdere animam pro Chriſto. Felicitas verò, quæ ſociam habebat Perpetuam, & parturiebat & dolebat, obiecta beſtiis gaudebat potius quàm timebat. Quæ virtus in feminis, qualis eſt gratia quæ cum ſe infundit, nullum indignum iudicat ſexum? Gratias gratiæ Dei. Diabolus vnam Euam deiecit, ſed Chriſtus natus ex Virgine, multas feminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt ſerpentis, quo Eua ad cor ſuum intus admiſit. Illam ſeduxit falſa promittendo, iſtas non valuit ſuperare ſæuiendo. Meritò ergo ſic ſunt exaltatæ, meritò viris vel coæquatæ vel prælatæ. Quamuis enim in Chriſto Ieſu non ſit ſeruus neque liber, non ſic maſculus neque femina, ſed omnes ſint vnum occurrentes in virum perfectum, deſcendit tamen hoc donum ex magnâ gratiâ. Perpetua & Felicitas nomina iſtarum ſanctarum feminarum, merces eſt ſanctorum omniũ Martyrum. Quæ illæ dederint formam, & coronam prætulerint. Sed an illæ ſolæ? Recurrunt in memoriam ſermones ſanctæ feminæ, (verba ſunt Ambroſij) dicentis ad filios, Ego vos genui, ego vobis ſuccum lactis infudi: nolite nobilitatem veſtram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio ſolent filios, non vocare. At iſta maternum in hoc ponebat affectum, vt filiis vitam magis perpetuam quàm temporalem ſuaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quamuis maternorum viſcerum compaſſione quateretur, tamen pietatis ſtudio premebat dolorem. Talis hæc pugna eſt, vt ille glorioſiùs vicerit, qui crudeliùs occiſus fuerit. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata eſt: non ſuperiacienda velamina, non proſequendas exequias, niſi ſuæ quoq; comitatu mortis arbitrata eſt. Non ſic luna inter ſtellas refulget, vt inter filios mater. O vera mater, adamante fortior, flore fragrantior! ô indiſſolubile pietatis vinculum! ô verè valida charitas ſicut mors, durus ſicut inferi zelus deuotionis ac fidei.

Auguſtin. lib. de temp. barb. c. 5.

Victoria martyrij infirmio i colata ſexu.

Ambroſ. lib. 2. de Iacob & vit. beat. cap. 12.

PVNCTVM III.

De Samſon.

TRia de Samſone Scriptura diuina nobis exponit ſpectanda, imò & miranda: natiuitatem, conuerſationem & mortem, verbiſque deſcribit accuratiſſimis.

Quoad natiuitatem. Erat quidem vir de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem ſterilem. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es & abſque liberis: ſed concipies & paries filium: caue ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas: quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, & ex matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſthinorum. Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samſon. Ad hæc dicendum, quod iam ab Auguſtino dictum eſt. In lectione quæ recitata eſt, multa & nimis obſcura diuina myſteria continentur. Samſon, fratres dilectiſſimi, qualem fortitudinem habuerit de gratiâ Dei, non de naturâ propriâ, iam audiſtis. Nam ſi fortis eſſet natus, cum ei capillus diminueretur, fortitudo non adimeretur. Et vbi erat illa potentiſſima fortitudo, niſi in eo quod Scriptura dixit, Incedebat cum illo ſpiritus Domini? Ad Domini ſpiritum pertinebat illa fortitudo. In Samſon vas erat, in ſpiritu plenitudo erat. Vas impleri & exinaniri poteſt. Ille fide conceptus, ille ex pietate natus donatus fortitudine, iámque in hoſtes ſeu infideles à primâ deſtinatus infantiâ. Sed vnde tali præditus fortitudine, qui ſterili matre editus? Non hoc naturæ opus, ſed munus gratiæ. Multos per annos, (verba ſunt Ambroſij) Hebræorum populum ſubditum Palæſtini ac ſubiectum habebant, quoniam fidei prærogatiuam amiſerat, quâ victoriam patres adepti fuere. Non penitus tamen interciderat inſigne electionis apud auctorem ſuum, & funiculus hæreditatis. Namque cum diuturna iniuria longæ ſubiectionis ita eſſent depreſſa Hebræorum pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus eſt illis Samſon diuino oraculo prædeſtinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, ſed in paucis præſtantiſſimus, & (quod ſine vllâ controuerſiâ ſit) viribus corporis omnium facilè primus: eóque ingenti admiratione nobis ſpectandus à principio, non illa quæ temperantiæ & ſobrietatis iam inde à pueritiâ vini abſtinens præclara inſignia dedit, nec illa quæ intonſo capite Nazaræus ſacra diu ſeruauit cuſtodia: ſed ab adoleſcentiâ quæ in aliis ætas mollior, in hoc egregia, atque ſuprà humanum modum perfectæ virtutis ſtupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctoriè tanta cum anteiſſet gratia, vt deſcenderet Angelus, per quem ortus eius præter ſpem parentibus annuntiaretur, futuri regimen & præſidium ſuis: nam grauibus iam diu Palæſtinorum imperiis afflictabantur. Pater illi

Iud. cap. 13.

Auguſtin. ſerm. 707. de temp. à lim.

Ambroſ. lib. epiſt. 14. poſt init.

Præclara Samſonis infantis præludia.

illi erat de tribu Dan timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstans cæteris: mater verò sterilis, sed animi virtutibus haud infœcunda: quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit visionem Angeli, mandatum tenuit, Oraculum impleuit. Adeò præclara Samsonis adhuc infantis præludia. Qui, vt Augustinus dixit, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules. Ille nimirum qui monstra superauit priùs, quàm nosse posset; qui bella iam præsentiret, telaque gereret quæ fudit nec timuit.

Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 19.

Quoad conuersationem. Talibus è cœlo commendatus insignibus, (ita Ambrosius) vbi primum adoleuit, coniugio mentem intendit, siue quòd vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem, siue quia iam causa quærebatur, quemadmodum à ceruicibus plebis suæ auerteret Palæstinorum potentiam, duráque imperia. Pergens itaque in Thannata (vbi hoc nomen est in illis positæ locis, quæ tunc Palæstinorum incolis frequentabatur) virginem aspexit, gratâ specie, & vultu decoro, & parentes proprios quorum comitatu fultus gradiebatur, orauit vt in coniugium sibi poscerent: qui vbi flectere animum pignoris legitimorum obiectu frustra experti, in arbitrium eius volentes concessere. Receptâ itaque petitione, Samson cum sibi promissam reuiseret, diuertit, & paulisper de aggere deflexit, continuóque occurrit ei Leo ferus de siluâ, agresti libertate fæuior. Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppeditabat: cedere pudor, & conscia virtus fiduciam dare: tunc irruentem in se brachiis amplexus necat, & lacertorum nodo exanimatum, præter aggerem supra siluestria germina proiecit ac dereliquit. Denique post eadem regrediens viâ fauum in ore Leonis offendit, atque abstulit: ac degustato melle fauum edendum dedit, causam repressit. Sed fortè quadam die nuptialis festi celebrabatur conuiuium, læta in epulis iuuentus mutuis se ad ludum inuitabat sermonibus, cum alius salsiore dicacitate perstringeret, sicut se huiusmodi vsus habet, certamen lætitiæ accendebatur. Ibi tum quæstionem huiusmodi proposuit Samson iuuenibus epulantibus: De manducante exiuit esca, & de forti processit dulce, absoluentibus pollicens præmium, quasi mercedem sapientiæ, triginta sindones, & totidem stolas, secundum numerum virorum comessantium: aut mulctam ignorantibus. Quid deinde? proditus est muliebri perfidiâ, sed contumeliam domesticam, hostili publicáque vltus est ruinâ, ne dicam iniuriâ, incendium meditatus in dispendium. Prodita est hæc parabola, ait Augustinus, delata est ad amicos, soluta est, victus est Samson. Hic si iustus est, latet valde, & in profundo est viri huius iustitia Nam & quod legitur victus blanditiis muliebribus, & quòd ad meretricem intrauerit, videtur huius meritum vacillare minus intelligentibus secreta veritatis. Requiramus quid significauerit victus, quid significauerit virtus, quid significauerit cedens blanditiis muliebribus, quid significauerit prodens secretum parabolæ, quid significauerit intrans ad meretricem, quid significauerit vulpes capiens, & per caudas vulpium, quibus ignem alligauit, inimicorum fructus incendens. Quos quidem

Ambros. epist. 24.

Parabola coæuis à Samsone proposita.

Augustin. serm. 107. de temp.

A fructus de compendio incendere potuit, si non in vulpibus mysterium cogitaret. Nunquid stipula arida ardere non potuit, nisi ignem per eam vulpes traxissent? Intelligamus ergo grandia hîc latere mysteria, quæ viderat Samson: Christum significabat. Verum mihi dicere videor: sed continuò occurrit cogitantibus: Et Christus vincitur blanditiis muliebribus? Et Christus quomodo intelligitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde & Christus capite nudatur, capillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, excœcatur, illuditur? Euigila fides, attende quid sit Christus, non solùm quid fecerit, sed etiam quid passus sit Christus. Operatus est vt fortis, passus est vt infirmus. In vno intelligo B vtrumque: video fortitudinem filij Dei, video infirmitatem filij hominis. Meretrix quam Samson in coniugium sumit, Ecclesia est, quæ antè agnitionem vnius Dei cum idolis fornicata fuit, quàm postea sibi Christus adiunxit. Postquam ab eo illuminata fidem suscepit, etiam hoc meruit, vt per eum salutis Sacramenta cognosceret, & ab eodem reuelarentur ei mysteria cœlestium secretorum. Videamus mysterium, iste Samson quid fecerit offensus. Cœpit enim vulpes, id est, adulterantes sodales: de quibus dicitur in Cantico canticorum, Capite nobis vulpes paruulas, exterminantes C vineas. Quid est, Capite. Id est, comprehendite, conuincite confutate, ne exterminentur Ecclesiasticæ vineæ.

Quoad mortem. Vinctus ille adducitur, imò cæcus trahitur. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes Principes Philistinorum, ac de tecto ac solario circiter tria millia vtriusque sexûs spectantes ludentem Samson. At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, & D redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de inimicis meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dexterâ, & alteram læuâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philisthiin. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes. & cæteram multitudinem quæ ibi erat: multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat. Tria sunt exponenda. Primum, an appetenda sit inimici vltio: alterum, an licita sit sui interemptio: tertium, cuiusnam rei mystica sit repræsentatio. De primo, non sine causâ, additum, quasi in titulum sepulchri, seu E trophæum exitij. Iudicauit Israël viginti annis. Talia quippe Mausolæis, seu mominentis virorum fortium assignari solent insignia. Extinctus est ille Sol, Samson mortuus; sed ille iacet qui Præturam tot exercuit annis, & inimicis populi sui, non proprio nomine, sed publico iure intulit. Interest enim, (vti dixit Augustinus, quibus causis, quibúsque auctoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant

Iud. cap. 16.

Tria de morte Samsonis exponenda.

Augustin. lib. 22. contr. Faust. c. 75.

paci salutique communi. De secundo, non tam mortem intulit sibi, quàm alteri præripuit. Illud enim, ait Augustinus, quod cum inimicos occidit & seipsum, quando super se atque illos deiecit domum, mortem quam mox ab eis fuerat perpessurus, communem voluit cum illis habere, quia non posset euadere. Quod quidem non suâ sponte fecit, sed hoc spiritui Dei tribuendum est, qui vsus est eo vt faceret, quando illi affuit; quod facere non poterat, quando idem spiritus defuit. Non igitur imitationi propositus est, sed admirationi; imò non tam mirandus, quàm excusandus. Nec aliter excusatur, ait ille, quòd seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit: nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. De tertio, gloriosa mors, quâ, vt dixit Ambrosius, Seipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, vt contemneret, & quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit quòd victoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum, sed triumphalem inuenit. Mors inquam, gloriosa, sed non minus in mysterio habenda, quàm in pretio. Et ideò, ait Augustinus, Scriptura concludit, plures mortuus occidit, quam viuus occiderat. Nam hoc mysterium in Domino nostro Iesu Christo impletum est. Redemptionem nostram quam ipse viuens minimè celebrauerat, mortuus consummauit. Sic in natiuitate singularis, in conuersatione laudabilis, in morte tandem seu passione fuit mirabilis.

Augustin. lib. 1. cont. Gaudent. cap. 31.

Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21.

Ambrof epist. 24. sub fin.

Augustin. serm. 107. de temp in fin.

PVNCTVM IV.

De Iephte.

Iud. cap. 11.

PRior quidem Samsone in libro Iudicum, nec inferior forsitan numero virtutum. Fuit illo tempore Iephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad. Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, & votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Reuertente autem Iephte, occurrit ei vnica filia sua cum tympanis & choris. Tria sese offerunt expendenda. Primum est, an votum legitimè conceptum sit: alterum, an ei iustè delatum: tertium, an & ritè sit adimpletum. De his enim, vti dixit Augustinus, Solet esse magna, & ad diiudicandum difficillima quæstio: quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus, & piè quærentibus: quibusdam verò qui scripturis his sanctis imperitâ impietate aduersantur, hoc maximè in crimen vocantibus quòd legis & Prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Sed iam ad rem exponendam, seu soluendam quæstionem.

Augustin. quæst. 49. sup. Iud.

Quoad primum igitur. Obseruandum est primò, Deum non solùm laudabiliter, sed & vtiliter potuisse sacrificia non solùm de pecoribus instituere, sed & de hominibus, necnon ea in venerationis signum, seu cultum religio-

A nis ordinarium exprimere. Sed enim, ait Tertullianus, Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victimâ placari apud seculum licuit; & Latio ad hodiernum Ioui mediâ in vrbe humanus sanguis ingustatur; nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem Dei sui voluntatem. Si noster quoque Deus propriæ hostiæ nomine martyria sibi depostulasset; quis illi exprobrasset funestam religionem, & lugubres ritus, & aram, rogum, & pollinctorem Sacerdotem? & non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset. Nec inde criminandum, accusandúmque diuinæ B legis, aut nouæ religionis institutum, quasi Deus sanguine delectetur humano, cum ista delectatio non sit, sed significatio; quæ meliùs iustiùsque in hominibus exercetur quàm in pecudibus; cum pecudes vice hominum morte dignorum immolentur, nec ista tam propria quam vicaria reputentur sacrificia. Quin & cum omnia sacrificia vnicum repræsentent, nempe Christi Domini, aptius potuit hominum morte, quàm cæde pecudum exprimi. Horum igitur calumniis sic primitùs respondemus, (verba sunt Augustini) vt Deum legis & Prophetarum, atque vt expressiùs dicam, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob nec C illa sacrificia delectauerint, vbi pecorum holocausta offerebantur: sed quod significatiua fuerint & quædam vmbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur commendare voluisse: iussisse etiam istam vtilem causam cur illa mutarentur, nec modò iuberentur, imò prohiberentur offerri, ne verè secundùm carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus. Sed vtrum etiam humanis sacrificiis significari futura oportuerit, meritò quæritur: non quòd mortes hominum quandoque moriturorum in hac causâ exhorrescere & formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent, in æternam remune- D rationem commendarentur Deo: sed si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret. Obseruandum secundò, Nulli prorsus hominum licitum esse vel fuisse vnquam, eiusmodi sacrificium proprio iure tentare, seu humano litare sanguine. Cum enim legimus, Non occides, (ita Augustinus) si propterea non accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus est eis sensus: nec de animantibus irrationalibus, quia nullâ nobis ratione sociantur: restat vt de homine intelligamus quod dictum est, Non occides. Id est, nullum omninò proprio iure occides hominem, socium scilicet ac fratrem; omnem nihilominus concesso iure perimes pecudem. Obseruandum tertiò, non solùm E tolerabile, sed & laudabile, si quis diuino iussu seu instinctu sacro, hostiam immolet humanam, seu filiam, seu aliam personam destinet: sicut enim id aggredi Deo renuente, enormis dementia est; sic & Deo iubente, nec propriis distrahi filiis, laudabilis obedientia. Abraham enim, ait ille, non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Restat igitur, an pro iussu Dei vel instinctu Spiritûs sancti habendum sit, quod vouit Iephte; vt immolaret, quod ei

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 7.

Augustin. lib. quæst. in lib. Iud. quæst. 94.

Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 20.

August. c. 21.

Augustin. quæst. 49. in Iud.

ei redeunti de prœlio victori primitùs occurreret. In istâ sententiâ, (vt dicam ex Augustino) duo nos præcipuè diuinarum scripturarum testimonia retardant, ne in vllam partem iudicium temerarium proferamus. Vnum, quòd in epistolâ ad Hebræos iste Iephte inter tales commemoratur, vt eum culpare vereamur, vbi sic scriptum est: Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeo, Barach, Sanson, & Iephte, & Dauid, & Samüel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operantes iustitiam consecuti sunt promissiones. Alterum, quòd vbi de illo ista narrantur, quod tale nouerit & impleuerit votum, præmisit Scriptura, dicens, Et factus est super Iephte spiritus Domini, & perrexit Galaad & Manasse, & transiit speculam Galaad, & de speculâ transiit ad filios Ammon, & votum vouit Iepthte Domino: & cætera ad hoc ipsum votum pertinentia: vt omnia quæ deinceps facta sunt, tanquam opera spiritûs Domini qui super eum factus est, intelligenda facta videantur. Ista testimonia nos impellunt quærere potius cur factum sit, quàm facile improbare quod factum est. Quid si enim, quoniam pecorum victimæ, iam eo ipso quo fuerant vsitatę, quamuis & ipsæ à rectè intelligentibus ad significationem spiritualium referuntur, minùs faciebant intentos ad magnum Sacramentum Christi requirendum: propterea Deus, re insigni & inopinatâ volens quasi dormientes hominum animos excitare, vt ipsa admiratio magnam gigneret quæstionem, & magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigeret; huic nos rationi & considerationi non obsistimus. Quamobrem si spiritus Domini qui factus est super Iephte, vt hoc voueret omninò præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit: tamen si hoc ille præcepit cuius non licet iussa contemnere non solùm culpanda insipientia non est, verumetiam laudanda obedientia est.

Sacrificium Iephte, extraordinarium mysterij magni symbolum.

Quoad secundum. Mirum quod etiam hi qui patris votum non probant, filiæ nihilominus laudant assensum. Considerate filiæ, inquit Ambrosius, quid votis debeatis parentum. Aperuimus ad Deum os nostrum: votum est voluntas parentum. Nos orauimus, vos soluite. Quanta vis sit in votis parentum, Iephte Galaaditę filia vos debet docere, quæ ne frustraretur oblationem patriam, etiam mortem suam obtulit. Nam cum ille solicitus de belli periculo vouisset, si prosperior pugnæ euentus foret, id quod regredienti domum suam primo occurreret, Deo se immolaturum; vbi victoria potitus est, occurrit filia, læta præ cæteris gaudio victoriæ & pietatis officio. Ingemuit pater non affectûs immemor, sed memor voti. Quæ suit causam filia, respondit ille quid Domino promisisset. Tum illa hortata est, vt promissum munus impleret. Itaque incautam patris oblationem sanguine suo soluit. Hæc vobis filiæ sint commendata. Iuste igitur delatum, si piè commendatum: sed quomodo iustè delatum, si impiè conceptum aut illegitimè? Illa respondit: pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessâ tibi vltione atque victoriâ de hostibus tuis. Virgo laudabilis, tam nescia viri, quàm patri morigera; nec mo-

Ambros. Tract. de Exhort. ad virginit. cir. medium.

Iud. cap. 11.

A rem gessit tantummodò, sed & ad necem impulit. Non ego, inquit Ambrosius, de contemptu mortis libros philosophorum depromo, aut Gymnosophistas Indorum, quorum præ cæteris Calani dictum laudatur: In virtute nobis libertas beata est. Præclara verba, sed verba: præclara constantia, & viri præclara epistola, sed Philosophi. Apud nos autem & puellæ de mortis appetentiâ sublimes vsque ad cœlum erexere virtutum gradus. Quid Teclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quæ tanquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt? Quid filiam Iephte, quæ votum patris de immolatione suâ proprio atque hortatorio firmauit assensu. Quid si virgo nobilis, prœmium accepit virginitatis, magnum ominata mysterium; aut & ipsa erecta est in Ecclesiæ Christianæ Sacramentum. Nec enim abhorret à vero, vti sentit Augustinus, quod filiæ nomine eadem significatur Ecclesia: nam cuius alterius typum gerebat etiam illa mulier, cui post tactam fimbriam suam sanctæ, ait Dominus, Filia, fides tua te saluam fecit. Et certè, vnde nullus ambigit, discipulos suos ipse sponsi filios appellauit, se apertissimè indicans sponsum. Non possunt, inquit ieiunare filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus: venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Holocautoma ergo erit Ecclesia, quam Virginem castam beatus Apostolus appellat, quando in resurrectione mortuorum fiet vniuersa, quod scriptum est, Absorpta est mors in victoriam. Tunc tradet regnum Deo & Patri. Quod regnum ipsa Ecclesia est, cuius figuram vouens ille gestabat. Idcircò non coniux occurrit, sed filia; nec sine diuino contigit consilio: illa enim corrupta iam, ista adhuc integra: ideóque ad Ecclesiam repræsentandam apprimè idonea.

Ambros. Tract. in Psalm. 104. vlt. med.

B

Augustin. lib. quæst. sup. Iud. quæst. 49.

C

Filia Iephte figura fuit Ecclesiæ.

Quoad tertium. Tria sunt præmittenda. Primum est, votum quidem dilatum fuisse, sed D tandem completum. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis & sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Alterum, votum eo modo adimpletum, quo conceptum est: sicut enim nulla facta est dispensatio, sic & nulla excogitata est commutatio. Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat. Quid autem vouerat? Holocaustum offeram E Domino. Tertium, peténem inde exortam celebritatem, firmatámque consuetudinem, vt mortis illius recoleretur memoria, quasi victoria, non tam merito patris, quàm sanguinis innocentis pretio parta traderetur. Exinde mos increbuit in Israël, & consuetudo seruata est: vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor. Vouit ergo, & votum suum, eo modo quo concepit, Deo reddidit. Certè, vt obseruat Ambrosius, Est etiam contra officium nonnunquam soluere promissum, Sacramentum custodire: vt Herodes qui iurauit quoniam quicquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis: & necem

Iud. cap. 11.

Ambros. lib. 1. de off. cap. vlt.

necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret. Nam de Iephte quid dicam, qui immolauit filiam, quæ sibi victori primo occurrerat, quo votum impleret quod spoponderat, vt quidquid sibi primum occurrisset, offerret Deo? Quid ergo, an melius fuerat nihil tale promittere, quàm emissum votum oblato soluere sacrificio? Sed quomodo non implendum legitimè, quod ritè conceptum: quod si immature emissum esset, non tamen impunè resoluendum? Iephte, ait ille, index Iudæorum, euentu belli conflictatus ambiguo præliorúmque veritus incerta, votum vouit huiusmodi, si aduersarios depulisset, vt quidquid ei primum intra domûs suæ limen occurrisset, hostiam immolaret Deo, suorum Præsuli triumphorum. Itaque bello potitus, fusisque hostibus domum rediit: cui in ipso vestibulo filia memor pietatis, ignara oblationis occurrit. Sed recordatus illicò pater, & propriæ sponsionis admonitus, ingemuit soluendi muneris sponsiones. Heu me, inquit, filia, perdidisti me! Ego enim aperui os meum de te ad Dominum. Tum illa: O pater, si in me aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi ita vt exiuit de ore tuo. Votum ille compleuit. Quid igitur? Hoc probamus? Minime verò Gentium. Sed tamen etsi parricidium non probò, aduerto præuaricandæ metum & formidinem sponsionis. Denique ad Abraham dictum est: Nunc scio quia amas Deum tuum, quia non pepercisti vnico filio tuo. Certè apparet, Iephte filiam suam, vouendo, non cogitasse, sed hostiam solummodò destinasse idoneam ac Deo non indignam. Si enim sperasset, ait Augustinus, atque voluisset; non continuò, vt eam vidit, scidisset vestimenta sua, & dixisset, Heu me filia mea, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Seu, vt nos habemus: Heu me filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es. Coarctatus est ergo Iephte, & illo offendiculo seu impedimento, in arcto positus: ratus tamē talem hostiam, licet illegalem, Deo debitam, cum pro votis potitus esset victoriâ, & in periculis à Deo pro instãtiâ exauditus. Itaque non pepercit propriæ filiæ, imò & vnicæ. Non enim habebat alios liberos. Sed iam hostium victor, domitórque rebellium, naturam vicit, subegitque repugnantiam. Mysteria sunt ista non humano sensu, sed spiritu diuino pensitanda; nec subtilitate philosophicâ perscrutãda, sed piâ docilitate veneranda. Iephte, ait Hieron. obtulit virginē filiã, & idcircò in enumeratione sanctorum ab Apostolo ponitur. Hoc sat sit.

Ambrof. lib. 3. de virg. cir. med.

Promissa simpliciter fideliterque reddenda.

Augustin. quæst. 49. sup. Iud.

Hieronym. epist. 34. vlt. med.

PVNCTVM V.

De David.

ISte posterior Samuele, à quo vnctus Rex, superstesque relictus: sed sicut in genealogiâ Christi prælatus est Abrahæ, sic & in fidei prærogatiuâ, Samueli est præpositus. Innumera sunt facta, quæ fidem eius probent, & commendent pietatem: sed vnum selegimus, & in caput, imò aduersum caput producimus. Dixit Dauid ad Goliath Philistæum: Tu venis ad me cum gladio, & hastâ, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum: vt sciat omnis terra, quia est Deus in

1.Reg.c.17.

A Israël: & nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hastâ saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. Induit igitur Dauid armaturam, sed fidei: accipit gladium, & hastam, & clypeum; sed Dei; interimitq; hostem populi, consortem Diaboli.

Quoad gladium. Idem dicendum de illo, quod de telo: telum est enim quicquid ferit, perimitque. Ita Caius: Teli, inquit, appellatione & ferrum & fustis, & lapis, & denique omne quod nocēdi causâ habetur, significatur. Imò & telum nonnunquam versum in gladium. Ita nobilis Poëta: At non hoc telum, mea quod vi dextera versat. Sic ait, & sublatum ante consurgit in ensem. Sed mitto ista vt inania, imo abigo vt inu-B tilia. Quis gladius Dauid? lapis ille qui percussit Goliath, deiecitque. Golias, ait Augustinus, vnus fuit ex Allophylis, id est, ex alienigenis, qui bellum gerebant illo tempore aduersùs filios Israël. Eo autem tempore Dauid sanctus, per quē ministrauit Psalterium Spiritus sanctus: puer erat pascens oues patris sui, tenerâ ætate, vix dum adolescentulus. Fratres eius iam iuuenes militabant, & in exercitu Regis erant. Attulit eis missus à parentibus aliquid de domo, vsibus ipsorum. Ita illo tempore quo pugnabatur, in exercitu inuentus est nondum miles, sed militum minister & frater. Extitit tunc Golias iste, C ingens staturâ corporis, armis instructus, viribus etiam exercitatus, elatus iactantiâ, qui superbè prouocaret ad monomachiam aduersarium populum: hoc est, vt vnus inde electus ab ipsis procederet aduersùs eum, vt duobus pugnantibus examen totius belli in medio versaretur: pacto & placito addito, vt si quis duorum illorum vicisset, vniuersæ parti vnde steterat, tribueretur victoria. Rex ergo ille populi Iudæorum filiorum Israël Saül erat. Angebatur, æstuabat, quærebat in vniuerso exercitu parem illi: verùm non inueniebat, nec formâ corporis, nec audaciâ prouocationis. Cum ergo æstuaret, au-D sus est puer iste Dauid, non præsumens de viribus suis, sed in nomine Dei sui, procedere aduersùs eum. Nuntiatum est Regi, non audaciâ pueritiæ, sed fiduciâ pietatis: nec Rex abnuit, non recusauit. Intellexit cum videret audentem puerum, aliquid diuinitatis in eo esse: nec illam teneram ætatem sine diuino instinctu talia posse præsumere. Libenter accepit: processit aduersùs Goliam: fortis non in se, sed in Domino: armatus non tam ferro, quàm fide. Quo igitur telo percussit quo peremit gladio? Abiectis armis, ait ille, elegit aliquid vnde pugnaret, & hoc non sine Sacramento: nam videtis quasi duas quasdam vitas, vnam in alienigenis veterem; alteram in Israëlitis nouam aduersùs inui-E cem dimicare. In illâ parte, corpus Diaboli; in istâ, præfiguratio Domini nostri Iesu Christi. Processit ergo, sed fide munitus, pietate protectus; armatúmque inermis, bellicosum imbellis, non acie gladij materialis, sed virtute fidei inuincibilis prostrauit. Cum enim, vt Ambrosius loquitur, non operiretur galeâ, non præcingeretur gladio, non lanceâ vteretur, occidit illum non telo ferreo, sed gladio spiritali. Quamuis inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratiâ diuinitatis armatus. Verùm ipse spiritalis gladius, non fuit gladius: non enim gladio Golias, sed lapide prostratus occubuit. Legimus

Caius lib. 1. ad 12. tab.

Augustin. serm. 20. de diuers. c. 3.

Monomachia inter Dauid & Goliath instituta.

Augustin. eadem serm. cap.

Ambrof. serm. 14. vers. finem.

mus in Scripturis lapidis vocabulo Christum figuraliter designari, sicut ait Propheta: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Igitur cum lapide Golias percutitur, Christi virtute prosternitur. Ergo & nos armis cœlestibus muniamur, accingamur loricâ fidei, salutis galeâ protegamur, verbo Dei velut spiritali gladio defendamur. Siquidem sanctus Dauid hac deuotione protectus, Goliam illum fortissimum armatum etiam inermis occiderit, & virum bellicosum sub munitionibus vndique circumseptum solâ fidei virtute prostrauerit. Ille est gladius bis acutus, qui impetum frangit, nec ictum pertimescit.

B Quoad clypeum. Defensionis potius est quàm offensionis. Tulit Dauid quinque lapides de torrente, de fluuio, (ità Augustinus, & posuit in vase pastoris, quo lac mulgeri solet, & ita processit armatus. Quid significat quod lapides de fluuio sunt ablati, & positi in vase pastoritio? Quia in aduentu Domini nostri Iesu Christi, vt verè Diabolus vinceretur, lex transiit ad gratiam. Quid enim tam significans gratiam, quàm lactis copia? Sublati sunt lapides de fluuio. Fluuius significabat populum fluxum, deditum rebus temporalibus, amantem transeuntia, & cupiditatis impetu in mare seculi huius decurrentem: qualis erat populus Iudæorum vetus. Acceperat legem, sed calcabat legem, & transibat super legem. Inde ergo Dominus tulit legem ad gratiam: id est, de fluuio tulit, & in vase pastoris posuit. Non solum ictus imprimendus per telum seu gladium, sed & impetus per clypeum depellendus excludendusque. Lapis ille missilis percutit quidem inimicum, sed telum non discutit. Opus est clypeo, quo aduersùs impetus aduersariorum, aduersùs ictus tentationum tuta sit anima. Sentit homo legem repugnantem legi mentis suæ, & succumbit periculo; nisi liberatorem quærat; sed dum rogat, audit in secreto cordis sui: Sufficit tibi gratia mea. Ad virtutem perficiendam, infirmitatémque muniendam. Quid de victoriâ satagimus, ait ille, quando prouocantem prouocatúmque cernimus? Prouocauit superbia humilitatem, postremò prouocauit Diabolus Christum. Quid miramini Diabolum victum? Ille erat grandis staturâ corporis: iste autem staturâ paruus, sed fide magnus. Accepit arma bellica sanctus Dauid, vt aduersùs Goliam procederet. Hæc arma per ætatem & paruam staturam corporis portare non valuit. Abiecit onerantia, non adiuuantia: accepit quinque lapides de flumine, & posuit in vase pastorali. His armatus corporaliter, nomine autem Dei spiritaliter, processit, & vicit. Lex sine Dei gratiâ impleri non potest, plenitudo enim legis est charitas. Et vnde est ista charitas? Vide si non ex gratiâ. Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Gratia autem quæ fecit impleri legem, significatur lacte. Hoc enim est in carne gratuitum, vbi mater non quærit accipere, sed satagit date. Hoc mater gratis dat, & contristatur si desit qui accipiat. Quomodo ergo ostendit Dauid legem sine gratia operari non posse, nisi cum illos lapides quinque, quibus significabatur lex in libris quinque, coniungere volens gratiæ, po-

August. in serm. de diuers. c. 5.

Augustin. Enarrat in Psal. 143. post init.

Sunt arma onerantia, sunt & adiuuantia.

A suit in vase pastorali, in quo lac mulgere consueuerat? His armatus, gratiâ vtique armatus, & ideò præsumens non de se, sed de Domino suo, processit aduersùs Goliam superbum, se iactantem, de se præsumentem. Iam leonem & vrsum interfecerat, hostémque peremerat, nunc arte nunc virtute suffultum: vicerat tamen adhuc puer, id est, non ætatis præsidio, sed superioris auxilio potestatis. Nunc verò: Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum. An in mulctram pastoralem? Arma sunt pastoritia, seu armamenta dixeris, seu ornamenta. Frustra enim procedimus, si pastoris boni munimine non protegamur; frustrà contendimus, si Saluatoris Christi lumine non regamur, virtute non agamus. Habes, ait Augustinus, contra quod pugnes in te, habes quod expugnes in te. Etenim ex peccato diuisus es aduersùm te. Trahis concupiscentiæ propaginem & traducem mortis. Sed habes quem inuoces, vt pugnantem adiuuet te, & vincentem coronet te. Quomodo, inquis, vincam? Quæris quomodo? Attende ad gratiam vasis pastoralis, lapidem de flumine in exceptorio lactis pone. Procedis ad pugnam, sed vanè contendis, si de te præsumis victoriam. Ne industriæ confidas aut peritiæ humanæ, sed diuinæ gratiæ; ne de reuecto intumescas triumpho; sed clypeum obiicias gratiæ aduersus omnes superbiæ elationes, aduersùs omnes tentationes concupiscentiæ: nisi enim diuina te protegat gratia, nisi fulciat; nec legem implebis, nec hostem deiicies; licet enim telum incusseris, abiecto tamen clypeo, locum relinques vulneri, imò latum sentiès factum cupiditati spatium.

1. Reg. c. 17.

Augustin. in Expos. Psal. 143. cit. med.

C

D Quoad hastam. Tulit baculum suum Dauid, quem semper habebat in manibus. Vnde, Philisthæus dixit ad Dauid: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Dixit autem Dauid ad Philisthæû: Tu venis ad me cum gladio & hastâ: ego autem venio ad te in nomine Domini. Quid enim qui diuinâ vnctus est gratiâ non audeat, aut quid timeat ille, qui superno munitus est auxilio? Ipse Dauid, ait Ambros. iunior fratribus, cum patris oues pasceret tanquam vili ablegatus obsequio, non oblatus est Sacerdoti, quasi indignus qui vngeretur in regnum, sed à Sacerdote quæsitus, & accersitus à pascuis, prærogatiuam regiæ vnctionis accepit. Postea quoque progressus ad bellum, cum Golias totum populum Iudæorû corporis sui mole despiciés, singulari certamine prouocaret, timentibus cæteris, poposcit à Rege, vt congrediendi sibi permitteret facultaté. Necdum quidé tanto certamini habilis æstimatus est, Rege dicéte: Nó potes ire ad Allophylum, & pugnare cum eo, quoniá tu puer es, & ille vir bellator est à iuuentute suâ. Neq; esset admissus, nisi fecisset fidem quòd in suâ adolescentiâ leoné suis manibus strangulatû, extractis raptæ ouis cruribus peremisset. Ipse etiá despectus ab Allophylo, quòd aduersùs armatum præliatorem cum virgâ & lapidibus processisset, retulit non viribus se fretú esse, non armis, sed in nomine Domini confidentem ad prœliú esse progresú, vt lacessitæ plebis auferret opprobriû. Hic ergo iuuenis atq; despectus, gerebat typum eius qui quasi despectus ven-

Ambros. Enarrat in Psal. 118. oct. 18.

E

Baculus Dauid s, typus est crucis.

turus esset in terras, & sine legato, sine nuntio, totum populum mundi huius, crucis suæ pretio liberaret. Crux Christi, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia: nobis autem, Christianis nimirum seu sanctis, Dei virtus & Dei sapientia, quâ prudentia reprobatur prudentium, & fortium sed infidelium dissipatur audacia. Tulit Dauid vnum lapidem, ait August. iecit, inimicum in fronte percussit: cecidit ex eo loco corporis, vbi signum Christi non habuit. Cur enim in fronte, nisi quia signum crucis imprimitur in frōte? idcircò Goliath impar inuenitur ad prœlium, quia crucis virtute destituitur. Gentilis & sacrilegus homo, ait Ambrosius, ibi percutitur, vbi deerat Christus; & ibi infertur ei mortis exitium, vbi signum salutis non inuenitur. Quamuis enim Goliath vndique armorū protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem, quia signaculum Saluatoris non gestabat. Atque ideò ibi perimitur, vbi nudus à Dei gratiâ reperitur. Hæc autem in figurâ facta esse nemo est qui nesciat. Illud nimirum nos docuit, quod non in armis tantùm speranda victoria est, sed in nomine Saluatoris oranda. Fide quidem incedendum est, procedendúmq; ad prœlium: sed quid proficit fidei gladius, si diuini munus desit auxilij? Vnde verò sperandum præsidium, aut gratia delibanda, nisi ex Christo crucifixo: à quo habemus quicquid valemus, in quo audemus, & obtinemus. Baculus, ait Augustinus, crucis typum habuit, & lapis ille de quo percussus est Goliath Dominum figurauit. Venit ergo Dauid, & inuenit Iudæorum populum contra Diabolum prœliantem: & cum nullus esset, qui præsumeret ad singulare certamen accedere, ille qui figuram Christi gerebat, processit ad prœlium, tulit baculum in manu suâ, & exiit contra Goliath. In virtute crucis prostrauit inimicum, vtpote diuino destitutum præsidio; prostratúmque spoliauit, propriòque obtruncauit gladio.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 143. in fin.

Ambrос. ser. 24. sub finē.

Augustin. l. 50. Hom. 31. vlt. med.

PVNCTVM VI.

De Samüel.

Postremus iste numero, non tamen infimus merito. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samüel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. Illemet testimonium de seipso perhibet, & testimonium eius liquet nihilominus esse verum; quia solus non est, sed qui in illo, & per illum locutus est Spiritus sanctus. Idcircò addit Paulus, Et Prophetis. Cæteris nimirum. Vnde innuit Samuelem, vt & Dauidem, vates fuisse insigniores, sicut & illustriores populi Iudaici defensores. Primò igitur, videbimus vatem: secundò, defensorem: postremò, fidem enucleabimus.

1. Reg. c. 12.

Quoad primum. Vates inter omnes describitur insignis, dum & nobilis dicitur. Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum. Venite, & eamus ad Vidētem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns. Cùmque aspexisset Samüel Saülem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Accessit autem Saül ad Samüelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi est domus Vidētis Et respōdit Samüel Saüli dicens: ego sum Videns. Ascende ante me in excelsum: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Vates igitur, sed inter illustres ac nobiles. Nam & Saül ipse inter Prophetas: sed si nominatus, vix tamen nominandus. Per ipsum quippe Saülem omninò reprobatum vti loquitur August. multa Deus populo suo præstitit, in quē insiluit etiam spiritus Dei, & prophetauit: non cum iustè ageret, sed cum in virum sanctū Dauid innocentémq; sæuiret. Agit enim spiritus Domini & per bonos & per malos, & per scientes & per nescientes, quod agendum nouit, & statuit. Qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, Quòd oporteret Christum mori pro Gente. Audis insignē ac nobilem prophetiam, sed vilem concipis Prophetam, imò Deicidam execrabilem. Nec mirum si loquatur Deus per Caipham, cum loquatur per asinā. Spiritus quippe sāctus, vt docet Aquinas, mouet mentē Prophetæ, sicut agens principale mouet instrumentū suum. Potest autem Spiritus sanctus mouere ad tria: scilicet ad cognoscendū, ad loquendum, & ad faciendum. Et quodlibet istorum dupliciter. Ad cognoscendum scilicet, quandoq; cū intellectu eius quod videtur, sicut fuit Esaias & alij Prophetæ, vnde dicti sunt & Vidētes. Aliquando autem sine cognitione eius quod videtur, sicut patet in somnis Pharaonis, & in visione Balthasar. Ad loquendū etiam mouet dupliciter, quandoq; ad sciendum id de quo loquitur, sicut patet de Dauid: quandoq; nescit, sicut Caiphas, & fortè Balaā. Similiter etiā quandoq; mouet, & scit quid facit, sicut Hieremias, qui abscondit lumbare suum super Euphratem. Quādoq; autē nescit, sicut milites, qui diuiserūt sibi vestimenta Christi, non tamen cognoscebāt mysteriū, ad quod illa diuisio ordinabatur. Hoc est ergo de ratione Prophetæ, quòd cognoscat illud quod videt, vel dicit, vel facit. Quando autem non cognoscit, non est verè Propheta, sed participatiuè tantùm. Samüel autem quouis modo verus Propheta perfectúsque: non enim cognouit solùm quod vidit, sed & fecit. Creuit autem Samüel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuersus Israël, & Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samüel Propheta esset Domini. Sermo eius propheticus nusquam irritus: inde & ab vniuerso populo pro vero Propheta est habitus. Et euenit sermo Samüelis vniuerso Israëli. Nihil dixit, quod non euenerit; nihil prædixit, quod non successerit. Sed quod monendo dixit, agendo impleuit; nec se doctorem tantummodo censuit, sed & speculatorem: vt quod videret, vigilanter admoneret; & quod doceret, fideliter adimpleret. Cui enim, ait Gregorius, aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe in alto debet stare per vitam, vt possit prodesse per prouidentiam. Verus speculator, qui non solum moneat prophetando, sed & moueat operando.

1. Reg. c. 9.

Augustin. lib. quæst. in lib. Iud. quæst. 49.

Potest esse prophetia nobilis, & vilis Propheta.

Aquin. Lect. 7.

1. Reg. c. 3.

Gregorius Hom. 11. in Ezechiel.

Quoad secundum. Scias non solùm vatem, sed & iudicem Prætorémque regni ac populi defensorem. Dixit autem Samüel Congregate vniuersum

1. Reg. c. 7.

vniuersum Israël in Maphath, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Masphath: hauserúntque aquam,& effuderunt in cōspectu Domini,& ieiunauerunt in die illâ,atque dixerunt ibi,peccauimus Domino. Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath. Et audierunt Philisthiim quòd congregati essent filij Israël in Masphath,& ascenderunt Satrapæ Philisthinorū ad Israël. Quod cum audissent filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum. Dixerúntque ad Samuelem: Necesse pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorū. Tulit autem Samuël agnū lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino:& clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus. Factum est autem cum Samuël offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israël:intonuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philisthiim, & exterruit eos,& cæsi sunt à facie Israël. Tulit autem Samuël lapidem vnum: dixitque, Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuëlis. Felix defensor, protectórque incomparabilis: qui populum suum ieiuniis purget, sacrificiis reconciliet, amplissimísque dilatet terminis. De primo. Congregat suos,vt pro ipsis oret;sed imperat ieiunos,vt mundet à peccatis. Deliquerat Israël,ait Tertullianus,in aquatione apud Maspha congregatus à Samuele; sed ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prælij simul fugerit. Cum maximè Samuël offerebat holocaustum,in nullo magis audimus Dei clementiam, quàm abstinentiâ populi. Carnis inedia,medicina mentis est,quæ dum conscientiam eluit à vitiis,inimicis viam obstruit. Cum ergo, ait Leo, vniuersa vitia per continentiam destruantur, & quicquid auaritia sitit, quicquid superbia ambit, quicquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superetur: quis non intelligat, quantum nobis per ieiunia conferatur? In quibus indicitur, vt non solùm à cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desideriis temperetur. Alioqui superfluum est suscipere esuriem,& iniquam non deponere voluntatem: recisso affligi cibo,& à concepto non desilire peccato. Ieiunet ergo corpus ab escis,mens ieiunet à vitiis, & curas cupiditatésque terrenas, Regis sui lege diiudicet. Hæc spiritalia sunt iustorum arma victricia,potentes Sāctorum munitiones. De secundo. Parum est ieiunare: Et ieiunauerunt in die illâ. Dignum sacrificare,& populum ieiunio iam purgatum, Deo suo acceptâ reconciliare victimâ. Tulit autem Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino. Nimirū,vt dixit Gregorius: Pastores boni,non solùm orationum præsidia conferunt,sed etiam sacrificiorum. Iam quidem orauerat pro populo,imò populum eâ de causâ congregauerat, vt pro ipso clamaret ad Dominum. Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum. Sed inimico premente, & imminente periculo, non solùm ingeminat precem,sed oblationem instaurat,agnum immolat in holocaustum. Habes formam præsidij, ait Tertullianus, etiam spiritalibus bellis necessariam. Cœlum intonuit fragore magno, imò pro orante & sacrificante, summo certauit ar-

Tertullian. lib de ieiun. cap.7.

Leo serm. 8. de ieiun. decim. mens. vlt. med.

Arma contra hostes omnes victricia.

Gregor. in cap. 7. lib. 1. Reg.

Tertullian. lib. de ieiun. cap. 7.

A dore. De tertio. Tulit autem Samuël lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, lapis adiutorij. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Et redditæ sunt vrbes,quas tulerant Philisthini ab Israël, Israëli. Inimicis nimirum humiliatis, ac contritis; oppidis restitutis, terminis ampliatis, dilatatis:non solùm effugerunt pericula, sed & ampliora subinde receperunt beneficia.

Quoad tertium. Tria sunt obseruanda. Primum est,priscorum fidem,non aliam, sed eandem fuisse ac nostram. Antè aduentum Domini nostri Iesu Christi, ait Augustinus, quo B humilis venit in carne, præcesserunt iusti: sic in eum credentes venturum,quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur; cum variè declinantur. In eius sunt fidei societate nobiscum & illi patres,qui crediderunt de Virgine nasciturum, passurum,resurrecturum, in cælum ascensurum: illos enim ostendit Apostolus, vbi ait, Habentes autem eundem spiritum fidei,sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus,propter quod & loquimur. Propheta dicit, C Credidi propter quod locutus sum. Apostolus dicit, Et nos credimus propter quod & loquimur. Vt scias autem quòd vna sit fides,audi dicentem, Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus. Omnes iusti ab Abel vsque ad Ioannem, cupierunt videre,quæ viderunt Apostoli, & quæ audierunt, audite. Propterea, ait ille, Ioannes amplius quàm Propheta dictus est, & in natis mulierum non habuisse maiorem: quia prioribus iustis prænuntiare tantùm Christum concessum est, huic autem prænuntiare absentem & videre præsentem, vt huic inueniatur patuisse quod illi cupierunt. Et ideò Sacramentum baptismi eius adhuc ad prænuntiationem Christi pertinet, sed planè D nouissimam: quoniam vsque ad illum fuerunt prænuntiationes primi aduentûs Domini, cuius aduentûs modò annuntiationes sunt, non prænuntiationes. Alterum, eandem fidem & verbis expressisse & factis. Longum est excurrere per singulos: vltimos produco, Dauidem, & Samuelem: sed quod de istis dico,idem intelligo de ceteris. Quid ille, cum lapidem non solùm iacit, sed & cum virtutem exprimit. Neque enim,vti dixit Chrysostomus, vulgari more proiecit lapidem, sed prius dixerat: Tu venis ad me in Diis tuis:ego autē venio ad te in nomine Domini Sabbaoth. Hæc vox lapidem ma- E nu direxit in Goliath. Quid miraris, cum vox iusti, impios quoque spiritus expellat? Loquebantur tantùm Apostoli, & fugiebant aduersariæ potestates. Quid verò iste, cum lapidem tulit vnum, non solùm in limitem, sed & in obtentæ monimentum victoriæ? Lapis ille, ait Hieronymus qui scriptus est in regnorū libro, Abenhaezer: Christus est: Abenhaezer enim interpretatur lapis adiutorij. Christus autem lapis angularis. Lapis, quem reprobauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli. Tertium, fidem non intelligendam vulgarem, sed heroicam,ac sublimem,quâ iusti. Vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Quasnam eas?(ait Chrysostomus) De iis de

Augustin. tract. 45 in Ioan. cit. med.

Augustin. lib. 2. cont. lit. petil. cap. 37.

Chrysost. Hom. 3. de Dauid, & Saül.

Hieronym. in Psal. 131. vers. fin.

Sanctorum fides heroica & ardua.

de quibus dicebat, quòd semen eius sessurum sit super sedem eius. Obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis: effugerunt aciem gladij. Vide quomodo erant in ipsâ morte, Daniel circumdatus à leonibus, tres pueri degebant in fornace. Abraham, Isaac, Iacob in diuersis tentationibus, & ne sic quidem desperarunt. Hoc enim est fides, quando res in contrarium exeunt, tunc oportet credere quòd nihil euenit contrarium, sed omnia consequentia. Conualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello: castra verterunt exterorum. Quando res Iudaicæ iam erant desperatæ, quando à mortuorum ossibus nihil differebant, quis superasset futurum vt redirent à Babylone; & non solùm redirent, sed etiam fortes fierent, & verterent ac fugarent castra exterorum. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. De Prophetis hæc dicit, nempe de Elisæo & Helia: mortuos enim suscitarunt. Tanta illorum fides, támque ardua, vt mortuos suscitarint; tanta etiam matrum fides, támque firma, vt filios suos iam mortuos, fide & oratione Prophetarum resuscitatos receperint.

Chrysost. orat. 17.

EXPOSITIO XVI.

De tribulatis vexatisque.

HVcusque de iis qui per fidem vicerunt regna, per fidem castra verterunt inimica: extinxerunt impetum, ignis virtutémve, aciem iam exerti effugerunt gladij. Nunc verò de iis qui occubuerunt, nec minus tamen per alienam sæuitiem, imò per propriam claruerunt fidem. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Poterant viuere, sed malebant excedere; vt fidem signarent, nec talem, qualem assecuti sunt pueri, sed digniorem nobiliorémque expectarent resurrectionem. Potuerunt à morte liberari, potuerunt redimi, gratiâ oblatâ: sed gratiam respuerunt vt ingratam, maluerúntque distrahi ac concidi, vt veram obtinerent libertatem, ad beatam peruenirent æternitatem. Fertur, ait Ambrosius, Prophetæ cuidam (& plerique ferunt de Esaia in carcere posito) cum mole imminentis vrgeretur exitij, dixisse diabolum: Dic quia non à Domino locutus es quæ dixisti, & omnium in te mentes affectúsque mutabo: vt qui indignantur iniuriam, absolutionem conferant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate supplicium, quàm pro adulatione beneficium. Et hic ergo noluit absolui, redimi noluit; non admisit redemptionem, quia meliorem prospexit resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti; insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes & montibus & speluncis & in cauernis terræ. Primò igitur producit eos, qui mortem obierunt; secundò, eos qui abierunt in solitudinem, quasi minus non sit abire quàm obire: discedere quàm excedere: tertiò, & illorum fidem & istorum astruit.

Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. octon. 12.

Gratius pro veritate supplicium, quàm pro iniquitate beneficium.

Quoad primum. Hebræos Paulus accingebat ad martyrium, ideóque tandem ad contemptum non pecuniæ solùm, sed & vitæ, propositis Sanctorum vernaculorum exemplis, eos prouocat. In iis definit, ait Chrysostomus, in iis, inquam, quæ erant coniunctiora & magis familiaria. Hæc enim maximè afferunt consolationem, quando ex eadem causâ fuerit ortus dolor. Propterea in hoc finiit orationem, dicens vincula, carceres, verbera, lapidationes. Et ideò subiungit, In occisione gladij mortui sunt. Quod dicis? Alij quidem effugerunt aciem gladij: alij autem mortui sunt in occisione gladij. Quid est? Vtrum laudas? Vtrum admiraris? Hoc an illud? Maximè, inquit, hoc tanquam vobis coniunctum & familiare: illud autem, quoniam etiam in ipso valuit fides, & est typus futurorum. Duo sunt enim miracula fidei, quòd & magna efficit, & magna patitur, & se nihil pati existimat. Si fides calet in vobis, si spes futurorum viget bonorum; non solùm non meditabimini, quomodo aciem gladij effugiatis, sed & vos Deo & Christo reputabitis indignos, si pro ipso non occidamini, si pro ipso mortem non oppetatis, aut vincula saltem ac verbera patiamini. Habetis tot exempla Sanctorum vestrorum, seu priscorum iustorum martyria, ne cogitetis redemptionem, sed meliorem potius optetis resurrectionem. Putatis illos miseros, si pro fide patiantur? Imò quidni beatos reputatis, si pro fide moriantur? Neget quis, ait Ambrosius, beatum Iacob in ipso mortis supremo, qui diuina fundebat oracula. Neget beatum Ioseph in carcere, vbi sapientiæ spiritu interpretabatur somniorum quæ audierat veritatem, & futurorum seriem reuelabat: Neget beatum Esaiam, cum medius secaretur: Hieremiam, cum mergeretur: Daniel sanctum, cum inter leones staret intrepidus, & prandium ei raptus ab Angelo Propheta deferret. Non vtique ideò beatus, quia alienum prandebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat. Quis autem non beatam dixerit matrem Machabæorum, quæ septem filiorum funeribus octauam se addidit ad laudem cælestis triumphi? Melior est vir patiens, viro forti; digniorque ille qui patitur pro fide verâ, quàm qui vanâ seu caducâ felicitate fruitur. His patientiæ viribus, ait Tertullianus, secatur Esaias, & de Domino non tacet. Sed an ille primus, aut solus tribulatus vexatúsque? Nec te, addit Ambrosius, Eleazare prætermittam, vtpote Sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandum oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cum oblatus esses Antiocho persecutori; nec tentamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Suspensus itaque cum hinc atque inde grauiter verberaretur, nec iam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus atque extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat. Nec vna tanti victima Sacerdotij. Post ipsum enim, ait ille, statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmiis prouocabat ad culpam, vrgebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent, Quid nos contemnis, vel circumscribis vt pueros? Pueri sumus, sed

Chrysost. orat. 17.

Magna facit fides, nec tamen ea digna reputat.

Ambros. lib. 2. de Iacob de vit. be. cap. 17.

Tertullian. lib. de patient. c. 14.

Ambros. lib. 2. de Iacob vit. beat.

Ambros. cap. 11.

ſed fides cana eſt, ſed valida diſciplina. Ex pente certè, ſubiice quibus placet pœnis puerilia viſcera, non inuenies corda puerilia: nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimæ obſeruationis excubia. Quem vicit ſenectus, ſuperabit æmula ſenectutis, pueritia. Sequamur patrem filij, diſcipuli doctorem. Collige ſuppliciorum inſtrumenta propoſita: meditationem patientiæ, non terrorem infantiæ afferunt, dum videntur. Nec conſtantia ſuppliciis infracta, vel decolorata factis? ſed virtute non minus, obſignata quàm ſanguine. O rem mirandam! exclamat Gregorius Nazianzenus, tormenta non ſecus ac theſauros quoſdam præripientes, ac pro magiſtrâ lege periculum ſuſcipientes: fortes & magnanimi filij, nobilis matris nobilis ſoboles, alacres veritatis pugiles, exacti patriorum rituum cuſtodes, vnum ſpirantes, vnum ſpectantes, vnum ad vitam iter, hoc eſt mortem pro lege Dei oppetitam, agnoſcentes, non minus animis quàm corporibus fratres, mortis cauſâ inter ſe æmuli: admota tormenta non magis formidantes, quàm, quæ ſupererant, requirentes: vnum hoc metuentes ne defeſſus tyrannus finem cruciandi faceret; ſicque nonnulli ex ipſis coronæ expertes abſcederent, atque à fratribus inuiti diſiungerentur, ac malam victoriam referrent? eo videlicet adducti, vt periculum eſſet, ne non cruciarentur. Quale patris, ac matris, filiorúmque, & quàm grande ſpectaculum.

Gregorius. Nazian. orat. 22. poſt init.

Quoad ſecundum. Perſecutio ſeu vexatio non ſolùm Confeſſores fecit & Martyres, ſed & deſerta repleuit Anachoretis, antra ſolitariis, qui valedicentes rebus humanis, imò humanis carentes neceſſitatibus, ſupplicium ſubierunt perpetuum, nec tam exilium quæſierunt, quàm longum duxerunt Martyrium. Semper quidem, (ita Chryſoſtomus) maximè autem quando cogitauerimus rectè & ex virtute geſtas ſanctorum, tunc mihi venit in mentem de nobis deſperare & animum deſpondere, quòd nec in ſomnis quidem accipimus eorum experientiam, in quibus viri illi toto tempore ſunt verſati, non peccatorum pœnas luentes, ſed res bonas ex virtute gerentes, ſemper afflicti. Nec veſtem quidem, inquit, habebant propter ſummam afflictionem, non ciuitatem, non domum, non habitaculum: hoc quod Chriſtus dicebat, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Quid dico, Non habitaculum? Ne ſtationem quidem. Nam cum veniſſent in ſolitudinem, ne quietem quidem agebant. Non enim dicit, Sedebant in ſolitudine, ſed & cum illic eſſent, fugiebant: & illinc expellebantur? non ſolùm ex terrâ quæ habitatur, ſed etiam ex inhabitabili, & cum fame conflictari cogebantur. Circuierunt autem quid eſt? Tanquam fugitiui, inquit, tanquam qui turpiſſimorum ſcelerum ſunt conuicti, tanquam ne digni ſolem intueri: nec ea ſolitudine quidem inuenerunt effugium, ſed ſemper oportebat, fugere, oportebat latibula quærere, oportebat ſe viuos in terram infodere. Tam iniuſte quidem quàm indignè vexati: ſed inde beati, quod ſine cauſâ, imò pro cauſâ, propter fidem ſcilicet ac verita-

Chryſoſt. orat. 28.

Chryſoſt. orat. 28.

A tem tribulati. Non enim poteſt dicere, ait ille, quòd eſſent peccatores, & nihili. Nam etſi totum mundum illis ex aduerſo ſtatueris, inuenio illos in ſtaterâ præponderare, & eſſe maioris pretij. Si quidem, inquit, totus mundus non eſt iis dignus: & meritò, ſunt enim amici Dei. Si vniuerſa, inquit, creatura poſita fuerit cum ſuis hominibus, nondum æquabunt eorum pretium. Sicut enim decies mille pondo paleæ & fœni, non æquauerint pretium decem margaritarum, ita nec illi. Melior eſt enim vnus faciens voluntatem Domini, quàm decies mille iniqui. Decies mille non multos dicens, ſed infinitam multitudinem. Cui ergo iactura imminet, quos premit

Melior vir iuſtus, quàm mundus totus.

B iniuria; cum humana ſæuitia, imò potius inhumana iuſtos ac Deo charos, vel vrget abſcedere, vel cogit perplexitates inter & aduerſitates degere? Patientia quidem, laus ſanctorum eſt; fraus verò iniquorum, & perſecutorum iniuſtitia, dum ſæuitiem intentat, auctoribus ipſis, ſeu iniuſtis perniciem importat perſecutoribus. Potuimus & inermes nec rebelles, ait Tertullianus, ſed tantummodò diſcordes, ſolius diuortij inuidiâ aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio ciuium, immò etiam & ipſâ deſtitutione puniſſet.

Tertull. c. 37. Apol.

C Proculdubiò expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortui orbis. Quis autem vos ab illis occultis, & vſquequaque vaſtantibus mentes & valetudines veſtras hoſtibus raperet? à Dæmonum incurſibus dico, quæ de vobis ſine prœmio ſine mercede depellimus. Suffeciſſet hoc ſolum noſtræ vltioni, quod vacua exinde poſſeſſio immundis ſpiritibus pateret. Porrò nec tanti præſidij compenſationem cogitantes, non modò non moleſtum vobis genus, verùm etiam neceſſarium, hoſtes iudicare maluiſtis; qui ſumus planè, non generis humani tamen, ſed potius erroris. Quid ergo

D ſi ægrotus medicum abigat, aut etiam perimat; ſi magiſtrum, diſcipulus: cuius damnum eſt, ac detrimentum?

Quoad tertium. Quid non feciſſent illi vel iſti poſt Chriſtum, ſi talem ante Chriſtum & fidem oſtenderunt & virtutem: qui non eſſent aggreſſi exemplo præeunte, qui tanta ſunt ſine duce, ſine magiſtro perpeſſi? Quamuis enim apud multos non honorentur, ait Gregorius Nazianzenus, quia non poſt Chriſtum decertarunt, digni tamen ſunt, qui ab omnibus honore afficiantur. Qui porrò antè Chriſti paſſiones Martyrium ſubierunt, quid tandem facturi erant, ſi poſt Chriſtum perſecutionem paſſi fuiſſent, eiuſque mortem noſtræ

Gregorius. Nazian. orat. 22. à limine.

E ſalutis cauſâ ſuſceptam ad imitandum propoſitam habuiſſent? Nam qui ſine huiuſmodi exemplo tantâ virtutis laudæ floruerunt, an non multò fortiores ſe præbuiſſent, ſi cum exemplo periculum adire ipſis contigiſſet? Excuſationis anſam Chriſtianis præſcindit Paulus, & iuſtam ſuggerit paſſionis materiam. At nos non aſſecuti ſumus reſurrectionem. Sed poſſum, inquit, (apud Chryſoſtomum) oſtendere etiam illos fuiſſe redemptos, ſed redemp-

tionem non suscepisse, vt meliorem assequerentur resurrectionem. Cur enim, dic mihi, cum liceret viuere, noluerunt? An non ergo vitam expectabant meliorem: & qui alios suscitarant, ipsi mori elegerunt, vt meliorem assequerentur resurrectionem. Licebat eis videre solem: licebat non arguere, & maluerunt mori; & qui alios suscitarunt, ipsi maluerunt excedere, vt meliorem assequerentur resurrectionem. Quid verò, meliorem? Quia non solùm ad vitam immortalem, sed & ad ampliorem gloriam. Dicit meliorem, ait Aquinas, quia ex hoc ipso, quod maiora pro Christo passi sunt, maius præmium recipient. Sicut enim stella differt à stellà in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. Qui enim fuerunt maiores in merito, maiores erunt in præmio. Præcipua verò sunt merita Martyrum. Nullus enim actus quantum est de se, est ita meritorius, sicut quo quis moritur propter Christum, quia dat illi quod habet charius, scilicet vitam propriam. Et ideò Apostoli præferuntur Martyribus, Martyres verò omnibus aliis. Melior igitur illa resurrectio, vbi retributio nobilior, & clarior immutatio. Ita illi fratres vnanimes, tam fide germani quàm sanguine. Qui se inuicem, vt loquitur Ambrosius, cohortabantur, qui dicebant vno studio, & quadam animorum acie: Mortis aduersæ impetum petamus. Tunc enim viuemus, cum fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat prælio triūphali. Nō homini, sed Deo nostras deuouimus animas: non homini, sed auctori omnium militamus. Talis hæc pugna est, vt ille gloriosiùs vicerit, qui crudeliùs occisus fuerit. Animosa fides, imò & perfecta; ideóque non solùm inspirata à Deo, sed & Christo suffulta, & eius si non exemplo, certè præsidio roborata. Simul enim mysticus & arcanus hic sermo est, mihi quidem, (ita Gregorius Nazianzenus) atque omnibus amore Dei præditis, admodum probabilis: neminem videlicet eorum, qui antè Christi aduentum numeros omnes virtutis impleuerunt, id citra Christi fidem esse consecutum. Quanquam enim Verbum suo postea tempore liberè promulgatum est: puris tamen animis etiam antè innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsum honoribus affecti sunt, liquidò perspici potest. Quocircà illi non idcircò contemnendi sunt quia antè crucem extiterunt: verùm quia ad crucis normam vitæ suæ rationes exegerunt, ideò laudandi, ac verborum honore celebrandi. Vna quippe militantium fides, sicut & vna merces triumphantium.

Aquin. Lect. 8.

Qui maiores sunt in merito, illustriores sunt in præmio.

Ambros lib. 2. de Iacob. & vit. bea. cap. 12.

Gregor. Nazanz. orat. 22 init.

EXPOSITIO XVII.

De consummandis.

PRobati quidem illi iam dudum, sed nondum consummati. Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Omnes cōprehendit iam prædictos laudatosve, neminem excipit; sed fidem probat, non omnem iustificat actionem. Tria igitur concludenda sunt. Primum est, vitam omnium non declarari innoxiam: alterum, gloriam omnium probari certissimam: tertium, sic præmium collatum, vt sit etiam conferendum.

Quoad primum. Sicut in pessimis aliquid semper viget boni, sic & in optimis semper aliquid mali remanet. Boni sunt isti, imò & optimi, non tamen omnia eorum opera sunt optima, imò nonnulla mala, nonnulla pessima. Idcircò Paulus, cum personam laudat, vitam non probat quasi integrā & innoxiam: sed dum fidem proponit, ad virtutem accendit. Sciendū est ait Aquinas, quòd aliqui istorum aliqua mala fecerunt, & aliqua bona: vnde non numerantur hîc, nisi quantum ad bona quæ fecerunt, vel receperunt. Nihil dico de Rahab meretrice, sed nonnihil animaduerto de Rahab mentiente. Dicet enim aliquis: (ait Augustinus) Ergone obstetrices illæ atque Rahab melius fecissent, si nullam misericordiam præstitissent, nolendo mentiri? Imò verò illæ mulieres Hebrææ, si essent tales de qualibus quærimus, vtrum sit eis aliquando mentiendum, nec aliquit falsi dicerent, & fœda ministeria de paruulis occidendis liberrimè recusaret. Sed, inquies, ipsæ morerentur. At vide quid sequatur: Morerentur enim cælestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quàm domus illæ quas sibi fecerunt, in terrâ esse potuerunt. Morerentur enim futuræ in æternâ felicitate, mortem perpessæ pro innocentissimâ veritate. Quid illa in Hiericho? Nunquid hoc posset? Nonne si quærentes ciues mentiendo non falleret, verùm dicendo latentes hospites proderet? An posset interrogantibus dicere: Scio vbi sunt, sed Deum timeo, non eos prodo? Posset hoc quidem dicere, si iam esset vera Israëlitis, in quâ dolus non esset: quod futura erat per misericordiam Dei transiens ad ciuitatem Dei. Verùm illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum scrutarentur. Sed nunquid consequens erat vt illos etiam quos diligenter occultauerat, inuenirent? Prospexerat enim cautissima mulier, & ibi eos posuerat vbi latere potuissent, etiamsi ei mentienti creditum non fuisset. Ita & illa, si tamen à suis ciuibus esset occisa, pro misericordiæ opere, vitam istam finiendam pretiosâ in conspectu Domini morte, finisset, & erga illos eius beneficium inane non fuisset. Sed inquies, Quid si & ad illum locum vbi eos occultauerat, ij à quibus quærebantur, perscrutando omnia peruenissent? Isto modo dici potest. Quid si mulieri vilissimæ atque turpissimæ, non solùm mentienti, verumetiam peierranti credere noluissent? Nempe etiam sic consecuta fuerant, quæ timendo mentita est. Et vbi ponimus voluntatem ac potestatem Dei? An fortè non poterat & illam, nec ciuibus suis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos suos ab omni pernicie custodire? A quo enim & post mulieris mendacium custoditi sunt, ab eo potuerunt, etsi illa mentita non esset, vtique custodiri. Reliquiæ istæ, Gentilitatis Hierichuntinæ sunt, non diuinæ ciuitatis, quibus non consentiunt boni seu iusti, imò pro quibus humiliter petunt veniam, non de

Aquin. Lect. 7.

Augustin. lib. cōt. mēd. cap. 17.

Satius est mori quàm mentiri.

Augustin. Ibidem.

de quibus insuper quærunt gloriam. Proinde Rahab in Hiericho, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos vbi potuit occultauit, qua per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Hierusalem ciuibus imitanda laudetur. Quod autem mentita est, etiamsi aliquid ibi Propheticum intelligenter exponitur, nō tamen imitandū sapienter proponitur: quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum clementer ignouerit. Ita Augustinus de. Samsone autem multa sunt præclara, Sed & aduersus eum pauca. Audete itaque dicere, ait ille, si potestis, illud quod in crinibus habuit virtutis magnum diuinúmque secretum, blandienti mulierculæ fuisse prodendum. Nec plura: plura enim quæri possunt, & in sensum flecti ambiguum.

Augustin. lib. 1. cont. Gaudent. c. 31.

Quid tandem de Gedeone, qui ceteris sanctior videtur, aut innocentior? Dixit ad viros Israël: Vnam petitionem postulo à vobis: Date mihi inaures ex prædâ vestrâ. Inaures enim aureas Ismaëlitæ habere consueuerant. Qui responderunt: Libentissimè dabimus. Expandentésque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de prædâ: & fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste purpureâ, quibus Reges Madian vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra. Fornicatúsque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam. Fornicatio illa, spiritalis est, seu enormis diuinæ legis transgressio. Vbi, ait Augustinus, non frustra quæritur, cum idolum non fuerit, id est, cuiusquam Dei falsi & alieni simulacrum, sed Ephod, id est vnum de Sacramentis tabernaculi quod ad vestem Sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem Scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideò scilicet quòd præter tabernaculum Dei vbi erant ista quæ ibi fieri iusserat Deus Israël, extra simile aliquid fieri fas non erat. Ideò sequitur, & dicit Scriptura, Et factum est Gedeon & domui eius in scandalum, id est, vt ab offenso Deo discederet, quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactū pro Deo coleretur, cum illa ipsa quæ iussa sunt in tabernaculo fieri, ad Dei potius cultū referrentur, quàm pro Deo aliquid eorum aut pro Dei simulacro colendum haberetur.

Iud. cap. 8.

Augustin. lib. quæst. in Iud. q. 41.

Quoad secundum. Peccauerint aliqui, illicitum perpetrarint vel impium. Tamen, vt sentit Aquinas, probabile est, quòd omnes fuerint finaliter sancti, ex quo Apostolus nominat eos in catalogo sanctorum. Certè si in albo sanctorum inscripti, si in sanctorum numero ab Apostolo Paulo repositi: non solùm probabile seu verisimile est, eos gloriam assecutos æternam, sed & verissimum iuxta ac certissimum. Ideóque nonnulla per singularem licentiam admissa sunt, alia per finalem remissa pœnitentiam. Et de Samuele quidem, certum est nec Pontificem fuisse, nec Sacerdotem, tamen ratum est erexisse altare, & accepto litasse sacrificio. Noscendum est, ait Hieronymus, quod

Aquin. Lect. 7.

A Samüel, Leuita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit: vnde & faciebat illi mater sua Ephod Bad, superhumerale videlicet lineum, qui habitus propriè Leuitarum, & minoris est ordinis. Vnde & in Psalmis non nominatur inter Sacerdotes, sed inter eos qui inuocant nomen Domini. Moyses, inquit, & Aaron in Sacerdotibus eius, Samüel inter eos qui inuocant nomen eius. Cum illis quidem copulatus est in Psalterio, sed non cum illis ornatus Sacerdotio. Quo iure igitur Sacerdotalem inuadit honorem, immolando; imò & superscendit, altare ad immolandum erigendo? Reuertebatúrque Ramatha: ibi enim erat domus eius: & ibi iudicabat Israëlem. Ædificauit etiam ibi altare Domino. Quo iure, quâ lege? Eadem sanè quâ Manue, quâ Gedeon sacrificauit, gratámque non Angelo quidem sed coràm Angelo hostiā obtulit: nec tamen incurrit culpam, sed potius gratiam retulit. Quin & verisimile est, Gedeonem, æmulatum tabernaculi ritum, apparatum omnem seu ornatum Sacerdotij transtulisse, & Dei cultum iuxtà modum veterem instruxisse. Per Ephud enim, ait Augustinus, vel Ephod, eâ locutione quæ significat à parte totum, omnia possunt intelligi, quæ constituit Gedeon in suâ ciuitate, veluti ad colendum Deum, similia tabernaculo Dei. Non quod solido auro velut ad arandum constituerit Ephud: sed quòd essent ex auro ipso, quod etiam ex præda fecerit, ea quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta sacrarij, quæ omnia per Ephud significata sunt, propter excellentiam vestis Sacerdotalis. Sed hæc priuilegia sunt personalia, quæ cum personis extinguuntur, nec aliis, licet consanguineis conceduntur aut etiam filiis. Idcircò cum citra eandem vsurpantur dispensationem, in culpam imputantur & ruinam. Suo igitur Gedeon vsus est priuilegio, non abusus Sacerdotio: sed inde exortum scandalum, & sicut primò inductum est imminutæ religionis officium, ita postremò introductam est vanæ superstitionis sacrilegium. Postquam autem mortuus est Gedeon in senectute bonâ, auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Israël. Sunt & alia quæ citra etiam dispensationem, vel inspirationem excusari possunt aut eleuari. Quid enim, Si Samsonis mens fuit in illo templo, & festo, hostes Dei nedum populi illusores, in domo Diaboli perimere, seque saluum, si fas; cupere, successum tamen arbitrio diuino committere? Sunt & alia, quæ citrà offensam vllam in piam inclinari possunt sententiam. Ita Augustinus de Samsone. Quod intrauit ad meretricem, inquit, si sine causâ fecit quicumque fecit, immundus est. Si non ita intrauit vt concumberet, mysterij causâ forrassis intrauit. Sed concubuisse non legimus, sed scriptum quia dormiebat. Agnoscamus igitur hoc loco Redēptoris nostri opera. Denique, si nullus excusationi seu interpretationi relictus est locus, fatendum ingenuè, quod verè transactum est. Sancta enim Scriptura, vt obseruat Augustinus, quorum fidem

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. circa med.

1 Reg. c. 7.

Augustin. quæst. 41. sup. Iudic. s

Priuilegia personalia cum personis ipsis extincta.

Iud. cap. 8.

Augustin. serm. 107. de temp. vit. med.

Augustin. lib. quæst. sup. Iud. q. 49.

fidem atque iustitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata si qua nouit, & oportere iudicat, notare veraciter. Iam enim Deus statuerat afflicto populo subuenire, atque huius ducis quem ad hoc opus assumpserat, vtebatur animo non solùm fideli & pio, verumetiam subdeficiente & delinquente, & prænuntiando quæ volebat, & complendo quæ dixerat. Addendum tamen, eos qui inter iustos nominantur, qui inter sanctos in scripturis sacris numerantur, admissa per legitimam pœnitentiam diluisse peccata, & in fide integrâ, ac verâ pietate fuisse defunctos. Ita illi omnes, quos vt testimonio fidei probatos computat Paulus, inter sanctos reputat: nec enim in fidei perseuerantiam eos proponeret qui fidei non tenuerunt perseuerantiam: nec eos diceret consummandos, qui consummandi non sunt, seu in æternam felicitatē, beatámq; immortalitatem transferendi. Non sunt neganda Dauidis crimina, sed dissimulanda non est dolentis pœnitentia. Non omnia sanctorū opera sancta sūt, sed quæ malè facta sunt, piè sunt abluta. Quem Deus iustificauit, ait Ambrosius, tu diiudicas. David enim & gratiam meruit, & iustificatus à Christo est, quandoquidem David se dici filium ipse Dominus gratulabatur; & qui eum ita confitebantur, illuminabantur.

Ambros. Apolog. 1. Dauid. cap. 1.

Quoad tertium. Sunt igitur consummandi id est perfectè ac integre beatificandi, sed non sine nobis Christianis, quos, vt fratres & socios, sed tanquam primarios & honorabiliores expectant, vt in æternam resurgant gloriam. Nonne hoc, ait Bernardus, vniuersus mundus expectat? Vnde & iuxta Apostoli testimonium, ingemiscit quoque & parturit vsadhuc. Nec sanè reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes. Nec soli huic mundo, sed & Angelis & hominibus spectaculum facti sumus. Me, inquit, expectant iusti, donec retribuas mihi. Et Martyres cum iudicij diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis, quam tunc habituri sunt, acceperunt diuinum responsum: Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Acceperunt ergo iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Vnde de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus: Deo melius aliquid prouidente pro nobis, vt non sine nobis consummarentur. O si cognosceremus & nos quomodo expectant, & quantum desiderant aduentum nostrum, quàm sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis. Putatis quantum desiderant ciues cælestes instaurari ciuitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt vt veniant lapides viui, qui coædificentur eis? Hi quidem omnes non solùm fideles, sed & fidei testimonio probati, seu Dei vindicati oraculo, nondum tamen consummati, nondum bona adepti promissa, nondum cælestem hæreditatem mente ac carne consecuti. Nondum acceperunt, ait Chrysostomus, sed adhuc expectant: & cum in tantâ decesserint afflictione, nondum illi acceperunt. Tot sunt anni ex quo vicerunt, & nondum acceperunt. Nam nisi quoque adfuerimus, prædixit eis Seruator se non daturum, Sicut pater beneuolus dicit probis filiis & qui opus confecerunt, se non daturum quod edant, nisi venerint eorum fratres. Vides quòd illis sumus superiores & melior sit nostra quàm illorum conditio? De nobis enim, inquit, aliquid melius præuidit Deus. Ne viderentur esse melioris quàm nos conditionis si primi coronarentur, definiit omnibus vnum tempus coronarum. Non tamen dixit, Ne sine nobis coronarentur, sed, vt non sine nobis consummarentur. Ipsi enim fratres expectant, Certè à morte, omnia, si dubia non sunt, sunt tamen incognita; & si qui culpam expient interim, aut delibent gloriam, fiunt hæc in occulto & abscondito: sic iam collatum est præmium, vt sit etiam conferendum: sic iam coronati sunt quidam, vt sint etiam consummandi: cum totum corpus resurget, publicúmque munus recipiet, hæreditatem accipiet, immortalitatémque non per partem, sed tam carne quàm mente, id est integram induet consummatámque. Periclitatur enim illud quod ad Hebræos, de iustis antiquis dicitur, (ita Augustinus) Quia pro nobis meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti perficerentur, si iam in illâ resurrectionis constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur. Henoch primam accepit stolam aut Helias: iam accepit Abraham aut Isaac: nullus tamen adhuc vestitus est duplicibus, nullus adhuc consummatus; nullus promissa hæreditate, seu perfectâ & integra donatus felicitate. Priores expectant posteriores, nec publicum munus, seu tempus præstitutum anticipiant. Simul enim, ait ille, promissam Dei contemplationem accepturi sunt omnes: & ideò velut maiores reperiuntur minores, quia minus dilati sunt, sicut in illo Euangelico denario per similitudinem dicitur, quem priùs accipiunt qui posteriores venerunt ad vineam. Priores sint illi, non tamen maiores, iam gloriam delibauerint, iam vitam degustarint æternam: non tamen hæreditatem percipient promissam, non plenam & totam mercedem sine nobis vltimus referent. Inde igitur assurgit Apostol. Concluditq; omnia patienter ferenda, & interim præmia per fidem ac spem prospicienda incessanter appropinquantia, suspicienda sanctarū animarū consortia. At tu, (ita ego ex Greg. Nazianzeno) diuinum & sacrum caput, vtinam cælos penetres, atq; in Abrahæ sinu, quicunque tandem ille est, conquiescas, & Angelorū choream, ac beatorum virorum gloriam & splendorem spectes, vel potius vnà tripudies & exultes, omnia, quæ hîc sunt, ex alto deridēs nimirū & diuitias, vt appellātur, & abiectas dignitates, & falsos honores, & imposturā quā sensus faciunt, & huius vitæ iactationē, ac tanquā in nocturnâ pugnâ confusionem & ignorātiā magno illic Regi adstās, atq; illinc emicante lumine impletus: cuius exiguo riuulo hic suscepto (quantum scilicet in speculis & ænigmatis adumbrare atq; conspicari possumus) vtinam ad ipsum fontem postea perueniamus, pura mente puram veritatem intuentes, atque hanc laboris in virtutis studio exhausti mercedem inueniamus, vt perfectiùs illic summi boni consortio & contemplatione fruamur. Amen

Coronantur alij sine aliis non tamen & consummantur.

Bernard. serm. 1 in vig. nat. Dom.

Chrysost. orat. 28.

Augustin. epist. 99. cit. med.

Augustin. lib. de sp. & lit. cap. 24.

Gregorius Nazian.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Summa.

PRopositam doctrinam attemperat instituto, & exemplo tot sanctorum testium, ad firmitatem & vnanimitatem Hebræos suos prouocat.

TEXTVS.

IDEOQVE & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersùs peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplinâ perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? Quòd si extrà disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Propter hoc remissas manus, & soluta genua, erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum: contemplantes nequis desit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut profanus vt Esaü: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur. Etsi bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, &

Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorũ, & Teſtamenti noui mediatorem Ieſum ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur; multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus. Cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel; & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cœlum. Quod autem, Adhuc ſemel, dicit: declarat mobilium tranſlationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ ſunt immobilia. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſeruiamus, placentes Deo, cum metu & reuerentiâ. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.

EXEGESIS LITERALIS.

CHRISTVM proponit tanquam ducem iuſtorum omnium perfectòrémque & per tolerantiam perſeuerantiámque, ad propoſitum cœleſtis induci ſcopum ciuitatis.

Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen &c. Exhortatio, ſeu concluſio parænetica ex præmiſſis deducta. Cum igitur vndique circumſepti ſimus tantâ ſanctorum, fidem pietatémque commendantium multitudine, nobis circumfuſâ, depoſitâ terrenorum affectuum ſarcinâ, peccatorúmque implicantium remorâ, ſuſceptum alacriter curſum abſoluamus, cæleſtémque patienter mercedem expectemus. Non enim, ait Athanaſius, rem pugnis geramus, dixit, vel inuicem colluctemur, ſed quod leuius eſt, currendi imponit officium. Nec ad curſum eiuſmodi addamus aliquid intulit, ſed in eo perſeueremus, & ad propoſitum nobis certamen, curſum hunc intendamus, quod fieri per patientiam poterit. Illa quippe apprimè neceſſaria. Aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dexterâ Dei ſedet &c. Et ſi tam numeroſa inuitantium animantiúmque non ſufficit copia: ſit vobis propoſitum exemplar omnium Chriſtus Ieſus. Inſpicite ducem illum ac principem, qui fidem inſpirat, fidelémque coronat. Ille enim, cum poſſet vitam agere felicem, ſi vellet, & omnem abigere moleſtiam; crucem amplexus eſt, nec confuſionem eſt reueritus; ſed per extremam ignominiam, ad ſupremam prouectus eſt gloriam, vtpote ad dexteram Dei, ſeu ſupra creaturam omnem conſtitutus. In Græcis, Qui pro gaudio ſibi propoſito. Vbi ἀντὶ, pro. Idem eſt ac, loco gaudij ſibi permiſſi. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſùm ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſùs peccatum repugnantes &c. Itaque, cùm reſpicite, & animis veſtris perpendite, qui ab impiis ac perfidis importunas ſuſtinuit contradictiones, indignas

Athanaſ. in Paulum.

Chriſtus crucem maluit, quàm honorem.

A irriſiones pertulit; ne delaſſati ac defatigati, ſoluatis animum, & propoſitum in periculis & incommodis abrumpatis. Quamuis enim iam nonnulla paſſi ſitis ſeu vincula ſeu verbera, nondum tamen optando perfuncti eſtis martyrio, propugnantes fidem, & aduerſùs infidelitatem decertantes. Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit &c. Non aduertitis mentem, nec aurem intenditis ſcripturæ diuinæ vos

B adhortanti ac conſolanti his verbis: Fili mi, ne reiicias correptionem Domini, nec deficias ad eius caſtigationem. Quos enim amat Dominus, afflictionibus erudit & aduerſitatibus; & dum recipit in gratiam, inſtruit per diſciplinam. Vides, ait Chryſoſtomus, quomodo id, de quo agit, agitat? A rebus quæ ſunt in ſcripturâ, à verbis, à propriis notionibus, ab exemplis quæ ſunt in vitâ.

Chryſoſt. orat. 29.

In diſciplinâ perſeuerate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non

C corripit pater? Quòd ſi extrà diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis &c. Eidem inſiſtit propoſito, & eidem intendit exemplo. Suſtinete igitur, tanquam filij, & non tanquam rei, non tam ad pœnam quàm ad diſciplinam: ſic enim vos Deus caſtigat, dum vt amicos ſpectat filioſque, non vt ſeruos. Quis enim filius germanus, quem non arguit pater & corripit: ſi ergo vobis parcit Deus, aut ſi vos cenſetis ab admonitione paternâ, ſeu diuinâ correctione liberos; certè vos potius negligit, voſque inter adulterinos accenſetis ac ſpurios: quicumque

D enim legitimi ſunt, ſub curâ ac diſciplinâ paternâ ſunt poſiti. Deinde patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundùm voluntatem ſuam erudiebant nos; hic autem ad id, quòd vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius &c. Nempe patres habuimus carnales, qui quamuis increparent verbis, imò flagellis cæderent, parebamus tamen, & monita ſuſcipiebamus cum reuerentiâ: non multo magis nos ſubiiciemus Deo Patri ſpirituũ, & eius acquieſcemus

cemus beneplacito: rati castigationem eius ac disciplinam ad vitam spiritalem nobis profuturam? Et illi quidem ad paucos dies, prout illis visum, corripiebant nos, cedebántque ad arbitrium: Deus autem, ad id quod conducibile est, ad suscipiendam eius sanctimoniam. Deus namque, ait Athanasius, seu potius vulgarius, nobis vt conferat sanctificationem, castigationem inducit. Est igitur nihil aliud diuina hæc eruditio, nisi quædam sanctitatis participatio. Dum enim duriùs tractat, puriùs eliquat, meliusque recipiendæ aptat sanctimoniæ. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Propter quod, remissas manus, & soluta genua, erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur, &c. Et omnis quidem castigatio, puerilem animum, sensúmque imbecillem in præsenti contristat potius quàm lætificat: ipsa tamen postea exercitatis probatisque fructum affert dulcissimum, dum conscientiæ tranquillitatem, & sanctitatem profert animæ. Confortate igitur manus dissolutas, & genua debilia roborate: sic currite, sic facite, vt recti sint gressus pedibus vestris, & in bonam directi semitam: ne quis ex vobis claudicet, & à iusta aberret orbitâ: quin potius per susceptam sanetur disciplinam, confortentúrque. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum: contemplantes ne quis desit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. &c. Currite post pacem, currite post puritatem, & apprehendite: sine illâ enim, nemo rectè proximum diligit; sine istâ, nemo videbit Deum. Prospicite autem, & sedulam habetote curam, ne quis diuinâ destituatur beneficentiâ, curæque paternæ subtrahatur: ne quis emergat inter vos, qui fructum edat amarulentum, quo alios corrumpat, & tanquam maligno inficiat contagio. Ne quis fornicator, aut profanus vt Esaü: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset tam &c. Ne quis apud vos mœchus: ne quis prophanus, qualis Esaü: qui pro vno edulio, ius vendidit primogenituræ, naturæ munus parui pendidit. Scitis enim, benedictionem hæreditario iure consequi cupientem, repulsam passum à patre, nec sententiæ mutationem obtinuisse; quamuis gemeret, benedictionémque, tanquam primogenito debitam, dolens flénsque enixè reposceret.

Athanas. in Paulum.

Pœnitentiæ ratio, retractatio sententiæ.

Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant, quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus &c. Cur tanta nobis imponitur sobrietas, cur tanta castitas exigitur. Ratio est: quia non estis ex iis, qui ad radicem montis materialis, & ad ignem accessistis corporalem: non audistis clangorem tubarum, non vidistis tonitruorum turbinem, nec vocem excepistis verborum; quam qui audierunt, deprecati sunt; ne sibi amplius loqui pergeret Deus, aut alio modo sermonem seu legem traderet. Non enim seueritatem ferebant edicti, quo cautum erat, contactum montis, non homini solùm, sed vel ipsi pecudi, sub interminatione mortis vetitum: & si graue & durum illud verbum à Moyse prolatum: quàm terribile & importabile intonantis Dei iudicium? Adeò namque formidabile erat, quod apparebat, vt & ipse Moyses fremeret, annuerétque se pauere ac contremiscere. Ex quo apparet, ait Aquinas, quòd lex vetus, fuit lex timoris lex enim ipsa terribilis erat etiam perfectis, quia non dabat vt dictum est (Id est ex opere operato) gratiam, sed tantùm ostendebat culpam. Sic ergo Moyses ipse in legis datione territus fuit, ita vt diceret, vt dicit Apostolus hic, Exterritus sum, scilicet interius; Et tremebundus, scilicet exteriùs. Benè, vt hìc dicit Apostolus: id enim historia sacra non exprimit. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel &c. Non accessistis ad montem Sina, sed ad montem Sion, non materialem, sed spiritualem, id est, ad Ierusalem cælestem, quæ ciuitas Dei viuentis est; accessistis per fidem ad hilarem multorum millium Angelorum solemnitatem, ad celebrem conuentum eorum, quibus promissa sunt primogenita, & quorum nomina sunt in libro vitæ conscripta: per charitatem ad eum accessistis, qui iusto omnia dispensat iudicio, qui hæreditatem filiis seruat, iniquitatem damnat in impiis: societatem ac familiaritatem contraxistis cum animabus Sanctorum æternâ iam gloriâ fruentium. Denique cooptati & incorporati estis Christo Domino mediatori noui Testamenti, meliúsque loquenti quam Abel: huius enim sanguis effusus, vindictam clamat; illius autem sanguis aspersus, veniam impetrat & gratiam. Videte ne recuseris loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus. Cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel; & ego mouebo non solùm terram, sed & cælum. Quod autem, adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia &c. Cum ergo tanta nobis à Christo collata sit beneficentia, videte ne repellatis talia loquentem, & optima proponentem. Si enim illi commeritas non effugêre pœnas, qui recusauère Dei vocem audire, seu potius Angeli in terrâ, seu in Sinâ loquentis: multo minus nos iustum declinabimus supplicium, si legem Christi, nunc de cælo sua fundentis oracula, spreuerimus.

Aquin. lect. 4.

Quanta Christi sit & Abelis differentia.

Et vox quidem Christi, seu Angeli vicarij, tunc insolito pauore concussit terram; nunc autem per Prophetam repromittit, dicens, Adhuc vnum hoc reliquum est, vt non solùm terram, sed & cœlum, vltimo terrore ad aduentum meum extremum commoueam. Quod autem, Adhuc semel, dicit, apertè translationem seu commutationem mobilium ostendit, tanquam iam factorum, innuitque immobilia successura, in alium deinceps statum non permutanda. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam seruiamus, placentes Deo, cum metu & reuerentiâ. Etenim Deus noster ignis consumens est. Quid est illud quod est immobile & æternum? Non Moysi tabernaculum, sed regnum Christi. Cum igitur facti simus Christiani, magnum accepimus beneficium; simus ergo stabiles ac firmi, sicque Deum colamus, vt ei placeamus, timentes ipsum verentesque: nam, vt dictum à Moyse, Deus noster, ignis est exurens consumensque Deus námque hic noster, cum ignis sit subinde consumens, erit à nobis omninò verendus. Ità Commentarius Athanasij nomine editus.

Comment. Athanas.



EXPOSITIONES in Caput Duodecimum.



EIDEM exposuit, nunc exponit auctorem fidei, & exinde ad patientiam fideique constantiam Paulus Hebræos suos impellit.

EXPOSITIO I.

De Auctore fidei.

TRansilit Antiquos iustos, transcenditque vsque ad Christum ipsum, tanquam iustitiæ omnis, sicut & omnis gratiæ principium. Quid verò? (ait Chrysostomus) Alius non vocatus fuit Iesus? Sed iste propterea vocatus est in figurâ. Nam dicebatur etiam Auses: propterea mutatum fuit nomen, prædictio enim erat & prophetia. Ipse populum introduxit in promissionem, sicut Iesus in cœlum: non Lex, sicut nec Moyses, sed mansit extrà. Non potest Lex introducere, sed gratia. Illis igitur omissis, principium petit, recurritque ad Christum, tanquam ad viæ ducem, & auctorem gratiæ. Ideóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Non solùm nobis incedendum est, sed & currendum. Sicut autem in cursu, ait Aquinas, & certamine, oportet omnia aggrauantia deponere, ita & in agone tribulationis. 2. Timoth. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui. Tribulatio enim est quasi quidam agon. 1. Corinth. 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Qui ergo in tribulatione vult benè ad Deum currere, oportet impedimenta deponere. Ista impedimenta vocauit ipse Apostolus pondus, & circumstans peccatum. Per pondus autem potest intelligi peccatum perpetratum, quod dicitur pondus, quia animam deprimit ad infima, & inclinat ad aliud. Psalm. 32. Sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Per circumstans peccatum, potest intelligi occasio peccandi, quæ quidem est in omni quod circumstat, scilicet in mundo, carne, Dæmone. Vel pondus, affectio terrena; per circumstans autem peccatum, affectio carnalis, quæ scilicet causatur in nobis à carne circumstante. Quasi dicat: Deponatis affectionem tam temporalium, quàm carnalium, si vultis liberè currere. Videtis antiquos omnes fideles & sanctos, nubes sunt volantes, propter conuersationis sublimitatem; testes sunt irrefragabiles, propter veritatis attestatæ, verbisque ac factis probatæ confirmationem. Imò numerosa illa tot sanctorum turba, vna nubes est testium, quæ nobis circumfusa est ac circumposita. Quocumque oculos obuertas, non tam viros notas quàm stimulos, qui pungant animum, & ad cursum acuant absoluendum. Currendum itaque, & ideò reiiciendum quicquid obstare potest & implicare. Denique si tot exempla non sufficiunt, aut ad animum faciendum sunt minus idonea: Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum. Hoc summum, sicut & præcipuum. Consolationis, ait Chrysostomus, & exhortationis caput, quod est primum & vltimum, ponit Christum. Sed tria sunt exponenda. Primum est, quomodo Christus fidei auctor sit & consummator: secundò, quodnam gaudium illi propositum: tertiò quod exemplum inde desumendum.

Aquin. lect. 1.

Sarcina cursori omni, sicut & luctatori importuna.

Chrysost. orat. 28.

Chrysost. orat. 27.

Quoad primum. Iesum Paulus vocat fidei auctorem, Græcè ἀρχηγὸν, ducem ac Principem, ideóque vt primum proponit: vocat & consummatorem, ideóque adducit vltimum. Grande nobis certamen proponitur, idcircò dux quæritur, qui non solùm verbo præluceat doctrinæ, sed & exemplo præeat patientiæ. Apostolica lectio, ait Augustinus, auribus nostris insonuit, & quantum optatum est cordibus nostris, inseri: hortabatur quippe nos cum patientiâ ad promissum nobis prœmium agonis: in quâ parte, fateor, pusillanimitatis meæ animum valdè permouit. Quis enim potest cum patientiâ currere. Solet in agone grande esse certamen, studet vnusquisque ab alio non vinci. Quomodo ergo patiens erit, qui superare contendit? Si lentus est, vincitur; si currit, certat, sudat, dimicat. Quam patientiam seruat, nisi quia fortè certamen hoc nostrum, non est corporis, sed animi? Currere nostrum non est loci, sed mentis. Cursus pedum non est, sed animorum. Superius quippe ostendit beatus Apostolus, ad quale nos certamen prouocauerit. Enumerat enim omnium sanctorum certamina nominatim, & cum turbam sanctorum enumerasset, ait: Tantam habentes & nos nubem testium. Si testes sunt, obscuri non sunt. Quomodo ergo nubes sunt? Non obscuritate, sed celsitudine. De his enim loquebatur, qui iam cum Deo requiescebant, & desuper nos in terrâ abscondebant. Et quis numeret tantam nubem testium? Sed si omnes illi testes sunt, non tamen iudices; fidei quidem professores, non tamen auctores, nec consummatores: & si possunt

Augustin. serm 97. de diuers. c. 1.

Augustin. cap. 1.

possunt exemplum patientiæ suggerere, non tamen possunt gratiæ subsidium impendere: possunt quidem acuere negligentiam nostram, & socordiam pungere, non tamen possunt sarcinam onerantem ac prægrauantem excutere. Idcircò, ducem quærimus, qui nos non solùm verborum & exemplorum suorum stimulet censurâ, sed & sarcinâ peccatorum nostrorum exoneret. Quomodo currimus, (verba Augustini) qui onerati sumus? Grauant nos pondera. Nam nemo currit onustus, dum vix cum sudore perueniat leuis. Quod ergo consilium oneratis? Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Volumus ô Domine, volumus, & non possumus: aut fortè nec volumus, & premente sarcinâ grauamur, & nolumus. Adiuua nos, & miserere nostri. Propter hoc onus, imploremus Dei auxilium, & audiamus Pauli consilium. Dum nobis ostenderet tantam nubem testium: vidit onus & pressuram nostram: præstitit consilium debilibus & infirmis & grauatis, & ait: Exponentes omne onus. Et vt ostenderet quid sit onus, secutus adiunxit: Et agile peccatum. Surgit subitò in cogitatione, facit delectationem, mox trahit mentem. O agilitas! Expone peccatum, suggestionem, delectationem. Sed vt hoc facere possis, implora eum sine quo nihil facere potes. Dicens enim Paulus multiplicem nubem testium obtulit solem, per quem videre debeamus. Ait enim tanquam in tenebris constitutis: Respicientes ad principem fidei, & perfectorem Iesum. Si ipse princeps, ipse perfectio: verum est, quia sine ipso nihil possumus facere. Quærimus ducem idoneum, & principem Iesum aspicimus, auctorem fidei consummatorémque. In bonis quippe operibus, vti dixit Hieronymus, perfector est Deus: non enim volentis, neque currentis, sed miserentis. Ab ipso fides incipit, in ipsum desinit; ipso nititur vt fundamento, ipso pascitur vt præmio. Iesum, ait Athanasius, haud secus spectemus, vt solent qui opificij alicuius fieri volunt peritiores: opificem ipsum vel operantem attentiùs intuentur. Quod profectò, & Iesus dicebat Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Auctor igitur & consummator ideò dicitur: quia vt à principio nobis fidem ipse ingessit, ita & finem est ipse impositurus. Principium dedit, finem dabit.

Augustin. cap. 4.

Christus non solùm prouocat nos, sed & exonerat.

Hieronym. lib. 2. aduers. Iou. cir. med.

Athanas. in Paulum.

Quoad secundum. Christum aspicimus, sed cur aspicimus? An vt miremur triumphantem? imò vt certantem imitemur; vt curramus, & per cursum perueniamus ad brauium. Quid autem fecit, ait Augustinus, quod nos imitari debeamus? Nunquid quòd Deus est? Nunquid quod Patri æqualis est? Nunquid quòd creator cœli & terræ est? Quis hoc imitetur? O homo, quando creatura æquabitur creatori? Noli superbè sapere, audi quid debeas imitari: Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. Quid est, pro proposito sibi gaudio? Hoc est, vt exponit Chrysostomus, licebat ei nihil pati si voluisset. Neque enim peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: sicut ipse quoque dicit in Euangelio, venit mundi Princeps, & in me non habet quidquam. Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem. Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus accipiendi eam. Si

Augustin. serm. 97 de diuers. c. 5.

Chrysost. orat. 28.

A ergo qui minimè necesse habebat crucifigi, propter nos fuit crucifixus: quanto magis par est, vt nos omnia fortiter feramus? Qui pro proposito, inquit, sibi gaudio sustinuit mortem probro contempto. Probrosam, inquit, elegit mortem. Esto enim, inquit, est mortuus: cur ignominiosè? Sunt ergo tria consideranda, quæ & patientiam Christi commendant, & ignauiam suggillant Christiani. Primum est, quod potuit Christus nos aliter redimere, quàm per humanitatem miseram, seu passionibus ac doloribus obnoxiam, potuit enim sumere naturam immortalem, carnem gloriosam, humanitatem, non immortalitate

Tria consideranda sunt in Christo crucifixo.

B tantùm, sed & felicitate, saltem gaudiis humanis, innocentiæ suis congruis cumulatam. Potuit equidem, sed noluit. Alterum, assumptâ humanitate mortali, dolorique expositâ, potuit eam cursu mortalitatis absumere, non autem impetu mortis per apertam violentiam extinguere. Potuit, & tamen noluit. Tertium denique potuit humanitatem suam per mortem violentam impendere, non tamen per immanitatem, ne dicam per inhumanitatem, tam atrocem quàm & confusibilem, tam cruentam; quàm & ignominiosam. Potuit, sed mortem elegit, & mortem crucis. Pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem. Adeò infamem? Con-

C fusione contemptâ. Indignissimum mortis genus, nedum acerbissimum: sed qui regali throno extolli potuit, seruili mori voluit supplicio: qui in deliciis regnare potuit, voluit in tormentis expirare. Tantum in eo supplicium, in quo nullum est peccatum! Non dico iam excedere per mortem violentam, sed crucem tantâ indignam maiestate, tantâ sanctitate, vt culpæ, non naturæ debitam sustineret? Opus mortis, ait Tertullianus, separationem carnis animæque, bifariam distinxit humanus affectus: in ordinariam, & extraordinariam: ordinariam quidem, naturæ deputans, placidæ cuiusque mortis: extraordinariam verò, præter naturam

Tertullian. lib. de Anim. cap. 52.

D iudicans, violenti cuiusque finis. Qui autem primordia hominis nouimus, audenter pronuntiamus, mortem non ex naturâ secutam hominem, sed ex culpâ, ne ipsâ quidem naturali. Facilè autem vsurpati naturæ nomen in eâ quæ videntur à natiuitate ex accidenti adhæsisse. Proinde, etsi varij exitus mortis, vt est multimoda conditio causarum, nullum ita dicimus lenem, vt non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid igitur illa quæ violat auctoritatem instituti, per atrocitatem supplicij? quæ vitam humanam, non tam terminat annis, quàm tormentis exterminat? quæ sine vllo iure venit, cùm nulla

E sit culpâ, toto nihilominus furore, tantâ scilicet contumeliâ, quantâ & sæuitiâ, hominem perimit immerentem?

Quoad tertium. Ratione dicti Paulus aperit, proponitque imitationem supplicij. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem; vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersùs peccatum repugnantes. Christus pro nobis passus, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, vt passionem imitemur & mortem: patibulum enim patientis, docen-

tis est pulpitum. Quid ergo cogitandum? Tria (ait Aquinas) Scilicet, genus passionis. Vnde, Sustinuit contradictionem, id est, afflictionem. Psalm 17. Eripies me de contradictionibus populi. Et, Contradictionem talem: id est, tam grauem & ignominiosam. Thren. Attendite, & videte. si est dolor sicut dolor meus. Secundò, à quibus passus est, quia, A peccatoribus: pro quibus scilicet patiebatur. Tertiò, persona patientis. Antè passionem enim, ab origine mundi, passus est in membris suis, sed tunc in propriâ personâ. Vnde dicit, Aduersùs semetipsum. Psal. 68. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Nihil non toleratur per patientiam, cum passio Christi reuocatur in memoriam. Et id prætendit Apostolus, cum addit: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis. Rapinam bonorum vestrorum sustinuistis, nondum tamen violentiam tormentorum: perdidistis substantiam, nondum vitam posuistis: & si quis posuit, quis tantum, quantum Christus pertulit? Quis tantum sustinuit, in agone certans pro iustitiâ, in cruce pugnans pro victoriâ? Sed quia humanus animus adm dum infirmus est, Apostolus dum ad cursum accendit, non solum exemplum proponit, sed & præmium præstituit. Atque in dexterâ sedis Dei sedet. Seu, vt ex Græco, Sedit. Sed nihil differt, aut refert: sedit enim, & sedet, sedebitque in æternum. Vides, ait Chrysostomus, præmium certaminis, quod Paulus quoque scribens, dicit: propter quod & Deus illum superexaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Atque maximè quidem, etiamsi nullum esset propositum præmium certaminis, sufficeret exemplum ad persuadendum vt omnia nostra sponte sustineremus. Nunc autem nobis etiam proponuntur præmia, non qualibet, sed magna & ineffabilia. Quamobrem nos quoque cum aliquid tale passi fuerimus, antè Apostolos Christum cogitemus, quòd tota eius vita plena fuit contumeliis. Semper enim malè audiebat, vt qui vocaretur seductor & præstigiator. Et hæc ab illis audiebat, cum eos beneficiis afficeret, miracula faceret, Dei opera ostenderet. Nam siquidem nihil faciens hæc audiret, nihil esset adeò mirum. Quid autem, cum docens quæ pertinent ad veritatem, audiebat se vocari seductorem: & Dæmones eiiciens, audiebat se probro apperi quòd haberet Dæmonem? Propter hæc omnia dicit Apostolus, Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ: atque in dexterâ sedis Dei sedit. Non igitur cogitandum duntaxat, sed & recogitandum: animis, studiisque concertandum. Exemplum quidem reuoluendum est, sed & præmium coniungendum. Magna pertulit Iesus, sed maiora promisit sectatoribus, imitatoribúsve. Proinde vos, benedicti, (ita Tertullianus, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes Deus viuus est: Xystarches, Spiritus sanctus: corona, æternitas: brauium, Angelicæ substantiæ, politia in cœlis, gloria in secula seculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus, qui vos Spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit. Non solùm vt iuuet, sed & coronet.

Aquin. lect. 1.

Nihil non per patientiam toleratur, cum passio reuocatur in memoriam.

Chrysost. orat. 28.

Tertullian. lib ad Marty. cap 3.

EXPOSITIO II.

De correptione Domini.

PRæcedunt exempla è sanctis collecta, documenta succedunt è scripturis assumpta. Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplinâ perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extrà disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri estis, & non filij. In quibus tria sunt exponenda. Primum est, Quidnam sit disciplina Dominica, an idem quod flagellum correptionis: alterum, quale sit argumentum consolationis: tertium, quàm insigne filiationis indicium?

Quoad primum. Disciplina quidem à discendo deducta est, & inde disciplina, pro scientiâ pueris, seu discipulis tradita. Ita disciplina disputandi, ac ratiocinandi: &, vt à primâ incipiam. Grammatica, vti definit Augustinus, vocis est articulatæ custos, & moderatrix disciplina. Quid enim Grammatica? nonne si vera est, eo vera est quo disciplina est. Disciplina quippe à discendo dicta est. Cum ait illam à discendo deductam, mala excludit & falsa, necnon fabulosa. quæ mendacia sunt, vanitati, non veritati composita; ideóque non tam addiscenda, quàm fugienda: cum nec benè discantur, nisi vt cautè fugiantur. Ita respondente Euodio, bonam esse disciplinam, seu aliquid boni: Benè, sanè, ait, siquidem scientia per illam datur aut excitatur, nec quisquam nisi per disciplinam aliquid discit: an tu aliter putas? Ego, (respondet ille) per disciplinam non nisi bona dici arbitror. Vide ergo, (concludit Augustinus) ne non discantur mala: aut si discuntur mala, vitanda non facienda discuntur: ex quo male facere nihil est, nisi à disciplinâ deuiare. Ita & ille agens de disciplinâ Christianâ: propter hoc, inquit, discitur benè viuere, vt perueniatur ad semper viuere. In hoc vera disciplina constituta est, sicut & vera vita: & illa disciplina erat in statu innocentiæ, quia non est, à conditione felicitatis aliena. Nunc verò quia tam ægrè peruenimus ad scientiam, quàm facilè visorum vel scitorum amittimus memoriam; quia iam vrgendi sunt pueri; nec tam per verba quàm per verbera compellendi: idcircò nunc disciplina pro flagellatione seu castigatione sumitur, nec tam scientia iam concipitur rei delectabilis, quàm supplicij pœnalis experientia. Scientia, ait Augustinus, disciplina est; ad hoc enim quæque res discitur, vt sciatur. Quamuis aliâ notione, in iis quæ pro peccatis suis mala vnusquisque patitur, vt corrigatur, dici soleat disciplina. Vnde illud est in epistolâ ad Hebræos: Quis est enim filius, cui non det disciplinam

Augustin. lib. 2. Soliloq. cap. 11.

Augustin. lib. 1. de lib. arbit. cap 2.

Augustin. Tract. de discip. Christ. cap. 1.

Augustin. lib. 14. de Trinit. c. 1.

plinam pater eius? Et illud euidentius in eadem: omnis enim ad tempus disciplina non gaudij videtur esse, sed tristitiæ: postea verò fructum pacificum iis qui per eam certarunt reddet iustitiæ. Ita Psaltes: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Nempe; vt obseruauit Augustinus: Addit & eruditionem: vel, sicut plures codices habent, disciplinam. Sed disciplinam quam Græci appellant παιδείαν, ibi scripturæ nostræ ponere consueuerunt: vbi intelligenda est per molestias eruditio: secundùm illud, Quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hæc autem apud Ecclesiasticas literas dici assolet disciplina, interpretata de Græco, vbi legitur παιδεία. Hoc enim verbum in Græco positum est in Epistolâ ad Hebræos, vbi Latinus Interpres ait: omnis enim disciplina ad præsens non gaudij videtur esse. Itaque disciplina quæ significat emendatoriam tribulationem, accipiendo discitur: id est, non audiendo vel legendo vel cogitando, sed experiendo. Est igitur disciplina, institutio austera, seu dura tractatio, in quâ pietas præsit, nec desit seueritas. Est enim disciplina, (vt decernit Ambrosius) vel correptio seuerior, est etiam moderatior. Moderatior, de quâ dicit Dominus: Corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Est seuerior, quæ est in irâ & furore correptio. Vndè Dauid refugiens eam correptionem, dicit: Domine, ne in irâ tuâ arguas me, neque in furore tuo corripias me. Et Hieremias, Corripe nos Domine in iudicio non in furore. Vna quidem Patris est, altera iudicis: vna ad emendationem, altera ad damnationem: & ista quidem legitima pœna, illa disciplina paterna; quæ dum corripit, corrigit; dum flagellat, emendat. Et hæc propriè in statu culpæ, qui status ignorantiæ & pœnalitatis, qualis puerorum est, castigatione ac flagellatione, vitiis expungendis egentium.

Augustin. con. 17. in Psalm. 118. post init.

Disciplina olim à discendo, nunc à patiendo dicta est.

Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. oct. 10.

Quoad secundum. Exhortatur quidem Paulus, sed simul & consolatur. Et obliti estis consolationis. Græcè παρακλήσεως. Quod licet ad exhortationem trahi possit, verbis tamen subiunctis consolationem imprimit; vobis tanquam filiis loquitur: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Verba sunt ex prouerbiis seu parabolis Salomonis desumpta: vbi nos habemus. Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Modica differentia verborum, nulla sensuum. Quem enim diligit Dominus, corripit, sed amore paterno, non iuridico more, qui non tam complacentiæ est, quàm iustitiæ; nec tam clementiæ, quàm sæuitiæ. Sed Paulus dum alloquitur Hebræos, versionem Septuaginta Interpretum sequitur apud ipsos receptam, vsitatámque. Quale igitur consolationis argumentum? Quale & diuinæ dilectionis, seu paternæ directionis, optandæ testimonium clementiæ. Afflicti estis, sed non derelicti: sic tamen agitis, quasi sitis obliti consolationis, quam Deus per Scripturam sacram vobis suggerit, vtilitatisque quam vobis promittit. Est

Prouerb. cap. 3.

A hæc peruersitas hominum, ait Tertullianus, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quærere, medica malè vitare: mori denique citiùs quàm curari desiderare. Nam & medicinæ præsidium plures refugiunt: plures enim stulti, plures timidi, & malè verecundi. Et est planè quasi sæuitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio: non tamen secari, & inuri, & extendi, idcircò malum, quia dolores vtiles affert: nec quia tantummodò contristat, recusabitur; sed quia necessariè contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Licebit & Deo in vitam æternam per ignes & gladios & acerba quæque curare;
B vitam auferendo conferre, carnem lædendo iuuare, animam eripiendo seruare. Peruersitas quam putas, ratio est: quod sæuitiam existimas, gratia est: ita Deo de momentaneis æterna medicante. Magnifica bono tuo Deum terrum: incidisti in manus eius, feliciter incidisti: incidit & ille in ægritudines tuas. Scit ille quibus vstionibus, quibus sectionibus curandus sis; tolera dolorem medicinalem: horrorem puta, sed salutarem. Turbaris ex sensu cruciatæ carnis, quidni releuaris recrearisque ex affectu diuinæ bonitatis? Vide bonitatem Domini, (ait Ambrosius.) Non est bonitas ista vulgaris, sed quæ semper disciplinæ expectet pro-
C fectum. Ideóque qui intelligit altam Dei esse bonitatem, doceri desiderat etiam disciplinam. Nam plerique auertuntur à studio disciplinæ, dum eam seueram & tristem arbitrantur: sed perspicacior sensu intelligit quòd disciplina si tristis ad tempus sit, posterioribus fiat iucunda temporibus. Omnis quippe disciplina, etsi ad tempus habeat amaritudinem, habeat perturbationem, postea tamen pacificos fructus generare consueuit. Dolor est, sed vtilis, sicut & labor salutaris: pœna, sed iusta; medicina, sed necessaria; disciplina, sed paterna; in quâ magnum solatium est, castigari, sed ad vtilitatem; secari, sed ad sanitatem: ita supplicium, reme-
D dium est; & augmentum tribulationis, consolationis argumentum.

Tertullian. lib. de Scorp. cap. 5.

Augmentum tribulationis, consolationis argumentum.

Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. oct. 10.

Quoad tertium. Non solùm in disciplinâ non deficiendum, sed & in eâ persistendum. In disciplinâ perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri & non filij estis. Itaque sicut corripi & affligi, consolationis argumentum est, sic & filiationis indicium. Nam hoc quoque est non paruum ad consolationem, vt loquitur Chrysostomus, cum didicerimus quòd Dei est opus. Vnde ergo
E existimabant se esse derelictos, dicit se ex his credere quòd non sint derelicti. Quasi diceret, Quoniam tam multa passi estis, existimatis quòd Deus vos dimiserit & oderit. Sed si non passi essetis, tunc oporteret hoc suspicari. Nam si flagellat omnem filium quem recipit, qui non flagellatur, fortassè non est filius. Mali enim dum malè patiuntur, scelerum suorum dant pœnas; & non flagellantur tanquam filij, sed puniuntur vt scelerati. Vos autem tanquam filij. Quod si extra disciplinam estis, ergo adulterini & filij estis. Vides quod dicit id quod dicebam? Quòd non possit esse filius qui non castigatur. Nam quomodo in familiis adulterinos filios

Chrysost. orat. 29.

Mali torquētur vt rei, boni exercentur vt filij.

filios despiciunt Patres, etiamsi nihil discant, etiamsi non sint gloriâ insignes: de legitimis autem filiis timent, ne se dedant otio & socordiæ. Si est ergo adulterinorum non erudiri, gaudere oportet ob disciplinam, siquidem ea adhibetur in germanis & legitimis filiis. Affliguntur mali, affliguntur & boni: sed illis se Deus offert in vindicem, pœnam in reos exercentis; istis se offert in Patrem, disciplinam in filios conferentis. Communia, ait Tertullianus, voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis, vt pari consortio omnes & lenitatem eius & seueritatem experiremur. Et sequitur, vt omnes seculi plagæ nobis, si fortè in admonitionem, aliis in castigationem à Deo obueniant. Admonemur, non verbis tantùm, sed & verberibus; sed per disciplinam, exercemur ad iustitiam. Plebs enim sine disciplinâ, vt dixit ille apud Augustinum, quæ cum disciplinæ exercitationibus non seruit, communi se perditionis laqueo constringit: iram enim Domini absque disciplinæ rigore non euadit. Atque idcircò Psalmistæ vocibus indisciplinatæ plebi prædicatur, Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus. Disciplina verò est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium regularum obseruatio: de quâ disciplinâ Paulus Apostolus ita loquitur, dicēs, In disciplinâ perseuerate, tanquā filiis vobis offert se Deus. Quòd si extrà disciplinā estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Qui ergo adulteri & sine disciplinâ sunt, cœlestis regni hæreditatem non capiunt: si autem paternæ disciplinæ correctionem ferunt, & hæreditatem quandoque recipere posse non desperent. Torquentur igitur impij per pœnam, vt lugubri luant supplicio: exercentur pij per disciplinam, vt salubri medicamento, acri quidem & insuaui, sed tam necessario quàm & iusto proficiant. Itaque tam humiliter correptionem Domini ferant quàm & patienter, & auctorem fidei incunctanter respiciant. Tota quippe, vti dixit Leo, Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantiâ verbi, non in astutiâ disputandi, sed in verâ & voluntariâ humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit.

Tertullian. cap. 41 Apolog.

Tract. de 12. abusi. cap. 11. Tom. 9.

Leo serm. 7. de Epiph. vlt. med.

EXPOSITIO III.

De disparitate flagelli.

CAstigantur homines ab hominibus, castigantur & à Deo flagellantúrque: nec serui tantùm, sed & filij; vt qui non solùm supplices iudicibus sistantur, sed & patribus. Verùm tria sunt, quæ dum pœnæ diuersitatem demonstrant, dignitatem Dominicę commendant disciplinæ.

Primum est. Quòd homines sint quidem patres, sed carnis: id est, vix sint patres, cum deterioris partis satores. Deinde Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Num multo magis obtemperabimus Patri spirituū & viuemus? Redit Paulus, vel insistit ardentiùs. Quid dico de paternâ disciplinâ? parentes quidem, corporum progenitores sunt, non tamen creatores animarum: sunt infimæ partis, seu carnis nostræ per quam pecudes sumus, ideóque non tam patres quàm satores. Sic illa fœmina, repleta sapientiâ: Nescio, inquit, qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordiâ reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius. Non sine causa; fœmina illa dicitur, Repleta sapientiâ. Quæ sciret quæstionem esse difficilem, ideóque solutionem in diuinam refunderet potentiam. Nouimus, ait Augustinus, Machabæorum iuuenum matrem, fœcundiorem virtutibus quando filij passi sunt, quàm fœtibus quando nati sunt. Illa cum sciret de viro se filios concepisse, & à creatore omnium siue secundùm corpus, siue secundum animam & spiritum sibi creatos esse, ait tamen, Nescio quomodo paruistis in ventrem meum. Hæc vtique sciebat, quomodo secundum corpus in eius vterum venerint, quia de viro eos se concepisse dubitare non poterat. Confitebatur etiam, quia & hoc vtique sciebat, quòd Deus illis animam & spiritum dederit, quod ipse illis vultus & membra formauerit. Quid ergo nesciebat? An fortassè quod nescimus & nos, vtrum animam & spiritum, quem Deus illis sine dubio dedit, de parentibus traxerit, an nouum sicut homini primo insufflauerit: Sed siue hoc, siue aliud aliquid de naturæ humanæ institutione nesciebat, nescire se dicebat; non quod nesciebat, temerè defendebat. Quo ergo modo, vtrum illo an isto in eius ventrem venerint filij, nesciebat: & illud tamen sciebat, totum quod dedit, redditurum esse eum qui dedit. Deus equidem, omnium creator est ac donator, tam corporum, quàm & animarū: tamen cum Paulus ex æquo discriminat carnem & spiritum, carnémque homini, & spiritum assignat Deo, indicat, Deum solum auctorem esse creatorémque animarum. Nam, vt obseruauit Athanasius, vt carnis genitores seiungeret, Spirituum Patri subiunxit: vel potestatum quæ corpore carent, vel quod proprius est, animarum. Hæc ergo vis argumenti. Reuerentiam exhibuimus patribus carnalibus & obedientiam, quamuis ipsi solum animæ nostræ folliculum genuerint, quamuis duriùs aliquando & inclementiùs suum erga nos exercuerint imperium: & benè fecimus, dum imposito satisfecimus officio. Sed si tales fuimus erga genitores carnis, quales esse debemus erga Deū Patrem animæ nostræ? Nam si sic summissi & morigeri hominibus, vt vitam proueheremus humanam ac carnalem; quanto magis subiici debemus Deo, vt vitam hauriamus nutriamusque diuinam ac spiritalem? Si patrem carnales illi reuerentur, quomodo patrem cœlestem non reuerebimini? Ita Chrysostomus in Paulum, seu Paulus per Chrysostomum.

2. Machab. cap. 7.

Augustin. lib. 1. de an. & eius orig. cap. 15.

Deus omnium auctor sed non eodem modo.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. orat. 29.

Alterum est, quòd Patres non solùm carnales, sed & temporales sint. Et illi quidem in tempore paucorum dierum. Nam, vt notat Aquinas:

(Aquin. lect. 2.) Aquinas: Finis humanæ correctionis, est ali- A quid transitorium: est enim ad benè conuersandum in hac vitâ, quæ est paucorum dierum. Quantum est imperium patris carnalis: imò quantulum, quod momentaneum est, & ideò fere nullum? Sed quantus ille, & quàm verendus, cuius auctoritas limite non comprehenditur; cuius potestas nec morte finitur? Quòd si ipsius longanimitate abutamur, ait Chrysostomus, (Chrysost. Hom. 9. in cap. 4. ep. 2. ad Corinth.) erit tempus, cum iam ne tantillum quidem temporis longanimitatem adhibebit, verùm statim supplicia inferet. Quæ cum ita sint, prouideamus, ne dum ad vnicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) deliciis indulgere volumus, infinitorum seculorum pœnam B nobis accersamus: verùm ad momentum potius laboremus, vt perpetuis coronis cingamur. An non cernitis in huiusce quoque vitæ negotiis bonam hominum partem eodem modo facere, & breuem laborem diuturnæ quietis causâ suscipere: tametsi etiam sæpè contra res eueniat ac sibi proponunt. Hîc enim laborum ac quæstûs æqua est portio. Imò etiam plerumque contra vsu venit, vt infinitus sit labor, fructus verò tenuis, ac sæpè ne tenuis quidem. At verò cum de cœlesti regno agitur, contraria est ratio. Paruum enim laborem magna atque infinita iucunditas excipit. (Spatium humanæ vitæ momentaneum.) Ecquam ergo, te rogo, excusationem habituri sumus, qui cum in rebus fluxis & caducis C ea quæ cum labore coniuncta sunt, præferimus, vt parumper conquiescamus, vel ne parumper quidem (dubia quippe hæc spes est) in spiritualibus contrario omninò modo faciamus, ac propter exiguam ignauiam, eiusmodi, qui nullis verbis explicari possunt, cruciatus nobis attrahamus. Mouet ista ratio, vrgétque: parentes habuimus carnales, & illis affectum impendimus obsequium. Quâ de causâ? vt temporalem obtineremus quietem: vel transeuntem, imò prætervolantem effugeremus indignationem. Quanto igitur animo alacriori, & ardentiori studio, Patri cœlesti acquiescendum est, cum apud illos caduca & momentanea sint omnia; D apud Deum, omnia sint æterna? Cuius iudicium, ait Tertullianus, (Tertullian. lib. de patient. cap. 4) in suos, non in compede aut pileo, sed in æternitate pœnæ, aut salutis. Cuius seueritati declinandæ, vel liberalitati inuitandæ, tantâ obsequij diligentiâ opus est, quanta sunt ista quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur. Imperat homo, castigat homo, sed in tempore paucorum dierum: modicam enim auctoritatem habet adulto filio, & extincto nullam prorsus retinet. At verò Deus, cuius imperium tam æternum quàm immensum est, potestatem non amittit per mortem, sed supplicium, sicut & præmium in æternum & vltra protendit. Magna enim profectò sunt ea, (ait Gregorius) E (Gregorius Nazian. orat. 10. vers fin.) quæ postea sequuntur: ac spes meritum nostrum & dignitatem excedit. Quid ad res in se positas elanguesco? Quid temporalis fio? Non nos ipsos nôscemus? Non ea, quæ oculis cernuntur, abiiciemus? Non ad ea, quæ mente & intelligentiâ comprehenduntur, oculos conuertemus? Non, si quid etiam mœroris concipiendum est, idcircò potiùs mœrorem suscipiemus, quòd, vt homines, peccati morte moriamur, cum Dij facti simus? Hic me timor exagitat, hic dies noctésque mecum versatur: nec me libe-

rum spiritum ducere sinunt, hinc futura gloria, hinc futurum tribunal: ex quibus illam quidem adeò appeto, vt dicere possim, Deficit in salutare tuum anima mea: hoc autem horreo & auersor. Sicut enim æterna remuneratio est, sic & combustio sempiterna.

Tertium, quòd nos quidem erudierint correxerintque: sed, Secundùm voluntatem suam erudiebant nos. Ad arbitrium suum, & iuxtà genium, ne dicam impetum corripiebant nos: non quod honestum iustumve consulentes, sed sensum suum sequentes. Hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Deus verò tantâ sapientiâ procedit quantâ & iustitiâ; tantâ punit pietate, quantâ & æquitate: tam pius nemo, tam pater nemo. Cum enim castigat, dum purgat, aptat nos, præstátque idoneos ad capiendam sanctitatem, puritatémque promouendam. Non solùm igitur ex personis differentia est, ait Chrysostomus, (Chrysost. orat. 29.) sed & ab ipsâ causâ, & ex re ipsâ. Non enim propter eadem & hic & illi erudiunt: sed illi quidem prout eis videtur: hoc est, sæpè implentes voluptatem, non semper spectantes id quod est conducibile. Hîc autem non potest hoc dici. Non enim hoc facit propter aliquod suum, sed propter nos, & propter nostram solam vtilitatem. (Deus castigat, vt homines faciat bonorum suorum capaces.) Erudit, omnia facit, non vt accipiat, sed vt det: omne studium confert, vt reddamur suorum bonorum capaces. Quid est enim, Ad participandam sanctitatem eius? Hoc est puritatem, vt pro viribus simus eo digni. Studium ponit vt accipiatis, & omnia facit vt det vobis: hoc est sincera dilectio, & verè dilectio. Certum quidem, vt docet Gregorius Nazianzenus, (Gregorius Nazianzen. orat. 2. . circ. med.) Neminem nostrûm sibi soli natum esse, sed omnibus etiam, qui eiusdem naturæ participes sunt, atque ab eodem, & ab eadem procreati sunt. Vnusquisque tamen propriæ studet vtilitati, imò propriæ necessitati: Deus autem qui nullius eget, ad hoc laborat, vt homines bonorum suorum compotes reddat, & naturæ suæ consortes. Est ergo disciplina participatio sanctitatis? Maximè (ait Chrysostomus.) (Chrysost. in Mor.) Nam cum expellit socordiam, cum malam cupiditatem, cum amorem rerum quæ ad hanc vitam pertinent, cum conuertit animam, cum efficit vt cuncta quæ hic sunt damnemus, hoc enim est afflictio, an non sit sancta? An non attrahit gratiam spiritûs? Hoc igitur argumentum validissimum est: Si enim libenter fideliterque obtemperauimus iis, qui nobis aliquando dura imperabant, suáque potius quàm nostra spectabant commoda: cur non humiliter deferemus, cur non simpliciter acquiescemus diuino beneplacito: nec in prosperis solùm, sed & in aduersis? cum diuinæ acquiescere voluntati, sit propriæ consulere sanctitati. Ita, vt aduertit Tertullianus, (Tertullian. lib. de orat. cap. 4.) Dicentes, Fiat voluntas tua, vel ex eo nobis benè optamus, quòd nihil mali sit in Dei voluntate, etiam si quid pro meritis cuiusque secùs irrogatur. Licet enim id appareat insuaue, constat tamen tam vtile esse quàm salutare. Qui amara bibunt, medicamenta ait Chrysostomus, (Chrysost. orat. 30.) priùs quidem quoddam ferunt tædium & molestiâ, & tunc sentiunt vtilitatem. Omnis quidem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris. Rectè dixit, Non

videtur,ſed non eſt:quis enim mœror, aut quæ triſtitia parit gaudium? Poſtea,inquit , fructus pacatiſſimos reddit exercitatis.Bono verbo vſus eſt:diſciplina enim eſt exercitatio. Nec mireris ſi cum ſit dura , fructus habeat dulces. Nam etiam in arboribus cortex quidem eſt aſper, fructus autem ſunt dulces. Inde igitur ſtimulum imprimit Paulus,ſubrigitque animum,decerptis ex ſcripturâ diuinâ ſententiis.Propter quod remiſſas,manus,& ſoluta genua erigite:& greſſus rectos facite pedibus veſtris,vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.

EXPOSITIO IV.

De reprobatione primogeniti.

HÆreditas temporalis debita eſt primogenito , hæreditas ſpiritalis promiſſa eſt Chriſtiano; dũmodo ille non excidat à iure, & iſte iuſtè viuat & innoxiè. Pacem ſequimini cum omnibus,& ſanctimoniam,ſine quâ nemo videbit Deum.Ne quis fornicator,aut profanus vt Eſaü:qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua.Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem , reprobatus eſt non enim inuenit pœnitentiæ locum,quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Iam ſenſum dedimus verè germanum : alium dabimus minimè alienum. Primò ergo dicemus , quid fuerit Eſaü : ſecundò , quid vendiderit : tertiò, quàm iuſtè exciderit.

Quoad primum. Cum ſic incipit Paulus: pacem ſequimini cum omnibus &. ſanctimoniam , ſine quâ nemo videbit Deum. Additque : Ne quis fornicator, aut profanus vt Eſaü. Innuit hominem non ſolùm helluonem, ſed & fornicatorem : quaſi hæc duo vitia non ſolùm conſectaria ſint , ſed ſint etiam inſeparabilia. Scio aliter poſſe diſpungi , & ita vtrumque diſiungi.Vbi fornicator fuit Eſaü ? (ait Chryſoſtomus) Igitur , Ne quis fornicator , inquit. Deinde, Sequimini ſanctimoniam.Neque prophanus vt Eſaü.Hoc eſt helluo & intemperans, mundanus , vendens ſpiritualia. Equidem non legimus alibi , Eſaü fuiſſe mœchum : quòd enim tres duxerit vxores , non eo deterior fuit fratre ſuo Iacobo qui duas duxit liberas , duaſque inſuper ancillas addidit. Sed vbi legimus Moyſem meticuloſum fuiſſe in monte Sina,imò nonne alibi legimus animoſum ? Ait Moyſes ad populum : Nolite timere : vt enim probaret vos,venit Deus , & vt terror eſſet in vobis , & non peccaretis. Tamen audimus Paulum dicentem : Ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit : Exterritus ſum & tremebundus. Audimus , inquam dicentem,& credimus, nec metuimus contradicentem. Fieri enim poteſt , vt & ipſe Moyſes ad primum impetum fremuerit , tum verò & ſeipſum collegerit, populumque contremiſcentem vixque cedentem animauerit , & exemplo ſuo firmauerit. Nolite timere. Et ego timui & intremui : ſed nubem timoris diſcuſſi , cum mentem venientis perſpexi. Vnde ergo ſcimus Moyſem timuiſſe? Ex Paulo. Scit enim ille quia verum dixit. Vnde ſcimus Eſaü fornicatorem fuiſſe ? Ex Paulo,

Chryſoſt. orat. 31.

Exod. c. 20.

A cuius teſtimonium tam certum , quàm quòd veriſſimum. Itaque neceſſe non eſt aliter diſpungere , & viua vitia imò inſeparabilia diſiungere. Et ſi quidem de fornicatione agatur ſpirituali,res antiqua,nec tamen antiquata. Aduertamus, ait Auguſtinus, quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia , inter ventrem vacuum & pulmones epulis æſtuantes. Moyſes enim quia ieiunauit, Dominum vidit : populus quia manducauit & bibit , idola fabricatus eſt. Quid ergo ſi fornicatio illa ſeu mœchia , ſpiritalis eſt,dum incraſſatus, dilatatus , dereliquit Deum factorem ſuum , & receſſit à Deo ſalutari ſuo ? Tu, ait Tertullianus, qui tantum gulæ

B indulges , vetus es. Semper agnoſco ſapere Eſaü venatorem ferarum , ita paſſim indagandis turdis ſtudes : ita de campo laxiſſimus diſciplinæ tuæ venis , ita Spiritu deficis. Si tibi lenticulam defruto infuſcatam obtulero, ſtatim totos primatus tuos vendes : apud te agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet. Impinguatus eſt dilectus , & recalcitrauit, Deum eiurauit , & dum ventri ſacrificauit, litauit & Veneri. Sed & ſi de fornicatione intelligatur corporali , res adhuc antiquior, nec tamen acceptior. Princeps ille humani generis Adam , (verba ſunt Auguſtini) quamdiu ieiunauit ſeruans mandatum , in paradiſo fuit.

C Vbi verò comedit , eiectus eſt de paradiſo. Et qui in paradiſo Dei virgo fuerat , eiectus de paradiſo cognouit vxorem. Semper enim coniuncta eſt ſaturitati laſciuia. Vicina ſibi ſunt venter & genitalia,& pro membrorum ordine , ordo vitiorum intelligitur. Accinit Tertullianus, imò præcinit. Monſtrum ſcilicet haberetur libido ſine gulâ , cum duo hæc tam vnita atque concreta ſint , vt ſi diſiungi omninò potuiſſent , ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus , & vna regio eſt. Denique pro diſpoſitione membrorum , ordo vitiorum; prior venter & ſtatim cætera ſaginæ ſubſtructa laſciuia eſt : per edacitatem ſalacitas

D tranſit. Ita incipit ille, ſic & abſoluit. Appendices ſcilicet gulæ laſciuia atque luxuria eſt: quam ſocietatem & Apoſtolus ſciens,cum præmiſiſſet, Non in ebrietatibus , nec in comeſſationibus; adiunxit , Nec in cubilibus & libidinibus. Cauſa mali tanti , intemperantia , quæ quod ingluuie diſtendit,diſſoluit libidine.Inde & ieiunium aſſignatum in remedium. Omitto cætera, (ait Auguſtinus) ſed vnuſquiſque conſideret quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia , inter ventrem vacuum & refertum, inter rubentem faciem & ora pallentia , inter os ieiunum & labia crapula diſſoluta , inter oppreſſum epulis & inediæ tenuitate vigilan-

E tem. In Euangelio,cum quidam Dæmone plenus Domino fuiſſet oblatus , quem Apoſtoli curare nequiuerant, interrogantes audiunt à Domino , iſtiuſmodi genus non poſſe eiici niſi orationibus & ieiuniis. Videte ergo quanta ſit ieiuniorum virtus , vt id facere ieiunia valeant quod Apoſtoli nequiuerant. Iam dixerat Apoſtolus,: pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam ſine quâ nemo videbit Deum. Caſtitatem ſcilicet, puritatemve & cordis & corporis. Et inde exemplificat: Ne quis fornicator, aut profanus vt Eſaü. Homo turbulentus , vt venator; homo fornicator,vt guloſus.

Auguſtin. ſerm. 65. de temp. poſt init.

Tertullian. lib. de Ieiun. cap. 17.

Auguſtin. ſerm 65. de temp.

Tertullian. lib. de ieiun. cap prim. & vlt.

Auguſtin. ſerm. 65. de temp. verſ. fin.

Quoad

Quoad secundum. Aperit Apostolus, dum ait: Qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Seu, vt ex Græco, primogenita sua. Id est, ius primogenituræ. In quo obseruandum est primò, id solum Esaü vendidisse, quod

Genes. c. 25.

petiit Iacob, nec Iacob aliud petiisse, quàm quod licitè potuit emere. Vende mihi primogenita tua. Et, Iurauit ei Esaü, & vendidit primogenita. Vendidit ergo, sed quod honestè peti potuit, & emi licitè. Itaque quoad mutuum emptionis & venditionis contractum, iura sunt paria; nec potest onerari Esaü, vel

Quod licet emi, licet & vendi si iura sunt paria.

accusari quod vendiderit, nisi vocetur Iacob & damnetur quòd emerit. Nec dici potest Iacob non emisse, sed redimisse quòd verè erat suum, sed iniustè detentum. Nam verè Esaü primogenitus erat, & iustè quod concesserat natura, nec vlla infregerat sententia, possidebat. Quod enim de oraculo diuino potest aliqualiter excipi, potest etiam multipliciter dilui. Primò, prædictum quidem esse, &, si velis, promissum, sed non concessum: secundò, promissum quidem imperium seu principatum, sed terrenum ac temporarium: tertiò, oraculum non in propriis personis, sed in posteris adimplendum. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori. Quicquid ergo vendiderit Esaü, & quicquid Iacob

Genes. eod. cap.

emerit; tam ab illo iustè possessum, quàm ab isto verè comparatum. Obseruandum est secundò, posse quidem coniungi in istâ primogeniturâ principatum simul & Sacerdotium. Ita enim Iacob benedicens primogenitum suum: Ruben, inquit, primogenitus meus: prius in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas. Quasi dicat. Hoc tuum ius, nimirum, vt tibi deferretur Sacerdotium, & decerneretur imperium: sed, Quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius: Tibi prædico ac denuntio, vtroque te frustrandum priuatúmque iri officio. Sic factum est: nam imperium Tribui Iudæ, Sacerdotium verò Tribui Leui reseruatum. Itaque Sacerdotium inter charismata seu dona recensitum, quia δωρεὰν, id est gratis concessum, non emptum pecuniis. Potuit ergo Esaü, tanquam primogenitus, habere ius non solùm dominandi, sed & sacrificandi. Inde vestes eius non solùm refulgentes, sed & fragrantes. Pretiosæ quidem, ob honorem Sacerdotij. Ita Hieronymus: Quid si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candidâ veste processerint? Perfusæ verò, ob thuris odorem. Sed tria obstant, postulantque hæc duo seiungi. Primum est, ius sacrificandi non esse primogenitis proprium: cum æquo iure potitus sit Abel cum suo primogenito: & Abraham licet minor seu iunior, eodem honore, id est legitimo functus sit Sacerdotio. Alterum, quod licet summa debeat esse Sacerdotium inter & imperium concordia, maxima tamen appareat munerum functionumve in vtroque officio distantia: vt necesse sit diuersas personas, vtpote diuersis moribus ac dotibus præditas seligi, & ad munia destinari cuique propria. Inde ratum fuit, vt qui principatum haberent, inirent etiam Sacerdotium, ni ambitioso ipsum

Genes. c. 49.

Hieronym. dial. 1. adu. pel. vlt. med.

Tanta inter Sacerdotiũ & imperium concordia esse debet, quanta est distantia.

Suet. cap. 3.

A inuaderent consilio. Ita primus Romanorum omnium Augustus apud Suetonium: postquam Pontificatum maximum, quem nunquam viuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demùm suscepit. Tertium, quòd Isaac semper in benedictione primogeniti, semper imperium resonet & abundantiam, Sacerdotium verò, quod certè primum vel præcipuum, ne per vmbram quidem indigitet. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. Et seruiat tibi populi, & adorent te Tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur antè te filij matris tuæ. Et ad Esaü: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum: & tibi post hæc fili mi vltrà quid faciam? Obseruandum tertiò, dici Esaü profanum, Græcè βέβηλον, id est reiici, vt ventri plusculum & abdomini deditum. Non enim solus scortator est immundus, vti notauit Chrysostomus, sed & helluo qui seruit ventri. Indè concludendum est, illum dicendum esse profanum, quod præcipuam prærogatiuam, suam scilicet primogenituram ita vilem ac despicabilem duxerit, vt benedictionem quæ ius illud firmabat, & honorem qui inde manabat, vilissimo subegerit pretio. Profanum dicit Esaü, ait Athanasius, quasi ventri deditum, & huius seculi rebus addictum. Esaü námque delatum sibi à Deo primogenituræ honorem, alteri, cibi gratiâ, contulit: est enim istiusmodi inquinatio diuinorum contemptus. Verè profanus ille qui primatum, & munere concessum diuino, & honore præcipuo venerandum proculcauit: verè irreligiosus, qui terram à Deo promissam, electoque populo repositam eiurauerit. Tulit autem Esaü vxores suas & filios & filias, & omnem animam domûs suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terrâ Chanaam: & abiit in alteram regionem, recessitque à fratre suo Iacob. Cessit ergo tandem quod vendidit: nimirum partem suam, seu hæreditatem filio seruatam debitamve primogenito. Cessit & Isaac, mysterium præsentiens, & diuinum agnoscens, si non consummari, certè iam oraculum prælibari. Benedixitque ei, & erit benedictus. Primatus apud eum gratiæ remanebit, seu principatus familiæ.

Genes. c. 27.

B

Chrysost. orat. 31.

C

Athanas. in Paulum.

Genes. c. 36.

D

Genes. c. 17.

Quoad tertium. Tremenda sunt Dei iudicia, licet enim nunquam sint iniusta, nonnunquam tamen sunt occulta. Quæ autem mirabilia sunt, vti dixit Augustinus, ipsa sunt terribilia: nulla quippe admiratio est sine quadam formidine. Mirabilis Deus in operibus naturæ, mirabilior in operibus gratiæ: & indè non formidabilis solùm, sed & formidabilior. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam. In quo tria exponenda sunt. Primũ est, dici, benedictionẽ hæreditari; quamuis certum sit ante mortem conferri: sed gratia erat hæredi futuro præstituta, seu principi filio. Alterum, talem intelligi reprobationẽ qualem & prælationem: de hæreditate enim agitur seu benedictione, quæ filio primogenito cõceditur: ad illam quippe Iacob admissus est, & ab illâ Esaü deiectus, repulsamq; passus à Patre obstupescente. Tertium, nullum inueniri pœnitentiæ

Augustin. Enarrat. in Psalm. 105. in med.

E

locum, quia nulla facta est mutatio à Patre, nulla retractatio sententiæ. Nihil enim aliud, ait Tertullianus, intelligitur pœnitentia, quàm simplex conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione possit admitti. Nam & in Græco sono, pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est. Quomodo antiquum confiteatur ille peccatum, qui nonum meditatur? Oderat ergo semper Esaü Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Instat igitur ille, vt benedictionem accipiat à Patre, filio competentem primogenito, nec tamen impetrat; viget nec tamen extorquet; nusquam enim Isaac pœnituit, nusquam mutauit sententiam, sed potius datam gratiam confirmauit: licet enim minorem dederit tandem benedictionem, in maiore tamen denegandâ, seu in postulatione reprobandâ firmiter constanterque perstitit. Terrena quidem sunt ista, sed rerum spiritualium symbola. Itaque procedendum est ad altiorem sensum, seu spiritualem intellectum; dicendúmque, iustissime Esaü à iure excidisse, nec vllum inuenisse pœnitentiæ locum; non quòd non inquisierit, sed quòd malè petierit. Vis, ait Chrysostomus, videre exactam & absolutam pœnitentiam? Audi pœnitentiam Petri post negationem. Nam quæ ab eo gesta sunt narrans Euangelista, Et egressus, inquit, foras fleuit amarè. Propterea ei etiam remissum fuit eiusmodi peccatum, quoniam, quomodo oportuit, egit pœnitentiam. Et vt scias quòd negatio tantum erat socordiæ ac negligentiæ, quàm ex eo quod Deus eum deseruerat, erudiens vt humanam sciret mensuram, & quod absque Deo nihil potest fieri: propterea ei soli dixit Christus, Expetiit te Satanas vt te cribraret sicut triticum, & non concessi vt deficeret fides tua. Pœnitentiam verò egit Iudas, sed malè: eius enim lachrymæ non erant pœnitentiæ, sed potius insultationis & iræ. Sed fleuit Esaü, Eiulatu magno. Ita est, sed non pio affectu. Nam si seipsum condemnauit, ait ille, si valde eiulauit, cur non inuenit locum pœnitentiæ? Quoniam ea res non erat pœnitentiæ: sicut pœnitentiæ non erat tristitia Caini: quoniam non quomodo oportuit, egit pœnitentiam. Non inuenit, inquit, pœnitentiæ locum, non inuenit pœnitentiam. An quod peccauit maiora quàm vt eorum agi possit pœnitentia? Sunt ergo peccata aliqua maiora, quàm vt eorum agi possit pœnitentia. Hoc est ergo quod dicit Ne cadamus casu incurabili. Donec fuerit solùm claudicatio facile est rectum fieri. Sin autem fuerimus penitùs euersi, quid de cætero restabit? Confert ergo quod eis accidit, quòd primus factus est posterior, & qui erat secundus factus est primus. Ille primus propter constantiam & tolerantiam. Hic posterior propter socordiam & negligentiam. Scitis enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Nulla quidem peccata sunt adeò grauia, quæ per legitimam deleri non possint pœnitentiam: sed iudicia Dei sunt nobis incognita, verendúmque ne tanta sint ac talia crimina, quæ difficile gratiam assequi possint, toties profanatam, toties conculcatam. Ideò Paulus: Contemplantes, inquit, ἐπισκοποῦντες

Tertullian. lib. 2. aduers. Mar. cap 24.

Genes. c. 27.

Esaü gratiã non inuenit, quia male eam quæsiit.

Chrysost. in Hebr. orat. 31.

Hæc Chrysost. Exaggerat ad terrorem vt patebit legenti textum eius.

Chrysost. orat. 31.

Nusquam deest venia, dũ legitima non deest pœnitentiã.

A ne quis desit gratiæ Dei. Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Quamuis enim imbecilliores curæ commendet pastorali, & doctrinæ peruersæ eruditores inter facilè pullulanti aduigilet: potest tamen intelligi de iustitiâ, seu gratiâ sanante ac sanctificante. Quamuis enim non habeatur ex meritis, vt Aquinas docet, tamen oportet quod homo faciat, quod in se est. Deus autem voluntate sua liberalissima dat eam omni præparanti, & ideò gratia Dei nulli deest, sed omnibus se Communicat. Hoc ipsum tamen, quòd aliquis non ponit obstaculum, ex gratiâ procedit. Quod ergo à quibusdam remouetur hoc obstaculum, hoc est ex misericordiâ Dei; quòd autem non remouetur, hoc est ex eius iustitiâ. Quod cæcus non videat Solem, non est quod Sol deficiat oculo, sed quod oculus ad lucem eius cæcutiat.

Aquin. lect. 3.

B

EXPOSITIO V.

De prælatione Testamenti.

C Nescitis cuius spiritûs estis? Non enim accessistis ad tractabilem montem & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quàm qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur, Etsi bestia tetigerit montem, lapidabitur. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Tanto sanctiores, tantóque putiores esse debetis, quanto ad perfectius meliusque Testamentum pertinetis, non antiquum, sed nouum: non ad montem Sina, sed ad montem Sion. Iam sit

D

SECTIO I.

De monte Sina.

Sina, mons est in Arabiâ, in quo Lex Hebræis data: sed sicut grauis metus incutiendus erat, ita grandis apparatus instruendus. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coràm omni populo super montem Sinai. Constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montẽ morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet: cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant ad montem. Iamque aduenerat tertius dies, & manè inclaruerat; & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perstrepebat & timuit populus qui erat in castris. Cúmque eduxisset eos Moyses in occursũ Dei de loco castrorũ, steterũt ad radices mõtis Totusq; autẽ mõs Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus super eũ in igne, & ascẽderet fumus ex eo quasi de fornace: eratq; omnis mõs terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat

E

Exod. c. 19.

Apparatus ad excutiendum metum idoneus.

A crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.

Exod.c.20. Et, Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: loquere tu nobis,& audiemus:non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Denique, Accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum: erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis.

Deut.cap.4. De cælo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in terrâ ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis. Capis ergo, quid sit mons tractabilis, quem scilicet contrectare quiuis possit, nullus ausit. Capis quid sit ignis accensibilis, qui nimirùm summè accensus est, ægrè extinctus. Status ille seruitutis, & spiritus timoris: ideò omnia ad terrorem, non ad amorem, qui nouo Testamento dicatus seruatusque, composita.

Chrysost. orat.32. Nouum quippe Testamentum, vti obseruat Chrysostomus, cum nullo horum datum est: sed datum fuit à Deo in simplici sermone. Vide ergo quemadmodum horum quoque faciat comparationem, & ea meritò posuerit posteriora.

C Sed quæritur primò, Quomodo imputetur Iudæis, quòd recusauerint loquentem, ideóque nec diuinam iram declinauerint? Videte ne recuseritis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multò magis nos qui de cælis loquentem auertimus.

Exod.c.19. At verò populus visus est ad omnia paratissimus: non solùm non renuens, sed & fidelissimum promittens obsequium. Venit Moyses: & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. Respondítque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.

Excusatio idem nonnunquam quod recusatio. Respondeo, Paulum, per recusationem intelligere excusationem, ideóque mentem retento verbo exprimere: Excusauerunt se. Græcè παρῃτήσαντο. Nec id Græcis solummodo acceptum; sed & Latinis vsitatum, vt excusare idem sit quod recusare.

Tertullian. lib. de resur. car.c.61. Ita Tertullianus. Nos, quoque, inquit, vt possumus, os cibo excusamus: etiam sexum à congressione subducimus. Id est, quantum possumus, cibum & congressum, seu vsum cibi recusamus & matrimonij. Sic & alibi: Quis præsumere potest, Angelos maculata iam corpora, & humanæ libidinis reliquias desiderasse; vt non ad virgines potius exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excusat?

Tertull. lib. de vel. virg. cap.7. id est, refugit, renuitque, nolens humanâ manu decerpi, vixque ferens extraneo æstu comprimi. Illi igitur recusauerunt, dum excusauerunt; dum enim excusauerunt se, prouocarunt ad alium, & ita visi sunt Dominum aspernari, vel etiam auersari. Loquere tu nobis,& audiemus. Non loquatur nobis Dominus. Repellunt ergo reiiciúntque loquentem, dum audire nolunt, amplius aut ferre non possunt iubentem. Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus ea.

Deut.cap.5. Sed quomodo inde culpandus populus, qui à Deo exinde laudatus? Benè omnia sunt locuti. Bona quidem verba, sed mala opera: promiserunt quidem ex conceptâ præsumptione, sed defecerunt ex ingenitâ obduratione; semper obloquentes, & diuinis semper iussis resistentes. Vnde sequitur: Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis & filiis eorum in sempiternum? Deut. cap.5.

Terrore ergo perterriti, bona dederunt verba, sed facta reddiderunt contraria: onere depressi, loquentem excusserunt, quasi iubentem deprecati; sed audire renuerunt seu amplius ferre, excusantes recusantésve, vt imminentem auerterent procellam, præsentémve vindictam effugerent.

B Secundò quæritur, Quænam illa sit differentia à Paulo assignata, Recusantes eum qui super terram loquebatur. Cum Dominus in monte Sina de cœlo sit locutus? De cœlo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in terrâ ostendit tibi ignem suum maximum. Quasi vox de cælo, & ignis in terrâ. Respondeo primò, apparuisse quidem, vocem de cælo labi; sed apparuisse, cum ita Deus seu Angelus videretur loqui. Et ita terribile erat quod videbatur. Græcè φανταζόμενον. Sed idem dici posset de igne ac de voce, & ita nihil esset certi vel solidi. Respondeo igitur secundò aliud loqui de cælo, & aliud loqui in cælo: nam qui de cælo descendit & venit in terram loquitúrque, de cælo quidem loquitur, & super terram nihilominus loquitur. Sed Paulus talem non admittit distinctionem, imò adimit, dum addit, Multò magis nos qui de cælis loquentem nobis auertimus. Respondeo igitur tertiò, differentiam non esse inter Deum intonantem in monte Sina, & nunc de cælis imperantem: sed inter Angelum olim in terrâ ductantem populum & Christum à dextris Dei regnantem triumphantémque. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum quem paraui. Exod.c.23.

D Si ergo non effugerunt illi, imò debitas luerunt pœnas, qui non audierunt Angelum in terrâ loquentem; quomodo nos effugiemus si Christum Dominum in dexterâ Dei sedentem, & inde populum suum regentem suáque fundentem oracula, contemnemus: Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, id est, vt exponit Aquinas, Angelum: non effugerunt, scilicet vltionem diuinæ legis. Sequitur conclusio per locum à minori. Aquin. lect. 5. Si enim illi qui recusauerunt loquentem de terrâ, non effugerunt: Multò magis nos qui auertimus nobis loquentem de cælo: Non debemus recusare, quia scilicet minus possemus effugere.

E Ille enim qui nobis loquitur in nouo Testamento, Christus scilicet, iam est in cælis. Doctrina antiqua terrestris, noua cælestis. Doctrina ergo veteris Testamenti est de terrâ, quia ibi promittebantur terrena: sed doctrinâ Noui est de cælo, quia ibi promittuntur cælestia. Ioan.3. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero cælestia, credetis? Tam illa, quàm ista ab vno Deo, sed non vno & eodem modo.

Tertiò quæritur, cur Paulus bestiæ meminerit, quasi verò bos aut asinus curæ sit Deo? Innuit ipse, dum ait: Non enim portabant quod dicebatur, Etsi bestia tetigerit montem, lapidabitur. Etsi Græcè κἂν. Licet, etiamsi. Quomodo enim parcetur homini, si nō parcitur pecudi;

pecudi, montem per infelicitatem incursanti? Quicquid tetigerit montem, etiamsi bestia, temeritatem luat per mortem. Siue iumentum fuerit siue homo, non viuet. Itaque non iubetur pecudi, sed homini prouidetur; ne quoquo modo tangat montem, sicque mortem incurrat ineuitabilem. Hæc sunt terribilia, ait Chrysostomus, vt neque ferrent auditionem, neque bestia auderet ascendere. Alioquin autem legislator in igne apparet terribilis, & acer in puniendis iis qui delinquunt. Quid verò tubæ sonitus? Meritò, vtpote quod quidam Rex adsit: omnia ergo tunc erant sensibilia, & ea quæ sub aspectum cadebant, & voces. Et multus, inquit, erat fumus. Quid verò caligo & tenebræ? Per illa mihi videtur tacitè significare veteris Testamenti obscuritatem, legémque esse adumbratam & opertam. Sed & ostendit rem esse terribilem. Sic enim dicit Esaias: Et domus impleta est fumo. Et quid sibi vult procella? Pigrum & ignauum esse genus humanum. Oportebat ergo ipsum his excitari. Nullus enim erat adeo hebes & tardus, qui non mentem sursum tolleret, cum hæc fierent, cum leges ferrentur. Terrore præformandi erant, & horrore excitandi. Idcircò minæ etiam aduersùs pecudes intentatæ; vt cum vident homines nec ipsis ignosci iumentis, indicent nullum sibi fore a transgressione effugium. Vetus Testamentum, ait Athanasius, formidini erat & terrori, & adeò, vt nec belluas fas esset montem attingere: id est, bruta animantia, quæ populus possideret. Etsi Moyses, qui sub caligine subiit montem, ita extimuit, cur non debuit populus terrore comprehendi? Nihil non contremuit, iustus & iniustus; nihil non infremuit, cum nec pecus euadat aut effugiat.

Exod. c. 19.

Chrysost. orat. 31.

Lex sub caligine quia in obscuritate.

Athanas. in Paulum.

SECTIO II.

De monte Sion.

EN altera pars comparationis, seu potius appositionis; vt appareat gratia Christi, & prælucear excellentia noui Testamenti. Non estis Iudæi, sed Christiani: non accessistis ad montem Sina, Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Vocati estis ad felicitatem æternam, destinati ad hæreditatem diuinam, ciuitatem beatam, societatem Angelicam. Nostis, ait Augustinus, & agnoscitis, & intelligitis, quia in hoc positi estis, & ita credidistis, quia caput nostrum Christus est: corpus capitis illius nos sumus? Nunquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio seculi fuerunt iusti, caput Christum habent: illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus; & in eius fide & ipsi sanati sunt, in cuius & nos: vt esset & ipse totius caput ciuitatis Ierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vsque in finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorũ; vt fiat vna illa ciuitas sub vno Rege, & vna quædam prouincia sub vno Imperatore; felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine. Tam mira ciuitas beatorum, quàm ciuium miranda societas, sociorumque varietas. Mira res (ait Bernardus) Sicut enim de diuersis ouium gregibus vnum Deus facere voluit, vt sit vnum ouile, & vnus pastor: ita cum haberet sponsam inhærentem sibi à principio multitudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus conuocare Ecclesiam, atque vnire illi qui de cælo est, vt sit sponsa vna & sponsus vnus. Ergo ex adiectâ istâ perfecta est illa, non duplicata, & cognoscit à se dictum: Vna est perfecta mea. Porrò vnam conformitas facit, nunc quidem in simili deuotione, postea verò & in pari gloriâ. Habes itaque vtrunque de cœlo, & sponsum scilicet Iesum, & sponsam Hierusalem. Vidi, inquit, ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo. Et addidit: Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis. Tot Angelorum ordines, tot legiones ordinum: tot hominum conditiones, tot conditionum distinctiones: vna omnium ciuitas, vna ciuium conformitas.

Augustin. con. 3. in Ps. 36. post init.

Bernard. serm. 27. in Cant. circ. med.

Vnitas beatorum, animorum conformitas.

Sed quæritur primò, quæ sit illa primogenitorum Ecclesia? Accessistis ad montem Sion, & Ecclesiam primitiuorum Græcè πρωτοτόκων, primogenitorum. Deus quidem pater est omnium, maximè verò iustorum: illos quippe inter filios deputat, quos per gratiam adoptat, & destinat ad gloriam. Sunt igitur illi primogeniti, qui vitæ hæredes æternæ, vtpote qui iam gratiæ paternæ compotes, hæreditatémque per benedictionem adituri. Sicut enim in populo Iudaico, Leuitæ dicti sunt primogeniti, quia per sanctificationem prælati, sic & in genere humano primogeniti vocati sunt, qui per electionem sunt ad hæreditatem destinati. Leui, ait Ambrosius, totius Liæ filius dicitur & tamē Leuitæ primogeniti nuncupati, quibus ab eo nomen est deriuatum. Scriptum est enim in Numeris, Ecce tuli Leuitas de medio filiorum Israël pro omni primogenito qui aperit vuluam à filiis Israël, & erunt mihi Leuitæ. Mihi enim in quâ die percussi omne primogenitum Ægypti, sanctificaui omne primogenitum Israël ab homine vsque ad pecus. Ergo Leuitæ primogeniti nuncupati, qui sanctificatione vtique ceteris filiis Israël antelati sunt. Quâ ratione primogeniti sunt, audi Apostolum dicentem: Sed appropinquastis Sion monti, & ciuitati Dei viui, Hierusalem quæ in cælo est, & decem millibus lætantium Angelorum, & Ecclesiæ primitiuorum, qui scripti sunt in cælo. Quatuor ordines fecit, montis Sion, ciuitatis Hierusalem, celebritatis Angelorum, & Ecclesiæ primitiuorum. Sed dum addit Paulus, Qui conscripti sunt in cælis: Eos ostendit filios, qui non solùm per gratiam seu per baptismum regenerati sunt, sed & ad gloriam per æternum decretum destinati. Primitiuos igitur fideles appellat, (vt autumat Athanasius) qui vt Deo iam dicati, sanctiores etiam euasere, quorum nomina in libro vitæ conscripta sunt, sicut & Dominus dicebat discipulis, Nomina vestra scripta sunt in cælis. Testimonium excellentiæ est, seu sigillum gratiæ. Primitiuus enim, vt Ambrosius dixit, primogenitus est: sancti autem primogeniti sunt, quia omnis masculus adaperire vuluam sanctus Domino vocabitur. Non equidem

Ambros. lib. 2. de Abel & Cain. cap. 2.

Quæ dicuntur sancta, dicuntur & primogenita.

Athanas. in Paulum.

Ambros. ep. 36. post init.

equidem omnis primogenitus, sanctus; non sanctus Esaü, qui vtique primogenitus: sancti autem primogeniti sunt: non enim nascendi ordine sancti, sed sanctificationis munere. Hi sunt primogeniti, quibus paterna seruatur hæreditas, quibus æterna felicitas præparatur.

Secundò quæritur, Quinam sint spiritus perfectorum iustorum? Et spiritus iustorum perfectorum. Obseruandum est primò, per spiritus, intelligendas esse animas humanas, sed iam carne liberas, seu corpore exsolutas. Ita apud

Ecclesiastem. Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Clariùs Petrus & apertiùs. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo & his, qui in carne erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca. Seu, vt ex Græcis. Quando expectabat Dei longanimitas in diebus Noë, dum apparabatur arca. Sunt igitur spiritus, animæ hominum, carne iam exutorum. Ita Moyses, Rubenitis iam ad necem destinatis: Fortissimè, inquit, Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Obseruandum secundò, per iustos, designatos esse sanctos, qui iam in statu salutis sunt constituti. Ita Concilium Eliberinum. Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quòd si antè de seculo recesserint, sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse iustus. Nondum quidem confirmatus, nondum ideo sacrâ pastus Eucharistiâ; securus tamé esse poterit de obtinendâ salute, quia in fide integrâ mortuus: idcircò precibus iuuari potest, & oblationibus subleuari. Poterit esse iustus. Non equidem perfectus fuit Christianus, deficiens à susceptione sacramentorum: poterit tamen inter pios iustósve venire, quibus prosunt subsidia viuorum, ideoque ipsorum tanquam iustorum admitti & offerri possunt munera. Hic sensus, & non alius. Obseruandum tertiò, per perfectos, eos esse concipiendos, qui non solùm terminum excesserunt vitæ, non solùm debitum exsoluerunt pœnæ, sed & statum adepti sunt gloriæ. Nam sicut in hoc mundo, non omnis qui iustus seu iustificatus est, statim & sanctus est: ita nec in altero. Sanctificamur quidem in baptismo, sed dum sanctitati consectamur; iustificamur, sed dum ab anteactis mundamur peccatis. Baptismus enim, vt docet Hieronymus, vetera peccata conscindit, nouas virtutes non tribuit. Baptizatur quis, si tamen non confirmatur, nondum perfectus est Christianus: etsi iam perfectus, quia confirmatus: nondùm tamen verè seu plenè sanctus iustúsve, nisi totam eructando adlaborandóque decusserit cupiditatem, totámque attigerit charitatem: ad quam cum nullus pertingat in hac vitâ: nullus etiam perfectè & integrè sanctus est: sed eo quisque sanctior reputatur, quia probatur vicinior. Sanctus enim, vt definit Concilium Mileuitanum, & iustus

Eccles. cap. 12.
1. Pet cap. 3.
Num. cap. 16.
Concil. Eliberin. can. 77.
Iusti perfecti, qui iam sunt beati.
Hieronym. lib. 1. aduers. Pel. cir. med.
Concil. Mil. can. 7.

A erat Apostolus, cum dicebat, in multis offendimus omnes. Iustus verò, si extra hanc vitam constitutus est, nondum tamen extra viam positus, si nondum in patriam prouectus, si nondum adeptus est gloriam. Si enim aliquid purgandum restat, remorandum est; licet enim iustus sit, nondum tamen perfectus: licet enim peccatis obstrictus non sit, perstat tamen pœnis obnoxius. Sunt igitur spiritus iustorum perfectorum seu consummatorum, animæ defunctorum, quæ totam excurrerũt viam, & patriam attigerunt; quæ non solùm peccatis sed & pœnis absolutæ, fruuntur Dei visione, quâ scilicet

B in vltimâ & consummatâ constituuntur perfectione: tunc enim iustitia consummata est, cum collata est gloria.

Tertiò quæritur, Quæ vox sit sanguinis? Et sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel. Vterque defunctus adhuc loquitur, sed in quo sanguis Christi melius loquitur? Quia sanguis Abel vindictam aduocat, sanguis autem Christi exorat misericordiam. Mons Sion, ait Ambrosius, & ciuitas pacis Hierusalem, non terrenis, sed viuis constructa lapidibus, & decem millia Angelorum frequentia, primitiuorum Ecclesia, perfectorum spiritus, iustorum Deus Dominus, qui in sanguine suo meliùs lo-

C cutus est quàm Abel. Ille enim vindictam clamauit, hic indulgentiam. Ille peccatum fratris accusauit, hic peccatum mundi remisit. Ille prodidit crimen, hic texit, secundùm quod scriptum est, Beati quorum tecta sunt peccata. Quid ergo vos? Accessistis ad Sion montem, & Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, meliùs loquentem quàm Abel. Aspersi estis, non sanguine veteris Testamenti, sed Noui: id est, sanguine Christi, qui noui Testamenti mediator est, sponsórque: ille vos in cruce redemit, ille vos à peccatis vestris abluit; ille vos reconciliauit, veniámque procurauit & gratiam. Si enim sanguis tauro-

D rum & hircorum, vt loquitur Cyrillus Alexandrinus, & cinis iuuencæ, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, purificat conscientiam nostram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuenti? Certè nisi Deus verus esset Christus, quæ esset vtilitas per sanguinem eius? vel quomodo nostram mundabit conscientiam à mortuis operibus. Sanguis enim communis hominis, quid magis habet quàm sanguis hircorum? Nihil certè, quàm quod ille est rationalis animalis, hic verò bruti. Quo-

E niam autem is qui ex Deo est, carne assumptâ posuit pro omnibus suum sanguinem, hac ratione & purgare potest credentes in ipsum, & à mortuis operibus liberare. Melius ergo loquitur sanguis Christi, quàm sanguis Abel, dum iste damnat, ille iustificat: sanguis enim diuinus est, qui vi suâ quâ pollet infinita, delet peccata vindictam abolet, veniámque ab irato Deo extorquet ac misericordiam.

Ambros. lib. de fug. secu. cap. 5.
Sãguis Abel vindictam clamat, sanguis Christi exorat veniam.
Cyrill. Alexand. lib. de fide rectâ.

EXPOSI

EXPOSITIO VI.

De commotione cæli.

ACcessistis:ad quem tandem ? Ad Iudicem omnium Deum. Cuius vox mouit terram tūc,nunc autē repromittit dicēs: Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed & cælum. Locus ex Aggæo Propheta desumptus, ex quo nos habemus : Hæc dicit Dominus exercituum:adhuc vnum modicum est,& ego commouebo cælum, & terram , & mare,& terram aridam. Et mouebo omnes gentes : Et veniet desideratus cunctis gentibus. In quo obseruandum est primò , mouere , seu commouere, non aliud esse , quàm inopinato euentu & insolito, quasi noua aspectu percutere, & subitaneo impetu concutere. Ita,In exitu Israël de Ægypto: A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Quid est, inquit Augustinus, à facie Domini Dei Iacob : nisi eius præsentiâ ? Eodem schemate : Montes exultauerunt vt arietes , & colles sicut agni ouium. Obseruandum secundò , tunc terram concussam commotamve,cum data est lex in Monte Sina,ob pauorem incussum,terrorémque vehementissimum. Vox enim eius qui legem dedit , terram mouit Ita Chrysostomus. Obseruandum tertiò, Aggæum, promittere primum Christi aduentum, Paulum verò ad secundum , seu extremum protendere iudicium. Idem quippe Deus , idem Christus Dominus, qui legem dedit, qui carnem induit, & qui ad iudicandos tandem viuos & mortuos est venturus. Vidésne , ait Athanasius , eundem fuisse , qui tunc loquebatur , & qui nunc nobis è cœlo profatur : vox enim eius tunc temporis , cum lex ferebatur,terram concussit. Bis autem terram apud sacras litteras legimus fuisse succussam. Primùm cum in monte Sina lex ferebatur:nam & terram contremuisse Dauid testificatur,cum inquit,terra tremuit. Secūdò,cum carnem Christus assumpsit, & venit in mundum. Cum ergo, semel dicit , post secundam, arguit & tertiam fore terræ quassationem. Hoc est , cum seculum hoc euertetur, cum immutata omnia à corruptione ad immortalitatē denique transferētur. Olim igitur vox eius terram commouit,cum insolito concussit pauore: nunc autem, quod attinet ad nouum Testamētum , per Prophetam repromittit, se non terrā tantummodò, sed & cælum concussurum : terram enim mouit in primo aduentu,dum inopinato percussit aspectu:non solùm autem terrā, sed & cœlum mouebit in secundo aduentu,dū actu vltimo susceptum complebit officium tunc quippe cœli mouendi sunt & terra,dum ad terrorem venientis iudicis concitandi,dum ad vocē factoris in nouum habitum transformandi.

Agg.cap.2.

Augustin. con.1. in Psal 113. vers.fin.

Chrysost. orat.32.

Athanas. in Paulum.

Terra ter à Christo Domino concussa.

Vrget Paulus illud Semel,ideóque & recenset. Quod autem adhuc Semel, dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum;vt maneant ea quæ sunt immobilia. Nos quidem habemus ex Hebræo. Adhuc vnum modicum est. Sed Apostolus versionem Septuaginta Interpretum secutus est : Adhuc semel : & ego mouebo non solùm terram,sed & cælum. Expectate adhuc modicum tempus, quoad veniat dies Domini , seu dies extremi illucescat iudicij : tunc enim extremam manum imponam, nec terram tantummodo sed & cælum,horrore nouo,sed vltimo pauore concutiam. Cum autem reflectit , premitque, adhuc semel. Innuit iam aliquid cursu completo iam præteriisse , & aliud æterno statu futurum permansurúmque. Illud quippe,semel,vltimum est,quasi velit, semel tantùm. Ita de Aggæo Augustinus. Hæc, inquit, prophetia , partim iam completa cernitur, partim speratur in fine complenda. Mouit enim cælum Angelorum & siderum testimonio , quando incarnatus est Christus. Mouit etiam terram ingenti miraculo , de ipso Virginis partu. Mouit mare & aridam , quum & in insulis & in orbe toto Christus annuntiatur. Ita moueri omnes gentes videmus ad fidem. Iam verò quod sequitur, Et veniet desideratus cunctis gentibus, de nouissimo eius expectatur aduentu; vt enim desideratus esset expectantibus, priùs oportuit dilectum esse credentibus. Nesciebant enim quem deberent desiderare , aut quem haberent expectare, si nondum in ipsum crediderant. Terra mota est , etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai.à facie Dei Israël Psal.97. In quo significatur , vt exponit Aquinas. quòd tota illa locutio commouebat corda per promissa terrena. Manifestum est ergo quòd illud quod promittebatur , erat adimplendum in nouo Testamento , scilicet nouum cælum, & noua terra. Nunc autem, id est , per nouum Testamentum, Repromittit dicens : adhuc semel. Quod enim dicit, semel, ostendit quòd à statu mobilitatis & corruptibilitatis mutanda sunt ad statum incorruptionis & immutabilitatis. Et quasi aliquis quæreret, vtrum Deus hoc possit facere,subdit,tanquam factorum:omnia enim facta,diuinæ potestati subiiciūtur. Si autem post motionem illam remanerent in statu mutationis,nō diceret,semel,sed iterū, & iterū.

Augustin. lib.18. de ciuit.Dei. cap 35.

Aquin. lect 5.

Terra mota est, vbi promissa sunt terrena.

Absoluit Apostolus, concluditque ex præmissis. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo,cum metu & reuerentiâ : etenim Deus noster ignis cōsumens est. Hoc scilicet regnum est æternum , quod expectamus, quod & desideramus. Enimuerò , vt resoluit Iustinus Martyr,in consummatione,non in cælo quod nunc est , & in terra quæ nunc est , homines factorum referent retributiones , sed in cælo nouo, & in noua terrâ,secundùm id quod dictum est: cælum nouum , & terra noua quam ego facio, manet coràm me in secula. Et iterum , principio tu Domine terram fundasti , & opera manuum tuarum sunt cæli : & ipsi quidem peribunt,tu autem permanens:& omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium conuolues eos , & mutabuntur. Et rursum ; adhuc semel, ego concutio non solùm terram,verumetiam cælum. Porrò id quod concutitur,translationem seu mutationem sui indicat:vt ea quæ non concutiuntur , permaneant immota. Indè igitur surgit Paulus, agitque : Aspirantes ad regnum illud æternum , & iam verâ fide , & spe certâ præoccupantes , gratiam iam acceptam firmiter fideliterque teneamus , quâ sic colamus Deum , vt illi placeamus , timentes potestatem

Iustin. lib. quæst. ad orthod.q.93.

Mundus in habitum nouum reformandus.

Deut.c.4. stat em, maiestatem suscipientes. Nam sicut dixit Moyses: Dominus Deus tuus ignis consumens est. Reuerenter accedendum, vt inueniamus gratiam, constantérque permanendum, ne vindictam incurramus. Quænam sunt ea quæ sunt immobilia? Futura. Pro hoc ergo, (concludit Chrysostomus) omnia agamus vt illam vitam assequamur, vt illis bonis fruamur. Rogo, obsecro, in hoc studium ponamus. In ciuitate quæ est ruitura nemo ædificat. Dic mihi, rogo, si quis diceret fore vt hæc ciuitas post an- A num corruat, illa verò non omninò, ædificarésne in eâ quæ est ruitura? Quamobrem nūc quoque dico, ne ædificemus in hoc mundo. Cadēt paulò post & peribunt omnia. Quid verò dico casura? Antè eius ruinam nos peribimus. Cur ædificamus super arenam? Ædificemus super petram. Nam quicquid irruerit, dirui non poterit ædificium. Vox, inquit, exultationis in tabernaculis iustorum. Sunt æterna, finē non habentia: Et meritò: nō est enim illic aliquid corruptioni obnoxium, sed sunt omnia immortalia.

Chrysost. in Mor.ora.33.



CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Summa.

HEbræos ad hospitalitatem & castitatem prouocat, obedientiam commendat, vitamque Christianam optimis sermonibus, & salutaribus exornat institutis.

TEXTVS.



CHARITAS fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti; & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritiâ, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non proferunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere; quo celeriùs restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in

omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in secula seculorum. Amen. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognoscite fratres fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos: Salutate omnes præpositos vestros, & omnes Sanctos. Salutant vos de Italiâ fratres. Gratia cum omnibus vobis: Amen.

EXEGESIS LITERALIS.

Multa, præcepta congerit in cumulum, sed vnum intendit, fructum scilicet ac profectum: demum apprecatione concludit ac salutatione.

Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis, &c. Quid, charitas fraternitatis? φιλαδελφία. Amor fraternus, perseuerate in fraternâ dilectione, vos inuicem tanquam fratres diligite, & à consueto hospitalitatis officio cessare nolite: per hanc enim latuerunt quidam, Græcè ἔλαθον, inscij susceperunt Angelos hospitio, ipsos esse homines rati. Ignorauerunt, Græcè habetur (ait Commentator Athanasianus.) Eo namque processit hospitalitatis officium, & libera peregrinorum susceptio, vt vel Abrahæ ipsi & Loth occasionem præbuerit vel ignorantibus vt Angelos domi exciperent. Non enim sciebant Angelos esse, qui fuissent per se excepti hospitio, alioquin honorificè hos excepissent. Meruerunt Angelos excipere, sed humano modo conuersatos. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti; & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes, &c. Compatimini iis qui sunt in vinculis, tanquam si vos ipsi iisdem effetis vinculis colligati. Vos ipsos cogitate in ægrotantibus seu morbo laborantibus aut senio, quia & corpus habetis caducum, iisdem adhuc incommodis obnoxium. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus, &c. Vos omnes qui coniugati estis, honorem seruate coniugij, nec thorum coniugalem per stupri labem maculate: omnes enim fornicarij, præsertim verò adulteri, diuinâ condemnandi sunt sententiâ. Sint mores sine auaritiâ, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ita vt confidenter dicamus. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, &c. Nolite augendæ rei studere, sed iis quæ habetis estote contenti. Sed cauendum inquies occurrendúmque egestati futuræ. Imò diuinæ fidendum bonitati. Quod enim dixit Deus Iosuë, tibi dicit: Non dimittam, nec derelinquam te Ios. 1. Dic ergo ex sincerâ fiduciâ, quod cecinit Dauid, Sub protectore Domino, tutus sum aduersùs omnes malorum hominum machinationes, aduersùs ingruentia munitus nocumenta. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem, &c. Me-

Comment. Athanas.

Fornicarij diuinâ damnati sententiâ.

A mores estote Antistitum vestrorum, qui vobis fidei doctrinam tradiderunt; vt animis vestris finem laudabilis illorũ conuersationis reuoluentes, constantiam fidei subsequamini, nedum vitam amplectamini. Non solùm mementote verborum, vt exponit Aquinas, sed & intuemini exitum, vt scilicet pro Christo patienter sustineatis: ad bonam enim mortem venitur per bonam conuersationem.

Aquin. lect. 1.

Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis &c. Cum Christus idem ipse sit, non debet esse alia fides vestra, quàm ea quæ fuit Præ-

B positorum vestrorum. Illos itaque sequamini, ne vos patiamini diuersis & aduentitiis abstrahi & circumagi sententiis. Præstat enim in fide Christianâ animum figere, non escis obseruatoribus suis tam inutilibus quàm infructuosis, studium impendere. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est &c. Nec

C tamen sine escis sumus aut sacrificiis: habemus enim hostiam in arâ crucis oblatam, cuius fructum minimè percipiunt, qui legalia custodiũt. Crucis quippe sacrificium maximè præfiguratum est per hircum & vitulum, quorũ sanguis in Sancta per Pontificem inferebatur in die expiationis: at cum ea animalia tota cremarẽtur extra castra, ex his vtique veteris legis Pontifex non edebat, nec oblati particeps fiebat sacrificij. Ita Christus, vt figuram impleret, peccatorémque mundaret per suum sanguinem, extra portam ciuitatis passus est. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperiũ eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam

Quare Christus extra portam passus sit.

D laudis semper Deo, id est, fructum labiorũ confitentium nomini eius, &c. Quæramus ergo Christum ita passum, & quod ille fecit, pertulitque, faciamus ac feramus, persecutionem perferamus & irrisionem, tanquam fideles Christi crucifixi sectatores. Dixi, quæramus, id est foras exeamus, relinquamus ciuitatem: non enim hîc stationem figimus, sed ad cælestem, terrenis cõtemptis, peregrinus ciuitatem. Habeamus & quod cum ipso & per ipsum offeramus Deo, nempe perpetuum laudis ac gratiarum actionis sacrificium: id est, ipsos labiorum nostrorũ vitulos, Deum humiliter incunctantérque laudantium. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus,

Deus, &c. Nec pietatis duntaxat ergà Deum, sed & pietatis ergà proximum mementote, & pro facultatibus vestris, Sanctorum communicate necessitatibus; talibus enim hostiis placatur Deus delectatúrque. Obedite Præpositis vestris, & subiacere eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis &c. Denique exactam Ecclesiasticis obedientiam reddite, impendite reuerentiam: pastores enim vestri sunt, custodésque, ideóque peruigiles, vt qui pro animabus sibi commissis sunt in die iudicij rationem reddituri. Obedite ergo ex animo, vt officium suum impleant cum gaudio, non cum tædio sustineant: hoc enim nec vtilis vobis est nec honorabile. Paulus eos primùm commendauit, ait Chrysostomus, & tunc dicit, obedite Præpositis vestris, & subiecti estote.

Chrysost. orat. 34.

Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celeriùs restituar vobis &c. Commendo me orationibus vestris; ego, inquam, qui mihi benè conscius sum, & per omnia iuuare & ædificare sollicitus; & instantiùs impensiúsque rogo vos pro me orare, vt citiùs possim vobis reddi, & curâ opitulari Apostolicâ. Deus autem pacis, qui eduxit de morte Pastorem magnum ouium, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in secula seculorũ. Amen, &c. Postulauit alienas orationes, nunc & ipse reddit suas, aitque, Deus ille, qui dissensionis Deus non est, sed pacis, qui pastorem ouium illum magnum, electorum principem, pretioso sanguine agni immaculati redemptorum, à morte reduxit, Dominum scilicet nostrum Iesum Christum quem à mortuis suscitauit; vos tanquam viua eiusdem corporis membra, componat, & in omni bonorum operum genere perficiat; vobisque præstet, vt præcepta eius seruetis, operáque sibi placentia, per Iesu Christi meritum beneficiúmve, cui æterna sit gloria, multiplicet. Rogo autem vos, fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis, &c. Obsecro vos, fratres, vt boni ducatis exhortationem hanc meam consolationémque. (παράκλησις vtrumque significat) per pauca enim vobis scripsi: id est, paucis multa comprehendi, ne importuna esset adhortatio, dum nimis prolixa est oratio. Etsi copiosiùs scripsit, ait Athanasius, paucis tamen & breuibus absoluisse se dicit epistolam, quia longè plura concupisceret. Perinde ac si dicat. Etsi collapsi animo estis, ferte tamen adhortantem me tolerantiùs. Adhortantem audis, nedum consolantem. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos &c. Gratanter & hilariter excipite fratrem nostrum Timotheum, iam à nobis ad vos dimissum expeditúmque, quocum, nisi diutius in itinere detineatur, negotiisque à me illi commissis amoueatur longiùs, super me vos inuisurum, solaturúmque. Salutate omnes Præpositos vestros, & omnes sanctos.

Christus princeps posterum, dum magnus pastor ouium.

Athanas. in Paulum.

A Salutant vos de Italiâ fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen. Salutate præpositos vestros in vniuersa Iudæa constitutos: & omnes fideles, Christianósve. Salutant vos Itali Christiani, optántque prosperitatem ac pacem. Deus autem dona omnia salutaria in vos conferat, & in vitam perducat æternam. Amen.



EXPOSITIONES in Caput decimum tertium.

B ANTEQVAM absoluat epistolam, præcepta addensat vitæ Christianæ necessaria. Idcircò à charitate incipit, sed præcepit eam hospitalitate declarari & assignari.

EXPOSITIO I.

De Hospitalitate.

CHaritas maneat apud vos, & inde floreat hospitalitas: diligite inuicem, fidelésque, vt amicos vestros, & fratres suscipite. C Christus fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Vide, ait Chrysostomus, quemadmodum iubet eos seruare præsentia. Non addit alia. Non dixit, estote amatores fratrum; sed, maneat charitas fraternitatis. Et rursus non dicit, Estote hospitales; sed, hospitalitatem nolite obliuisci. Hoc enim verisimile hoc accidere ex afflictionibus. Vexati erant Hebræi, bonis omnibus spoliati, omnibus incommodis onerati: idcircò incitandi erant ad perseuerentiam charitatis, & ad hospitalitatis curam stimulandi. Per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio susceptis. D Hospitales Angelorum susceptione insignes, licet gratiam nescientes domesticam: Tria igitur sunt exponenda. Primum est, hospitales tanti esse meriti, vt Angelos exceperint: alterum, tanti fuisse simplices, vt ipsos nescierint: tertium, quonam modo isti fuerint suscepti.

Chrysost. orat. 33.

Quoad primum. Cum dicit Petrus, Hospitales inuicem. Condicit coapostolo Paulo: dum vterque hospitalitatem commendat, imperátque charitatem non solùm exerceri ex animo, sed & cum studio, receptione mutuâ; quasi mutuâ contentione promoueri. Magna, ait Ambrosius, hospitalitatis est gratia, nec E facilè violanda, omnibus aperta est, omnibus parata est: & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter. Ita sensit Abraham, ita sensit & Loth, & quod vterque concepit animo, facto prodidit. Veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie, (verba sunt Augustini) venerunt ad Loth duo, & vespere veniunt. Præsumpsit Abraham, & occurrit obuiam eis: & cum occurrisset, festinat ad tabernaculum, & dixit ad vxorem suam: Festina, & fac subcinericios panes. Ipse autem Abraham ad armentum cucurrit, & accepit vitulum. Qualem vitulum? Fortè qui potuit primus occurrere? Non ita est:

1. Pet. cap. 4.

Ambros. ser. 21. cit. med.

Augustin. serm. 70. post init.

sed

ſed vitulum bonum & tenerum. Tulit ergo vitulum,& dedit puero: puer,inquit,feſtina facere eum. Videte fratres,attendite quàm feruenti animo hoſpites debeatis excipere. Ecce ipſe Abraham currit, vxor feſtinat,puer accelerat. Nullus eſt piger in domo ſapientis.Ecce æqualia ſunt Abrahæ & Saræ hoſpitalitatis officia. Loth verò quia quod potuit, benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit.Attendite fratres,quia etiam & Loth dum hoſpites non repellit, Angelos excipere meruit.Ecce hoſpitalem domum Angeli ingrediuntur, clauſæ hoſpitibus domus flammis ſulfureis concremantur. Sed præcipuus Abraham officio, ſicut eximius merito. Dic nobis, ſancte pater Abraham, (ita ille,ſi tamen ille quid feciſti,vel quid facere docuiſti,vt ſanctis Angelis tam iocundè placeres? Dic, vt à te diſcamus: doce, vt nos à te doceri valeamus: nam pater es: & quia omnes filij tui ſumus, te decet nos docere. O fratres, quid aliud dicere potuit, quid aliud vel docere, niſi quòd hoſpitalitatem ſemper ſeruare voluit? O ſancta veraque hoſpitalitas, quæ non ſolum Angelos, ſed etiam ipſum Deum aliquando ſuſcipere meruiſti! Ecce propter quid Abraham Dei Angelis placuit. Quid mirum ſi Angelis placeat hoſpitalitas, cum Domino placeat Angelorum; quid mirum ſi Angelos ſuſcipiat, cum & ipſum Dominum ſuſcipiat Angelorum? Quid putamus, ait indubitatus Auguſtinus,niſi quia hoſpitalitatis officio ad ſuam cognitionem peruenire poſſe homines intimauit, vt cum longiùs ipſe ab hominibus abſceſſerit ſuper omnes cælos, tamen ita cum eis ſit qui hæc exhibent ſeruis eius, vt cum dicere cœperint: Domine quando te vidimus hoſpitem & adduximus? tanquam eum ſcilicet qui longè abſceſſerat: reſpondeat ille, Cum vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quid ergo ſi & Abraham non ſolùm Angelos excepit hoſpitio, ſed & Chriſtum Dominum, per ipſos Angelos demonſtratum. Hoſpitalitatem diligite, ait Ambroſius, per quam ſanctus Abraham inuenit gratiam, Chriſtum hoſpitio ſuſcepit. Et tu potes ſuſcipere Angelos, ſi aduenientibus hoſpitium tuum offeras. Non enim gratia iſta vno vel altero conſtricta eſt, ſed hoſpitalibus omnibus oblata, ſi Abrahæ ſectentur virtutem, ſi charitatem eius æmulentur:tantum eſt enim hoſpitalis meritum, vt Angelos ipſos alliciat, inducátque in hominis hoſpitium.

Æqualia Abrahæ & Saræ hoſpitalitatis officia.

Auguſtin. ſerm. 46. ad fratr. de eremo.

Auguſtin. lib 2. quæſt. Euang. c. 51.

Ambroſ. ep. 25. verſ. fin.

Quoad ſecundum. Debet hoſpitalitas non liberalitate tantùm pollere, ſed & ſimplicitate; officiosè ſuſcipere,non inquirere curiosè. Commendat pleroſque hoſpitalitas:(ita Ambroſius) eſt enim publica ſpecies humanitatis, vt peregrinus hoſpitio non egeat,ſuſcipiatur officiosè, pateat aduenienti ianua. Valdè id decorum totius eſt orbis exiſtimatione, peregrinos cum honore ſuſcipere, non deeſſe menſæ hoſpitalitatis gratiam, occurrere officiis liberalitatis, explorare aduentus hoſpitum. Quod Abrahæ laudi eſt datum,qui antè ianuam ſuam ſpeculabatur, ne fortè præteriret peregrinus aliquis,& diligenter prætendebat excubias,vt occurreret, vt præueniret, vt rogaret, ne tranſiret hoſpes, dicens: Domine, ſi inueni gratiam ante te, ne

Ambroſ lib. 2. de off. c. 21.

A præterieris puerum tuum. Decet igitur hoſpitalem eſſe, benignum, iuſtum,non alieni cupidum, immò de ſuo iure cedentem potius aliqua,ſi fuerit laceſſitus,quàm aliena iura pulſantem, redimentem concordiam & tranquillitatis gratiam. Tanta eſt autem apud Deum hoſpitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis ſit. Vides quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit? Vides quia Loth Angelos ſuſcepit? Qui ſcis an & tu cum ſuſcipis hoſpitem, ſuſcipias Chriſtum? cum in hoſpite ſit Chriſtus,quia Chriſtus in paupere eſt,ſicut ipſe ait: In carcere eram, & veniſtis ad me: nudus B eram,& operuiſtis me. Angelum forſitan ſuſcipis, & neſcis; imò & Chriſtum ſuſcipis, dum neſcis. Tantummodo,vti dixit Auguſtinus, non pigeat hoſpitem ſuſcipere Dominum: ipſe ſecum portat dulcedines deliciarum,vt paſcat ibi lætantes exercitus Angelorum:cum illo hoſpite pax eſt & iucunditas, qui venit ad hoſpitem ſuum,non torquere,ſed paſcere:non expoliare, ſed veſtire: non percutere, ſed ſanare. Quanti homines,qui nō tam aduenarum hoſpites ſunt, quàm exploratores perſonarum? non tam charitatem conſulunt quàm vtilitatem, nec tam hoſpitalitatem quàm dignitatem exquirunt. Ignorabat Abraham quos haberet obuios, inC ſtabat tamen vt ſuſciperet;quia non merita expendebat aduenientis, ſed hoſpitis exercebat officia. Propterea,inquit Paulus, inſcientes quidem hoſpitio exceperunt. Quid eſt,inſcientes? (ait Chryſoſtomus) non cognoſcentes hoſpitio exceperunt. Propterea etiam magna eſt merces, quod neſciens eos eſſe Angelos hoſpitio exceperit. Nam ſi ſciuiſſet, non fuiſſet mirandum Quis enim Angelum,aut Dominum quem ſciret, non ianuis patentibus exciperet, quis non lautioribus cibis paſceret? Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim latuerunt quidam AnD lis hoſpitio receptis. Sic Angelos ſuſceperunt, vt Angelos eſſe neſcirent; ſic peregrinos exceperunt,vt ſimpliciter ac indifferenter tanquam peregrinos ſuſciperent. Neſciebant peregrinos quos ſuſcipiebant eſſe Angelos, ſed ſinceram exercebant humanitatem,promiſcuam impendebant liberalitatem. Antè oſtium,ait Ambroſius, ſedebat Abraham, ſedebat in meridie. Quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentus. Non otioſus ſedet,qui longè aſpicit: nec aſpexiſſe contentus, cucurrit obuiam. Feſtinauit occurrere, quia non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam matures, quod facias: vberiores enim fructus habet celerata deuotio. E Diſce ergo quàm impiger eſſe debeas,vt poſſis præuenire hoſpitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet copiâ. Caueamus ne ſi nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiam nobis poſt huius vitæ curſum ſanctorum hoſpitia denegentur. Vnde in Euangelio Saluator dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula ſua.

Chriſtus in paupere ſuſceptus veſtitúſque.

Auguſtin. ſerm 171. de temp. in fine.

Chryſoſt. orat. 33.

Ambroſ. lib. 1. de Abrah. cap. 5.

Quoad tertium. Angeli illi qui apparebant tam ſimiles erant hominibus, vt homines crederentur, nedum tenerentur hominibus ſimiles. Angelos creatoris, ait Tertullianus Marcioni,conuerſos in effigiem humanam, aliquando legiſti,

Tertull. lib. de carne Chriſti c. 3.

legisti, & credidisti, & tantam corporis gestasse veritatem, vt & pedes eis lauerit Abraham, & manibus ipsorum ereptus sit Sodomitis Loth: conluctatus quoque homini Angelus toto corporis pondere, dimitti desiderauerit, adeò detinebatur. Aut nunquid & Angeli illi, phantasmata carnis apparuerunt? Sed non audebis hoc dicere. Nam si sic apud te Angeli creatoris, sicut & Christus; eius Dei erit Christus, cuius Angeli tales, qualis & Christus. Si scripturas opinioni tuæ resistentes, non de industriâ alias reiecisses, alias corrupisses, confudisset te in hac specie Euangelium Ioannis, prædicans Spiritum columbæ corpore delapsum desedisse super Dominum: Qui spiritus cum hoc esset, tam verè erat & columba, quàm & Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam assumptâ substantiâ extraneâ. Sed quæris, corpus columbæ vbi sit, resumpto Spiritu in cœlum? æquè & Angelorum: eadem ratione interceptum est, quâ & editum fuerat. Tamen corporis soliditas erat, quoquo momento corpus videbatur. Non potest non fuisse quod scriptum est. Nihil dico de corpore columbæ; sed corpora Angelica tam humanis erant similia, vt pro humanis haberentur, ideoque cibis reficerentur ac fomentis. Multo credibilius est, ait Augustinus, quòd & Abraham in tribus, & Loth in duobus viris Dominum agnoscebant, cui per singularem numerum loquebantur, etiam cum eos homines esse arbitrarentur. Neque enim aliam ob causam sic eos susceperunt, vt tanquam mortalibus, & humanâ refectione indigentibus ministrarent. Sed erat profectò aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, vt in eis esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, hi qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare non possent: atque ideò & ipsos aliquando pluraliter, vt Dominos: aliquando singulariter; vt in eis Dominum appellabant. Angelos autem fuisse Scriptura testatur, nec solùm in hoc Genesis libro, vbi hæc gesta narrantur, verum etiam in Epistolâ ad Hebræos; vbi cum hospitalitas laudaretur, per hanc, inquit etiam quidam nescientes hospitio receperunt Angelos. Certè Loth non tantum pro liberatione hospitum laborasset, nisi eos reputasset humanis obnoxios periculis: nec Abraham pro refocillatione peregrinantium tantum indixisset apparatum, nisi eos humanis fatigatos attritósque præsumpsisset incommodis. Sed quamuis Angelos susciperent haberéntque velut homines, eos tamen suspiciebant vt vultu illustres, & vultu tanquam diuinos: maximè cum vnus semper præ cæteris illustrior maiorque appareret tanquam Dominus, maiestatis indicia, sanctitatisque funderet insignia. Inde & Abraham adorat, id est, humillimâ salutat reuerentiâ. Quod etiam occurrit Loth Angelis, & adorauit in faciem, videtur intellexisse quòd Angeli essent, (ait Augustinus.) Sed rursus cum eos ad refectionem corporis inuitat, quæ mortalibus necessaria est, videtur, putasse quòd homines essent: ergo quæstio similiter soluitur, vt soluta est de tribus qui venerunt ad Abraham, vt aliquibus signis appareret eos diuinitùs missos, qui tamen homines crederentur. Nam & hoc in Epistolâ quæ est ad Hebræos, cum de hospitalitatis bono scriptura loqueretur: ait: per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt Angelos. Sic & de Manue. Manifestum est, inquit, etiam vxorem eius, Angelum Dei hominem credidisse. Quod ergo ei dixit, vim faciamus tibi nunc, & faciamus in conspectu tuo hœdum capratum, tanquam hominem inuitauit, sed ita vt hoc cum illo epularetur quod sacrificium fecisset. Nam facere hœdum capratum non solet dici, nisi cum sit sacrificium. Denique & ille ita respondit, Si vim feceris mihi, non manducabo de panibus tuis: vbi ostendit se fuisse ad epulas inuitatum. Celabant quidem suam personam, sed paulatim ac sensim reuelabant.

Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 29.

Angeli vt homines, sed illustres ac diuini: seu sanctissimi.

Augustin. quæst. 41. in Genes.

Augustin. quæst. 53. sup. Iud.

A B

EXPOSITIO II.

De compassione.

HOc vnum quod inscriptum est, sed nō solum est præscriptum. Tria quippe simul iungit Apostolus præcipitque: compassionem, sanctificationem, moderationem.

C Quoad compassionem. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti. Et laborantium tanquam ipsi in corpore morantes. Certè, vt obseruauit Ambrosius, sicut nihil tam familiare hominibus quàm pati, ita nihil tam naturale quàm hominibus compati: cum enim vnitas sit naturæ, & conformitas miseriæ; tam facilis est misericordiæ affectus, quàm difficilis sensus molestiæ. Eum, inquit, diligimus qui inopiæ alterius, corporis vnitate compatitur. Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia, quia misericordia secundùm naturam. Nihil enim tam secundùm naturam, quàm iuuare consortem naturæ. Indè ille, si tamen ille, in ea verba Pauli Apostoli: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum inuicem sentientes. Sic exponit: Hoc est quod alio loco dicit: Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si lætatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Cum enim quis fideli solatio est in necessitate, erigit animum eius; & apud Deum collocat meritum; quia membrum diligit corporis Christi: & si cum infideli condoleat, prouocat magis illum ad affectum disciplinæ Dominicæ. Idipsum inuicem sentientes. Hoc est quod dictum est; compati debere fratribus in tribulatione, sicut & in aliâ dicit Epistolâ: Considerans teipsum; ne & tu tenteris. Et ne elatio sit in animo, & præsumens fortè de incolumitate actûs sui, non condoleat fratri suo, ait, Non alta sapientes. Alta enim sapere, superbia est, quæ cum se præponit, offendit. Sed humilibus consentientes: hoc est; vt depositâ superbiâ, alienam causam suam faciant, & suam quasi alienam. Et hic etiam fœtus charitatis est, hospitalitatis germanus. Vndè Paulus praiactâ charitate tanquam fundamento, & expositâ hospitalitate velut officio, in prosperitate quidem prompto, sed in aduersitate quasi sopito, ideóque excitando, addit: Mementote vinctorum. Illorum scilicet, ait Aquinas, qui propter Deum missi sunt in carcerem: mementote visitando, & redimendo, tanquam essetis

Ambrof. lib. 7. in Luc. cit. med.

Comment. Ambrof. in cap 12 ep. ad Rom.

Mutua passionis compassionisque consonantia.

Aquin. lect. 1.

D E

effetis simul corporaliter cum eis vincti : hoc est enim aliud opus misericordiæ, ad quam pertinet alienam miseriam suam reputare. Sanè qui suscipit peregrinum, miseriam subleuat, dum illum cibat potatque: sed qui vinctum non solùm visitat, sed & redimit, non solùm liberat miserum, sed & felicem facit dum reddit libertatem. Quid verò illi qui morbis laborant, vitámque tolerant incommodis oneratam? Sed quis non compatiatur dolentibus, cum paribus vel similibus in corpore grauante concutiatur doloribus? Vitam odio habui, dixit Ecclesiastes, (apud Ambrosium) Qui vitam odio habuit mortem vtique prædicauit. Denique mortuos laudauit magis quàm viuentes: & illum iudicauit beatum, qui in hanc vitam non venit, nec inanem hunc suscepit laborem. Tot sunt huius vitæ molestiæ, tot sunt corruptibilis corporis miseriæ. Passio igitur & afflictio certa compassionis ac commiserationis disciplina est, imò succurrendi, nedum condolendi magistra.

Ambros. lib. de bon. mor. cap. 7.

Quoad sanctificationem. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Nonnulli sunt misericordiæ viri, sed pudicitiæ non sunt: liberales quidem, hospitalesque, sed qui impunitatē eleemosynis scelerum suorum redimere præsumunt, donis suis mulcere iudicem, fornicatores, immundi, ideóque non inter oues, sed inter hœdos ipsis recensendi. Sanè, inquit Augustinus, qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam morésque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideò blandiuntur, quoniam Dominus ait, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat, non intelligunt. Sed vt intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe in Euangelio sic scriptum est: Cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se, & ingressus discubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod foris est, etiam id quod intus est, fecit? Videte vt etiam id quod intus est, mundum fiat. Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Itane hoc intellecturi sumus, vt Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiam si non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aquâ & Spiritu sancto, munda sint omnia? tantùm si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant; cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi de quâ dictum est, Mundans fide corda eorum. Quomodo ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, & fideles non essent? Aut quomodo fideles essent, si in Christum credere, atque in eius renasci gratiâ noluissent? Et tamen verum est quod audierant, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Qui autem vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissiméque dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Est ergo duplex mi-

Augustin. cap. 75. Enchirid.

Vana misericordia, vbi nulla pudicitia.

A sericordia, vna quæ placet Deo, cum homo nimirum incipit à seipso, conscientiam mundans ab omni inquinamento carnis & spiritûs: altera quæ non placet, dum id quod exterius est porrigit, intus autem seipsum inficit, corpus & animam polluit, & quod impendit munus alteri, sibi subtrahit. Non ergo se fallant, (ait ille) qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cuiuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitiâ permanendi: non solùm enim hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in eis semper optent tantum si possint impunè versari. Qui autem diligit iniquitatem, B odit animam suam: & qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Omnia quidem mundis, coinquinatis autē nihil est mundum: idcirco Paulus non contentus misericordiam commendare, sanctimoniam addidit, quam & plurimis verbis voluit inculcare. Vide, inquit Chrysostomus, quàm multa verba ab eo fiant de temperantiâ. Pacem, inquit, sectemini & sanctificationem. Nemo sit fornicator aut profanus. Et rursus, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Vbique est cum pœnâ prohibitio. Pacem, inquit, sectemini cum omnibus & sanctificationem, sine quâ C nemo videbit Dominum, &, Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Et cum priùs posuisset, Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, ostendit se iure subiunxisse ea quæ deinceps sequuntur. Si enim concessum est matrimonium, meritò punitur scortator, meritò supplicio adulter afficitur. Permittit matrimonium, sed præcipit esse immaculatum: concesso autem matrimonio, fornicatores reddit inexcusabiles, mœchósque omnes & immundos æterno addicit supplicio.

Augustin. eodem lib. cap. 77.

Chrysost. orat. 33.

Quoad moderationem. Sint mores sine auaritiâ: contenti præsentibus. Ipse enim dixit, Non te deseram, neque derelinquam. Ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: D non timebo quid faciat mihi homo. Sunt igitur alij satis casti vel non multum impuri, sed admodum, imò suprà modum auari, qui nec moderationem in congerendis agnoscant diuitiis, nec partem aliis faciant. Tria igitur facit Apostolus: primò enim proscribit auaritiam: secundò, mensuram imponit: tertiò, promittit custodiam. De primò, Sint mores sine auaritiâ. Incipit ab auaritiâ, quâ nihil peius, nihil & pestilentius, sicque dum proscribit auaritiam, causam exscindit malorum omnium. Antiquum vitium, idcircò quod difficiliùs extirpetur, faciliusque damnetur quàm emendetur. Minus mirandum est, ait Ambrosius, abundare sub E nobis hoc vitium, cum sub Apostolis cœperit pullulare: & si illorum auctoritas hæc in Anania emendare non potuit, nobis quid imputabitur si eadem in plerisque fratribus corrigere non valemus? In Anania enim Petrus auaritiam si potuisset corrigere, non punisset. Sed tantâ infectus erat auaritiæ pestilentiâ, vt sanctus cum Petrus non tam emendare voluerit, quàm damnare. Verùm dum illum punit, alios corrigit. Voluit enim vt pœna ad vnum, metus autem ad plurimos perueniret: vt qui eiusdem criminis reus fuerit, eiusdem supplicij in iudicij die sententiâ feriatur. Grande igitur malum est

Ambros. serm. 33. de sa. post. init.

Auaritia facilius condemnata quàm emendata.

est auaritia; immò malorum omnium est origo, sicut ait Apostolus, Radix omnium malorum est auaritia: quam quidam appetentes errauerunt à fide. Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. De altero, Contenti præsentibus. Qui enim vsum nescit eorum quæ parta sunt, fructum non capit eorum quæ patienda. Collige manna, quod adest; & mammona quod non prodest contemne. Tentauerunt tunc aliqui per tempus illud plusquam opus fuerat colligere, (verba sunt Chrysostomi) & nullum auaritiæ suæ fructum accipiebant: & quandiu æqualitatem colebant, mansit manna quod manna erat: plusquam autem auari plus habere desiderauerunt, auaritia mutauit manna in vermen, quamuis hoc non cum detrimento aliorum faciebant. Non enim rapiebant ex alimento proximi, cum plus colligerent: attamen cum plus desiderarent, condemnati sunt. Nam tametsi neminem alium iniuriâ affecerunt, tamen sibi ipsis maximè nocuêre, hoc colligendi modo auaritiæ studentes. Auaritia, licet non semper sit iniusta, semper tamen est cœca; dum non solùm errorem inducit religionis, sed & dirm nubem cupiditatis adducit. Cœca, inquam est auaritia: (ita Ambrosius) sed diuersis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. Semper enim quamuis diues sit, cogitat vndè, vel ex malo acquirere: totam vitam negotium putat, compendiorum etiam omnia supprimens, maius præstationis suæ fœnus imponit. De tertio. Ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Quare? Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Insurgant homines & sæuiant: inhient prædæ, bonisque spolient: Dominus custodit te, Dominus protectio tua, subsidiumque sufficientiæ promittit, aut conuertit in augmentum gloriæ. Ex quolibet genere, ait Augustinus, inimici exurgant, siue ex numero malorum hominum, siue ex numero malorum Angelorum: in Domini adiutorio despicientur, cui confitemur laudem, cui cantamus Alleluia. Sæpè quidem affliguntur electi, sæpè recti corde à malis & impiis opprimuntur. Sed illi, vt dixit Gregorius, veraciter recti sunt, qui amore supernæ patriæ, ad cuncta præsentis vitæ aduersa præparantur. Nam qui pro æternis bonis, mala hîc perpeti metuunt, videlicet recti non sunt. Sæpè igitur hîc & innocentes pereunt, & recti funditùs delentur, sed tamen ad æternam gloriam pereundo seruantur.

Chrysost. serm. in dictum Pauli, Nolo vos ignorare &c.

Auarus quasi æris auidus.

Ambros. serm. 13.

Augustin. in Expos. Psalm 117. post. init.

Gregorius lib. 5. Moral. cap. 14.

EXPOSITIO III.

De imitatione.

OStendit quinam sint damnandi, nunc exponit quinam sint imitandi. Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Contemplemini Præpositos vestros, ministros fideles, incorruptibiles verbi diuini dispensatores, & tria in ipsis imitemini: primò, fidem: secundò, mortem: tertiò, doctrinæ Euangelicæ inuiolabilem non minùs quàm vitæ Christianæ puritatem.

A

Quoad primum. Imitamini fidem. Cum ait; Mementote Præpositorum vestrorum. Innuit eos fato iam functos, fortean & coronatos martyrio. Sed si vita extincta, non est extinguenda memoria: si reddita merces, non est fides perdita. Vobis locuti sunt verbum Dei: Vobis tradiderunt Euangelicam doctrinam, sed eandem post mortem reliquerunt. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Iesum Christum vobis annuntiauerunt, sed non alium consignauerunt, quàm quem crediderunt ipsi, quemque credent & colent posteri. Vnus enim & idem est Christus, qui iam creditus, & semper credendus: eadem Dei & Christi fides, quam accepistis à pastoribus vestris, quàm sermonibus profiteri debetis, & moribus æmulari. Memores estote Præpositum vestrorum, & fideles eorum estote sectatores. Religionem teneatis, fidem non mutetis: nulla enim personæ mutatio est, etsi nonnulla sit ampliatio gloriæ vnus & idem Christus, siue saluet, siue iudicet. Iuxta hunc modum, ait Bernardus, etiam modò propè est verbum in corde tuo & in ore tuo, tantùm si recto quæsieris corde. Nempe, Apostolo interpretante, verbum fidei istud est, de quo Moyses ait. Vnde & alibi idem Apostolus, Iesus Christus, inquit, heri & hodie & in æternum. Hesternum quidem ab initio seculi vsque ad ascensionem Dominicam, hodiernum verò diem exinde vsque ad seculi consummationem, porrò æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horum deest Christus, nulli deest Iesus; Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est, Apostolis in humanitate, sanctis in fide, Angelis in specie. Quam sanè speciem electis omnibus ostensurum sese promiserat, non quidem hodie, sed in æternum. Dies quidem laboris est, sed & dies est retributionis. Duos enim dies, (obseruante Ambrosio) comprehendit scriptura generales: heri, & hodie. De quibus dicit, Quorum imitamini fidem, Iesus Christus heri & hodie, ipse est in secula. In superiore die promissio est, in consequenti solutio. Ita, vt obseruat Augustinus, Numeratur in seculo, qui est antè secula, Christus Iesus heri & hodie, idem ipse & in secula. Heri dixit propter mortalitatem, hodie propter æternitatem. Multa quidem inspicies in Christo Domino iuxtà hominem, sed plura deprehendes suprà hominem. Multa, ait Ambrosius, in eodem & secundùm naturam inuenies, & vltrà naturam. Secundùm conditionem etenim corporis in vtero fuit, natus est, lactatus est, in præsepi est collocatus. Sed suprà conditionem Virgo concepit, Virgo generauit; vt crederes quia Deus erat qui nouabat naturam, & homo erat qui secundùm naturam nascebatur ex homine. Neque enim, vt quidam interpretati sunt, natura ipsa mutata Verbi est, quæ immutabilis semper est, sicut ipse dixit: videte me, quia ego sum, & non sum mutatus. Sed etiam Paulus dixit, quia Iesus

B

C

D

E

Bernard. ser. in fest. sanc. Martini.

Duo dies in scripturis, promissionis & solutionis.

Ambros. Enarrat. 2. in Genes.

Augustin. serm. 13. de temp. cap. 2.

Ambros. lib. de incar. Dom. myst. cap. 6.

Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt & in ſecula : hoc eſt, quia non ſecundùm naturam mutatus eſt carnis, ſed immutabilis etiam in ipsâ mutabili conditionis humanæ qualitate permanſit. Non alius illis Chriſtus, & iſtis alius: ſed qui fuit heri, idem ipſe hodie eſt, eritque in perpetuum: idem ſeruis, qui & Dominis; idem diſcipulis, qui & magiſtris. A

Quoad ſecundum. Quorum intuentes exitum conuerſationis. Non ſolùm illi prædicarunt Chriſtum, ſed & traditam doctrinam conuerſatione demonſtrarunt, paſſione denique ſubſignarunt. Imitamini, non ſolùm eandem ſequendo fidem, ſed & vſque ad ſanguinem vſque ad mortem confitendo. Clamet Ioannes, Parate viam Domini: ego quoque, ait Gregorius Nazianzenus, clamabo, carnis expers incarnatur, Verbum craſſeſſit, inuiſibilis cernitur, intactilis tangitur, tempore vacans initium ſumit: Dei filius, hominis filius efficitur, Ieſus Chriſtus heri. & hodie, idem & in ſecula. Iudæi offendantur, Græci derideant, hæretici linguæ prurigine afficiantur. Tum credent, cum in cœlum aſcendentem viderint: quòd ſi ne tum quidem, at certè cum è cœlo deſcendentem, atque, vt iudicem, ſedentem. Dixerat, non timendos homines malos, ſeu peruerſos perſecutores: quidni addat eos non confeſſione ſolùm, ſed & paſſione vincendos? Tales enim Martyres, qui dum ſupplicia ſuperarunt, ſed & patientiæ conſignarunt exempla ac conſtantiæ. Beatorum Martyrum, ait Ambroſius, celebrantur inſignia: qui illuminantes virtute fidei ſuæ innumerabiles populos, ſoli quidem illatam ſibi ſenſere mortem, ſed non ſoli mortis ſuæ beneficia poſſederunt. Immenſa enim Dei noſtri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretioſam in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit. Illorum ſiquidem merita noſtra vult eſſe ſuffragia. Simúlque dum nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictione præcedentium, instructionem efficit poſterorum. Quanta eſt circa nos Dei noſtri ſollicitudo? Illos examinat, vt nos erudiat: illos conterit, vt nos adquirat: eorúmque cruciatus, noſtros vult eſſe profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris vtilitatibus militant; qui per lucis vitæque contemptum, edocent nos quantum Deo noſtro debeamus affectum. Nouerimus itaque quia non ſine magno diſcrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum ſanguine confirmatam videmus. Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellam diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas; & poſt morientium ſudores, otioſâ diſputatione contendas. Quamuis autem omnes Martyres nobis ſint in exemplum propoſiti, præpoſiti tamen noſtri, nobis in argumentum dati ſunt, tanquam teſtes domeſtici. Mementote Præpoſitorum veſtrorum. Cum inquit, Mementote, ait Athanaſius, vt illos imitentur, quos habuiſſent præpoſitos, ſuadet. Quorum intuentes exitum cõuerſationis, imitamini fidem. Hoc eſt, enixiùs contemplantes. Vtque pictoris diſcipulus, in

Gregorius Nazian. orat. 38.

Ambroſ. ſer. 14. de ſanct. poſt. init.

Sanctorum merita, noſtra ſunt ſuffragia.

Athanaſ. in Paulum.

B C D E

exemplar aliquod ſibi propoſitum, oculorum & ingenij intendit aciem: ſic & vos ſedulò exitum conſiderantes, id eſt, eorum conuerſationem, & vitæ finem, qui ad fidem nos inſtruunt: imitamini illorum & fidem. A fide namque integer viuendi modus emanat: ni enim futuris bonis fidem hi præſtitiſſent, & nihil hæſitantem, nunquam tam integrè & ſine culpâ vixiſſent. Illi ſunt ergo, qui & in exemplum, viuendo, & in teſtimonium ſunt moriendo conſtituti.

Ad bonam mortem venitur per bonam conuerſationem

Quoad tertium. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci: optimum eſt enim gratiâ ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. In quo tria ſunt obſeruanda. Primum eſt, Apoſtolum doctrinis tam peregrinis cauere; quàm variis. Non ſolùm variis, ait Chryſoſtomus, ſed etiam peregrinis. Patitur enim Chriſtiana doctrina inter duos errores, ſicut & Chriſtus inter duos Latrones crucifigitur. Alterum eſt, iam pulſatam fuiſſe diſciplinam tentatámque, & nonnullos ſeductos. Apparet ex his, ait Athanaſius, fuiſſe nonnullos qui Chriſti fidem iam deprauarant. Tertium denique, doctrinam variam à Iudæis eſſe, peregrinam à Philoſophis tanquam ab externis exortam. Et quidem quoad Iudæos, appertè illos pungit & expungit Apoſtolus, dum gratiam ſtabilit, & ipſos arguit, qui veterum inſtitutorum ceremoniam repetebant, ciborumque reducebant obſeruantiam. Sciendum eſt enim, (ex Aquinate) quòd in primitiuâ Eccleſiâ fuit vnus error, quod ad ſalutem neceſſaria erat obſeruantia legalium, quæ præcipuè conſiſtebat in quibuſdam cibis. Quoad Philoſophos, ſeu Poëtas, ſeu Oratores, tota hæc doctrina externa eſt, & aliunde aduecta, ideóque peregrina. Alius error fuit, ait ille, quòd paſſim licebat vti delectationibus corporalibus, & iſte fuit error Nicolaitarum. Dicit ergo, Nolite abduci à veritate fidei, per varias & peregrinas doctrinas: de vtroque enim poſſunt hæc verba exponi. Veritas autem conſiſtit in medio, cuius eſt vnitas & ideò vni vero multa falſa opponi poſſunt, ſicut vni medio multa extrema. Quid ergo? optimum eſt gratiâ ſtabilire cor. Mentem firmam ſtabilémque per fidem rectam reddere; ſeu ſpem ſuam per doctrinam Apoſtolicam, non per inutilem Iudæorum obſeruantiam, multò minus per exitialem Philoſophorum Oratorúmque gentilium diſciplinam figere. Eccleſia ex Iudæis & Græcis collecta, ab vtriſque paſſa eſt, ſed multo plura & atrociora à gentilibus, non multitudine ſolùm, ſed & arte pollentibus: non tam diſciplinas intrudentibus, quàm ſiliquas. Poſſumus, ait Hieronymus, ita ſiliquas interpretari. Dæmonum quippe cibus eſt carmina Poëtarum, ſecularis ſapiẽtia, Rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſuâ omnes ſuauitate delectant; &, dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt: verùm, vbi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud, niſi inanem ſonum, & ſermonum ſtrepitum, ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur: ſtudioſi earum in fame veri, & virtutum penuriâ perſeuerant. Inde Apoſtolus prohibet,

Chryſoſt. orat. 35.

Athanaſ. in Paulum.

Doctrina varia à Iudæis, peregrina à Philoſophis.

Aquin. lect. 2.

Hieronym. epiſt. 146. cir. med.

hibet, ne in idolio quis recumbat. Nonne enim tibi videtur sub aliis verbis dicere, Ne legas Philosophos, Oratores, Poëtas, ne in eorum lectione requiescas? Efficiunt hæc hominem ethnicum, nec fidelem instruunt aut Christianum, sed inficiunt destruuntque. Veræ, ait Athanasius, ac diuinæ religionis, pietatisque cognitio, non tam humano ministerio indiget, quàm ex seipsâ hauritur & discitur. Sufficiunt sanctæ ac diuinitùs inspiratæ scripturæ, ad instructionem veritatis. Sunt præterea sanctorum Patrum, Magistrorúmque nostrorum, plurima ad eorum intelligentiā conscripta monuméta; quæ si quis studiosè perleget, & scripturarum addiscet interpretationem, & eam quam cupit, veritatis notionem consequetur. Quid ergo tot facundiæ caupones, vanæque sectatores sapientiæ? Ad auditoria conuenitur, ait Hieronymus, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum; non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura. Hoc & in libris alij, quod isti in pulpitis: sed ex æquo omnes religionem cōspurcant, fidémque ethnico constuprant adulterio.

Athanas. lib. cont. Gentil. à lim.

Hieronym. præf. in ep. ad Gal.

EXPOSITIO IV.

De Potestate.

EDere volebant Iudæi, ludere Ethnici: tam illi quàm isti seducebant mentem, carnem corrumpebant. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt: quorum enim infertur sanguis pro peccato, in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. Nos quidem Christiani facultatem habemus edendi, qui veram tenemus fidem: sed de altari, à quo exclusi sunt illi qui ventrem escis sacrificalibus suffarciunt, animámque figuris veteribus adhuc pascunt, quasi cibis inutilibus. Nec tamen inutiles in totum sunt figuræ, dum in scopum sunt directæ: sed in tantum antiquatæ, in quantum adimpletæ: inde enim ad vsum inutiles ac superfluæ. Tria igitur exponenda sunt. Primum est, cur Iudæi ab illo altari sint exclusi: alterum, quæ huius rei figura præcesserit: tertium, quomodo Christus præfiguratum adimpleuerit mysterium.

Quoad primum. Non satis est scripturam perlegere, sed opus est medullam educere: &, vt dixit Hieronymus, Scripturarum medullas ebibere. In illis enim rationes sunt occultæ, & plerumque æmulis manifestæ: ideóque non ad sonum, seu sensum obuium, sed ad arcanam expendendæ sunt intelligentiam. Habemus altare. Quodnam? Statim occurrit mensa Dominica, támque facilè elicit consensum, quàm sensum manifestè percutit. Sed quale est, vt Apostolus mentionem incruenti sacrificij hucvsque dissimulauerit, etiam cum sese vrgens obtulit occasio: nunc verò ex abrupto tantum adoriatur mysterium, rémque verbis infinitis vix explicabilem, nullis tamen exponere moliatur aut edisserere? Itaque, sicut

Hieronym. dial. aduers. Lucifer.

A hucvsque totus intentus fuit proponendo ac præponendo principali fontalique sacrificio; ita & nunc idem agit, nec enim filum abrumpit aut propositum, sed subnectit. Dicit ergo Apostolus, (iuxta Aquinatem) stabiliamus corda nostra, non escis, sed gratiâ. Aliter enim non possumus: quia, Habemus altare. Istud altare vel est crux Christi, in quâ Christus pro nobis immolatus est: vel ipse Christus, in quo & per quem preces nostras offerimus. De isto ergo altari non habent potestatem edere, id est fructum passionis Christi percipere; & ipsi

Aquin. lect. 2.

B tanquam capiti incorporari, Qui tabernaculo legalium deseruiunt. Gal. 5. Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Vel, tabernaculo corporis deseruiunt, id est, qui carnales delectationes sequuntur. Rom. 13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Talibus enim nihil prodest. Dicitur autem corpus tabernaculum, quia in ipso tanquam in bello habitamus contra hostes, & modicum manet. 2. Pet. 1. Velox est depositio tabernaculi mei. Et ideò non est ei deseruiendum. Iudæi cibis student legalibus, Ethnici corruptis indulgent sensibus, carnales vtrique, reprobi damnabiles, quibus fas non est cultum attingere legitimum, verum

C prætendere sacrificium. Oportet ergo, vt loquitur Chrysost. & eos quorum est sacerdos multò melior iis qui sunt apud Iudæos, longè esse meliores, & quantum inter Aaronem & Christum interest, tantum interesse inter nos & Iudæos. Ecce enim in superis habemus victimam, in superis Sacerdotem, in superis hostiam. Eas offeramus hostias quæ in illâ arâ possint offerri non amplius oues & boues, non amplius sanguinem & nidorem. Hæc omnia sunt abolita, & pro eis est introductus cultus rationalis. Quid est autem cultus rationalis? Quæ per animam offeruntur, quæ per spiritum. Spiritus, inquit, est Deus, &

Chrysost. in Mor. orat. 11.

D eos qui ipsum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare; quæ non opus habent corpore, non opus habent instrumentis, non locis quibus ipse. Et quid à te requirit Dominus, nisi vt ipsum audias? Holocausta & pro peccato non tibi fuerunt accepta. Tunc dixi, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Et rursus. Quid mihi thus affertis ex Saba? Amoue à me sonum canticorum tuorum: & Psalmum instrumentorum tuorum non audiam. Sed pro his misericordiam volo, & non sacrificium. Vides quibus sacrificiis placatur Deus? offerunt Ethnici, sed Dæmoniis offerunt, & non Deo: offerunt Iudæi, sed iam tam reproba sunt sacrificia, quàm & carnalia: offerunt Christiani, sed tam vtiliter

Cultus rationalis, qui spiritualis est.

E quàm & spiritaliter: per Christū enim offerunt, & hunc crucifixum; cuius verè participes sunt, qui verè sunt fideles; dum credunt hostiam in arâ crucis pro nobis oblatam; qui fructum delibant per fidem, sacrificiúmque per communionem seu communicationem participant. Agnoscunt ipsi, ait Athanasius, hunc esse Saluatorem omnium, qui cruci fuerit affixus, crucémque ipsam non labem humano generi, sed remedium salutémque contulisse. Nam per crucem, sublato iam idolorū cultu, omnis Dæmonum cōquieuit error, solusq; adoratur Christus, & per ipsum pater agnoscitur. Omnes quidem participes sunt huius altaris, si ad Christum transeunt, creduntque ipsum pro nostrâ salute,

Athanas. lib. cont. gent. post. init.

seu humanâ redemptione crucifixum : sed exclusi illi , qui aut legem obtrudunt in salutem, aut superstitionem conuehunt. A

Quoad secundum. Ita prædictum , nec verbis tantummodo prænuntiatum , sed & figuris declaratum est : Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem,horum corpora cremantur extra castra. Ratio in medullâ est , nec oculo obuia. Assignat rationem , ait Aquinas , & est valdè subtilis. Sicut enim legitur Leuit.16. Decimâ die septimi mensis , summus Sacerdos sanguinem vituli , & hirci inferebat intra Sancta, pro suâ ignorantiâ , & illorum corpora cremabantur B extra castra. Et quia erat oblatio Sacerdotum, non comedebantur carnes eorum. Quod enim offerebant pro peccato Sacerdotum , non comedebant , sed extrà castra comburebant. Ex istâ ergo figurâ trahit Apostolus mysterium; per sanguinem enim illum figurabatur sanguis Christi. Vitulus enim & hircus Christum figurabant , quia vitulus erat hostia sacerdotalis , & hircus immolabatur pro peccato. In quo figurabatur , quòd Christus debebat immolari pro peccato non suo , sed populi. Vitulus ergo , & hircus immolatus , est Christus Sacerdos seipsum offerens pro peccatis nostris. Sanguis ergo Christi illatus est intra C Sancta , & caro cremata est extra castra. Vbi duplex est significatum. Vnum , quod Christus in ciuitate immolatus est linguis Iudæorum. Vnde & Marcus dicit ipsum horâ tertiâ crucifixum, licet horâ sexta fuerit in cruce leuatus. Aliud, quòd per virtutem passionis suæ , Christus intra cœlestia sancta nos introducit ad patrem. Quod autem corpora illorum cremabantur extrà castra,quantum ad caput nostrum, significat quòd Christus passurus erat extra portam : quantum verò ad nos , qui sumus membra , significat quòd pro illis qui sunt extra castra legalium , vel exteriorum sensuum, immolatur Christus. D Qui enim erant in castris, de carnibus illis non comedebant. Hæc est ergo figura , quam proponit Apostolus. Paucis & claris , Iudæi non edebant de animalibus , Christi Domini præfiguratiuis , vtpote carnibus in totum per holocaustum combustis: ergo quandiu manent in castris suis , Mosaicisque inhærent ceremoniis , non possunt communicare nobiscum , seu de ligno manducare viuifico Christi crucifixi ; nihil de illo delibare possunt , nihil participare : non enim per legem quis fructum crucis seu passionis assequitur , sed per fidem , nec salutem per vituli, sed per Christi sacrificium adipiscitur. Dixerat Iudæis Dominus : operamini escam , non E quæ perit , sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus , inquiunt ? Quid obseruando , hoc præceptum implere poterimus? Respondit Iesus, & dixit eis:Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Hoc est ergo , (concludit Augustinus) manducare cibum non qui perit , sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? Crede , & manducasti. Hæc sunt opera , sed Christiana.Quæ enim sunt apud nos,ait Chrysostomus , non sunt talia qualia Iudaica : adeò vt nec Pontifici quidem liceat esse particeps eorum. Quamobrem ? Quoniam dixit , Ne obseruetis. Abdicanda Mosaicorum institutorum obseruantia.

Aquin. lect. 2.

Christus bis, semel à Iudæis, iterum ab ethnicis crucifixus.

Augustin. Tract. 25. in Ioan. in med.

Chrysost. orat. 33.

Quoad tertium. Christus adimpleuit figuram , & vmbram discussit. Propter quod & Iesus , vt sanctificaret per suum sanguinem populum , extra portam passus est. In quo tria sunt subintelligenda. Primum est , per populum , significari Iudæos Hebræósve , non quòd illi soli sint de populo Dei , sed quod ad ipsos facta sit promissio gratiæ , ad ipsos directa sit inscriptio epistolæ , ad ipsos & per ipsos prælibata sit effusio misericordiæ. Alterum , per portam ipsam repræsentari castra Iudaica ; & per castra , portam explicari. Exeamus igitur ad eum extra castra. Castra sunt tanquam claustra , quibus milites aut ciues concluduntur : sed illi septis , isti muris muniuntur. Tertium,per sanctificationem indicari mundationem peccatorum , sordiúmve purgationem. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum , extrà portam passus est. Vt populum Israëliticum per fidem purificaret , vt ipsum lauaret sanctificaretque per sanguinem , extra ciuitatem crucifixus est. Propter quod &c. Adaptat , ait Aquinas, figuratum quod fuit in nouo Testamento , figuræ veteris Testamenti : vt sit consonantia inter ipsa. Vndè dicit , propter quod & Iesus extra portam passus est. Ita dictum est , quòd nos habemus altare extra castra. Altare scilicet cruentum , nam incruentum non est extra castra , sed in medio templi , tanquam in medio populi. Edunt igitur non solum domestici fidei , sed & exteri ; dum scilicet credunt , & fidem suam per veram ostendunt pietatem. Sic quippe se res habet in sacrificio cruento, vt in incruento : in quo ad fructum decerpendum, non tam actus quam modus requiritur , nec tam frequentatio expenditur quàm ratio. Multi , ait Chrysostomus , huius sacrificij , semel toto anno sunt participes : alij autem bis: alij verò sæpè. Ad omnes ergo habetur oratio, non solùm ad eos qui hîc sunt , sed ad eos etiam qui sedent in deserto. Nam illi semel in anno sunt participes : sæpè etiam post duos annos. Quid verò , quinam erunt nobis magis accepti , an qui semel , an qui sæpè , an qui rarò ? Nec hi , nec illi : sed ij qui cum munda conscientiâ , qui cum mundo corde , qui cum vitâ quæ nulli affinis est reprehensioni. Qui sunt huiusmodi , semper accedant. Qui non sunt huiusmodi , ne semel quidem quam ob rem ? quoniam sibi sumunt iudicium & condemnationem. Sicut enim nutrimentum quod naturæ vim habet nutriendi , si in eum inciderit qui malis cibis & humoribus est plenus , omnia perdit & corrumpit , & morbi fit occasio.Ita etiã hæc veneranda mysteria.Frueris mensâ spirituali,mensâ regali, & iterũ os tuum luto inquinas. Dic mihi , cum post annum es particeps communionis , existimásne quadraginta dies tibi sufficere ad emundationem peccatorum totius temporis? Quadraginta dies tribuis sanitati animæ,fortassis autem nec quadraginta,& te Deũ placasse expectas. Iocarisne dic mihi?Hæc dico, non ab vno eodémque animo accessu vos arcens, sed volens vos perpetuò ad sancta accedere.Propterea acclamat etiam Diaconus,tunc sanctos vocans,& per hanc vocẽ in omnibus

Aquin. lect. 2.

Chrysost. in Moral. orat.17.

In communicante non tam actus, quàm modus requisitus est.

Sola peccata mortalia excludunt à cõmunione.

omnibus ea quæ sunt reprehendenda conside- A rans. Sancta à sanctis duntaxat contingenda, non enim canibus permittenda sunt, seu infidelibus. Iesus autem crucifixus, extra positus est, id est, omnibus tam bonis quàm & malis expositus. Extra portam passus est. Arguit autem Apostolus, (secundùm Athanasium) quæ apud Iudæos pro veris creduntur, rerum esse figuras, quæ ad fidem nostram hanc faciant: nam vetus illud, nostrum hoc nouum præfigurabat. Et quemadmodum animantium sanguinem, & quæ pro populi delictis offerebantur, in Sancta Pontifex deferebat, cadauera verò extra castra comburebantur. Sic Christus pro mundi peccatis perpessus, sanguinem quidem suum vt B Pontifex detulit Patri, corpus verò patibulo est pro castris & extra vrbem infixum. Id est, affixum, infixumve.

Athanas. in Paulum.

EXPOSITIO V.

De Ciuitate.

HOspites non sumus, sed ciues: verùm ciuitatem vnam incolimus, & alteram per fidem spémque præcipimus. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciui- C tatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Non negat nos hîc habere ciuitatem, imò & de se palàm affirmat, Ego homo sum quidem Iudæus à Tarso Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps. Hic igitur habemus ciuitatem, sed tam incertam quàm instabilem. Non enim habemus hic manentem ciuitatem. Idcircò futuram inquirimus. Manentem nimirum, perpetuam & immutabilé. Tria igitur nobis sunt proposita. Primum est, ciuitas quæ quæritur: alte- D rum, iter quo tenditur: tertium est, pretium, quo ius cœlestis illius emitur ciuitatis.

Actuum cap. 21.

Quoad primum. Iesus extra portam ciuitatis Ierosolymæ passus est: foras exiit, vt patibulum, & inde cœlum conscenderet. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium eius portantes. Valida consequentia est, nec minùs perfecta Christi ac Christiani consonantia. Quid est enim, ait Chrysostomus, Exeamus ad ipsum? Simus participes eius perpessionum. Feramus eius improperium. Non enim iussit absolutè nos versari extrà portam. Sed [illegible] ille probris appetebatur tanquam cond[illegible]atus, ita nos quoque. Socius non eris consolationis, si socius non E fueris passionis. Improperium eius portantes, hoc est, (vt ille exponit) eadem patientes, societatem cum eo habentes in perpessionibus. Tanquam condemnatus foras actus est in crucem. Neque nos ergo pudeat foras exire. Exeamus, non ambulando, sed imitando: procedamus, non gressibus, sed affectibus, societatem ineamus cum Christo crucifixo, nec erubescamus crucem eius, sed totis suscipiamus animis, vt per eam perueniamus ad gloriam. Exeamus, inquam. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ierosolyma

Chrysost. in Mor. ora. 33.

Chrysost. orat. 33.

dicitur quidem vrbs sancta, sed dicitur, dum in typum & exemplum proponitur. Sancta est, dum sanctæ ciuitatis, seu æternæ figura felicitatis. Sed exeundum, & à figura ad veritatem, ab vmbra ad lucem transeundum. Iudæi terrenam incolunt ciuitatem, nec prospiciunt futuram, aut meliorem suspiciunt. Christiani cœlestem inquirunt Ierusalem, degúntque in hoc mundo tanquam peregrini, patriam suspirantes vitamq; tolerantes potius quàm amantes. Ita ille ciuis supernæ Ierusalem, & quicumq; similis. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. Quis est, ait Augustinus, qui sic cantat? Cœpit enim ipse Psalmus à sancto quodam desiderio, & ait qui sic cantat, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. Et quid quæras vltra quisnam sit, cum in tuâ potestate sit esse quod quæris? Tamen non vnus homo est, sed vnum corpus est: corpus autem Christi Ecclesia est. Si volumus, nos sumus. Nec enim in omnibus qui intrant Ecclesiam inuenitur tale desiderium: sed tamen quicumq; suauitatem Domini gustauerunt, & quod eis sapit agnoscunt in cantico, non putent se solos esse: sed talia semina sparsa credant in agro Dominico, toto orbe terrarum, & cuiusdam vnitatis Christianæ esse vocem hanc, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te Deus. Qui Christum sapit, contemnit mundum; incipit cœlum inquirere, nec desinit donec perueniat & contingat inuenire. Et quidem, ait ille, non malè intelligitur vox esse eorum, qui cum sint Catechumeni, ad gratiam sancti lauacri festinant. Vndè & solemniter cantatur hic Psalmus, vt ità desiderent fontem remissionis peccatorum, quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. Verumtamen videtur mihi etiam in baptismate fidelibus nondum esse satiatum tale desideriũ: sed fortassis si norunt vbi peregrinentur, & quò eis transeundum sit, etiam ardentiùs inflammantur. Denique titulus eius est, In finem intellectus filiis Chore, Psalmus. Magni Sacramenti res est, vt Christiani appellentur filij Chore. Vnde filij Chore? Filij sponsi, filij Christi. Dicti sunt enim Christiani, filij sponsi. Quare ergo Chore Christus? Quia Chore interpretatur Caluaria. Nonne iam occurrit in loco Caluariæ crucifixus? occurrit omninò. Ergo filij sponsi, filij passionis illius, filij redempti sanguine illius, filij crucis illius, portantes in fronte quod inimici in loco Caluariæ fixerunt, appellantur filij Chore: illis cantatur iste Psalmus. Illi sunt ergo qui idem sentiunt, dicuntque, Exeamus extra castra, improperium eius portantes; non enim habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Augustin. Enarrat in Psalm 41. init.

Qui Christum sapit, mundum contemnit.

Augustin. Ibidem.

Quoad secundum. Nullus quidem ciuitatem desiderat cœlestem, nullus non patriam exoptat gloriamve. Sed, vt dixit Sapiens: Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Patriam quærunt cœlestem, futurã ciuitatem, & negligunt viam, imò & aduersam nedũ diuersã arripiunt: ideóq; verè non inquirũt, sed fingunt, aut præsumunt se quærere. Succensebit ipse Seneca, docebitque errorem, licet nec attigerit nec peruiderit veritatem. Viuere, ait, omnes beatè volunt: sed ad peruidendum quid sit quod

Eccles. cap. 10.

Seneca lib. de vitâ beatâ cap. 1.

beatam vitam efficiat, caligant. Adeóque non est facilè consequi beatam vitam, vt ab eâ quisque eo longiùs recedat, quo ad illam citatiùs fertur si viâ lapsus est: quæ vbi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris interualli causa fit. Proponendum est itaque primum, quid sit quod petamus: tum circumspiciendum est, quà contendere illo celeberrime possimus: intellecturi in ipso itinere, si modò rectum erit, quantum quotidie profligetur, quantóque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Decernatur, itaque & quò tendamus, & quà: non sine perito aliquo, cui explorata sunt ea, in quæ procedimus. Quis peritus? An ipse Seneca, qui non solùm hallucinatus est in vitâ beatâ, sed & viâ lapsus est; qui non cupiditatem aduocat in ducem, sed & naturalem autumat. At verò peritissimus Paulus, qui non solùm euectus in cœlum, sed & Doctor Gentium constitutus. Quid igitur ipse de Christo Domino, qui non minùs via quam patria? Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo: id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Tria sunt necessaria ad beatam vitam, seu patriam, seu gloriam, seu futuram ciuitatem, seu æternam felicitatem consequendam. Primum est, scire in quo sita sit. Docuit Paulus, dum dixit, Manentem ciuitatem. De quâ Psalmus: gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Alterum, nosse quænam sit via quâ tendendum pergendúmque. Tertium, viam non solùm arripere, sed nunquam deserere; nunquam declinare vel ad dexteram vel ad sinistram, sed eidem semper itineri insistere Inde Paulus inducit concluditque. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. Tria sunt simul iuncta. Primum est, offerre hostiam laudis Deo: alterum, offerre per Christum: tertium, semper offerre; id est, perpetuum offerre laudis & gratiarum actionis sacrificium. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Quæris iter? En tibi proponitur, sed teneri præcipitur. Certè, vt dixit Augustinus, nihil prodest malis sacrificium laudis, quia assumunt Testamentum Dei per os suum, & faciunt damnanda quæ displicent oculis eius. Si malè viuis, & bona dicis, nondum laudas. Sed rursus si cum cœperis benè viuere, meritis tuis tribuas quòd benè viuis, nondum laudas. Nolo te esse latronem insultantem cruci Domini: sed nec te volo esse Pharisæum in templo iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus & perseuerans in illâ iniquitate, non dico tibi, non proderit laus, sed non laudas Deum, laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi iustus, nam nemo nisi humilis & pius, & de iniustitiâ tuâ inflatus incesseris, & alios in tuâ comparatione contempseris, & super exulteris te tanquam glorians de meritis tuis, non laudas Deum: nec ille ipsum laudat, qui malè viuit; nec ille ipsum laudat, qui quasi de suo benè viuit. Quomodo ergo sacrificium laudis glorificabit me? Nemo mihi offert hoc sacrificium laudis, & malus est: quia si laudat, non solùm linguâ laudat, sed & vita cum linguâ consentit. Sacrificium laudis glorificabit me. Et ibi via est, quâ ostendam illi salutare Dei. In sacrificio laudis via est, quâ ostendam illi salutare Dei, Quod est salutare

Tria ad beatam vitam sunt necessaria.

Psalm. 86.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 49. vers. fin.

A Dei? Christus Iesus. Et quomodo in sacrificio laudis nobis ostenditur Christus? Quia Christus cum gratiâ venit ad nos. Per ipsum ergo offerimus fructum labiorum operúmque nostrorum, per ipsum gratias recipimus, & gratias referimus, quia per gratiam tendimus in patriam.

Quoad tertium. Non satis est Deum laudare, oportet iuuare proximum. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Bona sunt opera pietatis, bona sunt & charitatis opera: illa B Deum laudant, ista proximum recreant, & vtraque diuinam spirant bonitatem, supremam placant delectantque Maiestatem. Duplex est sacrificium, ait Aquinas, quod super altare Christi offerre debemus: scilicet deuotionem ad Deum, & miserationem ad proximum. Quantum ad primum, ait Paulus, per Christum offeramus semper Deo hostiam laudis. Istud autem sacrificium laudis, vocat fructum labiorum, id est, confessionem vocis. Aliud verò sacrificium ponit, cum dicit, Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Quasi dicat, olim opere exercebatis opera misericordiæ, modò autem saltem corde, si non potestis C opere. Et ideò dicit, Nolite obliuisci beneficentiæ, id est liberalitatis, quantum ad ea quæ datis: largus enim beneficus est. Gal. 6. Bonum autem facientes, non deficiamus. Et nolite obliuisci communionis, quantum ad ea quæ seruatis, vt tempore suo communicetis. Rom. 12. Necessitatibus sanctorum communicantes. Vel, communionis, scilicet charitatis, per quam sunt omnia communia. Act. 2 omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Quare autem illud duplex sacrificium offerre debeamus, ostendit, dicens, Quia talibus hostiis promeretur (passiuè) Deus. Id est, possu-D mus Deum mereri talibus sacrificiis: ipse enim est merces nostra, quam istis operibus possumus acquirere. Genes. 17. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ad paupertatem redacti erant Iudæi, omnibus exuti facultatibus, vixque liberalitatem poterant exercere, charitatémque impendere. Idcircò rogat Paulus, instatque ne animum in aduersitate suâ remittant, ne vsum charitatis, sicut nec hospitalitatis intercipiant; sed omnibus benefaciant ex animo, omnibus pro modulo suo tribuant: vt Deum propitient sibi, æternúmque regnum comparent. Venale est regnum Dei. Audiuimus enim ait Augustinus, futuros quosdam ad dexteram, quibus dicit pater familiâs: venite E benedicti Patris mei, percipite. Quid percipite? Regnum. Pro quâ re? Esuriui, & dedistis mihi manducare. Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panē esurienti? Tanti valet regnū cœlorū. Frange esurienti panem tuū, & egenum sine tecto induc in domū tuam; Si videris nudū, vesti. Si non habes facultatē frangendi panem, non habes domū quò inducas, non habes vestē quâ cooperias: da calicē aquæ frigidæ, mitte duo minuta in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantū emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium, Regnū Dei tanti valet, quantum habueris. Ne credas ditiores esse feliciores, ne præsumas terrenis eim bonis, quod æternum est

Aquin. lect. 2.

Duplex sacrificium pietatis & charitatis.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 49. vlt. med.

est ac diuinum; nummis subiici, quod immensum infinitúmque: quantis enim opus esset diuitiis, vt ius illius acquireretur ciuitatis, vt munus illius emereretur felicitatis, quæ nec oculis cerni potest, nec animis comprehendi? Non igitur opibus terrenis comparatur, sed diuinis virtutibus; non pecuniâ, sed beneficentiâ vindicatur & misericordiâ. Tu, ait ille, vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum cælorum, & nõ est emendi tempus nisi in hac vitâ. Et quàm vili emas, attẽde. Tanti tibi valet, quantum habere poteris. Fac misericordiam. Hoc pretium est quo ciuitas permanens emitur: argentum, quo immortalitas florens semper, vigénsque acquiritur.

Augustin. Enarr. in Ps. 102. cir. med.

EXPOSITIO VI.

De subiectione.

EN tandem & aliud sacrificium, & quidem vltimum, sed optimum: cum obedientia melior sit quàm victima. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Tria igitur postulat Apostolus imperátque. Primò, obedientiam in subditis: secundò, vigilantiam in Præpositis: tertiò diligentiam in vtrisque.

1. Pet. cap. 2.

Quoad primum. Subditos dicimus seu subiectos, ideóque subiectionem exigimus summissionémve. Subiecti estote omni humanæ creaturæ. Si humanæ, quanto magis diuinæ? Creatura enim humana, quæuis persona est, in Regem seu Principem creata, in dignitatem, sed ob humanam sublimata politiam. Inde subdit, siue Regi quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquàm ab eo missis. Homines sunt ab hominibus constituti, & hominibus ad publicam tranquillitatem, ad humanam pacem Præpositi, dignitatem potestatémque in terrenâ ciuitate, seu mundanâ felicitate consecuti. At verò Paulus. Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Obedientiam præstate, demonstrate reuerentiam. Erga quos? Erga Præpositos, sed vestros. Homines alloquor, sed diuinos, id est Sanctos seu Christianos: hortor ad obedientiam, sed Episcopis à Deo & Christo ad Ecclesiam regendam constitutis exhibendam. Ad hoc illi positi sunt, ideóque Præpositi, quia ceteris dignitate, vt præfecti subditis præcellunt & auctoritate. Hoc loco, ait Athanasius, de Episcopis disserit. Nam cum priùs eos sic inquiens collaudasset: Fideles & dignos quos imitentur, & eis vt vitæ magistris intenderent, obedite, adiecit. Num ergo omni erit Principi obtemperandum. Ita quidem, vel si nequior sit ille & improbus, modò ne fidem obturbet, vel hanc vt deseras cogat. In ceteris verò nequitiam exercenti patendum censuerim. Ait namque, quæcumque dixerint vobis vt faciatis, facite; secundùm autem illorum operam, nolite facere. Obedite, & subiacete eis. Cum subiacete & succumbite, inquit, enixè maioribus obsequendum esse demonstrat, & ad fidem nos instituentibus. Hæret verbo Græco καὶ ὑπείκετε, quod infirmam docet subiectionem,

Athanas. in Paulum.

A summissionémque exactissimam. Nec discernit bonos & malos, sed Episcopos omnes præponit nedum proponit, dum Præpositos dicit, sed nostros, seu fideles Christianósve, vt à Deo & Christo eius constitutos. Ipse Dominus noster Iesus Christus, ait Bernardus, in factis dictisque suis multum nos obedientiam docet. Vera enim subiectio propter Deum, propriæ voluntatis est mortificatio: dum abiecta & indigna de se credit, & Deo acceptabilem hominibúsque dulcem obedientiam parat. Sed & ille summus melliflui oris Gregorius mirabiliter superexaltat & magnificat eam; demonstrare autem volens quanti meriti sit obedientia, ita ait vir eloquens; sola námque obedientia virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertásque custodit. Vnde primus homo præceptum quod obseruaret, accepit: cui si vellet se obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perueniret. Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas mactatur. Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante oculos eius repressâ arbitrij superbiâ gladio præcepti se immolat. Sola obedientia est quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis conuincitur, etsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem dicitur in ostensione obedientiæ: Vir obediens loquitur victorias: quia cum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Obedite ergo: parum est, καὶ ὑπείκετε. Et subiacete Præpositis vestris. Corde reuerentiam habetote, opere exhibetote obedientiam. Ipsi enim sunt Præpositi vestri, ἡγούμενοι, qui præsunt imperio, ducunt exemplo, & dignitate præcedunt & auctoritate: ipsi sunt patres, nedum Principes, quibus debitum est fidelis omnis obsequium.

Bernard. lib. de ord vit. circa med.

B

Quantum sit obedientiæ Christianæ meritũ.

C

Quoad secundum. Sunt equidem Præpositi, sunt Præfecti, sunt Præsides, sunt Antistites, sed ad vigilandum operandúmque constituti. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Itaque quanta est vtilitas obedientiæ in subditis, tanta est vigilantiæ in Prælatis necessitas. Magistratum, ait Chrysostomus, ducémque & rectorem non habere malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectûs ordinis & perturbationis ac confusionis. Nam sicut si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit ampliùs chorus modo congruus & ordinatus. Etsi à phalange exercitûs amoueris Imperatorem, non erit ampliùs numerosa & ordinata acies, & si nauigio ademeris gubernatorem, nauem demerges: ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia euertisti & deleuisti. Sed melius est à nullo duci, quàm duci à malo. Nam ille quidem sæpè euasit saluus, sæpè autem venit in periculum. Hic autem omninò veniet in periculum, ne abducatur in barathrum. Paulus ergo Præpositos primùm commendauit, & tunc dicit: obedite Præpositis vestris, & subiecti estote. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri. Audiant igitur etiam ij qui regunt & gerunt Magistratus, non solum ij qui ab iis reguntur: quòd sicut eos qui reguntur oportet esse obedientes, ita etiam eos qui regunt & gerunt Ma-

D

Chrysost. orat. 34.

E

gistratus, esse vigilantes & sobrios. Ille quidem Præpositus, est, sed benè Præpositus, si benè præest, si vigilat solerter, si instanter adlaborat. Vigilásne Deûm gens? Vigila. Lues enim nisi vigiles, nisi incessanter vigilantiâ superintenderis & industriâ, potentes tormenta patieris. Pape! (exclamat ille) quantum hic est periculum. Quid miseris illis dixeris qui se coniiciunt in tantam abyssum suppliciorum? omnium quos regis, mulierum & virorum & puerorum à te reddenda est ratio, tanto igni caput tuum subiicis. Miror an fieri possit vt aliquis ex Rectoribus sit saluus, cũ videat post minas & præsentem socordiam, aliquos adhuc accurrentes, & se coniicientes in tantam molem rectionis & administrationis. Nam si ij qui necessitate trahuntur, non habent quò confugiant & quo se excusent, si rem malè administrent & sint negligentes: nam & Aaron tractus est necessitate, & venit in periculum; & Moyses rursus venit in periculum, cum sæpè recusasset: & Saül cui fuerat creditum aliud imperium, postquam recusauit, vocatus est in periculum, quoniam ipsum malè administrarat: quantò magis ij qui in hoc studium suum ponunt, & in id irruunt? Qui enim talis est, longè magis se omni priuabit veniâ. Timere igitur oportet & contremiscere, & propter conscientiam, & propter molem imperij: imò verò etiam fugere. Quid enim dicit, vigilat. Imminet periculum eius capiti, subiicitur pœnis tuorum peccatorum. Et isti ergo dicetur; Non esses de numero damnatorum, si non fuisses de numero Prælatorum. Præpositus eras, id est, ad vigilandum & operandum vocatus. & quasi in perpetuis positus excubiis: expectatus es vt vigilantiam exhiberes, & negligentiam reddidisti; vt curam haberes, & incuriam præstitisti. Pastores sunt Sacerdotes (ait Ambrosius) Et ille est Pastor, cui dicitur: Esto vigilans, & confirma. Episcoporum est confirmare: vigilare scilicet & laborare.

Chrysost. ibidem.

Ambrof. lib. 2. in Luc.

Quoad tertium. Obedire quidem inferiores debent, superiores vigilare; sed tam diligenter illi, quàm isti alacriter. Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc non expedit vobis. Grande sustinent onus, munus exercent difficile: quantum est enim non solùm pro suis, sed & pro alienis fidem obstringere, rationem reddere; cum vix cognoscat aliena, vix & ad sua sufficiat? Quantum est semper vigilare, etiam cum alij dormiunt; incessanter laborare, etiam cum alij requiescunt? Sed honor tolerabilis, & labor leuis, si subditi obediant ex animo, si Prælato tam exactè tamque religiosè morem gerant & honorem, vt mutuam acuant diligentiam. Necesse est, ait Bernardus, vt ipsa obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu fiat; non terrore pœnæ, sed amore iustitiæ. Nulla quippe innocentia, nulla vera obedientia est, nisi in eis charitas fulgeat, quæ virtutes omnes transcendit. Sæpè enim falsa obedientia sub timoris specie palliatur. Imperium prædico, sed Christianum; in quo qui imperat, debet esse sicut qui ministrat. Qui præcessor est, sicut ministrator. Ait princeps Pastorum. Principari in Clero, non est in Clero dominari, sed pro populo & Clero vigilare; non ministrari, sed ministrare; non ditari, sed ani-

Bernard. lib. de ord. vit. vit. med.

Luc. cap. 22.

A mam suam, nedum substantiam pro omnibus dare fidelibus. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Quænam solutio? Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat. Prælatum effero, sed Christianum; id est, qui se pro dignitate non efferat, sed qui in humilitate consistat. Illud nouerit, ait Basilius, quòd humilitas vera, ministerium plurium est. Sicut enim B qui pluribus ministrat vulneratis & abstergit cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ministerium in causam elationis; sic multò magis cui commissæ sunt curæ fraternorum languorum, vt omnium minister redditurus pro omnibus rationem, cogitare debet, & esse sollicitus: & sic, qui maior est, fiat sicut minor. Decet autem & corporale obsequium ab his qui præsident offerri, exemplo Domini lauantis pedes discipulorum. Vnde sequitur, qui præcessor est, sicut ministrator. Nec timendum ne in subdito soluatur humilitatis propositum: dum ei à maiori seruitur, sed in imitatione panditur C humilitas. Tales mihi benefici, tales mei Præpositi, qui subditos ament tanquam filios, qui sua dispensent beneficia, & aliena procurent commoda. Sed & illos subditos volo, qui ex animo pareant, qui filiale exhibeant obsequium, fidele præstent ministerium, gaudium, nõ fletum procurent: sic præsint illi, vt præsint istis; talésque sint subditi, quales Episcopi. Vt cum gaudio, inquit, hoc faciant, & non gementes. Vides, ait Chrysostomus, quòd Rectorem & Magistratum, si contemnatur, non oportet se vlcisci: nam & Medico, si contemnatur ab ægroto, non licet se vlcisci, sed flere & ingemiscere? Si autem ingemiscat, vlciscetur Deus. Ideò ait, Hoc non expedit vobis. Vigi-D lant Pastores, nonne & oues vigilant? Custodiendæ sunt vigiliæ noctis super gregem cogitationum & actionum nostrarum: (Ita Bernardus) vt si in primâ vigiliâ, vel secundâ, vel tertiâ Dominus venerit, paratos nos inueniat. Prima vigilia est rectitudo operis: in omnibus viæ & vitæ huius exercitiis non declinando ad dexteram neque ad sinistram. Secunda, puritas intentionis, vt simplex oculus totum corpus lucidum faciat: vt quicquid feceris, propter Deum facias. Tertia, est custodia vnitatis, vt voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas. Si æqualium & inferiorum, quanto magis E superiorum, quorum dignitas veneranda, nec tam humana, quàm diuina reputanda est auctoritas. Redde superiori, ait ille, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes. Redde, inquam, reuerentiam Prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exteriùs obtemperare maioribus, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quòd etsi tam manifestè innotuerit indigna Prælati alicuius vita, vt nihil omninò dissimulationis, nihil excusationis admittat: propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quem modò talem nouimus, excelsum reputare debemus; non præsentibus personæ meritis,

Basil. apud Aquin.

Quales Episcopi, tales & subditi.

Chrysost. orat. 34.

Bernardus serm. 3. in vig. nat. Dom.

Bernard. serm 3 de adu. Dom. in med.

meritis, sed ordinationi diuinæ, & dignitati ipsius officij deferentes. Præpositi imposito aduigilent officio, subditi debito instent præsténtque obsequio: gemant illi, sed isti non cogant: quod enim in illis datur charitati, in istis iniquitati deputatur.



ANALECTA.

ANALECTA Deorum, vt ferunt, sunt optima: si falsorum, non fero; si verorum sed adoptiuorum, hoc est quod profero: Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi: Analecta ista sunt optima. Prima cogitatio, ait Augustinus, posteriores reliquiæ cogitationis. Quæ est cogitatio prima? Vnde incipimus. Iam verò prima cogitatio facit in nobis reliquias cogitationis: & ipsæ reliquiæ cogitationis solennia celebrabunt Deo.

Augustin. in Psalm. 75. vlt. med.

ANALECTVM I.

De Oratione.

Aquin. lect. 3.

VNus interpellat multos, & pro multis, & tamen Paulus se solum commendat, aut certè præcipuum. Cum enim dicit, Orate pro nobis, monet, (vt sentit Augustinus) qualiter se debeant habere ad ipsum; petit enim quod ipsi orent pro eo. Simile habetur Rom. 15. Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritûs sancti, vt adiuuetis me in orationibus vestris. Impossibile est enim, seu valdè difficile, preces multorum non exaudiri. In hoc ergo quod Apostolus qui certus erat quòd Deo erat acceptus, petit orari pro se, percutit superbiam aliquorum qui dedignantur ab aliis preces petere. Prima igitur cogitatio, ex primâ epistolarum omnium, si non ætate, saltem dignitate: reliquiæ cogitationis, ex vltimâ omnium epistolarum, ætate scilicet, sed non dignitate. In primâ, seipsum nominat solum; in vltimâ, dum plures citat, omnes aduocat, vtpote peccatores, diuináque semper & vbique indigentes gratiâ. Adhuc intelligendum est (verba sunt Augustini) prima cogitatio confessionem habet, & remissionem à vetere vitâ. Sed si oblitus fueris à quibus peccatis liberatus sis, non agis gratias liberatori, & non celebras solennia Deo tuo. Ecce prima cogitatio confidens Sauli Apostoli, iam Pauli, qui primò Saulus fuit. Domine, ait, quid me vis facere? Et hæc cogitatio confitentis, iam Dominum appellat quem persequebatur. Quomodo reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt? Vide quemadmodum repetit quòd sibi donatum est: Qui priùs, inquit, fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus. Quid dicit? Priùs fui blasphemus. Nunquid adhuc blasphemus est? Vt non esset blasphemus, fuit prima cogitatio confitens? vt autem commemoraret quid illi donatum est, reliquiæ cogitationis erant, per ipsas reliquias cogitationis solennia celebrabat. Cum credidimus, tunc nobis fuit cogitatio: modò autem reliquiæ cogitationis sunt, quâ meminimus quis ad nos venerit, & quid nobis donauerit. Ex ipsis reliquiis cogitationis, id est, ex ipsâ memoriâ, quotidie nobis sic immolatur Christus, quasi quotidie nos innouet, qui primâ gratiâ suâ nos innouauit. Ergo vnusquisque recordetur quid fuit, & verum iam non sit: & tunc subueniet ei qui adhuc est quod ille iam non est. Si autem iactat se de meritis suis, & repellit tanquam indignos peccatores: equum ascendit, videat ne dormiat: Dormitauerunt enim qui ascenderunt equos. Iam tunc dimisit equum: humiliauit se, non iterum ascendat equum, id est, non se rursus erigat in superbiam. Vndè fit illi hoc? Si reliquiæ cogitationis solennia celebrent Deo. Si primas cogitationes vltimis cumulent.

Augustin. Enarrat in Psalm. 75. vlt. med.

Solemnia per reliquias cogitationis celebrata.

Non dormitat Saulus ex equo deiectus, & Paulus, id est modicus seu paruus, modicò seu momento factus. Non ignorat, quæ sibi à Deo donata sunt, imò palàm proclamat, sed diuinæ deputat misericordiæ; ideóque preces omnium orationésque etiam infimorum, & in suffragium aduocat ac subsidium: nec minus ad gratiarum conseruationem augmentationémque, quàm in actionem gratiarum. Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus benè volentes conuersari. Vbi, Aquinate obseruante, Assignat rationem petitionis suæ. Orate pro nobis: quia non habemus conscientiam alicuius peccati, nec alicuius malefacti. Sed confidimus, Nec ait, certi sumus, quia delicta, quis intelligit? Quià ergo bonam conscientiam habemus benè volentes conuersari in omnibus: ideò non repugnat mihi quin orationes vestræ sint vtiles. 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Scit se sibi in omnibus benè conscium, confidit se bonâ voluntate ministrandi & dictis & factis ædificandi; id est totâ charitate præditum: nouit tamen his se donatum beneficiis, & quod gratis datum, gratis etiam conseruandum. Thesaurus est, non tantùm propriis manibus, sed & precibus alienis muniendus; vt quod nostris non datur operibus, alienis concedatur orationibus. Dicit Apostolus: (verba sunt Basilij.) Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destrui iustitiâ, verùm solâ in Christum fide iustificatum esse. Dicit ergo Paulus, Qui gloriatur, in Domino glorietur: vbi scilicet dixit, quòd Christus nobis factus sit à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Gloriatur enim in eo Paulus quòd suam ipsius iustitiam contemnat, sectetur autem per Christum eam iustitiam, quæ ex Deo est in fide. Decidit hîc vniuersa arrogantiæ sublimitas. Nihil tibi relictum est, ô homo, de quo gloriari possis, cuius gloriatio & spes in eo sita est, vt omnia tua mortifices, & futuram in Christo vitam quæras. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate: Deus est qui in laboribus dat virtutem: Abundantiùs omnibus, inquit, laboraui. Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Quid igitur teipsum, dic quæso, extollis? quasi propria habeas bona, cum gratias pro

Aquin. lect. vlt.

Basil. Hom. de humil. cit. med.

Vndè vniuersa animi detruncata superbia.

pro donis agere debeas largitori? Quid enim habes quod non accepisti? Si verò & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.

ANALECTVM II.

De Restitutione.

NOn boni temporalis, & tamen ingentis boni: nimirum tanti Apostoli. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celeriùs restituar vobis. Quid, hoc facere? Orare scilicet pro me. Magna enim arma sunt preces, (ita Chrysostomus, si cum eâ quâ par est mente fiant. Et vt earum vires intelligas: impudentiam & iniquitatem, crudelitatem & importunam audaciam vincunt assiduæ preces. Audite enim quid dicat index iniquitatis: quod non fecit amicitia, hoc assidua fecit interpellatio: etsi non propterea quòd sit eius amicus, inquit, dabit ei; sed tamen propter eius impudentiam, surgens dabit ei, & eam quæ erat indigna dignam fecit assiduitas. Attendamus orationi. Sunt magna arma preces, si fiant attentè, si cum puro & sincero animo. Ideò igitur Paulus instat impensiùs, & enixiùs obsecrat, rogari pro se, & impetrari: nam quod dignitas non obtinet, extorquet assiduitas. Postulandum, instandúmque; nec petendum tantummodò, sed & in omnes preces descendendum: vt quod indignitati denegatur, tribuatur importunitati. Debebat homo, ait Basilius, in gloriâ quam apud Deum habebat manere, & sublimitatem habuisset non fictam, sed veram, potentiâ Dei sublimis, sapientiâ diuinâ præclarus, æternâ vitâ illiúsque bonis sese oblectans & alienis. Postquam verò diuinæ gloriæ desiderium mutauit, maiorem sperauit, & quam non poterat accipere apprehendere satagens, quam habere poterat perdidit; maxima illi salus est, quòd & morbum curare licet, & ad pristinam dignitatem per animi submissionem redire; nec aliquem gloriæ prætextum per seipsum comminisci, sed à Deo quærere. Hoc namque pacto lapsum corriget, ita ad sacrum præceptum quod deseruit recurrit. Nunc necesse est summitti, & ad pristinam dignitatem, diuinámve precibus reuerti non minùs instantibus, quàm humilibus.

Chrysost. orat. 27. in cap. 11.

Datur importunitati, quod indignitati denegatur.

Basil. Hom. de humil. à limine.

Nec humanâ solùm necessitate admonetur Apostolus, sed & paternâ vrgetur charitate. Non tanquam inimicus, inquit, (apud Chrysostomum) nec tanquam hostis hæc scribo, sed tanquam amicus: & hoc ostendit ex eo quod sequitur: Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs restituar vobis. Hoc erat eius qui vehementer eos amabat; ita precari; & non solùm precari, sed cum omni studio, vt ergo, inquit, citò veniam ad vos. Hoc est eius qui sibi nihil est conscius, studium ponere vt ad eos veniat, & rogare ipsos vt pro ipso orent. Equidem inuisus fuit Paulus nonnullis Hebræis: sed duodecim sunt horæ diei: & quamuis perseueret indignatio, cessétque oratio: satagit tamen Paulus, quærétque semper non quod sibi tutius, sed quod vtilius alteri. Assignat ergo aliam rationem, ait Aquinas, quare debent orare pro ipso, quia scilicet hoc erit eis vtile. Vnde dicit, Amplius, id est, propter aliud? Deprecor hoc vos facere, hoc est orare. Quo restituar celeriùs vobis: quod erit ad vtilitatem vestram. Roman. 1. Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis. Imò verò multum per omnem modum. Dic mihi, ait Chrysostomus, si velles videre regiam multo auro splendentem, & gemmarum fulgore coruscantem; inueneris autem eum qui habet clauem, ille autem rogatus statim aperuerit & intromiserit, an non ipsum omnibus præponeres, non æquè atque oculos amares, non osculareris? Hic cælum tibi aperuit, & non oscularis, non amplecteris? Si vxorem habeas, non eum maximè desideras qui eam tibi conciliauit? Ita si Christum diligis, si diligis regnum cælorum, agnosce per quem id habueris.

Chrysost. orat. 34.

Vitâ negliget Paulus, vt ædificet Ecclesiam.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. orat. 10. in cap. 1. ad Thess. 2.

ANALECTVM III.

De Optatione.

TRia notanda sunt ex Chrysostomo. Primum est, Paulum non solum petere precem, sed & vicem reddere. Cum priùs, inquit, ab ipsis petiisset orationē, tunc eis quoque precatur omnia bona. Alterum, in aliis epistolis orationem ab initio præmittere in istâ verò in finē distulisse. In aliis quidem epistolis precatur in initiis, hic autem in fine. Incipit enim, velut qui commentarium aggressus, formam non seruat epistolæ: absoluit, velut qui amicum allocutus, epistolam obsignat consueto amicitiæ Christianæ symbolo. Tertium, Græcum καταρτίζειν, idem esse apud eum, ac perficere, integrum reddere absolutúmque. Integrum enim, inquit, reddi dicitur id quod habet initium, & deinde impletur. Dicendo ergo, integros vos faciat in omni bono opere: Habetis quidem, inquit, virtutem. Opus autem habetis complemento. Sed non sine causâ præmisit Apostolus, Deus autem pacis, &c. Addidítque, Aptet uos, &c. Nimirum vt animos temperaret, & per membrorum harmoniam, animorum insinuaret concordiam· Itaque καταρτίζειν, non aliud equidem est quàm perficere, sed talis illa perfectio, qualis apta partium membrorúmque compositio: vt tanta sit in animis Christianorum consonantia, quanta sympathia in membris corporum. Vos Deus ille qui Deus pacis est, non contentionis, componat, aptósque reddat & idoneos. Pax, ait Aquinas, nihil aliud est, nisi vnitas affectuum: quos vnire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quæ à solo Deo est, vniuntur corda. Dicit ergo, Deus autem pacis. Proprius enim effectus Dei, est facere pacem, Deus enim nouit colligere & vnire, quia Deus est charitas, quæ est vinculum perfectionis. Vnde ipse, habitare facit vnanimes in domo. Homo autem inter se, & Deum, pacem fecit per mysterium Christi. Et ideò dicit, Qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium: eduxit enim de mortuis, id est, de sepulchro, quod est locus mortuorum. Dicitur autem Christus pastor ouium, id est, fidelium, & humilium: & pastor magnus, quia omnes alij sunt vicarij eius: quia ipse pascit oues proprias, alij

Chrysost. orat. 34.

Animorum concordia, ex membrorum sympathiâ.

Aquin. lect. 4.

alij autem oues Christi. In sanguine autem testamenti æterni, id est, in virtute sanguinis Christi, per quem confirmatur testamentum nouum, in qua æterna promittuntur, ad differentiam veteris. Consequenter igitur subiungit petitionem suam, cum dicit, Aptet vos in omni bono: voluntas enim humana cum sit quædam inclinatio rationis, est principium actuum humanorum: sicut grauitas est principium motûs grauium deorsum; vnde se habet ad actus rationis, sicut inclinatio naturalis ad actus naturales. Res autem naturalis dicitur apta ad illud, ad quod habet inclinationem. Sic etiam homo quando habet voluntatem benefaciendi, dicitur aptus esse ad illud.

Quid est igitur aptatio, nisi quædam inclinatio, congruitas seu connaturalitas, quâ fertur quid in aliud, & amore quasi pondere, imò pondere quasi amore mouetur, non tamen cogitur. Absit enim, ait Augustinus, vt dicatur à nobis, eum cuius voluntatem nos dicimus à Domino præparari, ita fieri bonæ voluntatis, vt bonum velle cogatur: si enim cogitur, non vult; & quid absurdius, quàm vt dicatur nolens velle quod bonum est? Præparat igitur Deus aptatq; voluntatem, dum inspirat charitatem; quâ propendeat in bonum, & præceptum adimpleat. Vnde ille Iuliano pelagiano: Cum quæritur à vobis, inquit, quæ sunt adiutoria gratiæ Dei, dicitis Deum adiuuare præcipiendo, benedicendo sanctificando, coërcendo, prouocando, illuminando, quæ omnia etiam per homines fiunt secundùm scripturas. Nam & præcipiunt homines & benedicunt, & per diuina Sacramenta sanctificant, & corripiendo coërcent, & exhortando prouocant, & docendo illuminant: non tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hoc est opus gratiæ & munus misericordiæ, vt aptet voluntatem, id est, inclinet per charitatem: quâ scilicet ex torpente faciat agentem, seu ex nolente reddat volenté. Quod namq; iam dixit, ait ille, iterum dico, & video sæpè dicendum, Nemo nisi per gratiam Christi ad bonum quod vult agendum & ad malum quod odit non agendû potest habere liberum voluntatis arbitrium: nô vt voluntas eius ad bonum sicut ad malum captiua rapiatur, sed vt à captiuitate libera ad liberatorem suum liberali suauitate amoris, non seruili amaritudine timoris attrahatur. Igitur, vt concludam ex Aquinate: Quando Deus immittit homini bonam voluntatem, aptat eum, id est, facit eum aptû. Et ideò dicit Paulus, Aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: id est, faciat vos velle omne bonum. Hæc est enim voluntas Dei, scilicet, quod Deus vult nos velle. Aliter enim non est bona volûtas nostra. Voluntas autem Dei est bonum nostrum. Dupliciter autê aptatur homo ad benefaciendum. Vno modo, exteriùs operâdo: & sic vnus homo aptat alium persuadendo, vel comminando. Alio modo, aliquid interius exhibendo; & sic Deus solus aptat voluntatem, qui solus potest ipsam immutare. Vnde dicitur, Faciens in vobis. Quid autem faciet? Quod placitum est coràm se, id est, faciet vos velle quod placet ei. Idque, per Christum. Nihil enim impetratur à Patre, nisi per filium. Et ideò dicit, Per Iesum Christum. Cui est gloria in secula seculorum: id est, gloria sempiterna. Hæc est igitur tota gratiæ diuinæ œconomia, vt pater ex beneficio seu merito Christi filij sui, humanam aptet voluntatem, seu per infusam ad verum ac bonum suscipiendum inclinet charitatem.

Augustin. lib. 1. op. inch. n. 101.

Augustin. lib. 3. oper. inch. n. 116.

Augustin. eodem lib. num. 114.

Aquin. lect. vlt.

In quo tota gratiæ diuinæ œconomia.

ANALECTVM IV.

De excusatione.

Iam excusationem præoccupauerat, dum postulauerat orationem. Orate, inquit, etiam pro nobis. Confidimus enim quòd bonam conscientiam habemus: in omnibus benè volentes conuersari. Vides, ait Chrysost. quòd in his se purget & excuset, vt qui scribat ad eos tanquam ad molestiâ affectos, tanquam ad auersantes, tâquam ad eos qui in eum erant affecti vt transgressorem & qui ab eis defecerat, qui non ferebant vel nomen quidem eius audire. Scribebat quidem ad Hebræos, sed Christianos, apud quos per bonam conscientiam, certam dicendi & arguendi præsumebat fiduciam. Non amplius, ait ille alibi, possumus increpare eos qui à nobis reguntur, cum ipsi eadem quoque febre teneamur. Honoris serui facti sumus, Deo dimisso: & ipsi egemus medicina, quos Deus posuit vt aliis mederemur. Quænam autem iam restat spes salutis, cum ij ipsi qui medentur, aliorum manu indigent? Magna huius mali vehementia: omnia sunt euersa & deleta. Bonâ sensit conscientiam Apostolus, & inde fiduciam sumpsit non solum loquendi, sed & petendi. Quis enim iustius officium meretur, quàm qui impendit obsequium; aut quis votum dignius consequatur, quàm qui susceptum impleuit ministerium? Si quis tamen ambigat, dubium euacuat ipse, & ad innocentiæ testimonium, aduocat conscientiæ suffragium. Nunc autem dum rogat, palàm excusat. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij: etenim perpaucis scripsi vobis. Consolationem dixeris an exhortationem? παρακλήσεως. Qui enim solatur, multum lætificat: qui autem adhortatur, aliquantum contristat. Consolatio enim, vti dixit Ambrosius, mitis esse debet, non aspera; quæ magis dolorem leniat, feruorem mitiget, quàm commotionem excitet. Exhortatio verò dum remedium parat, malum indicat; & dum vitium stringit, pungit animum. Inde excusatur fiducia, ne lędatur amicitia. Verùm, vt & ipse notauit Ambros. Etiam in Apostolo legimus exhortationem pro consolatione dictam, & consolationem pro exhortatione. Ista quippe duo, vno verbo sût expressa.

Vnde ergo excusationem captat Apostolus, & consolationem purgat vel exhortationem? Etenim perpaucis scripsi vobis. Non sit vobis consolatio seu exhortatio onerosa, quia nô fuit prolixa: si reprehendi, si argui, tâ consolationem vestram intendi, quàm emendationem; idcircò nec inceptam protraxi orationem, quamuis multa sese offerrent dicenda, multa superessent exponenda. Sermones autem breues, vti dixit Aquinas, valdè accepti sunt; quia si sunt boni, inde auidiùs audiuntur; si verò mali, parùm grauant. Laciniosus sermo semper onerosus est: imò, vt dixit Tertullianus. Et onerosus, & vanus est. Non tamen ita constringendus est compendio,

Chrysost. orat. 34.

Chrysost. oratio. in cap. 4. ep. ad Ephes.

Vnde deleta & euersa sunt omnia.

Ambros. Enarrat. in Psalm. 37. vlt. med.

Ambros. Enarrat. in Psalm. 118. oct. 10.

Aquin. lect. 3.

Tertullian. lib. de vel. virg. cap. 4.

compendio, vt ſit diſpendio: ſi nimius, vileſcit; ſi nimium contractus, non ſufficit. Sic quippe de doctrina dicendum eſt ac de pluuia, quæ ſi paruum fluit, vix terram madefacit; ſi verò nimium affluit, ipſam opprimit. Ita Iob de Deo: Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Quid enim hoc loco aquam, niſi ſcientiam: (ait Gregorius) quid nubes niſi prædicatores appellat? Nam quia in ſacro eloquio aliquando aqua ſcientia dicitur, Salomone atteſtante didicimus, qui ait: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundās fons ſapientiæ. Aquā ſignari ſcientiam Dauid Propheta teſtatur, dicens: Tenebroſa aqua in nubibus aëris: id eſt, occulta ſapientia in Prophetis. Nubium verò nomine quid hoc in loco aliud quàm prædicatores ſancti, id eſt, Apoſtoli deſignantur, qui per mundi partes circumquaque tranſmiſſi, & verbis nouerant pluere, & miraculis coruſcare? Quos Eſaias Propheta longè antè intuens, dixit: Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? Quia igitur vir iſte prophetico plenus ſpiritu, in hac locutione ſuā ad laudem Dei initia naſcentis Eccleſiæ deſiderat exordiri, ſtudet eius ordinem ab Apoſtolorum prædicatione narrare. Nam ſi ſcientiam ſanctam, quæ hìc aquæ nomine deſignatur, vt hauriebant corde, ita ore funderent, immenſitate eius auditores ſuos opprimerent potius quàm rigarent. Vt ergo auditores rudes non inundatione ſcientiæ, ſed moderatā prædicationis diſtillatione foueantur, ligat Deus aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum: quia doctorum prædicationem temperat, vt auditorum infirmitas, doctorum rore conualeſcat. Quoties Auguſtinus, doctorum auguſtiſſimus, ſermonem profluum obrupit, aut ſe breuem futurum promiſit? Vt ego vos non diu teneam, præſertim quia ego ſedens loquor, vos ſtando laboratis. Sed id maximè requiritur, vbi quis arguitur. Quemadmodum enim qui ſecant, (vt obſeruat Chryſoſtomus) hoc breuiter facere ſtudent, celeritate ſectionis, cruciatūs ſenſum fallentes, ſic & aſperitatem ob urgationis paucis verbis oportet conſtringere. Sublimiter igitur docuit Apoſtolus, ſed breuiter ſecuit: & inde excuſatus quod nec moroſitate moleſtus fuit, nec diuturnitate importunus.

Si ſermo nimius, vileſcit, ſi parcus non ſufficit.

Gregor. lib. 17. Moral. cap. 14.

Auguſtin. ſerm. 49 de diuerſ. cap. 1.

Chryſoſt. Hom. 5 de verb. Iſaiæ.

ANALECTVM V.

De dimiſſione.

AN Timotheus detentus fuerit in vinculis, non conſtat, conſtat tamen quod fuerit dimiſſus: expeditis an ſolutis potius negotiis, quàm vinculis exſolutis. Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos. Sanè, Paulum vinctum ſocium habuiſſe Timotheum, liquet ex epiſtolis Romā ſcriptis, in quibus Pauli ac Timothei ſalutatio communis eſt, ſed non liquet an communis fuerit ſociorum captiuatio: maximè, cum Paulo Romam perducto, vincula ipſius laxata ſint potius quàm in diſcipulos ſeu ſocios propagata. Cum autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite. Poſt tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum: & cum dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter ſe quæſtionem. Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens ea quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione. Quinimò vrbem ingreſſus eſt Paulus, non vt qui ſupplicium ſubiturus eſſet, ſed vt qui triumphum ducturus. Cum Audiſſent fratres, occurrerunt nobis vſque ad Appij forum, ac tres tabernas. Quos cum vidiſſet Paulus: gratias agens Deo, accepit fiduciam. Non enim tractus eſt, quaſi militum manu coactus, ſed fratrum comitatu perductus, omine felici, & ingenti honore. Vnde & adueniens cum gloriā ſuſceptus eſt, & in liberā relictus cuſtodiā: in quā non tam ſupplicio premeretur, quàm fungeretur imperio. Feſtina ad me venire citò. Creſcens abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas eſt mecum ſolus. Ita ſuos delegat aut aduocat pro libito, non tanquam concaptiuos, ſed tanquam viæ ſocios, & ſcholæ ſuæ diſcipulos. Quomodo ergo Timotheus, qui poſtremus acceſſit, vincula ſubiit, quæ nulli alteri inter comites aut collaterales intentata? Cognoſcite ergo fratrem noſtrum Timotheum, à me dimiſſum, ad prædicandum (ita ex Aquinate) & ad vos miſſum. Cognoſcite, id eſt, gratiosè accipite. Cum quo (ſi celeriùs venerit, videbo vos. In quo oſtendit dilectionem quam ad ipſos habebat, Ego meipſum itineri accingo, ſed interim præmitto Timotheum, iam aliis liberum negotiis: ſpero autē illū me aſſecuturū, & apud vos reperturum, ni fiat ei mora, vel aliqua prædicationis, aut inualetudinis occurrat remora.

Acta cap. 28.

Paulus Romam honorificè perductus.

2. Timoth. cap. 4.

Aquin. lect. vlt.

An verò Paulus redierit Ieroſolymam, aut quò Romā contenderit, diſputari poteſt, ſed tutò non poteſt affirmari. Si enim animum Pauli conſulas, vbique eſt: ſi Dei placitum requiras, neſcio vbi. Ita ille ad Romanos. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. Nunc verò vlteriùs locum nō habens in his regionibus, cupiditatē autem habēs veniendi ad vos ex multis iā præcedentibus annis: cum in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero. Et ad Philippēſes. Et hoc cōfidens ſcio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei, vt gratulatio veſtra abūdet in Chriſto Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos. Denique & Philemoni, quaſi propediē Romā diſceſſurus: Simul autem, inquit, & para mihi hoſpitium: nā ſpero per orationes veſtras donari me vobis. Iam verò & ad Hebræos. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. Illis quippe primò viſus, iſtis verò redditus, aut reddendus. Interim dimittit præmittitque Timotheum circumciſum, ideóq; Iudæis ipſis acceptiſſimum, confiditque ſe mox affuturum. Vel id quidem, ait Athanaſius, ad illorum ſedanda in Paulum odia, ſiquidem promptior ſit cum diſcipulo ſeſe ad eos conferre. Ita Athanaſ. ſed nomine & inſcriptione: cum enim non ſemel Baſilium laudet, liquet non eſſe Athanaſium Baſilio priorem, ſed aliquem alium & Baſilio & ipſo

Rom. c. 15.

Philipp. c. 1

Athanaſ. in Paulum.

ipso posteriorem Athanasio non multum à Theophylacto Bulgario differentem? Sed redeo ad Paulum nostrum, & dico potuisse promissum exsoluere, & omnibus quibus est pollicitus toto ferè decennio satisfacere: sed affectũ erga omnes ostendit suum, euentum commisit Spiritui sancto, cuius instinctu mouebatur, cuius ductu regebatur. Quid autem voluerit, vel quò impulerit, scit ipse qui iussit.

Propositum Pauli diuino directum consilio.

ANALECTVM VI.

De apprecatione.

SAlutationes non moror, nec tamen aspernor. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italiâ fratres. Reciproca beneuolentiæ mutuæ symbola. Vide, ait Chrysostomus, quomodo ipsos honorauerit, siquidem ad illos pro illis scripsit. Salutat Hebræos, nec superiores solùm, sed & inferiores, dummodo Christianos, fidem sanctitatémq; professos. Repræsentat fideles omnes, non Romanos tantùm, sed & Italos, id est, per vniuersam dispersos Italiam. Vnde manifestum est, epistolam in Italiâ conscriptam, Romã verò missam, si non æquè manifestum, certè non est dubitandum: omnes enim inde epistolas à vinculis suis destinauit, & hanc postremam quasi iam profecturus, vtpote vinculis exsolutus, ibidem consignauit. Sed dum consignauit, suo etiam obsignauit testimonio. Tria ergo in vltimis istis analectis indicia sunt Paulinæ epistolæ, tanquam indubitati fœtûs, & partûs legitimi. Primum est, quòd roget Hebræos sufferre verbum solatij: vt quid enim rogaret, nisi se sciret multis inuisum, paucis ob suppressionem circumcisionis, & regis abolitionem acceptum? Alterum est, quòd Timotheum suum deleget, tanquam comitem assiduum, & fidelem discipulum. Tertium denique, quod epistolam suam proprio obsignet symbolo. Salutatio, meâ manu Pauli: quod est signum in omni epistolâ: ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hoc est ergo signum epistolæ germanæ, sigillumve manu proprii Pauli appositum: gratia cum omnibus vobis. Amen. Quamuis enim amanuensi vteretur Apostolus ad literas conscribendas; vbi tamen illæ concludendæ, graphium inuadebat, & seipsum ostendebat expresso gratiæ diuinæ symbolo. Gratia cum omnibus vobis. Quod quidem, ait Chrysostomus, erat commune omnium. Quid est autem gratia? Remissio peccatorum. Ipsa purgatio sit vobiscum. Hoc est enim causa omnium bonorum, quòd in nobis permaneat gratia spiritûs: ea enim est nobis dux ad omnia: sicut certè quando ea à nobis auolauerit, nos perdit, & desertos reddit.

Chrysost. orat. 34.

2. Thess. cap. 3.

Chrysost. orat. vlt.

Gratia omnium bonorũ est causa.

Sic ergo censendum de gratiâ, vt à Gregorio Theologo definitum est de sapientia. Prima sapientia, est vita proba, & honesta, Deóque perpurgata, vel certè se purgans, Deo inquam, qui purissimus & splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium à nobis requirit, quod quidem cor contritum, & laudis sacrificium, & nouam in Christo creaturam, & nouum hominem aliaque id genus, appellare Scriptura consueuit. Prima sapientia est, sapientiam in sermone ac dictionum strophis, atque adulterinis & superuacaneis sitam, aspernari. Sed hanc ego sapientiam laudò, hanc complector, per quam ignobiles gloriam consecuti sunt, & ad quam ij, qui nullo in pretio erant, cæteris prælati sunt, & cum quâ piscatores, vniuersum orbẽ, Euangelij vinculis, tanquam retibus, implicuerunt, ac per consummatum & abbreuiatum verbum, sapientiam eam, quæ destruitur, superarunt. Prima igitur gratia, culpæ purgatio est, & animæ renouatio: hæc enim bonorum causa, & vita virtutum, sed eam volo gratiam, quæ animam perficit, & perducit ad gloriam. Hic quippe est tropologiæ omnis, & anagogiæ finis: sed ista contendit, vt illam vincat, vincit, vt palmam illustriorem, & nobiliorem coronam referat. Iustatum enim animarũ, vti dixit Ambros. per ordines quosdam digesta lætitia. Primum quòd vicerint carnẽ, nec illecebris eius inflexæ sint. Deinde, quòd pretio sedulitatis & innocentiæ suæ securitate potiantur. Est enim ordo quietis, quia est & resurrectionis. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo, inquit, omnes viuificabuntur. Vnusquisq; autẽ in ordine suo: primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt, deinde finis Erit igitur ordo diuersus claritatis & gloriæ, sicut ordo meritorum. Processus quoq; ordinum, processum exprimit claritatis. Ergo quia iusti hanc remunerationem habent, vt videãt faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnẽ hominẽ; ab hinc induamus huiusmodi studiũ, vt appropinquet anima nostra Deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, nõ separemur ab eo. Et hic quidem positi meditando, legendo, quærendo copulemur Deo, cognoscamus eum vt possumus. Ex parte enim hic cognoscimus, quia hic imperfecta, illic perfecta omnia: hic paruuli, illic robusti.

Gregorius Nazianz. orat. 15. post init.

Ambros. lib. de bon. mor. cap. 11.

Tropologiæ finis, & omnis anagogiæ.

SYMPERASMATION.

HÆc sunt quæ quærendo inuenimus, sed multo plura curiosò quærenda relinquimus. Nam, vt dicam iterum semel ex Chrysostomo, nolle omnia curiose inquirere, & non cupere omnia scire, magnum praeclaræ scientiæ argumentum est. Placet exemplo vti. Sit flumẽ, imò sint flumina, non sunt æqualis omnia profunditatis: sed alia minus, alia maius habẽt profundum, & quod suffocare ignatos possit: hic vndarum vortices sunt, ibi non sunt. Nolle omnia æquè tentare, prudentiæ fuerit: profundáque omnia scire nolle, scientiæ non paruum argumentum est: sicut qui omnes fluuij partes æquè transire vult, hic maximè fluminum proprietates ignorat: & sæpè dum nimis præsumit secreta penetrare omissis planioribus locis, perit temeritate suâ. Ita & in Deo qui scire omnia vult, & cuncta improba temeritate rimari; hic quid sit Deus, ignorat. Hoc solum scito, quòd Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrij conditi sumus, quòd alia quidem operatur, alia verò permittit; quòd nihil mali vult fieri, quòd non ex solâ ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostrâ quoque: mala omnia ex nostra tantummodo fiunt, bona omnia ex voluntate nostrâ, & ipsius adiutorio. Cum ista didiceris, adde

Chrysost. Hom 8. in cap. 3. ad Tim. 2.

Certa tractandorum omnium regula.


quòd ideò premuntur iusti, vt coronentur: peccatores verò, vt pœnas exsoluant. Non autem omnes peccatores hìc pœnas dant, ne resurrectioni plerique non credant. Non omnes vexantur iusti, ne malum putes esse laudabile, idque loco virtutis accipias. Hæc tibi sit norma, hæc regula, & sub ipsâ molire quod vis, & periclitari non poteris. Hæc recensuimus, sed vt pietatem sectaremur, auersaremur temeritatem, duces semper patres adhibuimus. Ipsos audio & colo vt magistros, sed Ecclesiæ procumbo vt magistrorum, nedum discipulorum dominæ. Meritò Ecclesia Catholica, (verba sunt Augustini) mater Christianorum verissima, non solùm ipsum Deum cuius adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicas: sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenes, quietè senes, prout cuiusque non corporis tantùm, sed & animi ætas est, exerces ac doces. Tu ciues ciuibus, Gentes Gentibus,


Augustin. lib. de mor. Eccl. Cath. cap. 30.

A & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione, non societate tantùm, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Omnes quippe Christianos per fidem ac charitatē sociat, vt futuros per speciem hæredes: omnes per gratiam informat, & prouocat ad gloriam. His igitur freti, (absoluo ex Ambrosio) intrepidè pergamus ad redemptorem nostrum Iesum, intrepidè ad Patriarcharum concilium: intrepidè pergamus ad illum sanctorum cœtum, iustorumque conuentum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostræ fidei præceptores; vt etiamsi opera desint, fides opituletur, defendat hæreditas. Ipse quoque Dominus vbi B se quæri vellet, ostendit, dicens, Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrū. Ibi ergo quæramus eum, vbi quæsiuit Ioannes, & inuenit. Ille eum in principio quæsiuit, & inuenit viuentem apud viuentem, filium apud patrem. Nos eum quæramus, & adoremus eum: quoniam ipse est plenitudo diuinitatis, & ipsi est gloria, decus, perpetuitas à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Ambrof. lib. de bon. mort. c. 12.

FINIS.





INDEX



INDEX
MATERIARVM PRÆCIPVARVM
Quæ in hoc Tertio Volumine continentur.

IN QVO PRIMVS NVMERVS PAGINAM, secundus columnam, litera lineam designat.

A

Index

B

Baptisma

C

Christus

Cæli

D

E

Ecclesiæ

F

G

H

Viuum

I

L

M

Aliud

Mundus

Nihil

R

S

Sabbatum

Tabernaculi

T

V

Index Materiarum præcipuarum.

FINIS.